BREVIARIUM HISTORICO-CHRONOLOGICO-CRITICUM, ILLUSTRIORA...

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIARIUM
HISTORICO-CHRONOLOGICO-CRITICUM,

ILLUSTRIORA

PONTIFICUM ROMANORUM

GESTA,

CONCILIORUM GENERALIUM

ACTA,

Necnon complura cùm Sacrorum Rituum, tùm antiquæ Eccleſiæ Diſciplinæ Capita complectens;

Collecta & ordinata ſtudio & operâ

R. P. FRANCISCI PAGI

Ord. Minorum Conventualium S. Franciſci S. T. D.

TOMUS PRIMUS

Continens Geſta Pontificum CLXIV, à SANCTO PETRO ad INNOCENTIJ II obitum, ſeu ad annum Chriſti MCXLIII.

Præmittuntur Indices Alphabetici, & Chronolog. Pontificum Rom. Imperatorum tam Orientis, quàm Occidentis, Regum Oſtrogothorum & Longobardorum in Italia, ac Scriptorum, qui in hoc Tomo citantur.

In fine ſubjiciuntur Faſti Conſulares ab anno CCCXXVI, & Tabula annorum Chriſti, ac in iis Literarum Dominicalium, Paſchatum, & Indictionum cuilibet anno convenientium; tandemque Index Rerum copioſus.

EDITIO SECUNDA

Aucta & Caſtigata.

LUCÆ. MDCCXXIX.

Typis Salvatoris, & Joannis Dominici Mareſcandoli. Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

IAmdiu ſingularis eruditionis Vir Ludovicus Vives ſecum reputans, quàm diligenter & quantâ curâ Alexandri, Hannibalis, Scipionis, Pompeji, Cæſaris & aliorum Ducum; Socratis, Platonis, Ariſtotelis & aliorum Philoſophorum Acta perſcripta ſint, & ſempiternæ memoriæ commendata, ut periculum non ſit, ne unquam excidant, libro quinto de Tradendis diſciplinis queſtus eſt, Acta Apoſtolorum, Martyrum, & Divorum noſtræ Religionis, maximis tenebris operta, ferè ignorari, tantò licèt, ſive ad cognoſcendum, ſive ad imitandum, quàm Ducum & Philoſophorum fructuoſiora. Eam in rem antiquus Auctor Anonymus in Vita Sancti Domnoli Cenomanenſis ſexto Eccleſiæ ſæculo Epiſcopi, *Non ſumus neſcii*, inquit, *Veteribus id ſtudio fuiſſe, ut ſuæ ætatis egregios viros ſcriptorum ſuorum monumentis ad poſterorum notitiam tranſmitterent, eorum præclarè dicta & facta aut literis conſignarent, aut picturis exprimenda, aut æri inſculpenda, vel marmoris ſpectato opere repræſentanda curarent. Putabant enim ſe operæ pretium facturos, ſi quæ in iis vel aliis utilia, vel cognitione digna, vel ad imitationem præclara viderentur, ea ſuâ induſtriâ & labore poſteris innoteſcerent: ut ita neque ſuo ſæculo alieni à ſtudio religionis & pietatis, neque erga poſteritatem parum officioſi viderentur.* Quod illi de Actis Apoſtolorum, Martyrum, Sanctorum, & Egregiorum Virorum ſcripsêre, potiori jure dicendum de Romanorum Pontificum geſtis: cùm enim à Sede Romana Eccleſiaſticæ res auctoritatem & motum ſumere conſueverint, ab Hiſtoria Pontificali, ut fundamento, ut matrice, ut magiſtrâ, complura, ne dicam omnia, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ capita ita pendent, ut abſque ipſa eorum rudis & imperfecta tantùm cognitio haberi poſſit. Unde ejus obſcuritati pellendæ, & difficultatibus expediendis inſudaſſe plurium Eruditorum Virorum, à duobus & amplius ſæculis, laborem & induſtriam, neminem in his tantillùm exercitatum latet. I. *Pontificia Hiſtoria neceſſitas.*

II. *Pontificia Hiſtoria fabulis referta.*

Bartholomæus Platina circa finem ſæculi decimi quinti, Alphonſus Ciaconius exeunte ſæculo decimo ſexto, Romanorum Pontificum geſta ſub unius libri volumine coarctarunt; huncque triginta poſt annis Andreas Victorellus, & Ferdinandus Ughellus, ac nuper Auguſtinus Oldoinus notis illuſtrarunt. Poſtremus tandem poſt Oldoinum ad hanc meſſem animum admovit & manum Joannes Palatius, eorumdem Pontificum geſta anno ſæculi proximè elapſi nonageſimo Venetiis evulgans: verùm cùm in iis Operibus ſuppoſititia à ſinceris diſcreta non ſint; cùm præterea quamplures Eruditorum de rebus Hiſtoricis & Chronologicis obſervationes in iiſdem adhuc deſiderentur; & denique cùm Ciaconius ad quatuor magnæ molis Tomos excreverit; Joannes verò Palatius quinque Tomis Pontificum geſta complexus ſit; Eccleſiaſticarum rerum ſtudioſi, & cumprimis tyrones, vel dubiis plus æquo fidem adhibent, vel falſis ſeducti in errorem labuntur, vel ex nummaria difficultate non valent tot volumina comparare, vel ab eorum lectione præ numero & mole deterrentur.

III. *Illis & aliis non neceſſariis purgata prodit.*

Quare Eccleſiaſticarum rerum cupidis maximè conducere, iiſque pergratum futurum exiſtimavi, ſi Breviarium Geſtorum Romanorum Pontificum concinnarem, fabulis & mendis Chronologicis purgatum, ſicuti & omnibus aliis, quæ ad eorum cognitionem nihil conducunt, putà Imperatorum, Regum & Principum rebus geſtis, vel etiam Conciliis provincialibus & nationalibus quantumcumque celebrioribus, in quorum partem Pontifices Romanos veniſſe nulla antiqua monumenta tradunt; hæc enim omnia Hiſtoriæ Pontificiæ adventitia mihi viſa ſunt. Eam in rem quæcumque in peculiaribus Tractatibus, Operibuſque Criticis à Viris doctis ſunt annotata, & ad ſeverioris criticæ leges diſcuſſa, ſparſim in hoc Opus inſerui, licèt quidam ex illis ſint è ſecta Proteſtantium; quia cùm ex his plures Hiſtoriæ & Chronologiæ Chriſtianæ difficultatibus elucidandis non parum laboris inſumpſerint, neminem ſua laude fraudandum duxi: qua in re ſanctum Hieronymum auctorem habui, qui in Apologetico adversùs Rufinum, *Laudavi*, inquit, *Euſebium in Eccleſiaſtica Hiſtoria, in digeſtione temporum, in deſcriptione Terræ ſanctæ* &c. *Num ex eo Arianus ſum, quia Euſebius, qui hos libros condidit, Arianus eſt?*

IV. *Veterum Pontif. Decretales rejectæ.*

Non ſolùm Decretales Pontificum Romanorum Epiſtolas uſque ad Siricium, quas conſtat à Pſeudo-Iſidoro ſuppoſitas, aliaque apocrypha, nobis à dictis Geſtorum Pontificalium Scriptoribus obtruſa, rejeci; ſed & quandoque vel veterum, vel recentiorum Scriptorum errores emendavi, tùm ex aliis, qui mihi ſubſequenti viam indicarunt, tùm proprio marte. Mihi ſatis non fuit, annum & menſem, quibus aliqua res notabilis contigit, annotare; ſed & diem etiam addidi, cùm illum detegere potui, quod ingens eſt in multis caſibus adjumentum. Brevitati ſic ſtudui, ut claritati tamen nuſquam deeſſe conatus ſim; & nunquam omiſerim, quod aliqua ex parte in rem meam facturum deprehendi. Verba ipſa Auctorum, licèt plerumque incompta, niſi diffuſiora fuerint, expreſſi, ſciens venerabiliorem eſſe antiquitatem etiam minùs eloquentem, quàm comptam prurientemque auribus novitatem. Stylo & phraſi vulgari uſus ſum: verbis tandem ſuperfluis & inaniloquentiâ abſtinui, *quandoquidem*, ut ſcribit Gregorius Presbyter in Prologo Vitæ ſancti Gregorii Nazianzeni Epiſcopi, *& balbutientium infantium ſermunculi, præſertim à ſimplici animo prodeuntes, parentibus jucundiores eſſe ſolent, quàm robuſtiores adultorum ſermones, & faſtuoſæ ac phaleratæ orationes.*

V. *Accuratiores editiones Scriptorum Eccleſiaſt. adhibitæ.*

In rebus Hiſtoricis deſcribendis Euſebium, Socratem, Sozomenum, Theodoretum ex verſione Henrici Valeſii, omnibus aliis accuratiore, laudavi; & in aliis antiquis Scriptoribus citandis, quantùm licuit, poſteriores Editiones ſecutus ſum. Porrò nemo mirari debet, ſi Eruditiſsimos, imò & Eminentiſſimos Viros Baronium, Bonam, Noriſium, alioſque primæ claſſis Auctores, ſine præfatione reverentiæ vel ſecutus fuerim, vel confutaverim, aut ipſorum nomina abſque honoris titulo compellarim; id enim à me factum, tum quia brevitati

ſtudui,

Digitized by Google

ſtudui, tum quia veritus ſum, ne id nimis affectatum aliquibus videretur, tum denique, quia eorum ſolis prolatis nominibus, eruditio & pietas, quibus ſummi viri à vulgaribus diſtinguuntur, ſe ſe ſtatim animo offerunt.

Omnes mutationes in Romanorum Pontificum electionibus & ordinationibus factas ſuis locis indicavi, ab eo præſertim tempore, quo Honorius Imperator Bonifacii Papæ, hujus nominis primi, electioni ſe immiſcuit; quod jus poſtea in magnum Eccleſiæ Romanæ damnum & dedecus degeneravit, cùm Italiæ Reges ſibi illud uſurparunt, & tandem Imperatores ad ſe, & ad Exarchas Ravennatenſes tranſtulerunt. VI. *Mutationes in Pontificū Rom. electionibus.*

Romanos Pontifices à tribus Epiſcopis, inter quos primum ſemper locum obtinebat Oſtienſis, conſecrari ſolitos, Viri docti jam pridem animadverterunt: ſed nemini obſervatum legi, privilegium conſecrandi Pontificem ita Oſtienſi Epiſcopo fuiſſe proprium, ut ſi hic eligeretur Pontifex, vel conſecrationi adeſſe non poſſet, Archipresbyter Oſtienſis ejus loco ei intereſſe deberet. Primum habemus ex Gaufredo Priore Voſienſi, qui pag. 327 ſui Chronici, quod extat Tomo 2 Bibliothecæ Labbei, loquens de Lucio III, antea Epiſcopo Oſtienſi, ait: *Feria 3 eligitur Humbaldus, qui Pontifex erat Oſtiæ & Veliternenſis urbium. Sequenti Dominica prima Septembris coronatur & inſignitur à Theodino Epiſcopo Portuenſi, & ab Archipresbytero Oſtienſi juxta conſuetudinem.* Secundum nos docet Cencius de Sabellis Cardinalis, poſtea Papa ſub Honorii III nomine, in Ordine Romano, cujus partem Baronius anno MCXCI, & Mabillonius Tomo 2 Muſei Italici integrum publicavit; in eo enim ſcribit: *Poſt hæc autem in proxima die Dominica Electus cum omnibus ordinibus & nobilibus Romanis vadit ad Eccleſiam Beati Petri: ubi ad altare majus, prout in Ordine continetur, ab Epiſcopo Oſtienſi ſpecialiter, & aliis Epiſcopis de Curia conſecratur; hoc addito, quòd ſi fortè Epiſcopus Oſtienſis præſens non fuerit, Archipresbyter Oſtienſis, ſeu Veliternus intereſſe debet conſecrationi.* VII. *Oſtienſis Epiſcopus Pontificis Rom. præcipuus conſecrator.*

Idem denique nos docet Jacobus Cajetanus in Ordine Romano XIV apud eundem Mabillonium ibidem; loquens enim de conſecratione, ſeu de benedictione, quæ dabatur Epiſcopo, qui in Papam electus erat, cap. 14 ait: *Electus ſedet in faldiſtorio in plano poſito inter altare & ſedem eminentiorem: & ibi coram ipſo veniunt Albanenſis, Portuenſis, & Oſtienſis Epiſcopi, vel Archipresbyter Oſtienſis, ſi non ſit Epiſcopus. Qui Albanenſis dat primam orationem, ſcilicet* Oremus, Deus, &c. *Secundam Epiſcopus Portuenſis.* Oratio, Supplicationibus &c. *Tertiam Epiſcopus, vel Archipresbyter Oſtienſis.* Oratio, Deus qui Apoſtolum, &c. Ex his patet deceptum eſſe Joannem Garnerium, cùm in Notis ad titulum 8 capitis 2 Libri Diurni Romanorum Pontificum ſcripſit, fuiſſe privilegium Eccleſiæ Oſtienſis conſecrare Romanum Pontificem, *antequam ulli Epiſcopi in numero Cardinalium cenſerentur:* nam cùm prima mentio ſeptem Epiſcoporum Cardinalium medio ſæculo octavo occurrat; ſæculo tamen decimo quarto ineunte, quo Jacobus Cajetanus Ordinem Romanum laudatum compoſuit, hoc privilegium Oſtienſi Epiſcopo adhuc competebat, licèt jam à longo tempore, ut mox oſtendam, plures alii Epiſcopi in Cardinalium collegium cooptarentur. Addit ibidem Garnerius: *Nunc verò cùm inter eos* (ſcilicet Cardinales) *plures ſint Epiſcopi, qui tres aliis ætate præeunt, conſecrandi Pontificis jure gaudent.* Verùm ex dictis convincitur, aliam rationem quærendam eſſe, cur conſecratio Pontificis ad tres antiquiores Cardinales devoluta ſit. Hoc porrò privilegium Archipresbytero Oſtienſis Eccleſiæ jam ſæculo ſexto fuiſſe conceſſum, ex eo deducitur, quòd cùm, teſte Anaſtaſio Bibliothecario, poſt electionem Pelagii, hujus nominis primi, *non eſſent Epiſcopi, qui eum ordinarent, inventi ſunt Epiſcopi Joannes de Peruſio, & Bonus de Ferentino, & Andreas Presbyter de Oſtia, & ordinaverunt eum Pontificem.* Licèt enim Andreas ab Anaſtaſio appelletur tantùm Presbyter, norunt tamen Eruditi, Archipresbyterum Presbyteri, ſicut Archidiaconum Diaconi nomine ſæpe ab Antiquis VIII. *Hoc jure adhuc gaudebat ſæculo decimo quarto.*

expri-

Digitized by Google

exprimi. Eadem ſine dubio de cauſa Joannes Veliternenſis Epiſcopus, qui Romanam ſedem medio ſæculo undecimo ſub Benedicti X nomine invaſit, à Presbytero Oſtienſi conſecratus ſeu benedictus eſt.

IX. *Coronationis Romanorum Pontificum ritus.*

Electum Pontificem in Eccleſia Lateranenſi fuiſſe inthronizatùm, & proxima die dominica in Vaticana ſancti Petri Baſilica de more conſecratum, ac poſtmodum conſecratione peracta, iterum ad Lateranum proceſſiſſe coronatum ſæculo undecimo, habemus tùm ex Actis Vaticanis, tùm ex Pandulpho in Vita Paſchalis II, tùm ex aliis Auctoribus, tùm denique ex variis Ordinibus Romanis ſæculo duodecimo exaratis, qui extant apud Mabillonium Tomo 2 Muſei Italici, quibus inſtruimur, morem tuliſſe, ut peracta conſecratione, expletiſque in Vaticana Baſilica Miſſarum Solemniis, Pontifex pallio, mitra pretioſa, chirothecis & anulo Pontificali ornatus, veniret ad portam, vel ad gradus Eccleſiæ, ubi aſcenſo pulpito, ſedebat in ſede ibi præparata: & ſedenti in ſede prior Diaconorum Cardinalium extrahebat ei mitram, & imponebat capiti ejus coronam, ſeu Regnum, ſeu Phrygium, ſeu Mitram turbinatam cum corona; ſicque proceſſione ordinata, Papa equitans equum faleratum, non coopertum à parte anteriori; ex parte verò poſteriori coopertum de ſcarleto, proceſſionaliter procedebat ad Lateranum inſignitus Regno, ſeu Phrygio, ſeu Tiara Pontificali hodierna, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd illud Regnum, ſeu Phrygium, ſeu Tiara Pontificalis uſque ad Bonifacium VIII fuerit cum unico coronamento; uſque ad Urbanum V cum duplici; deinceps verò cum triplici. Qua de re agam in Pontificatu Alexandri III, ubi & ritûs hujus antiquitatem oſtendam, & mitrarum, quibus Romanus Pontifex per annum utebatur, differentiam à Regno, ſeu Phrygio, ſeu Mitra Turbinata cum corona, quam in die ſuæ coronationis, & in aliis ſolemnitatibus geſtabat, indicabo. Ex quibus corruet quod ſcribit Ægidius Viterbienſis, Cardinalis à Leone X creatus, qui apud Ciaconium in Notis ad Vitam Pauli II ait, Mitram illam Turbinatam, ſub ejuſdem tantùm Pauli II Pontificatu, Regnum vocari cœptam, & trium coronarum ambitu fuiſſe exornatam.

X. *Subdiaconi à Pontificatu Rom. non excluſi.*

Omnibus hucuſque Viris doctis poſt Baronium perſuaſum fuit, Subdiaconos Romanæ Eccleſiæ à Pontificatu Romano fuiſſe excluſos uſque ad Deusdedit, in cujus Pontificatu Baronius ſcribit: *Ut autem Subdiaconus, Romanus Pontifex crearetur, nunc primùm accidit, abſque majorum exemplo.* Hunc vulgarem errorem in ejuſdem Deusdedit Vita refutavi, oſtendique Silverium, ante Potificatum fuiſſe tantùm Subdiaconum; ibidemque ſcripſi, Subdiaconos, anno tantùm DCCLXIX, à Pontificatu fuiſſe excluſos decreto Synodi Romanæ ſub Stephano III, vulgò IV, in qua ſtatutum eſt, *ne ullus unquam præſumat laicorum, neque ex alio ordine, niſi per diſtinctos gradus aſcendens, Diaconus, aut Presbyter Cardinalis fuerit, ad ſacrum Pontificatûs honorem poſſe promoveri.* Sed poſtea detexi, non obſtante illo decreto, medio ſæculo undecimo, Subdiaconos potuiſſe eligi in Summos Pontifices. Poſt mortem enim Victoris II, anno MLVII, Fridericus Cardinalis, qui ei ſucceſſit, ante electionem à Romanis conſultus de perſona eligenda, quinque propoſuit, ſcilicet *Humbertum ſanctæ Rufinæ Epiſcopum, Epiſcopum Velitrenſem, Peruſinum, Tuſculanum, & Hildebrandum Eccleſiæ Romanæ Subdiaconum*, ut ſcribit Leo Oſtienſis lib. 2, cap. 97. Nec dici poteſt eo in loco legendum eſſe, *Hildebrandum Eccleſiæ Romanæ Archidiaconum*, quia, ut ſuo loco oſtendi, Hildebrandus, à Nicolao tantùm Papa hujus nominis II, qui anno MLIX Eccleſiam regendam ſuſcepit, Archidiaconus renunciatus eſt. Ex quo convincitur, Subdiaconos anno MLVII à Pontificatu Romano non fuiſſe excluſos; alioquin fruſtra Fridericus Cardinalis Hildebrandum, tunc adhuc Subdiaconum, eligendum Romanis propoſuiſſet.

XI. *Cardinalium dignitas ſæculo nono nõ erat inferior Epiſcopali.*

Ex hoc porrò Stephani III decreto eruitur, maximam ſæculo octavo fuiſſe ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium dignitatem; unde mirari ſubit Jacobum Cohellium in libro, cui titulum fecit, *Notitia Cardinalatûs* anno 1653, Romæ in

fol.

Digitized by Google

fol. edito, cap. 8, ex Gomeſio in proœmio Regular. Cancell. tit. *Epiſcoporum dignitatis diminutio*, ſcripſiſſe, Cardinalium dignitatem, ita Epiſcopali fuiſſe inferiorem, ut ante Clementis V, & Joannis XXII tempora, ideſt ante ſæculum decimum quartum, Epiſcopi dignitate minui, & gradu deprimi exiſtimarent, ſi ex Epiſcopis in Cardinalium collegium cooptarentur. Quæ omnia vel dubia, vel falsa exiſtimo. Nam quod ſpectat ad ſuperioritatem dignitatis Cardinalium, ejus veſtigia quædam habemus medio ſæculo nono in Leonis IV Vita ab Anaſtaſio Bibliothecario ſcripta, in qua tradit, hunc Pontificem anno DCCCLIII Romæ Synodum congregaſſe, ad quam Anaſtaſius tit. Sancti Marcelli Presbyter Cardinalis *fuit per tres vocatus Epiſcopos, Nicolaum videlicet, Petronatium, & Joannem*, ut reſponderet de criminibus, de quibus accuſabatur, quod, juxta antiquam conſuetudinem, in Patriarcharum judiciis fieri ſolitum erat. Si quando enim majorum ſedium Orientis Epiſcopos ad judicium vocari contingeret, per tres ſaltem Epiſcopos conveniendi erant, ut variis exemplis probat Joannes Garnerius in Mario Mercatore Tomo 2, pag. 338, & nos diximus in Pontificatu Cœleſtini primi num. XVI. Ex quo deduci mihi poſſe videtur, Cardinales tunc Patriarchis æquales extitiſſe, ideoque & eorum dignitatem ita fuiſſe ſublimem & eminentem, ut licèt Epiſcopalis ordo, ſive gradus, ut ſacramentalis eſt, ſuperioritatem poteſtatis ſupra alios ordines Sacerdotales habeat, adminiſtratione tamen, qua Cardinales Summo Pontifici in univerſa Eccleſia regenda, & in majoribus cauſis definiendis aſſiſtunt, eorum dignitas Epiſcopali jam tunc fuerit ſuperior & dignior; cùm Anaſtaſius, licèt tantùm Presbyter Cardinalis, per tres tamen ad Synodum fuerit vocatus Epiſcopos, ut fieri ſolitum erat in judiciis Patriarcharum. Certè cùm aliquis ad judicium, ſive ſæculare, ſive eccleſiaſticum juridicè vocatur, dies & locus ſe ſiſtendi judicio, ei non denunciantur per ſuperiores, ſed per inferiores, vel ad ſummũ per æquales. Dicendum igitur ſæculo nono Cardinales Epiſcopis ad minus pares extitiſſe. Sed aliud ſuperioritatis indicium ineunte ſæculo duodecimo nobis ſuppeditat Synodus Verulanenſis, quam refert Mabillonius Muſei Italici Tomo I, part. 2, pag. 242, quæ anno MCXI præcepto Paſchalis II celebrata eſt *ſub domino Pontifice Lato, conſidentibus cum eo juſſu domini Papæ Gregorio Cardinale ſanctorum Apoſtolorum, & Ogdone Anagnino Præſule, necnon domino Auguſtino Ferentinate Epiſcopo*. Sæculo itaque duodecimo ineunte Gregorius, licèt tantùm Presbyter Cardinalis, ſuperioritatem obtinuit in Synodo Verulanenſi ſupra Epiſcopos Anagninum & Ferentinum.

XII. *Opinionis contraria fundamentum rejicitur.*

Nec obſtat quod idem Cohellius in ſuæ confirmationem opinionis adducit, ſcilicet Epiſcopos etiam Cardinales ſubſcibere aliquando diplomatibus Pontificum, poſt alios Epiſcopos, qui non erant Cardinales; hoc, inquam, nihil obſtat, quia, juxta antiquam conſuetudinem, tam Conciliis, quàm diplomatibus primo loco ſubſcribebant Epiſcopi, ſive Cardinales, ſive non, ſecundùm antiquitatem conſecrationis, poſtea Presbyteri, deinde Diaconi. Qui modus ſubſcribendi deducitur ex ipſis ſubſcriptionibus, quas refert Cohellius. Nam cùm capite quinto Epiſcopos Septem Cardinales hoc ordine numerarit, Epiſcopum Oſtienſem primum, Epiſcopum Sylvæ Candidæ, ſeu ſanctæ Rufinæ ſecundum, Epiſcopum Portuenſem tertium, Epiſcopum Sabinum quartum, Epiſcopum Præneſtinum quintum, Epiſcopum Tuſculanum ſextum, & Epiſcopum Albanenſem ſeptimum; explicare debuit, cur Epiſcopus Sylvæ Candidæ, qui ex ipſo, erat ſecundus inter Epiſcopos Cardinales, ſubſcripſit tamen damnationi præfati Anaſtaſii tit. S. Marcelli Presbyteri Cardinalis, apud Baronium anno 853, poſt Portuenſem, qui erat tantùm tertius inter Epiſcopos Cardinales; & cur Epiſcopus Tuſculanus, qui erat ordine ſextus, ſubcripſit ante Præneſtinum, qui erat ordine quintus, diplomati Paſchalis II, cujus ſubſcriptiones ipſemet Cohellius refert. Hujus ſubſcribendi modi alia ratio, meo quidem judicio, afferri non poteſt, quàm prioritas conſecrationis Epiſcopalis. Quòd ſi quis dicat Cohellium

lium non benè retuliſſe ordinem Epiſcoporum Cardinalium, qui apud Joannem Diaconum à nobis in eodem Stephano III laudatum, talis eſt: Oſtienſis Epiſcopus primus, Epiſcopus S. Rufinæ, ſeu Sylvæ Candidæ ſecundus, Epiſcopus Portuenſis tertius, Epiſcopus Albanenſis quartus, Epiſcopus Tuſculanus quintus, Epiſcopus Sabinenſis ſextus, Epiſcopus Prænestinus ſeptimus; recurrit tamen eadem difficultas, cur Epiſcopus Sylvæ Candidæ, qui erat ſecundus, ſubſcripſerit dicto diplomati contra Anaſtaſium Cardinalem, poſt Portuenſem, qui erat tantùm tertius; & cur Epiſcopus Sabinenſis, qui erat tantùm ſextus, ſubſcripſit diplomati Urbani II apud Baronium anno 1092 ante Albanenſem, qui erat quartus. Ex quibus inferendum eſt, nihil deduci poſſe ex illis ſubſcriptionibus pro ſuperioritate Cardinalium inter ſe, nec conſequenter Epiſcoporum ſupra Cardinales.

XIII. *Epiſcopi ante ſæculum XI Cardinalitia dignitate nō exornati, & quare.*

Si hæc non ſufficiant ad demonſtrandam ſuperioritatem Cardinalium ſupra Epiſcopos ſæculo nono, ſequentia, ni fallor, ſufficient ad oſtendendum eumdem Cohellium perperam ſcripſiſſe Epiſcopos dignitate minui, & gradu ſe deprimi exiſtimaſſe, ſi ex Epiſcopis fierent Cardinales, & hoc uſque ad Clementis V, & Joannis XXII tempora. Nam Ciaconius ſcribit, S. Leonem IX, Joannem Mincium, poſtea Antipapam ſub Benedicti X nomine, Epiſcopum Veliternenſem, Cardinalem creaſſe; fallitur tamen in eo quod ait, Veliternenſem Eccleſiam tunc inter Cardinalitias numeratam fuiſſe, cùm Cardinales Epiſcopi eſſent tantùm numero ſeptem, in quorum numero non potuit computari Epiſcopus Veliternenſis, niſi poſtquam illius Epiſcopatus ab Eugenio III unitus eſt Oſtienſi. Victor II, ex eodem Ciaconio, Petrum Epiſcopum Labicanum Cardinalem dixit. Labicum porrò, ſive Lavicum erat urbs Epiſcopalis in Campania Romana. Quòd ſi quis dubitet de illorum Epiſcoporum Cardinalatu, nullo modo dubitare poterit de Conrado Archiepiſcopo Moguntino, quem Alexander III Presbyterum Cardinalem tit. S. Marcelli creavit; multò minus de VVillelmo Theobaldi IV Campaniæ Comitis filio, ad Albas Manus cognominato, quem jam Archiepiſcopum Remenſem idem Alexander III in Concilio Lateranenſi tertio, ſeſſione ſecunda, anno MCLXXIX dixit pariter Presbyterum Cardinalem tit. S. Sabinæ, ut teſtantur Rogerius Hovedenus in Annalibus, Chronographus Aquicinctinus, & Rigordus in Philippo Auguſto. Si quis verò quærat, cur ante medium ſæculum undecimum, vel duodecimum Epiſcopi non fierent Cardinales, ratio in promptu eſt, quia ſcilicet tunc Cardinales obligabantur ad reſidentiam ſicut Epiſcopi, ideoque non poterant ſimul eſſe Epiſcopi & Cardinales, cùm non poſſent duobus in locis reſidere. Cardinales obligatos fuiſſe ad reſidentiam ſæculo nono, jam Viri docti deduxerunt ex Anaſtaſii Bibliothecarii verbis in laudata Leonis IV Vita, in qua tradit, prædictum Anaſtaſium tit. S. Marcelli Presbyterum Cardinalem, ad Synodum vocatum venire noluiſſe, ideòque *canonicè* depoſitum, & omni Sacerdotali honore privatum, *eò quòd parochiam ſuam per annos quinque contra canonum ſtatuta deſeruiſſet, & in alienis uſque demoraretur.* Ex quibus etiam inferendum, Cardinales ab obligatione reſidentiæ fuiſſe diſpenſatos, cùm Epiſcopi in Cardinalium collegium cooptari cœperunt; vel cùm Cardinales Epiſcopali dignitate ſunt exornati, quod ultimum accidit medio ſæculo undecimo, quo Alexander II, juxta Ciaconium, Hugonem Cardinalem Presbyterum creavit, qui non multò poſt dictus eſt Archiepiſcopus Lugdunenſis. Deinde Gregorius VII Joannem Monachum & Abbatem Dolenſem, Presbyterum Cardinalem SS. Silveſtri & Martini in Montibus tit. Equitii renunciavit, qui poſt hæc factus eſt Archiepiſcopus Dolenſis. Innocentius etiam II Balduinum diſcipulum S. Bernardi dixit Presbyterum Cardinalem; hic autem poſtea fuit Archiepiſcopus Piſanus. Ita Ciaconius, cui tamen aſſentiri non poſſum in eo, quod ſcribit, Hugonem, poſtea Archiepiſcopum Lugdunenſem, dictum eſſe Cardinalem ab Alexandro II; cùm enim Hugo anno MLXXIII menſe Octobri, dictus ſit Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopus Dienſis, cùm antea eſſet Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, ut ſcribit Hugo Flaviniacenſis in Chronico, ſi poſtea dictus eſt Cardinalis, ut nullum dubium eſt, id factum à Gregorio VII, ex quo & probatur ſæculo undecimo Epiſcopos ad Cardinalatum jam promoveri ſolitos eſſe. Ceterùm Hugo ex Dienſi Epiſcopatu ad Lugdunenſem translatus eſt anno tantùm MLXXXII, eodem Hugone Flaviniacenſi teſte.

Vacante Sede Romana Presbyteros Eccleſiam gubernaſſe, inficias non ibit, qui Chronicon Damaſo attributum, & Anaſtaſium Bibliothecarium in Sixto II perlegerit. Ille mos ſæculo ſexto jam deſierat; tunc enim vacante Sede, vel Pontifice abſente, Archipresbyter, Archidiaconus, & Primicerius Notariorum Eccleſiam adminiſtrabant uſque ad conſecrationem Pontificis electi, quod uſque ad Benedictum II duraſſe mihi penè certa ſtat ſententia. Ab eo quippe tempore illi tres Eccleſiam quidem gubernabant vacante Sede, ſed uſque ad electionem tantùm; electione verò peractâ, Electus ſolus Eccleſiam rexit, ut in ejuſdem Benedicti II Vita oſtendi. Quo autem tempore, vacante Sede, adminiſtratio translata fuerit ad ſacrum Cardinalium collegium facilè non eſt divinare. Conjicere tamen poſſumus id contigiſſe, non quidem anno MCCXLI, ut eo anno num. XXI inſinuat Spondanus, ſed anno milleſimo quinquageſimo nono, quo Nicolaus II in Synodo Romana electionem Romani Pontificis ſolis Cardinalibus attribuit; ex quo tempore eorum dignitas majori in pretio haberi cœpit. Certè ſæculo duodecimo non multùm provecto, jus illud competiiſſe Cardinalibus, habemus ex Arnulpho Sagienſi Archidiacono, poſtea Luxovienſi Epiſcopo, qui in Tractatu *de ſchiſmate orto poſt Honorii Papæ deceſſum*, quem edidit Dacherius Tomo 2. Spicilegii, cap. 4, verba faciens de Innocentio II, qui Pontificatum recuſabat, Cardinales ſic ei loquentes inducit: „Si acquieſcis, exhibebimus obſequium; ſi recuſas exigimus „de inobedientia pœnam. Eadem enim, quæ Papæ ſuperſtitis eſt, ipſo decedente, penes nos præcipiendi & ulciſcendi conſiſtit auctoritas, donec alius inducatur. *His dictis*, ſubdit Arnulphus, *parabant excommunicationis proferre ſententiam*. Ab eodem anno MLIX, abſente Pontifice, Eccleſiæ regimen fuiſſe penes aliquot Cardinales à Pontifice deſignatos multum veriſimile videtur; nam anno MCXVIII, cùm Gelaſius II in Galliam ſecedere decreviſſet, Petrum Portuenſem Epiſcopum pro ſe Vicarium conſtituit, & Cardinales aliquot ei in auxilium ſociavit, ut teſtatur Pandulphus in ejus Vita. XIV. *Eccleſia Rom. vacãte Sede, à Cardinalibus ſæculo XI adminiſtrata.*

Non hæc ſolùm ſuis locis annotavi, ſed etiam detegere conatus ſum, quo tempore deſierit conſuetudo, quæ in Eccleſia Romana vigebat, ordinandi per ſaltum, omiſſo ſcilicet Presbyteri gradu, Diaconos Eccleſiæ Romanæ, quos potius, quàm Presbyteros, in Romanos Pontifices eligi ſolitos, ex Veterum monumentis eo pertinentibus manifeſtum eſt. Hæc, & alia quædam de prærogativa Romani Pontificis, juxta quam ſolus ſemper potuit, quibuſcumque diebus Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos ordinare: item multa de ſacris Ritibus, & de antiqua Eccleſiæ diſciplina, quæ hîc referre non vacat, identidem obſervavi, ratus ea lectoribus, rerum præſertim ſacrarum ſtudioſis, faſtidium generare non poſſe; ſed illis potius maximo emolumento futura, cùm ex iis Eccleſiaſticorum Rituum vetuſtas probetur contra hæreticos. XV. *Diaconi in Pontifices Rom. electi per ſaltum ordinati.*

Quod attinet ad Chronologiam Pontificiam innumeris adhuc mendis ſcatentem, cùm ea ſit baſis quædam Hiſtoriæ, mirum eſt, quòd ante noſtra fermè tempora, de ea in integrum reſtituenda, tollendiſque, quæ in ea occurrunt, difficultatibus, feriò cogitatum non fuiſſe videatur. Quid enim certi eſſe poteſt, ubi incerta ſunt tempora, nec quot quiſque Pontifex Romanus annis, & quando Pontificatum inierit, ac Eccleſiam ſucceſſori regendam reliquerit exploratum eſt? Ab hac cura ſuſcipienda, duo, ni fallor, Viros Eruditos averſos reddidêre. Primum, omnes Anaſtaſii, ſeu libri Pontificalis editiones hactenus in lucem emiſſæ, quæ adeò ſunt imperfectæ, ut Nicolaus Fabrotus, qui ultimam adornavit cum XVI. *Chronologia Pontificia mendis ſcatens quare non reſtituta.*

a a pleri-

pleriſque variis lectionibus, ex variis MSS. codicibus deſumptis, quas calci operis adjecit, ibidem fateatur librum Pontificalem mendis ſcatere, ſeque eo fine lectiones illas adjeciſſe, ut earum ope aliqua alia caſtigatior editio curari poſſit. Lucæ Holſtenio in mentem venerat provinciam illam ſuſcipere, jamque priorum Pontificum Vitas uſque ad Felicem IV, juxta quatuor aut quinque præſtantiſſimos codices MSS. emendaverat, quas nuper Emmanuel Schelſtratius in libro, cui titulum præfixit, *Antiquitas Eccleſiæ*, publicavit. Verùm liber Pontificalis adeò corruptus, in numeris præſertim, ut non ſolùm MSS. illa, cùm varia alia ſuperſint, non ſufficiant; ſed etiam Catalogi veterum Pontificum, qui ex eodem variis temporibus exorti fuêre, omninò requirantur, ut quid libri illius Auctor, qui nonniſi ſæculo decimo quarto Anaſtaſio tribui, & ſub ejus nomine citari cœpit, verè ſcripſerit, liquidò innoteſcere poſſit. Secundum, ex Euſebio, ejuſque tam Hiſtoriæ, quàm Chronici Continuatoribus repetendum. Græci enim res in Eccleſia Romana geſtas parùm calluêre; & divus Hieronymus, Proſper Marcellinus, aliique Latini, qui ſequentia tempora digeſſerunt, pauca de Romanis Pontificibus habent, eaque plerumque parùm accurata.

XVII. *Auctor libri Pontificalis quibus adjumentis uſus.* Auctor tamen libri Pontificalis, qui octavo ſæculo vixiſſe creditur, & uſque ad Gregorium II illum perduxiſſe, pro captu illorum temporum ſatis diligens fuit, durationem cujuslibet Pontificatûs ex Necrologiis Urbis, ubi eum floruiſſe, ex variis ejus Operis locis colligitur, aliiſque publicis monumentis eruit; & ubi illa defuêre, quod in prioribus ſæculis præcipuè contigit, uſus eſt Chronico, quod ſub Damaſi Papæ nomine circumfertur, & in Liberio deſinit; alioque Chronico, ex Bibliotheca Chriſtinæ quondàm Sueciæ ab Henſchenio primùm publicato, quod in Felice IV abſolvitur. Prioris operis parens, unicus Auctor fuit, ut libro laudato oſtendit Schelſtratius, non verò tres diverſi, ut credidit Henſchenius, vixitque tempore Liberii Papæ, ut ex iis, quæ habet de ejus Pontificatu, eruitur. Is tamen de prioribus Pontificibus uſque ad Soterem, vel circiter, parum edoctus fuit, & duo, quæ ſuperſunt ejus exemplaria MSS. quorum prius nunc in Bibliotheca Vaticana, poſterius in Cæſarea aſſervatur, non ſolùm in numeris, ſed etiam in quibuſdam Pontificatibus depravata ſunt.

XVIII. *Auctius Chronicon Veterum Pontif. poſt ſæculum VI exaratum.* Poſterioris Chronici, quod in Critica Baroniana, & in hoc Breviario, ſub titulo Auctioris veterum Pontificum Chronici citatur, duo etiam tantùm ſuperſunt MSS. exemplaria. Primum, quod fuit Reginæ Sueciæ, nunc in Bibliothecam Vaticanam translatum; alterum in Bibliotheca Colbertina aſſervatum; ſed utrumque ex uno eodemque codice, ut ea conferenti patet, deſcriptum. Hic Catalogus ab Henſchenio in Prolegomenis ad Tomum primum Sanctorum menſis Aprilis primùm publicatus, quem tamen poſtea accuratiorem edidit Schelſtratius laudatus diſſert. 3, ubi cap. 4 cum Henſchenio, & Papebrochio, ac Dodvvello in Diſſertatione ſingulari de Romanorum Pontificum primæva ſucceſſione, exiſtimat eum ab incerto Auctore collectum eſſe imperante Juſtiniano. Sed mirum eſt Viros doctiſſimos in eam opinionem abiiſſe eo, ut videtur, tantùm fundamento, quòd terminetur in Felice IV, qui ſub Juſtino & Juſtiniano Romanam Eccleſiam adminiſtravit. Quot enim libri, quot Chronica, & quot Romanorum Pontificum Catalogi ſuperſunt, quos Scriptores ad ſua tempora non perduxêre? Opus non eſt id hoc loco exemplis comprobare, cùm tot paſſim in Hiſtoria Eccleſiaſtica occurrant. Imò ex eo quòd hujus Chronici Pontificii collector, in Pontificatu Felicis IV deſcribendo, tam fœdè hallucinatus fuerit, certum inde argumentum deduci debet, eum poſt ſæculum ſextum lucubrationem ſuam in lucem emiſiſſe, cùm Auctores nullibi minus fallantur, quàm in rebus eorum ætate geſtis referendis. Si Schelſtratius, aliique, quæ Auctor ille anonymus, de tribus aut quatuor Pontificibus ultimo loco ab eo memoratis, ſcribit, examinaſſent, ex erroribus, in quos incidit, eum longe poſt Juſtinianum vixiſſe concluſiſſent, cùm eum in iſtis, non minus quàm in aliis cæcutire deprehendiſſent. Pearſonius

Diſſert.

Digitized by Google

Diſſert. 1 de Succeſſione primorum Romæ Epiſcoporum cap. 12, num. 5 ſcribit, ſe cum Blondello ſentire, librum illum ſub finem ſæculi ſexti ab impoſtore exaratum, editumque. Ego verò tardiùs exaratum exiſtimo, ob errores, qui in poſterioribus Pontificibus continentur; ſed de Auctoris ſinceritate, & bona fide dubitandi locum non video. Schelſtratius ibidem pro ſua opinione Pearſonium laudat, qui tamen eam refellit.

Licèt autem tam Liber Pontificalis, quàm duo hæc Chronica in multis depravata ſint, quia tamen ex Catalogis Pontificum emaculari poſſunt, Chronologiæ Pontificiæ reſtitutio non deſperanda. Huic reſtitutioni plurimùm obfuit ignoratio uſûs, quarto Eccleſiæ ſæculo, & deinceps obſervati, ut nempè Pontifices Romani diebus dominicis, aut feſtis ſolemnioribus ordinarentur; hinc enim factum, ut poſteriores Hiſtorici eorum ordinationis diem ignorantes, & prætereà mortem cum translatione, ſæpe ab Hiſtoricis tantùm memorata, confundentes, ſuſdeque omnia verterint, tanquam vitæ & necis Pontificum arbitri, de eorum temporibus locuti fuerint, ac rem difficilem majoribus tenebris offuderint. Primus videtur fuiſſe Onuphrius Panvinius, qui ad hunc morem animum adverterit; is enim in Catalogo Pontificum Romanorum Hiſtoriæ Platinæ à ſe ſubjuncto, poſt Gregorium Magnum ſubinde notat aliquorum Pontificum conſecrationes, modò in diem Dominicam, modò in aliquod Chriſti, aut Deiparæ feſtum incidiſſe; qui tamen in diebus, quibus conſecrati ſunt alii Pontifices, memorandis, certam, quam detexerat regulam, ſervare neglexit. Poſt Onuphrium aliqui alii Viri docti, præſertimque Blondellus in Apologia pro ſententia Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris Amſtelodami anno 1656 edita, eam regulam ſemper adhibet, quando de Romanæ Eccleſiæ Pontificibus ei ſermo habendus. Sed cùm, durantibus Eccleſiæ perſecutionibus, Pontifices Romani quibuſcumque diebus indiſcriminatim conſecrarentur, & nonniſi ferè de illis loquatur, viam, quæ tenenda erat, monſtravit quidem, ſed Chronologiam Pontificiam hac ſolùm, & quidem egregia obſervatione promovit. XIX. *Chronologia Pontificia reſtitutio non deſperanda.*

Tandem nuper Daniel Papebrochius dies ordinationũ omnium Pontificum Romanorum in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum detegere conatus eſt, incredibili hanc in rem collato labore, nihilque intentato relicto, ut illos diebus dominicis, aut feſtis ſolemnioribus affigeret. Verùm cùm ſibi perſuaſerit ab Apoſtolica traditione fluxiſſe, ut Pontificum ordinationes diebus Dominicis fierent, & quaſdam regulas veritati contrarias ſtatuerit, à Siricio uſque ad Gregorium II, ut de aliis taceam, dies tantùm, quibus Pelagius I, Vitalianus & Bonifacius IV conſecrati fuère, è tenebris educere potuit, ut in Critica Baroniana probatum exiſtimo ab Antonio Pagio, qui novem Regularum ibidem ad annum Chriſti ſexageſimum ſeptimum ſtatutarum, & decem Catalogorum Veterum Pontificum Tomi primi initio editorum ope, Chronologiam Pontificiam uſque ad decimum tertium ſæculum non parum promovit, licèt ingenuè fateatur, dies emortuales, & ordinationum Pontificum à Veteribus non notatos detegere ſæpè potis non fuiſſe, præſertim ineunte ſæculo decimo. XX. *Ab Annotatore Baronii multùm provecta.*

Has Regulas hîc in pauca contrahere neceſſarium duxi, in eorum gratiam, ad quorum manus Baronii Critica non pervenit. XXI. *Et quidem ope novem Regularum, quas ſtatuit.*

1 Regula eſt, in Chronologia Pontificia Latinis potiùs, quàm Græcis inhærendum, illiſque utpote Eccleſiæ Romanæ alumnis majorem fidem habendam.

2 Regula eſt, uſque ad medium ſæculum quartum, Damaſi librum, ſeu Chronicon, ſaltem à Soteris Pontificatu, Pontificali libro, ceteriſque de Romanis Pontificibus ſcriptis, præferendum eſſe.

3 Regula eſt, in priori parte Chronici Damaſi, in quo nullus Conſulatus bis repetitur, obitus Pontificum ſemper cum ultimo pari Conſulum illigari, utì & plerumque ſucceſſoris initium.

4 Regula eſt, tempus cujuſcumque Pontificis, non ab electionis, ſed ab

Epiſcopalis ordinationis die numerandum eſſe uſque ad medium ſæculum undecimum.

5 Regula eſt, ante conſtitutam à Conſtantino Magno Eccleſiæ pacem, Pontificum Romanorum ordinationes quibuſcumque diebus indiſcriminatim peractas.

6 Regula eſt, poſt Maxentium ab eodem Conſtantino debellatum, & pacem Eccleſiæ datam, ordinationes eorundem Pontificum diebus Dominicis, vel feſtis ſolemnioribus factas fuiſſe.

7 Regula eſt, per tria priora Eccleſiæ ſæcula, ſi Linum fortè excipias, nullos Vicarios Romanorum Pontificum fuiſſe inſtitutos, quidquid in contrarium ſcripſerint quidam Viri docti.

8 Regula eſt, dies, quibus ſancti Pontifices coluntur, aut quos eorum morti, vel ſepulturæ Anaſtaſius, Martyrologi, aliique attribuunt, aliquando eſſe dies emortuales, aliquando dies ſolùm, quibus ſepulturæ mandati fuêre, aliquando dies alicujus eorum Translationis, aut Reliquiarum Elevationis: Exequias verò Romanorum Pontificum, ſaltem ante decimum ſæculum, vel die mortis, vel uno, aut altero poſt die ſemper peractas eſſe.

9 Denique Regula eſt, quando Martyrologi, aut Chronicorum Pontificiorum Scriptores in alicujus Pontificis emortuali die aſſignando, uno tantùm die inter ſe differunt, priorem ad mortem, poſteriorem ad ſepulturam, quæ poſtridie contigit, referendum eſſe.

XXII. *Septima ex his Regulis confirmata.* Ex his Regulis ſeptima, quæ Vicarios, ſeu, ut nunc loquimur, Coadjutores cum jure futuræ ſucceſſionis omninò rejiciendos eſſe ſtatuit, confirmari poſſe mihi videtur ex Concilio Romano ab Hilaro Papa anno quadringenteſimo ſexageſimo quinto celebrato; ex quo conſtat, Epiſcoporum Vicarios, ſeu ſucceſſores, Pontificibus viventibus electos & conſecratos, toti retrò antiquitati fuiſſe incognitos. Nundinarius Barcinonenſis Epiſcopus ſucceſſorem ſibi deſignaverat Irenæum, cui provinciæ Epiſcopi, & Aſcanius Metropolitanus ſuffragabantur, ipſumque Optimates & plebs, utpote meritis & morum integritate inſignem, poſtulaverant; & tamen Hilarus in eo Concilio Irenæum à regimine Eccleſiæ Barcinonenſis excludi voluit, *ne Epiſcopalis honor hæreditarium jus putetur*, inquit in Epiſtola ad Aſcanium Tarraconenſem Metropolitam, & reliquos provinciæ Epiſcopos, ex Romani Concilii ſententia datâ. Unde Hilarus Patres Concilii alloquens pag. 1061 Collectionis Conciliorum Labbei ita habet: *Præterea, Fratres, nova & inaudita (ſicut ad nos miſſis de Hiſpania Epiſtolis, ſub certa relatione pervenit) in quibuſdam locis perverſitatum ſemina ſubinde naſcuntur. Denique nonnulli Epiſcopatum, qui nonniſi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, ſed hæreditarium putant eſſe compendium..... atque ideo, ſi placet, etiam hanc licentiam generaliter de Eccleſiis auferamus, ne (quod turpe dictu eſt) homini quiſquam putet deberi quod Dei eſt.* Cùm ergo Succeſſorum, vel Vicariorum ordinationes, *nova & inaudita perverſitatum ſemina* appellat Hilarus, veriſimile non eſt, aliquando Pontifices Romanos, ſibi Vicarios aut Succeſſores deſignaſſe & conſecraſſe; multò minùs id in more poſitum fuiſſe uſque ad Melchiadem, qui ultimus eorum Vicariorum dicitur à Papebrochio; ſi enim id uſus tuliſſet uſque ad annum trecenteſimum decimum, illum Hilaro & Epiſcopis Romani Concilii fuiſſe incognitum, nullus ſibi facilè perſuaſerit.

XXIII. *Octava Regula extenſio & confirmatio.* Octava pariter Regula, quæ inter alia ſtatuit, Romanorum Pontificum exequias, ſaltem ante ſæculum decimum, vel die mortis, vel uno, aut altero poſt die ſemper peractas eſſe, extendi debet ad minus uſque ad medium ſæculum duodecimum, quo Hugo Epiſcopus Oſtienſis in Epiſtola, qua mortem Eugenii III, de qua ſuo loco agemus, Abbatibus & Capitulo Ciſtercienſi ſignificans, diſertè ſcribit, ejus exequias *præter morem conſuetum...... per biduum* fuiſſe *à Clero & populo* celebratas. Quòd ſi exequiæ illius Pontificis per biduum ſunt celebratæ

præter

Digitized by Google

præter morem conſuetum, mos ergo adhuc ferebat, mortuos Pontifices, vel die eorum mortis, vel altero poſt die celebrare.

Breviarium itaque iſtud Hiſtorico-Chronologico-Criticum de Romanorum Pontificum Geſtis aggrediens, Lectorem monitum volo, me Annotatoris Baronii Chronographiæ ſtandum duxiſſe; tum quia omnibus aliis exactior mihi viſa eſt, tum quia nepotem patrui, diſcipulum Magiſtri ſententiam ſequi & tueri, propinquitati & accepti beneficii memoriæ conſentaneum eſt. Quæcumque pariter in ejuſdem Annotatoris quatuor Tomis reperiuntur de Romanis Pontificibus in hoc Opus transtuli, & quandoque illuſtrare conatus ſum. Pleraque etiam ſunt in hoc Opere ex Baronio, multa ex Bona, nec pauca ex aliis, quædam etiam ex noſtris obſervationibus minimè aliis tacta, quæ tamen retractare paratus ſum, ſi vel novo adhibito ſtudio, vel alio ſuggerente cognoſcam, me à veritate deviaſſe, ſemper in mente habens verba illa ſancti Ambroſii, de ſuis ſcriptis adeò ſibi parùm fidentis, atque hæc ad Sabinum lib. 6 Epiſt. 40 ſcribentis: *Unumquemque fallunt ſua ſcripta, & Auctorem prætereunt: atque ut filii etiam deformes delectant, ſic etiam Scriptorem indecori ſermones ſui palpant.* XXIV. *Annotatoris Baronii Chronologia adhibita.*

Illuſtriora tantùm Pontificum Geſta attigi, quòd omnia repræſentare immenſæ foret operæ; & ſcitè dixit Conſtantinus Manaſſes in Annalibus num. 133: *Guſtus etiam perexiguus, dolii totius, & contexti egregiè pepli documentum fimbria præbet: & leo magnanimus, ex unguibus agnoſcitur.* His adde, quòd hactenus quidem publicis Religionis noſtræ negotiis occupatiſſimo, non licuit mihi in vaſto adeò mari, eorum, qui Pontificiam Hiſtoriam juviſſent, exſpiſcari omnia ex animi ſententia: poſtea verò quàm ab iis liber factus ſum, cùm inconcuſſam inter afflictæ valetudinis incommoda & dolores, mentis ſemper conſtantiam præferre, & animi firmitudinem retinere, mihi ſæpe integrum non fuerit, hoc Opus altiores radices agere non potuit. Alias hujus brevitatis cauſas, Chriſtiana charitas & religioſa modeſtia propalare pro nunc non ſinunt, quas forsàn animi dolentis acerbitas, & præſertim fama, quam proximo debemus, in editione Tomi tertii in lucem proferre cogent. XXV. *Pontificia Hiſtoria cur tam breviter ſcripta.*

Sed, ut ad inſtitututum meum redeam, Breviarium iſtud non Hiſtoricum tantùm & Chronologicum, verùm etiam Criticum eſſe volui, ut ſæculi hujus genio obſequerer, cui nihil placet, niſi critico ſale reſperſum ſit. Ceterùm ne Lector identidem in Conſulatibus, in annis Imperatorum, in Paſchatis die, & in Indictionibus, Romanorum Pontificum Epiſtolis ſubinde ſubjunctis cæcutiat, non abs re fore mihi viſum eſt, præter Imperatorum & Regum Italiæ, ac Scriptorum, qui in quolibet Tomo citantur, Chronologicas tabulas, Faſtos etiam Conſulares, cum Indictionibus, Paſchate, & littera Dominicali, cuilibet anno convenientibus, ſaltem à tempore Conſtantini Magni, à cujus Imperio & Indictionis initium, & finis controverſiæ de die, quo Paſcha celebrandum eſt, repeti debent, repræſentare; hos enim omnes temporum characteres quarto Eccleſiæ ſæculo & deinceps neceſſarios eſſe nemo diffitebitur. XXVI. *Conſulatus & alii temporum characteres neceſſarii.*

Quàm difficilem in hoc Opere concinnando provinciam ſubierim, non ignoravi, neque idcircò deſperavi, fore, cum Dei gratia, ut facerem hoc in genere pleriſque ſatis; & quibus ſatis non fuerit, aut qui aliquod erratum deprehenderint, facilè, ut putavi, excuſabunt, ignoſcentque in Opere tam vario ac tam moleſto. Mihi tamen non levi ſolatio fuerit hujuſmodi labori inſudaſſe, quem & quæcumque à me ſcripta ſunt, *prudentia tua*, Erudite Lector, *diſcutienda offerre volui, ut per te errata corrigantur, biantia ſuppleantur, ſupervacanea rejiciantur, res ſcitu digna eorum loco ſubſtituantur, ſtoliditas mea, ſicubi lapſa ſit, veniam obtineat, & contra inſultantium ſannas auctoritatis tuæ præſidiis muniatur: quamquam, ut mihi teſtis eſt Deus, non valde moveor, ſi quis Momus arrogans, adducto ſupercilio carpere me velit, dummodo ſtudioſis & Deum timentibus ſimplex rerum geſtarum veritas patefacta ſit*; verba ſunt VVolferi Auctoris XXVII. *Præfationis peroratio.*

Vitæ

Vitæ ſancti Godehardi Hildenshеimenſis Epiſcopi apud Bollandianos ad diem quartum menſis Maji , quæ ad propoſitum meum accommodavi , non ad oſtentationem ; ſed quia , cùm uni veritati inſiſtens, ab omni affectu humano alienus fuerim , ut quiſque , quem alia jam antea non occupaverit opinio , ex Operis lectione intelligere poterit, illud cenſoriæ quidem æquorum Criticorum virgulæ, ſed neutiquam naſutis & mordacibus cenſoribus , qui me parùm moverent, obnoxium eſſe debere exiſtimavi .

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS
PONTIFICUM ROMANORUM,

Qui in hoc Tomo continentur, quatuor Columnis diſtinctus, in quarum *priori* eſt Ordo Seſſionis, in *ſecunda* nomen Pontificis, in *tertia* annus Ordinationis, in *quarta* annus Obitus, vel Abdicationis.

A

LXXIX	Adeodatus	672	676
LIX	Agapetus	535	536
CXXXII	Agapetus II	946	956
LXXXI	Agatho	678	682
VII	Alexander I	108	116
CLVI	Alexander II	1061	1073
V	Anacletus	83	95
XLI	Anaſtaſius I	398	401
LII	Anaſtaſius II	496	498
CXXXIII	Anaſtaſius III	911	913
XII	Anicetus	151	161
XX	Anterus	235	235

B

LXIV	Benedictus I	574	578
LXXXIII	Benedictus II	684	685
CVI	Benedictus III	855	858
CXIX	Benedictus IV	900	903
CXXXIV	Benedictus V	964	965
CXXXVI	Benedictus VI	972	974
CXXXVIII	Benedictus VII	975	984
CXLVI	Benedictus VIII	1012	1024
CXLVIII	Benedictus IX	1033	1044
	Bened. X Antip.	1058	1058
XLIV	Bonifacius I	418	422
LVII	Bonifacius II	530	532
LXVIII	Bonifacius III	607	607
LXIX	Bonifacius IV	608	615
LXXI	Bonifacius V	619	625
CXIV	Bonifacius VI	896	896
	Bonif. VII Antip.	985	985

C

XXIX	Cajus	283	296
XLV	Cœleſtinus	422	432
XVII	Calliſtus I	217	222
CLXII	Calliſtus II	1159	1124
CXXI	Chriſtophorus	903	904
III	Clemens I	67	77
CL	Clemens II	1046	1047
IV	Cletus	77	83
LXXXV	Conon	686	687
XC	Conſtantinus	708	715
XXII	Cornelius	251	252

D

XXXIX	Damaſus I	366	384
CLI	Damaſus II	1048	1048
LXX	Deusdedit	615	618
XXVI	Dionyſius	259	269
LXXX	Donus I	676	678
CXXXVII	Donus II	974	975

E

XIV	Eleutherus	170	185
VI	Evariſtus	95	108
LXXVII	Eugenius I	654	657
CI	Eugenius II	824	827
XXXII	Euſebius	310	310
XXVIII	Eutychianus	275	283

F

XXI	Fabianus	236	250
XXVII	Felix I	269	274
XXXVIII	Felix II	355	358
L	Felix III	483	492
LVI	Felix IV	526	530
CXIII	Formoſus	891	896

G

LI	Gelaſius I	492	496
CLXI	Gelaſius II	1118	1119

LXVI

Digitized by Google

G

LXVI	Gregorius I	590	604
XCI	Gregorius II	715	731
XCII	Gregorius III	731	741
CIII	Gregorius IV	827	844
CXLI	Gregorius V	996	999
CXLIX	Gregorius VI	1044	1045
CLVII	Gregorius VII	1073	1085

H

XCVII	Hadrianus I	772	795
CVIII	Hadrianus II	867	872
CXI	Hadrianus III	884	885
XLVIII	Hilarus	461	468
LXXII	Honorius I	625	638
CLXIII	Honorius II	1124	1130
LIV	Hormiſdas	514	523
X	Hyginus	137	141

I

XLII	Innocentius I	401	417
CLXIV	Innocentius II	1130	1143
LV	Joannes I	523	526
LVIII	Joannes II	532	535
LXIII	Joannes III	560	573
LXXIV	Joannes IV	640	642
LXXXIV	Joannes V	685	686
LXXXVII	Joannes VI	701	705
LXXXVIII	Joannes VII	705	707
CIX	Joannes VIII	872	882
CXVIII	Joannes IX	898	900
CXXV	Joannes X	914	928
CXXVIII	Joannes XI	931	936
CXXXIII	Joannes XII	956	964
CXXXV	Joannes XIII	965	972
CXXXIX	Joannes XIV	984	985
CXL	Joannes XV	985	996
	Jo: XVI Antip.	997	998
CXLIII	Joannes XVII	1003	1003
CXLIV	Joannes XVIII	1003	1009
CXLVII	Joannes XIX	1024	1033
XXXVI	Julius I	337	352

L

CXXIV	Lando	913	914
XLVII	Leo I	440	461
LXXXII	Leo II	682	683
XCVIII	Leo III	795	816
CV	Leo IV	847	851
CXX	Leo V	903	903
CXXVI	Leo VI	928	929
CXXIX	Leo VII	936	939
	Leo VIII Antip.	964	965
CLII	Leo IX	1049	1055
XXXVII	Liberius	352	366
II	Linus	65	67
XXIII	Lucius I	252	253

M

XXX	Marcellinus	296	304
XXXI	Marcellus	308	310
XXXV	Marcus	336	336
LXXVI	Martinus I	649	654
CX	Martinus II	882	884
CXXXI	Martinus III	944	946
XXXIII	Melchiades	310	314

N

CVII	Nicolaus I	882	884
CLV	Nicolaus II	1058	1061

P

C	Paſchalis I	817	824
CLX	Paſchalis II	1099	1118
XCV	Paulus I	757	767
LXII	Pelagius I	555	560
LXV	Pelagius II	578	590
I	Petrus	54	65
XI	Pius I	141	151
XIX	Pontianus	230	235

R

CXVI	Romanus	897	898

S

LXVII	Sabinianus	604	606
LXXXVI	Sergius I	687	701
CIV	Sergius II	844	847
CXXII	Sergius III	904	911
CXLV	Sergius IV	1009	1012
LXXIII	Severinus	640	640
LX	Silverius	536	537
XXXIV	Silveſter I	314	335
CXLII	Silveſter II	999	1003
XLIX	Simplicius	468	483
XL	Siricius	384	398

Digitized by Google

S

LXXXIX	Siſinnius	708	708
VIII	Sixtus I	116	126
XXV	Sixtus II	257	258
XLVI	Sixtus III	432	440
XIII	Soter	161	170
XXIV	Stephanus I	253	257
	Steph. Electus	752	752
XCIV	Stephanus II	752	757
XCVI	Stephanus III	768	772
XCIX	Stephanus IV	816	817
CXII	Stephanus V	885	891
CXV	Stephanus VI	896	897
CXXVII	Stephanus VII	928	931
CXXX	Stephanus VIII	939	942
CLIV	Stephanus IX	1057	1058
LIII	Symmachus	498	514

T

IX	Teleſphorus	126	137
LXXV	Theodorus I	642	649
CXVII	Theodorus II	1057	1058

V

CII	Valentinus	827	827
XV	Victor I	185	197
CLIII	Victor II	1055	1057
CLVIII	Victor III	1086	1087
LXI	Vigilius	537	554
LXXVIII	Vitalianus	657	672
XVIII	Urbanus I	222	230
CLIX	Urbanus II	1088	1099

Z

XCIII	Zacharias	741	752
XVL	Zephyrinus	197	217
XVI	Zoſimus	417	418

INDEX CHRONOLOGICUS PONTIFICUM ROMANORUM,

Qui in hoc Tomo continentur, quatuor Columnis, ſicut prior, diſtinctus.

I	Petrus	54	65
II	Linus	65	67
III	Clemens	67	77
IV	Cletus	77	83
V	Anacletus	83	95
VI	Evariſtus	95	108
VII	Alexander	108	116
VIII	Sixtus I	116	126
IX	Teleſphorus	126	137
X	Hyginus	137	141
XI	Pius	141	151
XII	Anicetus	151	161
XIII	Soter	161	170
XIV	Eleutherus	170	185
XV	Victor	185	197
XVI	Zephyrinus	197	217
XVII	Calliſtus	217	222
XVIII	Urbanus	222	230
XIX	Pontianus	230	235
XX	Anterus	235	235
XXI	Fabianus	236	250
XXII	Cornelius	251	252
XXIII	Lucius	252	253
XXIV	Stephanus I	253	257
XXV	Sixtus II	257	258
XXVI	Dionyſius	259	269
XXVII	Felix I	269	274
XXVIII	Eutychianus	275	283
XXIX	Cajus	283	296
XXX	Marcellinus	296	304
XXXI	Marcellus	308	310
XXXII	Euſebius	310	310
XXXIII	Melchiades	310	314
XXXIV	Silveſter	314	335
XXXV	Marcus	336	336
XXXVI	Julius	337	352
XXXVII	Liberius	352	366
XXXVIII	Felix II	355	358

XXXIX	Damaſus	366	384	XCII	Gregorius III	731	741
XL	Siricius	384	398	XCIII	Zacharias	741	752
XLI	Anaſtaſius I	398	401		Steph. Electus	752	752
XLII	Innocentius	401	417	XCIV	Stephanus II	752	757
XLIII	Zoſimus	417	418	XCV	Paulus I	757	767
XLIV	Bonifacius I	418	422	XCVI	Stephanus III	768	772
XLV	Cœleſtinus	422	432	XCVII	Hadrianus I	772	795
XLVI	Sixtus III	432	440	XCVIII	Leo III	795	816
XLVII	Leo	440	461	XCIX	Stephanus IV	816	817
XLVIII	Hilarus	461	468	C	Paſchalis	817	824
XLIX	Simplicius	468	483	CI	Eugenius II	824	827
L	Felix III	483	492	CII	Valentinus	827	827
LI	Gelaſius	492	496	CIII	Gregorius IV	827	844
LII	Anaſtaſius II	496	498	CIV	Sergius II	844	847
LIII	Symmachus	498	514	CV	Leo IV	847	855
LIV	Hormiſdas	514	523	CVI	Benedictus III	855	858
LV	Joannes I	523	526	CVII	Nicolaus	858	867
LVI	Felix IV	526	530	CVIII	Hadrianus II	867	872
LVII	Bonifacius II	530	532	CIX	Joannes VIII	872	882
LVIII	Joannes II	532	535	CX	Martinus II	882	884
LIX	Agapetus	535	536	CXI	Hadrianus III	884	885
LX	Silverius	536	537	CXII	Stephanus V	885	891
LXI	Vigilius	537	554	CXIII	Formoſus	891	896
LXII	Pelagius I	555	560	CXIV	Bonifacius VI	896	896
LXIII	Joannes III	560	573	CXV	Stephanus V*I*	896	897
LXIV	Benedictus I	574	578	CXVI	Romanus	897	898
LXV	Pelagius II	578	590	CXVII	Theodorus *II*	898	898
LXVI	Gregorius I	590	604	CXVIII	Joannes *IX*	898	900
LXVII	Sabinianus	604	606	CXIX	Benedictus *IV*	900	903
LXVIII	Bonifacius III	607	607	CXX	Leo V	903	903
LXIX	Bonifacius IV	608	615	CXXI	Chriſtophorus	903	904
LXX	Deusdedit	615	618	CXXII	Sergius *III*	904	911
LXXI	Bonifacius V	619	625	CXXIII	Anaſtaſius *III*	911	913
LXXII	Honorius I	625	638	CXXIV	Lando	913	914
LXXIII	Severinus	640	640	CXXV	Joannes X	914	928
LXXIV	Joannes IV	640	642	CXXVI	Leo VI	928	929
LXXV	Theodorus	642	649	CXXVII	Stephanus V*II*	929	931
LXXVI	Martinus I	649	654	CXXV*III*	Joannes *XI*	931	936
LXXVII	Eugenius I	654	657	CXXIX	Leo *VII*	936	939
LXXVIII	Vitalianus	657	672	CXXX	Stephanus V*III*	939	942
LXXIX	Adeodatus	672	676	CXXXI	Martinus *III*	944	946
LXXX	Donus I	676	678	CXXXII	Agapetus *II*	946	956
LXXXI	Agatho	678	682	CXXXIII	Joannes *XII*	955	964
LXXXII	Leo II	682	683		Leo *VIII* Antip.	964	965
LXXXIII	Benedictus II	684	685	CXXXIV	Benedictus V	964	965
LXXXIV	Joannes V	685	686	CXXXV	Joannes *XIII*	965	972
LXXXV	Conon	686	687	CXXXVI	Benedictus *VI*	972	974
LXXXVI	Sergius I	687	701	CXXXVII	Donus II	974	975
LXXXVII	Joannes VI	701	705	CXXXVIII	Benedictus VII	975	984
LXXXVIII	Joannes VIII	705	707	CXXXIX	Joannes X*IV*	984	985
LXXXIX	Siſinnius	708	708		Bonifac. VII Ant.	985	985
XC	Conſtantinus	708	715		Jo:Roberti fil. El.	985	985
XCI	Gregorius II	715	731	CXL	Joannes XV	985	996

CXLI	Gregorius V	*996*	*999*	CLIII	Victor *II*	1055	1057
	Joann. XV*I* Antip.	997	998	CLIV	Stephanus *IX*	1057	1058
CXLII	Silveſter *II*	*999*	1003		Benedict. *X* Ant.	1058	1058
CXLIII	Joannes XV*II*	1003	1003	CLV	Nicolaus II	1058	1061
CXLIV	Joannes XVIII	1003	1009	CLV*I*	Alexander II	1061	1073
CXLV	Sergius IV	1009	1012	CLVII	Gregorius VII	1073	1085
CXLVI	Benedictus VIII	1012	1024	CLV*III*	Victor III	1086	1087
CXLVII	Joannes XIX	1024	1033	CLIX	Urbanus *II*	1088	1099
CXLVIII	Benedictus IX	1033	1044	CLX	Paſchalis *II*	1099	1118
CXLIX	Gregorius VI	1044	1045	CLXI	Gelaſius *II*	1118	1119
CL	Clemens *II*	1046	1047	CLX*II*	Calliſtus *II*	1119	1124
CLI	Damaſus *II*	1048	1048	CLX*III*	Honorius II	1124	1130
CLII	Leo *IX*	1049	1055	CLXIV	Innocentius *II*	1130	1143

Digitized by Google

IMPERATORES ROMANI.

A*Uguſtus*, cujus anno 39 juxta probabiliorem opinionem verum & propriũ Chriſti Natale collocandum eſt: & Natale Dionyſianum, ſeu Era communis, quam adhibet Eccleſia, ejuſdem Imperatoris anno 45. Obiit anno ejuſdem Eræ 14 die 19 Menſis Auguſti.

Tiberius anno Chriſti 14 imperium iniit. Obiit anno 37 die 16 Menſis Martii.

Cajus Caligula ab anno 37 ad diem 24 Januarii anni 41 imperium adminiſtravit.

Claudius ab anno 41 ad diem 13 Octobris anni 54.

Nero ab anno 54 ad diem 9 Junii anni 68.

Galba ab anno 68 ad diem 15 Januarii anni 69.

Otho à die 17 Januarii anni 69 ad diem 16 Aprilis ejuſdem anni.

Vitellius à die 2 Januarii anni 69 ad diem 21 Decembris ejuſdem anni.

Veſpaſianus à die prima Julii anni 69 ad 27 Junii anni 79.

Titus ab anno 79 ad diem 13 Septembris anni 81.

Domitianus ab anno 81 ad 18 Septembris anni 96.

Nerva ab anno 96 ad diẽ 27 Januarii anni 98.

Trajanus ab anno 98 ad diem 10 Auguſti anni 117.

Hadrianus ab anno 117 ad diem 10 Julii anni 138.

Antoninus Pius ab anno 138 ad diem 7 Martii anni 161.

Marcus Aurelius ab anno 161 ad diem 17 Martii anni 180. Ab hoc Imperatore novo exemplo dictus eſt Auguſtus.

Lucius Verus, qui cum eo imperavit uſque ad exeuntem Decembrem anni 169.

Commodus à die 17 Martii anni 180 ad diem 31 Decembris anni 192.

Helvius Pertinax ab anno 192 ad diem 28 Martii anni 193.

Didius Julianus à die 28 Martii ad diem primam Junii ejuſdem anni 193.

Severus à die 13 Aprilis anni 193 ad diem 4 Februarii anni 211.

Caracalla ab anno 211 ad diem 8 Aprilis anni 217.

Macrinus à die 11 Aprilis anni 217 ad diem 3 Junii anni 218.

Elagabalus à die 16 Martii anni 218 ad diem 6 Martii anni 222.

Alexander Mammææ filius ab anno 222 ad diem 15 Martii anni 235.

Maximinus ab anno 235 ad annum 238 poſt diem 15 Martii.

Gordianus pater & filius à menſe Aprilis anni 237 ad menſem Julium ejuſdem anni.

Pupienus & *Balbinus* à die 9 Julii anni 237 ad menſem circiter Majum anni 238.

Gordianus III à morte Pupieni & Balbini ad menſem circiter Majum anni 244.

Philippus cum *Philippo* filio à menſe circiter Martio anni 244 ad menſem circiter Juliũ anni 249.

Decius cum *filio* à menſe circiter Julio anni 249 uſque ad initium circiter Decembris anni 251.

Gallus & *Hoſtilianus* cum *Voluſiano* Galli filio à morte Decii ad menſem circiter Majum anni 253, excepto *Hoſtiliano*, qui peſte periit autumno anni 252.

Valerianus ab anno 253 ad æſtatem circiter ineuntem anni 259, quo captus eſt à Perſis.

Gallienus ſolus à captivitate Valeriani patris uſque ad menſem circiter Martium anni 268. Auguſtus antea à patre dictus anno 253.

Claudius II à Martio exeunte anni 268 ad menſem circiter Novembrem anni 270.

Aurelianus à menſe Novembri anni 270 ad Martium anni 275.

Tacitus à die 25 Septembris anni 275 ad diem 13 Aprilis anni 276.

Probus à menſe Aprili anni 276 ad initium menſis Auguſti anni 282.

Florianus eodem tempore, quo Probus imperium tenuit, ſcilicet à morte Taciti ad æſtatem anni 276.

Carus ab anno 282 ad finem circiter Decembris anni 283.

Carinus & *Numerianus* ejus filii ab eo Auguſti dicti circa initium Auguſti anni 283 imperarunt: Numerianus occiſus poſt menſem Auguſtum anni 284. Carinus poſt initium menſis Auguſti anni 285.

Diocletianus à die 17 Septembris anni 284 ad Kalendas Maji anni 305, quo die imperiũ abdicavit.

Maximianus Herculius Diocletiani collega

Digitized by Google

dictus à Kalendis Aprilis anni 286 ad Kalendas Maji anni 305, quo etiam die imperium abdicavit.

Conſtantius Chlorus Auguſtus à Kalendis Maji anni 305. Obiit die 25 Julii anni 306.

Galerius Maximianus Auguſtus itidem dictus à Kalendis Maji anni 305 ad menſem circiter Majum anni 311.

Conſtantinus Magnus Conſtantii Chlori filius à die 25 Julii anni 306 ad diem 22 Maji anni 337.

Conſtantius cum fratribus *Conſtantino & Conſtante* à die 9 Septembris anni 337 ad diem 3 Novembris anni 361.

Julianus dictus *Apoſtata* ab anno 361 ad diem 26 Junii anni 363.

Jovianus ab anno 363 ad diem 16 Februarii anni 364.

Valentinianus Senior à die 26 Februarii anni 364 ad diem 17 Novembris anni 375.

Gratianus ab anno 375 ad diem 25 Auguſti anni 383.

Valentinianus Junior Senioris filius ſolus ab anno 383 ad diem 15 Maji anni 392.

Theodoſius poſt cædem Valentiniani Junioris uſque ad diem 17 Januarii anni 395.

Honorius ab anno 395 ad diem 15 Auguſti anni 423.

Valentinianus III à die 23 Octobris anni 425 ad diem 16 Martii anni 455.

Petronius Maximus à die 27 Martii ad diem 12 Junii ejuſdem anni 455.

Eparchius Avitus à die 10 Julii anni 455 ad diem 17 Maji anni 456.

Julius Majorianus à die prima Aprilis anni 457 ad diem 2 Auguſti anni 461.

Libius Severus à die 19 Novembris anni 461 ad diem 15 Auguſti anni 465.

Flavius Anthemius à die 12 Aprilis anni 467 ad diem 11 menſis Julii anni 472.

Flavius Glycerius à die 5 Martii anni 473 ad menſem circiter Junium anni 474.

Julius Nepos à die 24 Junii anni 474 ad exeuntem Auguſtum anni 475.

Romulus Auguſtus ſeu *Auguſtulus* à die 31 Octobris anni 475 ad diem 23 Auguſti anni 476, quo die Odoacer Rex Herulorum dictus eſt Rex Italiæ & Auguſtulus depoſitus.

IMPERATORES ORIENTIS.

COnſtantinus M. à die 25 Julii anni 306 ad diem 22 Maji anni 337.

Conſtantius ejus *filius* à die 9 Septembris anni 337 ad diem 3 Novembris anni 361.

Julianus dictus *Apoſtata* ab anno 361 ad diem 26 Junii anni 363.

Jovianus ab anno 363 ad diem 16 Februarii anni 364.

Valens à die 28 Martii anni 364 ad diem 9 Auguſti anni 378.

Theodoſius à die 19 Januarii anni 379 ad diem 17 Januarii anni 395.

Arcadius ab anno 395 ad Kalendas Maji anni 408.

Theodoſius Junior ab anno 408 ad diem 28 Julii anni 450.

Marcianus à die 24 Auguſti anni 450 ad initium Februarii anni 457.

Leo Magnus cum *Leone* Zenonis *filio* à die 7 Februarii anni 457 ad annum 474, quo uterque obiit.

Zeno cum *Leone filio* à menſe Februario, & poſt mortem ejus à menſe Novembri ejuſdem anni 474 ad diem 9 Aprilis anni 491.

Anaſtaſius I à die 11 Aprilis anni 491 ad diem 9 Julii anni 518.

Juſtinus ab anno 518 ad diem primum Auguſti anni 527.

Juſtinianus ab anno 527 ad diem 14 Novembris anni 565.

Juſtinus Junior ab anno 565 ad diem 5 Octobris anni 578.

Tiberius Conſtantinus ab anno 578 ad diem 14 Auguſti anni 582.

Mauricius ab anno 582 ad exeuntem circiter Novembrem anni 602.

Phocas tyrannus à die 23 Novembris anni 602 ad initium Octobris anni 610.

Heraclius à die 5 Octobris anni 610 ad diem 11 Februarii anni 641.

Conſtantinus ejus filius à morte patris ad diem 25 Maji ejuſdem anni 641.

Heracleonas Conſtantini frater uſque ad menſem Octobrem ejuſdem anni 641.

Conſtans ab anno 641 ad menſem circiter Octobrem anni 668.

Coſtan-

Digitized by Google

Conſtantinus Pogonatus ab anno 668 ad initium Septembris anni 685.

Juſtinianus Junior ab anno 685 ad annū 695, quo eum imperio deturbavit menſe circiter Septembri.

Leontius Patricius, qui imperium tenuit uſq; ad annum 698, quo eum depoſuit.

Tiberius Apſimarus, qui imperavit uſque ad menſem circiter Decembrem anni 705.

Juſtinianus iterum eodem menſe Decembri anni 705 reſtitutus eſt in imperium, quod tenuit uſque ad menſem Decembrem anni 711.

Philippicus antea dictus *Bardanes* à menſe Decembri anni 711 ad diem 3 Junii anni 713.

Anaſtaſius II antea dictus *Artemius* à die 4 Junii anni 713 ad menſem circiter Januarium anni 716.

Theodoſius ab eodem menſe anni 716 ad Martium circiter anni 717.

Leo Iſauricus à die 25 Martii anni 717 ad 18 Junii anni 741.

Conſtantinus Copronymus ab anno 741 ad 13 Septembris anni 775.

Leo IV ab anno 775 ad diem 8 Septembris anni 780.

Conſtantinus cum matre Irene ab anno 780 ad annum 790: ſolus ab anno 790 ad 797.

Irenes ejus mater ab anno 797 ad 802.

Nicephorus à menſe Octobri exeunte anni 802 ad diem 25 Julii anni 811.

Michael Curopal. à die 2 Octobris anni 811 ad menſem Junium anni 813.

Leo Armenus à menſe Junio anni 813 ad 25 Decembris anni 820.

Michael Balbus à die 25 Decembris anni 820 ad Octobrem anni 829.

Theophilus à menſe Octobri anni 829 ad 20 Januarii anni 842.

Michael Theodoræ filius à die 20 Januar. anni 842 ad menſem Septembrem anni 867.

Baſilius Macedo ab anno 867 ad diem primū Martii anni 886.

Leo Sapiens à die prima Martii anni 886 ad diem 11 Maji anni 911.

Alexander Baſilii filius à die 11 Maji anni 911 ad 6 Junii anni 912.

Conſtantinus Porphyrogenitus dictus, ſolus & cum *Romano Lecapeno* ſocero à die 6 Junii anni 912 ad diem 9 Septemb. anni 959.

Romanus Junior à die 9 Septembris anni 959 ad 15 Martii anni 963.

Nicephorus Phocas à die nona Auſtuſti anni 963 ad 11 Decembris anni 969.

Joannes Tzimiſces à die 11 Decembris anni 969 ad 10 Januarii anni 976.

Baſilius & *Conſtantinus* fratres, Romani Junioris filii à die 10 Januarii anni 976 ad Decembrem anni 1025.

Conſtantinus ſolus ad diem 12 Novembris anni 1028.

Romanus Argyrus ad diem 11 Aprilis anni 1034.

Michael Paphlago à menſe Aprili anni 1034 ad Decembrem anni 1041.

Michael Calaphates à Decembri anni 1041 ad 15 Aprilis, 1042, quo deponitur.

Conſtantinus Monomachus à die 12 Junii anni 1042 ad Decembrem circiter anni 1054.

Theodora Auguſta Conſtantini Porphyrogennetæ filia à menſe circiter Decembri anni 1054 ad finem Auguſti anni 1056.

Michael Stratioticus à menſe Auguſto anni 1056 ad finem circiter ejuſdem menſis anni 1057.

Iſaacus Comnenus à menſe Auguſt. anni 1057 ad Novembrem circiter anni 1059.

Conſtantinus Ducas à menſe circiter Novembri anni 1059 ad annum 1067.

Romanus Diogenes à die prima Januarii anni 1068 ad menſem Auguſtum anni 1071.

Michael Ducas, Parapinacius dictus, à menſe circiter Septembri anni 1071 ad 31 Martii anni 1078.

Nicephorus Botoniates à die 25 Martii anni 1078 ad Aprilem anni 1081.

Alexius Comnenus à menſe Aprili anni 1081 ad 15 Auguſti anni 1118.

Joannes Comnenus à menſe Auguſto anni 1118 ad menſem Aprilem anni 1143.

Manuel Comnenus à menſe Aprili anni 1143 ad Septembrem anni 1180.

IMPE-

Digitized by Google

IMPERATORES OCCIDENTIS,

Franci & Germani, poſt renovationem Imperii.

Carolus Magnus Francorum Rex à Leone III Pontifice Rom. die 25 Decembris anni 800 coronatus eſt Imperator, & imperium tenuit uſque ad diem 28 Januarii anni 814, quo obiit.

Ludovicus Pius ejus filius à Januario anni 814 ad Junium anni 840.

Lotharius ab anno 840 ad exeuntem Septembrem anni 855.

Ludovicus II ab anno 855 ad 13 Auguſti anni 875.

Carolus Calvus à die Natali Chriſti anni 875 ad 6 Octobris anni 877.

Carolus Craſſus à die Natali Chriſti anni 880 ad 12 Januarii anni 888.

Arnulphus à menſe circiter Februario anni 896 ad exeuntem Novembrem anni 899.

Ludovicus III Boſonis Regis Burgundiæ filius à menſe circiter Septembri anni 900 ad annum 916.

Berengarius, ultimus ex ſtirpe Caroli M. à die 24 Martii anni 916 ad initium circiter Martii anni 924.

Poſt Ludovicum III aliqui Scriptores Germani ponunt Conradum, primum ex Germanis Imperatorem, & poſt hunc Henricum I Aucupem dictum; ſed hi duo fuerunt quidem Germaniæ Reges, prior ab anno 912 ad 919, poſterior ab anno 919 ad 924. Verùm cùm nec Modoetiæ prope Mediolanum ferrea, nec Romæ aurea corona à Romanis Pontificibus, aut ab aliis eorum nomine redimiti fuerint, inter Imperatores numerari non debent.

Otto itaque *Magnus* primus ex Germanis Imperator fuit ab ineunte circiter Februario anni 962, quo à Joanne *XII* Romæ coronatus eſt Imperator, ad diem 7 Maji anni 973.

Otto II ab iiſdem die & anno ad diem 6 Decembris anni 983.

Otto III ſuccedit eodem die, coronatus tantùm Imperator à Gregorio V die 31 Maji anni 996 ad 23 Januarii anni 1002.

S. Henricus II, *Claudus* dictus coronatus Imperator à Benedicto VII anno tantùm 1014 die 14 Februarii ad 15 Julii anni 1024.

Conradus II, *Salicus* dictus, ſuccedit, coronatus Romæ à Joanne *XIX* die 26 Martii anni 1027 ad diem 4 Junii anni 1039.

Henricus III, *Niger* dictus, ab anno 1039 coronatus à Clemente II Romæ in die Natalis Chriſti anni 1045 ad exeuntem Octobrem anni 1056.

Henricus IV, *Senior* dictus, ab anno 1056 ad menſem Auguſtum anni 1106, quo obiit, nunquam à Romano aliquo Pontifice coronatus, ſed ſolùm à Guiberto Antipapa die 31 Martii anni 1084, cùm antea à Gregorio VII depoſitus fuiſſet.

Henricus V, *Junior* dictus, ab anno 1106 ad exeuntem Majum anni 1125, coronatus à Paſchali PP. die 9 Aprilis anni 1111.

Lotharius II ab anno 1125 ad diem 3 Decembris anni 1137, coronatus ab Innocentio *II* Romæ anno 1333 die 4 Junii.

Conradus III ab anno 1138 ad 15 Februarii anni 1152. Hic licèt coronam Imperialem nunquam receperit, dictus eſt tamen Imperator, ſicut ſuperiores & ſubſequentes, antequam coronarentur, quia eo ipſo quo electi erant Reges Germaniæ & Longobardiæ, dicebantur Romanorum Reges, & deſignati Imperatores.

REGES OSTROGOTHORUM

In Italia.

Anno 476, & die 23 Auguſti *Odoacer* Rex Herulorum Auguſtulum Imperatorem depoſuit, & dictus eſt Rex Italiæ; ſed eum occidit Theodoricus Gothorum Rex anno 493, à quo anno initium ducit regnum Oſtrogothorum in Italia.

Theodoricus ab anno 493 ad diem 30 Auguſti anni 526.

Athalaricus ab anno 526 ad annum 534.

Theodatus ab anno 534 ad annum 536.

Vitiges ab anno 536 ad 539.

Hilduáldus ab anno 539 ad 541.

Eraricus eodem anno 541, & regnum obtinuit, & occiſus eſt.

Totilas

Digitized by Google

Totilas ab anno 541 ad 552.

Tejas eodem anno 552, Rex creatus, occiſus eſt in prælio, vel anno deſinente, vel ſequentis initio: & cum eo deſiit Oſtrogothorum in Italia regnum, quod ultra annos LX prorogatum non eſt, cùm cœperit anno 493, quo Theodoricus Odoacrem Regem occidit.

REGES LONGOBARDORUM

In Italia.

Alboinus ab anno 568 ad annum 574.

Clepho ab anno 574 ad annum 576.

Poſt mortem Clephi Longobardi Duces ſibi triginta præficiunt & Ariſtocratiam conſtituunt, quæ decem annis durat.

Autharis fit Rex Longobardorum anno 586, & regnat uſque ad annum 590.

Agilulfus à menſe Novembri anni 590 ad annum 616.

Adaloaldus ab anno 616 ad 626.

Arioaldus ab anno 626 ad 630.

Rotharis ab anno 630 ad 646.

Rodaldus ab anno 646 ad 651.

Aripertus ab anno 651 ad 659.

Godebertus ab anno 659 ad 662.

Grimoaldus ab anno 662 ad 671.

Berthàridus ab anno 671 ad 688.

Cunipertus ab anno 688 ad 700.

Luitpertus ab anno 700 ad 701.

Ragumpertus anno 701 regnum invadit, annoque 702 moritur.

Aripertus II ejus filius ab anno 702 ad 712.

Anſprandus anno 712 regnat per tres menſes, & moritur.

Luitprandus ejus filius ab anno 712 ad 744.

Rachis ab anno 744 ad 749.

Aiſtulphus ab anno 749 ad 756.

Deſiderius ab anno 756 ad 774, quo Carolus Magnus Francorum Rex regnum Longobardorum deſtruxit, quod ideò per annos tantùm CCVI duravit. Ab eo anno Carolus dictus eſt Rex Longobardorum.

Digitized by Google

Index Alphabetico-Chronologicus

PRÆCIPUORUM AUCTORUM,

Qui in hoc Tomo citantur, quique floruerunt ante annum 1500.

A

	Clar. an.
Abbo Floriacenſis.	970
Abulpharajus *vide* Gregorius.	
Acacius Epiſcopus Cpolitanus.	471
Adamnanus de Locis Sanctis.	700
Adamus Bremenſis.	1080
Adhemarus Auctor Vitæ Caroli M.	800
Ado Viennenſis Epiſcopus.	859
Adrevaldus Floriacenſis.	890
Æneas Pariſienſis.	859
Ægidius Aureæ Vallis Monachus.	1150
Æneas Sylvius.	1450
Agathias.	530
Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus.	813
Aimoinus Floriacenſis.	1001
Aimoinus Pariſienſis.	872
Albinus Alcuinus.	780
Albertus Crantzius.	1490
Albertus Stadenſis circa annum	1260
Alcimus Avitus Viennenſis Epiſcop.	490
Aldhelmus Epiſcop. Anglus.	680
Alexander III Papa.	1159
Alexius Ariſtinus.	1166
Alexander Abbas Celeſinii.	1150
Algerus Leodienſis.	1130
Amalarius Metenſis.	812
Amalarius Trevirenſis.	810
Ambroſius Mediolanenſis Epiſcop.	374
Ammianus Marcellinus.	380
Amphilochius Iconenſis.	370
Amulo Lugdunenſis.	841
Anaſtaſius Bibliothecarius.	870
Anaſtaſius Sinaita.	561
Anianus Monachus.	401
Anianus alter.	507
Anna Comnena.	118
Anſelmus Mantuanus.	1061
Anſelmus Cantuarienſis.	1100
Anſelmus Gemblacenſis.	1130
Anſelmus Lucenſis contra Guibertum Antipapam.	1070
S. Antoninus.	1450
Ariſtides Athenienſis.	123

A

	Clar. an.
Arnobius Afer.	300
Arnoldus Lubecenſis Chronicon abſolvit anno	1209
Arnulphus Sagienſis Archidiac. *deinde* Luxovienſis Epiſc.	1160
Arnulphus Hiſtoricus Mediolanenſis circa	1100
Arſenius Ep. Cp. collector Canonum.	1255
Aſſerus.	850
Athanaſius Alexandrinus.	326
Atticus Ep. Cpolitanus.	406
Audentius Hiſpanus Epiſc.	360
Audoenus Rotomagenſis Epiſc.	640
Auguſtinus Hipponenſis.	396
Auguſtinus Patritius Pojentinus Epiſc.	1483
Auxilius.	900

B

Baldricus Novomienſis.	1110
Balſamon, *vide* Theodorus.	
Barlaamus Calaber.	1340
Bartholomæus Platina.	1474
Baſilius Magnus.	370
Baudemundus Abbas.	690
Beda venerabilis.	701
S. Bernardus Abbas Clarævallenſis.	1115
Bernardus Guido.	1320
Berno Augienſis Abbas.	1030
Bertoldus Coſtantienſis.	1090
Biclarienſis Abbas.	584
Blaſtares *vide* Matthæus.	
Bonizo.	1080
Bruno de bello Saxonico.	1080
Bruno Signienſis Epiſc.	1120
Burchardus Canonum Collector.	996
Burchardus San-Gallenſis Monachus poſt annum	1000

C

Cæleſtinus Hæreticus.	407

C

Clar. an.

Cajus Theologus. 210
Caſſianus, *vide* Joannes.
Caſſiodorus Senator. 514
Cedrenus, *vide* Georgius.
Celſus. 150
Cencius Camerarius. 1150
Clemens Alexandrinus. 192
Codinus, *vide* Georgius.
Conradus Urſpergenſis Abbas. 1220
Conſtantinus Porphyrogenneta. 911
Conſtantinus Manaſſes. 1150
Conſtantinus Auctor Vitæ S. Germani Autiſſiodorenſis. 440
Coſmas Pragenſis. 1120
Creſconius Afer Breviator Canonum. 690
Crantzius, *vide* Albertus.
Cummeneus Albus. 660
Curopalates, *ſive* Joannes Scylitzes. 1081
Cyprianus Carthaginenſis. 248
Cyprianus Auctor Vitæ Cæſarii Arelat. 546

D

Dacius Mediolanenſis. 527
Deusdedit Cardin. Canonũ Collector. 1086
Dionyſius Alexandrinus. 254
Dionyſius Corinthius. 170
Dionyſius Exiguus. 533
Ditmarus. 1020
Dodechinus Abbas. 1200
Domnizo. 1115
Dunelmenſis, *vide* Simeon.
Durandus Abbas Troarnenſis. 1060

E

Eadmerus. 1120
Eddius Auctor Vitæ VVilfridi Eboracenſis. 730
Eginhardus. 814
Ekkeardus de Caſibus monaſterii S. Galli. 1040
Ekkeardus alter Auctor vitæ Notkeri Balbuli. 1200
Elmacinus, *vide* Georgius.
Ennodius Ticinenſis. 511
Epiphanius Conſtantienſis. 368
Erko de Repcavio. 1260
Ernaldus Abbas Bonævallis. 1150
Ethelverdus. 1090

E

Clar. an.

Evagrius Scholaſticus. 594
Eucherius Lugdunenſis. 434
Euſebius Cæſarienſis. 315
Euſebius Emiſenus. 340
Euthymius Zigabenus. 1126
Eutychius Patriarcha Alexandrinus. 933

F

Facundus Hermianenſis. 540
Falco Beneventanus. 1140
Fauſtus Caſſinenſis. 606
Fauſtus Regienſis. 472
Felinus Sandeus. 1494
Ferrandus Diaconus Breviator Canonum. 533
Firmilianus Cæſareæ Cappadocum Epiſ. 233
Florentius Vigornienſis. 1118
Florus Magiſter. 830
Fortunatus, *vide* Venantius.
Fredegarius Scholaſticus. 740
Fridegodus Auctor Vitæ Audoeni. 960
Frodoardus Presbyter Remenſis. 960
Fulcherius Carnotenſis. 1124
Fulgentius Ruſpenſis. 507

G

Gaufredus à Malaterra. 1090
Gaufridus Prior Voſienſis. 1180
Gelaſius Cæſarienſis. 380
Gelaſius Cyzicenus. 746
Gelaſius II Papa. 1118
Gennadius Maſſilienſis. 495
Georgius Alexandrinus Patriarcha. 620
Georgius Cedrenus. 1057
Georgius Codinus. 1460
Georgius Elmacinus. 1238
Gervaſius Dorobernenſis. 1200
Gildas Badonicus. 581
Glaber Rodulphus. 1045
Glycas, *vide* Michael.
Godefridus Auctor Vitæ S. Bernardi. 1150
Gotfridus Viterbienſis. 1170
Gratianus Decretorum Collector. 1131
Gregorius Abulpharajus. 1284
Gregorius Nazianzenus. 370
Gregorius Nyſſenus. 370
Gregorius IV Papa. 828
Gregorius VII Papa. 1073
Gregorius Turonenſis. 573

Guiber-

Digitized by Google

G

	Clar.an.
Guibertus Abbas Novigenti.	1120
Guillelmus Apulienſis.	1090
Guillelmus Autiſiodorenſis.	1220
Guillelmus Malmesburienſis.	1130
Guillelmus Nangius.	1300
Guillelmus Neufrigenſis.	1190
Guillemus Pictavienſis.	1090
Guillelmus Tyrius.	1174
Guillelmus Durandus *ſeu* Durantes.	1286
Guitmundus Averſanus Epiſc.	1066
Guntherus.	1210

H

Hadrianus II Papa.	867
Hadrianus III Papa.	884
Hegeſſippus.	170
Helgaldus Auctor Vitæ Roberti Franc. Regis.	1050
Helmoldus.	1170
Henricus Huntindonienſis.	1150
Hepidannus.	1050
Hermannus Auctor Hiſt. Reſtaurationis Abbatiæ S.Martini Tornacenſis.	1130
Hermannus Contractus.	1040
Hieronymus Stridonienſis.	378
Hilario Monachus.	1450
Hilarius Arelatenſis.	430
Hilarius Pictavienſis.	354
Hilduinus.	814
Hildebertus Cenomanenſis Epiſc.	1097
Hincmarus Remenſis Archiep.	845
Honoratus Maſſilienſis.	490
Honorius Auguſtodunenſis.	1130
Honorius III Papa.	1216
Hovedenus, *vide* Rogerius.	
Hugo Etherianus.	1177
Hugo Victorinus.	1120
Hugo Flaviniacenſis.	1101
Humbertus Cardinalis.	1050
Huntindonienſis, *vide* Henricus.	

I

	Clar.an.
Jacobus Cardinalis S.Georgii ad velum aureum ſub finem ſæculi XIII.	
Idacius Clarus.	385
Idacius Lemicenſis.	445
Idelfonſus Toletanus.	660
Ingulphus.	1076
Innocentius III Papa.	1198
Joachimus Abbas.	1200
Joannes Caſſianus.	424
Joannes Chryſoſtomus.	398
Joannes Climacus.	565
Joannes Damaſcenus.	730
Joannes Diaconus Auctor vitæ S. Gregorii M.	875
Joannes Diaconus de Eccleſia Lateranenſi.	910
Joannes VIII Papa.	872
Joannes Scolaſticus Collector Canonũ.	564
Joannes Scotus, dictus Erigena.	856
Joannes Diaconus Junior.	1170
Joannes Scylitzes, *vide* Curopolates.	
Joannes Bromptonus.	1190
Joannes Ceccanus.	1160
Joannes de Columna.	1255
Joannes Prior Haguſtaldenſis.	1150
Joannes Longinus.	1480
Joannes Nauclerus.	1500
Joannes Saliſberienſis.	1170
Joannes Thuvrocſius.	1342
Joannes Trithemius.	1483
Jobius Monachus.	530
Jornandes.	552
Irenæus Lugdunenſis.	167
Iſidorus Hiſpalenſis.	595
Iſidorus Peluſiota.	412
Judas Theologus & Hiſtoricus.	202
Julianus Hæreticus.	420
Julianus Pomericus.	498
Julianus Toletanus.	680
Julius Africanus.	220
Ivo Carnotenſis.	1092
Juſtinus Martyr.	140

L

Lactantius.	303
Lambertus Schafnaburgenſis.	1077
Landulphus Sagax.	845
Landulphus Hiſtoricus Mediolanenſis circa annum	1140
Lanfrancus.	1070
Laurentius de Leodio.	1160
Laurentius Veronenſis.	1115
Leo III Papa.	795
Leo IV Papa.	847
Leo IX Papa.	1049

Digitized by Google

L

Clar. an.

Leo Grammaticus. 1321
Leo Oſtienſis Chronici Caſſinenſis Auctor uſq; ad annũ 1086 claruit anno 1101
Leontius Bizantinus. 590
Longinus, *vide* Joannes.
Liberatus Diaconus. 553
Luitprandus Cremonenſis. 446
Lupus Ferrarienſis. 830
Lupus Protoſpata. 1100

M

Malmesburienſis, *vide* VVillelmus.
Malaterra, *vide* Gaufredus.
Manlius, *vide* Petrus.
Marbodus Redonenſis Epiſcopus. 1120
Marcus Antonius Sabellicus, *vide* Sabellicus.
Marcellinus Comes Chronici Auctor. 534
Marculphus. 660
Marianus Scotus. 1059
Marius Aventicenſis. 581
Marius Mercator. 418
Martinus Polonus. 1277
Mathæus Blaſtares. 1335
Mathæus Paris. 1240
Mathæus VVeſtmonaſterienſis. 1377
Maximus Abbas Monothelitarum profligator. 645
Meſſianus Auctor Vitæ S. Cæſarii Arelat. 546
Methodicus Cp. Epiſc. 842
Metrophanes Smyrnæus. 858
Michael Cerularius. 1051
Michael Glycas. 1120
Minutius Felix. 220
Muſæus Maſſilienſis. 458

N

Nangius, *vide* Guillelmus.
Nauclerus, *vide* Joannes.
Nicephorus Calliſtus. 1333
Nicephorus Cp. 806
Nicetas Pectoratus. 1050
Nicolaus I Papa. 858
Nicolaus II Papa. 1058
Nicolaus Cardinalis Aragonius. 1352
Nithardus. 900
Notkerus. 900

O

Clar. an.

Odo de Diogilo. 1150
Odorannus. 1045
Optatus Milevitanus. 368
Ordericus Vitalis. 1140
Origenes. 230
Oroſius. 416
Otto Friſingenſis. 1150

P

Palladius Helenopolitanus. 404
Pandulphus Piſanus. 1130
Paris, *vide* Mathæus.
Paſchaſinus Lilybetanus. 443
Paſchaſius Radbertus. 844
Paterius. 601
Paulinus Aquilejenſis. 776
Paulinus Nolanus. 393
Paulus Diaconus. 774
Paulus V Papa. 1605
Paulus Samoſatenus. 260
Paulus Bernriedenſis. 1131
Petrus Cantor. 1190
Petrus Chryſologus. 435
Petrus Bleſenſis. 1160
Petrus Diaconus Oſtienſis Caſſinenſis Chronici Auctor ab anno 1086, quo Leo Oſtienſis deſinit ad annum 1140 ex Annotatore Baronii.
Petrus Diaconus de Viris illuſtribus Caſſinenſibus anno 1130 ex Voſſio, qui credit eumdem eſſe cum priori.
Petrus Damiani. 1257
Petrus Lombardus. 1140
Petrus Manlius. 1170
Petrus Venerabilis. 1130
Petrus de Natalibus. 1470
Philaſtrius. 380
Philippus Abbas Bonæ Spei. 1140
Philo Judæus. 40
Philoſtorgius. 425
Photius. 858
Platina, *vide* Bartholomæus.
Polycarpus Smyrnenſis Epiſc. 150
Poſſeſſor. 520
Procopius. 527
Proſper Aquitanus. 444
Prudentius. 405
Ptolomæus Lucenſis. 1303

Raba-

R

Clar. an.
Rabanus Maurus. 847
Radulphus de Diceto. 1197
Ranulphus Ceſtrenſis. 1350
Regino Prumienſis. 892
Richardus Cluniacenſis Monachus. 1150
Richardus Prior Haguſtaldenſis. 1190
Robertus de Monte. 1210
Roderigus Toletanus. 1208
Rodulphus Abbas S. Trudonis. 1090
Rogerius Hovedenus. 1200
Rufinus Aquilejenſis. 397
Rupertus Tuitienſis. 1110

S

Sabellicus. 1500
Salvianus. 440
Saxo Grammaticus. 1170
Severus Sulpicius. 400
Sidonius Apollinaris. 472
Siffridus Miſnenſis. 1307
Sigebertus Gemblacenſis. 1101
Simeon Dunelmenſis. 1130
Simeon Magiſter, & Logotheta Canonum Collector. 1170
Simeon Metaphraſtes. 913
Sixtus V Papa. 1585
Socrates. 439
Sophronius Hieronymi de Script. Eccleſiaſt. Interpres. 390
Sozomenus. 440
Sugerius Abbas. 1130
Suidas. 980

T

Tacitus. 100
Tajus Cæſarauguſtanus. 646
Tertullianus. 192
Theganus. 830
Theodoretus. 423
Theodorus Balſamon. 1180
Theodorus Lector. 518
Theodulphus Aurelianenſis. 820
Theophanes. 880
Theophanes Chronographus. 787
Theophilus Alexandrinus. 385
Theoſterictus. 828
S. Thomas de Aquino. 1255
Thomas Stubbs. 1360

T

Clar. an.
Trifolius Presbyter. 520
Tuvrocſius, *vide* Joannes.
Tudenſis, *vide* Lucas.

V

Valentinus Papa. 827
Venantius Fortunatus. 560
Victor Tununenſis. 555
Victor Vitenſis. 484
Vigornienſis, *vide* Florentius.
Vincentius Bellovacenſis. 1244
Vincentius Lirinenſis. 434
Voconius. 460
Uſuardus. 876
Urbanus II Papa. 1088

VV

VValafridus Strabo. 842
VVandelbertus. 650
VVernerus Rolvvink Auctor Faſciculi Temporum. 1480
VVeſtmonaſterienſis, *vide* Mathæus.
VVillelmus Malmesburienſis. 1130
VVillelmus Tyrius, *vide* Guillelmus.
VVillibaldus. 742
VVippo. 1030
VVitichindus. 980

Z

Zonaras. 1118
Zoſimus Hiſtoricus. 425

Anonymi Scriptores.

Alexandrini Chronici Auctor definit anno 628
Annaliſta Bertinianus definit anno 882
Annaliſta Laureshamenſis definit anno 920
Annaliſta Petavianus. 1015
Annaliſta Fuldenſis definit. 882
Annaliſta Freherianus ab anno 882 ad 900
Annaliſta Lambecianus ab anno 794 ad annum 801
Annaliſta Lambecianus alter ab anno 882 ad annum circiter 900
Annaliſta Hildensheimenſis definit 1137

Anna-

Digitized by Google

Clar. an.

Annaliſta Loiſelianus deſinit in Roberto Rege Hugonis Capeti filio.
Annaliſta Malleacenſis deſinit Sæculo XI exeunte.
Annaliſta Mailroſenſis deſinit anno 1270
Annaliſta Mauriniacenſis deſinit anno 1150
Annaliſta Metenſis deſinit anno 904
Annaliſta Moiſſiacenſis deſinit anno 819

Clar. an.

Annaliſta Nazarianus deſinit anno 1138
Auctor Magni Chronici Belgici. 1474
Auctor Hiſt. Pontif. Engoliſmenſium. 1159
Romanus Canonicus Auctor deſcriptionis Baſilicæ Vaticanæ. 1153
Chronicon S. Vincentii de VViturno deſinit anno 1071

Juſſu

Digitized by Google

JUſſu Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Octavij Sardi Archidiaconi, & Vicarii Generalis Capitularis Diœceſis Lucanæ, legi Opus, cui titulus: BREVIARIUM GESTORUM PONTIFICUM ROMANORUM, &c. Authore Admodùm Reverendo P. F. FRANCISCO PAGI cum continuatione ejuſdem Operis per R. P. ANTONIUM PAGI; & cùm in illo nihil offenderim contra fidem & bonos mores, imò ſana compererim omnia, omnia ad normam exactiſſimæ Criticæ, non intemperatioris quidem omnia convellentis, at ſanæ illius, quæ, exploſis apocryphis, cætera adſtruit, atque confirmat, ideò ad majorem Eruditorum utilitatem iterum imprimi poſſe cenſeo; ſi aliàs, &c.

E' noſtro Collegio S. Mariæ Curtis Orlandingorum hac die 20 Februarii 1729.

Jo: Dominicus Manſi Congr. Matris Dei.

IMPRIMATUR.

Octavius Archid. Sardi Vic. Generalis Capit.

Nicolaus Parenſi Illuſtriſſimi Officii ſuper Juriſdictione Præpoſitus.

BRE-

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIARIUM GESTORUM PONTIFICUM ROMANORUM.

JESUS CHRISTUS

Pontifex in æternum.

Chriſti vita Synopſis.

IESUS Chriſtus, Dei Filius, ex Maria Virgine natus eſt ſecundùm probabiliorem opinionem anno Urbis conditę 748 ante æram vulgarem VI, Juliano XL, Auguſti XXXIX, Ciclo Solis IV. C. lunæ 15. indict. 13. toto orbe in pace compoſito, quo tempore, ut ex Suetonio in Auguſto habet Oroſius lib. 6. cap. 22. Auguſtus *Domini appellationem ut homo declinavit*, adulatores repreſſit, *& graviſſimo corripuit edicto*, *Dominumque ſe poſthac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus, vel ſeriò vel jocò paſſus eſt*. Octavo poſt nativitatem die circumciſus, *vocatum eſt nomen ejus Jeſus*. Magi, auditâ Chriſti nativitate, ſeu potiùs divinitùs ſignificatâ, ab Oriente venerunt Jeroſolimam, indeque Bethleem, ut eum adorarent; eoque adorato, muneribuſque oblatis, in ſomnis admoniti, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. Herodes enim Rex Judææ ſimul ut Chriſtum natum comperit, necare decrevit, plurimoſque tunc parvulos, dùm unum inſectatur, occidit. Tanti facinoris Joſeph per Angelum admonitus accepit puerum & matrem ejus, & fugit in Ægyptum, ibique manſit uſque ad obitum Herodis. Quanto tempore Chriſtus in Ægypto manſerit, quove anno in Palæſtinam redierit, incertum: ſed cùm Evangelii auctoritate, Scriptores omnes æquè conſentiant, ſtatim poſt Herodis obitum, Joſeph de reverſione ab Angelo fuiſſe admonitum, & Herodis mors ulrra annum urbis 750. aut 751. protrahi probabiliter non poſſit, reditus Chriſti in Palæſtinam ultrà annum urbis 752. ante æram vulgarem 2. differri nequit. De adoleſcentia, ac juventute Chriſti, Evangeliſtæ nihil tradunt: ſolus Lucas cap. 2. poſtquam dixit, cùm eſſet annorum duodecim Mariam & Joſeph inveniſſe illum in Templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos, ſubdit: *deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Ibidem manſit uſque ad annum ætatis trigeſimum primum incipientem, æræ vulgaris XXVI, quo, die ſextâ Januarii, ſecundùm Antiquorum traditionem, à Joanne baptizatus eſt in Jordane. Cùm per tres annos integros Evangelium prædicaſſet, expletis vitæ annis XXXIII, menſibus III, ſub Pontio Pilato Judeæ Præſide cruci affixus eſt die XXV Martii anni æræ vulgaris XXIX, duobus Geminis Conſulibus, ut Tertullianus, Julius Africanus, Auguſtinus, Hieronymus, aliique diſertè docent, & eclipſis Solaris Chriſto patiente viſæ, & à Phlegonte Tralliano memoratæ, auctoritate ſuadent. Tertio poſt die reſurrexit à mortuis, cùmque ſe tertiò diſcipulis ſuis manifeſtaſſet, terque Simoni Petro dixiſſet; *diligis me plus his*, & Petrus reſpondiſſet, *Tu ſcis quia amo te*, Jeſus dixit ei, *paſce agnos meos, paſce oves meas*, iiſque verbis conſtituit eum principem Apoſtolorum, & univerſalis Eccleſiæ curam ei commiſit; ut enim ait S. Bernardus lib. 2. de Conſiderat. iis verbis Chriſtus *non deſignat aliquas* oves, *ſed deſignat omnes*. Quadrageſimo itaque poſt reſurrectionem die, Chriſtus aſcendens in cœlum, Petrum Vicarium in terris, ejuſque ſucceſſores reliquit, à quo ideo in Apoſtolicâ Romanâ ſede fluit ſeries Summorum Pontificum univerſalis Eccleſiæ, quorum res geſtas uſque ad Clementem undecimum feliciter in throno Apoſtolico ſedentem hìc ſummariè deſcribere conſtitui.

Digitized by Google

SANCTUS PETRUS APOSTOLUS Pont. I.

Anno Domini LV.

I. *S. Petrus Antiochenam Eccleſiam fundat.*

S. Petrus Apoſtolus, primus Pontifex Romanus, ante vocationem *Simon* dictus, Galilæus de Bethſaida, Joannis filius, cum Sancto Andrea fratre ad Apoſtolatum vocatus, cujus prædicationem, miracula, & perſecutiones Sanctus Lucas in Actis Apoſtolorum memorat, poſt Chriſti in Cœlos Aſcenſionem, quæ contigit in Æræ Chriſtianæ XXIX vixit annos circiter XXXV cùm, ex mox dicendis, anno LXV Martyrium ſub Nerone ſubierit. Eo tempore, præter ea quæ de eo Sanctus Lucas memoriæ commendavit, Antiochenam, quo anno certò definiri non poteſt, fundavit Eccleſiam, ut teſtantur non ſolùm liber Pontificalis, S. Chryſoſtomus, Homilia de Tranſlat. S. Ignatii, S. Hieronymus de Script. Eccleſ. in Petro & alibi, S. Leo ſerm. I. in Natal. Apoſt., S. Gregorius Magnus lib. 6. Epiſt. 37. ſed etiam Euſebius in Chronico ad annum Chriſti 38. Verum quidem eſt, hæc verba apud Euſebium: *Petrus Apoſtolus Antiochenam Eccleſiam fundavit*, &c. deſiderari in quibuſdam Euſebii Chronici codicibus mss. ideoque videri ſuſpecta; ſed conceſſo, quòd addita fuerint Chronico ejus, id tamen dici non poteſt de iis, quæ in eodem Chronico referuntur ad annum Chriſti 44. *Petrus Apoſtolus natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus, cùm primùm Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur*, &c. Ea enim in mss. deſiderari non animadvertit Arnaldus Pontacus in Notis ad Euſebii Chronicon. Quot annis Antiochiæ ſederit, incertum.

II. *Jeroſolymitano Concilio præſidet.*

Auctor Chronici Alexandrini ſcribit Paulum veniſſe Jeroſolymam, ob controverſiam de Circumciſione, anno ſexto Claudii Imperatoris, ideoque anno Chriſti quadrageſimo ſexto, quo Concilium Jeroſolymitanum, cui præfuit Sanctus Petrus, Apoſtolis nondum à ſe invicem disjunctis, celebratum dicit. Huic Concilio occaſionem dedit ſeditio orta Antiochiæ propter Judæos volentes, ut gentibus ad Deum converſis, lex Circumciſionis, legiſque Moyſi ſervandæ obligatio imponeretur: cujus moris, ut obſervandi à Chriſtianis, quidam Cerinthum autumant auctorem. Sed quidquid ſit, re ad Apoſtolos per Paulum & Barnabam relatâ, Concilium actum eſt, in quo Petrus pro jure Primatûs ſui, prerogativâ ſuffragii potitus eſt, *in cujus ſententiam Jacobus Apoſtolus, & omnes ſimul Presbyteri tranſierunt*, inquit S. Hieronymus Epiſt. 89. quæ eſt ad S. Auguſtinum, ex quo & patet Jacobum, poſt Petrum, ſententiam dixiſſe, quòd in illius Diœceſi Concilium haberetur.

III. *Decreta in eo Concilio.*

Tria hoc in Concilio decreta ſunt: nam cùm Petrus dixiſſet: *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus ſalvari quemadmodum & illi*: poſtea ſtatuitur primò, ex Jacobi conſilio: *Non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum*. Secundò, ut ſcriberetur ad alias Eccleſias id quod definitum fuerat, his verbis: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil vobis imponere ultra oneris, quàm hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine & ſuffocato & fornicatione*. Tertiò, mittendos Antiochiam duos Apoſtolos Paulum & Barnabam, & cum iis duos diſcipulos Barſabam & Silam, qui decretoriam Epiſtolam deferrent. Hæc conſtant ex cap. 15. Act. Apoſt.

IV. *S. Petrus Romam non venit ſub Claudio Imp.*

S. Petri Romam adventum Euſebius in Chronico ad annum Claudii Imperatoris ſecundum, qui incohatur menſe Februario anni Chriſti XLII. ſed, ut inquit Valeſius in notis ad Euſebium lib. 2. cap. 16. ſententia hæc refelli videtur ex Actibus Apoſtolorum, ex quibus conſtat, Petrum in Judæâ & Siriâ ſemper manſiſſe uſque ad ultimum annum Agrippæ Regis. Qui cùm Petrum Jeroſolymis in vincula conjeciſſet, paulò poſt, divinâ eum inſequente juſtitiâ, extinctus eſt Cæſareæ, ut refert Lucas. Cùm igitur anno quarto Claudii mortuus ſit Agrippa, ut inter omnes convenit, Petrus ante annum Claudii quintum, Chriſti XLV Romam proficiſci non potuit. Sed & auctor Chronici Alexandrini mox laudatus ſcribens, Concilium Jeroſolymitanum, cui Petrus præfuit, celebratum anno Chriſti XLVI, Petri Romam adventum tardiùs refert; ex ejus enim ſententiâ ſequitur Petrum ante annum ſeptimum Claudii, Chriſti 47 Romam profectum nõ eſſe. Prætereà qui Claudio imperante Petrum Romam veniſſe volunt, coguntur duplicare profectionem ejus in Urbem, & duplex item ejus cum Simone Mago certamen comminiſci, primò quidem temporibus Claudii, dein principatu Neronis, quod tamen à nullo Veterum proditum eſt, ut

Digitized by Google

SÆC. I. S.PETRUS.

ut ait Baluzius in notis ad Lactantium.

V. *Sed ſub Nerone.*

Veroſimilior itaque videtur opinio, quæ ſtatuit Petrum ſub Nerone Imperatore Romam profectum eſſe, quam ſecutus eſt Auctor libri Pontificalis, ſcribens: *Petrus ingreſſus eſt in Urbem Romam Nerone Cæſare*. Idem teſtatur Lactantius lib. de mortibus Perſecutorum cap. 2. ubi ait: *Apoſtoli per annos XXV uſque ad principatum Neroniani Imperii, per omnes provincias & civitates, Eccleſiæ fundamenta miſerunt. Cùmque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibuſdam miraculis, quæ virtute ipſius Dei datâ ſibi ab eo poteſtate faciebat, convertit multos ad juſtitiam, Deoque templum fidele ac ſtabile poſuit*. Ex quibus prior opinio aſſerens Petrum ſub Claudio Romam veniſſe, ibique annis viginti quinque ſediſſe, invictè refellitur; cum enim Nero menſe Octobri, anni Chriſti quinquageſimi quarti, imperare cœperit, & Petrus ſub eo Romam venerit, ac martyrium ſubierit, hæc de viginti quinque annis Romanæ Petri Sedis opinio ſubſiſtere non poteſt. Orta autem videtur ex vigintiquinque annis, quos prædicationi omnium Apoſtolorum idem Lactantius attribuit: *Per annos*, inquit, *XXV uſque ad Principatum Neroniani Imperii per omnes provincias, & civitates* Evangelium prædicarunt; tot enim præcisè anni reperiuntur à Chriſti Aſcenſione ad initium Imperii Neronis. Sancti itaque Petri Romana Sedes ad ſummum decennalis fuit, ut ex ejus martyrio conſtabit.

VI. *Alexandrinam Eccleſiam per S. Marcum fundat.*

Romæ exiſtens S. Petrus Sanctum Marcum in Ægyptum deſtinavit, ubi Eccleſiam Alexandrinam fundavit. S. quippe Epiphanius hæreſi 51. ſcribit: *Poſt Matthæum ſecutus eſt Marcus, juſſus à Sancto Petro Romæ Evangelium edere: & ubi ſcripſiſſet, mittitur à Sancto Petro in Ægyptiorum Regionem*. Primum Alexandrinum Epiſcopum fuiſſe Marcum aſſerit Euſebius lib. 2. cap. 24. his verbis: *Intereà Nerone octavum Imperii annum agente, primus poſt Marcum Evangeliſtam Alexandrinæ Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit Annianus*. Idem Euſebius laudatus cap. 16. & 17. agit de inſtitutione Alexandrinæ Eccleſiæ à Sancto Marco, & de moribus Chriſtianorum, quos ipſe formaverat; & cap. 15. ait, Sanctum Marcum, fidelium Romæ exiſtentium hortatu, Evangelium ſcripſiſſe: *Quod cùm Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognoviſſet, delectatus ardenti hominum ſtudio, librum illum auctoritate ſuâ comprobaſſe dicitur, ut deinceps in Eccleſiis legeretur*. Ideo autem Eccleſia Alexandrina primum locum poſt Romanam obtinuit, quia Marcus eandem Petri nomine id ſtatuentis erexit, quod teſtatur Gelaſius Papa in decreto de libris apocryphis: *Secunda autem ſedes*, inquit, *apud Alexandriam, Beati Petri nomine, à Marco ejus diſcipulo & Evangeliſta conſecrata eſt: ipſe enim à Petro Apoſtolo in Ægyptum directus verbum veritatis prædicavit & Martyrium conſummavit*.

VII. *S. Marcus plures in Ægypto Epiſcopos creavit.*

Porrò non ſolùm Alexandrinam Eccleſiam fundavit Sanctus Marcus, ſed & plures alias in Ægypto, quidquid dicat Dallæus, vir è ſecta Proteſtantium, contendens, totam Ægyptiacam Eccleſiam unicum Epiſcopum habuiſſe à Sancto Marco uſque ad Demetrium, qui anno centeſimo octogeſimo octavo Epiſcopus Alexandrinus dictus eſt. Opinionem illam hauſit Dallæus ex Eutychio Patriarchâ Alexandrino, qui Annales ab Orbe condito ad annum 940. ſcripſit, in quibus ait Demetrium primùm in Ægypto tres Epiſcopos creaſſe. Verùm hiſtoriola illa de tribus Epiſcopis à Demetrio primò in Ægypto ordinatis, minimè fide digna eſt, ut notavit Pearſonius Epiſcopus Ceſtrienſis è ſecta etiam Proteſtantium, in prima parte Vindiciarum Sancti Ignatii cap. ult. non ſolùm quia Eutychius decimi ſæculi Scriptor Alexandrinæ Eccleſiæ Hiſtoriam parùm diligenter pertexuit; ſed etiam quia contrarium ex optimis Auctoribus colligitur. Certè hæc Eutychii traditio Græcis, atque Latinis ignota fuit: traditio verò illi contraria, de Epiſcopis à S. Marco in Ægyptiacâ diœceſi inſtitutis, & Græcis & Latinis, atque Arabibus innotuit, ut videre eſt apud Simeonem Metaphraſtem in Vita S. Marci, & Synaxario Græco, ubi de S. Marco. Rabanus Maurus eadem cum Metaphraſte tradit, ut & Notkerus, Alfridus Cantuarienſis Epiſcopus, & Ordericus Vitalis. Inter Arabas Martyrologium Melchitarum ait, Marcum in *Barcam* profectum eſſe, & Eccleſiis conſtituiſſe Epiſcopos. Et Severus de Vitis Patriarcharum Alexandrinorum apud Abrahamum Ecchellenſem inquit, Marcum Pentapolim perrexiſſe, & Epiſcopos ordinaſſe. Qua de re plura Pearſonius laudatus.

VIII. *Nomen Papæ prius Romano, quàm Alexandrino Epiſc. tributum.*

Ibidem Pearſonius tanquam falſum & futile rejicit, quod perſuaſum habuêre Alexandrini, ſcilicet *Papæ* nomen Alexandrinæ Epiſcopis primùm datum, & à populo Ægyptiaco uſurpatum; ac ab illis ad Romanos Pontifices devolutum, ut tradunt *Georgius Homaidius*, & *Abulacrus Habbaſides* apud Ecchellenſem. Hunc autem titulum Heraclæ, qui anno ducenteſimo triceſimo, Demetrio in Epiſcopatum Alexandrinum ſucceſſit, potiſſimùm tributum fuiſſe ut oſtenderent, excogitarunt hanc hiſtoriam, populum nempe diſcrimen illud inter Ægypti Epiſcopos nuper inſtitutos, & Alexandrinorum Patriarcham animadvertiſſe, ut poſtea vulgarem Epiſcopum *Abba*, Patriarcham verò *Papam*, ideſt *avum* appellarent; quoniam ipſi Epiſcopi Patriarcham *Abbam* vocarent. Sed hæc pura commenta ſunt,

Digitized by Google

vox enim *Papas* apud Græcos, nunquam *avum* ſignificavit, ſed patrem, ut pluribus demonſtrat Pearſonius; eratque hæc liberorum ab ipſâ linguæ Græcæ origine blanda appellatio patri data, & poſteriores Græci eandem appellationem etiam illis tribuerunt, quos quaſi patrum loco habemus, ut videre eſt apud Scholiaſten Homeri. Et juniores ſenioribus, tanquam filii parentibus, titulum hunc dabant; & ubi ætati dignitas aliqua acceſſit, titulus venerationis habebatur, ut legere eſt apud Suidam. Sub hac venerationis notâ *Papas* à Græcis, *Papa* à Latinis primævæ Eccleſiæ temporibus attribuebatur Epiſcopis, quos ſpiritualium patrum loco habuerunt. Sed nulla hic *avi*, nulla *patris patrum* notio. Quod ſecundò apparet ex eo quòd titulus ille eodem ævo, quo de Heracla uſurpatus eſt, aliis Epiſcopis, quàm Patriarchis communis erat. Clerus Romanus ad Clerum Carthaginenſem: *Didicimus ſeceſſiſſe benedictum Papam Cyprianum à Clementino Subdiacono*. Hieronymus in Epiſtolâ ad Theophilum datâ, Anaſtaſium Papam appellat, aliosque etiam eodem nomine indigitat: Ita reliqui ejuſdem ævi nomen *Papæ* cuilibet Epiſcopo tribuebant. Denique uſitatum hunc titulum ante Heraclam Alexandrinum Epiſcopum, docet nos Tertullianus lib. de pudicitiâ cap. 13. ubi de Epiſcopo Romano ait: *In eum hominis exitum, quantum potes miſericordiæ illecebris bonus paſtor, & benedictus papa concionaris*. Cùm igitur vox *papa*, nunquam avum ſignificet, ſed omnibus Epiſcopis ſemper tributa fuerit, & prius quidem Epiſcopo Romano, quàm Alexandrino, inania ſunt omnia, quæ ab Alexandrinis conficta.

IX. *Nomen Papæ uni Epiſcopo proprium.*

Nomen illud *Papa* primis ſæculis omnibus Epiſcopis commune, primus ſibi tribuit Siricius Romanus Pontifex in Epiſtolâ, quæ ſic incipit: *Siricius Papa Orthodoxis per diverſas Provincias*; illiuſque exemplum ſecutus in Epiſtola 104. *Leo Papa univerſis per Siciliam conſtitutis in Domino ſalutem*, ut advertit Cantelius in Hiſtoria Metropolitanarum urbium part. 2. differt. 1. cap. 2. qui & jam part. 1. differt. 1. cap. 1. obſervaverat ſæculo ſexto Ennodium Ticinenſem, Caſſiodorum & Liberatum vocare ſolitos fuiſſe Romanæ urbis Epiſcopum, *Papam*; reliquarum verò Eccleſiarum Præſules, *Epiſcopos*: poſtea ſenſim uſum obtinuiſſe, ut nono ſeculo exeunte, aut ineunte decimo, Papæ nomen, nec Epiſcopis, nec Patriarchis, ſed uni Romano Pontifici vulgò tribueretur: tandemque cùm ſchiſmatici in odium Epiſcopi Romani nomen Papæ ſibi vindicarent, anno 1073. in Synodo habitâ Romæ à Gregorio VII ſancitum eſſe, ne quis, aut ſibi ipſe, aut alteri Papæ nomen adſcriberet, ſed unius eſſet in orbe univerſo Summi Pontificis. Verùm neſcio à quo acceperit Cantelius id in Synodo Romanâ ſub Gregorio VII ſancitum eſſe; neque enim in decem, quas hic Pontifex Romæ celebravit Synodis, quarum prima habita eſt anno 1074. non 1073 hujuſmodi decreti veſtigium aliquod reperitur. Quare omninò mihi dicendum videtur, medio ſæculo nono, uſum tribuendi nomen Papæ ſine addito ſoli Epiſcopo Romano, jam apud Latinos obtinuiſſe: Avitus enim Viennenſis Archiepiſcopus apud eumdem Cantelium ibidem, ſolis Patriarchis illud tribuit, cum eo diſcrimine, ut ſi loquatur de Græcis, nomen addat illius urbis cui præſint, ſi de Romano non item; quòd illorum poteſtas certis regionibus, hujus verò nullis eſſet terminis definita. Ille uſus à Latinis tranſiit ad Græcos, apud quos jam obtinebat ſæculo duodecimo; ſi enim Theodoro Balzamoni in Meditatis de Patriarcharum privilegiis credimus, Romanus Pontifex ſæpius dicebatur *Papa*; Conſtantinopolitanus, *Patriarcha Oecumenicus*; Antiochenus, *Patriarcha*; Alexandrinus, *Archiepiſcopus*.

X. *S. Petrus plura Romæ miracula patrat.*

Simonem Magum Romæ fuiſſe, & ob artes magicas ſummo in honore habitum referunt Juſtinus Martyr Apologia 2. & Irenæus lib. 1. adversùs hæreticos cap. 20. Hunc, ut prodit Arnobius lib. 2. adversùs Gentiles pag. 23. Eccleſiam vehementer conturbantem, precibus proſtravit Sanctus Petrus. Cùm enim Simon magicis artibus, ut ſe Deum probaret, duobus ſuffultus Dæmoniis evolaſſet, orationibus Apoſtolorum Petri & Pauli fugatis Dæmonibus, delapſus in terram, populo ſpectante diſruptus eſt. Acta Sanctorum Petri & Pauli ex Græcis tranſlata, à Lippomano & Surio ad diem XXIX Junii edita, habent Sanctos Apoſtolos Chriſtianâ fide imbuiſse duas fœminas Neronis Imperatoris pellices, quæ deinceps pudicè vivere ſtatuerunt. Parte aliâ, cùm Nero Romam incendi juſsiſset, ob idque in odium omnium veniſſet, abolendo rumori, inquit Tacitus lib. 15. Annal. crimen conjecit in Chriſtianos, eoſque hac de cauſa quæſitiſſimis pœnis affecit.

XI. *Martyrium cum S. Paulo patitur.*

Quare (ideſt miraculis & converſionibus, quæ per Petrum & Paulum fiebant) *ad Neronem delata — primus omnium perſecutus Dei ſervos, Petrum Cruci adfixit, & Paulum interfecit*, ſubdit Lactantius laudatus. Martyrium illud contigit *Nervâ & Veſtino Conſulibus*, ut legitur in Catalogo Veterum Pontificum, ideoque anno Chriſti ſexageſimo quinto. Baronius quidem Sanctorum Apoſtolorum martyrium differt in annum Chriſti ſexageſimum ſeptimum, quem ipſe vocat ſexageſimum nonum, aitque ſuam ſententiam graviſſimos habere aſſertores, nimirùm Cajum antiquum Theologum, Zephirinum Romanum Pontificem, & Dioniſium Corinthiorum Epiſcopum; qui omnes

omnes citans Metaphraſtes apud Surium die XXIX Junii, iiſdem adſtipulatur, atque concordat, dùm, anno trigeſimo ſexto poſt paſſionem Domini, eos necatos affirmat. Ita Baronius. Sed hinc potius noſtra ſententia confirmatur: antiqui enim, ut ſuperiùs diximus, Chriſtum *duobus Geminis* Conſulibus, ideoque anno Æræ Chriſtianæ vigeſimonono paſſum arbitrati ſunt; à quo anno ad ſexageſimum quintum triginta ſex effluxere. Ab eo computo non diſſentiunt Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, tam in elogio Divi Petri, quàm Divi Pauli, Pontificale Romanum, Chryſoſtomus, Iſidorus, Beda, Rabanus, Nicephorus, aliique, tradentes Petrum & Paulum triginta ſeptem annis poſt paſſionem Chriſti elapſis, martyrio coronatos eſſe, nam hi utrumque extremum annum incompletum pro completo numerant, in quo ſolùm à prioribus differunt. Paſſi ſunt autem die vigeſima nona Junii, quâ in omnibus ferè martyrologiis eorum memoria recolitur, & quidem in prima Eccleſiæ perſecutione à Nerone Imperatore excitata, de qua mox.

XII. *Scripta S. Petri legitima.* Duas Sanctus Petrus ſcripſit Epiſtolas, quæ *Catholicæ* nominantur. De priori nulla unquam dubitatio fuit; de poſteriori propter ſtyli diſſonantiam nonnullâ apud aliquos ambiguitas extitit. Sed ſi quis prioris Epiſtolæ ſtylum penitiùs inſpiciat, non multùm diſſidere à ſtylo poſterioris facilè animadvertet, atque id etiam Magdeburgenſes fatentur. Utramque certè Epiſtolam & Canonicam & Sancti Petri eſſe, Eccleſia docuit in Conciliis Laodiceno, Carthaginenſi tertio, Florentino, & Tridentino. Evangelium Sancti Marci à quibuſdam Sancti Petri dicitur, quia, ut ſcribit Sanctus Hieronymus, Marcus auditor ejus & interpres, rogatus à fratribus illud ſcripſit, juxta quod Petrum referentem audierat: *Quod cùm Petrus audiſſet, probavit & Eccleſiæ legendum ſuâ auctoritate dedit.* Ita Hieronymus in lib. de Script. Eccleſiaſt. in Marco.

XIII. *Spuria.* Sanctus Doctor ibidem in Petro multos alios libros ſub ejus nomine ſcriptos fuiſſe commemorat, nempe unum, qui *Auctarium* ejus inſcribitur, alium *Evangelii*, tertium *Prædicationis*, quartum *Apocalypſeos*, quintum *Judicii*, ſed eos omnes inter Apocryphas Scripturas reputari ibidem aſſerit. Præterea in Auctario Bibliothecæ Patrum extat Liturgia ſeu Miſſa Apoſtolica, quam ex Codice manuſcripto Cardinalis Sirleti, Sancti Petri inſcriptione inſignitam, Græcè & Latinè edidit circa finem ſæculi decimi ſexti Guillelmus Lindanus Ruremundenſis Epiſcopus; ſed eam ſuppoſititiam eſſe oſtendit Cardinalis Bona lib. I. Rerum Liturgicarum cap. 8. cùm in ea reperiantur quædam Orationes ex libro Sacramentorum Sancti Gregorii Magni, & conſarcinata ſit ex Miſſa Latina, & ex Liturgiis Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi. Quibus, aliiſque rationibus ritè perpenſis ſuſpicatur eam ſcriptam fuiſſe eodem ſæculo decimo ſexto à quodam Sacerdote Italo-Græco, qui ei Petri nomen præfixit, vel quia Canon Romanæ Eccleſiæ, cujus Petrus fundator fuit, præcipua ejus pars eſt, vel ut ei, tanti nominis interpoſitione, auctoritatem conciliaret. De Translatione corporum SS. Petri & Pauli lege dicenda in Sixto II.

PRIMA ECCLESIÆ PERSECUTIO.

Primam in Chriſtianos perſecutionem movit Nero Imperator, & quidem anno Chriſti LXIV, in qua SS. Petrus & Paulus Principes Apoſtolorum Martyrio coronati ſunt. Ea non ſolùm in Chriſtianos Romæ, ſed & contra omnes ubique per Romanum Imperium degentes ſæviit, ut videre eſt in Critica Baroniana. Hanc fuiſſe primam, quam Ethnici Principes adversùs Eccleſiam excitarunt, docet Tertullianus Apologet. cap. 5. *Conſulite*, inquit, *Commentarios veſtros: illic reperietis primum Neronem in banc ſectam tùm maximè Romæ orientem Cæſariano gladio feroci ſſe. Sed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur. Qui enim ſcit illum, intelligere poteſt, nonniſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.* De eadem perſecutione legendus Euſebius lib. 2. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 25. — XIII. *Nero primam perſecutionem movet.*

S. LINUS Pont. II.

Anno Domini LXV.

I. *S. Lini Pontificatus brevis.* S. Linus, natione Italus, patriâ Volaterranus, anno Chriſti LVI, juxta Damaſi Chronicon, S. Petri Vicarius ſeu coadjutor conſtitutus eſt, eique, juxtà S. Hieronymum, in Pontificatum anno LXV ſucceſſit. Ejus meminit S. Paulus in Epiſtola ſecunda ad Timotheum. Hic, ſi Auctori libri Pontificalis fides, ex præcepto S. Petri inſtituit, ut mulier in Eccleſiam velato capite introiret. Duabus ordinationibus Presbyteros decem& octo, Epiſcopos quindecim ordinavit. In prima itidem perſecutione ſub Nerone, juſſu Saturnini Conſularis, cujus filiam à Dæmonum vexatione liberaverat, martyrio coronatus eſt anno Chriſti LXVII, eodem Chronico Damaſi teſte, poſtquam annos XI cum aliquot menſibus, ab anno ſui Vicariatûs in multis antiquis Catalogis nu-

Digitized by Google

SÆC. I. S. LINUS.

numeratos, ſediſſet, quamvis verè Romanus Pontifex non fuerit ante S. Petri mortem. Lino annos duodecim etiam attribuit S. Epiphanius Hæreſi 27. cap. 6. Colitur die XXIII menſis Septembris.

II. Libri de Paſſione SS. Petri & Pauli ipſi falsò adſcripti.

Libri duo de Paſſione SS. Petri & Pauli, qui Græco ſermone à S. Lino ſcripti & Orientalibus Eccleſiis deſtinati dicuntur à Sigeberto cap. 5. libri de Viris Illuſtribus, & ab Auctore Actorum SS. Nerei & Achillei, quæ extant apud Surium ad diem XII Maii, ab omnibus ferè eruditis rejiciuntur ut ſpurii, & erroribus ac fabulis ſcatentes, ideoque è Bibliotheca Patrum expungendi.

S. CLEMENS *Pontif. III.*

Anno Domini LXVII.

I. S. Clemens ſedet ante S. Cletum.

S. Clemens Romæ, patre Fauſtino natus eſt. Ejus meminit Paulus in Epiſt. ad Philippenſ. 4. *Cum Clemente & cæteris adjutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.* Eum Petri Apoſtoli diſcipulum vocat Origenes. Succeſsit Lino, ut ſcribunt Tertullianus lib. de Præſcriptione Hæreticorum cap. 32. Vetuſtus Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, & plures alii, licèt non pauci Clementem poſt Cletum ſediſſe dicant. Sed in re incertâ à laudato Damaſi Chronico diſcedendum non eſſe cenſemus, præſertim cùm ex Epiſtolâ Clementis ad Corinthios conſtet, eam ſcriptam eſſe ante excidium Templi Jeroſolymitani, & durantibus ejus ſacrificiis, ideoque ante annum Chriſti ſeptuageſimum primum, ex qua evincitur Clementem ante Cletum ſediſſe, cùm Cletus ſex ad minus annos cum aliquot menſibus Pontificatum tenuerit.

II. Sub Trajano Martyrio coronatur.

Clementem ſeptem Notarios inſtituiſſe, eiſque Urbis regiones diviſiſſe, ut Acta martyrum conſcriberent, & poſteritati tranſmitterent, ſcribit libri Pontificalis Auctor. Poſtquam annos novem, menſes undecim & dies duodecim Eccleſiam Romanam rexiſſet, anno Chriſti ſeptuageſimo ſeptimo pontificatum abdicavit, ut ex Epiphanio Hæreſi 27. colligitur. Cùm deinde Evangelicæ prædicationi totus intentus, multos ad Chriſti fidem traduceret, jubente Trajano Imperatore, in Cherſoneſum Tauricam relegatur, ubi duo millia Chriſtianorum ad ſecanda marmora damnatorum, aquæ laborantium invênit. Ibi factâ oratione in vicinum collem aſcendit, ubi agnum vidit, ſub cujus dextro pede fons divinitùs abundantem aquam ſcaturiebat, quâ omnes recreati ſunt, & multi ad fidem converſi. Qua re permotus Trajanus ſatellites ſuos miſit, qui Clementem, alligatâ ad collum anchorâ, in mare projecerunt, ſed non multò poſt, cùm mare ad tria milliaria receſſiſſet, ſacrum ejus corpus ad littus delatum eſt, atque eo loci ſepultum, extructo templo ubi fons divinitùs emanarat. Martyrium illud anno tertio Trajani, ideoque anno Chriſti centeſimo collocant, Euſebius, Hieronymus, & alii. Colitur die XXIII Novembris, quo ad Deum tranſiit. Ejus corpus ſedente Adriano II Romam translatum eſt, & deinde, petente Ludovico Auguſto hujus nominis II, ad Monaſterium Caſæ-aureæ ab ipſo fundatum in Inſula Piſcaria, ad Benacum Lacum, hodie in ditione Venetorum, aſportatum, eodem Adriano II annuente, ut legere eſt Tom. 3. Criticæ Baronianæ.

III. Ejus Scripta ſincera.

Sanctus hic Pontifex duas ad Corinthios ſcripſit Epiſtolas, quarum priorem, quam Orbis eruditus deperditam deplorabat, ferè integram anno 1633. publicavit Patricius Junius Scotus ex antiquiſſimo Codice MS. Bibliothecæ Regis Angliæ, circa primi Concilii Nicæni tempora, manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiæ exarato. Extat tom. I Conc. Labbei. Poſterioris fragmenta tantùm quædam Latina ſuperſunt interprete Vendelino, ſed cum Græco rurſùs excuſa ibidem. Aliud etiam ejuſdem Epiſtolæ ſecundæ fragmentum ex S. Damaſceni Parallelis deſumptum Græcè exhibet Joannes Baptiſta Cotelerius in Patribus Apoſtolicis. Illas duas Epiſtolas genuinas, & germanas eſſe probatur ex Veterum teſtimoniis, qui illas citant. Priorem quidem S. Irenæus lib. 1. adverſus Hæreſes cap. 3. memorat ut traditionis promptuarium. Eam itidem laudant Origenes lib. 2. de Principiis cap. 3. S. Clemens Alexandrinus lib. 1 Stromatum, Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 38. S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſt. in Clemente, Photius in Biblioth. Cod. 113. aliique. Poſterioris meminêre idèm Photius Cod. 126. & S. Epiphanius Hæreſi 30. num. 15. Quantum autem ex his fragmentis colligitur, hæc poſterior Epiſtola ſalutaria documenta, *admonitionemque vitæ melioris* continebat, ut ſcribit ibidem Photius. Quæ adversùs illas adducuntur argumenta refellit Natalis Alexander ſæculo primo.

IV. Suppoſititia.

Præter has duas Epiſtolas, quinque aliæ ſub S. Clementis nomine circumferuntur, quarum duæ priores ſunt ad Jacobum fratrem Domini; tertia ad omnes Epiſcopos

SÆC. I. S. CLEMENS.

pos, Presbyteros & Fideles, quarta ad Julium & Julianum; quinta ad Jeroſolymitanos: ſed cùm illæ omnes tanquam ſuppoſititiæ ab Eruditis rejiciantur, ſicuti & decem Libri Recognitionum, Itinerarium S. Petri, Diſputatio ejuſd. Apoſtoli cum Appione, & Liturgia, quæ eidem Clementi adſcribuntur, de iis, utpote jam ab omnibus rejectis & damnatis, agere ſuperfluum & inutile judicamus, de quibus legendus idem Natalis Alexander laudatus. Porrò omnia Clementis opera, tùm genuina, tùm ſpuria in unum collecta & annotationibus illuſtrata Græcè & Latinè edidit idem Cotelerius in Patribus Apoſtolicis Pariſiis 1672. fol.

V. *Conſtitutiones Apoſtolorum et non adſcribenda.*

Sed hic paucis agendum de *Conſtitutionibus* & *Canonibus Apoſtolorum* nomine inſcriptis, quarum duarum collectionum Auctorem multi faciunt Sanctum Clementem; quia licèt ambæ inter Apocrypha recenſeantur, *Canones* tamen *Apoſtolorum* vulgò dicti, ſingulari quadàm Eccleſiæ primitivæ doctrinâ referti ſunt. Conſtitutiones quidem octo libris comprehenſas Carolus Bovius Oſtunenſis Epiſcopus anno 1573. in lucem emiſit, & è Græco in Latinum ſermonem tranſtulit: eas poſtea Franciſcus Turrianus latinè interpretatus eſt, & Commentariis illuſtravit. Verùm harum Conſtitutionum Auctor non eſt Clemens Romanus, quia Euſebius lib. 3. cap. 15. & Hieronymus de Script. Eccleſiaſt. cùm de Scriptis S. Clementis agunt, unam dumtaxat illius ad Corinthios Epiſtolam recenſent. Præterea Humbertus Cardinalis Epiſcopus Sylvæ Candidæ Leonis IX apud Conſtantinopolim Legatus, Nicetæ Pectorato Conſtitutionum Apoſtolicarum loca quædam contra Sabbati jejunium objicienti, his verbis reſpondet: *Hoc aſſerere conaris ex Apocryphis libris & Canonibus pari ſententia SS. Patrum repudiatis*. Et paulò poſt: *Unde nos quoque omne apocriphum abjicientes dedignamur audire eorum fabuloſas traditiones, quia non ſunt ut lex Domini.* Citaverat autem Nicetas quintum & ſeptimum librum Ordinationum ſeu Conſtitutionum Apoſtolicarum. Ex qua Humberti reſponſione Chriſtianus Lupus in parte 2. ad Canonem 2. Trullanum colligit, Conſtitutiones illas Apocryphas eſſe, fuiſſe ſententiam Sedis Apoſtolicæ, cujus Legationem Humbertus gerebat. Præter Lupum legendi etiam Schelſtratius in parte 2. Antiquit. Illuſtr. Differt. 2. cap. 2. Natalis Alexander ſæculo primo, aliique qui plura de his Conſtitutionibus habent.

VI. *Nec Canones Apoſtolorum licèt antiqui.*

Quod attinet ad Collectionem, quæ ſub ejuſdem Clementis nomine circumfertur, qui Apoſtolorum Canones numero LXXXV, in unum corpus collectos fidelibus propoſuiſſe perhibetur, eam Marca lib. 3. cap. 2. num. 5. anteriorem Synodo Nicænâ, ſed poſteriorem anno CCLVIII videri ſcribit. Ratio prioris eſt, quia Conſtantinus Imperator in Epiſtola 2. ad Euſebium & Antiochenos citat Canonem decimum tertium ex quo eruitur eos Canones ante Nicænam Synodum cognitos fuiſſe. Eos verò fuiſſe poſteriores anno ducenteſimo quinquageſimo octavo ex eo deducit, quòd Firmilianus Cæſareæ Epiſcopus iis uſus non eſt ad probandam conſuetudinem, quæ vigebat in Oriente repudiandi hæreticorum baptiſmi: cùm tamen ipſi apertè faverent: Canon enim XLV ſic conceptus eſt: *Epiſcopum, vel Presbyterum, qui hæreticorum baptiſmum vel ſacrificium admiſerit, deponi jubemus. Quæ enim eſt conventio Chriſti cum Belial? Vel quæ pars eſt fideli cum infideli?* Et Canon XLVI: *Epiſcopus, vel Preſbyter eum, qui verè habet baptiſmum, ſi de integro baptizaverit, vel ſi eum, qui ab impiis pollutus eſt, non baptizaverit, deponatur, ut qui irrideat mortem & crucem Domini, & non diſcernat ſacerdotes à falſis ſacerdotibus.* Cùm itaque Firmilianus in Epiſtola ad Cyprianum contra hæreticorum baptiſma militàns, conſuetudinem à Stephano Papa laudatam, ſtylo acriori quàm oportebat Catholicum Epiſcopum, excipiens, anno CCLVI aut CCLVII, quo eam ſcripſit, Canones prædictos non allegarit, ex ejus ſilentio colligere eſt, incognitos eâ ætate fuiſſe Canones Apoſtolicos.

VII. *Quo ſenſu hi Canones Apocryphi dicti.*

Eos Canones poſt Concilii Nicæni tempora tàm in Oriente, quam in Occidente apud quoſdam Catholicos prævaluiſſe (variâ tamen de eorum numero fortunâ) licet colligere ex antiquiſſimâ Canonum Collectione, quæ primùm in Oriente à Græcis fuit confecta & ante tempora Dionyſii Exigui extitit. Unde quod Gelaſius Papa in Romana ſeptuaginta Epiſcoporum Synodo poſuit: *Liber Canonum Apoſtolorum apocryphus*, commodo ſenſu venit intelligendum. Præterquam enim quòd hæc verba non habentur in codice Juſtelli, dici poteſt, id à Papa Gelaſio dictum, quia hi Canones non ſunt ab Apoſtolis, ſed ab aliis collecti: unde rectè Marca laudatus num. 7. *Variæ ſunt claſſes apocryphorum in notitia Gelaſii, ut obſervarunt Viri Eruditi; cùm non tantùm figmenta hæreticorum veniant in hunc ſenſum, ſed etiam Opuſcula Tractatorum, in quibus ſunt nævi quidam.* Nec alio exemplo indigemus, quàm Euſebii Hiſtoriâ, quam apocryphis accenſet Gelaſius, cùm tamen paulum antea illam recipiendam ſtatuiſſet, quòd nimirum velit hos Hiſtoriarum libros nævis quibuſdam permixtos, licet, inquit, *propter rerum notitiam ſingularem, quæ ad inſtructionem pertinent, uſquequaque non dicimus renuendos*. Idem, inquit Schelſtratius laudatus cap. 1. dicendum de Canonibus Apoſtolorum, ſingulari quadam Eccleſiæ primitivæ Doctrinâ refertis, licèt aliunde ob

certos

Digitized by Google

certos nævos inter Apocrypha à Gelaſio recenſitis.

VIII. *Occidentalis Eccleſia ex eis admittit quinquaginta.* Neque ab antiquis, tam Græcis, quàm Latinis Scriptoribus, ſubdit idem Schelſtratius, hi Canones fuêre rejecti, ut patet ex quinquaginta Canonibus ubique olim receptis, & confirmat poſt Gelaſium Collectio Dionyſii Exigui. Poſt Dionyſium Creſconius, neſcio cujus civitatis in Africâ Epiſcopus, qui in ſuâ collectione uſque ad quinquaginta Canones Apoſtolorum enumerat, & ad titulos ſuos comprobandos adducit. Meminit & Anaſtaſius Bibliothecarius Stephani Papæ IV ſeu potius III, qui in Synodo Lateranenſi anno 769. ſtatuit actione IV: *Non amplius ſuſcipiantur Apoſtolorum Canonum prolata per S. Clementem, niſi quinquaginta capita, quæ ſuſcepit Sancta Dei Catholica Romana Eccleſia.* Publicavit hoc Concilium Holſtenius, & laudatam ex eo deciſionem confirmat Humbertus Leonis IX Legatus in reſponſione ad libellum Nicetæ Presbyteri & Monachi contra Latinos editum; *Clementis librum, ideſt, Petri Apoſtoli Itinerarium, & Apoſtolorum Canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis quinquaginta capitulis, quæ decreverunt Orthodoxæ fidei adjungenda.* Et hæc quidem de Eccleſiâ Occidentali, quinquaginta Apoſtolorum Canones non improbante, ſed demùm per Pontifices & Synodos approbante, & ubique ferè recipiente.

IX. *Orientalis octoginta quinque.* At latiùs ſeſe extendit Orientis Eccleſia in recipiendis Apoſtolorum Canonibus, quos octoginta quinque omnium primus ſuæ quinquaginta titulorum Collectioni inſeruit Joannes Scholaſticus, ut notat Juſtellus in Præfatione ad Tomum 2. Bibliothecæ Juris Canonici, & idem Joannes Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter ex ordine Scholaſticorum, qui in Præfatione ait: *Sancti Domini Diſcipuli & Apoſtoli octoginta quinque Canones Clementis operâ ediderunt.* Eos, poſt hanc Joannis Collectionem, recepit & probavit Synodus Trullana Canone 2. & poſt eam Synodus generalis VII, quæ actione I. conſenſit ex Bibliothecâ Patriarchii Conſtantinopoleos tàm Canonum SS. Apoſtolorum, quàm SS. Synodorum libros in medium afferri: *Et Notarius Venerabilis Patriarchæ legit: Canon SS. Apoſtolorum quinquageſimus tertius* (nunc quinquageſimus ſecundus) *Si quis Presbyter eum, qui convertitur à peccato, non ſuſceperit, ſed abjecerit, deponatur, &c.* Uſque ad LXXVII recenſet Alexius Ariſtinus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus in Synopſi Canonum, quæ nunc primùm publicata eſt in Tomo 2. Bibliothecæ Juris Canonici, ubi poſt Ariſtinum ſubnectitur Epitome Canonum Symeonis Magiſtri & Logothetæ, in qua exhibentur Canones Apoſtolorum octoginta duo. Subnectitur & Synopſis Canonum Arſenii Monachi, qui ad cap. 4. ſubdit: *SS. Apoſtolorum Canones LXXXV*, & alios Apoſtolorum Canones paſſim exhibet, ut octoginta quinque Canones admiſiſſe conſtet, quos & diu ante illos Collectores admiſit Photius in Nomocanone, ad quem editâ Præfatione ſcribit: *Canones qui SS. Apoſtolorum dicuntur, Clementis operâ Collecti LXXXV.* Ex quibus videre licet Orientales paſſim omnes LXXXV Canones admiſiſſe, qui de facto poſt Decretum Gratiani juſſu Gregorii XIII editum, inveniuntur, uti & paſſim in omnibus Conciliorum editionibus. Plura Schelſtratius laudatus, & Natalis Alexander Diſſert. XVII, Sæculi primi Eccleſiæ. Videndus etiam Cotelerius in Notis ad Canones Apoſtolicos, quæ habentur in parte ſecundâ Operum SS. Patrum qui temporibus Apoſtolicis floruerunt pag. 327.

S. CLETUS *Pontif. IV.*

Anno Domini LXXVII.

Urbem in XXV. parochias diſtinguit. S. Cletus, natione Romanus, patre Æmiliano, ſubrogatus eſt in locum S. Clementis anno Chriſti ſeptuageſimo ſeptimo, ſedemque Romanam rexit, ut laudatum Damaſi Chronicon teſtatur, per ſpatium annorum ſex, menſium duorum & dierum ſeptem, ad annum uſque octogeſimum tertium, quo, ſub Domitiano, martyrio coronatus eſt. Ex præcepto S. Petri viginti quinque Presbyteros ordinaſſe in urbe Roma dicitur in libro Pontificali, ideſt Urbem in totidem Parochias diſtinxiſſe. Martinus Polonus in Chronico ſcribit, Cletum fuiſſe primum qui in literis, verbis illis uſus eſt: *Salutem & Apoſtolicam benedictionem*, quod etiam legitur ad diem XXVI Aprilis, quo idem Sanctus colitur, in Breviario Romano Pii V juſſu edito. Sed præter quamquod nullæ S. Cleti literæ extant, ſcriptum id à Martino Polono abſque ullius veteris Auctoris teſtimonio. Illa itaque Formula antiquior non eſt ſæculo VII, quo in finem vergente, Joannes V & Sergius I eâ uſi ſunt, ut conſtat ex eorum Reſcriptis à Mabillonio in opere de Re Diplomatica productis. Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum ante Leonem IX, vel ſaltem ante Gregorium VII eam Formulam ſtabili uſu receptam non fuiſſe aſſerit.

Digitized by Google

S. ANACLETUS *Pontif. V.*

Anno Domini LXXXV.

I. *S. Anacletus à S. Cleto diverſus.*

S Anacletus, natione Græcus, Patriâ Athenienſis, S. Cletum eodem Chriſti anno octogeſimo tertio excepit. Eccleſiam, quam ſuper corpus Sancti Petri Apoſtoli Presbyter inchoarat, Pontifex creatus perfecit, ex Libro Pontificali. Duabus Ordinationibus menſe decembri habitis creavit Diaconos tres, Presbyteros quinque, Epiſcopos diverſis in locis ſex. Pontificatum tenuit uſque ad annum Chriſti nonageſimum quintum, quo Martyr occubuit ſub Domitiano, poſt Sedem annorum duodecim, menſium decem & trium dierum. Non deſunt Viri Doctiſsimi qui Cletum & Anacletum non diſtinguunt, & unum eundemque eſſe affirmant; ſed in re incertâ à communi opinione non diſcedimus. Colitur S. Anacletus die 12. menſis Julii.

II. *Decretales tres ei falsò adſcriptæ.*

Tres circumferuntur Anacleti Papæ Decretales Epiſtolæ, quas Eruditi ſuppoſititias judicant. Prima eſt ad omnes Epiſcopos & Fideles, ſed confuta eſt tàm ex locis Scripturæ ſecundùm Vulgatam Verſionem, quàm ex Clementis ad Jacobum Epiſtolis, uti ex Rufini, Damaſi, aliorumque auctoritatibus. Secunda eſt ad Epiſcopos Italiæ, in qua ſunt teſtimonia ex Auguſtino, Idacio, Gregorio Magno deprompta. Tertia ad omnes Epiſcopos, agitque de Patriarchis, quorum nomen hoc & ſequenti ſeculo ignotum. Denique habet teſtimonium ex Concilio Romano ſub Gelaſio, & ex aliis poſterioribus Patribus.

III. *Succeſſorum ejus decretales uſque ad Siricium ſuppoſititiæ.*

Quod attinet ad alias Romanorum Pontificum Decretales Epiſtolas uſque ad Siricium, quas ex Iſidori Mercatoris Collectione, Conciliorum editores in ſuas editiones tranſtulerunt, licèt ex magnâ conſenſione receptæ fuerint etiam ante medium ſæculum undecimum, quo publicè in ſcholis cœperunt recitari; à quo tempore non ſolùm poſteriorum Romanorum Pontificum Epiſtolæ illarum teſtimoniis abundarunt, ſed etiam omnium Doctorum ſcripta ubique perſonarunt: eas tamen non genuinas, ſed ſuppoſititias eſſe omnes ferè Eruditi ingenuè fatentur, inter quos Petrus de Marca lib. 3. de Concordia Sacerdotii & Imperii, & Schelſtratius in parte 2. Antiquitatis illuſtratæ Diſſert. 3.

IV. *Fundamenta ſuppoſitionis.*

Rationes arguendi has Epiſtolas ſuppoſitionis attigit idem Marca laudatus cap. 5. §. 1. Primò ob verborum ſordes à ſecundi ſæculi, quo datæ dicuntur, elegantiâ & nitore alienas. Secundò, ob ſtyli diſsimilitudinem, & eundem ſcribendi characterem, qui in omnibus Epiſtolis occurrit; ita ut ab uno Auctore, non à diverſis Pontificibus conſcriptæ eſſe videantur. Tertiò ex uſu frequentiſsimo Vulgatæ Scripturarum verſionis; unde fit, ut poſt Hieronymi ætatem effictas eſſe neceſſe ſit. Quartò, quòd & Hieronymo, qui Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogum texuit, & Innocentio, & Leoni, cæteriſque Pontificibus, quorum germanæ Epiſtolæ ad nos pervenerunt, omninò fuerunt incognitæ, uti Dionyſio Exiguo, qui dum Romæ magno ſtudio & diligentia præteritorum Apoſtolicæ Sedis Præſulum conſtituta colligebat, tempore Juſtiniani Imperatoris, à Siricio initium ſumpſit. Quintò, ex obſervatione Antonii Auguſtini Tarraconenſis Archiepiſcopi, qui in Notis ad Capitula Adriani Papæ omnium primus annotavit: *Ipſa legum Imperatoriarum verba, & quæ ſub Aniani nomine extant ad Codicem Theodoſianum Scholia, in illis Epiſtolis uſurpata fuiſſe: quamvis Pontifices, quibus Epiſtolæ tribuuntur, duobus & tribus ſæculis Codicis Theodoſiani editionem præceſſerint.* Videri poteſt Antonius Auguſtinus in laudatis Notis Capp. 7. 8. 16. & ſeqq. Sexto, quia Blondelli induſtria ab aliquot annis eò proceſſerit, ut ſententias & verba ipſa, ex quibus Epiſtolæ contextæ ſunt, & à quibus Auctoribus petita, accuratiſſimè demonſtraverit in libro, qui inſcribitur *Pſeudo-Iſidorus & Turrianus vapulantes*. Franciſcus enim Turrianus eas antea ut genuinas publicaverat ſub Iſidori Mercatoris nomine.

V. *Aliæ ſuppoſitionis argumenta.*

Septimò, quia uſque ad Adriani primi tempora nullus Catholicorum Scriptorum, nullus Romanorum Pontificum, Synodorum nullæ, teſtimonium aliquod ex hiſce literis adduxerint, quinimò Photius tempore Nicolai primi, eas ſeſe in Oriente nuſquam vidiſse teſtatus ſit; cui, licèt earum Auctoritatem admiſerit, favere videtur Hincmarus Metropolita Remenſis, qui & ideò frequentiùs à literis Siricii Papæ initium duxit, & in teſtimoniis ſubſequentium Siricio Pontificum hæſit. Octavò, ex Leone Papa IV, qui ante Nicolaum I in Epiſtolâ ad Epiſcopos Angliæ de his Decretalibus conſultus, repoſuit, Sedem Apoſtolicam admittere regulas *Præſulum Romanorum Silveſtri, Siricii, Innocentii, Zozimi, Celeſtini, Leonis, Gelaſii, Hilari, Symmachi, Hormiſdæ, Simplicii, & Gregorii Junioris*, qui *omninò ſunt, & per quos judicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul judicantur*. Hæc circa annum DCCCL Leo IV ſcripſit, ubi non Epiſtolas Decretales à Clemente aut Anacleto,

to, ſed poſt ſtatuta Silveſtri Papæ, à Siricio inchoat. Nonò, ex Codice Vigilano, quem à Vigila Monacho anno 876 compilatum tradit Garzias Loaiſa in Præfatione Conciliorum Hiſpaniæ, aitque continere Epiſtolas decretales centum & unam, ſed incipere à Damaſo & finire ad Gregorium Primum. Decimò denique, ex veteri Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ iterum edito Moguntiæ anno 1525. ut adversùs Lutherum Eccleſia eo ſe tueretur. Habet titulus, hunc Codicem ex tribus vetuſtiſſimis exemplaribus tranſcriptum, & tamen ſolas Epiſtolas decretales exhibet à Siricio uſque ad Gregorium Magnum. Quæ à Turriano, aliiſque, qui eas Epiſtolas ut genuinas agnoſcunt, in medium afferuntur, levia ſunt, & à Viris Eruditis ſoluta.

VI. Ejus ſuppoſitionis Auctor incertus.

Quis præfatas decretales Epiſtolas ſub ementito Iſidori Mercatoris nomine fabricaverit, ac priſcis Pontificibus ſuppoſuerit, incertum; illud ſolùm conſtat Riculphum Moguntinum Epiſcopum, qui circa finem ſæculi Eccleſiæ octavi, & initium noni floruit, Pſeudo Iſidori librum ex Hiſpaniâ in Gallias allatum, primum Gallorum accepiſſe, ac publicaſſe, ut ſcribit Hincmarus Remenſis Metropolita Opuſculo contra Nepotem cap. 54. à quo tempore Fidelium non minus quàm Epiſcoporum erga decretales illas Epiſtolas nata veneratio; licèt enim ſuppoſititiæ ſint, & laudandum ſit Blondelli criterium, quo illas priſcis Pontificibus abjudicavit, immeritò tamen ab eo, aliiſque hæreticis, *atrocioribus verbis* dilacerantur, *cùm è ſententiis & verbis legum, Canonum antiquorum, & SS. Patrum, qui quarto ſæculo floruerunt, ſi pauca demas*, concinnatæ ſint, ut inquit Marca laudatus. Porrò omnium Epiſtolarum pſeudigrapharum inſcriptiones in uno quoque Pontifice afferemus, ne imperitus Lector exiſtimet, omnes omninò Romanorum Pontificum Epiſtolas genuinas non eſſe; cùm certum ſit Epiſtolas S. Cornelii, quæ extant inter opera S. Cypriani, Epiſtolas Julii primi, quæ referuntur à S. Athanaſio Apologiâ 2. Epiſtolas Liberii, quæ a S. Hilario in fragmentis recenſentur, Epiſtolam Damaſi ad Illyrici Epiſcopos, quam Theodoretus lib. 2. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 22. exſcripſit, aliaſque ejuſdem Pontificis Epiſtolas apud S. Hieronymum extantes; omnes denique Veterum Pontificum Epiſtolas, quæ à ſanctis Patribus aut priſcis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus referuntur, genuinum eorumdem Pontificum fœtum eſſe.

SECUNDA ECCLESIÆ PERSECUTIO.

VII. Domitianus ſecundam perſecutionem excitat.

Secundam in Chriſtianos perſecutionem excitavit Domitianus Auguſtus, & quidem anno Chriſti nonageſimo tertio. Ea graviſſima fuit; in Chronico enim Alexandrino ad annum XCIV legitur: *Brutus* (legendum Brutius ut apud Euſebium) *narrat magnam Chriſtianorum copiam ab XIV Domitiani anno ſublatam & Martyrio affectam*. Diu etiam duravit, ut legere eſt in Critica Baronii. Eâ ſæviente Sanctus Joannes Apoſtolus in Inſulam Pathmos relegatus eſt, poſtquam Romæ in ferventis olei dolium immiſſus eſſet. Qua in inſulâ ſcripſit Divinam Apocalypſim. Periit etiam in eâ perſecutione Flavius Clemens vix depoſito ordinario Conſulatu, anno XCV cum ipſo Domitiano geſto. Flavia Domitilla ejuſdem Flavii Clementis neptis in Inſulam Pontiam deportata. De hac perſecutione legendus Euſebius lib. 3. cap. 17. & ſeqq.

S. EVARISTUS *Pontif. VI.*

Anno Domini XCV.

I. S. Evariſtus Titulos in Urbe divisit.

S. Evariſtus, natione Græcus, ex patre Juda, de civitate Bethleem, in locum Anacleti ſuffectus eſt Pontifex, ut tradunt Optatus Milevitanus, S. Auguſtinus & alii. Eum Titulos in urbe Roma Presbyteris diviſiſſe, ideſt domus fidelium Divino cultui mancipatas, in quibus Chriſtiani Synaxes agere conſueverant; & ſeptem Diaconos ordinaſſe, qui Epiſcopum prædicantem cuſtodirent, ideſt ei aſsiſterent, ſcribit Auctor Libri Pontificalis, ſicuti & eum tribus ordinationibus menſe Decembri, Presbyteros VI, & Diaconos II, Epiſcopos diverſis in locis V creaſse. Pontificatum geſsit annis tredecim, menſibus ſeptem, diebus duobus. Martyrio vitam finivit ſub Trajano anno Chriſti CVIII. Colitur die XXVI Octobris.

II. Duæ ejus Decretales ſpuriæ.

Decretales duæ Evariſto ſupponuntur Epiſtolæ. Prima *ad omnes Epiſcopos Africæ*, quam falſam oſtendit locus prolixus Idatii Clari ad Warimandum Arianum huic Epiſtolæ inſertus. Idatius autem exeunte quarto ſæculo floruit. Secunda ſcripta dicitur *omnibus per Ægyptum dominis conglutinatis Fratribus*, ſed in ea refertur, tacito Auctoris nomine, alius locus ex prima Epiſtola Clementis Papæ juxta latinam interpretationem à Rufino editam, cùm tamen hic quinti Eccleſiæ ſæculi initio adhuc in vivis fuerit. Denique incipit cum verbis Leonis primi, *Unum vos, fratres, ſentire oportet & agere, &c.*

III. Eccleſiarum dedicationi origo ipſi falsò adſcripta.

Sunt qui Evariſto originem conſecrationis Templorum adſcribunt, ſed multò cer-

Digitized by Google

SÆC. I. S. EVARISTUS. certius eſt, Apoſtolicum inſtitutum eſſe, quod è veteri Teſtamento ad Novum, ab Apoſtolis ad ſucceſſores emanavit, quem ritum ſervavit Eccleſia, totius Orientis & Occidentis conſenſu, niſi dicamus cum Cardinali Bona lib. 1. Rer. Liturg. cap. 20. num. 3. ab hoc Pontifice ſcripto promulgatum, quod ſolâ traditione ab anteceſſoribus acceperat. Aut fortè addidit ad veteres Cæremonias, ut ſine Miſsæ ſacrificio Baſilicæ non conſecrarentur, ut ex illo referunt Canonum Collectores. Nam quod aliqui ſcribunt, ante Imperium Conſtantini Magni nullas fuiſſe Eccleſiarum dedicationes propter metum perſecutionis, id de publicis & ſolemnibus, non verò de privatis & clam peractis intelligendum exiſtimat Bona laudatus, apud quem hac de re plura. De benedictione ac dedicatione Eccleſiarum legendus etiam Edmundus Martene lib. 2. de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 13. ubi plura ſingularia habet.

TERTIA ECCLESIÆ PERSECUTIO.

IV. *Trajanus tertiam movet perſecutionem.* Tertiam Eccleſiæ perſecutionem ab anno Chriſti centeſimo ſeptimo, Trajani Imperatoris decimo, orditur Euſebius in Chronico, quia ſcilicet eo anno plurimùm aucta, uſque ad Trajani obitum eſt continuata. Anno CXI cùm Plinius Secundus Bithyniæ Proconſul habitâ quæſtione de Chriſtianis, eos falſis criminibus accuſari deprehendiſset, ad Trajanum ſcripſit Epiſtolam XCVII libri X, retulitque eos nullius impietatis aut violationis legum eſſe reos: ſe ſolùm animadvertiſſe, quòd primo diluculo à ſomno excitati, Chriſto tanquam Deo hymnos canerent: cæterum adulteria, homicidia, & reliqua hujuſmodi crimina illos etiam averſari, cunctaque ex præſcripto legum agere. Reſcripſit Trajanus in hæc verba: *Conquirendi non ſunt, ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt.* In illâ perſecutione Symeon Cleophæ filius Joroſolymorum Epiſcopus annos natus CXX cruci affixus eſt, cujus martyrium ex Hegeſippo deſcribit Euſebius lib. 3. cap. 32. Martyrium pariter ſubiit S. Ignatius Epiſcopus Antiochenus ex eodem Euſebii libro cap. 36. uterque anno CXVI, ut legere eſt Criticæ Baronianæ anno CVII. Hæc perſecutio duravit uſque ad annum Adriani Imperatoris decimum, Chriſti CXXVI, qui ejus æſtum mitigavit, ſuorum Decennalium occaſione, de quo legendus Euſebius lib. 4. cap. 8. ubi iſta refert ex S. Juſtino in Apologiâ ad Imperatores, & cap. 9. Adriani Epiſtolam exhibet, ne quis Chriſtianorum, indictâ cauſâ puniatur. Legenda itidem Baronii Critica.

S. ALEXANDER *Pontif. VII.*

Anno Domini CVIII.

SÆC. II. I. *Conſtituta ab Alexandro Papa.* S. Alexander, natione Romanus, patre Alexandro, S. Evariſtum excepit, Eccleſiamque regere cœpit die ſecundâ Martii anni Chriſti centeſimi octavi. Auctor Libri Pontificalis de eo ſcribit: *Hic paſſionem Domini miſcuit in precatione ſacerdotum, quando Miſſæ celebrantur.* Ad quæ verba Petrus Urbevetanus in Scholiis ineditis notat, *ibi videlicet, tam beatæ Paſſionis.* Alii etiam paſſim ſcribunt hanc orationem, *unde & memores Domine*, quæ poſt conſecrationem à Sacerdote dicitur, ab Alexandro inſtitutam. Sed ſi præciſè de memoriâ Paſſionis ſermo ſit, ſive iſtis, ſive aliis verbis fiat, ea certè non fuit, inquit Cardinalis Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 13. num. 3. ab Sancto Pontifice inſtituta, ut præclarè obſervat Baronius anno CXXXII. num. 3. habemus enim hac de re expreſſum in Evangeliis præceptum Domini, & Paulus I. ad Corinth. cap. 11. luculentum ejuſdem rei teſtimonium præbet dicens: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Idem Libri Pontificalis Auctor ait, Alexandrum decreviſſe, ut Aqua benedicta in habitaculis hominum aſſervaretur, quem uſum aquæ benedictæ ab Apoſtolis traditione emanatum, & Alexandri decreto ſtabilitum probat Baronius loco citato. Sacerdos ad Conſecrationem accedens præmittit hanc orationem: *Quam oblationem, &c.* Tum ait Sacerdos: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, &c.* Quam clauſulam *qui pridie &c.* idem Auctor libri Pontificalis, Valfridus & alii ab Alexandro additam opinati ſunt. Sed rectiùs ſentit Alcuinus etiam Apoſtolis in uſu fuiſſe, de quo, ſicuti & de Conſecratione, ejuſque formâ & ritu, lege Bonam loco laudato, qui & cap. 9. num. 3. obſervat aquam in calice vino miſceri ex Chriſti inſtitutione, non verò, ut quidem perperàm ſcribunt, ex decreto Alexandri, qui ideò dicitur hujus mixtionis auctor, quia adverſùs Hæreticorum errores, quod ex Domini & Apoſtolorum traditione acceperat, ſcripto firmavit. Prolixam de hoc argumento ſcripſit Epiſtolam S. Cyprianus ad Cæcilium ordine 63. quam laudat S. Auguſtinus lib. 4. de Doctr. Chriſt. cap. 21.

II. *Nihil ab eo de Azymis ſtatutum.* Quidam recentiores, quorum anteſignanum idem Card. Bona credit eſſe Martinum Polonum in Chronico, ſcribunt Alexandrum ſtatuiſſe, ut oblatio fieret ex azymo & in mo-

SÆC. II. S. ALEXANDER.

modicâ quantitate: ſed in antiquis ſancti Alexandri Actis, nihil ab eo de Azimis ſtatutum legitur, nec per undecim ſæcula aliquis proferri poteſt, qui de hoc Alexandri ſtatuto teſtimonium perhibeat, ut habet idem Cardinalis lib. 1. Rerum Liturgicarum c. 23. num. *6.* apud quem plura de azymis, de quibus etiam lege dicta in Innocentio primo, ubi & diximus azymorum uſum in Eccleſiâ Occidentali ſemper viguiſſe.

III. *Ad Concilium Siculum mittit Preſbyterum.*

In Libello Synodico legitur Concilium, quod in Siciliâ celebratum fuiſſe dicitur hac occaſione. Heracleon quidam Valentini diſcipulus cum docuiſſet ſemel baptizatum hominem, ſive juſtum, ſive peccatorem non poſſe amplius in peccati nævum incurrere, licèt ejus opus edat; & Alexandrum Papam Epiſcopi eâ de re conſuluiſſent, hicque Sabinianum Presbyterum ad ipſos deſtinaſſet, collecti omnes Epiſcopi, quorum numerus & nomina ignorantur, ſoli enim Euſtachius Lylibæorum & Theodorus Panormæorum nominantur, Heracleonem, qui auſugerat, latâ ſententiâ damnarunt. Licèt autem Liber ille, è quo eruitur, tàm hujus, quàm aliquot aliorum Conciliorum ſub ſequentibus Pontificibus notitia, dubiæ ſit apud nonnullos auctoritatis, cùm tamen Labbeus & Baluzius in ſuâ novâ collectione Conciliorum illa referant, illis poſſumus aſſentiri, ut inquit Auctor Anonymus Delectûs Actorum Eccleſiæ univerſalis, ſeu novæ ſummæ Conciliorum Tom. II. in Notis ad Canones pag. 7. & ſeq.

IV. *Sub Trajano Martyrium facit Alexander.*

Multos infideles ad Chriſti fidem perduxit Alexander, quam ob rem poſt longam carceris inediam ſub Trajano, die tertia menſis Maii anni Chriſti CXVI martyrio coronatur, ſepultus viâ Nomentanâ, ſeptimo ab Urbe lapide, ubi ſecuri percuſſus fuerat, cum Theodulo & Eventio preſbyteris. Tribus ordinationibus, Presbyteros ſex, [illegible]nos duos, Epiſcopos per diverſa loca [illegible] creavit. Ideò autem dixi eum Pontificem ordinatum die ſecundâ Martii, quia cum martyrium ejus contigerit die tertiâ Maii, ut ejus Acta, Auctius Chronicon Veterum Pontificum, Martyrologium Hieronymianum, aliæque Tabulæ Eccleſiaſticæ teſtantur, & parte aliâ ex Damaſi Chronico conſtet, eum ſediſſe annis octo, menſibus duobus, die uno, ejus ordinatio diei ſecundæ Martii neceſſariò affigenda eſt. Eum occiſum ſub Trajano, non ſub Hadriano, aſſerunt ejus Acta, antiqua Breviaria Romana MSS. & excuſa, genuinum Martyrologium Bedæ, & Martyrologia tàm Rabani, quàm Notkeri, imò & in reviario Romano, juſſu Pii. V edito, legebatur eum rexiſſe Eccleſiam ſub Trajano, licèt in hodierno legatur ſub Hadriano. Annus Martyrii, nempe CXVI, Æliani & Veteris Conſulatu notatus, habetur etiam in laudato Damaſi Chronico, in Auctiori Chronico Veterum Pontificum, in Luitprando, Anaſtaſio, & in geſtis MSS. Pontificum, ut obſervat Henſchenius in Apparatu ad Chronologiam Pontificiam Actis Sanctorum menſis Aprilis præfixo. Hæc ideò præter morem minutiùs hic explicata ſunt, quia cùm ante Alexandrum ſciri non poſſit, quibus diebus, aut menſibus Pontifices Romani ſedere cœperint, ex anno martyrii Alexandri, manifeſtè liquet precedentium Pontificum Romanorum Chronologiam valdè depravatam, meliùs reſtitui non potuiſſe, quàm beneficio Chronici Damaſi.

V. *Decretales tres ipſi falsò adſcripta.*

Decretales tres Alexandro Papæ attribuuntur, quas Petrus de Marca, Chriſtianus Lupus, aliique Viri Doctiſſimi rejiciunt. Prima ſcripta eſt ad omnes Orthodoxos, habetque plura ex aliis ſubſequentium ſæculorum conciliis & Patribus, præſertimque inſignem locum ex Idatio & Epiſtolâ ſuppoſititiâ Benedicti primi, incipientem ab illis verbis num. *6. Si Trinitas non eſt, quare tertiò* Sanctus *dixerunt?* & finientem, *ipſa eſt Patris & Filii*. Secunda ſcripta ad omnes Epiſcopos, habetque locum Oſeæ cap. 4. ex verſione S. Hieronymi, qui trecentis annis poſt Alexandrum vixit. Tertia data eſt ad omnes Sacerdotes, habetque etiam locum Michæ cap. 2. ex verſione Hieronymi, & clauſulam ſermonum S. Auguſtini.

S. SIXTUS *Pontif. VIII.*

Anno Domini CXVI.

I. *S. Sixti conſtitutum de literis formatis.*

S. Sixtus, natione Romanus, ex patre Paſtore, poſt S. Alexandri martyrium, Romanam Eccleſiam regendam ſuſcepit eodem Chriſti anno centeſimo decimo ſexto. Decrevit ex libro Pontificali, ut quicunque Epiſcopus evocatus fuerit ad Sedem Romanam Apoſtolicam, rediens ad parochiam ſuam non ſuſciperetur, niſi cum Formatis ſalutationis ad plebem per Sedem Apoſtolicam. Literas enim Formatas ſeu Communicatorias dabat Epiſcopis Sedes Apoſtolica, & commercio earum totus Orbis in unâ Communionis ſocietate concordabat, ut affirmat Sanctus Optatus Milevitanus. Ad hunc porrò locum tàm Auctioris Chronici Veterum Pontificum, quàm

Libri

Libri Pontificalis, Epiſtolarum decretalium Auctor ſecundam Sixti Epiſtolam compoſuit, quæ eſt de vaſis ſacris à ſolis miniſtris tangendis, & de non redeundo ſine formatis Epiſtolis, inquit Schelſtratius in Nota ad Sixtum.

II. Sacra vaſa ab aliis quàm à Miniſtris tangi vetat Sixtus.

Conſtituit etiam, ex eodem libro Pontificali, ut ſacra vaſa ab aliis quàm à ſacris miniſtris non tangerentur. Ideò autem id vetuit Sixtus, quia tàm Calix, quàm Patena erant vaſa conſecrata; extat enim in Ordine Romano utriuſque conſecratio, unctione Chriſmatis, certiſque precibus adhibitis. Idem decrevit poſteà Concilium Laodicenum anno circiter CCCLXIII celebratum, in quo Canone 21. ſancitum eſt, non oportere Subdiaconum vaſa ſacrata contingere; & Concilium Agathenſe anno DVI ſub Symmacho Canone 66. ſtatuit non oportere inſacratos miniſtros contingere vaſa Dominica. Subdiaconis tamen data facultas iſta eſt in Concilio Bracarenſi ſub Joanne III anno DLXIII Canone X. *Placuit ut non liceat cuilibet ex Lectoribus ſacra Altaris vaſa portare, niſi his qui ab Epiſcopo Subdiaconi fuerunt ordinati.* Acolythis etiam eandem licentiam conceſſam ex Ordine Romano manifeſtum eſt.

III. Hymnum Sanctus, &c. ſacrificio Miſſæ non addidit.

Plerique ſcribunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. à Sixto ſacrificio Miſſæ additum eſſe, ſed Auctius Chronicon Veterum Pontificum, id ſolùm à Sixto Conſtitutum ait, ut Sacerdote hymnum illum incipiente, etiam populus eumdem cantaret. Quia verò progreſſu temporis quidam abuſus irrepſerant, ut non niſi in ſolemnibus Miſſis diceretur, eo tollendo hic Canon à Concilio Vaſenſi anno quingenteſimo vigeſimo nono editus eſt: *Ut in omnibus Miſſis, ſeu in matutinis, ſeu in quadrageſimalibus, ſive in illis quæ pro defunctorum Commemoratione fiunt, ſemper* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *eo ordine quo modo ad Miſſas publicas dicitur, dici debeat; quia tam Sancta & tam dulcis, & deſiderabilis vox, etiamſi diù noctuque poſſit dici, faſtidium non poterit generare.* Altera pars hymni, *Benedictus qui venit in nomine Domini Oſanna in excelſis*, Chriſto Domino à turbis in ſolemni Jeroſolymæ ingreſſu ante paſſionem decantata fuit. De hujus hymni ritu & origine legendus Cardinalis Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 10.

IV. Decretales duæ ipſi ſuppoſitæ.

Martyrio vitam finivit S. Sixtus ſub Hadriano Imperatore anno Chriſti centeſimo vigeſimo ſexto, poſtquam ſediſſet annos decem, menſes duos, diem unum, ideòque circa diem tertium menſis Julii, cum Sanctus Alexander ejus deceſſor die tertiâ menſis Maii paſſus ſit. Tribus ordinationibus Presbyteros XI, Diaconos III, Epiſcopos per diverſa loca quatuor creavit. Ejus duæ Epiſtolæ circumferuntur, quas Marca, Baluzius, aliique ſuppoſitionis arguunt. Prima eſt ad omnes Chriſti fideles, in qua habentur teſtimonia ex Idatio, Enchiridio Sixti Philoſophi, aliiſque deſumpta. Secunda habet hanc inſcriptionem, a primitivæ Eccleſiæ Præſulibus alienam: *Sixtus univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus omnibus Epiſcopis in Domino ſalutem*, continetque quædam teſtimonia, ex Hiſtoriâ Tripartitâ, aliiſque petita.

S. TELESPHORUS *Pontif. IX.*

Anno Domini CXXVI.

I. S. Teleſphorus non inſtituit Miſſam in nocte Nativitatis.

S. Teleſphorus, natione Græcus, Anachoreticam vitam ducens Sanctum Sixtum excepit. Ei tribuitur inſtitutio Miſſæ, quæ in nocte Nativitatis Domini ubique celebratur, ejuſque decretum refert Gratianus cap. nocte ſancta, de conſecrat. Diſt. I. Sed Epiſtola decretalis Teleſphori, è qua canonem Gratianus excerpſit, ſuppoſititia eſt: nam id evidenter ex eo convincitur, quòd pervigilium & pernoctatio, imò & ipſa feſtivitas Nativitatis, multis annis poſt Teleſphorum ſtatâ die coli cœperunt, nempe ſub Julio primo, ut Florentinius in Notis ad Martyrologium Hieronymianũ diffuſè probat exercitatione 2. Præterea, Epiſtola illa, quæ dicitur ſcripta ad omnes Epiſcopos, incipit cum verbis Damaſi Papæ Epiſtolâ ad Illyricos: *Credimus S. fidem veſtram in Apoſtolorum eruditione laudatam.* Habet inſuper plura alia ex Damaſi Epiſtolis teſtimonia, item ex Pſalm. 25. 36. & 51 verſionis S. Hieronymi. De feſto Nativitatis Chriſti vide dicta in Julio primo.

II. Non eſt auctor hymni Gloria in excelſis Deo.

Anaſtaſius in vita S. Teleſpori ait, ipſum conſtituiſſe, ut ante ſacrificium hymnus diceretur Angelicus, hoc eſt, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hæc prima hujus hymni verba è Cœlo ad nos Angelorum voce derivata ſunt, cætera quis addiderit, incertum. Quidam Teleſphorum eorum auctorem faciunt, ejuſque ſententiæ ſunt Sigebertus in Chronico & Innocentius III lib. 2. de myſteriis Miſſæ cap. 20. Sed hanc opinionem rejicit Cardinalis Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 4. num. 4. quia Auctor libri Pontificalis non dicit ipſum ea verba addidiſſe, ſed tantùm conſtituiſſe, ut ante ſacrificium hymnus diceretur Angelicus; & tunc forſitan, inquit, verba tantùm Evangelica in uſu

SÆC. II. S. THELESPHORUS. uſu erant, ſicut extant in Liturgiâ Jacobi, non verò integer hymnus. Obſervat etiam totum hymnum tempore Sancti Athanaſii jam in uſu fuiſſe, cùm hic lib. de *Virginitate* versùs finem ejus meminerit his verbis: *Hymnumque dicito: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, Benedicimus te, Adoramus te*, & quæ ſequuntur. Unde concludit, Patres Concilii quarti Toletani, circa annum DCXXXIII celebrati, cautiùs locutos eſſe, qui Canone 12. ajunt, reliqua quæ ſequuntur poſt verba Angelorum, *Eccleſiaſticos Doctores compoſuiſſe*, quicunque illi fuerint. De hymno illo plura habet Bona laudatus. Vide dicenda in Symmacho.

III. *Non inſtituit jejunium quadrageſimale.* Inſtitutio Jejunii Quadrageſimalis Teleſphoro à quibuſdam tribuitur apud Euſebium in Chronico, ad annum Chriſti CXXXVI, ubi ita legitur: *Quadrageſimale jejunium à Teleſphoro per hoc tempus inſtitutum, ac præceptum quidam ſcribunt*. Verùm hæc verba in MSS. Codicibus deſiderari, ideoque Chronico Euſebii inſerta eſſe, jam animadverterunt Arnaldus Pontacus, & Joſephus Scaliger in Notis ad illud Chronicon. Rabanus quidem Maurus lib. 2. de Inſtit. Clericor. cap. 34. & Rupertus Tuitienſis Abbas lib. 4. de Divinis Officiis cap. 9. idem ſcribunt ac Euſebius, ſed dicendum Rabanum & Rupertum deceptos fuiſſe, ſive teſtimonio libri Pontificalis, ſive interpolato jam Euſebii Chronico, & recentiores eſſe Auctores, quibus præ ſanctis Hieronymo, & Leone fides ſit adhibenda, ut habet Natalis Alexander ſæculo 2. diſſert. 4. art. 3. ubi probat antipaſchale Jejunium ex Apoſtolorum traditione acceptum probabiliùs aſſeri.

Denique Anaſtaſius, ſivè libri Pontificalis Auctor ſcribit Teleſphorum conſtituiſſe, ne quis præſumeret ante curſum horæ tertiæ Miſſas celebrare, quod Decretum referunt Amalarius lib. 3. cap. 42. & Strabo cap. 23. Sed hos decepit Pſeudo Iſidorus, qui primorum Pontificum Epiſtolas decretales auſu temerario finxit, totique Eccleſiæ tanquam legitimas merces obtruſit: quid enim, inquit Cardinalis Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 21. num. 5. magis alienum à conditione illius ſæculi, quo Chriſtiani, furentium Imperatorum gladios declinantes, ſummo ſtudio latitabant, quàm hujus legis editio, quæ nullo modo poterat obſervari? Noctu & in occultiſsimis locis conveniſſe fideles ad Synaxim Tertullianus in libro de fugâ in perſecutione & alibi nos docet, qui aliquot annis poſt Teleſphorum ſcribere cæpit, imperante Severo; nec aliter ſanè poterant, ut & dignitati ſacrificii, & propriæ vitæ ſecuritati proſpicerent. Probabilis igitur ſententia eſt, magiſque congrua, quam refert Baronius anno CCCLXXXII, hanc tertiæ horæ præfixionem à Sancto Damaſo ſancitam fuiſſe, ex præſcripto, ut ajunt, Canonis Nicæni, qui tamen non extat. Qui plura de his cupit, legat Bonam Cardinalem laudatum. SÆC. II. S. THESPHORUS. IV. *Non inſtituit ut Miſſa hora diei tertia celebraretur.*

Teleſphorus martyr occubuit Hadriano imperante anno Chriſti centeſimo trigeſimo ſeptimo, ut habet Chronicon Damaſi, poſtquam ſediſſet annis undecim, menſibus tribus & diebus tribus. Colitur in Martyrologio die quintâ menſis Januarii. Quatuor ordinationes habuit menſe Decembri, Presbyterorum XV, Diaconorum VIII; Epiſcopos autem per diverſa loca ordinavit tredecim. V. *Martyrio coronatur.*

S. HYGINUS. *Pontif. X.*

Anno Domini CXXXVII.

I. *S. Hygini conſtitutum.* S. Hyginus, natione Græcus, patriâ Athenienſis, profeſſione Philoſophus, eodem Chriſti anno centeſimo trigeſimo ſeptimo Romanæ Eccleſiæ gubernationem ſuſcepit. De ejus geſtis hoc ſolum legitur in libro Pontificali: *Hic Clerum compoſuit & diſtribuit gradus*, quæ ita intelligenda eſſe cenſet Baronius, ut cùm ea, quæ ad Eccleſiaſticam pertinent hierarchiam, jam à temporibus Apoſtolorum eſſent compoſita, æquum ſit exiſtimare, aliqua tantùm antiquæ formæ ab Hygino fuiſſe addita, vel eadem illuſtrata.

II. *Eo ſedente hæretici Romæ turbas ciunt.* Hygino ſedente Valentinus & Cerdo Hæreſiarchæ Romam perrexerunt, & multas apud fideles turbas excitarunt. Marcion verò alter Hæreſiarcha Ponticus, cùm ob inceſtum Eccleſiâ pulſus fuiſſet, Hygino jam mortuo Romam ſe contulit, ut colligitur ex Irenæo lib. 1. cap. 28. & Epiphanio hæreſi 42. cap. 1. Quare cùm Hyginus anno Chriſti centeſimo quadrageſimo primo, & quidem die decimâ Januarii ad cœleſtem patriam tranſierit, poſtquam annos duntaxat quatuor ſediſſet, eodem pariter anno Marcionis Romam adventus tempore interpontificii collocandus eſt. Porrò Philaſtrius lib. de hæreſ. cap. 46. ſcribit, Marcionem primò in Aſiâ errores ſuos docuiſſe, ibique à Joannis Apoſtoli diſcipulis, potiùs quàm ab ipſo Joanne convictum, Romam veniſſe. Sed cùm, Sede vacante, à Presbyteris qui Eccleſiam, ut mos erat, adminiſtrabant, ne Eccleſiæ quidem aditum impetrare

Digitized by Google

petrare potuiſset, in Pontum rediit, & majores trahens ſpiritus, vehementiùs in eoſdem ſuos errores cœpit incumbere, de quibus legendus Natalis Alexander ſæculo 2. ubi & de Valentini, ac Cerdonis Hæreſibus agit.

III. *Decretales ipſi falsò adſcriptæ.* Tres Hyginus ordinationes menſe Decembri fecit, quibus Presbyteros XV, Diaconos V, ordinavit, & Epiſcopos per diverſa loca ſex. Decretales duæ ipſi attribuuntur ſuppoſitionis ſuſpectæ. Prima eſt ad univerſos in Apoſtolicâ Sede & Doctrinâ degentes, in qua refertur locus ex Idatio contra Warimadum cap.3. deſumptus, aliuſque ex Aniano ad Conſtit. 15. tit. 1. lib. 9. & alia ex Ennodio, qui ſæculi ſexti initio vivebat. Secunda, ad Athenienſes data, magis germana non eſt, ut inter Eruditos convenit.

IV. *Patrinorum in baptiſmo antiquitas, officium & numerus.* Neſcio unde hauſerit Ciaconius hunc Sanctum Pontificem voluiſſe unum ſaltem patrinum, ſeu ſuſceptorem, unamve matrinam baptiſmo intereſſe; de hoc enim Hygyni decreto non ſolùm libri Pontificalis Auctor, ſed & omnes Antiqui ſilent. Quid de Patrino ſtatuerit Hyginus habes C. in Cathechiſmo de Conſecrat. Diſt. 4. Suſceptorum tamen inſtitutio, inquit Edmundus Martene lib. 1. de Antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 1. art. 16. num. 10. ad ipſa ferè Eccleſiæ incunabula referenda eſt, utpotè cujus meminêre Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 18. S. Baſilius Epiſtolâ 128. & S. Auguſtinus multis in locis. Eorum inſtituendorum cauſa præſertim fuit, ut baptizandos Epiſcopo offerrent, ut videre eſt apud Dionyſium de Cœleſti Hierarchiâ, unde *offerentes* dicti; ut eoſdem rebus neceſſariis inſtruerent, fidem pro eis profiterentur, orationem Dominicam redderent, abrenunciationem ſponderent, ex quo *ſponſoris* nomen ipſis inditum eſt, id quod maximè erga infantes præſtabant; tandemque ut eos de ſacro fonte prodeuntes ſuſciperent, & ſimul cum ipſis per totam octavam communicarent. Initio maſculos ſoli mares, puellas ſolæ fœminæ ſuſcipiebant, & unicus in baptiſmo ſuſceptor erat; poſtea tot tum patrini, tum matrinæ extitêre, ut eorum numero aliquos limites à Conciliis præfigi oportuerit, illum ad ternarium reducentibus. *Ad elevandum puerum de ſacro fonte*, inquit Concilium Baiocenſe anni 1280. cap. 4. *tres tantùm recipiantur*; ideſt, ad ſuſcipiendum maſculum duo mares, & una fœmina; ad puellam, duæ fœminæ cum uno viro deſignentur, ut conſtat ex Concilio Wigornienſi anni 1240. cap. 5. & ex Exonienſi anni 1287. cap. 2. Plura hac de re Martene laudatus, ubi & refert, quinam ab officio ſuſceptoris arcendi ſunt. Suſceptorum porrò nomina à Subdiacono infra actionem in Canone fuiſſe recitata, oſtendit ex MS. Pontificali Eccleſiæ Pictavienſis ab annis circiter 800. exarato, ibidem cap. 12. relato, in quo poſt illa verba, *Memento Domine famulorum famularumque tuarum*, continuò ſine morâ adjungitur: *qui electos tuos ſuſcepturi ſunt ad ſanctam gratiam baptiſmi tui*. „ Et tacetur uſque dum à Subdiacono recitentur „ nomina virorum ac mulierum, qui ipſos „ infantes ſuſcepturi ſunt. Quæ ut fuerint recenſita illicò in Canonis tenorem regreditur ita: *Et omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt*.

S. PIUS *Pontif. XI.*

Anno Domini CXLI.

I. *S. Pius ſedit ante Anicetum.* S. Pius, natione Italus, Patriâ Aquilejenſis, Rufini filius, juxta Sanctum Irenæum hoc tempore viventem, Tertullianum, Euſebium, Epiphanium, aliosque, Sancto Hygino immediatè ſucceſſit, licèt Optatus Milevitanus & Auguſtinus Anicetum ante Pium ſediſſe ſcribant. Verior enim, & magis recepta eſt prior ſententia, cui præter Auctores laudatos, adſtipulantur Hegeſippus, qui ſub eodem Anicero Romam venit, duo Nicephori, ac demùm tàm Latini, quàm Græci recentiores omnes. Huic Pontifici tribuitur decretum de celebrando Paſchate die Dominico, ſed Epiſtolam decretalem Pii, ex qua id conjicitur, ei ſuppoſitam conveniunt omnes Eruditi. Prætereà licèt decretum illud à Pio editum eſſe legatur in Chronico Euſebii his verbis: *Sancitum eſt à Pio, ut Reſurrectio Dominica Die Dominicâ celebretur, quòd à pluribus poſtea Pontificibus confirmatum eſt*; Arnaldus tamen Pontacus in Notis, teſtatur illa verba non reperiri in MSS. Codicibus Chronici Euſebii, ideoque ex eo penitùs delenda; cùm præſertim ex ipſomet Euſebio lib. 5. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 23. conſtet tale Decretum, de celebrando Paſchate die Dominicâ, ab Apoſtolis ſancitum fuiſſe. Quare Joſephus Scaliger, in novâ editione Chronici Euſebiani, ex eo verba illa expunxit.

II. *Ejus decretum, ex quo realis præſentia Chriſti in Euchariſtia eruitur.* Sed extat apud Gratianum cap. de Conſecratione diſt. 2. Decretum Pii Papæ *de pœnitentiâ ejus, cujus negligentiâ de ſanguine Domini aliquid ſtillat*. Illud autem tale eſt: *Si per negligentiam aliquid de ſanguine Domini ſtillaverit in terram, linguâ lambatur, tabula radatur; ſi non fuerit tabula,*

Digitized by Google

SÆC.II. S. PIUS. *bula, ut non conculcetur, locus corradatur, & igne conſumatur, & cinis intrà altare recondatur, & ſacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si verò ſuper altare ſtillaverit calix, ſorbeat miniſter ſtillam, & tribus diebus pœniteat. Si ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si uſque ad tertium, novem diebus pœniteat. Si uſque ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina quæ tetigerit ſtilla, tribus vicibus miniſter abluat, calice ſuperpoſito, & aqua ablutionis ſumatur, & juxta altare recondatur.* Ex hoc & aliis Decretis de ritu & modo culpas in Sacramentum Euchariſtiæ commiſsas expiandi, & ſupplendi defectus in ipſo ſacrificio occurrentes, oſtendit Edmundus Martene lib. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 5. art. 5. quantâ reverentiâ erga ſacram Euchariſtiam Veteres ducerentur, quam reverentiam rectè ſcribit non infimum tenere locum debere inter varia rationum momenta, quibus realis in Euchariſtiâ Chriſti præſentia comprobari poteſt. Si enim, inquit, ex Tertulliano lib. de Coronâ militis cap. 3. Chriſtiani ſuo tempore *Anxiè* patiebantur, ſi quid ex Euchariſtiâ in terram decideret: & ex Origene Homiliâ 13 in Exodum, *Reos* ſe eſſe credebant, & rectè credebant fideles, ſi quando id per negligentiam accidiſset; quæ tandem tantæ anxietatis cauſa? quæ culpa, quod crimen *Reos* conſtitueret, & rectè conſtitueret? ſi præter panem & vinum, meramque figuram aliud nihil agnoviſsent in Sacramento. Aliud ergo, & illud magnum aliquid credebant: & quid illud? Niſi realis in Euchariſtiâ Chriſti præſentia.

III. *Decretales ipſi falsò adſcripta.* Poſtquam Pius annos decem, menſes quatuor, dies tres ſediſſet, & quinque ordinationibus menſe Decembri, Presbyteros XVIII, Diaconos XI, & Epiſcopos per diverſa loca XII creaſſet, mortem obiit anno CLI. Colitur die undecimâ menſis Julii. Duæ Pii circumferuntur Decretales, quarum prior eſt ad univerſos Chriſti fideles, poſterior Italicis fratribus directa, ſed ambæ Viris Doctis ſuppoſititiæ creduntur. Neque magis, inquit Labbeus, probantur duæ aliæ Epiſtolæ Pii Papæ ad Juſtum Viennenſem Epiſcopum, quas ex archivio Viennenſi deſumptas Baronius Annalibus inſeruit.

S. ANICETUS *Pontif. XII.*

Anno Domini CLI.

I. *S. Anicetus de die Paſchatis cum S. Polycarp contendit.* S. Anicetus, natione Syrus, ex patre Joanne, de vico Amiſæ, eodem Chriſti anno CLI Pium excepit. Eum conſtituiſſe *ut Clericus comam non nutriret, ſecundùm præceptum Evangelii*, ſcribit Auctor libri Pontificalis. Eo ſedente Sanctus Polycarpus Smyrnæ Epiſcopus Romam vénit, & quidem Antonino Pio imperante, ut Euſebius in Chronico, & in Hiſtoriâ lib. 4. cap. 23. Hieronymus, & Suidas in Policarpo, Marianus Scotus, Ado in Chronico, aliique tradunt. Annum nos docet Auctor Chronici Alexandrini, qui ad Conſulatum Tertulli & Sacerdotis, ad annum ſcilicet Chriſti CLVIII ſcribit: *Polycarpus Smyrnæ Pontifex, vir admiratione ſuſpiciendus, Apoſtolorum auditor, & ab ipſis Epiſcopus inſtitutus, adhuc ſuperſtes, Aniceto Pontifice Romam vênit, ob controverſiam de tempore, quo celebrandum eſſet Paſcha.* Qua de controverſiâ legendus Irenæus in Epiſtolâ ad Victorem Papam, cujus inſigne fragmentum nobis conſervavit Euſebius lib. 5. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 24. *Cùm beatiſſimus Polycarpus,* inquit, *Aniceti temporibus Romam veniſſet, atque inter illos de quibuſdam aliis rebus modica eſſet controverſia, ſtatim mutuo pacis oſculo ſe complexi ſunt: de hoc capite non magnoperè inter ſe contendentes*, ſcilicet de die Paſchatis celebrandi, de quo antea locutus fuerat.

II. *Cum eo tamen communicat.* Contendebat Anicetus Paſcha celebrandum eſſe Dominicâ proximâ lunæ decimæ quartæ poſt æquinoctium vernum; Polycarpus autem, juxta Aſianorum morem volebat illud cum Judæis celebrandum luna decimâ quartâ, quem morem ut abjiceret, Anicetus Polycarpo ſuadere non potuit: nullum tamen inter ipſos propterea diſsidium fuit; ſubdit enim Irenæus apud Euſebium ibidem: *Neque enim Anicetus Polycarpo perſuadere unquam poterat, ut obſervare deſineret, quippe qui cum Joanne Domini noſtri diſcipulo, & cum reliquis Apoſtolis, quibuſcum familiariter vixerat, eum morem perpetuò obſervaſſet. Neque item Polycarpus Aniceto perſuadere conatus eſt, ut obſervaret, cùm Anicetus eorum, qui ante ſe fuerant, presbyterorum morem ſibi retinendum eſſe diceret. Quæ cùm ita ſe haberent, communicarunt ſibi invicem: & Anicetus in Eccleſiâ conſecrandi munus Polycarpo honoris causâ conceſſit: tandemque cum pace à ſe invicem diſceſſerunt: tàm iis qui obſervabant, quàm illis qui minimè obſervabant, pacem communionemque totius Eccleſiæ retinentibus.*

III. *Aniceti ſententia in Synodo Romana firmatur.* Hæc quæſtio ſine dubio agitata eſt in Synodo, quam Libellus Synodicus dicit à S. Aniceto Romæ congregatam, cui adfuit Sanctus Polycarpus, & alii decem Epiſcopi: quæ *definivit tremendam & ſalutarem*

Domini

Digitized by Google

SÆC. II. S. ANICETUS. *Domini noſtri Jeſu Chriſti & Dei Paſſionem in Sancta Paraſceve myſticè celebrandam, Reſurrectionem autem vitæ auctricem ipſâ celebri & magnâ Dominicâ omnimodo eſſe peragendam*, contra eos, qui Judaico more lunâ decimâ quartâ Divinum celebrabant Paſcha, aliiſque ritibus & typis id ipſum perficiebant.

IV. *Eo ſedente S. Hegeſippus Romæ vixit.* Sub Aniceto Romæ vixit ſanctus Hegeſippus, qui, Sancto Hieronymo teſte, *libros quinque Actuum Eccleſiaſticorum* ſcripſit, quorum quidem librorum non niſi fragmenta quædam apud Euſebium in libris Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſuperſunt, à Petro Halloixio Tom. 2. Scriptorum Eccleſiæ Orientalis producta, & notis illuſtrata. In illis autem libris, ut ait Sanctus Hieronymus, Hegeſippus aſſerit ſe Romam veniſſe ſub Aniceto, & ibi perſeveraſſe uſque ad Eleutherum ejus urbis Epiſcopum, qui Aniceti quondam Diaconus fuerat. Hegeſippus porrò iſte diverſus eſt ab Hegeſippo illo vulgari, qui tractat de rebus Judæorum à temporibus Machabæorum uſque ad urbis Jeroſolymitanæ excidium, quique vixit poſt annum DCCCCLXVIII, ut obſervat Miræus in Notis ad Sancti Hieronymi Scriptores, verbo *Hegeſippus*.

V. *Decretales ipſi attributæ Spuriæ.* Sedit Sanctus Anicetus annis decem, annoque centeſimo ſexageſimo primo Martyrio vitam finivit. Colitur in Eccleſiaſticis Tabulis die decimâ ſeptimâ menſis Aprilis. Quinque fecit ordinationes menſe Decembri, Presbyterorum decem & ſeptem, Diaconorum quatuor, Epiſcopos verò novem per diverſa loca creavit. Unica ejus decretalis Epiſtola ad Galliæ Epiſcopos circumfertur, quæ cùm incipiat ab his verbis, *Bonorum operum & ſpiritualium ſtudiorum Deum auctorem eſſe, &c.* non dubium quin ſuppoſititia ſit, cùm hæc ſint ipſiſſima Leonis primi verba Epiſtolâ 32 juxta veterem ordinem. Sunt & in eâ alia loca ex eodem Leone, & Vigilio Papa deſumpta, quæ de ejus ſuppoſitione nos dubitare non ſinunt. SÆC. II. S. ANICETUS.

QUARTA ECCLESIÆ PERSECUTIO.

VI. *Quarta Eccleſiæ perſecutio.* MArcus Aurelius & Lucius Verus Imperatores quartam in Chriſtianos perſecutionem moverunt, de qua Euſebius tàm in Chronico, quàm in procemio libri quinti Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Eâ graſſante S. Polycarpus Smyrnæ Epiſcopus, S. Joannis Apoſtoli diſcipulus, die 26. Martii anni 169. cum multis aliis martyrium paſſus eſt, ut auctor eſt Euſebius lib. 4. cap. 15. Sanctus etiam Juſtinus Philoſophus Chriſtianus ex Flavia Neapoli Syriæ Palæſtinæ oriundus, poſt duas Apologias in Chriſtianorum favorem Imperatoribus oblatas, pro Chriſti fide mortem oppetiit, & quidem anno CLXV, ſi Auctori Chronici Alexandrini fides; de eo Euſebius citatus cap. 16. Hac perſecutione in Galliis propagatâ, anno Chriſti 177 complures Chriſtiani occiſi ſunt, quos inter excelluerunt martyres Lugdunenſes, Potinus Epiſcopus Lugdunenſis, Attalus, Alexander medicus, Sanctus Diaconus, Maturus, Blandina, & Biblis, & Ponticus quindecim annorum adoleſcens, quorum certamina egregiè deſcripta legi poſſunt in Epiſtolâ Eccleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ datâ apud Euſebium lib. 5. cap. 1. & ſeqq.

S. SOTER *Pontif. XIII.*

Anno Domini CLXI.

I. *S. Soter exules & ad metalla damnatos adjuvat.* S Soter, natione Campanus, patriâ Fundanus, patre Concordio, ſubrogatus eſt in locum S. Aniceti, ſedemque tenuit annos novem, & aliquot menſes ac dies, ab anno centeſimo ſexageſimo primo ad annum uſque centeſimum ſeptuageſimum, quo poſt quinque Ordinationes menſe Decembri habitas, quibus Presbyteros XVIII, Diaconos IX, & Epiſcopos per diverſa loca XI creavit, ad cœleſtem patriam tranſiit. In libro Pontificali de eo ſolùm legitur: *Conſtituit ne ulla Monacha pallam ſacram contingat, nec incenſum ponat in ſancta Eccleſia.* De Sotere & Eccleſiâ Romanâ illuſtre extat teſtimonium Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi. Cùm enim Eccleſia Romana eſſet opulentiſſima, aliarum Eccleſiarum inopiam liberalitate ſuâ ſublevabat, & fratribus ad metallum damnatis, aut in exilium miſſis alimenta & munera ſubmittere conſueverat, quem *morem*, inquit Dionyſius apud Euſebium lib. 4. cap. 23. *Beatus Epiſcopus veſter Soter non ſervavit ſolùm, verùm etiam adauxit; tum munera ſanctis deſtinata copioſè ſubminiſtrans, tùm fratres peregrè advenientes, tanquam liberos ſuos pater amantiſſimus beatis ſermonibus conſolando.* Hæc S. Dionyſius in Epiſtolâ ad Romanos datâ. In hunc uſum fiebant collectæ in Eccleſia Romana, de quibus extant aliquot S. Leonis Papæ ſermones. Quæ laudabilis conſuetudo jam indè à primis Apoſtolorum temporibus inſtituta, in poſtrema etiam perſecutione Diocletiani ſervata eſt, ut lib. 4. cap. 23. teſtatur Euſebius. Quo tempore Eccleſia Romana Chriſtianis

C ad

Digitized by Google

ad metalla Palæſtinæ & per Ægyptum damnatis collectas pecunias miſit. De hoc more Romanæ Eccleſiæ præter Dionyſium Corinthiorum, loquitur etiam Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola ad Stephanum Papam, quam refert Euſebius lib. 7. cap. 5. *Syriarum quidem Provinciæ omnes*, inquit Dionyſius, *cum Arabia, quibus identidem neceſſaria ſuppeditatis*. Ita Valeſius in Notis ad cap. 23. libri 4. Euſebii. Colitur S. Soter die XXII. Aprilis.

II. Decretales ipſi ſuppoſitæ.

Decretales duæ Sancto Soteri adſcribuntur, quæ Viris Eruditis exiſtimantur ſuppoſititiæ. Prior eſt ad Campaniæ Epiſcopos, in qua habetur teſtimonium ex Idatio deſumptutum. Secunda verò Epiſtola, ad Epiſcopos Italiæ ſcripta, habet varia ex Leone primo & Martino primo, quæ eam commentitiam probant.

S. ELEUTHERUS *Pontif. XIV.*

Anno Domini CLXX.

I. S. Eleutherus prædicatores in Angliam mittit.

S. Eleutherus, natione Græcus, patriâ Nicopolitanus, ex patre Abundantio, quem Sanctus Hieronymus, in Aniceto à nobis laudatus, ejus quondam Diaconum fuiſſe aſſerit, ineunte menſe Majo ejuſdem anni centeſimi ſeptuageſimi, poſt Soterem ordinatus eſt, feditque annos quindecim, dies viginti quatuor, ideoque uſque ad diem vigeſimum quintum menſis Maji anni centeſimi octogeſimi quinti, quo die mortalitatem explevit. Eleutherus, inito Pontificatu, Epiſtolam accepit à Lucio Britanniæ Rege, quâ rogabatur, ut Divini verbi Miniſtros ac Sacerdotes in Britanniam mitteret, qui populum in fide & moribus inſtruerent. Quare hic Sanctus Pontifex Fugatium & Damianum, ſeu Donatianum miſit, qui Regem & alios Chriſtianâ Religione imbutos ſacris myſteriis initiarunt. De ea converſione, præter librum Pontificalem, habemus teſtimonium Bedæ, qui lib. 1. Hiſt. Gentis Anglorum cap. 4. ait: *Cùm Eleutherius vir ſanctus Pontificatui Romanæ Eccleſiæ præeſſet, miſit ad eum Lucius Britannorum Rex Epiſtolam obſecrans, ut per ejus mandatum Chriſtianus efficeretur, & mox effectum piæ poſtulationis conſecutus eſt*. Porrò Eleutheri Papæ tempore, Britanniam à Romanis nondum totam ſubactam, ſed potiùs adhuc magnam partem populi trans murum habitantis Regem habuiſſe, probat Baronius anno CLXXXIII. num. 5.

II. Decretalis ipſi falſò adſcripta.

Eleutherus ordinationes tres menſe Decembri fecit Presbyterorum duodecim, & Diaconorum octo. Creavit etiam Epiſcopos per diverſa loca quindecim. Ejus unica circumfertur decretalis Epiſtola ad Epiſcopos per Gallias conſtitutos, quæ incipit: *Magno munere miſericordiæ Dei, totius Eccleſiæ Catholicæ multiplicata ſunt gaudia*. Sed hæc verba deſumpta ſunt ex S. Leonis Epiſtola 54. juxta veterem ordinem. Præterea auctor illius Epiſtolæ vulgatam novi Teſtamenti Verſionem ſequitur. Sunt & aliæ in ea ſuppoſitionis notæ Viris Eruditis obſervatæ. Colitur S. Eleutherus die 26. Maii.

S. VICTOR *Pontif. XV.*

Anno Domini CLXXXV.

I. S. Victor paſchatis diem determinat.

S. Victor, Felicis filius, natione Afer, die duodecimâ menſis Junii ejuſdem anni centeſimi octogeſimi quinti in locum Eleutheri ſubrogatus eſt. Eo ſedente cùm Theophilus Cæſareæ Epiſcopus Romam veniſſet, Victor Synodum celebravit, in qua decretum eſt Paſcha, non decimâ quartâ lunâ primi menſis die, ſed potius die Dominico poſt decimam quartam lunam, & poſt vernale Æquinoctium occurrente, juxta Apoſtolorum traditionem eſſe celebrandum, ut habet Euſebius lib 5. cap. 23. Synodo adfuêre Epiſcopi quatuordecim ex Libello Synodico. Idem Theophilus auctoritate Victoris, Concilium etiam Cæſareæ in Palæſtina eâdem de causâ coegit, cujus fragmentum extat apud Bedam de Æquinoctio vernali. Rationes Victoris ſunt, ne communicemus cum Judæis Chriſti interfectoribus. Secundò, ut in tota Eccleſia ſit una ratio Paſchatis celebrandi, & pauci Orientales judaizantes, omnibus Occidentalibus, pluribuſque Orientalibus populis & Epiſcopis aliter ſentientibus, cedant. Denique, quia aliter facientes Orientales, quandoque uno anno bis, quandoque nunquam Paſcha celebrarent, quæ ſunt tres rationes, quibus Conſtantinus Magnus in Epiſtola ad omnes Eccleſias, quæ legitur, apud Euſebium lib. 3. de Vita Conſtantini, decreti hujus æquitatem confirmat poſt Concilium Nicænum, in quo Victoris conſtitutum confirmatum eſt.

II. Aſianos excommunicat & Theodotum Hæreſiarcham damnat.

Aſianos Paſcha decimâ quartâ Lunâ celebrandum contendentes excommunicavit Victor, ut habet Euſebius lib. 5. cap. 24. ſed

Digitized by Google

SÆC. II. S. VICTOR. ſed ad Divi Irenæi preces pacem initam, & in gratiam ſtatim rediiſſe Aſianos cum Victore, deducitur tùm ex ipſius Irenæi literis, tùm ex Sozomeno lib. 7. cap. 19. Prætereà Victor Theodotum Coriarium Byzantinum Hæreſiarcham, qui Chriſtum hominem tantummodò, non etiam Deum eſſe aſſerebat, damnavit, & ab Eccleſia ejecit, ut teſtatur Euſebius lib. 5. cap. 28. Duas hic Sanctus Pontifex ordinationes fecit menſe Decembri, Presbyterorum quatuor & Diaconorum ſeptem: Epiſcopos prætereà per diverſa loca duodecim ordinavit, obiitque die vigeſimâ octavâ menſis Julii anni centeſimi nonageſimi ſeptimi, poſtquam ſediſſet annos duodecim, menſem unum, dies ſexdecim, & ſepultus eſt in Vaticano, nullus enim Antiquorum dixit eum martyrio vitam finiiſse.

III. *Epiſtolæ ipſi ſuppoſitæ.* Quatuor Victori Epiſtolæ attribuuntur Viris Eruditis ſuſpectæ. Prima eſt ad Theophilum, non Alexandriæ, ſed Cæſareæ Epiſcopum, itaut primus error ſit in inſcriptione. Inchoat verò cum verbis Leonis primi Epiſtolâ 53. juxta veterem ordinem, habetque plura loca ex eodem Leone deſumpta. Secunda Epiſtola eſt ad univerſos Africæ Epiſcopos, & iterum incipit cum verbis Leonis primi Epiſt. 4. *Semper enim in æterno conſilio Dei manſit humani generis*, &c. habetque locum Iſaiæ 24. ex verſione S. Hieronymi. Tertia Victoris Epiſtola ad Deſiderium Viennenſem Epiſcopum, & quarta ad Parocodum Epiſcopum de quæſtione Paſchatis, in quarum ultimâ dicitur Orientalem Eccleſiam, propter Paſchæ celebrationem, ab Occidentali disjunctam; & in priori Presbyteros, qui Apoſtolos viderunt, uſque ad illa tempora Viennenſem Eccleſiam rexiſſe, ſuſpectæ fidei ſunt, inquit Labbeus Tom. I. Conciliorum, & reverà ſtylum recentiorem ſapiunt.

S. ZEPHYRINUS *Pontif. XVI.*

Annno Domini CXCVII.

SÆC. III. I. *S. Zephyrinus Montaniſtas anathemate percellit.* S. Zephyrinus, Romanus, ex patre Habundio, die ſeptimâ menſis Auguſti ejuſdem anni centeſimi nonageſimi ſeptimi Victori ſucceſſor datus eſt, ſedemque Romanam adminiſtravit uſque ad diem duodecimum menſis Julii anni ducenteſimi decimi ſeptimi, non verò uſque ad diem decimum, ut errore Typographi legitur in Critica Baroniana ad annum CCXIX num. 11, ubi etiam pro die ſeptima Auguſti, dies decima irrepſit. Auctor libri Pontificalis aſſerit, eum ſtatuiſſe, ut ordinationes publicè in Eccleſia peragerentur, prout etiamnum obſervatur: ac prætereà ut celebranti Epiſcopo adſtarent omnes ſacerdotes iſtius Eccleſiæ. Zephyrino ſedente Severus Imperator perſecutionem in Chriſtianos excitavit, quâ durante Zephyrinus, ut gregi ſuo provideret, delituit; ſed eâ ſedatâ, è latebris emergens & munia Pontificia obiens, Natalium olim Confeſſorem, poſtea pecuniæ corruptione Theodotianorum hæreticorum Epiſcopum factum, ſed tandem cilicio & ſacco indutum, ac cineribus aſperſum, ad pedes ejus ſe ſupplicem abjicientem, & patrati ſceleris exomologeſim agentem recepit. Proclum celeberrimum Montani diſcipulum à Gajo ſpectatiſſimæ vitæ & eruditionis viro, manifeſtæ temeritatis ſuper novâ Prophetiâ defendendâ convictum, omneſque Pſeudo Prophetiæ defenſores, & inter alios ipſum Tertullianum anathemate perculit. Origenem pro Chriſti cauſa profugum, qui, ut ait Euſebius lib. 6. cap. 14. *Zephyrino Romanam Eccleſiam gubernante ſe in urbem Romanam adveniſſe ſcribit, cum ſibi in votis fuiſſet, ſicut ipſemet alibi dixit, Romanam Eccleſiam omnium antiquiſſimam coram videre*, humaniter & comiter ſuſcepit.

II. *Decretale ipſi affida.* Tandem poſtquam Zephyrinus annis decem & novem, menſibus undecim, & diebus quinque ſediſſet, ad cœleſtem patriam tranſiit die duodecimâ Julii anni ducenteſimi decimi ſeptimi, Ordinationibus quatuor menſe Decembri habitis Presbyterorum tredecim, Diaconorum ſeptem. Epiſcopos etiam tredecim per diverſa loca creavit. Duæ ejus circumferuntur Epiſtolæ commentitiæ exiſtimatæ. Prior eſt ad Epiſcopos Siciliæ, & incipit cum verbis Hilarii Papæ Ep. 3. *Divinæ circa nos gratiæ memores*. Poſterior eſt ad Epiſcopos Ægypti, & ab his verbis exorditur: *Tantam à Domino hujus Sanctæ Sedis & Apoſtolicæ Eccleſiæ fundatore, &c.* Quæ ſunt ipſa S. Leonis primi verba Epiſt. 24. juxta veterem ordinem. Leguntur in utraque Epiſt., S. Proſperi, aliorumq, variæ ſententiæ.

III. *Idololatris, homicidis, & adulteris pœnitentia denegata.* Pontifices ſub ipſo Chriſtianæ Religionis exordio, ut peccati majus odium incuterent, neve indulgentiæ facilitate ſacramenta quandoque vileſcerent, nonnunquam peccatoribus veniam omnem funditùs denegandam cenſuerunt; non quòd ſolvendi dimittendique peccata auctoritatem in Eccleſia deſiderarent, quod fuit perverſum Montaniſtarum & Novatianorum dogma; ſed quòd firmiter crederent, eum, qui ſolvendi & remittendi delicta poteſtatem Presbyteris fecit, ligandi ſimul & retinendi

Digitized by Google

di facultatem tribuiſse. De atrocioribus ſceleribus, idololatriâ, homicidio, & adulterio, id probant Veterum teſtimonia non pauca. De adulterio habemus Cypriani luculentum de quibuſdam ſuis deceſsoribus teſtimonium in Epiſtola 51. ad Antonianum: *Et quidem*, inquit, *apud anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtic in Provincia noſtra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt*. Et ne quis de Epiſcopis illis perverſi dogmatis aliquid ſuſpicetur, ait ipſos non propterea *ab Epiſcoporum ſuorum collegio* receſsiſse.

IV. *Adulteris à Zephyrino P. conceſſa.*

Controvertitur an Zephyrinus Romanus Pontifex Montani Hæreſim propugnaverit, aut ipſi faverit. Sed neutrum dici poteſt, nam quem adulteris Epiſcopi illi Africani clauſerant, pœnitentiæ locum aperuit Romæ Zephyrinus; qua de re redarguit eum Tertullianus in libro de Pudicitia, quòd excluſis, & in perpetuum rejectis idololatris & homicidis, ſolùm adulterii crimen ad veniam exceperit: *Quid agit*, inquit, *molliſſima & humaniſſima diſciplina? Aut omnibus eis hoc eſſe debebit. Beati enim pacifici: aut ſi non omnibus noſtra eſſe. Idololatram quidem & homicidam ſemel damnas, mœchum verò de medio excipis, idololatriæ ſucceſſorem, homicidii anteceſſorem, utriuſque collegam*. Joannes quidem Morinus lib. 9. de Pœnitentia cap. 20. aſſerit Zephyrinum idololatris, homicidiſque perinde ac mœchis indulgentiam conceſsiſſe, Tertullianumque hæreticum factum, Eccleſiæque Romanæ hoſtem infenſiſsimum Summo Pontifici impoſuiſſe, id quod probare conatur variis ipſius Tertulliani, aliorumque SS. Patrum teſtimoniis.

V. *Non item idololatris, & homicidis.*

Verùm, ut inquit Edmundus Martene lib. 1. de Antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 6. art. 2. num. 3. quaſcunque hujus rei demonſtrandæ gratiâ Morinus adducit auctoritates, non detegunt in Tertulliano calumniam, verùm id unum probant dumtaxat, communem Eccleſiæ Catholicæ doctrinam fuiſſe, penès ipſam reſidere auctoritatem & poteſtatem omnia omninò peccatorum genera verè pœnitentibus dimittendi, generalemque Eccleſiarum omnium praxim ita paſſim obtinuiſſe, quæ tamen non ſuſtulit exceptiones quaſdam, nec impedivit quominùs Epiſcopi quidam Africani, Romanaque Eccleſia, atque adeò Zephyrinus ipſe, gravioribus ſceleribus, diſciplinæ ſeverioris causâ, ad peccatores intrà Chriſtianæ legis limites continendos, veniam denegarent, quam tamen omnibus concedere poſſe nuſquam dubitarunt. Africanis Epiſcopis, ac Zephyrino haud minùs ſeveriores extitêre in Hiſpania Patres in Concilio Illyberitano congregati, non paucis editis Canonibus, quibus atrocioribus criminibus, qualia ſunt præſertim idololatria, homicidium & adulterium, denegandam eſſe pœnitentiam decernunt. Porrò Zephyrinum, nec Montani propugnaſſe hæreſim, nec ipſi ullatenùs faviſſe oſtendit Natalis Alexander ſæculo 3. diſſert. 1.

QUINTA ECCLESIÆ PERSECUTIO.

VI. *Perſecutio Sub Severo gravis, & diuturna.*

Zephyrino ſedente, Eccleſia, quæ poſt Marci Aurelii perſecutionem, nonnullâ pace potita fuerat, graviter afflicta fuit, quintam in eam perſecutionem excitante Severo Imperatore, anno Imperii ſui decimo, Chriſti ducenteſimo ſecundo, quâ Chriſtianos uſque ad mortem ſuam, ideſt, uſque ad annum ducenteſimum undecimum, vel vexavit, vel vexari permiſit, quod perinde illis erat. De ea Euſebius lib. 6. cap. 1. *Cùm Severus perſecutionem adversùs Eccleſias excitaſſet, per omnes quidem ubique locorum Eccleſias ab Athletis prò pietate certantibus illuſtria ſunt confecta martyria*. Tum cap. ſeq. *Severo annum imperii decimum agente, cùm perſecutionis ardentiſſimum flagraret incendium, atque innumerabiles martyrio coronarentur, Origenis animum adhuc admodum pueri tanta cupido occupavit martyrii, ut ſe periculis ipſis objiceret*. Annum ætatis decimum ſeptimum tùm agebat Origenes. Leonidem Patrem ad martyrii coronam, quam Alexandriæ obtinuit, literis hortatus eſt. Eâ perſecutione ſæviente S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis cum maxima populi ſui parte Lugduni ſublatus eſt. Felicitas item & Perpetua Martyrium paſſæ ſunt, non quidem apud Tuburbum Mauritaniæ urbem, ut legitur in Martyrologio Romano, ſed Carthagine, ut Proſper in auctiori Chronico, Beda in lib. de Sex ætatibus, Rabanus in Martyrologio, aliique teſtantur, & probat Henricus Valeſius in Præfatione, quam præfixit Actis earumdem Sanctarum Martyrum ab Holſtenio in lucem editis. Ea Acta iterùm contulit cum duobus Codicibus MSS. Ruinartus in Actis ſinceris & ſelectis Martyrum pag. 85. Uno verbo tam acerba fuit hæc perſecutio, ut Judas Scriptor Eccleſiaſticus, qui tunc temporis Commentarios in ſeptuaginta Danielis hebdomadas edidit, Antichriſti adventum ſcripſerit imminere, ut teſtatur Euſebius lib. 6. cap. 7. Duravit autem uſque ad mortem Severi, ſeu, ut jam dixi, annum Chriſti ducenteſimum undecimum.

S. CAL-

Digitized by Google

S. CALLISTUS *Pontif. XVII.*

Anno Domini CCXVII.

I.
S. Calliſtus Eccleſiam trans Tiberim & cœmeterium erigit.

S. Calliſtus, Romanus, Domitii filius, die decimâ ſeptimâ Julii ejuſdem anni ducenteſimi decimi ſeptimi Eccleſiæ præficitur. Eo ſedente, cùm Chriſtiani quemdam locum, qui publicus fuerat, Romæ occupaſſent, contrà popinarii dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit Alexander Imperator melius eſſe, ut quomodocunque illic Deus coleretur, quam popinariis dederetur, quod refert Baronius ex Lampridio, & exiſtimat Calliſtum eo in loco Eccleſiam in honorem partûs Sanctiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ erexiſſe, quæ creditur eſſe Eccleſia Sanctæ Mariæ trans Tiberim, quæ etiamnum extat; in libro enim Pontificali de Calliſto legitur: *Hic fecit Baſilicam trans Tiberim*, & deinde additur: *Et fecit aliud Cœmeterium Viâ Appiâ, ubi multi Sacerdotes, & Martyres requieſcunt, quod appellatur uſque in hodiernum diem Cœmeterium Calliſti*, cujus frequens mentio eſt in Actis Sanctorum, qui ibidem ſepulti ſunt: ideoque verum non eſt, quod à Burneto notatum fuit in literis de Itinere Italico, cœmeteria eſſe Gentilium, & primùm quinto ſæculo Chriſtianos in iis ſepeliri conſueviſſe.

II.
Decretales ipſi falsò attributæ.

Calliſtus Ordinationibus quinque menſe Decembri Presbyteros ſexdecim, Diaconos quatuor creavit, & Epiſcopos per diverſa loca octo: tandemque diuturno carcere detentus, poſt longam famem & quotidiana verbera, è feneſtra domûs, in qua cuſtodiebatur, in puteum præcipitatus, martyrii coronam adeptus eſt die vigeſimâ octavâ Septembris, cùm ſediſſet annos quinque, menſes duos, dies decem, ejus tamen memoria die decimâ quartâ Octobris recolitur, quia eo die, anno ducenteſimo vigeſimo ſecundo, poſt dies decem & ſeptem à die martirii, corpus ejus levatum eſt, & in Cœmeterio Calepodii viâ Aureliâ ſepultum. Decretales duæ Calliſto attribuuntur, quæ à viris Doctis inter ſuppoſititias numerantur. Prior ad Benedictum quemdam Epiſcopum incipit cum verbis Gelaſii Epiſt. 9. *Fraternitatis amore conſtringimur, & Apoſtolico*, &c. habetque varia loca ex Proſpero, Ambroſio, Leone I, Concilio Romano ſub Symmacho, aliiſque deſumpta. Poſterior data eſt ad omnes Galliarum Epiſcopos, incipitque cum verbis Simplicii Papæ Epiſt. 1. *Plurimorum relatu comperimus*, &c.

S. URBANUS *Pontif. XVIII.*

Anno Domini CCXXII.

I.
S. Urbanus Valerianum S. Cæciliæ ſponſum baptizat.

S. Urbanus, natione pariter Romanus, ex Patre Pontiano poſt quinque dierum interpontificium, ideòque ineunte Octobri ejuſdem anni ducenteſimi vigeſimi ſecundi, Calliſto ſucceſsor datus, ita ſe geſsit in Epiſcopatu, ut Chriſtianum nomen longè latèque diffuderit per orbem terræ; Valerianum enim clariſsimæ virginis Cæciliæ ſponſum, necnon et plures nobiles Romanos, inter eos autem Tiburtium Valeriani fratrem, & Maximum cubiculi Imperatoris Præfectum baptizavit, eoſque omnes ad martyrii gloriam hortationibus ſuis perduxit. Martyrio & ipſe coronatus eſt die vigeſimâ quartâ Maii anni ducenteſimi trigeſimi, poſt Sedem annorum ſeptem, menſium ſeptem & aliquot dierum, ſepultus in Cœmeterio Prætextati viâ Appiâ.

II.
Decretalis ejus ſpuria.

Ordinationes quinque menſe Decembri fecit Presbyterorum novem & Diaconorum quinque: Epiſcopos verò per diverſa loca octo creavit. Ejus Reliquiæ in magna ſemper veneratione Romæ fuere; Gregorius enim Papa hujus nominis tertius, anno DCCXXXI Pontifex Romanus dictus, *Cœmeterium beatorum Martyrum Januarii, Urbani, Tiburtii, Valeriani, atque Maximi, & eorum tectum in ruinis poſitum de novo perfecit*, inquit Anaſtaſius Bibliothecarius, & Sanctus Paſchalis Papa hujus nominis primus, anno DCCCXVII Papa creatus, ejuſdem S. Urbani & aliorum Martyrum corpora ſub Sacro Altari collocavit, ut idem Anaſtaſius refert. Ejus martyrii Acta legenda apud Bollandum ad diem XXV menſis Maji. Unica decretalis ei attribuitur, eaque ad omnes Chriſtianos ſcripta, ſed cùm conſarcinata ſit ex teſtimoniis Pomerii, Iſidori, Eucherii, aliorumque, non poteſt non eſſe ſuppoſititia.

III.
Primus vaſa ſacra non fecit argentea.

Urbanum feciſſe omnia miniſteria ſacrata argentea, & patenas argenteas XXV appoſuiſſe narrat libri Pontificalis Auctor: hinc tamen non inferendum, ut quidam per-

Digitized by Google

SÆC. III. S. URBANUS. perperam faciunt, tunc primùm ex argento cuſos calices fuiſſe. Nam liber Pontificalis refert quid Urbanus fecerit, quid verò ab aliis ante ipſum factum ſit, & quibus vaſis uſi ſint, non dicit. Ita rectè Cardinalis Bona Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 25. num. 2. qui, memoriæ ſine dubio lapſu, addit contrarium erui ex facto Sancti Laurentii martyris, qui integro ferè ante Urbanum ſæculo vaſa ſacramentorum Eccleſiæ in uſus pauperum vendidit. Nam Laurentius poſt Urbanum primum vixit, cùm fuerit Diaconus Sixti ſecundi, annoque tantùm ducenteſimo quinquageſimo octavo martyrium ſubierit. Ibidem tamen idem Cardinalis de Calice ejuſque origine, materiâ, & formâ aliiſque Eccleſiæ vaſis doctè & fusè agit, ſcribitque ex Apoſtolorum pietate & maximâ veneratione, quâ divina myſteria corporis & ſanguinis Chriſti proſequebantur, non levi conjecturâ inferri poſſe, eos curaſſe ut vaſa ſacra ex pretioſo metallo fabricarentur. SÆC. III. S. URBANUS.

S. PONTIANUS *Pont. XIX.*

Anno Domini CCXXX.

I. *S. Pontiani Pontificatum abdicat.* S. Pontianus, natione Romanus, ex patre Calpurnio, die vigeſimâ ſecundâ menſis Junii ejuſdem anni ducenteſimi trigeſimi Romanus Pontifex dictus eſt, ſed aliquâ potiùs, ut creditur, calumniâ circumventus, quàm Chriſtianæ religionis causâ, ab Alexandro Imperatore, unà cum Hyppolito presbytero in Inſulam Sardiniam relegatus, die XXVIII Septembris anni CCXXXV Pontificatum abdicavit, poſtquam ſediſſet annos quinque, menſes tres & dies ſeptem. Tum, Maximini Imperatoris mandato, fuſtibus verberatus martyrium conſummavit die decimanonâ menſis Novembris ejuſdem anni, cujus corpus poſteà à Fabiano Papa Romam translatum eſt, & in Cœmeterio Calliſti ſepultum. Duas menſe Decembri ordinationes habuit, Presbyterorum ſex, Diaconorum quinque, Epiſcoporum per diverſa loca ſex. Pontiano Decretales duæ adſcribuntur, quæ cum ex Gregorii magni & Sixti præſertim laciniis conſutæ ſint, viris doctis ſuppoſititiæ reputantur.

SEXTA ECCLESIÆ PERSECUTIO.

II. *Perſecutio ſub Maxi-* Severo Imperatore mortuo, Chriſtianis pax reddita eſt, ut habet Sulpitius Severus, qui ubi de ejus morte locutus eſt, ait: *Interjectis deinde annis VIII & XXX pax Chriſtianis fuit, niſi quòd medio tempore Maximinus nonnullarum Eccleſiarum Clericos vexavit*, ab anno autem CCXI, Severi emortuali, ad annum CCXLIX, quo Decius ſeptimam perſecutionem inſtauravit, anni XXXVIII. interjiciuntur. Ideo autem Sulpitius tam jejunè de perſecutione à Maximino Imperatore excitata, loquitur, quia ea non fuit univerſalis, ſed tantùm localis; Firmilianus enim Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus in Epiſtola ad Cyprianum, loquens de Maximini perſecutione, & de fidelibus hùc atque illùc fugientibus, ait: *Erat tranſeundi facultas, eò quòd perſecutio illa non per totum Mundum, ſed localis fuiſſet*. In ea perſecutione Pontianus Romanus Pontifex martyrium ſubiit, ut jam dictum eſt. Legendus Euſebius lib. 6. cap. 28. ubi ſcribit, Maximinum hanc perſecutionem excitaſſe, gravi odio ſuccenſum adversùs familiam Alexandri Imperatoris, in qua plerique erant Chriſtiani, & poſtea ſubdit: *Quo tempore Origenes librum* de martyrio *compoſuit*, quem *Ambroſio & Prototecto Cæſarienſis Eccleſiæ presbytero dedicavit*. Liber ille Origenis de exhortatione ad martyrium à paucis annis Baſileæ prodiit. *mino non fuit univerſalis.*

S. ANTERUS *Pontif. XX.*

Anno Domini CCXXXV.

I. *S. Anteri Pontificatus brevis.* S. Anterus, natione Græcus, ex patre Romulo, die vigeſimâ primâ Novembris ejuſdem anni ducenteſimi trigeſimi quinti ordinatus eſt. Poſtquam menſem unum & dies tredecim ſediſſet, martyrio coronatus eſt à Maximo Præfecto, quòd geſta Martyrum diligenter à Notariis exquiſiviſſet, & in Eccleſia recondidiſſet, ſi Auctori libri Pontificalis fides ſit adhibenda: & quidem tertia Januarii anni 236 Epiſcopum unum creavit, in Civitate Fundis Campaniæ per menſem Decembrem, ut

SÆC. III. S. ANTERUS.

ut videre eſt in Leone II num. XIV.

II. *Decretalis ipſi adſcripta.*

Unica Epiſtola Antero attribuitur, ſcripta ad Epiſcopos Provinciarum Boeticæ & Toletanæ de mutatione Epiſcoporum, de qua Antonius Auguſtinus cap. 62. collectionis Hadriani I, ait, ſuſpectum nomen eſſe Toletanæ Provinciæ, cùm illis temporibus Toletum oppidum fuerit minùs nobile. Præterea incipit cum verbis Siricii Papæ Epiſtola 2. *Optarem, fratres Chariſſimi, ſemper dilectionis & pacis veſtræ* &c. continetque plura teſtimonia ex Ennodio, & inſignem locum ex Divo Hieronymo, qui incipit: *Habent omnes ſimplicitatem columbæ.*

S. FABIANUS *Pontif. XXI.*

Anno Domini CCXXXVI.

I. *S. Fabianus divinitùs electus.*

S. Fabianus, Romanus, patre Fabio, poſt octo dierum interpontificium ſubrogatus eſt in locum Anteri die undecimâ Januarii ejuſdem anni ducenteſimi trigeſimi ſexti, eumque divinitùs electum, dum in ipſis fidelium Comitiis derepentè columba è ſublimi devolans, ejus capiti inſedit, auctor eſt Euſebius Hiſtoriæ Eccleſiaſt. lib. 6. cap. 29. Cùm olim Sanctus Clemens ſeptem Notarios inſtituiſſet, ut celeriter exciperent verborum notis geſta dictaque Martyrum, jam Fabianus, inquit Baronius, conſiderans hanc ſcribendi rationem eſſe valdè obſcuram, ideò ſeptem Notariis totidem præfecit Subdiaconos, qui curarent literis integrè perſcribi, quod notis compendiosè exceptum antea erat; dicente Anaſtaſio, ad hoc Fabianum feciſſe *ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem Notariis imminerent, ut geſta Martyrum in integro colligerent.* Per multa ſæcula perſeveravit, ut ſeptem tantùm in Eccleſia Romana Diaconi miniſtrarent, quibus Fabianus illud muneris addidit, ut quatuordecim Urbis regionibus præeſſent, ſingulis binas aſſignans, ut pauperum in eis degentium curam gererent; unde eſt nomen ex munere inditum, ut iidem *Diaconi Regionarii* dicerentur. Fabianus Chriſtianam Religionem propagare, propagatamque ædificiis illuſtrare ſtuduit, unde idem Anaſtaſius ait, eum multa ædificia in cœmeteriis fieri juſſiſſe: quippe in cryptis arenariis ſubter terram latebant ſepulchra Sanctorum Martyrum, in quibus ſynaxes à fidelibus habebantur, quæ deinceps à fidelibus, orandi causâ, frequentatæ ſunt. Privatum hæreticum, à Concilio Africano XC Epiſcoporum condemnatum, Ecclaſiaſticâ communione privavit. Tandem Imperator Decius, Dei Sacerdotibus infenſus, S. Fabianum morte affecit die vigeſimâ Januarii anni CCL poſtquam ſediſſet annos quatuordecim, dies decem; & quinque ordinationes feciſſet Presbyterorum XXII & Diaconorum VIII, ac inſuper Epiſcopos XI per diverſa loca creaſſet, ſepultus in Cœmeterio Calliſti Viâ Appiâ.

II. *Philippos Impp. non baptizavit.*

Euſebius in Hiſtoria lib. 6. cap. 34. & in Chronico ſcribit, Philippum Imperatorem cum Philippo filio Chriſtianum fuiſſe, & Acta Sancti Pontii Martyris docent, Fabianum Papam ambos illos Imperatores baptizaſſe, quibus fidem adhibuit Baronius & poſt eum plures celebres Scriptores, inter quos Petrus Daniel Huetius Epiſcopus Abricatenſis lib. 1. Origenianorum cap. 3. qui Euſebio & Auctori Actorum Sancti Pontii, addunt Paulum Oroſium lib. 7. cap. 13. Vincentium Lirinenſem lib. adversùs Hæreſes cap. 23. & ante eos Divum Hieronymum lib. de Script. Eccleſiaſt. cùm de Origene loquitur. Sed verior videtur opinio Annotatoris Baronii contrarium ſentientis. Conſtat enim ex Lactantio, Euſebio coævo, & Criſpi Conſtantini M. filii præceptore, in procemio lib. 1. de Inſtitut. cap. 1. Conſtantinum, primum ex Imperatoribus Chriſto nomen dediſſe: *Hoc opus*, inquit, *nunc nominis tui auſpicio inchoamus, Conſtantine Imperator maxime, qui primus Romanorum Principum repudiatis erroribus, Majeſtatem Dei ſingularis, ac veri, & cognoviſti & honoraſti.* Idem ſcribit Anonymus Auctor vitæ Sancti Pachomii Abbatis, qui ſæculo quarto etiam vixit, in eâ quippe capite primo ait: *Cùm finem accepiſſet perſecutio, regnavit Conſtantinus M. Imperatorum Romanorum primus Chriſtianus, &c.* Eadem ferè verba habent Ambroſius in funere Theodoſii Magni, & Sulpicius Severus, qui anno quadringenteſimo duos ſacræ Hiſtoriæ libros publicavit; ſicuti & Theodoretus lib 5. cap. 39. ubi utriuſque Philippi converſionem his verbis explodit: *Ante Conſtantini maximi principatum quotquot Romani Imperatores fuerunt adversùs pietatis cultores furere non deſtiterunt.* Præterea Ethnicorum Auctorum de novâ ab iis Imperatoribus ſusceptâ religione ſilentium, & multorum inſuper, tum Chriſtianorum, præter jam laudatos, tum Ethnicorum conſenſus, à quibus primus inter Imperatores Chriſtum profeſſos celebratur Conſtantinus, jure meritò convincunt, ambos Philippos à Chriſtianis partibus fuiſse alienos. Certè ſi

Digitized by Google

ſi fidem profeſsi fuiſſent, veriſimile non eſt, tacituros id fuiſſe Ethnicos Scriptores.

Ad hæc reſpondet Huetius initiatum Chriſti ſacris à Fabiano Papa fuiſſe Philippū, ſed occultè, idque clam Ethnicos habuiſſe, ne quid inde res ſuæ detrimenti caperent, quas priſtinæ religionis ejuratæ fama forſitan conturbaſſet. Sed hæc reſponſio directè adverſatur Euſebio, qui in Hiſtoria ſcribit, Philippum publicè in Eccleſiam à Babyla Epiſcopo Antiocheno admiſſum, precationum participem fuiſſe factum, poſtquam crimina confeſſus in pœnitentium ordinem redactus eſt. Nec eſt quod dicat Huetius, Euſebium id à Babyla factum ex incerta auditione retuliſſe, cùm dicat, *fama eſt*; ſi enim id fama ferebat, ex eo oppoſitum ejus ſententiæ convincitur, Philippum ſcilicet non fuiſſe *occultè* Chriſtianum, ſed converſionem ejus omnibus innotuiſſe. Deinde non conveniunt Baronius & Huetius, quo tempore Philippus Chriſti doctrinam amplexus ſit. Baronius id contigiſſe dicit, cùm Sæculares ludos exhibuit, anno ſcilicet 247; Huetius verò ſub ipſa imperii initia, ideoque anno 244, quo Antiochiæ erat. At neutrum dici poteſt; non quidem primum, conſtat enim, ut mox oſtendetur, Philippum more Ethnicorum Imperatorum Ludos Sæculares celebraſſe: nec etiam ſecundum, cum ipſemet Huetius ex hoc fateri cogeretur, eum poſtea iterùm ad vomitum rediiſſe, aſcendendo Capitolium & victimas immolando, quod utrumque fecit anno 247 in Sæcularibus Ludis. Ex quibus ſequitur Philippum, nec imperii ſui initio, nec antequam Ludos Sæculares exhiberet, Chriſto nomen dediſſe.

III. *Philipporum converſio dici non poteſt occulta.*

Baronium & Huetium ad Euſebii opinionem tuendam pertraxiſſe videntur Acta Sancti Pontii Martyris, à Stephano Baluzio poſtea ex tribus Codicibus MSS. Bibliothecæ Colbertinæ lib. 2. Miſcellaneorum publicata. Sed Annotator Baronii ea longè poſt S. Pontii Martyrium ſcripta fuiſſe, & Scriptori coætaneo aſſicta probat; unde Baronius ipſe fatetur, plura in iis Actis contenta deſiderari apud Mombritium, ſeque putare, ea ab aliquo fuiſſe addita. At ea non ſolùm eſſe fabuloſa, ſed etiam eſſe Auctoris Actorum, non verò alicujus Interpolatoris, demonſtrant editiones Baluzii & Bollandi, qui ad diem 14. Maii ea etiam publicavit, ad fidem MSS. concinnatæ. Ex iis itaque Actis nihil hanc in rem erui poteſt. Quod attinet ad Euſebium, vel ejus Hiſtoria ab aliquo eſt interpolata, ſicut ejus Chronicon ab Hieronymo, vel certè falſis rumoribus deceptus eſt. In Chronico enim ſupponit in celebratione Ludorum Sæcularium Philippi plura gentilitatem redolentia peracta eſſe, quod manifeſtè repugnat narrationi libri ſexti ejus Hiſtoriæ. Quoad Vincentium Lirinenſem, Caſſiodorum & alios, qui Philippum Chriſtianum fuiſſe, perſuaſum habuere, illi in errorem tracti ſunt à Paulo Oroſio, qui & ipſe deceptus eſt, ut ſtatim oſtendo.

IV. *Acta S. Pontii in multis fabuloſa.*

Ejus verba loco laudato hæc ſunt: *Ludis magnificis auguſtiſſimus omnium præteritorum hic natalis* (nempe urbis Romæ) *annus à Chriſtiano Imperatore celebratus eſt. Nec dubium eſt, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam & honorem ad Chriſtum, & ad Eccleſiam reportarit: quando vel aſcenſum fuiſſe ab eo capitolium, immolataſque ex more hoſtias, nullus Auctor oſtendit;* hæc enim erant indicia gentilitiæ ſuperſtitionis. Quare cum crederet Oroſius, ea ſpectacula Chriſtianis prohibita à Philippo omiſſa in ſuis Ludis Sæcularibus, cum Chriſtianum fuiſſe ſibi & aliis perſuaſit. Verùm hallucinatur Oroſius; nam Victor de Cæſaribus cap. 28. diſertè docet in Ludis Sæcularibus Philippi immolatas fuiſſe victimas: *Cùm Pontificum lege*, inquit, *hoſtiæ mactarentur, ſuis utero maris, fœminarum genitalia apparuere. Id aruſpices ſolutionem poſterorum portendere, vitiaque fore potiora interpretati: quod fruſtratum iri æſtimans Imperator Philippus, tum quia fortè prætereens filii ſimilem pro merito ephebum conſpexerat, uſum virilis ſcorti removendum honeſtiſſime curavit.* Ex quibus apparet in Ludis Sæcularibus Philippi *ſuem* impuriſſimum animal mactatum fuiſſe, exemplo Severi Imperatoris, qui in ſuis Sæcularibus Ludis *porcam* immolarat, ut ex ejus nummis conſtat. Similia ſcribit Euſebius in Chronico, ubi habet: *Regnantibus Philippis milleſimus annus Romanæ urbis expletus eſt, ob quam ſolemnitatem innumerabiles beſtiæ in Circo magno interfectæ, Ludique in campo Martio theatrales, tribus diebus ac noctibus, populo pervigilante celebrati.* Quibus ex verbis etiam deducitur Philippum in Capitolium aſcendiſſe; quia ut tradit Zoſimus lib. 2. conſcenſo capitolio, & conſuetis ibidem immolatis hoſtiis, ad conſtructum inde theatrum progreſſus fiebat, & Apollini ac Dianæ Ludi dedicati edebantur, ut oſtendit Blondellus in libro contra primatum Eccleſiæ. Tandem omnia ſpectacula, quæ Chriſtianis interdicta erant, in Ludis à Philippo editis repræſentata fuiſſe, indicat etiam Capitolinus in Gordiano Juniori cap. 33. *Fuerunt ſub Gordiano*, inquit, *Romæ Elephanti triginta & duo, quorum ipſe duodecim miſerat, Alexander decem: alces decem: tigres decem, &c. quæ omnia Philippus Ludis Sæcularibus vel dedit, vel occidit.*

V. *Philipporum converſio deſtruitur ex Sæcularibus Ludis ab iis editis.*

Non ex Scriptoribus tantùm, tum Chriſtianis, tum Ethnicis, ſed & ex ipſis numiſmatibus habemus, Philippum in Ludorum ſecularium celebratione nihil immutaſſe, ſed quæcumque in præcedentibus geſta fue-

VI. *Item ex nummis tunc percuſſis.*

SÆC. III. S. FABIANUS.

fuerant, ſervaſſe. Angelonius pag. 308. ejus nummum exhibet, in cujus poſtica ſcriptum eſt, SÆCULUM NOVUM, & repræſentatur Templum quatuor columnarum cum ara, circa quam quinque figuræ ſacrificantes. Spanhemius fol. 853. alium producit, in quo etiam habetur, SÆCULUM NOVUM, & exhibentur ſeptem figuræ ſacrificantes. Tandem Mediobarbus in Numiſmatis Impp. recitat inſcriptionem nummi Philippi ſenioris, quæ ſic habet: P. M. Tr. P. IIII. Coſ. P. P. ideſt, Pontifex Maximus, Tribunitiæ Poteſtatis IV, Conſul, Pater patriæ, in eoque viſitur figura ſacrificans ad aram: Tribunitiam autem poteſtatem IV jam menſe Martio anni CCXLVII, quo Ludi ſæculares exhibiti, jam gerebat Philippus ſenior. Plura alia ſuperſunt Numiſmata, in quibus gentilitiæ ſuperſtitionis ab utroque Philippo profeſſæ certa veſtigia extant, quæ hic brevitatis gratiâ omitto, cùm ex his & Auctoribus laudatis, clarè appareat, eos Imperatores gentiles fuiſſe, & conſequenter tam Oroſium, quàm alios contrarium ſcribentes, deceptos eſſe.

VII. Litera Origenis ad Philippum non probans ejus converſionem.

Neque contra noſtram opinionem facit, quod prodit idem Euſebius lib. 6. cap. 36. ubi de libris ab Origene compoſitis mentionem facit: *Extat*, inquit, *ejus Epiſtola ad Imperatorem ipſum Philippum, & altera ad conjugem illius Severam*, quibus ex verbis Baronius & Huetius deducunt, Euſebium facilè intelligere potuiſſe, an verè Philippus Imperator Chriſtianus eſſet. Nam Euſebius non aſſerit ſe ſe eas Epiſtolas legiſſe, et ſi verè Philippus ejuſque conjux literas illas acceperint, non inde magis ſequitur eos Chriſtianos fuiſſe, quàm Antoninum Imperatorem Evangelio credidiſſe, quòd ad eum Juſtinus Martyr ſcripſerit. Denique major fides non videtur adhibenda Euſebio, Philippum Imp. Chriſtianum facienti, quàm eidem lib. 1. Hiſt. cap. 13. affirmanti *Abgarum* Edeſſenorum Regem, auditis Chriſti miraculis, ad ipſum literas dediſſe, & Chriſtum mutuas ad eum literas ſcripſiſſe, quibus ſe miſſurum ad ipſum unum ex Apoſtolis ſuis pollicitus eſt, miſſumque narrat à Thoma Apoſtolo Thadæum unum ex LXX diſcipulis, qui Servatoris promiſſa impleret. Neque enim minùs ſuppoſititia Philippi Imperatoris pœnitentia ab Euſebio narrata, quàm duæ Epiſtolæ Abgari ad Jeſum & Jeſu ad Abgarum, quam utramque Gelaſius Papa in decreto de libris apocryphis, inter libros apocryphos recenſet. Nec etiam major fides Hieronymi de converſione Philippi loquentis, quàm cum in lib. de Script. Eccleſiaſticis de Seneca ſcribit: *Quem non ponerem in catalogo Sanctorum, niſi me illæ Epiſtolæ provocarent, quæ leguntur à plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum.* Priores Chriſtiani, inquit Annotator Baronii, fidei noſtræ promovendæ toti addicti, & ſummo animi candore præditi, ſe ſe ſæpe nimis faciles in iis, quæ religioni favebant, præbuerunt, ut innumera exempla demonſtrant.

SÆC. III. S. FABIANUS.

VIII. Ejus converſio malè etiam poſt Ludos rejicetur.

Non me fugit reſponderi poſſe Philippum factum eſſe Chriſtianum poſt exhibitos Ludos ſæculares. Sed id repugnat Euſebio laudato in Hiſtoria ſupponente eum Antiochiæ ipſo Imperii initio pœnitentiam egiſſe, ubi Huetius obſervat, poſtea Philippum eò ſe ſe nuſquam contuliſſe; & Actis S. Pontii, quæ eum converſum dicunt, *cùm diis ſuis ſacrificandum pergere* vellet ad celebrationem milleſimi anni Urbis; & tandem Paulo Oroſio, cujus verba mox recitavimus. Cùm ergo hæc opinio nullius Auctoris teſtimonio nitatur, aliis duobus prioribus abſurdior videretur. Utrumque itaque Philippum à Fabiano Papa, vel à quovis alio baptizatum, purum figmentum eſſe non dubito.

IX. Decretales pſeudigraphæ.

Tres circumferuntur Fabiani Epiſtolæ Pſeudigraphæ omnium virorum doctorum judicio. Prima eſt, *Dilectiſſimis ubique Catholicæ Eccleſiæ comminiſtris*, incipitque cum verbis Leonis Epiſt. 4. *divinis præceptis & Apoſtolicis* &c. Secunda, *omnibus Orientalibus Epiſcopis, & cunctis plebibus*, incipitque cum verbis Zoſimi Papæ Epiſt. I. *exigit dilectio veſtra*, &c. Tertia denique, *Dilectiſſimo fratri Hilario Epiſcopo*, incipitque cum verbis Hilarii Papæ Epiſt. 3. *Divinæ circa nos gratiæ memores*, &c. Plura alia in iis deprehenduntur ſuppoſitionis argumenta. Suppoſititia pariter quæcunque a Gratiano veluti Fabiani decreta laudantur. Poſt Martyrium S. Fabiani ob atrociſſimam Imperatoris Decii perſecutionem ſedes vacavit annum unum cum aliquot menſibus.

SEPTIMA ECCLESIÆ PERSECUTIO.

X. Perſecutio excitatur à Decio Imp.

Decius Imperator, occiſis duobus Philippis, in Imperio confirmatus, graviſſimam perſecutionem, circa finem anni ducenteſimi quadrageſimi noni, molitus eſt, in qua paſſus eſt S. Fabianus Romanus Pontifex; paſſa eſt & S. Agatha in Sicilia. Multorum fidelium in ea perſecutione lapſus luxit Eccleſia, ut conſtat ex Sancto Cypriano variis in Epiſtolis & libro *de lapſis*, quem poſt Decii interitum compoſuit. Hujus perſecutionis meminit S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, in Epiſtola ad Fabium Antiochenum apud Euſebium lib. 6. cap. 1 Obſervandum tamen Martyres, de quibus Dionyſius in dicta Epiſtola loquitur, paſſos non eſſe ſub Decio, ſed Philippo imperante, anno nempe CCXLVIII,

D quo

Digitized by Google

quo Alexandriæ orta perſecutio ex motu populari, quales motus eâ in urbe frequentes erant. Serapio itaque, Apollonia virgo, aliique, de quibus in dicta Epiſtola, non ſub Decio, ſed ſub Philippo morte affecti, licèt in Martyrologiis eorum paſſio ſub Decio referatur; quod factum, quia perſecutionem ſub Philippo & Decio motam, Antiqui pro unica reputarunt. In hac Decii perſecutione Origenem lapſum, contra Baronium & Valeſium probant Petavius in animadverſionibus ad Epiphanium & alibi, atque Huetius lib. 1. Origenianorum apud Pagium in Critica Baronii, ad annum CCLI.

XI. *A Gallo & Voluſiano continuatur.* Mortuo Decio, Gallus & Voluſianus Imperatores, iterùm perſecutionem excitarunt, ſed cùm ea localis fuerit, & Romæ tantùm locum habuerit, neque Euſebius in Chronico, neque D. Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 51. neque Sulpitius Severus eam numerarunt, neque Euſebius in Hiſtoria Martyres ſub Gallo & Voluſiano paſſos memoravit, Imò Oroſius qui lib. 7. decem perſecutiones, quibus Eccleſia afflicta, cum decem plagis, quibus percuſſa eſt Ægyptus, confert, ſeptimam plagam ſub Gallo & Voluſiano deducit ex peſtilentia, quæ omne propemodum genus hominum & pecudum neci dedit, non verò ex tormentis fidelibus inflictis. Legendum cap. 14. ejuſdem libri. Ideò porrò hæc perſecutio localis tantùm fuit, neque in Oriente aut Africâ locum habuit, ut probat Annotator Baronii ad annum 252. quia cùm Galli imperium breve fuerit, totieſque Barbari in Romanorum terras irruerint, conjectandi locus eſt omnium provinciarum Imperii Romani Præfectos, potiùs in propriam conſervationem & populorum quietem, quàm in Chriſtianorum perniciem intentos fuiſſe, ut advertit Lombertus in Præfatione ad Opera S. Cypriani.

S. CORNELIUS *Pontif. XXII.*

Anno Domini CCLI.

I. *S. Cornelius Novatianum damnat.* S. Cornelius, Caſtini filius, Romanus, die tantùm quartâ Junii anni ducenteſimi quinquageſimiprimi Eccleſię Romanæ adminiſtrationem ſuſcepit. Sanctus Cyprianus Epiſtolâ 52 ad Antonianum, poſtquam dixit Cornelium vim paſſum eſſe, ut Epiſcopus fieret, de illius electione hæc ſubdit: *Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti ejus judicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio; cùm nemo ante ſe factus eſſet, cùm Fabiani locus, ideſt, cùm locus Petri, & gradus cathedræ ſacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium noſtrûm conſenſione firmato; quiſquis jam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat Eccleſiaſticam ordinationem, qui Eccleſiæ non tenet unitatem. Quiſquis ille fuerit, licèt multum de ſe jactans, & ſibi plurimùm vendicans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt. Et cùm poſt primum ſecundus eſſe non poſſit; quiſquis poſt unum, qui ſolus eſſe debeat, factus eſt, non ſecundus ille, ſed nullus eſt*. Novatianus Presbyter Romanus, qui ex Philoſophiâ & dicendi peritiâ magnum faſtum ſibi comparaverat, ob Cornelii electionem invidiæ ſtimulis agitatus, cœpit unà cum Novato Presbytero Africano, adversùs eundem Cornelium agere, & multa de eo falſa jactare, adeò ut nonnullos ex Confeſſoribus, qui in nupera perſecutione vincula ſuſtinuiſſent, in partes ſuas traxerit, & per tres rudiores, & ſimpliciores Epiſcopos, vi & fraude ad hoc adactos, clanculùm ordinatus fuerit Epiſcopus Romanus, ſicque omnium primus Eccleſiam Romanam turpi ſchiſmate ſcindere auſus eſt. Quare Cornelius menſe Octobri Synodum Romæ convocavit ſexaginta Epiſcoporum, & multo plurium Presbyterorum & Diaconorum, in qua Novatianus cum ſuis anathemate percuſſus, & aliquo poſt tempore Confeſſores jam antea lapſos ad pacem Eccleſiæ recepit, qua de re ad Fabium Antiochenum Epiſcopum literas dedit, quarum inſigne fragmentum extat apud Euſebium lib. 6. cap. 43.

II. *A Gallo Imp. in exilium mittitur.* Sed cùm poſteà Romæ aræ ubique fumarent, & Chriſtiani Diis ſacrificare recuſarent, Cornelius circa menſem Julium anni CCLII, à Gallo Imperatore Centumcellas in exilium miſſus, ut ex Chronico Damaſi liquet. Ibi accepit literas Sancti Cypriani Carthaginenſis Epiſcopi, quibus hic Sanctus ſe oſtendit incredibili lætitiâ exultare, propter glorioſam confeſſionem Cornelii & fratrum, ac præcipuè lapſorum, qui reſtituti, in hoc agone ſteterunt fortes & inſuperabiles. Novatianus enim & ſocii Cornelium Papam diffamabant, quòd eos, qui idolis ſacrificaverant, pœnitentes in Eccleſiæ communionem ſuſcepiſſet, contendens lapſis, & immundis ſacrificiis coinquinatis, quamquam eos dignè pœnituiſſet, ſpem omninò Eccleſiaſticæ communionis denegandam, Deo ejuſ-

modi

Digitized by Google

SÆC. III. S. CORNELIUS.

modi cauſam remittens, qui ſolus peccata dimittere poteſt. Porrò diù contra Cornelium & ejus ſucceſſores Romæ Epiſcopus fuit è Secta Novatiani, à quo Novatianorum hæreſis manavit, ſcilicet uſque ad Cœleſtini Pontificatum, à quo deinceps publicè Epiſcopum habere prohibiti ſunt, ut Auctor eſt Socrates lib. 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 11.

III. *Ejus Epiſtolæ duæ, & acta ſuppoſititia.*

Sanctus hic Pontifex ſub Gallo & Voluſiano, Centumcellis in exilio obiit die decimâ quartâ Septembris ejuſdem anni 252 poſtquam annum unum, menſes tres, & dies aliquot ſediſſet; factis menſe Decembri duabus ordinationibus, Presbyterorum IV, Diaconorum IV; Epiſcopos inſuper ſeptem per diverſa loca creavit. Acta, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, ſuppoſititia ſunt & adulterina, ſicuti & duæ ejus Epiſtolæ, quarum prima eſt, *Chariſſimis atque dilectiſſimis fratribus ſanctæ Dei Eccleſiæ filiis*, &c. Secunda, *Rufo Epiſcopo*: utraque enim falsâ Conſulum notâ inſignitur, & conſuta eſt ex variis ſententiis Leonis, & Martini primi, ac Conciliorum ipſo poſteriorum. Epiſtolæ tamen ejus, quæ extant inter opera S. Cypriani, legitimæ ſunt & ſinceræ, ſicuti & ejus ad Lupicinum Epiſcopum Viennenſem Epiſtola. De Translatione factâ per Sanctum Cornelium Corporum Sanctorum Petri & Pauli, quam meritò rejicit Baronius, lege dicenda in Sixto II.

Initium Schiſmatis Novatianorum & Concilia contra eos, ſedente Cornelio celebrata.

IV. *Novatianus primum ſchiſma in Eccleſia Romana conflat.*

Novatus Presbyter Carthaginenſis, graviſſimorum criminum reus, cùm ſe propediem ab Epiſcopis damnandum prævideret, Romam furtim profectus eſt, ubi Novatiano Presbytero Romano conflandi ſchiſmatis auctor fuit. Novatianus quondam energumenus, in lecto baptizatus urgente morbo, cum convaluiſset, cæremonias baptiſmi in ſe ſuppleri nequaquam curavit, nec Sacramentum Confirmationis, quod ex Eccleſiæ diſciplina, ſtatim poſt Baptiſma conferebatur, ſuſcepit. Aliquanto tempore elapſo, Presbyter factus eſt, Epiſcopo de regulis Eccleſiaſticis cum ipſo diſpenſante, quæ prohibebant, ad Clerum eos promoveri, qui in lecto baptizati eſſent. Hæc & plura alia de eo narrat Sanctus Cornelius in Epiſtola ad Fabium Antiochenum, cujus fragmentum refert Euſebius lib. 6. cap. 43. ubi & aperit, quibus artibus Epiſcopatum invaſerit. Novatianus factus Antipapa ad Sanctum Cyprianum Epiſcopum Carthaginenſem Legatos miſit; at Cyprianus nec ejus ordinationem approbavit, nec cum ſchiſmaticis communicavit.

V. *Novatianorum errores.*

Error palmaris Novatiani & Novatianorum in eo poſitus erat, quòd negarent, ut jam dictum eſt, Eccleſiam lapſis in perſecutione indulgere poſſe: deinde cæteris etiam criminibus poſt baptiſmum commiſſis nullam ab ea tribui poſſe veniam aſſererent. Eos qui à Catholicis ad illorum ſectam deficiebant, rebaptizabant. Secundas nuptias damnabant, & bigamos à communione ſua arcebant in perpetuum. In adminiſtratione Baptiſmatis, Chriſmatis delibutionem non adhibebant. Tandem celebrationem Paſchatis, lunâ ipsâ decimâ quartâ vel Dominicâ proximè ſequente, velut rem indifferentem ſtatuerunt in Concilio Angari, Siricio Papâ ſedente, celebrato: ex quibus patet Novatianos hæreſim cum ſchiſmate conjunxiſſe.

VI. *Concilia contra eos celebrata.*

Præter Concilium Romanum à Sancto Cornelio, menſe Octobri anni ducenteſimi quinquageſimi primi contra Novatianum & ſequaces celebratum, de quo ſuperiùs, aliud à Sancto Cypriano Carthagine, menſe Majo anni ducenteſimi quinquageſimi ſecundi coactum, in quo definitum eſt, lapſis dandam eſſe pacem, peractâ pœnitentiâ plenâ & diuturnâ. Tandem poſt mortem Fabii Antiocheni Epiſcopi, qui Novatiani partibus nimis favebat, Demetrianus ejus ſucceſſor eodem anno ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, Synodum contra Novatianum celebravit, cujus meminit Libellus Synodicus. Quod autem aliqui Scriptores tradunt, aliud Concilium in Italia contra eumdem Antipapam coactum eſſe ſub Cornelio, nullibi id legitur; ſed ſolùm, quia non pauci in Italia Epiſcopi Concilio Romano minimè interfuerant, Cornelium eorum quoque ſententias ſeorſim poſtulaſſe, unde Concilium Italicum ex Hieronymo conflatum eſt.

Digitized by Google

S. LUCIUS *Pontif. XXIII.*

Anno Domini CCLII.

I. *S. Lucius moritur Confeſſor.*

S. Lucius, natione Romanus, Porphyrii filius, Sanctum Cornelium excepit, ordinatus circa diem vigeſimum quintum Septembris ejuſdem anni ducenteſimi quinquageſimi ſecundi. Sed cùm Gallus Imperator, eum non minùs fortiter, quàm Cornelium, confeſſionem nominis facere, & plebem ad moriendum pro fide Chriſtianâ impellere videret, illum etiam pari exilio mulctavit, à quo non multò pòſt reverſus, ſi Auctori libri Pontificalis fides, Conſtituit, ut duo Presbyteri, & Diaconi tres ubique locorum Epiſcopum comitarentur, ejus vitæ & actionum teſtes. Sanctus Cyprianus tùm ordinationis, tùm confeſſionis Lucii certior factus, cum collegis ſuis literas communicatorias ad eum ſtatim dedit: priores quidem non ſuperſunt, ſed earum diſertè meminit ipſe Cyprianus in exordio Epiſtolæ ad eumdem poſt reditum miſſæ: *Et nuper quidem tibi, frater cariſſime, gratulati ſumus, cùm te honore geminato in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione, Confeſſorem pariter & Sacerdotem conſtituit Divina dignatio.*

Lucius ordinationes duas menſe Decembri habuit, quibus creavit Presbyteros quatuor & Diaconos totidem: Epiſcopos verò per diverſa loca ſeptem. Obiit die quartâ Martii anni ducenteſimi quinquageſimi tertii, ſepultus die ſequenti in cœmeterio Calliſti Viâ Appiâ, non quidem Martyr, ſed Confeſſor; nomen enim ejus memoratur, non in Indiculo depoſitionis Martyrum, ſed in Indiculo depoſitionis Epiſcoporum apud Bucherium de Doctrina temporum; nec refert quòd dicatur martyr à Sancto Cypriano in Epiſtolâ à Baronio anno 257. num. 5. recitatâ, nam ex modo loquendi illorum temporum, Lucius vocatur Martyr, quia pro fide in exilium miſſus fuit, multaque pro eâ pertulit. Unica Lucii circumfertur Epiſtola ad Galliæ, atque Hiſpaniæ Epiſcopos, Viris Eruditis ſuppoſititia. Incipit enim cum verbis Leonis primi Epiſt. 28. ſecundùm veterem ordinem: *Literas Dilectionis veſtræ, quas ad Beati Petri Apoſtoli Sedem, &c.* habet inſuper plura Conciliorum ſubſequentium teſtimonia, locum Pſalmi 82. ex interpretatione Sancti Hieronymi, & quædam Agathonis Papæ verba.

II. *Decretalis ipſi ſuppoſita.*

S. STEPHANUS *Pontif. XXIV.*

Anno Domini CCLIII.

I. *S. Stephanus hæreticos non rebaptizandos decernit.*

S. Stephanus, natione etiam Romanus, Julii filius, poſt interpontificium duorum menſium, & dierum novem, creatus eſt Pontifex die decimatertiâ menſis Maii, anni ducenteſimi quinquageſimi tertii, Valeriano, quantùm conjecturâ aſſequi poſſumus, jam imperante. Hic, ſi vera ſcribit Libri Pontificalis Auctor, conſtituit, ut Sacerdotes & Levitæ ſacris veſtibus in Eccleſia tantùm uterentur. Eo ſedente orta eſt in Eccleſia controverſia, an qui ab hæreticis baptizati eſſent, cùm ad Eccleſiam Catholicam ſe conferrent, eſſent denuò baptizandi. S. Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus, cum Afris Epiſcopis tria Carthagine Concilia congregavit, in quibus hæreticos nonniſi per Baptiſmum, ab errore priùs purgatos, admittendos eſſe cenſuit; ſed Stephanus Papa Romæ Synodum cum collegis celebravit, & in hunc modum ex ea ad S. Cyprianum ſcripſit: *Si quis à quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt ut manus illi imponatur in pœnitentiam: cùm ipſi hæretici alterutrum venientes ad ſe non baptizent, ſed communicent tantùm;* Baptizatos itaque ab hæreticis iterùm baptizari vetuit.

II. *Non excommunicavit Orientales contrarium ſentientes.*

Stephanus Africani Concilii Legatos ad ſe pro hac cauſa miſſos, duriùs habuit, ſed nec Afros, nec Orientales, qui in eamdem cum Africanis ſententiam abierant, excommunicavit, ut ſcribit Baronius. Eum enim ultra minas non proceſſiſſe, ex eo apparet, quòd Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, qui teſte Hieronymo in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Afrorum ſententiam magis propendebat, poſt Stephani obitum ad Sixtum ejus ſucceſſorem ſcripſit, ut ejus ſententiam ſuper eâ re flagitaret. Prætereà Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, qui idem cum Cypriano ſentiebat, quique irâ ſuccenſus in Stephanum Papam ad Cyprianum ſcripſit, vocatur tamen æquè ac Dionyſius *beatæ recordationis* vir, à Patribus ſecundi Concilii Antiocheni contra Paulum Samoſatenum congregati in Epi-

Digitized by Google

SÆC. III. S. STEPHANUS.

Epiſtolâ Synodicâ ad Dionyſium Romanum Pontificem. *Nam*, inquiunt, *& ad Dionyſium Alexandrinum*, *& ad Firmiliaum Cappadociæ Antiſtitem*, *beatæ recordationis viros*, *literas dedimus*. Quòd ſi Firmilianus à Stephano Papâ excommunicatus fuiſſet, eum Epiſcopi Synodi Antiochenæ *beatæ recordationis virum* non appellaſsent; nec Eccleſia Græca, quæ die XXVIII Octobris in Menologio ejus memoriam celebrat, hominem ab Apoſtolica Sede excommunicatum Faſtis ſuis inſeruiſſet. Stephanus itaque Orientales non excommunicavit.

III. *Nec etiam Africanos.* Sed nec etiam Africanos aliquo anathemate perculit. Graviter quidem commotus eſt, & indignè tulit, quòd Africana Synodus adversùs receptam totius Eccleſiæ conſuetudinem Hæreticos rebaptizandos eſſe ſtatuiſſet, remque tanti ponderis & momenti, non conſulto priùs Romanæ Urbis Epiſcopo, decernere auſa eſset: & Epiſcopos, quos Cyprianus & collegæ ad ipſum miſerant unà cum decretis illius Synodi primò quidem admittere noluit, ſed poſtea eos admiſit, & ad Cypriani literas reſcripſit, ut colligitur ex ejuſdem Cypriani Epiſtola ad Pompejum. Quæ quidem Stephani literæ licèt paulò acerbiores, & iniquiores viſæ tunc fuerint Cypriano, nihilominus tamen pacem inter ſe ambo retinuerunt. Unde Cyprianus poſt illas Stephani literas, eum fratrem nominat in laudatâ ad Pompejum Epiſtolâ. Id apertè confirmat Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos, de Cypriano ita loquens: *Sciens illum hæc non cum anathemate eorum*, *qui ſe ſequi noluerant*, *edidiſſe*: *ſiquidem in communione eorum permanſit*, *qui ſententiæ ſuæ contrairent*. Ex quibus concludendum eſt, nullum in his excommunicationis à Stephano latæ indicium reperiri. Sanctus Cyprianus, teſte S. Auguſtino lib. 2. contra Donatiſtas, & Epiſtolâ 48. ſecundùm veterem ordinem, ſententiam poſteà mutavit, & S. Stephano adhæſit. Controverſia porrò hæc terminata eſt in primo Concilio Oecumenico Nicææ anno 325. celebrato; illud enim omnes Hæreticos cum eorum Baptiſmo in Eccleſiam ſuſcipiendos ſanxit, ſi ad eam ejuratis erroribus reverterentur, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis, ut ait Hieronymus in laudato Dialogo adversùs Luciferianos.

IV. *Ejus decretum explicatur.* Proteſtantes, imò & quidam Catholici exiſtimant, Stephanum damnando morem Cypriani & Africanorum Antiſtitum, necnon Firmiliani & Orientalium de rebaptizandis Hæreticis, in extremum errorem lapſum eſſe, ac decreviſſe quorumcumque Hæreticorum Baptiſma, etiamſi conſuetâ & ſolemni Eccleſiæ formâ, & ritu collatum non eſſet, ratum eſſe & legitimum, proindeque non iterandum. Verùm hæc opinio omninò improbabilis eſt. Si enim eum in errorem lapſus fuiſſet Stephanus, his temporibus univerſa Eccleſia verſata eſſet in errore: omnes quippe Epiſcopi, vel Cypriani, vel Stephani ſententiam tuebantur; utraque autem ſecundùm ipſam etiam Proteſtantium hypotheſim, erronea erat. Præterea Cyprianus in citatâ ad Pompejum Epiſtolâ, teſtatur, Stephanum Baptiſmum Hæreticorum ratum habuiſſe ob vim & efficaciam verborum Evangelicorum, quibus confertur. Quare Stephanus ſemper ſuppoſuit, Baptiſmum verbis Evangelicis, ut ratus eſſet, conferri debere. Qua de re legendus Schelſtratius parte 2. Antiquitatis Illuſtratæ diſſert. 1. art. 2. ubi fusè oſtendit totam quæſtionem Stephanum inter & Cyprianum fuiſſe de Baptiſmo Hæreticorum, ſuppoſito quòd in nomine Chriſti, ſeu Trinitatis illum conferrent.

SÆC. III. S. STEPHANUS.

V. *Ejus Corpus transfertur.* Cùm Stephanus ſediſſet annos quatuor, menſes duos, dies viginti unum, ut legitur in Chronico Damaſi, ſub Valeriano & Gallieno Auguſtis Martyrium fecit die ſecundâ menſis Auguſti anni ducenteſimi quinquageſimi ſeptimi, ſepultus in cœmeterio Calliſti, Viâ Appiâ, die tertiâ ejuſdem menſis, poſtquam duabus ordinationibus Presbyteros ſex, & Diaconos quinque creaſſet, Epiſcopos verò per diverſa loca quatuor. Ejus corpus anno ſeptingenteſimo ſexageſimo primo, die decimâ ſeptimâ menſis Auguſti tranſtulit Paulus primus Papa, in Eccleſiam noviter à ſe conſtructam in domo, quæ ſibi parentali ſucceſſione obvenerat, SS. Stephani, & Sylveſtri dictam, nunc S. Sylveſtri de capite, ut refert Baronius eo anno, de qua translatione vide dicta in Sancto Sylveſtro num. VIII.

VI. *In cryptis Martyrum ubi celebrabat decollatus eſt.* Sancti Stephani Acta apud Surium die ſecundâ menſis Auguſti teſtantur, eum *in cryptis martyrum aſſiduè Miſſas & Concilia celebraſſe*, *& ibi dum Miſſarum ſolemnia perficeret*, ei in Sede caput amputatum fuiſſe. Id quod confirmat Martyrologium Romanum ad eumdem diem, ex quibus eruitur tempore perſecutionis, cùm ne quidem in privatis domibus ulla ſupereſſet celebrantibus ſecuritas, in cryptis ſubterraneis, Sanctorumque Martyrum ſepulchris & cœmeteriis ſacros conventus peractos eſſe. Unde Paulus Aringhus in ſuâ Româ Subterraneâ lib. 1. cap. 31. ſcribit: *Cùm illuc frequentes jugiter convenirent*, *in cœmeteriis cubicula*, *aptatis utrâque ex parte ſedilibus*, *ſacro item erecto altari*, *extruebantur*, *quâ de causâ Pontificiæ ad hanc uſque diem ſedes extant*, *quæ in cœmeterio præſertim B. Agnetis viâ Nomentanâ conſpiciuntur*, *ubi Pontifex*, *dum Natalitiis beatorum Martyrum*, *necnon ſacris ſynaxibus de more intereſſet*, *eminentiori præ cæteris conſpicuus loco*, *ac nobili locatus throno ſedere conſueverat*. Porrò

Digitized by Google

rò, non ſolis perſecutionum temporibus hic ritus offerendi in cœmeteriis obtinuit, ſed multò etiam poſtea; nam & liber Pontificalis in Joanne III, qui anno DLX Pontificatum adeptus eſt, teſtatur ipſum conſtituiſſe, *ut oblationes, & amulæ vel luminaria in eadem cœmeteria per omnes Dominicas miniſtrarentur;* & de Sergio, qui exeunte ſæculo ſeptimo florebat, ait hunc *tempore presbyteratûs ſui impigrè per cœmeteria diverſa miſſarum ſolemnia* celebraſſe.

VII. *Decretales ipſi falsò adſcriptæ.* Duæ Stephano Papæ adſcribuntur Decretales, quæ Viris Doctis adulterinæ habentur. Prima eſt ad Hilarium Epiſcopum, & incipit cum verbis Leonis primi Epiſt. 46. juxta veterem ordinem: *Quànquam ſperem dilecttionem tuam ad omne opus bonum, &c.* in eâque habentur plura teſtimonia ex Codice Theodoſiano, aliiſque deſumpta. Secunda eſt ad univerſos Epiſcopos, incipitque cum verbis ejuſdem Leonis Epiſt. 40. juxta eumdem ordinem: meminit Patriarcharum, quod nomen Stephani Papæ tempore nondum uſurpatum, refertque loca ex Epiſtolis 25. & 26. Sancti Bonifacii & aliorum.

OCTAVA ECCLESIÆ PERSECUTIO.

VIII. *Valerianus Imp. perſecutionem movet.* OCtavam Perſecutionem moverunt Valerianus & Gallienus Auguſti anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo, ſuaſu & impulſu Macriani, qui Valeriano perſuaſit, ut Chriſtianos deſereret atque rejiceret. Hunc Macrianum Baronius *, & poſt eum alii ſcribunt fuiſſe Magum Ægyptium. Verùm Valeſius, & Pearſonius in Annalibus Cyprianicis, Macrianum neque Magum, neque Ægyptium fuiſſe, ſed Magorum, qui ex Ægypto erant, Archiſynagogum, hoc eſt maximum Patronum extitiſſe rectè probant, ut apud eos & in Critica Baroniana ad annum CCLVII. videre eſt. Hæc perſecutio aucta eſt anno 258. quia Valerianus Antiochiam petens, ab eodem Macriano, cui totam rempublicam credendam eſſe duxit, excitatus, multò in Chriſtianos acerbior & crudelior evaſit. Atque ita tandem *reſcripſit Valerianus ad Senatum, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diacones animadvertantur, Senatores verò & viri egregii & equites Romani, dignitate amiſſâ, etiam bonis ſpolientur, &c.* ut habet Cyprianus in Epiſtola ad Succeſſum ordine 80. Pamelio 82. Eodem anno CCLVIII idem Sanctus Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus die decimaquartâ menſis Septembris, ut in ejus paſſione legitur, Martyrio vitam finivit. Eamdem Martyrii Palmam retulerunt Sancti Stephanus & Sixtus Romani Pontifices. Sed Valeriano à Perſis capto, Gallienus pacem Chriſtianis conceſſit, anno ducenteſimo quinquageſimo nono, edicto hac de re promulgato, quod periit; nam illud quod refert Euſebius lib. 7. c. 13. datum eſt poſt mortem Macriani in favorem Ægyptiorum, qui à Pace primo edicto excluſi fuerant.

S. SIXTUS II. *Pont. XXV.*

Anno Domini CCLVII.

I. *S. Sixtus SS. Petri & Pauli corpora transfert.* S. Sixtus hujus nominis II, natione Græcus, patriâ Athenienſis, Philoſophi filius, S. Stephanum excepit, ordinatus circa diem vigeſimamquartam menſis Auguſti ejuſdem anni ducenteſimi quinquageſimi ſeptimi. Ejus geſta in Pontificatu nos latent, id tantùm ex Indiculo depoſitionis Martyrum obſervat Pearſonius in Annalibus Cyprianicis, Sanctum Sixtum SS. Petri & Pauli Apoſtolorum corpora ad Catacumbas tranſtuliſſe, ut ibi tutiùs ſtationes haberi poſſent, magis in dies ſæviente perſecutionis ardore. In Indiculo enim, inquit, depoſitionis Martyrum habetur: *Tertio Kalendas Julii Petri in Catacumbas, & Pauli, Oſtienſe, Tuſco & Baſſo Coſſ.* Qui Conſulatus competit in annum CCLVIII, quo Sixtus ſedit uſque ad diem ſextum Auguſti. Ubi ſermo eſt de Translatione Corporum Sanctorum Petri & Pauli. Liber Pontificalis Pontificem permutando, ut ſæpe ſolet, Cornelium pro Sixto poſuit, indeque Pſeudo-Iſidorus eamdem hiſtoriam fictitiæ Cornelii Epiſtolæ inſeruit. Sixtus igitur, non Cornelius, hæc trophæa, quæ ut tradit Cajus, qui circa annum Chriſti CC ſcripſit, tunc temporis in Vaticano aſſervabantur, in Catacumbas tranſtuliſſe videtur.

II. *Martyr ſub Valeriano.* Martyrium ſubiit Sixtus die ſextâ menſis Auguſti anni ducenteſimi quinquageſimi octavi, ſub Valeriano & Gallieno Imperatoribus, & cum eo Beatus Quartus, ut legitur in Epiſtolâ Sancti Cypriani ad Succeſſum: ſed Feliciſſimus & Agapitus Diaconi; Januarius, Magnus, Vincentius, Stephanus Subdiaconi, alio die Martyrium ſubierunt, ut legere eſt in Critica Baronii anno CCLVIII num. 5. & ſeq. Poſt triduum, die ſcilicet decimâ Auguſti, Sanctus Laurentius Diaconorum primus, cui Sanctus Sixtus coronam prædixerat, Martyrio itidem

Digitized by Google

itidem coronatus eſt. Duas Sixtus ordinationes habuit menſe Decembri Presbyterorum quatuor & Diaconorum ſeptem. Epiſcopos præterea duos ordinavit. Sepultus eſt in cœmeterio Calliſti. Sedit in Pontificatu menſes undecim, dies circiter tredecim.

III. *Eius Decretales ſpuriæ.* Duæ Decretales ei attributæ, quarum prima ſcripta eſt *Grato Coepiſcopo*, ſecunda, *fratribus per Hiſpaniarum Provincias conſtitutis*, ſunt adulterinæ utpote conſarcinatæ ex variis poſteriorum Pontificum & Conciliorum ſententiis & verbis. Poſt Sixtum Sedes Romana vacavit anno fere uno, nempe uſque in diem XI. Kalendas Auguſti, ſeu uſque ad diem XXII. Julii anni CCLIX, ut legitur in Chronico Damaſi, & durante interpontificio Presbyteri vacanti Eccleſiæ præfuerunt, ut idem Damaſus tradit.

S. DIONYSIUS *Pontif. XXVI.*

Anno Domini CCLIX.

I. *S. Dionyſius Parochias dividit.* S. Dionyſius ex Monacho, cujus generatio non reperitur, poſt unius fermè anni interpontificium, Romanam Sedem regendam ſuſcepit die vigeſimâ ſecundâ menſis Julii anni ducenteſimi quinquageſimi noni, ut ait Damaſus in Chronico. Hic, juxta Auctorem libri Pontificalis, & Epiſtolam ipſi falsò adſcriptam, de qua mox, Parochias, Diœceſes inſtituit; quod ita intelligendum dicit Baronius, quòd pluribus Eccleſiarum Presbyteris in perſecutione martyrio vita functis, eaſdem iterum diviſerit & pro ratione diſtribuerit.

II. *S. Dionyſium Alexandrinum innocentem declarat.* S. Dionyſius anno Chriſti CCLXII, qui ſecundùm Baronium eſt CCLXIII, hanc ob cauſam Synodum Romæ celebravit. Dionyſius Alexandrinus cùm accepiſſet Sabellium hominem in Libyâ intrà ditionis ſuæ fines natum adorandæ Trinitati perſonarum diſtinctionem auferre, eum ſcripto refellit, & perſonarum in eâdem naturâ Divinâ diſtinctionem multis confirmavit. Sed accuſatus à Pentapolitanis, quaſi non perſonarum tantùm, ſed etiam naturæ Divinæ diſtinctionem, ac diverſitatem tueretur; Dionyſius Papa, coram quo accuſatus fuerat, Dionyſium Alexandrinum ad Concilium citat, qui Pontificis decreto parens, Epiſtolam mentis ſuæ indicem, & criminis objecti purgatricem, quæ extat apud Baronium numero XXXIV cum quatuor Apologeticis libris pro ſui defenſione conſcriptis propediem afferendis, mittit. Ex quo Summus Pontifex convocato Concilio Dionyſium Alexandrinum omnis erroris expertem, nec niſi calumniâ accuſatum declaravit, teſte Athanaſio in illo Commentario, quem de ſententiâ Dionyſii adversùs Arianos conſcripſit.

III. *Synodum contra Paulum Samoſatenum non celebravit.* Hunc Sanctum Pontificem aliam Synodum Romæ contra Paulum Samoſatenſem Antiochenum Epiſcopum, Chriſti Divinitatem negantem celebraſse, Baronius credit, idque teſtari Sanctum Athanaſium in libro de Synodis, quòd multos viros doctos decepit. Hæc Athanaſii verba: *Duo enim Dionyſii, diù ante eos ſeptuaginta fuere, qui Samoſatenſem ſuſtulere; quorum alter Romæ, alter Alexandriæ præſul erat*; quæ ſic explicavit Baronius, quaſi relativum *Qui*, ad utrumque Dionyſium referretur, licèt ordinem dicat ad ſeptuaginta Epiſcopos, qui in Concilio Antiocheno Paulum condemnavere: hos enim in eodem de Synodis libro Athanaſius vocat *ſeptuaginta Epiſcopos Pauli Samoſatenſis condemnatores*, quod Athanaſium legenti patet. Synodus itaque illa Romana ſuppoſititia.

IV. *Paulus damnatus in Synodo Antiochena ſecunda.* Paulus autem Samoſatenus damnatus eſt in ſecundo Concilio Antiocheno, quod autumno anni CCLXIX, ſedente adhuc Dionyſio inceptum, ſub Felice ejus ſucceſſore abſolutum eſt. Porrò Paulus Samoſatenus tàm in Trinitatis, quàm in Incarnationis fide lapſus erat: in priori quidem, quòd ſolum Patrem Deum eſſe putaret: in poſteriori, quòd Chriſtum merum hominem eſſe diceret, & in eo Verbum extitiſſe negaret. Ejus hæreſim pluribus explicat Petavius lib. 1. de Incarn. c. 3. Ejus damnatio hìc paucis aperienda, utpotè quæ ſub Dionyſio facta fuerit in duobus Conciliis Antiochenis.

V. *Eius Synodi geſta & epocha.* Cùm errores Pauli Samoſateni Epiſcopi Eccleſiæ innotuiſſent, collecta eſt Synodus Antiochiæ, quam alii anno ducenteſimo ſexageſimo quarto, alii verò anno ducenteſimo ſexageſimo ſexto affigunt, in qua Paulus metuens, ne è ſede dejiceretur, deceptis per ſimulationem Epiſcopis indemnis abſceſſit. Sed cùm in priſtinos errores, & ſcelera lapſus eſſet, collecto iterum Antiochiæ Epiſcoporum Concilio, è ſede depoſitus eſt, eique Domnus ſubrogatus. Ex eo Concilio ſcripta eſt Synodica ad Dionyſium Papam, quam refert Euſebius lib. 7. cap. 30. Sed falſum eſt quod ſcribit Baronius anno CCLXXII, quo ſecundum illud Concilium conſignat, & poſt eum Collectores Conciliorum, ac nuperus Auctor Delectus Actorum Eccleſiæ univerſalis ſeu novæ ſummæ Conciliorum, Patres ſcilicet illius Concilii, ſive in Synodicâ ad Dionyſium Papam, ſive in profeſsione fidei, quæ huic Concilio

SÆC. III. S. DIONYSIUS.

lio adſcribitur, ſcripſiſſe Chriſtum Deo Patri *conſubſtantialem* eſſe, & Euſebium profeſſionem fidei Patrum Synodi, quæ hæreſim Arianorum prorsùs jugulabat, conſultò prætermiſiſſe. Nam, ut oſtendit Valeſius in notis Euſebianis lib. 7. cap. 30. hæc profeſſio fidei non eſt Patrum Antiocheni Concilii, ſed Nicæni. In parte enim 3. ſeu Tom. 3. Actorum Synodi Epheſinæ pag. 378. titulus profeſſionis illius ita conceptus legitur. *De incarnatione Verbi Dei, filii Patris, definitio Epiſcoporum, qui Nicææ in Synodo convenerunt, & expoſitio ejuſdem Synodi adversùs Paulum Samoſatenum.* Euſebius itaque immeritò reprehenſus; decepti ſunt etiam & Baronius & Collectores citati, ſcribentes Epiſtolam Patrum Synodi Antiochenæ ad Paulum Samoſatenſem, quæ extat in Bibliotheca Patrum & apud Baronium anno CCLXVI, ſcriptam eſſe à priori Synodo Antiochenâ; ſcripta eſt enim initio conſeſsûs poſterioris Synodi, ut Valeſius loco laudato demonſtrat. Denique hæc poſterior Synodus Antiochena celebrata non eſt anno CCLXX aut CCLXXII, ſed anno CCLXIX, & quidem circa anni finem; & dum ea celebraretur, Dionyſius Papa ſupremum diem obiit, ut videre eſt in Critica Baroniana. Ei non tredecim tantùm aut ſexdecim Epiſcopi interfuerunt, ſed ſeptuaginta, ut habet Athanaſius in lib. de Synodis.

Vixit Dionyſius in Pontificatu annos decem, menſes quinque, dies quatuor; mortuus eſt enim, eodem Damaſi Chronico teſte, die vigeſimâ ſextâ menſis Decembris anni ducenteſimi ſexageſimi noni. Duas tantùm ordinationes fecit menſe Decembri Presbyterorum duodecim & Diaconorum ſex; Epiſcopos inſuper ſeptem per diverſa loca creavit. Ejus Epiſtola decretalis de diviſione Parochiarum ad Severum Cordubenſem Epiſcopum ſcripta, viris doctis ſuppoſititia creditur: incipit enim cum verbis Leonis primi Epiſtolâ 24 ſecundùm veterem ordinem: *olim ab initio tantam percepimus à Beato Petro Apoſtolorum Principe* &c. continetque varia loca ex S. Gregorio magno deſumpta. Alia ejus Epiſtola ad Urbanum præfectum ipſi etiam falsò attributa, Ipſo fatente Baronio, anno CCLXI num. 53.

(VI. *Decretalis falsò Dionyſio adſcripta.*)

S. FELIX *Pontif. XXVII.*

Anno Domini CCLXIX.

(I. *S. Felix miſſas ſuper Martyrum ſepulchra celebrandas ſtatuit.*)

S. Felix, natione Romanus, ex patre Conſtantio, poſt duorum dierum interpontificium in Sancti Dionyſii locum ſubrogatus eſt die vigeſimâ nonâ Decembris ejuſdem anni ducenteſimi ſexageſimi noni. Huic ritum celebrandi *miſſas ſupra ſepulchra Martyrum* acceptum fert liber Pontificalis; ad quæ verba Schelſtratius ait: Aliæ lectiones habent, *ſupra memorias Martyrum*. Sepulchra enim, vel ob inſcriptiones & ſigna martyrii, vel ob oſſa Martyrum ibidem poſita, vocabantur *memoriæ Martyrum*, & ex hac Felicis Conſtitutione, ortum habuiſſe putem Canonem XXXIV Illyberitanum, *ne cereum in cœmeteriis incendatur, inquietandi enim ſpiritus Sanctorum non ſunt*. Quod nimirum Gentiles ex cerei lumine detegerent loca, in quibus martyres ſepulti erant, quorum ſepulchra ex illo indicio dejiciebant. Porrò cùm hoc temporibus Diocletiani non licuerit, crediderim tunc oſſa martyrum in aliis locis ſub altaribus collocari cœpiſſe, & ex illo profluxiſſe ritum Eccleſiæ conſecrandi altaria cum Martyrum Reliquiis, quæ ſub illis conduntur ab Epiſcopo conſecrante. Ita Schelſtratius in Notis ad librum Pontificalem ſub Felice. Idem Auctor libri Pontificalis, & Auctius Chronicon veterum Pontificum addunt, Felicem ſepultum eſſe in cœmeterio ſuo, viâ Aureliâ, milliario ſecundo ab urbe Româ, ubi Baſilicam ædificaverat, & quamvis, inquit Schelſtratius ibidem, viri eruditi dubitent de loco hujus Eccleſiæ, an ibi ſita fuerit, ubi nunc Sancti Pancratii Baſilica conſpicitur, videtur tamen longiùs ab Urbe diſtaſſe, & nunc ruinis ſuis obruta eſſe.

(II. *Decretales ei ſuppoſitæ.*)

Obiit S. Felix die vigeſimâ ſecundâ Decembris anni ducenteſimi ſeptuageſimi quarti, ut ad eum diem legitur in martyrologio Hieronymiano, poſtquam annos quatuor, menſes undecim & dies viginti quinque ſediſſet; & quidem ante perſecutionem Aurelianeam, ideoque in Indiculo Bucheriano *depoſitionis Epiſcoporum* memoratur, non verò in Indiculo *depoſitionis Martyrum*. Ordinationes duas menſe Decembri fecit Presbyterorum novem & Diaconorum quinque. Epiſcopos etiam quinque per diverſa loca ordinavit. Tres ejus circumferuntur Decretales, prima ad Paternum Epiſcopum, altera ad Galliæ Præſules, tertia denique ad Benignum Epiſcopum; ſed eas ſuppoſititias eſſe, jam à pluribus viris doctiſſimis demonſtratum.

NONA ECCLESIÆ PERSECUTIO.

(III. *Perſecutio*)

Aurelianus, anno ducenteſimo ſeptuage-

SÆC. III. S. FELIX. *Sub Aureliano imp.* geſimo Imperator creatus, in Chriſtianos benè affectus fuit, & adversùs Paulum Samoſatenum, à poſteriori Synodo Antiochena, tanquam novæ hæreſeos auctorem damnatum, edictum emiſit: *proceſſu verò temporis*, inquit Euſebius lib. 7. cap. 30. *aliter de nobis ſentiens quorumdam conſiliis cœpit impelli, ut perſecutionem adversùs noſtros commoveret*. Licèt autem ea brevis fuerit, utpotè ſub finem vitæ ab Aureliano inten-tata, ingentem tamen Martyrum numerum fecit. De ea legendus Annotator Baronii ad annum CCLXXII. SÆC. III. S. FELIX.

S. EUTYCHIANUS *Pontif. XXVIII.*

Anno Domini CCLXXV.

I. *S. Eutychianus non martyr, ſed confeſſor.* S. Eutychianus, natione Tuſcus, de civitate Lunæ, patre Marino, vel Martino, ad Pontificiam dignitatem aſſumptus eſt die quintâ menſis Januarii anni ducenteſimi ſeptuageſimi quinti. Ei acceptus fertur fruges & fructus benedicendi ritus, de quorum aut quorumlibet aliorum humanis uſibus inſervientium benedictione, quæ in Miſſa fiebat à Sacerdote, legendus Cardinalis Bona lib. 2. Rer. liturgic. cap. 14. num. 5. Liber Pontificalis addit eum trecentos quadraginta duos Martyres manu ſuâ ſepeliiſſe, ac conſtituiſſe, ut quicunque fidelium Martyrem ſepeliret, ſinè Dalmatica, aut colobio (ideſt tunicâ ſine manicis) purpurato nullatenus faceret, quod honoris causâ conſtitutum eſt. Sed cùm idem honos Pontificibus, ac ipſis etiam Diaconis tribueretur, ut S. Gregorius indicat lib. 4. Dialog. cap. 40. Decreto ſuo idem lib. 4. Epiſt. 44. ſancivit ne feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad ſepeliendum ducitur, Dalmaticis tegeretur. Ad cœleſtem patriam tranſiit die ſeptimâ Decembris anni CCLXXXIII, poſtquam Sedem tenuiſſet annis octo, menſibus undecim, diebus tribus, ut in ſæpè citato Damaſi Chronico legitur, qui diem ejus mortis etiam memorat, nempe diem ſeptimam menſis Decembris; in Martyrologio enim Hieronymiano, ubi notatur dies octavus Decembris, ſermo eſt de die ejus ſepulturæ. In Martyrologio Romano Eutychianus dicitur paſſus ſub Numeriano; ſed cùm Baronius neque in Annalibus hujus Martyrii teſtem ullum afferat, & Eutychianus, non in Indiculo *depoſitionis Martyrum*, ſed in Indiculo *depoſitionis Epiſcoporum* apud Bucherium ponatur, hic Sanctus Pontifex inter Confeſsores numerandus videtur. Certè, uterque Indiculus, Conſtantio Conſtantini Magni filio imperante ſcriptus, omnibus Martyrologiis antiquior eſt, ideòque ei magna fides habenda.

II. *Ejus tranſlatio, & decretales.* Sancti Eutychiani corpus in patriam Lunam relatum, nunc invenitur atque honoratur Sarzanæ, urbe vicinâ, ditionis Genuenſis, quæ Lunæ penitùs deſolatæ, deſtructæque in honore Cathedrali ſucceſsit. Eutychianus quinque ordinationibus menſe Decembri habitis, Presbyteros XIV, Diaconos V fecit, Epiſcopos verò IX per diverſa loca. Sepultus eſt in Cœmeterio Calliſti viâ Appiâ. Duæ ei decretales adſcribuntur, prima ad omnes per Boeticam Provinciam conſtitutos Epiſcopos; ſecunda ad Epiſcopos Siciliæ, quæ ſuppoſititiæ ſunt; cùm in iis poſteriorum Pontificum loca integra recitentur, & alia multa ſuppoſitionis indicia habeantur.

S. CAJUS *Pontif. XXIX.*

Anno Domini CCLXXXIII.

I. *S. Caius Confeſſor etiam, non Martyr.* S. Cajus, natione Dalmata, Salonitanus, ex patre Cajo, ex genere Diocletiani Imperatoris, Eutychiano ſubrogatus eſt, die decimâ quintâ Decembris ejuſdem anni ducenteſimi octogeſimi tertii, poſt octo dierum interpontificium. In libro Pontificali ab eo conſtitutum dicitur, ut per omnes ſeptem ordines ad Epiſcopatum aſcenderetur. Eccleſiam rexit uſque ad diem 21 Aprilis anni 296, quo die à Wandelberto depoſitus dicitur, poſtquam ſediſſet annos duodecim, menſes quatuor, dies ſeptem, ut habet Chronicon Damaſi. Mortuus eſt autem non Martyr, ſed Confeſſor, ut legitur in Catalogo Reginæ Sveciæ à Papebrocio in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum, & à Schelſtratio in ſecunda parte Antiquitatis Eccleſiæ publicato, ac à nobis ſæpiùs laudato, ſub titulo Auctioris Chronici Veterum Pontificum; unde in Indiculo depoſitionis Epiſcoporum, non Martyrum apud Bucherium memoratur.

Nec obſtat quòd Baronius ex libro

II. *S. Suſannæ Acta vel in toto, vel in parte ſuppoſititia.*

Pontificali, & ex Actis Sanctæ Suſannæ ſcribit, Cajum nempe cum fratre Gabinio Patre S. Suſannæ Martyrio coronatos eſſe, quòd Diocletianus, mortuâ Valeriâ filiâ, Galerii Maximiani uxore, ut hunc ſibi magis conciliaret, illi voluiſſe nuptiarum fœdere conjungere Suſannam, quam in ſua cognatione haberet gradu propinquiorem, utpotè filiam Gabinii, filii Maximi, ſeu Maximiani, Diocletiani germani; illud enim ſubſiſtere non poteſt, cùm certum ſit, Valeriam Galerii Maximiani conjugem marito ſupervixiſſe, ut obſervavit Baluzius in Notis ad librum Lactantii, de Mortibus Perſecutorum, indeque conſtat S. Suſannæ Acta, vel in toto, vel in parte eſſe ſuppoſititia.

III. *Caii decretalis ſpuria.*

Cajus ordinationibus quatuor menſe Decembri creavit Presbyteros XXV, Diaconos VIII, & Epiſcopos per diverſa loca V. Sepultus eſt in cœmeterio Calliſti viâ Appiâ. Unica ejus circumfertur Epiſtola decretalis ad Felicem Epiſcopum, ſed eam ut adulterinam rejiciunt eruditi, utpotè conſutam ex Innocentii, Leonis, & Vigilii Epiſtolis, præter alia ſupppoſitionis indicia, quæ in ea deprehenduntur.

S. MARCELLINUS *Pontif. XXX.*

Anno Domini CCXCVI.

I. *S. Marcellini lapſus commentitius.*

S. Marcellinus, natione Romanus, ex patre Pojecto, poſt duorum menſium & dierum octo vacationem ſedis, ordinatus eſt die trigeſimâ menſis Junii, ut legitur in Chronico Damaſi, ejuſdem anni ducenteſimi nonageſimi ſexti. Eo ſedente Diocletianus & Maximianus Imperatores cruentam, & univerſalem perſecutionem indixerunt; in qua Auctor libri Pontificalis tradit, Marcellinum minis adactum thus idolis adoleviſſe, & poſt paucos dies, actâ pœnitentiâ, Martyrio coronatum fuiſſe. Addunt alii Marcellinum in Concilio Sinueſſano, cujus etiamnum habentur Acta, propriâ confeſſione, & trecentorum Epiſcoporum ſuffragio, ob nefandum ſacrificium damnatum eſſe. Sed tàm lapſum Marcellini, quàm Synodi Sinueſſanæ Acta ſuppoſititia eſſe probarunt Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum pag. 43. Natalis Alexander ſæculo tertio, aliique viri docti. Cur enim, inquiunt, Donatiſtæ, qui omnem verterunt lapidem in tot Conciliis & Collationibus, ut unum Cæcilianum traditionis arguerent, Marcellini Pontificis lapſum & Thurificationem ſæpiùs non prodiderunt, ac probaverunt? Certè in celeberrima illa, mandato Imperatoris facta Collatione Carthagine, Catholicos inter & Donatiſtas, cùm ſe paratos jactitarent hæretici, ad convincendum traditionis Melchiadem Romanum Pontificem, & prolixa admodum acta legi petiviſſent; nihil in eis, quo reus probaretur, penitus inventum eſt, ut refert Auguſtinus in Breviculo Collationis cap. 18. & libro poſt Collationem edito cap. 12. & 13. At ſi verè lapſus eſſet Marcellinus, ibi lapſum ejus objicere non omiſiſſent, ad creandum negotium Melchiadi, qui ejus Presbyter fuerat; ſicut ex perſona Felicis Aptungitani Cæciliano moverunt quæſtionem, quòd ab eo fuiſſet ordinatus, qui fuerat ſacrorum librorum traditor.

II. *Concilium Sinueſſanum ſuppoſititium.*

Præterea, in Actis illis Concilii Sinueſſani dicitur Marcellini condemnationem ad Diocletianum eſſe perlatam, cùm eſſet in bello Perſarum, quod apertæ convincitur falſitatis, cùm biennio antequam ſe imperio Diocletianus abdicaret, de Perſis profligatis Romæ triumphum cum Herculio collegâ egerit: deinde incredibile eſt, quòd, ſæviente perſecutione Diocletiani, omnium ſcilicet crudeliſsimâ, trecentorum Epiſcoporum cogi potuerit conventus, eo ſcilicet paulò minor, qui in maxima Eccleſiæ pace, totis viribus adnitente Conſtantino Imperatore, Nicææ in Bythinia fuit poſteà congregatus. Ad hæc, nulla apud quoſvis Scriptores, ſive prophanos, ſive Eccleſiaſticos, Sinueſſanæ civitatis, & cryptæ Cleopatrenſis, in qua celebratum fingitur iſtud Concilium, occurrit vel levis memoria. Multa alia ab iiſdem viris doctis afferuntur ſuppoſitionis & falſitatis indicia, apud ipſos & in Critica Baroniana legenda.

III. *S. Marcellinus an Martyr.*

Poſtquam S. Marcellinus ordinationibus duabus menſe decembri, Presbyteros IV, Diaconos II creaſſet, ac per diverſa loca Epiſcopos V, ad Deum tranſiiſſe videtur die vigeſimaquartâ menſis Octobris anni trecenteſimi quarti, ordinatus enim fuerat die trigeſimâ menſis Junii anni ducenteſimi nonageſimi ſexti, & in Chronico Damaſi dicitur ſediſſe annis octo, menſibus tribus, diebus vigintiquinque. Eum Martyrium ſubiiſſe, ut habet Baronius ex Anaſtaſio, parum veroſimile, nomen enim ejus legitur in ſæpiùs laudato Indiculo depoſitionis Epiſcoporum apud Bucherium.

Marcellini mentionem facit Euſebius in

Digitized by Google

SÆC. III. S. MARCELLINUS.

in Chronico; Hieronymus verò in Martyrologio Marcelli tantùm meminit, quo fit ut aliqui viri doctiſſimi Marcellinum & Marcellum diſtinguendos non eſſe exiſtimarint. Sed hi, meo judicio, decipiuntur, Auctor enim Chronici Damaſo attributi, Liberio ſedente vixit, & utriuſque Pontificis non ſolùm meminit, ſed etiam quot annis & diebus quilibet ſedit, memorat. Præterea Auguſtinus, qui exeunte ſæculo quarto floruit, utrumque agnovit, quemadmodum & Optatus Milevitanus à Baronio laudati.

IV. *Marcellinus à Marcello diverſus.*

Duas Decretales Marcellino adſcriptas, ſuppoſititias eſſe jam viri docti obſervarunt. Prima eſt ad univerſos Epiſcopos per Orientales Provincias, incipitque cum verbis Hormiſdæ Epiſt. 62. *Quid tam dulce ſollicito &c.* Secunda dicitur ſcripta ad Salomonem Epiſcopum, & incipit cum verbis Leonis primi Epiſtolâ 93. juxta veterem ordinem: *Quàm laudabiliter pro catholicæ fidei veritate*. Conſarcinata eſt ex teſtimoniis Idacii ad Warimadum Capp. 51. 52. 53. & 55. & Hormiſdæ Papæ Epiſt. 24. 25. aliiſque.

V. *Decretales ipſi ſuppoſitæ.*

DECIMA ECCLESIÆ PERSECUTIO.

VI. *Perſecutio ſub Diocletiano generalis & cruenta.*

PErſecutio in milites ſub Galerio Maximiano anno ducenteſimo nonageſimo octavo incepta, perſecutionem generalem quaſi quoddam præludium præceſſit: hæc enim anno tantùm trecenteſimo tertio, die vigeſimâ tertiâ Februarii à Diocletiano & Maximiano decreta, dieque ſequenti edictum propoſitum Nicomediæ, ac deinde ad cæteras Imperii civitates miſſum. Hujus Perſecutionis cauſam in Chriſtianos, jam turpiter moribus depravatos, & in Epiſcoporum diſcordias rejicit Euſebius. Aliam adducit Lactantius libro de mortibus Perſecutorum cap. 14. à Galerio Maximiano confictam, hunc nempe, *ut* Diocletianum *ad propoſitum crudeliſſimæ Perſecutionis impelleret, occultis miniſtris Palatio* ſubjeciſſe *incendium. Et cum pars*, inquit, *conflagraſſet, Chriſtiani arguebantur velut hoſtes publici, & cum ingenti invidia ſimul cum Palatio Chriſtianorum nomen ardebat: illos conſilio cum Eunuchis habito de extinguendis Principibus cogitaſſe, duos Imperatores domi ſuæ penè vivos eſſe combuſtos &c.* Tam atrox fuit illa perſecutio, ut neque domui Regiæ pepercerint Diocletianus & Galerius; ſubdit enim Lactantius laudatus cap. 15. *Furebat ergo Imperator* (nempe Diocletianus) *jam non in domeſticos tantùm, ſed & in omnes, & primam omnium filiam Valeriam* (Galerii Maximiani uxorem) *conjugemque Priſcam ſacrificio pollui coegit*, quæ ideò Chriſtianæ erant. In hac perſecutione Eccleſiæ ſolo æquatæ, Scripturæ Sacræ igne conſumptæ. Chriſtiani, qui publicis honoribus aucti fuerant, exauctorati, cæteri libertate privati. Multos hæc Perſecutio Martyres Cœlo dedit, multorum certamina recenſet Euſebius lib. 8. De hac etiam legendus Oroſius lib. 7. cap. 17.

SÆC. III. S. MARCELLINUS.

Galliæ, ubi Conſtantius Chlorus, Conſtantini Magni Pater imperabat, ab hac perſecutione immunes fuere; Lactantius quippe ibidem ſcribit: *Conſtantius ne diſſentire à majoribus præceptis videretur, Conventicula, ideſt parietes, qui reſtitui poterant, dirui paſſus eſt, verum autem Dei Templum, quod eſt in hominibus incolume, ſervavit.* Tum cap. 16. *Vexabatur ergo univerſa terra, & præter Gallias, ab Oriente uſque ad Occaſum, tres acerbiſſimæ beſtiæ ſæviebant.* Lactantio ſuffragatur Euſebius lib. 8. cap. 13. Quomodo autem hæc conciliari poſſint cum hiſtoriis plurimarum Galliæ civitatum & provinciarum, quæ ſuos martyres hac perſecutione ad Deum tranſlatos prædicant, lege in Critica Baroniana ad annum CCCIII.

VII. *Ab ea Galliæ immunes.*

Kalendis Maii anni trecenteſimi quinti Diocletianus & Maximianus Herculius Imperatores abdicarunt, & vitam privatam amplexi ſunt, quare perſecutio aliquandiù ceſſavit; ſed anno trecenteſimo octavo in Oriente recruduit, & pax univerſæ Eccleſiæ reddita non eſt ante menſem Junium anni trecenteſimi decimi tertii, quod colligitur ex eodem Lactantio, qui cap. 48. ejuſdem libri ait: *Sic ab everſa Eccleſia* (à die ſcilicet XXIII Februar. anni CCCIII.) *uſque ad reſtitutam* (ſcilicet uſque ad diem XIII Junii anni CCCXIII, quod jam dixerat propoſitum fuiſſe Nicomediæ edictum de reſtaurandis Eccleſiis) *fuerunt anni decem, menſes plus minus quatuor*.

VIII. *Perſecutionis finis.*

Concilium Illyberitanum.

MArcellino ſedente, vel ſaltem durante Interpontificio, veroſimile eſt celebratum fuiſſe Illyberitanum in Hiſpania Concilium, cùm ex ejus Canonibus conſtet, illud celebratum ipſo perſecutionis tempore, & parte aliâ certum ſit Oſium Cordubenſem Epiſcopum ei interfuiſſe, qui tamen anno trecenteſimo decimo tertio, jam in Conſtantini Magni comitatu erat. Hujus Concilii auctoritatem elevant, erroreſque plurimos ipſi affingunt Baronius & Bellarminus; ſed venerandam eſſe ejus auctoritatem, in ejuſque fide nihil non integrum, in ejus diſciplina nihil non ſanctum reperiri pluribus probare conatur Natalis Alexander ſæculo tertio differt. 21.

IX. *Illyberitani Concilii epocha, & auctoritas veneranda.*

In eo Canones LXXXI conditi ab Epiſcopis undeviginti, qui ei adfuerunt, cum triginta ſex Preſbyteris. Horum Canonum, explicationem habemus in Opere Ferdinandi de Mendoza, *de confirmando Concilio Illybertitano ad Clementem VIII Pontif. Max.* quod extat Tom. I. Conciliorum editionis Labbei.

SÆC. IV. S. MARCELLUS.

S. MARCELLUS *Pontif. XXXI.*

Anno Domini CCCVIII.

I. S. Marcellus in exilium à Maxentio miſſus.

S. Marcellus, natione Romanus, ex patre Benedicto, poſt interpontificium annorum trium, menſium octo & dierum trium Pontifex dictus eſt, & ordinatus anno trecenteſimo octavo, die vigeſimâ ſeptimâ Junii, quæ Dominicalis fuit, ſedemq; tenuit anno uno, menſibus ſex & diebus viginti; obiit enim die decimaſextâ menſis Januarii anni trecenteſimi decimi, ut docent liber Pontificalis, Martyrologium Hieronymianum, genuinum Bedæ Martyrologium, & Sacramentarium Gelaſii ac Gregorianum. Damaſus Papa ejus epitaphii, quod extat apud Baronium, auctor dicitur, ex quo eruitur eum à Maxentio in exilium pulſum eſſe; licèt enim hic Imperii initio, Perſecutioni finem impoſuerit, poſtea tamen nullum impietatis aut libidinis genus prætermiſit, ut tradit Euſebius lib. 8. cap. 14. donec triennio ferè poſt Sancti Marcelli obitum, à Conſtantino Magno debellatus eſt. Marcellum viginti quinque titulos Romæ conſtituiſse, ſeu Parochiales Eccleſias, propter Baptiſmi & Pœnitentiæ adminiſtrationem, & propter ſepulturas Martyrum ſcribit Auctor libri Pontificalis, qui addit eum ordinationes aliquot menſe Decembri feciſſe Presbyterorum viginti ſex & Diaconorum duorum; Epiſcopos verò per diverſa loca unum ſupra viginti ordinaſſe, ac ſepultum eſſe in cœmeterio Priſcillæ viâ Salariâ. Porrò licèt aliqui, ex eo quòd Euſebius in Chronico Marcelli mentionem non faciat, inferant eum diverſum non eſſe a Marcellino, certum tamen videtur ex ſuperiùs dictis in Marcellino, eos eſſe duos Pontifices inter ſe diverſos.

II. Ejus Decretales ſpuriæ.

Duæ Marcello Decretales attribuuntur, quæ ſuppoſititiæ ſunt. Prima eſt ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ, in qua leguntur loca ex Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo, Hilaro, Innocentio, Gregorio, Leone, & aliis deſumpta. Secunda eſt ad Maxentium, de qua Baronius in Annalibus, qui tamen eam commentitiam eſſe non advertit. Incipit enim cum verbis Sancti Gregorii Epiſt. 114. libri ſeptimi; continet aliorum loca quamplura, & Scripturam citat ex verſione Divi Hieronymi, ſubnotaturque eodem Conſulatu ficticio ac præcedens, ſcilicet, *Maxentio & Maximo V. C. Coſſ.*

S. EUSEBIUS *Pontif. XXXII.*

Anno Domini CCCX.

I. Sub Euſebio Crux inventa non eſt.

S. Euſebius, natione Græcus, patre Medico, Pontificatum adeptus eſt die quintâ Februarii, quæ Dominicalis erat anno trecenteſimo decimo, poſtquam ſedes vacaſſet dies viginti, ut tradunt liber Pontificalis & Auctius Chronicon veterum Pontificum, in quibus tamen falsò legitur Crucem Domini ſub Euſebii Pontificatu inventam fuiſſe, cum conſtet ex antiquis Auctoribus non contigiſſe Dominicæ Crucis inventionem ante tempora Concilii Nicæni. De ea inventione poſt Concilium illud hæc leguntur in fine Chronici Euſebii ſecundùm editionem Pontaci: *Helena Conſtantini Mater divinis monita viſionibus, beatiſſimum Crucis ſignum, in quo mundi ſalus pependit, apud Jeroſolymam reperit;* quamquam enim ea verba non reperiantur in pleriſque Euſebii mss. Codicibus, leguntur tamen in pluribus aliis, & in editionibus anterioribus; imò hæc Inventio iiſdem ferè verbis refertur apud Sulpitium Severum lib. 2. Idacium, Adonem & alios, apud Rufinum lib. 6. cap. 8. apud Ambroſium de obitu Theodoſii, apud Sozomenum lib. 2. cap. 1. apud Theodoretum lib. 1. cap. 18. & plures alios ab Arnaldo Pontaco in Notis ad hunc Euſebiani Chronici locum laudatos, in quibus ea inventio ad Nicæni Concilii tempora refertur. Præterea Helenam Conſtantini matrem, ſub Euſebio Papa Dominicam Crucem Jeroſolymis inveniſſe, nullâ ratione dici poteſt, cùm nihil tum Conſtantinus in Siria haberet, quæ Maximini tyrannide premebatur, neque adhuc plenè in Chriſtum credebat, quòd poſt Crucis in Cœlo viſionem, quæ anno tantùm 312 contigit, ardentiſsimè fecit, ideoque hoc tempore Chriſtianam Religionem nondum ſuſceperat, ſicut nec mater ejus Helena.

De-

Digitized by Google

SÆC. IV. S. EUSEBIUS.

Denique ſub Euſebii Pontificatu, Macarius nondum erat Epiſcopus Jeroſolymorum, quam Eccleſiam anno tantùm CCCXII regendam ſuſcepit, & tamen ſub eo facta ſupponitur S. Crucis inventio.

II. *Epiſtolæ ei falsò adſcriptæ.* Obiit S. Euſebius die vigeſimaprimâ Junii ejuſdem anni trecenteſimi decimi, poſtquam ſediſſet menſes quatuor, dies ſedecim, & ordinaſſet Epiſcopos quatuordecim, Presbyteros tredecim, Diaconos tres, ſepultus in Cœmeterio Calliſti viâ Appiâ. Tres ejus circumferuntur Epiſtolæ, ſed confictæ & ſuppoſititiæ. Prima data eſt *ad Epiſcopos Galliæ*, incipiens à verbis Gregorii lib. XI. Epiſtolâ XXXVI. *Scripta Sanctitatis veſtræ*, &c. continetque plura ex Ennodio deſumpta. Secunda Epiſtola eſt *ad Ægyptios*, in eaque refertur locus ſatis amplus ex quinta Synodo Romana ſub Symmacho. Tertia eſt ad *Epiſcopos Tuſciæ & Campaniæ*, incipitque à verbis Hormiſdæ Epiſtola 25. *Benedictus Dominus noſter, qui per miſericordiam ſuam Romanam Eccleſiam*, &c. In ea mentio inventionis Sanctæ Crucis, quam, ex ſuperiùs dictis, conſtat, Euſebii tempore nondum inventam fuiſſe.

III. *Ejus decretum de Extrema Unctione.* Extat apud Ivonem Carnotenſem decreti part. 15. c. 35. Euſebii Papæ Decretum, ex quo Edmundus Martene lib. 1. de Antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 7. art. 2. infert Sacramentum Extremæ Unctionis ante Viaticum ægrotis collatum fuiſſe, & conſequenter antequam jam omni ſalutis ſpe amiſsâ, vitâ & ſenſibus carere Inciperent. Jubet enim Euſebius illo decreto, ut Sacerdos circa ægrotantem pœnitentem *orationes dicat, & ungat eum oleo Sancto, & Euchariſtiam ei donet*. Ex eo enim ſequitur Euchariſtiam, poſt Unctionem, ægrotis adminiſtratam fuiſſe, cum tamen Viaticum nonniſi mente integrâ, & corpore non deficiente ſuſcipi debeat. Acta Sancti Leonis IX Papæ à Wiberto Archidiacono deſcripta lib. 2. cap. 16. aſſerunt etiam hunc Sanctum Pontificem decreviſſe, *ut quoniam plures Epiſcoporum, Abbatum, cæterorumque fidelium confluxerunt turbæ, eis præſentibus inungeretur ſacri olei liquore. Super quo facto exhilaratus uſquequaque, munituſque corporis & ſanguinis Domini communione*, &c. Alterum hujus moris argumentum repetit idem Martene ex conſuetudine iterandæ Unctionis per ſeptem continuos dies; ac tandem ex Cæremoniis unctionis, quæ aliquando fiebat in Eccleſia, imò infirmis non ſemper jacentibus, ſed genuflexis, aut ſedentibus. Ex quibus rectè infert, hæc omnia peragi haudquaquam potuiſſe in eum, qui exhauſtis omnibus viribus, & penè exſanguis eſſet corpore, ac proinde ſtatim ut certum ineſſet ſalutis periculum infirmos inunctos fuiſſe, ac poſtea Viaticum recepiſſe.

S. MELCHIADES *Pontif. XXXIII.*

Anno Domini CCCX.

I. *Melchiadis Decretum de Euchariſtia ad abſentes mittenda.* S. Melchiades, ſeu Miltiades, natione Afer, Sancto Euſebio ſucceſsit, ordinatus die ſecundâ menſis Julii ejuſdem anni trecenteſimi decimi, quæ in Dominicam incidebat, ut legitur in Chronico Damaſi. De eo libri Pontificalis Auctor ſcribit: *Hic fecit ut oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi, dirigerentur, quod declaratur fermentum*; ad quæ verba, etiam relata in Auctiori Chronico Veterum Pontificum, Schelſtratius in Antiquitate illuſtrata pag. 442. ait:,, Ob Diſciplinam Arcani Euchariſtia hoc loco Fermentum vocatur, ut diſſertatione eâ de re editâ monſtravimus. Euchariſtiam namque Epiſcopis & Presbyteris ad Urbem venientibus mittere conſueverant Pontifices, ut teſtatur Divus Irenæus apud Euſebium lib. 5. cap. 24. Intelligit Schelſtratius ſingulare Opus, quod in lucem emiſit de Diſciplina Arcani, in quo cap. 7. art. 5. de hoc Melchiadis decreto fusè diſſerit, & probat per quinque priora Eccleſiæ ſæcula, tam Romanos Pontifices in Decretis, quàm fideles in Colloquiis, Euchariſtiæ ſacramentum ſub fermenti nomine occultaſse. De eodem Fermento lege dicenda in Siricio & Innocentio, ubi Melchiadis decretum explicatur. Addit Auctor libri Pontificalis, Melchiadem conſtituiſſe, *ne ullâ ratione die Dominicâ, aut quintâ feriâ, jejunium quis fidelium ageret, quia hos dies Pagani quaſi ſacrum jejunium celebrabant*. Tandem Melchiades Romæ concilium celebravit, in quo condemnati ſunt Donatiſtæ, de quo mox.

II. *Dies mortis Melchiadis.* Ad cœleſtem patriam tranſiit die decimâ menſis Januarii anni trecenteſimi decimi quarti, poſtquam, ut legitur in Chronico Damaſi & in Catalogis, annos tres, menſes ſex & dies novem ſediſset, unde ejus depoſitio, tam in Indiculo depoſitionis Epiſcoporum apud Bucherium, quàm in Martyrologio Hieronymiano ad eamdem diem decimam Januarii memoratur. Verum quidem eſt in eodem Martyrologio ad diem ſecundam menſis Julii itidem haberi: *Depoſitio Miltiadis Papæ*, ſed hæc verba intelli-

ligenda de aliqua ejus Tranſlatione, quæ die ejus ordinationis facta fuerit. Sepultus eſt in cœmeterio Calliſti: ordinationem unam menſe Decembri fecit Presbyterorum ſeptem, Diaconorum quinque; Epiſcopos prætereà duodecim per diverſa loca ordinavit.

III. Decretalis ipſi falsò attributa.

Inter Pontificum Romanorum Epiſtolas decretales habetur una Melchiadis *ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos*, quæ dicitur *data Kalendis Maii Voluſiano & Ruffino Viris Clariſſimis Coſs.* quæ non poteſt non eſſe ſuppoſititia, cùm jam à die decima Januarii illius anni, ſcilicet trecenteſimi decimi quarti, Melchiades fato functus fuiſſet. Præterquamquod citatur in eâ Scripturâ juxta Hieronymi verſionem, & refertur prolixum fragmentum ex Eucherii Homilia de Pentecoſte, quæ communiter tribuitur, vel Euſebio Emiſſeno, vel Fauſto Regienſi, Melchiade junioribus.

Initium Schiſmatis Donatiſtarum & Concilium Romanum contra eos celebratum.

IV. Donatiſtarum ſchiſmatis initium & cauſa.

Schiſma Donatiſtarum, cujus initium plerique omnes cum Baronio, ad annum trecenteſimum ſextum revocant, anno tantum trecenteſimo duodecimo inchoatum eſt, poſtquam pax Africanæ Eccleſiæ reddita fuit à Maxentio: *Tempeſtas perſecutionis*, ait Optatus lib. I. contra Parmenianum, *peracta, & definita eſt. Jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Chriſtianis libertas eſt reſtituta. Botrus & Celeuſius, ut dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt, ut abſentibus Numidis, ſoli vicini Epiſcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc ſuffragio totius populi Cæcilianus eligitur, & manus imponente Felice Aptungitano Epiſcopo ordinatur*, &c. Perſecutioni autem in Africa finis impoſitus eſt anno tantùm CCCXII, ut probat Annotator Baronii. Botrus & Celeuſius, cùm ſpe ſuâ ſe dejectos viderent, conjurare adversùs Cæcilianum ordinatum Epiſcopum Carthaginenſem cœperunt, & adhibitâ in ſocietatem Lucillâ, potentiſſimâ fœminâ, Cæciliano infenſâ, ac ſenioribus plebis Catholicæ, quibus Menſurius, Cæciliani deceſſor, ornamenta Eccleſiæ commendaverat, Epiſcopos Numidiæ, qui non mediocrem injuriam ſibi factam putabant, quòd ad Cæciliani ordinationem evocati non fuiſſent, Carthaginem convenire curarunt, qui numero ſeptuaginta congregati, Cæcilianum abſentem, quòd evocatus venire noluiſſet, damnaverunt; duo crimina illi objicientes. Primum, quòd à Traditoribus ordinatus fuiſſet Epiſcopus; deinde, quòd cùm eſſet Diaconus victum afferri Martyribus in cuſtodia poſitis prohibuiſſet. Poſt hæc in locum Cæciliani Majorinum ordinarunt Epiſcopum in gratiam Lucillæ, cujus domeſticus erat. Hoc eſt initium Schiſmatis Donatiſtarum, ſic dictorum à Donato à Caſis Nigris Epiſcopo, Majorini ordinatore, quem Auguſtinus in Breviario Collationis tertiæ, & in libro Retractationum ſcribit, Cæciliano adhuc Diacono ſchiſma feciſſe Carthagine, ejuſque facinoris reum poſtea convictum fuiſſe in Synodo Romana, ſedente Melchiade. Sed quoniam in ordinatione Cæciliani vehementiùs erupit, idcircò ſchiſmatis initium ab illa ordinatione deſumitur.

V. Schiſmatici ad Imperatorem recurrunt.

Schiſmatici adversùs Cæcilianum ſcripſerunt libellos, & Anulinum Africæ Proconſulem interpellarunt, ut eos ad Conſtantinum, tunc in Galliis agentem, mitteret, quibus eum rogabant, ut de Gallia judices dari præciperet. Imperator lectis Donatiſtarum libellis, ſubiracundè reſpondit, teſte Optato Milevitano: *Petitis à me in ſæculo judicium, cùm ego ipſe Chriſti judicium expectem.* Dedit tamen judices Maternum Agrippinenſem, Rheticium Auguſtodunenſem & Marinum Arelatenſem Epiſcopos, qui cum Melchiade Papa, & aliis Epiſcopis Italis ab ipſo deligendis cauſam Cæciliani judicarent.

VI. Synodus Rom. in cauſa Donatiſtarum.

Congregata eſt Romæ Synodus, die ſecundâ Octobris, feriâ ſextâ, ideoque anno Chriſti trecenteſimo decimo tertio, in domo Fauſtæ in Laterano. Ei præfuit Melchiades, cui aſſidebant tres præfati Epiſcopi & quindecim Itali. In Donatum à Caſis-nigris lata ſententia eſt ſuffragantibus univerſis, *quòd confeſſus ſit rebaptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quod ab Eccleſia alienum eſt. Teſtes inducti à Donato confeſſi ſunt ſe non habere quod in Cæcilianum dicerent. Cæcilianus omnium ſupramemoratorum ſententiis innocens eſt pronunciatus, etiam Miltiadis ſententiâ, quâ judicium clauſum eſt his verbis*: „Cùm conſtiterit Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerant, juxta profeſſionem ſuam „non accuſari, nec à Donato convictum „eſſe, in aliqua parte conſtiterit, ſuæ „communioni Eccleſiaſticæ integro ſtatu retinendum meritò eſſe cenſeo. Referuntur hæc ab Optato Milevitano lib. I. adversùs Parmenianum, qui alteram partem ſententiæ, de damnatione ſcilicet Donati, & de ſuſceptione Epiſcoporum partis Majorini prætermiſit. Huic Synodo Marcus Presbyter, poſteà, Sancto Sylveſtro mortuo, Romanus Pontifex, interfuit, ut videre eſt apud Valeſium in Notis ad librum 10. Euſebii cap. 8. & in Critica Baronii anno

Digitized by Google

SÆC. IV. S. MELCHIADES. no CCCXIII. Ferunt tum Donatiſtas condemnatos, à ſententia Epiſcoporum Concilii ad Imperatorem appellaſſe, dictumque à Conſtantino, cum id accepit: *O rabida furoris audacia! Sicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.* Diſputatur inter Doctos num hæc ad Imperatorem appellatio facta fuerit in hoc Romano, an in Arelatenſi Concilio ſub Silveſtro.

VII. *Donatiſtarum ſchiſma in hæreſim evadit.* Porrò Donatus à Caſis-nigris confeſſus eſt ſe rebaptizaſſe & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quia Schiſma Donatiſtarum in hæreſim evaſerat, cujus hi præcipui errores. Primò, Baptiſmum extra Eccleſiam collatum nullum eſſe contendebant, & quia Eccleſiam intra ſuam ſectam coarctabant, ideò Catholicos à ſe deceptos, ſuoque ſchiſmati implicitos rebaptizabant. Secundò, Eccleſiam in cæteris orbis regionibus Traditorum contagio, malorumque communione periiſſe aſſerebant, & in Africa remanſiſſe in ſola parte Donati, ideoque Epiſcopis lapſis manus de novo imponebant. Tertiò tandem, Eccleſiam Catholicam meretricem vocabant, ut refert S. Auguſtinus in Concione de geſtis cum Emerito. Qui plura cupit de ſchiſmate Donatiſtarum, legat diſſertationem ab Henrico Valeſio de eo editam, Euſebii editioni ſubjunctam, & Natalem Alexandrum ſæculo quarto.

S. SILVESTER *Pontif. XXXIV.*

Anno Domini CCCXIV.

I. *S. Silveſter fit Papa.* S. Silveſter, natione Romanus, ex patre Rufino, Sancto Melchiadi ſucceſsit, ordinatus die ultimâ Januarii anni trecenteſimi decimi quarti, in quam Dominica incidebat, qui mos, poſt redditam à Conſtantino Magno Eccleſiæ pacem, ſervatus fuit, & Romani Pontifices, vel die Dominicâ, vel feſto aliquo ſolemniori inaugurati. Silveſtrum à Marcellino Papa Presbyterum ordinatum, non verò à Melchiade, docet S. Auguſtinus contra Petilianum de unic. Baptiſm. cap. 16.

II. *Ejus Acta ſuppoſititia.* Acta S. Silveſtri narrant eum anno trecenteſimo decimo quinto Synodum Romæ celebraſſe, cui diverſarum provinciarum Epiſcopi numero LXXV interfuerint, & Helenam tunc adhuc gentilem, ſed à Judæis penè Judæam effectam, Conſtantinum filium ad Judæorum religionem amplectendam invitaſſe; ſed hæc omnia planè fictitia ſunt. Quis enim ſibi perſuadeat in unum Concilium conveniſſe Chriſtianorum Antiſtites, & Judæorum Sacerdotes, quod tamen in illis Actis legitur, ad diſputationem de Religione ineundam? Quis duodecim Rabbinos ab Iſſachar ſummo ſacerdote delectos ſibi fingat, qui contra Chriſtianam fidem diſputarent; cùm à tempore excidii Jeroſolymitani deſierint creari ſummi Pontifices. Quare Sancti Silveſtri Acta planè ſuppoſititia ſunt.

III. *Indulgentiæ in eis memorata commentitia.* In iiſdem Actis variæ etiam indulgentiæ à Sancto Silveſtro dicuntur conceſſæ, tàm Baſilicæ Lateranenſi, quàm Baſilicæ Sancti Sebaſtiani extra muros, quæ ſunt etiam commentitiæ, quod manifeſtè liquet ex verbis in lapide Baſilicæ Sancti Sebaſtiani expreſsis: *Eamdemque* (indulgentiam à Silveſtro largitam) *ſucceſſores ejus in Feſtis duplicibus, & in Quadrageſima duplicarunt*, cùm tamen duplicium Feſtorum appellatio ſæculo decimotertio primùm cœpiſſe videatur. Qua de re plura Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico, ubi rectè ſcribit, tam diuturnam tolerantiam Apoſtolicæ Sedis, ſub cujus oculis tum in Lateranenſi, tum in aliis nonnullis antiquiſſimis Eccleſiis manent expoſita monumenta indulgentiarum, velut à Sancto Silveſtro eas viſitantibus conceſſarum, ſufficientem videri, ad ſupplendum quemcumque juris aut facti defectum. Quamvis enim nequeat efficere Pontifex, ut à Silveſtro datæ ſint, quæ datæ non fuerunt; facere tamen poteſt ut eæ reverà iſtic nunc obtineantur, æquè ſi ab ipſo Silveſtro promanaſſent. De Indulgentiis vide dicenda in Sergio II.

IV. *S. Silveſter Conſtantinum non baptizavit.* Fictitium pariter eſt quod legitur in iiſdem Actis & in libro Pontificali, Sanctum Silveſtrum Romæ Conſtantinum Imperatorem baptizaſſe, eumque à lepra mundaſſe; hunc enim in extremis conſtitutum & ſub mortem Nicomediæ baptiſmum ſuſcepiſſe, præter Euſebium, Socratem, Sozomenum, Hieronymum in Chronico, alioſque antiquos, Ambroſius & Athanaſius in libro de Synodis, ubi Ariminenſis Synodi, anno CCCLIX celebratæ, Patrum Conſtantium Conſtantini filium alloquentium verba recitat, diſertè teſtantur. Certè Lepra, quæ Conſtantinum impulerit ad baptiſmum Romæ accipiendum, ut ab ea ſanaretur, antiquioribus Scriptoribus ignota, eòque magis fit incredibilis, quò Julianus Apoſtata fidentiùs objecit Chriſtianis, quòd eorum *baptiſma lepram leproſi non aufert.* Si enim adeò recenti memoriâ leproſus Conſtantinus lepræ ſordes baptiſmo deterſiſſet, Cyrillo Alexandrino id refutaturo libro ſeptimo

Digitized by Google

ptimo contra Julianum illius ſucceſſorem & generum, quid poterat offerri ſpecioſius, atque ad illius convictionem potentius? nihil tamen hujuſmodi Cyrillus, ſed cùm Chriſtum etiam leproſos mundaſſe dixiſſet, excuſat baptiſmum ejus, ad emundandas ſordes non corporis, ſed animi inſtitutum eſſe.

V. Conſtantini rebaptizatio rejecta.

Neque audiendi ſunt, qui utramque de Conſtantini baptiſmo ſententiam conciliaturi, Romæ quidem à Silveſtro Papa baptizatum eſse dicunt, ſed Nicomediæ rebaptizatum ab Euſebio Nicomedienſi; nam rebaptizationem ab Arianis ante Vandalicæ perſecutionis tempora tentatam nemo cum fundamento dixerit, nec debet, totâ Antiquitate ſilente, recipi. Quis enim, ſaltem vivente Conſtantino, auſus fuiſset Nicænæ Synodi profeſſores, quam ille ſemper & ubique ſpectabat, & omninò ſartam tectam volebat, affirmare hæreticos, quorum proinde Baptiſmus invalidus crederetur? ut autem Ariani jam tum tale quidpiam clàm auſi eſſent, necdum poſſet dici, quòd Euſebius Nicomedienſis, Arianiſmi notam conatu omni à ſe tunc amoliri ſtudens, partem habuerit in ea impietate, ut ait Papebrocius in Vita Sancti Conſtantini ad diem XXI Maii, ubi pluribus & ſententiam de baptiſmo ei Romæ collato, & ejuſdem rebaptizationem rejicit. Ibidem etiam examinat & reprobat, quod in libro Pontificali legitur, nempe Silveſtrum Conſtantini perſecutionem fugientem, in montem Soractem fugiſſe, ex quo redux eum baptizavit.

VI. Synodus Rom. ſuppoſititia.

Suppoſititia pariter eſt alia Synodus Romana, quæ in eiſdem S. Silveſtri Actis tertio Kalendas Junii poſt baptizatum Conſtantinum, eo præſente collecta dicitur, Hincmaro Remenſi, Petro De Marca, Labbeo, Lupo, aliiſque Viris Eruditis teſtibus. Quomodo enim die trigeſimâ menſis Maii anni CCCXXIV, Synodus illa celebrari potuit, præſente Conſtantino, qui toto illo anno, bello Liciniano occupatus, in Oriente verſatus eſt, ut videre eſt in Critica Baroniana. Ejus plurima alia ſuppoſitionis capita nuper retulit Schelſtratius in ſecunda parte Antiquitatis Illuſtratæ diſſert. 3. cap.8. De ſupra dictis Synodis & baptiſmo Conſtantini, legendus etiam Natalis Alexander ſeculo IV.

VII. S. Silveſtri obitus.

S. Silveſter, poſtquam ordinationes ſex, menſe Decembri feciſſet, Presbyterorum XLII & Diaconorum XXVI, ac Epiſcopos inſuper LXII per diverſa loca creaſſet, ad Deum tranſiit die trigeſimâ primâ menſis Decembris anni trecenteſimi trigeſimi quinti, ideoque ſedit annis viginti uno, menſibus undecim, ut in ſæpe citato Chronico Damaſi legitur; ejus enim Depoſitio die 31. Decembris memoratur etiam in Martyrologio Hieronymiano & in Indiculo depoſitionis Epiſcoporum apud Bucherium. Sepultus eſt in cœmeterio Priſcillæ viâ Salaria.

VIII. Controverſia de Tranſlatione corporis ejus.

De Tranſlatione corporis ejus quæſtio eſt, an Romæ in Eccleſiam à Paulo primo in ejus honorem conſtructam, cum corpore Sancti Stephani Papæ & martyris, tranſlatum ſit anno DCCLXI, vel DCCLXII, an verò ſedente Stephano II anno DCCLII ad Monaſterium Nonantulanum. Baronius anno DCCLXI refert conſtitutum ſeu Bullam Pauli Papæ, in qua Sanctorum Tranſlatio dicitur facta ad eam Eccleſiam indictione XIV, ſeu anno DCCLXI, corpus quidem S. Stephani die XVII Auguſti, corpus verò S. Silveſtri die XIX Junii; in editione Conciliorum Labbeanâ legitur 19. Julii. Papebrocius verò in Conatu Chronico-Hiſtorico in Stephano refert eamdem Pauli Papæ Bullam, ex Joanne Giaccheti Serrano in libello, quem de ipſa Eccleſia edidit, datam, ut ipſe ait, indictione XV ſeu anno DCCLXII, & corpus S. Silveſtri non die XIX Junii, ſed die XVIII in eam Eccleſiam tranſlatum dicitur. Idem tamen Papebrocius in Paulo, illam Bullam ſuppoſititiam eſſe ſuſpicatur; quòd notæ temporum, quibus inſignitur, inter ſe non conveniant; ſed quod, meo judicio, ſuſpicionem auget, eſt, quòd cum Tranſlationes Sanctorum ſæculo octavo diebus Dominicis, vel Feſtis ſolemnioribus fierent, neutro tamen ex his annis DCCLXI & DCCLXII, dies XVII Auguſti, & dies XVIII, aut XIX Junii Dominicales fuerunt. Prætereà Auctor Anonymus Vitæ S. Anſelmi, Abbatis Nonantulani in Italia primi, quæ extat ſæculo quarto Benedictino, parte primâ, quem Mabillonius paulò poſt S. Anſelmum, qui ſæculo octavo floruit, vixiſſe oſtendit, diſertis verbis aſſerit Stephanum II Papam ad petitionem Aiſtulphi Longobardorum Regis, conceſſiſſe S. Anſelmo corpus Sancti Silveſtri Papæ, quod tranſlatum eſt ad dictum Monaſterium Nonantulanum, & alias literas refert ejuſdem Stephani Papæ, quibus donationes eidem Monaſterio factas, ac corpus S. Silveſtri Anſelmo confirmat, datas *menſe Januario*, *indictione ſexta Pontificatûs* ejus *anno primo*, ideoque anno 753. Vel ergo cum Baronio ad annum 752. num.15. dicendum, non corpus Sancti Silveſtri, ſed ejus Reliquias Nonantulam tranſlatas, vel Pauli I Bullam ſuppoſititiam eſſe, cum dictus Anonymus Nonantulanus & Sigebertus diſertè dicant corpus S. Silveſtri Anſelmo datum fuiſſe.

IX. Conſtitutæ ab eo de Corporali, & altaribus lapideis.

Apoſtolos non in nudo altari, ſed pannis ſeu linteis ornato ſacrum celebraſſe omninò credendum eſt, ob maximam reverentiam, quâ Sanctiſſimum Chriſti corpus venerabantur; nunc utimur Sindone, cui *Corporalis* nomen ab Eccleſiaſticis Scriptoribus

ribus inditum eſt. At Silveſter in libro Pontificali conſtituiſse dicitur, ut Sacrificium Altaris non in ſerico, neque in panno tincto, ſed tantùm in lineo ex terra procreato conſecraretur; ſicut corpus Domini in ſindone linea & munda ſepultum fuit. De Corporali plura habet Bona Cardinalis lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 25. Plerique ſcribunt à S. Silveſtro conſtitutum, ut Altaria lapidea eſſent; ſed hujus decreti nulla mentio apud Antiquos reperitur, & licèt Gregorius Nyſſenus, qui eodem ſæculo quo Silveſter claruit, Altaris lapidei tanquam communiter tunc uſitati meminerit Orat. in Baptiſmum Chriſti; Sanctus tamen Athanaſius, eo ipſo ſæculo, ligneum commemorat in Epiſtola ad Solitarios. Ex quibus intelligitur promiſcuum tunc uſum in Oriente altaris lignei & lapidei viguiſſe. Poſteà ſancivit Eccleſia, ut nemini liceat celebrare, niſi in altari lapideo conſecrato; ſed quis hoc primùm certâ lege firmaverit, an Silveſter, an alius, adhuc incertum eſt. De Altaribus ligneis, lapideis, argenteis, aureis, eorumque formâ, lege Edmundum Martene lib. 1. de Antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 3. art. 6. ubi & de vaſis ſacris olim ad celebrandam Miſſam adhibitis.

X. Unctionem verticalem in Baptiſmo inſtituit.

Inter antiquos Baptiſmi ritus frequentior occurrit apud Veteres mentio unctionis verticalis ex Chriſmate à presbytero factæ. Ipſius inſtitutionem adſcribit idem Libri Pontificalis Auctor Sancto Silveſtro his verbis: *Et hoc conſtituit, ut baptizatum liniat Presbyter Chriſmate levatum de aqua propter occaſionem tranſitûs mortis.* Auctori libri Pontificalis concinunt Amalarius lib. 1. de Eccleſiaſticis officiis cap. 27. Walfridus lib. de Rebus Eccleſ. cap. 26. Rabanus de Inſtitutione Clericorum lib. 1. cap. 8. Rupertus lib. 5. de Divinis officiis cap. 16. & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. part. 7. cap. 3. Ex quibus, ut inquit Edmundus Martene lib. 1. de Antiquis Eccleſiæ ritibus art. 15. meritò infert Menardus in Notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ pag. 144. antiquos Scriptores Silveſtro ſuperiores, ubi de unctione ſeu Chriſmatione locuti ſunt, intelligendos eſſe de Confirmationis ſacramento, & quia Græci carent verticali unctione, eorum Patres antiquos, cùm de unctione Chriſmatis agunt, de illa quæ fit in fronte ab Epiſcopo eſſe interpretandos. Ex ejuſdem porrò Silveſtri inſtitutione hæc unctio ad ſolos Presbyteros, non verò ad Diaconos ſpectat; unde in Concilii Toletani primi circa annum CCCC celebrati Canone 20 ſtatutum eſt, Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum abſente Epiſcopo, præſente verò, ſi ab ipſo fuerit præceptum.

S. Silveſtri imago ab antiquo pingitur cum Tiara in capite, quod deceſſores ejus omnes nudum præferunt. Cauſam ex opinione vulgi refert Jacobus S. Georgii ad velum aureum Cardinalis lib. 2. de Coronatione Bonifacii VIII, quòd nempe Conſtantinus à Sancto Silveſtro baptizatus *proprium ſibi regnum, ſeu phrygium* (ideſt coronam) *Silveſtri in vertice preſſerit.* Sed hoc, ut apparet, ſumptum eſt ex famoſa Conſtantini donatione urbium & provinciarum, aut ſaltem civitatis Romanæ Sedi Apoſtolicæ, quæ, ipſo etiam fatente Baronio, ſuppoſititia eſt. In illa enim præcipitur, ut Silveſter & ejus ſucceſſores Pontifices Romani, coronâ ex auro puriſſimo & gemmis pretioſis uti debeant, ſicuti ipſe Conſtantinus utebatur. Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum cenſet, omiſſis illis fabulis, dici poſſe, quòd conſtitutâ per Conſtantinum Eccleſiaſticâ pace, Silveſter vel propriâ electione, vel ipſius mandato, pileum ſumpſerit Romano more, ſymbolum libertatis, eumque auro phrygio, ſeu diademate ornatum infernè, quà caput tangit, ad ſignificandum regale ſacerdotium, ſacerdotum omnium principi collatum à Chriſto: cui Bonifacius VIII alteram coronam impoſuit, exprimi eo volens utriuſque regni corporalis & ſpiritualis prærogativam: triplicis denique coronamenti Tiaram ante annos circiter trecentos aſſumpſiſſe Urbanum Quintum, numeri myſtici forſan causâ.

XI. Primus cum Tiara in capite pingitur.

Concilium Arelatenſe contra Donatiſtas.

XII. Concilium Arelatenſe contra Donatiſtas.

SUb Sancto Silveſtro ſchiſma Donatiſtarum majores vires ſumpſit, quare in Concilio Arelatenſi primo damnati ſunt. Cùm enim quererentur Donatiſtæ apud Conſtantinum Imperatorem de Romana Synodo ſub Melchiade Papa anno 313 celebratâ, quòd non rectè judicaſſet, neque omnia cauſæ, de qua agebatur, momenta expendiſſet, Conſtantinus Concilium Arelatem convocavit ad Kalendas Auguſti anni trecenteſimi decimi quarti, Silveſtri Romani Pontificis primo, ad quod convocati ſunt Epiſcopi ex locis diverſis ac propè infinitis plurimi, ut teſtatur Conſtantinus in Epiſtolâ ad Chreſtum Syracuſanum Epiſcopum. Ne verò Epiſcopi ſumptuum exceſſu deterriti à Synodo abeſſent, juſſit Imperator publicum ipſis viaticum à Præſidibus provinciarum ſuppeditari, tractoriaſque ad hunc finem ipſis dari literas, ut ejuſdem Imperatoris literæ ad Ablavium Africæ Vicarium certum faciunt. Ducentos Epiſcopos ei interfuiſſe communior & verior eſt opinio.

Digitized by Google

SÆC. IV. S. SILVESTER.

In eo Concilio cauſa Cæciliani, & ſchiſmatis Donatiſtarum diſcuſſa eſt, iſti damnati, Cæcilianus abſolutus, & viginti duo Canones conditi, quorum octavus baptiſma hæreticorum in Patre & Filio & Spiritu Sancto collatum, ratum eſſe decernit, & rebaptizationes prohibet contra Donatiſtas, ex quo, & ex tam copioſo Epiſcoporum numero, Launojus exiſtimavit, Divum Auguſtinum, per plenarium Concilium, in quo quæſtio de baptiſmate hæreticorum finita eſt, intellexiſſe Concilium Arelatenſe; Joannes verò Nicolai exiſtimat, S. Auguſtinum, non de Concilio Arelatenſi, ſed de Nicæno Oecumenico intelligendum eſſe. Utriuſque rationes legi poſſunt in Critica Baroniana, ubi Auctor Joannis Nicolai ſententiam tuetur, & probat inſuper incertum prorsùs eſſe, an Conſtantinus huic Concilio Arelatenſi interfuerit.

XIII. An in eo finita ſit controverſia de Baptiſmo hæreticorum?

XIV. Actorum confirmatio à S. Silveſtro petita.

Abſolutâ Synodo Patres de rebus in ea geſtis & Canonibus conſtitutis relationem ad Silveſtrum Papam miſerunt, honorificâ ad eum datâ Epiſtolâ, quâ dicti Concilii, Canonumque confirmationem & promulgationem ad ipſum pertinere agnoſcunt. *Placuit*, inquiunt, *per te, qui majores diœceſes tenes, potiſſimum omnibus inſinuari*.

Initium Hæreſis Arianæ, & Concilium Nicænum, Generale primum.

XV. Arii patria & hæreſis initium.

SUb eodem Sancto Silveſtro emerſit Arii hæreſis, cui damnandæ cum auctore ipſius Nicænum magnum Concilium convocatum eſt, ac celebratum. Ariana hæreſis ab Ario ejus auctore initium & nomen ſortita eſt. Is ex Lybia, quæ Ægypto vicina eſt, & Alexandriæ contributa, oriundus, externâ corporis, oris, & habitûs ſpecie eam præferebat virtutem, gravitatem & modeſtiam, quâ facilè hominibus illuderet. Meletio Lycopolis in Ægypto Epiſcopo, contra Sanctum Petrum Alexandrinum Epiſcopum ſchiſma facienti, propterea quòd ab ipſo, ob idololatriæ crimen, aliaque ſcelera, fuiſſet in Concilio Epiſcoporum depoſitus, ſe adjunxit, ſed poſteà ex ſchiſmate converſus, ab eodem Sancto Petro Diaconus ordinatus eſt, à quo ſubinde Eccleſiâ pulſus, poſt ejuſdem Sancti Martyrium, quod anno trecenteſimo undecimo contigit, in Eccleſiam irrepſit, & ab Achilla ejus ſucceſſore in communionem ſuſceptus, Presbyter factus eſt. Quo, anno trecenteſimo decimo tertio, mortuo, ambitio & invidia in Sanctum Alexandrum, quem ſibi in electione ad Epiſcopatum Alexandrinum prælatum ægrè ferebat, ipſum ad fabricandam hæreſim impulit. Licèt autem ea initio Epiſcopatûs Sancti Alexandri innoteſcere cœperit, ejus tamen initium repetendum videtur ab anno trecenteſimo vigeſimoprimo, quo damnata eſt in Concilio Alexandrino, cui interfuerunt centum ferè viginti Epiſcopi.

SÆC. IV. S. SILVESTER.

XVI. Ejus errores.

Errores Arii & ejus ſequacium hi erant. Sancto Alexandro de myſterio Sanctiſsimæ Trinitatis in Conventu Eccleſiaſtico diſſerente, & Filium Patri honore parem, ejuſdemque cum ipſo ſubſtantiæ prædicante, Arius palàm aperteque reſtitit, aſſerens unum eſſe verè, propriéque dictum Deum, ſcilicet Patrem. *Solum ingenitum, ſolum æternum, ſolum nullo principio inchoatum, ſolum verum, ſolum immortalitate præditum, ſolum ſapientem, ſolum bonum, qui genuit filium unigenitum ante tempora æterna, per quem ſæcula condidit.*

XVII. Circa myſterium Trinitatis.

Secundò, aſſeruit filium eſſe creaturam Dei perfectam, non eſſe conſubſtantialem Patri, non eſſe coæternum Patri, neque Patris naturam, ut in ſe eſt, cognoſcere, nec ſuam ipſius; alienum externumque eſſe à Patre quantùm ad ſubſtantiam; fuiſſe tempus quando non erat; Verbum mutabilitati obnoxium eſſe, & in libero ejus arbitrio fuiſſe, quamdiu vellet bonum permanere. Deum porrò, cùm præcognoſceret eum bonum futurum, anticipando illi hanc gloriam dediſſe, quam homo poſtmodùm ex virtute mereretur: ipſum proinde participatu gratiæ Deum fieri, ut reliquos omnes, ſic & ipſum titulo tenùs Deum vocari. Quæ Arii blaſphemiæ decerptæ ſunt ex libro, cui titulum fecit, *Taleja*, & ex Auctoribus Eccleſiaſticis hujus temporis.

XVIII. Circa myſterium Incarnationis.

Tertiò, erravit etiam Arius circa myſterium Incarnationis; Verbum namque Divinum corpus aſſumpſiſſe inanime aſſeruit, animæque partes impleviſſe Divinitatem, ut teſtatur Theodoretus. Tandem hymnum glorificationis pervertit, ſuos cantare docens, *Gloria Patri, per Filium, in Spiritu Sancto*. Arianos poſteà rebaptizaſſe Catholicos, qui ad ſuam ſectam veniebant, ſcribit S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus, unde Auctor Libri Pontificalis in Liberio, & in Felice de ea rebaptizatione loquitur. Veroſimiliter tamen exiſtimat Papebrocius, à nobis de baptiſmo Conſtantini loquentibus laudatus, rebaptizationem ab Arianis non tentatam ante tempora Vandalicæ perſecutionis.

XIX. Convocat Concilium Nicænum.

Cùm Arius, poſt Synodum Alexandrinam, in qua ejus hæreſis damnata fuerat, in Palæſtinam abiiſſet, ibi plures ſectatores habuit; quare Conſtantinus Imperator Concilium Generale convocandum cenſuit in urbe Nicææ Bythiniæ Metropoli

Digitized by Google

li, & reverà convocavit de aſſenſu Silveſtri Pontificis Romani, quod ex eo conſtat, quòd cum ob ſenilem ætatem, ut habent Euſebius, Theodoretus, & alii, Silveſter Synodo adeſſe non potuerit, Legatos miſerit, qui ſuo nomine Concilio præfuere. Illi autem fuerunt Oſius Cordubenſis Epiſcopus, Vitus, ſeu Vito, & Vincentius Preſbyteri Sancti Silveſtri, cujus erant legati, ut liquet ex Gelaſio Cyziceno lib. 2. hiſtoriæ Concilii Nicæni cap. 5. ex libro, ut ipſe ait, Euſebii de Vita Conſtantini cap. 7. Trecenti decem & octo Epiſcopi ei interfuerunt ex Sancto Athanaſio in Epiſtola ad Jovianum Imperatorem, Epiphanio Hæreſi 69, Hilario contra Conſtantium, Rufino lib 1. cap. 1. & Theodoreto lib. 1. cap. 7. Erant Viri & vitæ ſanctitate, & miraculis, & Divinarum Scripturarum ſcientiâ planè admirabiles; de quibus Beatus Ambroſius ad Gratianum Auguſtum. *Trecenti*, inquit, *decem & octo ſacerdotes tanquam Abrahæ electi judicio, conſonâ fidei virtute victores, velut trophæum, toto orbe ſubactis perfidis, extulerunt: ut mihi videatur hoc eſſe Divinum, quod eodem numero in Conciliis fidei haberemus oraculum, quo in hiſtoria habemus exemplum*.

XX. *Conſtantinus Imp. Concilio adeſt.*

Adfuit etiam Concilio Conſtantinus Imperator, & infrà Epiſcopos, nonniſi ipſis annuentibus, ſedit. Inchoatum eſt Concilium die decimanonâ menſis Junii, anno Chriſti trecenteſimo vigeſimo quinto, Silveſtri Pontificis duodecimo, Conſtantini Imperatoris vigeſimo, ad quem orationem habuit, Concilii nomine, Euſtathius Antiochenus Epiſcopus. Orationem viciſſim habuit elegantiſſimam Imperator, quâ Patres ad concordiam adhortatus eſt, de quibus legendi Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini cap. 10. & duobus ſeqq. Socrates lib. 1. cap. 8. & Theodoretus lib. 1. cap. 7. qui teſtantur Imperatorem Patribus ſumptus neceſſarios regali munificentiâ miniſtraſſe. Synodus habita eſt in Eccleſia, non verò in Palatio, ut quidam volunt, Euſebii verba malè interpretantes. Porrò cum in ipſo Concilii ingreſſu libellos Imperatori adversùs orthodoxos Antiſtites porrexiſſent Ariani, quò eis infenſum redderent Imperatorem, & ad expugnandam Catholicam fidem, faciliorem aditum ſibi aperirent, indicto die cunctos libellos comburi juſſit Conſtantinus, ut refert Rufinus lib. 1. hiſt. c. 1.

XXI. *Præſides Concilii.*

Celeberrimo huic conſeſſui præfuiſſe Oſium Cordubenſem Epiſcopum, Vitum & Vincentium Preſbyteros, Silveſtri Papæ, cujus erant Legati, nomine, habemus ex Gelaſii Cyziceni libro 2. Hiſtoriæ Concilii Nicæni cap. 5. ubi ex tertio libro Euſebii de Vita Conſtantini cap. 7. ſe iſta tranſcripſiſſe profitetur: *Ipſe etiam Hoſius ex Hiſpaniis, nominis, & famæ celebritate inſignis, qui Silveſtri Epiſcopi maximæ Romæ locum obtinebat, unà cum Romanis Preſbyteris, Vitone & Vincentio, cum aliis multis in conſeſſu illo adfuit.* Verum eſt Euſebii textum ea nunc non habere, quæ ex eo Cyzicenus refert, in eo enim tantùm legitur: *Ab ipſa quoque Hiſpania vir ille multo omnium ſermone celebratus, unà cum reliquis aliis conſedit*. Sed mutilum eſſe in vulgatis Euſebii editionibus hunc locum, optimè notavit Petrus de Marca. Quis enim erit Hiſpanus ille, quamvis famæ celebritate conſpicuus, ſi nomen ejus ſilentio damnetur? Certè incredibile eſt Euſebium, eo in loco recenſentem Provincias, quæ Epiſcopos ſuos ad Synodum Nicænam miſerunt, in illa tam accurata narratione, Italiam, ipſamque urbem Romam omiſiſſe. At licèt concederetur Euſebii textum in vulgatis editionibus purum eſſe, non inde tamen Viti & Vincentii Legatorum Silveſtri præſidentia deſtrueretur. Ibidem quippe ſubjungit Euſebius: *Aberat quidem Regiæ urbis Antiſtes ob ſenilem ætatem: ſed præſtò erant Preſbyteri, qui vices ejus implerent*. Quæ verba de Epiſcopo Romano, non Byzantino, ſeu Conſtantinopolitano, intelligenda eſſe rectè vidit Henricus Valeſius in Notis ad illum Euſebii locum; tempore enim Concilii Nicæni nondum dedicata erat Conſtantinopolis, nec Regiæ urbis vocabulo decorata, nec ejus fundamenta jacta erant; Annotator enim Baronii fusè probat, ejus contructionis initium pertinere ad menſem Novembrem anni CCCXXV. Confirmant hanc explicationem Sozomenus, & Theodoretus; ille lib. 1. cap. 17. ſcribens, ſicut Euſebius, Epiſcopum urbis Romæ *propter ſenectutem* abfuiſſe. *Verùm illius vice* adfuiſſe Vitonem & Vincentium *Romanæ Eccleſiæ Preſbyteros*. Theodoretus verò lib. 1. cap. 7. ubi ita habet: *Epiſcopus autem urbis Romæ ob extremam ſenectutem abfuit ipſe quidem, duos tamen miſit Preſbyteros, qui ipſius nomine geſtis Concilii ſubſcriberent*, quæ verba ex Euſebio laudato deſcripta videntur. Quare etiamſi concedatur Euſebii textum purum eſſe, ex ejus verbis tantùm inferri poſſet, Oſium quidem non præfuiſſe, ſed ex ejus ſententia negari non poſſet, Vitonem & Vincentium miſſos Romani Pontificis *vices ejus* impleſſe, ut ait Euſebius, vel Concilio adfuiſſe, ut Romani Pontificis *nomine geſtis Concilii ſubſcriberent*, ut ſcribit Theodoretus, cui conſentit Sozomenus laudatus: idem autem eſt, adeſſe Concilio Romani Pontificis nomine, vel vices illius gerere, ac illi præeſſe, ut multi viri docti jam probarunt, & inter alios Natalis Alexander Sæc. IV. & Annotator Baronii ad annum 325.

Neque dicas cum Joanne Launojo in Epiſtola ad Raimundum, Formentinum Epiſcopum

Digitized by Google

SÆC. IV. S. SILVESTER.

XXII. *Siniſtra in Conciliis honorabilior dextera.*

ſcopum, qui in dextro ordine primam ſedem occupabat, perbrevi oratione Imperatorem affatum eſſe, teſte Euſebio lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 11. illum autem, qui orationem habuit, fuiſſe Euſtathium Antiochenum Epiſcopum, ut conſtat ex Theodoreto laudato, idoque primum locum habuiſſe in Concilio Euſtathium, atque ipſi præfuiſſe. Jam enim Baronius, aliique ex eo reſponderunt, primum in dextro ordine locum honoratiorem non fuiſſe, ſed primum in ordine ſiniſtro: quod probatur exemplo Concilii Calchedonenſis, in cujus prima Actione ita diſpoſitus legitur Epiſcoporum conſeſſus, ut à ſiniſtra parte Sedis Apoſtolicæ Legati, & poſt ipſos Epiſcopi Conſtantinopolitanus & Antiochenus, à dextris verò Dioſcorus Alexandrinus, quamvis proximè damnandus, & Juvenalis Jeroſolymorum ſederunt. Quamvis igitur primus à dextris ſederit Euſtathius in Concilio Nicæno, non ſequitur quòd præfuerit. Deinde cùm in medio conſeſsûs Epiſcoporum Sacroſancta Evangelia in ſublimi loco collocarentur, quæ typum Chriſti Domini gererent; ex eo intelligitur, illos, qui à parte ſiniſtra ſederent, à dextris Chriſti fuiſſe; eos verò, qui in parte dextera, Chriſto fuiſſe à ſiniſtris. Quò etiam reſpicit vetus Ordo Romanus, in quo hæc de conſeſſu in Eccleſia leguntur: *Sedebunt ea locali diſpoſitione, ut intrantibus Eccleſiam Epiſcopi ſint ad ſiniſtram, Presbyteri verò ad dexteram: ut quando Pontifex ſederit, & ad eos reſpexerit, Epiſcopos ad dexteram, Presbyteros contueatur ad ſiniſtram*. Qua ratione ſiniſtra honoratior dexterâ in Eccleſiaſticis conventibus habebatur, indeque Conciliorum Præſides non à dextris, ſed à ſiniſtris ſedebant.

XXIII. *In Bullis Plumbeis S. Petrus ſiniſtrum, S. Paulus dextrum locum occupat.*

Hanc ſedendi rationem nobiliorem eſſe, demonſtrari etiam poteſt ex Bullis plumbeis nongentorum circiter annorum, in quibus extant expreſſæ imagines Apoſtolorum Petri & Pauli, Paulo ad dexteram Petri collocato. Ut enim inquit Marca in Opuſculis poſthumis à Stephano Baluzio publicatis, de Primatu Petri loquens, quod dextrum latus videtur, ſi Pauli imago cum Petri imagine comparetur, eſt latus ſiniſtrum, ſi referatur ad inſpicientes. Ex qua relatione ſæpe metiendus eſt honoris gradus in conventibus publicis. Hinc profectum, ut Epiſcopus in parte chori ſedeat, quæ dextra eſt ingredientibus, & tamen reſpondet cornu ſiniſtro altaris, in quo ſiniſtrum & dextrum latus nuncupamus, reſpectu habito ad Divini numinis præſentiam, ac ſi Dei Majeſtas ibi ſederet, veluti ſuper Cherubim, ut in veteri Teſtamento; vel Chriſti corpus, vultu ad populum obverſo, ibi conſiſteret. Ex hac quoque ratione ingreſsûs tractum, ut in auditorio publico, Parlamentorum Galliæ Præſides id latus occupent, quod ſiniſtrum eſt, ſi conſeſsûs ordo à perſonis ſedentium ducatur: quod tamen reſpondet lateri dextro adſtantis cœtûs. Quod ſplendidiùs eminet, Rege in Senatu Pariſienſi pro tribunali ſedente. Ad ejus enim ſiniſtram conſident Pares Franciæ Eccleſiaſtici, quibus præcipuus honor defertur, Duces verò dextram occupant: quæ latera vices mutant, habitâ adſtantium ratione, ita ut eorum dexteræ reſpondeat ordo Parium Eccleſiaſticorum. Ita Marca laudatus, cui ſuffragatur Joannes Mabillonius lib. 2. de Re Diplomatica cap. 14. num. 13. Quare ex præſenti uſu confirmatur, ſiniſtram in Synodis honoratiorem & nobiliorem fuiſſe dexterâ. Unde ex his bullis plumbeis præcipui honoris Paulo impenſi argumentum quidam abſurdè traxerunt, ut oſtendit ibidem Marca. Cæterùm nulla in hoc mutatio facta eſt ante Leonem III, cujus tempore, ut obſervavit Joannes Lucius, Auctor Hiſtoriæ Dalmatiæ & Croatiæ, apud Papebrocium in Conatu Chronico-Hiſtorico ſub Pontificatu ejuſdem Leonis, dextera cæpit eſſe honoratior ſiniſtrâ, ut ibidem narrabimus. Alias Launoji objectiones referunt & refellunt Natalis Alexander, & Annotator Baronii locis laudatis.

XXIV. *Concilium à Conſtantino indictum de aſſenſu Silveſtri Papæ.*

Quod attinet ad convocationem Concilii, illud à Conſtantino Imperatore convocatum eſſe docent idem Euſeb. lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 6. Socrates lib. 1. cap. 5. Theodoretus lib. 1. cap. 7. Sozomenus lib. 1. cap. 16. Gelaſius Cyzicenus loco citato, imò & ipſi Patres Nicæni in Epiſtola Synodica ad Eccleſiam Alexandrinam, quam refert Theodoretus lib. 1. cap. 9. & plures alii. Hinc tamen inferri non poteſt, auctoritatem convocandi Concilia Oecumenica ad Romanum Pontificem non pertinere; cùm Eccleſia eam in Romanis Pontificibus agnoverit, eamque ei attribuant Patres ſecundi Concilii Oecumenici Conſtantinopoli habiti, in Epiſtola Synodica ad Damaſum, ab eodem Theodoreto lib. 5. cap. 9. relatâ, ubi ad literas Romani Pontificis Concilium indicentis ſe convenire debere agnoſcunt Epiſcopi Orientales, adduntque: *Nunc verò poſtquam Synodum Romæ nutu Dei congregantes, nos etiam pro fraterna erga nos charitate veſtra, tanquam membra propria, per religioſiſſimi Imperatoris literas evocaſtis*. Agnoverunt itaque Romanum Pontificem potuiſſe Romæ indicere Concilium Generale, ad quod ne convenirent, anguſtiam temporis, velut excuſationis legitimæ rationem protulerunt, ſeque ob ſuarum Eccleſiarum diſcrimen in Oriente detineri. Præterea ex eo quòd Conſtantinus Concilium Nicænum convocarit, inferri nullo modo poteſt, jus convocandi Concilia

SÆC. IV. S. SILVESTER.

cilia Oecumenica ad Romanum Pontificem non pertinere; cùm Conſtantinus abſque aſſenſu Silveſtri Papæ illud non convocarit. Quod conſtat ex eo quòd Silveſter Legatos miſerit, qui ſuo nomine Concilio præfuere. Hinc Synodus Sexta Generalis Actione 18. in ſermone acclamatorio Silveſtrum cum Conſtantino Nicænam Synodum congregaſſe disertè aſſerit: *Arius*, inquit, *diviſor & partitor Trinitatis inſurgebat, & continuò Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Silveſter laudabilis magnam atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant*. Plura hac de re Annotator Baronii.

XXV. *Convocationis Concilii cauſa.* Tribus de cauſis convocata fuerat Nicæna Synodus. Prima, ob Arianæ hæreſeos damnationem. Secunda, ad diſſenſiones Eccleſiarum circa tempus Paſchatis celebrandi, componendas. Tertia, ad eſtinguendum ſchiſma Meletii Epiſcopi Lycopolis in Ægypto, qui ſæculo IV ineunte, ut jam dictum eſt, odio motus in Sanctum Petrum Epiſcopum Alexandrinum, proptereà quòd ab ipſo ob idololatriæ crimen aliaque ſcelera, fuiſſet depoſitus, ordinationes ipſi debitas uſurparet; licèt enim nihil circa fidem innovaſſet, ſchiſma tamen conflaverat, & Ario cum ſuis Partiariis ſuppetias tulerat, ut teſtantur Athanaſius Apologia 2. & Socrates lib. 1. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 3.

XXVI. *Arius cum ſua hæreſi damnatur.* Quod ſpectat ad primum caput, Arius in Synodo vocatus eſt, auditus, hæreſeos & blaſphemiarum convictus à Patribus, & à Sancto Athanaſio adhuc Diacono, qui Verbi Divini cauſam propugnaturus, cum Sancto Alexandro Epiſcopo Alexandrino venerat, anathemate confoſſus eſt, hæreſiſque damnata. Editum Symbolum fidei & anathematiſmi pronunciati adversùs omnes impias Arianorum poſitiones his verbis: *Eos autem qui dicunt: erat aliquando quando non erat, & antequam naſceretur, non erat; & quia ex iis quæ non ſunt, factus eſt; aut ex alia ſubſtantia, vel eſſentia dicunt eſſe, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei, anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia*. Porrò mox à Nicæna Synodo omnes Græcorum Eccleſiæ aſſumpſere Nicænum Symbolum, tanquam novam Chriſtianæ profeſsionis teſſeram, Catholicos ab Arianis diſcernentem, ut convictus Arianus haberetur, quiſquis illud non admitteret. Sed ubi prodiit Conſtantinopolitanum, ab omnibus Græcorum Eccleſiis, nomine tamen minimè mutato, in Nicæni locum ſuffectum eſt, ut dicemus in Damaſo Papa, loquentes de Concilio Conſtantinopolitano primo, Generali ſecundo.

XXVII. *Symbolum fidei editur.* Ut autem lector ante oculos habeat quid Concilium Symbolo Apoſtolorum addiderit, abs re non erit Symbolum Nicæni Concilii hìc exhibere: tale autem eſt: *Credimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem. Et in unum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei, ex Patre natum unigenitum, ideſt, ex ſubſtantia Patris; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; natum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, & quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit tertiâ die, & aſcendit in cœlos: & iterum venturus eſt judicare vivos & mortuos: & in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt*, et cætera numero ſuperiori recitata. Quid poſteà addiderit Conſtantinopolitanum Concilium, in Damaſo Papa videbimus, ubi & Symbolum ab illo Concilio editum exhibebimus.

XXVIII. *Tempus celebrandi Paſchatis determinatur.* Quoad ſecundum caput, controverſia de tempore Paſchatis celebrandi, in Synodo ad finem perducta eſt, & decreto Oecumenico conſtitutum, ut Dominicâ proximè ſequente lunam decimam quartam poſt vernum æquinoctium illuceſcentem Paſcha celebraretur, ut conſtat ex Epiſtola Synodica ipſius Concilii ad Alexandrinam Eccleſiam, quam refert Theodoretus lib. 1. cap. 9. & ex Epiſtola Conſtantini Imperatoris ad Eccleſias, de iis, quæ in Concilio Nicæno geſta erant, apud Euſebium lib. 3. de Vita Conſtantini. Hoc Decretum Eccleſiæ Syriæ, Ciliciæ, & Meſopotamiæ, quæ in celebratione feſti claudicabant, amplexæ ſunt. De eo lege dicta in Victore Papa.

XXIX. *Quid de Meletio Lycopolitano?* Quoad tertium caput ſancitum eſt à Patribus cum Meletio clementiùs agentibus, ut in propria civitate, nimirum Lycopolitanâ, maneret, nullamque haberet poteſtatem vel cuiquam manus imponendi, vel quempiam ad aliquod munus Eccleſiaſticum deligendi, vel in aliorum regionem & civitatem ejus rei gratiâ commeandi; ſed ut ſolum dignitatis & officii nomen retineret. Id conſtat ex dicta Synodica Concilii ad Alexandrinam Eccleſiam apud Theodoretum laudatum.

XXX. *Canones in Concilio editi.* Poſt hæc Patres Concilii viginti Canones ediderunt, quibus diſciplinam Eccleſiaſticam ſanciverunt. Unde Canones, quos ex antiquo exemplari Arabico deſcriptos publicavit Franciſcus Turrianus, numero 80. vel 84. verſionis Abrahami Ecchelenſis Maronitæ, qui vulgò Canones Arabici vocantur, ſuppoſititii ſunt, licèt illos omnes ut legitimos cunctæ Orientis Sectæ agnoverint. Varia enim continent, quæ contra omnem antiquitatem, imò contra Nicænum Concilium pugnant. Conficti illi ſunt poſt Concilium Calchedonenſe, cùm in illis ſæpiùs *Patriarchæ* nomen legatur, quod tamen tunc primùm audiri cœpit. Tandem

Patres

Digitized by Google

Patres Epiſtolam Synodicam ad Eccleſiam Alexandrinam ſcripſerunt, quam referunt Theodoretus & Socrates, uterque lib. 1. cap. 9. Epiſtola autem Concilii ad Silveſtrum Papam, quam exhibent Conciliorum Collectores, & reſcriptum Silveſtri ad Nicænam Synodum, ab omnibus Eruditis ut ſuppoſititia monumenta exploduntur. Finitum eſt Concilium die 25. menſis Auguſti, ut videre eſt in Critica Baronii.

XXXI. *Arius exilio mulctatus, obit extra Eccleſiæ communionem.*

Quod porrò ſpectat ad Arium, quem diximus à Concilio damnatum & anathemathe confoſſum, id ita intelligendum non eſt, ut Ario nominatim anathema dixerint Patres, ſed generaliter cunctis qui impia illa dogmata profiterentur, ut conſtat ex dict. Epiſtola Synodica ad Eccleſiam Alexandrinam, in qua ajunt tantùm, Arii opinionem diſcuſſam eſſe atque examinatam coram ſacratiſſimo Imperatore, omneſque Epiſcopos uno conſenſu anathema dixiſſe impiis verbis Arii atque ſociorum. Arium ſimulatâ pœnitentiâ expoſitioni fidei tandem ſubſcripſiſſe, & nunquam in exilium miſsum eſse, ſcribit Baronius, Auctore Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos. Verùm, ut notavit Valeſius in Notis ad lib. 2. Sozomeni cap. 16. Hieronymus memoriæ vitio lapſus eſt hoc loco, dum Arium à Concilio Nicæno ſuſceptum eſse dicit. Factum id enim non in Concilio Nicæno, ſed in Jeroſolymitano anno 335 celebrato. Unde poſt Concilium Nicænum cum obſtinatus eſset in hæreſi, in exilium à Conſtantino Imperatore amandatus eſt, à quo poſtea revocatus poſtquam ſatisfactionis libellum dictæ Synodo Jeroſolymitanæ obtuliſset; extra communionem tamen Eccleſiæ defunctus eſt, ut ſcribit Athanaſius in Epiſtola ad Serapionem. Quæ omnia fuſiùs tractantur ab Auctore Criticæ Baronianæ ad annos 325. 327. & 340.

S. MARCUS *Pontif. XXXV.*

Anno Domini CCCXXXVI.

I. *S. Marcus Oſtienſem Epiſc. Pallio donat.*

S. Marcus, natione Romanus, ex patre Priſco, poſt ſeptemdecim dierum interpontificium, Sanctum Silveſtrum excepit, ordinatus die decimaoctavâ Januarii anni 336. Dominicali & feſto Cathedræ Sancti Petri ſacrâ. Liber Pontificalis ipſi acceptum fert, quòd Epiſcopus Oſtienſis Romani Pontificis conſecrator pallio utatur. Poſtquam unicâ ordinatione, Presbyteros quinque, & Diaconos ſex creaſſet, & Epiſcopos per diverſa loca ſeptem, obiit die ſeptima Octobris ejuſdem anni, Damaſi Chronico teſte, poſt Sedem menſium octo & dierum viginti. Ejus quidem depoſitio notatur in Martyrologio Hieronymiano ad diem ſextam Octobris, ſed id intelligi debet de aliqua ejus Translatione eo die factâ. Die enim ſeptimâ Octobris etiam memoratur in Sacramentario S. Gregorii. Sepultus eſt in Cœmeterio Balbinæ viâ Ardeatinâ.

II. *Epiſtola ei falsò adſcripta.*

Tomo ſecundo Operum S. Athanaſii pag. 623. & ſeq. referuntur Epiſtolæ duæ, quarum prior hunc titulum præfert: *Epiſtola Athanaſii & Ægyptiorum Epiſcoporum ad Marcum Papam pro exemplaribus Concilii Nicæni, quia Ariani eorum exemplaria incenderant*. Poſterioris titulus eſt: *Reſcriptum Marci Papæ de miſſione capitulorum Nicæni Concilii, Athanaſio & omnibus Ægyptiorum Epiſcopis*. Hæc autem ultima ſupponit Ægyptios dirâ Arianorum perſecutione vexatos, diſpendium paſſos eſſe Nicænorum Canonum, qui unâ cum omnibus aliis libris, ab iiſdem incenſi fuerant, quorum exemplar à Romana Eccleſia poſtulaverint. At perſecutionem ab Arianis nullam paſſi ſunt Ægyptii, ſub Conſtantini, ſed tantùm ſub Conſtantii imperio. Deinde LXX Canones à Nicæna Synodo conditos aſſerit contra fidem Alexandrini codicis, à S. Cyrillo miſſi ad Africanos Antiſtites, qui viginti tantùm exhibebat. Præteréà S. Athanaſius anno trecenteſimo trigeſimo ſexto, quo Marcus Papa ſedit, jam exul agebat in Galliis: non potuit itaque Alexandriâ ſcribere ad Marcum Romanum Pontificem, ut ipſum ſcripſiſſe hæc Epiſtola ſupponit. Unde ea ſuppoſitionis indicia militant etiam contra priorem Epiſtolam. Certè utramque ut purum ac putum figmentum rejicit Baronius; utraque enim conſuta eſt ex variis ſententiis Cœleſtini primi, Attici Conſtantinopolitani Epiſcopi, S. Leonis & Agathonis.

III. *Oſtienſis Epiſc. Pontificis Rom. conſecrator.*

Ex eo quòd Anaſtaſius ſcribit, Sanctum Marcum Oſtienſi Epiſcopo Romani Pontificis conſecratori Pallium dediſſe, Ciaconius in Leone II & Sigonius in Hiſtoria de Regno Italiæ ad annum 682. ſcribunt Oſtienſem Epiſcopum ſolùm fuiſſe Epiſcopi Romani conſecratorem uſque ad Leonem II, qui à tribus Epiſcopis, Oſtienſi ſcilicet, Portuenſi & Veliternenſi ordinatus eſt; ſed in ejuſdem Leonis Pontificatu oſtendemus, Romanos Pontifices à tribus Epiſcopis ſemper ordinatos fuiſſe, inter quos primum locum obtinebat Oſtienſis, ſecundùm Portuenſis,

Digitized by Google

tuenſis, tertium Albanenſis: licèt enim tam Leo II, quàm Joannes V ordinati fuerint ab Oſtienſi, Portuenſi & Veliternenſi Epiſcopis, Veliternenſis tamen non erat unus ex conſecratoribus ordinariis, ſed ideò tunc Oſtienſi & Portuenſi additus, quia, ut ait Anaſtaſius in Leone II, vacabat Sedes Albanenſis. Hic mos poſteà, quo tempore me latet, deſiit, & alius obtinuit, ſcilicet ut prior Epiſcoporum Cardinalium, cum duobus aliis Epiſcopis ex Senioribus, id muneris obiret. Auguſtinus Patritius lib. 1. cap. 3. ſec. 2. Rituum S. R. E. obſervat tamen ſuo tempore ſolam Sixti quarti ordinationem factam eſſe, non à priore Epiſcoporum Cardinalium, ſed à Cardinali Rotomagenſi, qui Epiſcopus Oſtienſis erat.

IV. Pallium quibuſdam Epiſcopis conceſſum.

Primus, quem ſciamus, ex Epiſcopis, hoc honore affectus ut pallio uteretur, eſt Epiſcopus Oſtienſis, qui illud à Marco Papa accepit. Pallium enim ſolis Patriarchis & Archiepiſcopis competit. Illud tamen poſteà Romani Pontifices aliis Epiſcopis conceſſerunt, vel intuitu meritorum, vel alia juſta de cauſa. Siagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi à Gregorio Magno conceſſum eſt, cujus extat hac de re ad illum Epiſtola 114. lib. 7. Actardo Nannetenſi ab Adriano II, ut conſtat ex ejuſdem Pontificis Epiſtola ad eum directa. Idem privilegium habuit Theodulphus Aurelianenſis & plures alii, de quibus legendus Bona Cardinalis lib. 1. Rer. liturgic. cap. 24. num. 16. ubi addit, nunc eo uti, perpetuo privilegio, Lucenſem & Ticinenſem Epiſcopos in Italia, & Bambergenſem in Germania. Romanus Pontifex, cujus eſt ſuper omnes Eccleſias ſummum jus ac plenaria poteſtas, pallio ſemper & ubiquè utitur. Reliqui, tum Archiepiſcopi, tum Epiſcopi eo uti non poſſunt niſi intra Eccleſiam quibuſdam & deſignatis diebus, cùm Miſſarum ſolemnia celebrant, idque ex antiqua conſuetudine, quam indicat Gregorius Magnus lib. 2. Epiſt. 54. Joanni Archiepiſcopo Ravennati, & lib. 4. Epiſt. 50. Virgilio Arelatenſi.

V. Pallii origo & materia.

Pallii origo in utraque Eccleſia Occidentis & Orientis antiquiſſima eſt. Baronius eam Marco Papa antiquiorem putat, qui tamen in eo obiter corrigendus eſt, quòd anno 430. num. 26. crediderit Cœleſtinum Papam ad Cyrillum Alexandrinum miſiſſe inſignia Vicariæ poteſtatis, ideſt phrygium ſive pallium, ſive capitis tegumentum, quam *mitram* vocant, quod quidem refertur à recentioribus Græcis, ſed ſine Veterum teſtimonio, & rejicitur à Joanne Garnerio in diſſert. 2. de Synodis habitis in cauſa Neſtorii pag. 350. Iſidorus Peluſiota, qui anno circiter 412. florebat, lib. 1. Epiſt. 136. ad Herminium, Pallii meminit, deque ejus uſu & myſticâ ratione fusè diſſerit. Porrò pallium eſt faſcia lanea candida tribus circiter digitis lata, & in modum circuli contexta, quæ ſuper humeros imponitur, ex quo circulo alia ſimilis faſcia ante pectus, alia deorſum ex oppoſito pendet, duæ ſuper humeros demittuntur: quæ faſciæ purpureis crucibus ſunt inſignitæ. Ipſum autem pallium tribus aciculis, ſive ſpinulis aureis alligatur. Fit ex lana agnorum candidorum ſine macula, qui in die S. Agnetis in ejuſdem Eccleſia Viâ Nomentanâ ſingulis annis offerri ad Miſſam ſolemnem & benedici ſolent, ac Subdiaconis Apoſtolicis conſignari, & in aliquo Monaſterio Sanctimonialium nutriri, donec veniat tempus ipſos tondendi. Ex quorum lana texuntur pallia, quæ in Baſilicam Vaticanam delata ſunt, ſuper corpora Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ponuntur in vigilia Natalis ipſorum, ibique totâ nocte dimittuntur, ac die ſequenti deputatis cuſtodienda traduntur. De Pallio plura idem Cardinalis Bona laudatus, ex quo pleraque ex his excerpta.

S. JULIUS *Pontif. XXXVI.*

Anno Domini CCCXXXVII.

I. Concilium Antiochenum ſub Julio PP.

S. Julius, natione Romanus, ex patre Ruſtico Sanctum Marcum excepit, ordinatus die ſextâ Februarii, quæ anno trecenteſimo trigeſimo ſeptimo in Dominicam incidebat. Eo ſedente univerſus Oriens tumultuabatur ob hæreſim Arianam, & Arianorum odium in S. Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum. Anno trecenteſimo quadrageſimo primo celebratum eſt Concilium Antiochenum, cui occaſionem dedit dedicatio Templi Antiocheni, quod à Conſtantino Magno inchoatum, ſub Conſtantio abſolutum eſt; unde Athanaſius in libro de Synodis ait: *Antiochiæ novam Synodum per cauſam Encæniorum coegerunt.* Quare Conſtantius Imperator Arianus, prætextu hujus dedicationis, Orientis Epiſcopos convocavit. Hanc Synodum Arianorum Conciliabulum credidit Baronius, & omnes alii poſt eum uſque ad Schelſtratium, qui in libro, quem edidit de ſacro Antiocheno Concilio, oſtendit quadruplici titulo Synodum Antiochenam impetitam fuiſſe. Primò, quòd Arianorum Conciliabulum fuerit. Secundò, quòd Athanaſium depoſuerit. Tertiò, quòd fidem perverterit. Quartò,

Digitized by Google

tò, quòd diſciplinam Eccleſiaſticam impugnarit. Sed Vir doctiſsimus ibidem oſtendit, hæc quatuor non convenire primordiis Antiochenæ Synodi à nonaginta Patribus celebratæ, ſed fini, aut noviſsimis Antiocheni Conciliabuli, à quadraginta circiter Euſebianis celebrati, Actis.

II. Julius in Synodo Rom. S. Athanaſium abſolvit.

Cum verò ante illud Concilium Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus legationem miſiſset ad Julium Romanæ Urbis Epiſcopum, rogans ut cauſæ Athanaſii judex ipſe eſſe vellet, Julius S. Athanaſium & Euſebianos Romam evocavit, ubi poſtquam advénit Athanaſius, Julius Elpidium & Philoxenum Presbyteros ſuos in Orientem miſit, Euſebianos ad Synodum Romanam evocaturos. Euſebiani ab his Romam ad cauſam dicendam citati, audito nomine Eccleſiaſtici judicii, adeò contremuerunt, ut ad ſolitas artes converſi, Julii Presbyteros ultra diem Synodo præfinitam à Julio, detinuerint, vanaſque prætulerint excuſationes, quòd metu Perſici belli, Romam ipſis proficiſci non liceret. Quare Concilium Romanum jam antea indictum Julius celebravit anno 342. Huic adfuére quinquaginta Epiſcopi, curâ Vitonis Silveſtri Pontificis in Nicæna quondam Synodo Legati. Ibi cauſa S. Athanaſii ad examen vocata eſt, iſque communione & Epiſcopatu dignus judicatus, ut purus criminum, quæ ipſi affinxerant Euſebiani: lectæ ſunt in Concilio literæ Euſebianorum ad Julium Papam, Synodi Antiochenæ nomine datæ, quæ ſtylo inſolenti & contentioſo erant ſcriptæ, & multiplicem adverſùs Pontificem querelam continebant. Iis reſpondit ex Concilii ſententia Pontifex, cujus Epiſtola, quam refert S. Athanaſius Apologiâ 2. adverſùs Arianos, inſigne eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ promptuarium.

III. Item Marcellum Ancyranum.

Marcellus Ancyranus Epiſcopus, qui anno trecenteſimo trigeſimo ſexto in Synodo Conſtantinopolitana, in qua S. Athanaſius exulare juſſus eſt, Epiſcopatu depoſitus & exilio mulctatus fuerat, quique ad ſedem ſuam reverſus, iterum de hæreſi accuſatus, in dicto Concilio Antiocheno damnatus fuerat, in hac Synodo Romana coràm Julio Papa cauſam dixit, & innocens declaratus eſt; Athanaſius quippe in Epiſtola ad Solitarios de eo ſcribit: *Ille autem Romam profectus, ſeſe innocentem docuit*: ſed communionem ante ipſi Julius non reſtituit, quàm fidei profeſſionem in ſcriptis illi tradidiſſet, quam refert Epiphanius hæreſi 72. Verum eſt Baronium exiſtimare, eam profeſſionem fidei non eſſe eam, quam Julius per omnia conſentientem eſſe tradit Eccleſiæ Catholicæ, quòd licèt in ea multa ad Arianorum impietatem confutandam reperiantur, tamen quod potiſſimùm exigebatur à profeſſore Catholico, nomen *conſubſtantialis* in ea non legatur. Sed ſilentium illud Marcello minimè vitio vertendum, cùm nullus eum accuſaret, quòd non crederet conſubſtantialitatem, quam ſubſcripſerat & defenderat in Concilio Nicæno, ſed tantùm ei imputaretur error contrarius, Sabellianorum nempè & Pauli Samoſateni. Porro licèt Marcellus tam in hac Synodo Romana, quàm in Sardicenſi, de qua mox, abſolutus fuerit, eum tamen ab hæreſis ſuſpicione liberare aliqui fruſtrà contendunt, cùm ab Athanaſio, & poſteà ab omnibus hæreticus agnitus fuerit, ut videre eſt in Critica Baroniana ad annum 347, & apud Schelſtratium in diſſert. 3. de ſacro Concilio Antiocheno cap. 5 ubi obſervatur ejus hæreſim, nonniſi poſt multos ab ejus obitu annos innotuiſſe.

IV. Iidem à Synodo Sardicenſi in ſede reſtituti.

Poſt Synodum Romanam Euſebiani improbâ iterum audaciâ, in Eccleſiis perturbandis, inſidiiſque Athanaſio tendendis, uſi ſunt. Quare Julius Pontifex cauſam Athanaſii ad Conſtantem Imperatorem retulit, & commendavit, ut apud fratrem Conſtantium pro ejus in ſua ſede reſtitutione ageret. Conſtans ad Conſtantium fratrem hac de re ſcripſit, & ambo Imperatores Concilium Sardicæ, quæ urbs confinis eſt Illyrici, Myſiæ, & Thraciæ in annum trecenteſimum quadrageſimum ſeptimū indixerunt, ut manifeſtè patet ex eadem Athanaſii ſecunda Apologia, ex ejus Epiſtola ad Solitarios, et ex ipſa Synodica Epiſtola Patrum Synodi ad omnes Epiſcopos. Huic Synodo trecentos ferè Epiſcopos interfuiſse auctor eſt Athanaſius in dicta ad Solitarios Epiſtola. In ea S. Athanaſius, Marcellus Ancyranus, Aſclepas Gazenſis & alii ab Euſebianis iniquè damnati, abſoluti ſunt. Epiſtola Synodica ad Julium Papam ſcripta, in qua illa verba notatu digna ſunt, quibus egregiè aſſeritur Romani Pontificis primatus: *Hoc enim optimum & congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, id eſt ad Petri Apoſtoli ſedem, de ſingulis quibuſcumque provinciis, domini referant Sacerdotes*. Idem conſtat ex Epiſtola Synodica ad Eccleſiam Alexandrinam, & ex Epiſtola Synodica ad omnes Epiſcopos, quæ à Sancto Athanaſio Apologiâ 2. referuntur. Viginti Canones ab ea Synodo conditos numerant Græci; viginti & unum Latini. Tertius, quartus, & ſeptimus Canon jus appellationum in Epiſcoporum cauſis aſſerunt Romano Pontifici, *ad honorandam Sancti Petri Apoſtoli memoriam*.

V. Jus appellationum in eo Ponti fici Rom. aſſertum.

Ex iis quidam aſſerunt, ſed falsò, jus appellationum ad Romanam Sedem non confirmatum, ſed inſtitutum à Concilio Sardicenſi; nam hoc ipſo quo Romanus Pontifex eſt jure divino omnium Epiſcoporum primus, & cæteris juriſdictione ſuperior, ac Eccleſiæ caput, conſequens eſt, ut ad ipſum Epi-

Digitized by Google

Epiſcopi, cum injuriam patiuntur, appellare poſsint. Quare jus appellationum Epiſcopalium ad Romanam Sedem Pontificii primatûs appendix eſt. Et reverà, inquit Perronius Cardinalis in Replica ad Reſponſionem Magnæ Britanniæ Regis cap. 3. ſi jus illud à Concilio Sardicenſi inſtitutum eſſet, qua ratione Julius Romanus Pontifex pluribus ante Concilium illud annis hæc ad Euſebianos ſcripſiſſet: *Oportuit ſecundùm Canonem, & non iſto modo, judicium fieri; oportuit ſcribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod juſtum eſſet, decerneretur. Epiſcopi enim erant, & non vulgares, Eccleſiæ, qui iſta patiebantur, ſed quas ipſi Apoſtoli ad fidem inſtruxerunt. Cur igitur & in primis de Alexandrina civitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis hanc conſuetudinem eſſe, ut primùm nobis ſcribatur, ut hinc quod juſtum eſt definiri poſſit? Quapropter ſi iſtic hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit.*

VI. *Petri de Marca ſententia refellitur.*

Petrus de Marca lib. 7. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 3. exiſtimat jus in Sardicenſi Synodo quæſitum Epiſcopo Romano, diverſum prorsùs eſſe à judicio appellationis, nihilque aliud ei conceſſum, quàm ut decernere poſſet cauſæ retractationem. Verùm jam Viris doctis obſervatum, Synodum hanc non ſolùm jus concedendi reviſionem, ſed poteſtatem judicandi appellationes ab Epiſcopis depoſitis factas ad Romanam Sedem, Pontifici Romano aſſeruiſſe & confirmaſſe. Quæ contra hæc vir doctiſſimus affert, ab aliis confutata, oſtenſumque, appellationum uſum, tum in Eccleſia Orientali, tum in Occidentali poſt Concilium Sardicenſe frequentem fuiſſe; ejuſque initia perperàm detrudi ab eodem Præſule ad Concilii Trullani tempora in Eccleſia Græca, & ad octavum ſæculum in Latina. De his legendus Natalis Alexander Sæculo IV. Porrò Canones in hoc Concilio Sardicenſi ſancitos explicat Chriſtianus Lupus in parte 1. Decretorum & Canonum Synodorum generalium & Provincialium.

VII. *Photinus in Synodis Mediolanenſi & Romana damnatus.*

Urſatius & Valens Epiſcopi Pannonii, hic Murſiæ, ille Singindonis, qui in ſuſpicionem Arianæ hæreſis venerant, ideòque à Synodo Sardicenſi damnati fuerant, libellum ſupplicem porrexerunt Synodo Mediolanenſi eodem anno trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo congregatæ, quo Arii & Photini perfidiam damnabant, à qua ſuſcepti ſunt in communionem. Hæc Synodus, quæ celebrata eſt præſentibus Julii Papæ Legatis, ut teſtatur S. Hilarius in fragmento de Synodis, vel Presbyteris Romanæ Eccleſiæ præſentibus, ut docet Epiſtola Concilii Ariminenſis, habita eſt ut in Photini Epiſcopi Sirmienſis hæretici cauſam inquireretur, ut ibidem habet Hilarius. Numeroſam fuiſſe Synodum oportuit, cum de ſtatu Metropolitani Epiſcopi & de cauſa fidei ageretur. Prima autem Photini damnatio facta eſt in hac Synodo Mediolanenſi, & repetita à Julio Papa in Synodo Romana biennio poſt habita; & tandem in Synodo Sirmienſi anno trecenteſimo quinquageſimo primo, quadriennio poſt Mediolanenſem, in qua ultima Photinus primò damnatus ac depoſitus eſt. Harum trium Synodorum Epochæ in Critica Baroniana exactè diſcuſſæ.

VIII. *Quæ fuerit ejus hæreſis.*

Porrò Photini hæreſis hæc fuere capita. Primò, Deum ſolitarium eſſe & more judaico confitendum effutiit, nullam Verbi Divini, aut Spiritûs Sancti putans eſſe perſonam, ſed unam eſſe Patris & Filii & Spiritus Sancti operationem prædicans. Secundò, Chriſtum initium accepiſſe ex Maria, & merum eſſe hominem aſſeruit, quæ conſtant ex Epiphanio hæreſi 71. Theodoreto lib. 3. hæreticarum fabular. & aliis.

IX. *Julii PP. mors.*

Julius Pontifex Sirmienſi Synodo non diù ſupervixit; obiit enim die duodecimâ Aprilis anni trecenteſimi quinquageſimi ſecundi, poſtquam ſediſſet annos quindecim, menſes duos, dies ſex, ut legitur in Chronico Damaſi. Sepultus eſt viâ Aureliâ in Cœmeterio Calepodii, indeque poſteà tranſlatus ad Baſilicam ſui nominis, ſive Sanctæ Mariæ trans Tiberim. Tribus ordinationibus menſe Decembri fecit Presbyteros decem & octo, Diaconos quatuor, Epiſcopos prætereà novem per diverſa loca ordinavit.

X. *Scripta ejus.*

Ex omnibus Julii Papæ ſcriptis ſuperſunt duæ tantùm Epiſtolæ ab Athanaſio in Apologia ſecunda relatæ; quarum altera ad Euſebianos, altera ad Eccleſiam Alexandrinam miſſa. Duæ verò Decretales, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, quæque in editionibus Conciliorum leguntur ad Orientales ſcriptæ, & Epiſtola Orientalium ad ipſum Julium ſuppoſititiæ ſunt, & conſarcinatæ ex variis Latinorum Scriptorum fragmentis à Decretalium fabricatore.

XI. *Julius feſtum Natalis Chriſti diei XXV. Decembris affixit.*

Joannes Archiepiſcopus Nicænus in Epiſtola de die Natali, quam Combefiſius ex Græco tranſtulit, & annotationibus illuſtravit, narrat Cyrillum Jeroſolimitanum Epiſcopum ad Julium Pontificem literas dediſſe, quibus moneret impoſsibile eſſe, ut in Epiphaniæ ſolemnitate triplicis ſolemnitatis memoria in ſacris, ac inter ſe diſtantibus locis perageretur, inter quas celebritates, cùm Natalis Domini eſſet, ex Jacobi fratris Domini, ſive traditione, ſive permiſsione accidit, ut Romæ optimè re diſcuſsâ, & diligenti, quam adhibet ſupputatione adhibita, Natalis Domini verum diem in XXV Decembris incidere conſta-

Digitized by Google

ret. *Inque hunc modum*, inquit, *Julius Romanus Patriarcha menſes Hæbreorum atque Romanorum compoſuit: à quo tempore cœpit Romana Eccleſia lætis gaudiis celebrare Natalem Salvatoris diem XXV. Decembris, tradiditque celebrandam univerſis Eccleſiis.* Hinc addit D. Baſilium non modò in ſuis Moralibus ſignaſse Salvatoris Natalem diem XXV Decembris, ſed Gregorio Nazianzeno in mandatis dediſse, *In Synodo Conſtantinopolitana promulgari, ac celebrari 25. Decembris*, quanquam quidam non aſsenſerint; tandem ſub Arcadio & Honorio, dum hic Bizantium aliquando accederet, cooperante Sancto Joanne Chryſoſtomo, & ex Cypro accerſito Sancto Epiphanio, definitum quoque in Oriente eſse, ut eadem die XXV Decembris Natalis Domini celebraretur: quibus aſsenſum & reliqui deinceps Patriarchæ dederint. Sub Honorio autem feſtum Natalitium jam Romæ ritu ſolemni celebratum, ita narrat. *Romani ſua die Natale Domini celebrarunt, cum lectionibus perfectis, multiſque tropariis atque modulis.* Extat hæc Joannis Niceni Epiſtola tom. 2. Auctari Bibliothecæ Patrum pag. 311.

XII. *Eodem die poſtea fuit celebratum in Cappadocia.*

Hæc conſonant cum his quæ habet Gregorius Nyſſenus Epiſcopus initio orationis funebris in S. Baſilium fratrem, in qua, poſtquam locutus eſt de feſtis, quæ præceſſerunt Chriſti Apparitionem ſeu Natale, ita habet: *Sed primam celebritatem unà cum aliis non numero: non quæ propter divinam unigeniti filii apparitionem per partum Virginis feſtivitas inſtituta eſt, ea non ſimpliciter ſancta celebritas eſt, ſed ſancta ſanctarum, & celebritas celebritatum. Igitur quæ hanc conſequuntur numeremus. Primum nobis Apoſtoli & Prophetæ ſpiritualis cœtus initium fecerunt, ſunt autem hi Stephanus, Petrus, Jacobus, Joannes & Paulus. Deinde poſt hos conſervato ordine ſuo, Paſtor & Magiſter præſentem nobis celebritatem auſpicatur*, nempe Baſilius, cujus feſtum Græci primo Januarii die celebrant, quem diem ex Gregorio Nyſſeno anteceſſerat apparitionis Chriſti *per partum Virginis feſtivitas;* poſt quam celebratur ſolemnitas S. Stephani Protomartyris, quam proximè ſequebatur Apoſtolorum Petri, Jacobi, Joannis & Pauli feſtivitas, quæ unà eademque die agebatur, ut idem S. Gregorius nos docet in Oratione *de laudibus S. Stephani*. Deinde ſequebatur celebritas S. Baſilii die prima Januarii. Eumdem morem de celebratione Natalis & Epiphaniæ in Eccleſia ſua obtinuiſſe teſtis eſt Gregorius Nazianzenus in Orat. 39. in Epiphaniam pag. 632. ubi Nativitatis Domini, & Magorum adorationis feſtivitatem, de qua peculiarem orationem habuit, ab Epiphaniæ feſto diverſam fuiſse disertè affirmat: *At Chriſti quidem Nativitas apta ſolemnitate priùs tum à feſtis duce, & auſpice, tum à vobis, atque adeò ab omnibus, tam qui in mundo verſantur, quàm qui in mundo ſubliniores ſunt celebrata eſt*, &c. *Nunc verò alia Chriſti actio, aliudque myſterium ſequitur*, nempe Epiphania, quæ ideò poſt Nativitatem celebrabatur.

XIII. *Item in Oriente.*

Joannis Niceni narratio etiam confirmatur ex iis, quæ habet Chryſoſtomus in ſermone 35. de Chriſti Nativitate, qui extat Tomo 5. ejus Operum pag. 466. ſcilicet ante decem annos idem feſtum Natalis Domini, ſeorſim ab Epiphania, die XXV Decembris celebrari cœptum fuiſſe. Erat tùm S. Joannes Chriſoſtomus, quo tempore eam orationem habuit, nondùm Epiſcopus, ſed Presbyter tantùm Antiochenæ Eccleſiæ, ut oſtendit Combefiſius in Notis ad laudatam Joannis Niceni Epiſtolam, ſed ſive orationem dixerit Antiochiæ, ſive Conſtantinopoli, vix decennium præteriiſſe docet, ex quo Natalis Domini verus cognoſceretur: *Et quidem*, inquit, *nondum decimus annus eſt, ex quo hic ipſe dies manifeſtè nobis innotuit.* Pergit deinde narrare ex Eccleſia Occidentis, in qua Natalitii diei antiqua traditio erat, in Orientalem, ita ejus celebritatem rediiſse, ut non omnibus ſtatim arrideret, Dominum menſe Decembri natum eſse: *Hic dies cum ab exordio iis, qui in Occidente habitant, cognitus fuerit, nunc ad nos demùm, non ante multos annos tranſmiſſus.* Dicit poſteà diſſenſionem hujus rei inter doctos fuiſſe, aliis eam tanquam rem novam rejicientibus, aliis verò tanquam antiquitati etiam Orientalium conſonam, ſed jam diu antiquatam ſuſcipiendam & reſtituendam contendentibus. Gretzerus quidem ad caput 8. Codini negat hanc Homiliam eſſe S. Chryſoſtomi, eidem tamẽ validiſſimis argumentis adſtruunt, tam Caſaubonus Exercitatione 2. in Baronium, quàm Combefiſius loco laudato. Videndus hac de re Florentinius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum Exercitatione 2. pag. 195. & ſeqq. ubi etiam fusè diſſerit de Pervigilio ejuſdem feſti. Legendus itidem Zacagnius in Præfatione Tomi 1. ad Collectanea Monumentorum Veterum Eccleſiæ Græcæ, ac Latinæ num. 33. ubi exiſtimat verba Sancti Chryſoſtomi ſuperiùs relata, intelligenda eſse de Antiocheni Patriarchatûs Eccleſiis, in quibus Ægyptiorum more, unà eademque die, Epiphaniæ & Nativitatis feſtum antiquitès agebatur. Non me latet Combefiſium laudatum ſcribere Joannis Epiſcopi Niceni Epiſtolam de die Natali novam eſse, & fabulis plenam: ſed quidquid hac de re ſit, quæ ex ea ſuperiùs retulimus, fabulis accenſenda non ſunt, cum confirmata quodammodo videantur ex duobus Sanctis Gregoriis Nyſſe-

no

Digitized by Google

no & Nazianzeno, ac Sancto Chryſoſtomo locis citatis.

XIV. *Medio tertio ſæculo nondum celebratum à Catholicis.*

Cæterùm quo præcisè tempore Feſtum Natalis Chriſti celebrari cœperit, incertum omninò remanet. Certè Clementis Alexandrini ætate, ideoque ſæculo ſecundo exeunte, vel nondum celebratum, vel peculiari diei affixum non fuiſse, ſaltem in Ægypto ubi vivebat, & in provinciis vicinis, deduco ex Libro 1. Stromat. ubi circa finem ſcribit: *Sunt autem qui curioſiùs Natali Domini non ſolùm annum, ſed etiam diem addunt, quem dicunt XXVIII anni Auguſti, in XXV Pacon*, ideſt vigeſimum diem menſis Maii, non verò diem decimum quintum, ut quidam volunt; menſis enim Pacon Ægyptiorum initium ducit à die vigeſima ſexta Aprilis noſtri. Et paulò poſt: *Quin etiam dicunt ex iis aliqui eum natum eſſe XXIV, vel XXV Pharmuti*, ideſt die decimanona, vel vigeſima Aprilis noſtri; menſis enim Pharmut Ægyptiorum incipit vigeſimaſeptima die Martii noſtri. Ex quibus neceſsariò inferendum videtur non ſolum Natalem Domini peculiari diei affixum non fuiſse, ſed etiam non fuiſse tunc celebratum, ſicut celebrabatur ejus baptiſmus, quod tradit idem Clemens Alexandrinus ibidem: *Baſilidis autem ſectatores*, inquit, *ejus quoque baptiſmi diem celebrant, totam præcedentem noctem in lectionibus tranſigentes*. Imò ex iis inferri debet, nec Chriſti baptiſmum tunc à Catholicis fuiſſe celebratum, ſed à ſolis Baſilidis ſectatoribus, qui cùm negarent Chriſtum veram carnem aſſumpſiſſe, & ſpecie tenus tempore ſui baptiſmi eum mortalibus apparuiſſe aſſererent, feſtum ejus baptiſmi celebrabant, alii quidem die ſexta, alii die decima menſis Januarii; poſt laudata enim verba ſtatim ſubdit Clemens Alexandrinus: *dicunt autem eum eſſe annum decimum quintum Tiberii, decimum quintum menſis Tubi* (ſeu diem decimum Januarii; nam menſis Ægyptiorum Tubus, ſeu Tybus incipit die 27 Decembris noſtri) *aliqui autem eum eſſe undecimum ejuſdem menſis*, ideſt ſextum Januarii. Poſt Clementem Alexandrinum feſtum Epiphaniæ aut Natalis nondum fuiſſe celebratum anno ducenteſimo quadrageſimo ſexto, indicat Origenes lib. 8. contra Celſum, quem eo anno compoſuit; ibidem enim inſinuat, Chriſtianos tunc alios feſtos dies non agnoviſſe præter Dominicas, Paraſcevas, quibus jejunabant, Paſcha & Pentecoſten, nam pag. 522 editionis Pariſienſis anni 1604. explicans quid ſit feſtum, & qui verè feſtum celebret, ait: *Quòd ſi quis nobis exadverſo regerat noſtras Dominicas, Paraſcevaſque, aut Paſcha & Pentecoſten recurrentes ſolemniter, reſpondendum eſt*, &c. Ex quibus inferendum eſt, ſolas has feſtivitates medio ſæculo tertio fuiſſe celebratas, & Epiphaniæ vel Natalis Chriſti ſolemnitates Catholicis prorſus fuiſſe incognitas.

XV. *Poſtea celebratum eodem die quo Epiphania.*

Illud tamen certò conſtat priſcis Eccleſiæ temporibus, & poſt Clementem Alexandrinum, feſtum Epiphaniæ idem fuiſſe ac feſtum Natalis Chriſti, quo ſcilicet Salvator noſter mortalibus ſeſe conſpiciendum præbuit, & Epiphania tam Chriſti Natalem, quàm adventum Magorum, & Chriſti baptiſmum ſignaſſe, ut demonſtrat Dionyſius Gothofredus ex SS. Patribus in Commentario Legis V Theodoſii Junioris *de Spectaculis*, anno quadringenteſimo vigeſimo quinto datæ. Feſtum autem Epiphaniæ celebrabatur, tam in Occidente, quàm in Oriente menſis Januarii ſexta die: de Occidente teſtatur Ammianus Marcellinus Scriptor Gentilis lib. 21. cap. 2. De Oriente verò teſtes ſunt Epiphanius lib. 3. & Caſſianus Collat. lib. 10. cap. 2. & quo tempore Chryſoſtomus habuit orationem primam in Pentecoſten, tres tantùm, præter Dominicum, dies feſti colebantur, ſcilicet Paſcha, Pentecoſte, & Epiphania, ſeu Natale Chriſti. Poſteà Coſtantinopolitani à Romanis edocti, quartum feſtum addidere, & diem Natalis à die Epiphaniæ diſtinxere, & quidem paulò poſtquam Divus Chryſoſtomus prædictam orationem 1. in Pentecoſten, quæ Tomo 5. ejus Operum extat, habuit. Ab illo tempore Natalis Chriſti Feſtivitas in Oriente menſe Decembri celebrari cœpit, remanente tamen priſtina, Januario menſe, Epiphaniorum ſolemnitate. Sed aliæ tunc cauſæ illius appellationis & feſtivitatis reddi cœptæ, nam qui dies priùs colebatur, vel celebrabatur ut Natalis Chriſti, jam cultus eſt ut baptiſmum ejus repræſentans, & Magorum adventum. Qua de re legendus idem Chryſoſtomus in Oratione de Baptiſmo Chriſti, & Hieronymus lib. 1. Comment. in Ezechielem. Hæc ex Gothofredo laudato, apud quem plura.

XVI. *Alio die quàm Epiphania celebrari jubet Juſtinianus Imp.*

Hanc utramque celebritatem tunc fuiſſe diviſam conſtat etiam ex laudata lege Theodoſii Junioris Imp. *de Spectaculis*; in ea enim Natalem & Epiphaniam Chriſti diſertè diſtinguit Imperator. Hæc tamen inſtitutio ab omnibus Orientalibus recepta non eſt. Nam Abulpharajus in Hiſtoria Dinaſtiarum pag. 94. mentionem facit Epiſtolæ anno quingenteſimo quinquageſimo primo à Juſtiniano Imperatore ad Epiſcopos ſcriptæ, ex qua id nobis innoteſcit: *Anno*, inquit, *vigeſimo quinto imperii ſui, ad omnes ubique Epiſcopos ſcripſit, ut feſtum Natalis celebrarent vigeſimo quinto Canuni prioris* (Decembris ſcilicet noſtri) *& Epiphaniam ſexto Canuni poſterioris* (videlicet menſis Januarii) *dictoque ejus paruerunt, exceptis Armenis: illi ſiquidem morem prio-*

Digitized by Google

rem retinuerunt, quo utrumque feſtum eodem die celebrant. Porrò Armeni, ut id obiter notem, qui Juſtiniani Imperatoris decreto parere renuerunt, jam inde tempore Gregorii Illuminatoris circa Conſtantini Magni tempora fidem Chriſtianam receperant, ſed anno quingenteſimo trigeſimo ſexto ſe ab Eccleſia abſtraxerant, & Eutychianam hæreſim profitebantur. Qua de re legendus Auctor Criticæ Baronianæ ad annum Chriſti 535.

S. LIBERIUS *Pontif. XXXVII.*

Anno Domini CCCLII.

I. *Liberius à Conſtantio Imp. petit, ut Concilium celebretur.*

S. Liberius, natione Romanus, ex patre Auguſto, poſt duorum menſium, & aliquot dierum interpontificium, Pontificiam ſedem aſcendit, ordinatus die vigeſima prima Junii, quæ anno trecenteſimo quinquageſimo ſecundo Dominicalis fuit. Statim Orientales Epiſcopi ipſum in partes ſuas pertrahere tentarunt, ſed hic Orientalibus reſcripſit, ſe iis conſentire non poſſe: diuque Athanaſii cauſam damnare conſtanter recuſavit. Quare ut imminentem, non tam adverſùs Athanaſium, quàm univerſam Eccleſiam Catholicam, ac præſertim adverſùs Occidentales Epiſcopos perſecutionem, anno 353 ad Conſtantium Imperatorem, qui, profligato Magnentio Arelate ſubſtiterat, Legatos miſit Vincentium Capuanum Epiſcopum, Marcellum Campaniæ & alios nonnullos, quibus in mandatis dedit, ut ab eo Concilium generale Aquilejæ celebrandum impetrarent, in quo priùs de fide, tùm de cauſa Athanaſii ageretur.

II. *Arelatenſis Pſeudo-Synodus contra S. Athanaſium.*

Legatorum Liberii occaſione Concilium Arelate coactum eſt, in quo Imperator, Urſacio & Valente Epiſcopis Arianis, qui poſt Concilium Mediolanenſe, de quo in Julio egimus, ad vomitum redierant, inſtigantibus, unà cùm Saturnino Arelatenſi Epiſcopo etiam Ariano, pleroſque Epiſcopos Orthodoxos, & ipſum in primis Vincentium Capuanum, Liberii Papæ Legatum, Athanaſii damnationi ſubſcribere coegit; hic eſt ille Vincentius, qui in Synodo magna Nicæna, Silveſtri Legatione functus eſt, quique etiam in magno Sardicenſi Concilio cum aliis Epiſcopis judex ſederat, ad cognoſcendam & judicandam Athanaſii cauſam, & candidum, ut ajunt, calculum pro ejuſdem abſolutione, in urnam ſæpe injecerat. Poſteà tamen adverſùs eoſdem Arianos, pro tuenda fide Catholica perſeveravit infractus, ut de Concilio Ariminenſi loquentes dicemus. Solus fermè ex Epiſcopis Orthodoxis in Conciliabulo Arelatenſi, invicti animi ſpecimen dedit Paulinus Trevirenſis Epiſcopus, qui ob fidem & Athanaſii innocentiam, egregiè fortiterque propugnatas, ab Arianis exauctoratus, & à Conſtantio in exilium apud Phrygiam amandatus eſt, ubi anno 358 glorioſus Confeſſor occubuit. Hujus Conciliabuli hiſtoria deprompta eſt ex Liberii Epiſtola ad Conſtantium, ex Sancti Athanaſii Apologia prima & aliis.

III. *Antiochena Synodus contra eumdem.*

Parte alia Ariani Epiſcopi numero circiter triginta Antiochiæ in Synodo anno trecenteſimo quinquageſimo quarto congregati, *ad omnes ubique conſtitutos Epiſcopos literas ſcripſerunt, quibus affirmabant, Athanaſium contra leges Eccleſiæ rediiſſe Alexandriam, non in Synodo priùs innocentem declaratum, ſed per contentionem eorum, qui idem cum illo ſentiebant: hortatique ſunt, ut neque cum illo communicarent, neque ad eum ſcriberent*, ut ſcribit Sozomenus lib. 4. cap. 8.

IV. *Legatio Liberii ad Conſtantium Imp.*

Liberius, auditis iis, quæ prioribus à ſe miſſis Legatis ad Conſtantium Imperatorem, contigiſſent, aliam rurſus legationem ad eumdem Imperatorem anno trecenteſimo quinquageſimo quarto miſit. Legati autem ad tantum opus delecti ſunt Lucifer Epiſcopus Calaritanus in Sardinia, Pancratius Romanæ Eccleſiæ Presbyter, & Hilarius ejuſdem Eccleſiæ Diaconus, quibus, ex mandato ejuſdem Pontificis, ſe adjunxit Euſebius Vercellenſis Epiſcopus, qui ad Conſtantium adhuc in Galliis agentem Liberii Papæ Epiſtolam detulerunt, quæ extat in fragmentis Sancti Hilarii & apud Baronium. Illi, quod poſtulabant, à Conſtantio obtinuerunt, convocationem videlicet Concilii generalis in annum ſequentem trecenteſimum quinquageſimum quintum.

V. *Synodus Mediolanenſis.*

Eo itaque anno, & quidem non multùm affecto, ſcilicet ante finem menſis Maii, pauci ex Oriente Epiſcopi, ex Occidente trecenti & amplius, ut teſtantur Socrates & Sozomenus, Mediolani congregati ſunt. Lucifer Calaritanus atque Collegæ, Apoſtolicæ Sedis Legati, necnon Sanctus Euſebius Epiſcopus Vercellenſis, prævidentes tyrannidem in hac Synodo à Conſtantio Imperatore Ariano exercendam, ægrè admodum ad illam acceſſere, & præcipuè Euſebius, qui tamen duabus Epiſtolis, quarum prior eſt Arianorum, poſterior eorumdem Legatorum, ad Concilium evocatus, ad

Digitized by Google

ad illud acceſſit, cum ſolidis diebus decem cunctatus eſſet, ut teſtatur S. Hilarius ad Conſtantium ſcribens. Hæ duæ Epiſtolæ à Baronio ex Actis S. Euſebii, & ex Tabulario Vercellenſis Eccleſiæ editæ, extant Tomo ſecundo Conciliorum. pag. 773. & ſeqq.

VI. *Legati Apoſtolici damnationi Athanaſii ſubſcribere renuunt.*

Euſebio Vercellenſi & Legatis Apoſtolicis in Eccleſiam & Synodum admiſsis, Ariani, qui fidei Nicænæ everſionem, & omnium Epiſcoporum, qui Athanaſii damnationi non ſubſcriberent, exilia meditabantur, ab iis poſtularunt, ut in Athanaſium ſubſcriberent; ſed, ut ſubdit Hilarius laudatus, Euſebius reſpondit: *De ſacerdotali fide prius oportere conſtare: compertos ſibi quoſdam ex iis qui adeſſent, hæretica labe pollutos; expoſitam fidem apud Nicæam poſuit in medio: ſpondens omnia quæ poſtularent, eſſe facturum, ſi pro fidei profeſſione ſcripſiſſent. Dionyſius Mediolanenſis Epiſcopus Chartam primus accepit, ubi profiteri ſcribendo cœpit. Valens calamum & chartam è manibus violenter extorſit.* Tum Ariani, Mediolanenſis populi, qui Catholicam fidem egregio ſtudio conſervabat, metu, Synodum ab Eccleſia ad palatium tranſtulerunt. Ibi, ut ait Sulpitius Severus lib. 2. hiſt. ſacræ, *Epiſtolam ſub Imperatoris nomine emittunt omni pravitate referta: eo nimirùm conſilio, ut ſi eam æquis auribus populus recepiſſet, publica auctoritate cupita proferrent: ſin aliter fuiſſet excepta, omnis invidia eſſet in Rege, & ipſa venialis; quia etiam tunc cathecumenus ſacramentum fidei meritò videretur potuiſſe neſcire. Igitur lectam in Eccleſia Epiſtolam populus averſatur.*

VII. *A Conſtantio Imp. exilio damnantur.*

Cùm Euſebius Vercellenſis, Lucifer Calaritanus, Pancratius & Hilarius, Apoſtolici in propugnanda fide & juſtitia, pectoris viri, damnationi Athanaſii ſubſcribere recuſarent, Conſtantius Imperator eos exilio damnavit; & Hilarius, Urſacii, Valentis, & eunuchorum Conſtantii malis artibus, flagris immaniter cæſus eſt, ut diſcimus ex Sancto Athanaſio in Epiſtola ad Solitarios. Dionyſius Mediolanenſis Epiſcopus, qui imprudenter Athanaſii damnationi ſubſcripſerat, adjunctus poſteà in confeſſionis gloria Apoſtolicis Legatis, & cum eis in exilium miſſus, ibidem mortuus eſt, in cujus ſedem Conſtantius Imperator Auxentium Arianum intruſit.

VIII. *Sitatur Liberius PP.*

His non contentus Imperator Liberium Papam Mediolanum acceſſit, quò cum perveniſſet, noluit damnationi S. Athanaſii, ſecundùm Imperatoris vota, aſſenſum præbere; tum quòd comperta ipſi eſſet ſanctiſsimi illius Antiſtitis innocentia, & Arianorum in eum invidia: tum quòd fidem Nicænam per cuniculos peti videbat, cùm ſtrenuum ejus propugnatorem S. Athanaſium perſequebantur. Unde Conſtantio id ab eo extorquere conanti reſpondit Liberius: *Ego verò poſtulo, ut primùm quidem generalis præcurrat ſubſcriptio, quæ fidem Nicææ expoſitam confirmet. Deinde ut revocatis ab exilio fratribus noſtris, & in ſedes ſuas reſtitutis, ſi ii qui tumultus in Eccleſiis nunc excitant, Apoſtolicæ fidei conſentire viſi fuerint, tunc univerſi Alexandriam convenientes, ubi & accuſatus ipſe, & accuſatores ſunt, & defenſor eorum, examinato illorum negotio, concordem ſententiam proferamus.* Hæc conſtant ex Dialogo, quem Imperator cum Liberio habuit Mediolani, relato à Theodoreto lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 16. in quo cedro dignæ ſunt illæ voces, quibus Conſtantio exilii minas intentanti reſpondit: *Fratribus qui Romæ ſunt jam valedixi. Potiores enim ſunt Eccleſiaſticæ leges, quàm domicilium Romæ.* Aliquibus diebus elapſis cùm Imperator Liberium acciviſſet, neque is de ſententia diſcederet, eum Berœam Thraciæ relegari præcepit.

IX. *Liberius ſubſcribit Athanaſii damnationi & tertiæ fidei formulæ Sirmienſ.*

Elapſo biennio à Liberii exilio, Conſtantius Romam profectus eſt, ubi à Matronis Romanis rogatus, ut eum ab exilio redire juberet, ut ait Theodoretus lib. 2. cap. 17. Imperator *cum Epiſcopis ſuis re communicata, redditurum ſe eis hominem pollicitus eſt, ſi in eamdem cum Epiſcopis ſuis concederet ſententiam.* Liberius itaque & tædio victus, & deſiderio impotenti recuperandæ ſedis æſtuans, vim etiam & verbera paſſus, & Athanaſium damnavit, & formulæ fidei ab Arianis ſibi oblatæ ſubſcripſit; ideoque anno 358, ut ait Hieronymus in Chronico, Liberius *victor Romam ingreſſus eſt*, & quidem die ſecunda Auguſti, ut habet Anaſtaſius: *Ingreſſus Liberius in Urbem Romam quarto nonas Auguſti.* Nec dici poteſt ejus Romam reditum anno 357 contigiſſe, cùm non ante ab exilio revocatus fuerit, quàm ſubſcripſerit formulæ, quæ conſcripta eſt à tertia Synodo Sirmienſi anno 358 celebrata. Certè anno 357 menſe Decembri Liberius nondum Romæ erat, cùm lex 14. Cod. Theod. *de Epiſcopis* data menſe Decembri Mediolani, directa ſit ad Felicem Epiſcopum Romanum, ideòque Liberius ſedi ſuæ nondum reſtitutus erat. Hæc porrò Formula, cui Liberius ſubſcripſit, videtur eſſe ea, quam Hilarius in fragmentis vocat perfidiam ab Arianis conſcriptam, & quam Liberius catholicam vocat, ac à Demophilo ſibi oblatam ſuſcepiſſe ſe dicit in Epiſtola ad Orientales.

X. *Synodus Seleucienſis.*

Cùm poſt tertiam Synodum Sirmienſem anno trecenteſimo quinquageſimo octavo, ut legere eſt in Critica Baronii, celebratam, in qua conſcripta eſt illa fidei formula, cui Liberius ſubſcripſit, non tam pax inter Orientales ſanciri viſa eſſet, quàm inter

Digitized by Google

SÆC. IV. S. LIBERIUS.

ter ipſos nova emergere diſſidia, Conſtantius Imperator Oecumenicam Arimini Synodum indixit anno trecenteſimo quinquageſimo nono celebrandam; ſed eamdem, conſilio Arianorum, duas in partes diviſit; ita ut Orientales Seleuciæ in Iſauria; Occidentales verò Arimini in Æmilia convenirent. Orientales quidem numero 160 Seleuciæ congregati Epiſcopi, cùm mutuis ſeſe accuſationibus divexarent, Concilium in duas partes ſciſſum eſt, & nova fidei formula ab Acacio Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopo, prioris factionis duce edita, in qua, exploſis vocabulis, *conſubſtantialis*, & *æquiconſubſtantialis*, tanquam à Scripturis abhorrentibus, ſimilitudinem Filii cum Patre fatebatur, verbumque *diſſimile* anathemate damnabat, rejecta eſt ab alterius factionis Epiſcopis Semiarianis, qui Filium Patri ſimilem in ſubſtantia propugnabant, non verò ſola voluntate ut Acacius. Quare Acaciani diſceſſerunt; Semiariani verò in Eccleſiam convenientes, eos adeſſe recuſantes abdicarunt & excommunicarunt. De his legendi S. Athanaſius lib. de Synodis, Socrates lib. 2. cap. 31. & ſeq. Sozomenus lib. 4. cap. 21. & Severus Sulpitius lib. 2. qui ſcribit S. Hilarium Pictavienſem Epiſcopum huic Synodo adfuiſſe. Unde ipſe Hilarius, quæ in ea geſta ſunt accuratiùs narrat lib. contra Conſtantium.

XI. *Ariminenſis Synodi Patres Arianæ perfidiæ ſubſcribunt.*

Quadringentos Epiſcopos Ariminenſi Concilio interfuiſſe auctor eſt idem Severus Sulpitius loco laudato. Epiſcopis in unum congregatis lectæ ſunt Conſtantii Imperatoris literæ, quibus jubebat ut ſolùm tractaretur de fide. Valens & Urſacius Ariani, tertiam fidei formulam Sirmienſem in medium protulerunt, quæ Filium Patri ſimilem ſecundùm Scripturas docet; ſed licèt ea Imperatori placuiſſet, à Patribus tamen rejecta eſt. Deinde Nicæna fides unanimi Catholicorum Antiſtitum ſuffragio probata; hancque ad omnia ſufficere judicatum. Urſacius, Valens & alii quatuor Epiſcopi Ariani damnati, & Epiſtola Synodica ad Conſtantium Auguſtum data, quam refert Athanaſius lib. de Synodis. Hanc Epiſtolam Patres ad Imperatorem per Legatos mittunt, quos ut benignè ſuſcipiat, orant. Supplicant denique ut Epiſcopos, quos & gravitas ætatis, & paupertas affligit, in patriam reduci jubeat, ne Eccleſiæ abſentibus Epiſcopis deſertæ relinquantur. At Urſacius & Valens, qui Legatorum Orthodoxorum adventum prævenerant, ita Imperatoris animum exacerbarunt, ut Epiſcopi à Concilio miſſi nullum reſponſum referre potuerint. Hæc omnia Arianorum artibus facta teſtatur Theodoretus, ut Orthodoxos Epiſcopos mora diuturniore fatigatos, tædioque oppreſſos, ad deſtructionem Decretorum compellerent, quæ contra hæreſim ejuſque defenſores ediderant. Sed Catholici Præſules datis ad Conſtantium literis profeſſi ſunt, nunquam ſe à priori propoſito & ſententia diſceſſuros, idemque ſe Concili Legatis in mandatis dediſſe. Verùm cum Epiſcopi à Concilio miſſi compulſi eſſent ad Arianorum perfidiam ſubſcribendam, atque cum ipſis communicandum, in eam prævaricationem non ſoli adducti ſunt, ſed & omnes penè Orthodoxarum partium Antiſtites, de quorum lapſu legendi S. Athanaſius in Epiſtola ad Africanos, S. Hilarius in fragmentis & alii.

XII. *Liberius ſubſcribere recuſat.*

Liberius Papa & Vincentius Capuanus Epiſcopus, qui Arianorum ſordibus antea labefactati viſi fuerant, ad meliorem frugem converſi pro fide Catholica intrepidi ſteterunt, & Arianorum perfidiæ ſubſcribere recuſarunt, ut patet ex Epiſtola Damaſi Papæ & Synodi Romanæ ad Illyrios à Theodoreto lib. 2. cap. 22. relata, & ex Legatione Concilii Lampſaceni ad ipſum Liberium miſſa. Cùm enim, defuncto Joviano Imperatore, Epiſcopi Helleſponti & Bythiniæ, aliique conſubſtantialitatis aſſertores Concilium Lampſaci, quæ Civitas eſt in Helleſponto, anno trecenteſimo ſexageſimo quarto celebraſſent, in quo decreverunt doctrinam illam ratam fore, quæ Filium Patri ſubſtantia ſimilem aſſerebat, celebrato Concilio Legationem miſerunt ad Liberium Papam, Legatiſque in mandatis dederunt, ut nequaquam cum Liberio de fide diſſentirent, ſed communicarent cum Eccleſia Romana, fidemque conſubſtantialis ratam facerent. Legati Romam advenientes, Concilii literas obtulerunt, ſed Liberius eas recipere nolebat, quòd eos Arianæ hæreſeos ſuſpectos haberet. At illi ſe Catholicos eſſe profeſſi ſunt, eique libellum obtulere, in quo verba ipſa Nicæni Symboli conſcripta erant. Hæc conſtant ex Sozomeno lib. 6. cap. 7. & ex Socrate lib. 4. cap. 4. & 11. quo in ultimo loco idem Socrates ſubjicit libellum à præfatis Legatis Liberio traditum: quo profitentur ſe fidem Catholicam tenere, ſervareque, quæ à ſacroſancto Concilio Nicæno confirmata fuerit, in qua vox Conſubſtantialis, ad perverſam Arii doctrinam expugnandam, ſanctè pièque poſita eſt. Deinde, Arium, impiam ejus doctrinam; & erroris fautores execrantur, & damnant. Tertiò, dicunt anathema nominatim fidei formulæ in Concilio Ariminenſi recitatæ, utpotè quæ Nicænæ fidei repugnat. Quartò, exponunt fidem ſuam, quæ in omnibus Nicæna fides eſt. Iſto libello Liberius Legatos, tanquam ſponſione obſtringens, in communionem recepit, datiſque literis illos dimiſit. Quod ſanè certum eſt de orthodoxa Liberii fide argumentum.

Digitized by Google

SÆC. IV. S. LIBERIUS. Sanctus item Athanaſius in Epiſtola ad Solitariam vitam agentes narrat, Euſebium Conſtantii Imperatoris Ariani Eunuchum multa B. Petro munera obtuliſſe, ſed Liberium ejuſdem Eccleſiæ cuſtodem acriter increpaſſe, quòd illa inferri in Eccleſiam paſsus eſset, ipſaque tanquam illicita & execranda ab Eccleſia projici mandaſse. Verum quid hæremus; cùm certiſſimum de orthodoxia Liberii argumentum nobis ſuppeditet Siricius Papa in Epiſtola, quam ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum ſcripſit, de qua mox. In ea enim, capite primo diſertè aſserit, non ſolùm Liberium magna animi fiducia, Arianorum procaciæ perditiſſimis illis temporibus reſtitiſse, Arianæ fidei formulæ in Concilio Ariminenſi recitatæ non ſubſcribendo, ut plerique omnes ſcribunt, ſed ulterius proceſſiſse, & Concilium illud irritaſse & caſſaſse. Siricii verba num. XV recitata.

XIII. *Imò Concilium Ariminenſe caſſat.*

XIV. *Ejus magna in Eccleſia fama.*

Certè magnam magnam fuiſse in Eccleſia Catholica Liberii famam, S. Ambroſii elogium prædicat, qui lib. 3. de Virginibus, quem ſcripſit ad Marcellinam ſororem, ait: *Quoniam quæ habuimus, digeſſimus ſuperioribus libris duobus, tempus eſt, ſoror ſancta, ea quæ mecum conferre ſoles, beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvere, ut quò vir ſanctior, eò ſermo accedat gratior*, ubi poſteà intexit ejuſdem Liberii ſermonem habitum in ejuſdem Marcellinæ ſpiritualibus nuptiis, cùm ſe Deo perpetua Virginitate dicaret. Sed, ut quæ ſunt Ariminenſis Concilii abſolvam, Epiſcopis illius Concilii, ob lapſum adeò lugendum hæreſeos notam non eſse inurendam diſsertatione peculiari oſtendit Natalis Alexander Sæculo IV.

XV. *Generalia ad Provincias decreta dirigit.*

Liberius Papa Ariminenſi Concilio caſſato, generalia ad Chriſti fideles decreta miſit, quæ quidem ad nos non pervenerunt, ſed eorum mentio eſt in Epiſtola Siricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum anno trecenteſimo octogeſimo quinto ſcripta, capite enim primo ita legitur: *prima itaque paginæ tuæ fronte ſignaſti, baptizatos ab impiis Arianis, plurimos ad fidem Catholicam feſtinare, & quoſdam de fratribus noſtris, eoſdem denuo baptizare velle, quod non licet, cùm hoc fieri & Apoſtolus vetet, & Canones contradicant, & poſt caſſatum Ariminenſe Concilium, miſſa ad Provincias à venerandæ memoriæ prędeceſſore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Novatianis, aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritûs, Epiſcopalis manûs impoſitione, Catholicorum conventui ſociamus. Quod etiam totus Oriens, Occidenſque cuſtodit: à quo tramite vos quoque poſthàc minimè convenit deviare, ſi non vultis à noſtro collegio Synodali ſeparari ſententiâ.* Hic tamen obiter obſervandum Gregorii Magni tempore hæreticos quidem in Occidente ſola manuum impoſitione, ſed in Oriente cum addito Chriſmate exceptos fuiſſe, ut videre eſt in ejus Epiſtola LXI libri IX ad Hibernos Epiſcopos. Arianos per manuum impoſitionem in Eccleſia Romana recipi, aſſerit etiam Innocentius Papa in Epiſtola XVIII ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum cap. 3.

XVI. *Ad Deum migrat.*

Poſtquam Liberius duabus ordinationibus menſe Decembri Presbyteros XVIII,& Diaconos V feciſſet; ac inſuper Epiſcopos XIX per diverſa loca ordinaſſet, vitam cum morte commutavit die vigeſima tertia menſis Septembris anni trecenteſimi ſexageſimi ſexti, ſepultus V à Salariâ in Cœmeterio Priſcillæ. Annum & diem obitûs non notat Chronicon Damaſi, quod ante Liberii mortem exaratum oſtendit ſpatium vacuum relictum, ad diei & anni numerum, quando Liberius moreretur, notandum. Annum mortis habemus ex Chronico Euſebii juxta editionem Pontaci, & ex Prçfatione libelli precum Marcellini & Fauſtini Presbyterorum Luciferianorum, ad Imperatores Valentinianum, Theodoſium & Arcadium; ubi diem ejus ſepulturæ notant, nempe diem vigeſimum quartùm Septembris, ut etiam habetur in Martyrologio Bedæ; in Hieronymiano verò notatur dies mortis, nempè vigeſimus tertius Septembris, ſicuti & in antiquo Martyrologio Sancti Cyriaci. Sedit itaque annos quatuordecim, menſes tres & dies tres. Inter ejus Epiſtolas una eſt *ad omnes Epiſcopos*, altera *ad Athanaſium & Ægyptios Epiſcopos*, quæ à Viris Eruditis ſpuriæ reputantur, utpotè conſarcinatæ ex Epiſtolis Siricii, Leonis, Martini primi, & aliorum.

Digitized by Google

S. FELIX II. *Pontif. XXXVIII.*

Anno Domini CCCLV.

I. *Felix II. Liberio in exilium pulſo ſubrogatur.* S Felix II. natione Romanus ex Patre Anaſtaſio, Liberio, cujus erat Diaconus, anno trecenteſimo quinquageſimo quinto, ut vidimus, in exilium pulſo, ordinatus eſt Pontifex Romanus, & quidem ab Arianis hominibus in Conſtantii palatio, cùm non poſſet à Catholicis; ſeditque annos plus minùs tres, uſque ad diem vigeſimum nonum menſis Julii anni trecenteſimi quinquageſimi octavi, quo dic depoſitus dicitur ab Epiſcopatu in Auctiori Catalogo veterum Pontificum, quatuor nempe diebus ante Liberii ingreſſum in urbem Romanam, qui, ut diximus, die ſecundâ Auguſti ejuſdem anni contigit: *Felix depoſitus*, ut habetur in illo Catalogo, *de Epiſcopatu, habitavit in prædiolo ſuo à die III Kalendas Auguſti*. Marcellinus & Fauſtinus, ſchiſmatici Presbyteri Romanæ Eccleſiæ, in Præfatione precum, quas exhibuerunt Theodoſio Imperatori, ſcribunt: *Tertio anno redit Liberius, cui obvians cum gaudio populus Romanus exivit; Felix notatus à Senatu & populo de Urbe propellitur*, & poſtea addunt: *Poſt annos octo* (ex quo Româ pulſus eſt Felix) *Valentiniano & Valente Coſſ.* (ideſt anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo quinto) *X Kalendarum Decembrium defunctus eſt Felix*. Illis autem Presbyteris, licèt alias mendaciſſimis, tutò hac in re fides adhiberi poteſt, cùm ea narrent, quæ in conſpectu totius Urbis geſta erant.

II. *An fuerit verè Pontifex Rom.* Controvertitur an Felix verè fuerit Pontifex Romanus. Perronius Cardinalis in ſua ad Magnæ Britanniæ Regem Reſponſione, Bellarminus in defenſione Felicis Papæ, & Henſchenius in Appendice Tomo Tertio SS. menſis Aprilis ſubjecta, oſtendunt Felicem verum fuiſſe Pontificem, quòd in antiquo Pontificum Catalogo, imò & in Libro Pontificali legatur, dum Liberius in exilium duceretur congregaſſe *ſe Sacerdotes cum conſilio Liberii*, & ordinaſſe *in locum ejus Felicem*. Unde in Inſcriptione ſarcophagi ejuſdem Felicis anno 1582 ſub Gregorio XIII. in Æde SS. Coſmæ & Damiani reperti, legitur: *Hic jacet corpus S. Felicis Papæ & Martyris qui Conſtantium hæreticum damnavit*. Nec dici poteſt id intelligendum de Felice primo; hic enim, ut in ejus Pontificatu diximus, martyrium paſſus non eſt, cum ante perſecutionem Aurelianeam ad Deum migrarit. Quia tamen quæ de Felicis ſecundi martyrio tradit Anaſtaſius & ex eo Ado, aliique Martyrologi, fabuloſa videntur, & Marcellinus ac Fauſtinus laudati, eum morte naturali defunctum tradunt, dicendum cum Auctore Criticæ Baronii, Felicem II. ideò martyrem appellatum fuiſſe, quòd multa pro Chriſto pertulerit, idque ex modo loquendi prioribus Eccleſiæ ſæculis uſurpari ſolito, non verò quòd ejus causâ occiſus fuerit. Unde Fronto Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini ſcribit, extare Litanias in codice MS. à ſeptem aut octo ſæculis exarato, in quibus Felix II. in numerum Pontificum refertur, cum *Sancti* ac *Confeſſoris* nomine. Licèt autem Patres Concilii Sirmienſis ad Felicem Epiſcopum, & ad Clerum urbis Romæ ſcripſerint, ut Liberium redeuntem ſuſciperent, utque ambo ſimul, ſcilicet Felix ac Liberius Epiſcopatum adminiſtrarent, quod idem Conſtantium Imperatorem ſtatuiſse refert Theodoretus lib. 2. cap. 17. certum tamen eſt ex eodem Theodoreto ibidem, & ex libello precum Fauſtini & Marcellini laudato, Liberio Romam redeunte, Felicem aliò ſe contuliſse, & in prædiolo ſuo habitaſse, ubi defunctus eſt. Chriſtianus Lupus in parte quinta ad Dictatum Gregorii VII, aliique viri docti è contrà contendunt Felicem II non fuiſse verum Pontificem. Utraque opinio ſuos patronos, ſuaſque rationes habet, nihilque certi de hac controverſia dici poteſt, ſed illud certum Felicem ut Martyrem coli in Breviario, & Martyrologio Romanis die 29. menſis Julii, quemadmodum in Martyrologio Adonis, aliiſque, & in Sacramentario S. Gregorii legi officium in *Miſſa S. Felicis Martyris & Pontificis*. De Felicis Epiſcopatu Romano, ejuſque martyrio legendus Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico, ubi & plura ab Auctore libri Pontificalis relata, rejicit.

Digitized by Google

 SÆC. IV. S. DAMASUS.

S. DAMASUS Pontif. XXXIX.

Anno Domini CCCXVI.

I. *Damaſus Romæ contra Urſicinum Antipapam Synodum celebrat.*

S. Damaſus, Hiſpanus, Antonii filius, poſt dierum ſeptem ſedis vacationem Liberio ſucceſsit, ut ait Anaſtaſius, ordinatus die prima Octobris anni trecenteſimi ſexageſimi ſexti, quæ erat dies Dominica. Sed ejus electio turbata eſt ab Urſicino Romano Diacono, qui in ſchiſmate electus eſt contra Damaſum legitimis ſuffragiis electum, ut mox dicetur. Ipſo ſui Pontificatus initio, & ante finem anni trecenteſimi ſexageſimi ſexti, ut ſaltem initio anni trecenteſimi ſexageſimi ſeptimi Synodum Romæ celebravit adversùs Urſicinum Antipapam, & adversùs Valentem ac Urſacium, alioſque hæreticos jam damnatos, cujus Synodica à Conciliorum Collectoribus inter Acta Synodi Illyricianæ perperàm relata, ejus enim hæc eſt inſcriptio: *Dilectiſſimis fratribus per Illyricum fidem paternam retinentibus, Epiſcopi Italiæ in Domino Æternam ſalutem.* In ea ſcribunt Epiſcopi illi, ſe Concilii Ariminenſis reciſionem mittere, ſubduntque: *Auctores autem hæreſis Arianæ vel Aetianæ Valentem & Urſacium, ceteroſq; eorumdem conſortes, nõ nunc eſſe, quod manifeſtari apud Illyricum cœperunt, ſed olim condemnaſſe manifeſtum eſt.* Ideò autem ea Synodica ad Illyrios miſſa, quia Valens Murſi, Urſacius Singindonis in Illyrio ante depoſitionem Epiſcopi fuerant. Unde Sanctus Athanaſius in Epiſtola ad Africanos, ait: *Gratias habemus & illius pietati* (nempe Damaſi) *& ceteris, qui cum ipſo fuerunt Epiſcopis, quòd Urſacio & Valente cum ſociis ſuis ejuſdem ſententiæ ejectis, concordiam Eccleſiæ conſervarint.* Numeroſam fuiſse illam Synodum deducitur ex eadem Athanaſii Epiſtola; in ea enim ante laudata verba legitur: *Sufficiunt ſcripta Damaſi comminiſtri noſtri dilecti & magnæ Romæ Epiſcopi, & tam multorum cum ipſo congregatorum Epiſcoporum.* Porrò eam Synodum initio Pontificatûs Damaſi coactam, probatur, ex eo quòd Auctor libelli Synodici ſcribat Damaſum, ubi Pontificatum adeptus eſt, *confeſtim Synodum* congregaſſe; & certè S. Hilarius, qui anno trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo obiit, ejus Synodicam inter fragmenta recitat.

II. *Secunda Synodus Rom. ſub Damaſo.*

Secundam Synodum Damaſus Romæ coegit adversùs Auxentium Arianum in ſedem Mediolanenſem intruſum, & quidem anno trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, cujus Synodi Epiſtolam Synodicam ad Epiſcopos Illyrios ſcriptam referunt Theodoretus lib. 2. cap. 22. Sozomenus lib. 6. cap. 23. & Nicephorus lib. 11. cap. 31. Huic Synodo interfuere Epiſcopi tantùm nonaginta tres *ex reſcripto Imperiali*, ut habetur in epigraphe Synodicæ Collectionis Romanæ ab Holſtenio publicatæ. Pluribus in ea actum eſt *de Conſubſtantialitate Spiritûs Sancti cum Patre*, ut legere eſt in laudata Synodica & in Fragmentis Epiſtolæ Damaſi ei ſubjectis in eadem Collectione Romana & ex ea Tomo 2. Concil. editionis Labbei pag. 893. Unde hæreſis Macedonianorum in Occidente primùm damnata eſt in hoc Concilio Romano; nam quod quidam ajunt, eam primùm proſcriptam in Occidente à Patribus Concilii Illyriciani, ſubſiſtere non poteſt, cùm conſtet Synodum Illyricianam, poſt acceptam hujus ſecundæ Synodi Romanę ſub Damaſo Epiſtolam Synodicam, congregatam eſſe, ut legere eſt in Critica Baronii.

III. *Macedonianorum hæreſis initium.*

Hæc Macedonianorum hæreſis proſcripta eſt poſteà in Concilio Oecumenico Conſtantinopolitano primo, de quo infra. Ejus autem hoc fuit initium. Euſebio Nicomedienſi ſedis Conſtantinopolitanæ invaſore defuncto, Macedonius ab Arianis anno trecenteſimo quadrageſimo ſecundo illius Eccleſiæ Epiſcopus ordinatus eſt; ſed cùm propter multa crimina anno trecenteſimo quinquageſimo nono exauctoratus eſſet, novam hæreſim condidit, aſſerens Spiritum Sanctum non ejuſdem cum Patre & Filio honoris participem, ſed utriuſque miniſtrum eſſe, ac creaturam; unde non ſolùm in hac, ſed etiam in quarta Synodo Romana ſub Damaſo, de Conſubſtantialitate Spiritûs Sancti actum, & in hac ultima dicti ſunt anathematiſmi contra plures hæreticos, & nominatim contra Macedonianos: *Anathematizamus*, inquit Damaſus in Epiſtola, quam ad Paulinum ex hac Synodo miſit, *Macedonianos, qui de Arii ſtirpe venientes, non perfidiam mutaverunt, ſed nomen.* Et infra: *Si quis dixerit Spiritum Sanctum facturam eſſe, aut per Filium factum, anathema ſit... Si quis non dixerit Patris & Filii & Spiritûs Sancti unam divinitatem, poteſtatem, majeſtatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum, atque unam voluntatem ac veritatem, anathema ſit... Si quis non dixerit Spiritum Sanctum adorandum ab omni creatura, ſicut & Filium & Patrem, anathema ſit.* Hæc porrò ſecunda Synodus Romana præcipuè contra Auxentium coacta, videtur eſſe effectus monitionis factæ Damaſo Papæ à S. Athanaſio, qui ex Synodo Ægyptiaca, quam anno trecenteſimo

Digitized by Google

SÆC. IV. S. DAMASUS.

ſeptuageſimo primo celebravit, ad Damaſum ſcripſit, ut conſtat ex ejuſdem Athanaſii Epiſtola ad Africanos, in qua ait ſcripſiſſe ſe ad Damaſum *contra Auxentium invaſorem Mediolanenſis Eccleſiæ*, & mirari ſe, *cur nondum depoſitus ejectuſque ſit ex Eccleſia*.

IV. Tertia Synodus Rom. ſub Damaſo.

Tertia à Damaſo Romana Synodus anno trecenteſimo ſeptuageſimo quinto habita, cui Petrus Alexandrinus Epiſcopus, Sancti Athanaſii ſucceſſor, interfuit, de qua Sozomenus lib. 6. cap. 25. loquens de duobus Apollinaribus patre & filio, hæc habet: *Primus Damaſus Epiſcopus urbis Romæ, & unà cum illo Petrus Alexandrinus Antiſtes, cùm hanc hæreſim* (ſcilicet Apollinariſtarum) *latiùs ſerpere intellexiſſent, Concilio Romæ congregato, eam ab Eccleſia Catholica alienam eſſe decreverunt*. Ad hanc Synodum non referuntur anathematiſmi adversùs Arianos, alioſque hæreticos ex Epiſtola Damaſi Papæ à Theodoreto lib. 5. cap. 11. recitati, ut credit Baronius; neque Epiſtola Damaſi, quæ incipit: *Quod debitam Apoſtolicæ ſedi reverentiam exhibet*, quæ recitatur ab eodem Theodoreto lib. 5. cap. 10. Non eſt enim Epiſtola Synodalis hujus Concilii, ut etiam Baronius, & alii poſt eum arbitrati ſunt, ſed eſt Epiſtola decretalis ipſius Damaſi diu poſt ſcripta, ut notavit Valeſius in Notis ad Theodoretum. Denique in libello Synodico de hac tertia Synodo Romana legitur: *Petrus* (poſtquam Alexandriâ ejectus fuit) *Romam contendit: Eoque recepto, Papa Damaſus Romæ divinam & ſanctam Synodum convocavit: Quæ amentem illum Apollinarium, Stephanumque ejus diſcipulum* (legendum Timotheum, qui Apollinaris diſcipulus fuit) *& Latronem Lucium anathemate notavit*. Ex quibus etiam conſtat Apollinaris hæreſim in Occidente primùm à Damaſo Papa damnatam.

V. Apollinariſtarum errores.

Porrò palmaris Apollinaris hæreſis fuit, quòd naturam hominis in Chriſto ſemiplenam putavit, hoc eſt animâ carentem, cujus vicem ſupplebat corpori Verbum ipſum caro factum. Secundò, Apollinariſtæ aſſerebant corpus Chriſti Divinitati conſubſtantiale eſſe, ex quo ſequebatur poſſibilem eſſe divinitatem Verbi, & reverâ cruciatus & mortem eſſe perpeſſam. Tertiò, aſſerebant Verbum Divinum carnem ex Virgine non ſumpſiſſe; ſed ex Cœlo attuliſſe. Quartò, divinam ipſam Verbi ſubſtantiam in carnem converſam eſſe effutiebant. Tandem circa Trinitatem erravit Apollinaris, quoſdam dignitatis gradus excogitans, magnum ſcilicet, majus & maximum; ut magnus Spiritus Sanctus, major Filius, maximus Pater diceretur. Alia Apollinaris deliria apud Natalem Alexandrum ſæculo quarto legenda.

VI. Quarta Synodus Rom. ſub Damaſo.

Quartam indixit Damaſus Romæ Synodum anno trecenteſimo ſeptuageſimo octavo, tam adversùs varios hæreticos, quàm adversùs Epiſcopos è factione Urſicini Antipapæ. Quare cùm in Epiſtola ſive Synodali ſive Decretali Damaſi à Theodoreto lib. 5. cap. 10. relata, dicat Damaſus: *Quid depoſitionem Timothei à me denuò poſtulaſtis? qui & hic judicio ſedis Apoſtolicæ, præſente etiam Petro Alexandrinorum urbis Epiſcopo, depoſitus eſt unà cum magiſtro ipſius Apollinare*, apparet jam antea Apollinarem & Timotheum anno trecenteſimo ſeptuageſimo quinto in Concilio Romano tertiò fuiſſe damnatos, ideoque hanc Damaſi Epiſtolam ad hoc quartum Concilium Romanum eſſe referendam. Ad hanc pariter Synodum referuntur anathematiſmi adversùs Arianos, alioſque hæreticos ex Epiſtola Damaſi ad Paulinum Antiochenum Epiſcopum, dum eſset Theſsalonicæ, miſſa à Theodoreto lib. 5. cap. 11. recitati. In libello enim Synodico poſt narratam Valentis Imperatoris mortem, quæ die nonâ Auguſti anni trecenteſimi ſeptuageſimi octavi contigit, legitur: *Gratianus filius* (ſcilicet Valentiniani, de quo locutus fuerat) *Occidentis & Orientis Imperator factus, pios Epiſcopos ab exilio revocavit. Quo tempore Beatus etiam Damaſus, ſacram Romæ convocavit Synodum adversùs Arianos, Pneumatomachos, & alios plurimos hæreticos; expoſitamque definitionem divinorum capitum, Theſsalonicam ad Paulinum miſit, quæ ex divina diſpenſatione ubique maxima perfecit, & Trinitatis homouſion adorandam eſſe omnibus perſuaſit*. Ad hanc Synodum Romanam referenda quæ diximus de Macedonianis in ſecunda Damaſi Romana Synodo.

VII. Ex ea ſcribitur ad Impp. contra Urſicinum.

Hujus Synodi quartæ Patres ad Gratianum & Valentinianum Imperatores ſcripſerunt de damnatione ſchiſmaticorum & factione Urſicini, quorum Epiſtola refertur Tomo 2. Conciliorum editionis Labbei, cum reſcripto Gratiani Auguſti, juxta illius Epiſtolæ relationem, dato ad Aquilinum Urbis Vicarium; licèt enim Urſicinus anno trecenteſimo ſeptuageſimo quarto Valentiniani Imperatoris judicio in Gallias relegatus fuiſſet, ipſe tamen, ejuſque exemplo nonnulli Epiſcopi Eccleſiis incubabant, & contemptis Cognitoribus, vel fugatis, plures ex ea factione Eccleſias ſuas retinebant. Quare Imperatores jubent ſententias in ſeditioſos aliàs latas executioni mandari. Hic porrò locus ſe offert de Urſicini ſchiſmate ſermonem habere.

Urſicini

Digitized by Google

Urſicini ſchiſma contra Sanctum Damaſum.

VIII. *Urſicinus fit Antipapa.* URſicinus, Romanus Diaconus anno trecenteſimo ſexageſimo ſexto, mortuo Liberio Papa, Romanam Eccleſiam nefando ſchiſmate turbavit, ordinatus eſt enim Epiſcopus contra Damaſum legitimis electum ſuffragiis, & multos ex Clero, populoque Romano ſuas in partes pertraxit. Ex quo tam atrox ſeditio orta eſt, ut ſi Ammiano Marcellino lib. 27. fides, in Baſilica Sicinini uno die 137. cives occiſi ſint. Cùm verò ſchiſmatici legitimam Pontificis electionem convellere non poſſent, ad calumnias converſi, Sanctiſſimum virum Damaſum adulterii accuſarunt, quem Sanctus Hieronymus Epiſtolâ 50. ad Pammachium, virginem, Eccleſiæque virginis doctorem appellat, & cujus integerrimos mores antiqui Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores, Socrates, Theodoretus, & Sozomenus prædicant.

IX. *Impp. ſtudium ad extinguendum ſchiſma.* Extinguendo Urſicini ſchiſmati Catholici Imperatores auctoritate ſuâ adlaborarunt; Prætextatus enim Urbis Præfectus ſub Valentiniano Auguſto eum Romà expulit Ammiano laudato teſte, reſcriptumque ab eodem Imperatore accepit, quo jubebatur Baſilicam à ſchiſmaticis occupatam Damaſo reſtitui, eoſque etiam Urbe pelli. Prætereà, ut mox dictum eſt, Valentinianus, ut Eccleſiæ paci conſuleret, Urſicinum in Gallias exulem miſit, unde revocatus eſt eâ lege, ut nec Romam, nec in ſuburbicarias regiones, nec ipſe, nec ſchiſmatis fautores pedem inferre poſſent. Valentiniano mortuo Urſicinus Romanam ſedē iterùm invadere conatus eſt: Epiſcopi in ſchiſmate ordinati, & Catholicorum Antiſtitum judicio exauctorati, quas invaſerant Eccleſias retinuerunt, quò factum ut Gratianus Auguſtus Urſicinum in Gallias exularit, & ad petitionem Patrum Synodi quartæ Romæ ſub Damaſo celebratæ ſchiſmaticorum inſolentiam latâ lege cohibuerit, ut conſtat ex Synodica illius Concilii, & ex reſcripto Gratiani, de quibus ſupra.

X. *Diu ſchiſma duravit.* Eidem Imperatori ſupplicavére Patres Concilii Aquilejenſis anno trecenteſimo octogeſimo primo, Præſide Sancto Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo celebrati, Epiſtolâ quæ extat Tomo ſecundo Conciliorum, quaque Imperatores obſecrant, ne Urſicino ſedem Romanam poſt damnationem repetere molienti, faciles aures præberent. Poſteà tamen, mortuo Damaſo, Siricius non ſine tumultu, ab Urſicino excitato, in ejus locum ſubrogatus eſt, ut ibidem dicemus. Cæterùm Auctor libri Pontificalis, ipſo fatente Baronio, falsò ſcribit Urſicinum, poſtquam Româ pulſus eſt, conſecratum fuiſse Neapolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum, cum ex Gratiani & Valentiniani Junioris reſcripto anno trecenteſimo ſeptuageſimo octavo emanato, conſtet eum tunc longinquo exilio mulctatum; nec Marcellinus ejus partiarius in libello, quem Theodoſio Imperatori obtulit, aut ullus veterum Scriptorum id referant.

Concilium Conſtantinopolitanum primum, Generale ſecundum.

ANno Damaſi Papæ decimo quinto, Theodoſius Imperator Epiſcopos Orientis Conſtantinopolim convocavit, præcipuè adversùs Macedonii hæreſim, inconſulto Damaſo, qui ideò Legatos ad illud concilium non miſit, qui ejus nomine eidem præeſſent. Unde iſtud Concilium per ſe non eſt habitum pro Oecumenico, ſed tantùm ex poſt-facto, Damaſo nempe, hanc illi ſuo conſenſu dignitatem & auctoritatem tribuente. Licèt enim Eccleſiaſticæ regulæ Synodos facere, & decreta in Eccleſiis ſancire abſque Romanorum Pontificum auctoritate vetent; non prohibent tamen abſque ejus auctoritate Nationales Synodos, vel totius etiam Orientis Concilia convocari, quæ Oecumenica quidem non ſunt vi convocationis ab Imperatoribus, Patriarchis vel Metropolitanis factæ, eorum tamen auctoritatem conſequuntur, ſi Romani Pontificis aſſenſus accedat. XI. *Concilium Conſtantinopolitan. quo ſenſu Oecumenicum.*

Anno trecenteſimo octogeſimo, Damaſus Concilium Romæ indixerat ad diſcutiendam Maximi Cynici, qui thronum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ invaſerat, cauſam; quod cùm Orientales Epiſcopi detrectaſſent, iterum anno trecenteſimo octogeſimo primo Italiæ Epiſcopi poſt Concilium Aquilejenſe, Theodoſium Imperatorem rogarunt, ut Romæ generalis Synodus Orientalium ſimul & Occidentalium congregaretur. Ad quam convocati à Damaſo Epiſcopi Orientales, moram ſuam Conſtantinopoli excuſarunt, quòd ob ſuarum Eccleſiarum diſcrimen in Oriente detenti, Romam proficiſci non poſſent, temporis anguſtias inſuper cauſati. Agnoſcentes nihilominus Romani Pontificis auctoritatem, quâ eos ad ſuum Concilium jure convocabat, ut legere eſt in eorum Epiſtola Synodica, quæ data eſt ab Epiſcopis Orientalibus Conſtantinopoli anno trecenteſimo octogeſimo ſecundo iterum congregatis, dum Synodus Romæ agebatur: in qua Synodica relationem eorum quæ anno trecenteſimo octogeſimo primo in Concilio Oecumenico geſta decretaque fuerant, per Legatos ad Damaſum & Occidentales XII. *Orientales Epiſc. ad Synodum Rom. venire detrectant.*

 Epi-

Epiſcopos mittunt. Hæc Synodica refertur à Theodoreto lib. 5. cap. 9.

XIII. Concilium Conſtantinopoli celebrat.

Centum itaque & quinquaginta Orientales Epiſcopi, Præſide Timotheo Alexandrino menſe Majo anni trecenteſimi octogeſimi primi Synodum Oecumenicam celebrarunt, in qua Maximus Cynicus Conſtantinopolitanæ ſedis invaſor abdicatus eſt, & ſedes Sancto Gregorio Nazianzeno confirmata, cui tamen, ſtudio pacis nuncium remiſit. Unde in ejus locum Nectarius, vir ex ordine Senatorio, adhuc Cathecumenus, eodem in Concilio ſuffectus eſt. Secundò, Macedonii, Apollinaris, & Eunomii confixæ ſunt hæreſes, editumque adversùs illa fidei Symbolum, quo Nicæna fides magis expoſita fuit & confirmata. De hæreſibus Macedonii & Apollinaris locuti ſumus, de priori quidem in ſecunda, de poſteriori verò in tertia Synodo Romana ſub Damaſo. De Eunomii Epiſcopi Cyziceni blaſphemiis legendus Baronius Tomo 4. Annalium. Tandem Canones Eccleſiarum adminiſtrationem ſpectantes editi. Septem Græci Collectores exhibent. Tres dumtaxat editos fuiſſe longè probabilius eſt: alios verò in altera Synodo Conſtantinopolitana alio tempore ſancitos, huic Concilio adſcriptos fuiſſe ab iis, qui codicem Eccleſiæ Græcæ compoſuerunt.

XIV. Canon pro Eccleſia Cõſtantinopolitana non eſt ſpurius.

Canon tertius, qui eſt de ſecundo Epiſcopi Conſtantinopolitani in Eccleſia loco, & honoris primatu poſt Romanum, commentitius non eſt, ut putavit Baronius; cùm antiqui omnes codices, & collectiones omnes antiquæ mediæ ætatis & poſteriorum ſæculorum illum contineant, & præterea Socrates lib. 5. cap. 8. Sozomenus lib. 7. cap. 9. & Nicephorus lib. 12. cap. 13. illum conditum teſtentur. Illum autem Canonem tertium ſecundo non adverſari, imò nec illo aliquid derogatum fuiſſe juribus Eccleſiæ Alexandrinæ videre eſt in Critica Baronii ad annum trecenteſimum octogeſimum primum. Sed quidquid ſit, certum eſt illum Canonem ab Eccleſia Romana receptum non fuiſſe, ac diſertè probatum ante Innocentium III, qui in Concilio Lateranenſi IV Canone 5. ſedem Conſtantinopolitanam inter Patriarchicas ſecundo loco numerat, propriamque ei aſſerit, ſecundam, à Romana dignitatem.

XV. Concilium finitur.

Concilium finitum fuiſſe die nonâ menſis Julii colligitur ex eo quòd Canones illum diem præferunt, certè die trigeſimâ ejuſdem menſis Theodoſius dedit legem 3. Codicis Theodoſiani *de fide Catholica*, in qua mentio eſt Nectarii Epiſcopi Conſtantinopolitani in Concilio ordinati; ex quà, & ex lege 8. ejuſdem Codicis de *hæreticis* deducitur, eo die jam Concilio finem impoſitum fuiſſe. Statim atque celebratum eſt Concilium, ejus confirmationem Patres ab Imperatore Theodoſio poſtulaverunt, non quòd eam Concilio Oecumenico neceſſariam exiſtimarent, ſed ut hac ratione Imperatorem adſtringerent ad fidem protegendam, hæreticoſque profligandos, necnon ad Canonum obſervantiam ſuis etiam legibus impetrandam.

XVI. Ejus Acta à Damaſo Papa confirmantur.

Patres poſteà Concilii Conſtantinopolitani, ſequenti anno trecenteſimo octogeſimo ſecundo celebrati, ut jam dictum eſt, de rebus in Synodo Oecumenica decretis Synodalem per Epiſtolam monuerunt Damaſum Papam, quæ apud Theodoretum l. 5. c. 9. inſcripta eſt: *Dominis cariſſimis & religioſiſſimis fratribus et Comminiſtris Damaſo, Ambroſio, Brittoni, Valeriano, Aſcholio, Anemio, Baſilio & reliquis Sanctis Epiſcop., qui in magna urbe Roma collecti ſunt*, &c. Eâ Epiſtolâ Patres, eorum, quæ acta fuerant in Synodo Oecumenica, & quorum relationem mittunt, confirmationem poſtulant, cùm ajunt: *Quibus tanquam canonicè ac legitimè apud nos conſtitutis, veſtram quoque reverentiam gratulari hortamur, intercedente ſpiritali caritate: & Domini timore, omne quidem affectum comprimente; Eccleſiarum autem ædificationem privatæ erga ſingulos benevolentiæ, & gratiæ præponente.* Hæc Synodica miſſa eſt Damaſo per tres Epiſcopos, Cyriacum, Euſebium, Priſcianum. In ea cauſam cur Romam vocati non adiiſſent, explicarunt, & Oecumenicæ Synodi, quam ſuperiori anno Conſtantinopoli celebrarant, Acta Romano Pontifici recognoſcenda miſerunt, quæ ab eo confirmata ſunt. Quo ex tempore ea tanquam per Apoſtolicam ſedem approbata ſummæ ſemper venerationi fuère.

XVII. Symbolum Conſtantinopolitanũ ubique receptum.

Quod attinet ad Conſtantinopolitanum Symbolum, illud ſtatim ac prodiit, ab omnibus Græcorum Eccleſiis in Nicæni locum, nomine tamen non mutato, ſuffectum eſt. Unde omnes Conſtantinopolitanâ poſteriores Synodi & Patres, quoties de Nicæno Symbolo loquuntur, paſſim intelligunt Conſtantinopolitanum; neque tamen Conſtantinopolitanum, ſed Nicænum vocant. Etiam hodie nos quod ad Miſſarum ſolemnia cantamus, Nicænum dicimus, cum tamen ſit Conſtantinopolitanum, ut obſervavit Lupus Tomo I. Concil. Cap. 4. ubi addit in Eccleſia urbis Romæ ſervatum fuiſſe antiquum morem recitandi Symbolum Apoſtolorum, quòd nulla hæreſis ibi ſumpſerit exordium. Eodem jure Symbolum Apoſtolicum ſine additamento retinuerunt Eccleſia Africana, Italica, Gallica, Latinæ omnes, ut liquet ex Auguſtino, Chryſologo, aliiſque Latinis Epiſcopis, qui iſtud ſolum leguntur Cathecumenis tradidiſſe. Cùm enim Theodoreto, Sozomeno, atque Socrate teſtibus, Ariana hæreſis Illyrici fines tranſire nunquam valuerit, apud Europeos novâ proſeſ-

feſſionis teſſerâ opus non fuit. Excipiendæ tamen ſunt Hiſpaniarum Eccleſiæ, quæ à Gothis, Arianis, Vandalis & Suevis pervaſæ, & poſſeſſæ, ſicuti trinam baptiſmatis merſionem in unicâ, ita Apoſtolicum Symbolum in Nicænũ mutaverunt, ideſt Conſtantinopolitanum, ut clarè habetur in tertia Synodo Toletana anno quingenteſimo octogeſimo nono celebrata, in qua conſilio Recaredis Hiſpaniarum Regis ſtatuitur: *Ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ & Galliciæ ſecundùm formam Eccleſiarum Orientalium Concilii Conſtantinopolitani Symbolum recitetur*. Imitatæ id poſtmodùm ſunt quædam ſub Carolo Magno Gallicanæ Eccleſiæ; aliæ tamen, ac ipſa capella Regia imitari non ſunt auſæ, donec à Leone III veniam impetraſſent. Nam Romana Eccleſia necdum ſub Joanne octavo eamdem cantandi conſuetudinem receperat; poſteà tamen, ne à ſubditis ſibi Hiſpaniarum & Galliarum Eccleſiis, morem hunc deponere nolentibus, diſſonaret, illud Symbolum intra Miſſarum ſolemnia cantavit.

XVIII. *Cathecumenis tradi ſolitum.* Edmundus Martene lib. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 1. art. 11. num. 10. exiſtimat poſt Concilium Conſtantinopolitanum primum Cathecumenis, antequam baptizarentur, traditum eſſe Symbolum Nicænum, quod probat ex Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna, anno quingenteſimo trigeſimo ſexto celebrato, ubi actione 5. legitur: *Nam ſpecialiter Symbolum trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, in quo baptizamur, ipſæ tres ſanctæ Synodi conſonè confirmarunt*. Sed cùm ex dictis, Conſtantinopolitanum Symbolum in Nicęni locum ſubrogatum fuerit, nomine non mutato, in hoc & aliis locis ab eo citatis ſuſpicor ſermonem eſſe de Symbolo Conſtantinopolitano, quod dicitur Nicænum, quia illo Nicæna fides magis expoſita fuit & confirmata. Unde ipſemet Martene fatetur in vulgato Ordine Romano, in Ordine Gelaſiano, in Pontificali Salsburgenſi, in vetuſtiſſimo Codice Remenſi annorum 900. & in primo Ordine Scrutinii Codicis Gellonenſis notari Conſtantinopolitanum Symbolum, non Nicænum. Et ſanè convenientiùs videtur Conſtantinopolitanum Cathecumenis traditum fuiſſe, ut de divinitate Spiritûs Sancti edocerentur, quæ in Nicęno clarè expreſſa non erat, ut fuit in Conſtantinopolitano.

XIX. *Hic recitatur.* Symbolum porrò Conſtantinopolitanum tale eſt: *Credimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, homouſion Patri, hoc eſt ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ; per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: & incarnatus eſt ex Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt: crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus: & tertia die reſurrexit ſecundùm Scripturas: aſcendit in cœlos, ſedet ad dexteram Patris; inde venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & glorificandum: qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Expectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſæculi. Amen.*

XX. *Damaſus Papa moritur.* Damaſus Papa multis pro Eccleſia exhantlatis laboribus ad Deum migravit die decimâ menſis Decembris anni trecenteſimi octogeſimi quarti, poſtquam annos octodecim, menſes duos, dies decem ſediſset. Diem mortis nobis conſervavit S. Hieronymus in Martyrologio: annos, menſes & dies Sedis Auctius Chronicon Veterum Pontificum: annus verò mortis deducitur ex Epitaphio Siricii ejus Succeſſoris ab Annotatore Baronii relato, ex quo conſtat Siricicium anno 384 Pontificatum adeptum eſſe. Quinque ordinationes fecit menſe Decembri Presbyterorum 31, Diaconorum 9, Epiſcopos verò 62 per diverſa loca conſecravit, & viâ Ardeatinâ in ſua Baſilica ſepultus eſt; plures enim Martyrum Baſilicas erexit, plurium ſepulchra verſibus exornavit, ſibique ipſi epithaphium edidit. Inter Sanctos miraculis clarus recenſetur & inter Scriptores Eccleſiaſticos.

XXI. *Ejus ſcripta.* Sanctum Hieronymum Stridonienſem in ſcribendis Epiſtolis, & in Eccleſiaſticis negotiis adjutorem habuit, ejuſque juſſu idem Hieronymus novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidit. Hic in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis de eo ſcribit: *Damaſus Romanæ urbis Epiſcopus, elegans in verſibus componendis ingenium habuit, multaque & brevia Opuſcula heroico metro edidit, & propè octogenarius ſub Theodoſio Principe mortuus eſt*. Ejus Opera à Martio Mileſio Zarazanio collecta, ſed Epiſtola VIII quæ dicitur ſcripta *Stephano Archiepiſcopo Concilii Mauritaniæ & univerſis Epiſcopis Africanæ Provinciæ*, ſuppoſititia eſt, ut oſtendit ſubſcriptio: *Data Flavio & Stilicone V.V.C.C. Coſ.* Flavius enim Stilico unus & idem eſt, qui anno 400, Aureliano collega, Conſulatum geſſit, & iterum ano 405 collega Anthemio. Prætereà prænotatur Epiſtola: *Damaſus ſervus ſervorum Dei, atque per gratiam ejus Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ urbis Romæ*, cùm tamen ante Gregorium primum Pontifices Romani non ſeſe *ſervus ſer-*

Digitized by Google

SÆC. IV. S. DAMASUS. *ſervorum Dei* in Epiſtolis appellarent.

Liber etiam Pontificalis, ſeu Pontificale Tomis Conciliorum inſertum Damaſo perperam tribuitur, ut inter eruditos convenit. Nec denique Hieronymi ad Damaſum, & Damaſi ad Hieronymum Epiſtola inter Opera Damaſi numeranda, ut oſtendit Schelſtratius in ſecunda parte Antiquitatis illuſtratæ. Quoad Catalogum veterum Pontificum, quo uſque ad Liberium, in quo deſinit, uſi ſumus, quique Chronici Damaſi nomine à nobis appellatus eſt, Damaſi partum non eſſe rectè vidit Baronius, ſicuti & falſum eſſe quod de eo in libro Pontificali legitur, eum nempe conſtituiſſe ut Pſalmi, diu, noctuque in Eccleſiis canerentur, quaſi primus ſacri illius moris fuerit auctor; ut enim probat Bona Cardinalis cap. 16. de Divina Pſalmodia in Eccleſia Occidentali, hunc alternatim per antiphonas modum inſtituit S. Ambroſius, quem Damaſus Apoſtolico Decreto ſtabilivit. Qua de re plura apud eundem Bona legenda, ubi & pag. 458. ait cautè intelligendum eſſe quòd Gregorius Magnus lib. 7. Epiſtola 64. apud Baronium ſcribit, Damaſum nempè Papam ex B. Hieronymi traditione acce-piſſe, ut ad imitationem Jeroſolymitanæ Eccleſiæ, Romæ concineretur *Alleluja*. Non enim, inquit Bona, cœpit eo tempore in Eccleſia Romana cantari *Alleluja*, ſed cùm tempore tantùm Paſchali cantaretur, tunc ſancitum eſt, ut etiam extra illud frequentaretur. SÆC. IV. S. DAMASUS.

XXII. *Quaedam ei falsò adſcripta.*

XXIII. *Non eſt Auctor decreti de libris recipiendis.*

Ait inſuper loco laudato Bona pag. 447. multos doctores alioquin fide digniſſimos legem canendæ Doxologiæ, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, ſicut erat* &c. in fine Pſalmorum ad Damaſum Papam referre, à quo de hac re ſanctionem editam ajunt Divo Hieronymo ſuadente. Sed iſti decepti ſunt ob Epiſtolam Hieronymi ad Damaſum, quam mox adulterinam eſſe diximus. Concilium Vaſenſe ſeu Vaſionenſe ſecundum, ſub Felice IV anno 529 celebratum Canone V ſtatuit, ut in Eccleſia poſt *gloria*, dicatur, *ſicut erat in principio* adversùs eos, qui Dei filium à tempore cœpiſſe blaſphemant. Damaſus non eſt etiam auctor decreti de Scripturis Divinis, & Opuſculis Sanctorum Patrum, quæ in Eccleſia Catholica recipiuntur, ſeu decreti *de libris recipiendis & non recipiendis*, licèt in Collectione Creſconiana, librariorum errore, decretum illud Damaſi nomen præferat; quia plerique Opuſculorum in eo memoratorum Auctores, poſt Damaſum vixerunt & ſcripſerunt. Qua de re plura in Gelaſio.

S. SIRICIUS *Pontif. XL.*

Anno Domini CCCLXXXIV.

I. *Siricius fit Papa.*

S. Siricius, Romanus, ex patre Tiburtio, Pontificium thronum aſcendit die vigeſimaſecundâ Decembris ejuſdem anni trecenteſimi octogeſimi quarti in die Dominica, poſtquam ſedes dies undecim vacaſſet. Ejus electio aliquantulùm turbata eſt factione Urſicini, quem Schiſmatici Damaſo ſubſtituere volebant, ut indicant literæ Valentiniani Auguſti ad Pinianum Urbis Præfectum à Baronio anno 385 relatæ.

II. *Scribit ad Himerium Tarraconenſem Epiſtolam.*

Ipſo ſui Pontificatûs initio, tertio idus Februarii anni trecenteſimi octogeſimiquinti celebrè illam *ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum* Epiſtolam ſcripſit, quâ ejus relationi ad Damaſum miſſæ reſpondet, quæque quindecim capitibus conſtat, quibus Eccleſiaſtica diſciplina reſtauratur, & in ea decreta obſervari vult non tantùm in Provincia Tarraconenſi, ſed & in Carthaginenſi, Boetica, Luſitana, atque Gallæcia. Hæc prima eſt Decretalium Romanorum Pontificum, quam Eruditi paſſim tanquam veram agnoſcunt, primàque quæ in antiquis Eccleſiæ Latinæ Collectionibus legitur.

Conſtans eſt & indubitata apud Eruditos ſententia ſacramentum Baptiſmi primis Eccleſiæ ſæculis, in ſolis Paſchæ & Pentecoſtes ſolemnitatibus adminiſtratum fuiſſe. Cui conſuetudini cum Hiſpani addidiſſent, non ſolùm diem Natalis Chriſti & Epiphaniam, ſed etiam Apoſtolorum, Martyrumque dies feſtos, Siricius in dicta ad Himerium Epiſtola, non ſolùm auctoritate Sedis Apoſtolicæ fretus, ſed omnium etiam Eccleſiarum conſuetudinem in medium adducens, ea de re commotus, in hæc verba ſcribit: *Sequitur deinde baptizandorum, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis & emendanda confuſio, quæ à noſtris Conſacerdotibus, quòd commoti dicimus, non ratione auctoritatis alicujus, ſed ſolâ temeritate præſumitur; ut paſſim ac liberè in Natalitiis Chriſti, ſeu Apparitionis, necnon & Apoſtolorum, ſeu Martyrum feſtivitatibus, innumeræ, ut aſſeris, plebes baptiſmi myſterium conſequantur: cùm hoc ſibi privilegium & apud nos, & apud omnes Eccleſias, Dominicum ſpecialiter cum Pentecoſte ſua Paſcha defendat; quibus ſolis per annum diebus, ad fidem confluentibus generalia baptiſmatis tradi convenit ſacramenta*. Hæc in dictæ Epi-

III. *Celebrationis baptiſmi tempus traditur.*

Epiſtolæ ſecundo, decreto de quo & vide dicenda in Leone. De primo autem decreto, quod eſt de Arianis non rebaptizandis vide dicta in Liberio.

IV. *Synodum Romæ celebrat.*

Anno trecenteſimo octogeſimo ſexto, menſe Januario Siricius Romæ Synodum octoginta Epiſcoporum celebravit in Baſilica S. Petri, cujus extat Epiſtola Synodalis ad Epiſcopos Africanos data *Romæ in Concilio Epiſcoporum octoginta, ſub die VIII Idus Januarii, poſt Conſulatum Arcadii Auguſti, & Bautonis Virorum Clariſſimorum Conſulum.* Novem Capitulis Siricius Papa in hac Synodo conſtitutis, Eccleſiaſticam diſciplinam in Africa collapſam reſtituere conatus eſt. De Novatianis ac Montenſibus primò cautum, ut venientes ad Eccleſiam per manûs impoſitionem conciliarentur. Per Montenſes intelligit Donatiſtas, qui ita dicti ſunt, quòd Romæ primùm Eccleſiam ſuam in monte habuerint. De hoc decreto vide dicta in Liberio. Monuit prætereà ne Sacerdotes atque Diaconi conjugati, cùm ordinati eſſent, cum uxoribus permanerent. Cujus Decreti meminit Innocentius Papa in Epiſtola ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum. Auctor Criticæ Baronii anno 418. num. 66. ait in Concilio Carthaginenſi quinto anno CCCXCVIII celebrato, cùm de incontinentia Clericorum referretur, placuiſſe Patribus, Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos ab uxoribus abſtinere *ſecundùm priora ſtatuta*, ideſt juxta definitionem Conciliorum antecedentium. Verùm cùm magna eſſet Clericorum Afrorum incontinentia, duæ Siricii Epiſtolæ, ex quibus altera ad nos non pervenit, in Concilio Zellenſi anno 418. coacto, relectæ ſunt, & juxta earum præſcriptum, decreta iterum aliquot diſciplinæ capita, quorum ſummam retulit Ferrandus in Breviatione Canonum Eccleſiæ Romanæ cap. 60. De Canone 9, in quo Siricius hortatur Presbyteros ad continentiam, legendi Marca lib. 1. de Concordia cap. 8. & Schelſtratius in Diſſert. 3. de Eccleſia Africana cap. 12.

V. *Ejus ad Himerium & Africanos Epiſtola ſincera.*

Has duas ad Himerium Tarraconenſem, & ad Epiſcopos Africanos Epiſtolas, Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Veterum Pontificum adulterinas ſuſpicatur, ſed de earum ſinceritate dubitandi locum non eſſe oſtendit Criticæ Baronianæ Auctor tomo primo, qui & tomo ſecundo poſterioris Epiſtolæ ſinceritatem ex Schelſtratio & Natali Alexandro adſtruit contra Queſnellum, qui in diſſertatione 15 ad Opera Sancti Leonis Magni, tam eam Epiſtolam, quàm Concilium Zellenſe, in quo recitata fuit, ſuppoſititiam perperàm credit.

VI. *Jovinianum Hæreſiarcham damnat.*

Anno trecenteſimo octogeſimo ſecundo Jovininianus Monachus è Monaſterio Mediolanenſi, in quo ſub Catholico nomine, & habitu Monaſtico aliquandiu delituit, egreſſus, quàm ſolutè & impurè vixerit, Hieronymus egregiè deſcribit lib. 1. contra Jovinianum cap. 2. addens hunc Hæreſiarcham ſenſiſſe virgines viduas & maritatas ejuſdem eſſe meriti; renatos plenâ fide in baptiſmo, à Diabolo non poſſe ſubverti: nullum eſſe abſtinentiæ ciborum meritum: omnium, qui baptiſmum ſervaverint, eſſe unam in regno Cœlorun remunerationem. Omnia peccata paria eſſe dicebat Jovinianus ex Sancto Auguſtino lib. de Hæreſibus, ex quo & habemus cum eò impietatis adactum eſſe, ut negaret ſanctiſsimam Deiparam Mariam in partu Virginem fuiſſe, ſed reliquarum more fœminarum corruptam. Cùm autem illos errores Romæ ſpargeret, nonnullas Sanctimoniales, quarum de pudicitia ſuſpicio nulla præceſſerat, in nuptias dejecit. Pammachius Senator Sanctæ Paulæ gener, eum ad Siricium Pontificem detulit, ut conſtat ex Epiſtola 50. S. Hieronymi ad eundem Pammachium fidei Catholicæ ardentiſsimum propugnatorem data. Quare Jovinianus à Siricio damnatus eſt, & extra Eccleſiam ejectus in Synodo Romana, ut conſtat ex Epiſtola ſecunda Siricii ad Eccleſiam Mediolanenſem data, & tranſmiſſa per Legatos Creſcentem, Leopardum & Alexandrum, qui ejuſdem hæreſeos, ac hæreticorum damnationem, in Concilio Mediolani celebrando, procurarent. Siricii Epiſtolâ & Legatis honorificè exceptis, S. Ambroſius Mediolani Concilium congregavit, in quo ſecundùm Siricii judicium, Jovinianus ejuſque ſectatores damnati ſunt, ut conſtat ex Synodica illius Concilii Epiſtola, quæ inter S. Ambroſii Epiſtolas legitur. Sed an Jovinianus in Concilio Mediolanenſi anno 390 coacto, vel in alio damnatus fuerit, incertum.

VII. *Item Bonoſum Sardicenſem Epiſc.*

Bonoſus Sardicenſis Epiſcopus Chriſtum purum hominem aſſerens, duoſque in Salvatore filios agnoſcens, æternum unum, alterum temporalem: aſſerens prætereà Deiparam Virginem, à partu Chriſti, alios ſuſcepiſſe liberos, ab Anyſio Theſſalonicenſi & cæteris Illyrici Epiſcopis, quibus fuerat à Synodo Capuana circa annum 389. celebrata, cauſæ illius cognitio demandata, damnatus eſt. Ejus errorem damnavit etiam Siricius Pontifex, ut conſtat ex ejus Epiſtola ad Anyſium & cæteros Epiſcopos per Illyricum conſtitutos. Marius tamen Mercator in Diſſertatione ad XII. anathematiſmos Neſtorii, illum Hæreſiarcham à Damaſo prædamnatum ſcribit; quod ita intelligendum cenſet Garnerius in Notis ad illam diſſertationem, quòd damnatus fuerit Bonoſus à Damaſo, ſub nomine tum Marcelli, tum Photini, quorum hæreſim renovavit: illi enim in Synodo Romana, ex qua profeſsio fidei ad Paulinum Antiochenum

Digitized by Google

chenum miſſa eſt, proſcripti ſunt, de qua Synodo Romana anno 378 celebrata in Damaſo egimus. Sed licet id verum ſit, quia tamen hæreſis Photini in tribus Conciliis ſub Julio, nempe Mediolanenſi, Romano & Sirmienſi, jam ante Damaſum damnata fuerat, ſi ad hæreſim Photini Marius Mercator reſpectum habuiſſet, non à Damaſo, ſed à Julio Bonoſum prædamnatum dixiſſet; unde ad ſolam Marcelli hæreſim reſpexit Mercator, reverà enim hæreſis Marcelli, & conſequenter Bonoſi, qui eam renovavit, damnata eſt in illo Concilio Romano ſub Damaſo his verbis apud Theodoretum lib. 5. cap. 11. *Anathematizamus eos, qui duos filios aſſerunt, unum ante ſecula, & alterum poſt aſſumptionem carnis ex Virgine*. Photiniani nihilominus dicti ſunt poſteà Bonoſiaci, ut liquet ex Audentio Epiſcopo Hiſpano, qui ut refert Gennadius lib. de Scriptor. Eccleſiaſt. cap. 14. *Scripſit adversùs Manichæos & Sabellianos, & Arianos, maximè quoque ſpeciali intentione contra Photinianos, qui nunc vocantur Bonoſiaci, &c.*

III. *Vices ſuas per Illyricum committit Theſſalonicenſi Epiſc.*

Illyrico in Orientale, & Occidentale anno trecenteſimo ſeptuageſimo nono diviſo, ut probat Annotator Baronii, ſicut in Eccleſiaſticis, ut ante eam diviſionem, totum Illyricum Epiſcopo Romano ſeu Patriarchæ Occidentis ſuberat, ita & poſt illam eidem ſubditum remanſit. Hæc tamen diviſio Epiſcopis Conſtantinopolitanis cupiditatem injecit, Illyricum Orientale ſuæ ſedi ſubjiciendi, quod non ſemel tentarunt. Pontifices Romani, ut eorum conſiliis obviam irent, Epiſcopum Theſſalonicenſem Vicarium Sedis Apoſtolicæ in illis partibus conſtituendum judicarunt. Theſſalonicenſis enim Epiſcopus ante eam diviſionem totius Illyrici Primas erat. Verùm non convenit inter Eruditos, quis primus Romanorum Pontificum Epiſcopos Theſſalonicenſes hoc honore affecerit. Aliqui id referunt ad Damaſum, cujus tempore Acholius & Anyſius Theſſalonicenſem ſedem tenuere: alii verò, ut Baluſius in Supplemento lib. 5. Marcæ de Concordia Sacerdotii & Imperii capite 23. Siricium hujus Vicariatûs auctorem faciunt. Quæ ſententia ibidem à viro doctiſſimo pluribus probata, præferenda. Siricius enim ſcribens ad Anyſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, ut videre eſt in Collectione Holſteniana, nullam Damaſi mentionem facit, haud dubiè facturus, ſi eadem auctoritas Anyſio tributa ab illo fuiſſet. Prætereà Leo primus repetens primordia Vicariatûs Epiſcoporum Theſſalonicenſium in Epiſtola ad Anaſtaſium, in eadem Collectione edita, à Siricio incipit, omiſſo Damaſo. Licèt autem Leo in ea Epiſtola dicat ſe committere Anaſtaſio Epiſcopo Theſſalonicenſi vices ſuas per Illyricum, addatque ſe id facere exemplo Damaſi, ad ita intelligendum, quòd Damaſus mandata interdùm aliqua, ubi occaſio tulit, dedit Acholio & Anyſio. Sed quidquid ſit, certum eſt Leonem loqui tantùm de Anyſio & Rufo, Anaſtaſii deceſſoribus, ideòque Vicariatum illum ſub Anyſio incepiſſe, & ſic vel ſub Damaſo, vel probabilius ſub Siricio.

IX. *Siricii conſtitutum de Eucbariſtia.*

In libro Pontificali de Siricio hæc leguntur: *Hic conſtituit ut nullus Presbyter miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* Decretum à Melchiade Papa editum ex eodem libro Pontificali, in eo Pontifice retulimus, in quo etiam de fermento agitur, quæ Baronius anno 313. num. 49 & ſeqq. de Eulogiis, ſeu pane benedicto intelligenda cenſuit nomine fermenti. Sed nunc inter Eruditos convenit, tam in illis duobus decretis, quàm in alio, de quo in Innocentio primo loquemur, agi de primitivæ Eccleſiæ conſuetudine, quâ Epiſcopus ad urbis Presbyteros, qui ſacrificio diebus Dominicis adeſse non poterant, ſacramenta mittebat, ut abſervavit Schelſtratius in Opere de diſciplina Arcani cap. 7. art. 5. Vide dicta in Melchiade, & dicenda in Innocentio, ubi Melchiadis & Siricii decreta fuſiùs explicantur.

X. *Item aliud de Manichæis.*

Idem libri Pontificalis Auctor aliud decretum à Siricio editum ſcribit hoc modo: *Hic conſtituit, ut ſi quis converſus de Manichæis rediret ad Eccleſiam, nullatenus communicaretur, niſi tantùm relegatione monaſterii diebus vitæ ſuæ teneretur obnoxius, ut jejuniis & orationibus maceratus, & probatus ſub omni examinatione uſque ad ultimum diem tranſitùs ſui, & ob humanitatem Eccleſiæ Viaticum eis largiretur.* Ad quæ verba Schelſtratius in parte 1. Antiquitatis Illuſtratæ pag. 463. ait: „ Cum Manichæorum hæreſis non modò praviſſima, ſed etiam obſcæna fuerit, nullam leviorem pœnam illis Siricius imponendam cenſuit, quàm perpetuæ pœnitentiæ in monaſterio peragendæ: unde duo quædam conſequuntur, & monaſteria ante Siricium fuiſſe, & gravioribus delictis pœnitentiam perpetuam impoſitam fuiſſe; cum hoc tamen moderamine, quòd in ultimo conſtitutis Viaticum concederetur.

XI. *Siricius à Rufino Aquilejenſi deceptus excuſatione dignus.*

Cùm Rufinus Aquilejenſis Presbyter, ex Oriente redux Romam anno trecenteſimo nonageſimo ſeptimo veniſſet, ibi hæreſes Origenianas diſſeminavit, & verſionem ſuam librorum Periarchon Origenis, ibidem anno trecenteſimo nonageſimo octavo publicavit, ſtatimque Româ exiens literas *formatas*, ſeu *communicatorias* à Siricio Papa obtinuit, ejus ſimplicitati illudens, quia ſcilicet nondum Romæ Ori-

genis

Digitized by Google

genis hæreſis ſatis pateſacta erat. Eas literas poſteà poſuit Rufinus Anaſtaſii Papæ literis, quibus ob tentatam Periarchon interpretationem increpabatur, quòd ei exprobrat Hieronymus in Apologia ſecunda: *Siricii jam in Domino dormientis profers Epiſtolam, & viventis Anaſtaſii dicta contemnis*. Quæ verba oſtendunt Hieronymum credidiſſe Siricium ſomno Sanctorum in Domino obdormiſſe. Et tamen Baronius anno 397 arbitratur Siricium, quòd periclitanti Eccleſiæ occaſione errorum Origenis, non ſtatim occurrerit, celeri morte ſublatum eſſe: hancque Siricii conniventiam in pavendum illorum Pontificum exemplum adducit; qui cauſam fidei paulò ſegniùs tractantes, quàm celeriter ex hac vita ſubtracti ſunt. Verum, ut inquit Florentinius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum, ad diem XXVI menſis Novembris, cui Sancti Siricii nomen inſcribitur; Siricius plures in diuturnitate Cathedræ Pontifices Romanos æquavit, plures ſuperavit, & ſeptuagenario major è vivis exceſſit. Præterquamquod mortem Siricii ultionis divinæ argumentum non eſſe convincunt verba, quæ de Anaſtaſii ejus ſucceſſoris breviori vitâ habet idem Hieronymus, *quem diu Roma habere non meruit*; malè enim eadem vitæ feſtinata abſciſſio, in uno ad inſimulandam negligentiam, eodem contextu induceretur, in alio ad ſanctitatis indicium. Certè quia Siricius, dum viveret, benè de Rufino ſenſit, nondum cognitâ ejus venenatâ doctrinâ, à ſanctitate non decidit, ſicuti neque Divus Auguſtinus dum Epiſtolam ordine 15, nunc 73 ſcribens, Rufinum conciliare Hieronymo laborans, illum magni fecit, quamquam Apologetica & amarulenta Opuſcula inter utrumque vulgata fuiſſent ſub Anaſtaſio.

XII. *Siricius contra hæreticos pugnavit.*

Pugnavit certè Siricius contra Manichæos & Priſcillianiſtas in pluribus cum eis ſentientes; cumque omnes radicitùs, Romæ præſertim, evellere non poſſet, legem à Theodoſio Magno impetravit, ut ſæcularibus pœnis tollerentur, quod etiam conjectatur Baronius anno 389. num. 64. Pugnavit etiam contra Flavianum Antiochenæ ſedis minus legitimum occupatorem, & Synodo inobedientem, iterato datis ad Imperatorem literis, & Capuanâ ob id Synodo indictâ, eodem Baronio ibidem num. 68. teſte. Denique Jovinianum Chriſtianorum Epicurum damnavit, ſicuti & Bonoſum Sardicenſem Epiſcopum, ut mox dictum eſt. Plura ſuppeditabit Florentinius citatus adverſus omnia Siricio objecta.

XIII. *Ad Deum tranſiit.*

Poſtquam Siricius pro fide & pro eradicandis gentilitatis reliquiis, a Theodoſio Magno lege impetratâ, ut idolorum fana Romæ deſtruerentur, quod eo ſedente factum eſſe Proſper in Chronico & Auguſtinus teſtantur, plurimum deſudaſſet, ad Deum tranſiit die vigeſima ſexta menſis Novembris anni trecenteſimi nonageſimi octavi, ad quem diem inſcribitur Martyrologiis excuſo Bedæ, Divi Hieronymi, Rabani, aliiſque ad diem vigeſimum ſecundum menſis Februarii inter prętermiſſos à Bollando citatis. Sedit itaque annos tredecim, menſes undecim, dies quinque, ſepultus in cœmeterio Priſcillæ, viâ Salariâ. Ordinationes quinque menſe Decembri fecit, Presbyterorum 31, Diaconorum 16; & Epiſcopos per diverſa loca 32 ordinavit.

XIV. *Hyeronymo in Orientem abire permiſit.*

De ejus ſanctitate Baronius dubius, eum in Romano Martyrologio non repoſuit, ad quod motus eſt tum propter rationes jam dictas, tum quòd non probaret Siricium exemplo Damaſi in conſcribendis Epiſtolis Hieronymi operâ uſum non fuiſſe, neque hunc, ut par erat, foviſſe. Certè negari non poteſt Hieronymum à Siricio, initio Pontificatûs, non magni factum; quòd plures Romani Clerici, invidiâ, & odio in Sanctum Doctorem flagrantes, perſecutionem in eum moverint, ac grave aliquod crimen Sancto Viro impoſuerint, id enim ex illius Epiſtolis colligitur, & monet Baronius anno 385 num. 8. Nec difficile erat, magis magiſque in eum illos iraſci, qui palam eos redarguebat, dum Romæ eſſet, & in Epiſtolis ad amicos poſt diſceſſum datis, vehementer exagitabat, dum *Phariſæorum Senatum* vocabat, & apertis verbis inſcitiæ, atque pravorum morum arguebat. Quare Siricius criminoſis relationibus adverſùs Hieronymum forſitan circumventus, ad ſedandos tumultus illum Romæ non retinuit, ſed ſanctorum locorum & ſtudiorum ardore inflammatum permiſit Jeroſolymam regredi. Acceſſit, quòd Sanctus Doctor in Jovinianum vehementer calamum ſtringens, ita virginitatem extuliſſe viſus eſt, ut matrimonium quodammodo damnare crederetur. Quod licèt ab ejus mente prorsùs abhorreret, illa tamen communis tunc Romæ fama fuit. Unde Pammachius Romæ pariter coactus eſt exemplaria Opuſculorum adverſùs Jovinianum ſubtrahere, quod S. Hieronymus Epiſtola 52. ad ipſum Pammachium, prudenter & amanter factum laudavit.

XV. *Clerici Romani S. Paulinum apud Siricium criminantur.*

Siricium etiam in Sanctum Paulinum Epiſcopum Nolanum minus æqui animi fuiſſe deducit Baronius, ex ejuſdem Sancti Epiſtola prima, nunc ordine quinta ad Sulpitium Severum, in qua dolens, dum Romæ fuit, Zelotyporum incendia Clericorum, addit: *Sed plenius judicare potuerunt conſervi noſtri pueri tui, quantum nobis gratiæ Dominicæ detrimentum faciat Urbici Papæ ſuperba diſcretio*. Ex his, inquam, Siricium Paulino infenſum deducit Baronius,

Digitized by Google

chenum miſſa eſt, proſcripti ſunt, de qua Synodo Romana anno 378 celebrata in Damaſo egimus. Sed licèt id verum ſit, quia tamen hæreſis Photini in tribus Conciliis ſub Julio, nempe Mediolanenſi, Romano & Sirmienſi, jam ante Damaſum damnata fuerat, ſi ad hæreſim Photini Marius Mercator reſpectum habuiſſet, non à Damaſo, ſed à Julio Bonoſum prædamnatum dixiſſet; unde ad ſolam Marcelli hæreſim reſpexit Mercator, reverà enim hæreſis Marcelli, & conſequenter Bonoſi, qui eam renovavit, damnata eſt in illo Concilio Romano ſub Damaſo his verbis apud Theodoretum lib. 5. cap. 11. *Anathematizamus eos, qui duos filios aſſerunt, unum ante ſæcula, & alterum poſt aſſumptionem carnis ex Virgine*. Photiniani nihilominus dicti ſunt poſteà Bonoſiaci, ut liquet ex Audentio Epiſcopo Hiſpano, qui ut refert Gennadius lib. de Scriptor. Eccleſiaſt. cap. 14. *Scripſit adversùs Manichæos & Sabellianos, & Arianos, maximè quoque ſpeciali intentione contra Photinianos, qui nunc vocantur Bonoſiaci, &c.*

III. Vices ſuas per Illyricum committit Theſſalonicenſi Epiſc.

Illyrico in Orientale, & Occidentale anno trecenteſimo ſeptuageſimo nono diviſo, ut probat Annotator Baronii, ſicut in Eccleſiaſticis, ut ante eam diviſionem, totum Illyricum Epiſcopo Romano ſeu Patriarchæ Occidentis ſuberat, ita & poſt illam eidem ſubditum remanſit. Hæc tamen diviſio Epiſcopis Conſtantinopolitanis cupiditatem injecit, Illyricum Orientale ſuæ ſedi ſubjiciendi, quod non ſemel tentarunt. Pontifices Romani, ut eorum conſiliis obviam irent, Epiſcopum Theſſalonicenſem Vicarium Sedis Apoſtolicæ in illis partibus conſtituendum judicarunt. Theſſalonicenſis enim Epiſcopus ante eam diviſionem totius Illyrici Primas erat. Verùm non convenit inter Eruditos, quis primus Romanorum Pontificum Epiſcopos Theſſalonicenſes hoc honore affecerit. Aliqui id referunt ad Damaſum, cujus tempore Acholius & Anyſius Theſſalonicenſem ſedem tenuere: alii verò, ut Baluſius in Supplemento lib. 5. Marcæ de Concordia Sacerdotii & Imperii capite 23. Siricium hujus Vicariatûs auctorem faciunt. Quæ ſententia ibidem à viro doctiſſimo pluribus probata, præferenda. Siricius enim ſcribens ad Anyſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, ut videre eſt in Collectione Holſteniana, nullam Damaſi mentionem facit, haud dubiè facturus, ſi eadem auctoritas Anyſio tributa ab illo fuiſſet. Prætereà Leo primus repetens primordia Vicariatûs Epiſcoporum Theſſalonicenſium in Epiſtola ad Anaſtaſium, in eadem Collectione edita, à Siricio incipit, omiſſo Damaſo. Licèt autem Leo in ea Epiſtola dicat ſe committere Anaſtaſio Epiſcopo Theſſalonicenſi vices ſuas per Illyricum, addatque ſe id facere exemplo Damaſi, ad ita intelligendum, quòd Damaſus mandata interdùm aliqua, ubi occaſio tulit, dedit Acholio & Anyſio. Sed quidquid ſit, certum eſt Leonem loqui tantùm de Anyſio & Ruſo, Anaſtaſii deceſſoribus, ideòque Vicariatum illum ſub Anyſio incepiſſe, & ſic vel ſub Damaſo, vel probabilius ſub Siricio.

IX. Siricij conſtitutum de Euchariſtia.

In libro Pontificali de Siricio hæc leguntur: *Hic conſtituit ut nullus Presbyter miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* Decretum à Melchiade Papa editum ex eodem libro Pontificali, in eo Pontifice retulimus, in quo etiam de fermento agitur, quæ Baronius anno 313. num. 49 & ſeqq. de Eulogiis, ſeu pane benedicto intelligenda cenſuit nomine fermenti. Sed nunc inter Eruditos convenit, tam in illis duobus decretis, quàm in alio, de quo in Innocentio primo loquemur, agi de primitivæ Eccleſiæ conſuetudine, quâ Epiſcopus ad urbis Presbyteros, qui ſacrificio diebus Dominicis adeſse non poterant, ſacramenta mittebat, ut abſervavit Schelſtratius in Opere de diſciplina Arcani cap. 7. art. 5. Vide dicta in Melchiade, & dicenda in Innocentio, ubi Melchiadis & Siricii decreta fuſiùs explicantur.

X. Item aliud de Manichæis.

Idem libri Pontificalis Auctor aliud decretum à Siricio editum ſcribit hoc modo: *Hic conſtituit, ut ſi quis converſus de Manichæis rediret ad Eccleſiam, nullatenus communicaretur, niſi tantùm relegatione monaſterii diebus vitæ ſuæ teneretur obnoxius, ut jejuniis & orationibus maceratus, & probatus ſub omni examinatione uſque ad ultimum diem tranſitûs ſui, & ob humanitatem Eccleſiæ Viaticum eis largiretur*. Ad quæ verba Schelſtratius in parte 1. Antiquitatis Illuſtratæ pag. 463. ait: „Cum Manichæorum hære„ſis non modò praviſſima, ſed etiam ob„ſcæna fuerit, nullam leviorem pœnam il„lis Siricius imponendam cenſuit, quàm „perpetuæ pœnitentiæ in monaſterio per„agendæ: unde duo quædam conſequun„tur, & monaſteria ante Siricium fuiſſe, „& gravioribus delictis pœnitentiam per„petuam impoſitam fuiſſe; cum hoc ta„men moderamine, quòd in ultimo con„ſtitutis Viaticum concederetur.

XI. Siricius à Rufino Aquilejenſi deceptus excuſatione dignus.

Cùm Rufinus Aquilejenſis Presbyter, ex Oriente redux Romam anno trecenteſimo nonageſimo ſeptimo veniſſet, ibi hæreſes Origenianas diſſeminavit, & verſionem ſuam librorum Periarchon Origenis, ibidem anno trecenteſimo nonageſimo octavo publicavit, ſtatimque Româ exiens literas *formatas*, ſeu *communicatorias* à Siricio Papa obtinuit, ejus ſimplicitati illudens, quia ſcilicet nondum Romæ Origenis

Digitized by Google

genis hæreſis ſatis patefacta erat. Eas literas poſteà poſuit Rufinus Anaſtaſii Papæ literis, quibus ob tentatam Periarchon interpretationem increpabatur, quòd ei exprobrat Hieronymus in Apologia ſecunda: *Siricii jam in Domino dormientis profers Epiſtolam, & viventis Anaſtaſii dicta contemnis*. Quæ verba oſtendunt Hieronymum crediditſe Siricium ſomno Sanctorum in Domino obdormiſſe. Et tamen Baronius anno 397 arbitratur Siricium, quòd periclitanti Eccleſiæ occaſione errorum Origenis, non ſtatim occurrerit, celeri morte ſublatum eſſe: hancque Siricii conniventiam in pavendum illorum Pontificum exemplum adducit; qui cauſam fidei paulò ſegniùs tractantes, quàm celeriter ex hac vita ſubtracti ſunt. Verùm, ut inquit Florentinius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum, ad diem XXVI menſis Novembris, cui Sancti Siricii nomen inſcribitur; Siricius plures in diuturnitate Cathedræ Pontifices Romanos æquavit, plures ſuperavit, & ſeptuagenario major è vivis exceſſit. Præterquamquod mortem Siricii ultionis divinæ argumentum non eſſe convincunt verba, quæ de Anaſtaſii ejus ſucceſſoris breviori vitâ habet idem Hieronymus, *quem diu Roma habere non meruit*; malè enim eadem vitæ feſtinata abſciſſio, in uno ad inſimulandam negligentiam, eodem contextu induceretur, in alio ad ſanctitatis indicium. Certè quia Siricius, dum viveret, benè de Rufino ſenſit, nondum cognitâ ejus venenatâ doctrinâ, à ſanctitate non decidit, ſicuti neque Divus Auguſtinus dum Epiſtolam ordine 15, nunc 73 ſcribens, Rufinum conciliare Hieronymo laborans, illum magni fecit, quamquam Apologetica & amarulenta Opuſcula inter utrumque vulgata fuiſſent ſub Anaſtaſio.

XII. Siricius contra hæreticos pugnavit.

Pugnavit certè Siricius contra Manichæos & Priſcillianiſtas in pluribus cum eis ſentientes; cumque omnes radicitùs, Romæ præſertim, evellere non poſſet, legem à Theodoſio Magno impetravit, ut ſæcularibus pœnis tollerentur, quod etiam conjectatur Baronius anno 389. num. 64. Pugnavit etiam contra Flavianum Antiochenæ ſedis minus legitimum occupatorem, & Synodo inobedientem, iterato datis ad Imperatorem literis, & Capuanâ ob id Synodo indictâ, eodem Baronio ibidem num. 68. teſte. Denique Jovinianum Chriſtianorum Epicurum damnavit, ſicuti & Bonoſum Sardicenſem Epiſcopum, ut mox dictum eſt. Plura ſuppeditabit Florentinius citatus adverſus omnia Siricio objecta.

XIII. Ad Deum tranſit.

Poſtquam Siricius pro fide & pro eradicandis gentilitatis reliquiis, à Theodoſio Magno lege impetratâ, ut idolorum fana Romæ deſtruerentur, quod eo ſedente factum eſſe Proſper in Chronico & Auguſtinus teſtantur, plurimum deſudaſſet, ad Deum tranſiit die vigeſima ſexta menſis Novembris anni trecenteſimi nonageſimi octavi, ad quem diem inſcribitur Martyrologiis excuſo Bedæ, Divi Hieronymi, Rabani, aliiſque ad diem vigeſimum ſecundum menſis Februarii inter prętermiſſos à Bollando citatis. Sedit itaque annos tredecim, menſes undecim, dies quinque, ſepultus in cœmeterio Priſcillæ, viâ Salariâ. Ordinationes quinque menſe Decembri fecit, Presbyterorum 31, Diaconorum 16; & Epiſcopos per diverſa loca 32 ordinavit.

XIV. Hyeronymō in Orientem abire permiſit.

De ejus ſanctitate Baronius dubius, cum in Romano Martyrologio non repoſuit, ad quod motus eſt tum propter rationes jam dictas, tum quòd non probaret Siricium exemplo Damaſi in conſcribendis Epiſtolis Hieronymi operâ uſum non fuiſſe, neque hunc, ut par erat, foviſſe. Certè negari non poteſt Hieronymum à Siricio, initio Pontificatûs, non magni factum; quòd plures Romani Clerici, invidiâ, & odio in Sanctum Doctorem flagrantes, perſecutionem in eum moverint, ac grave aliquod crimen Sancto Viro impoſuerint, id enim ex illius Epiſtolis colligitur, & monet Baronius anno 385 num. 8. Nec difficile erat, magis magiſque in eum illos iraſci, qui palam eos redarguebat, dum Romæ eſſet, & in Epiſtolis ad amicos poſt diſceſſum datis, vehementer exagitabat, dum *Phariſæorum Senatum* vocabat, & apertis verbis inſcitiæ, atque pravorum morum arguebat. Quare Siricius criminoſis relationibus adversùs Hieronymum forſitan circumventus, ad ſedandos tumultus illum Romæ non retinuit, ſed ſanctorum locorum & ſtudiorum ardore inflammatum permiſit Jeroſolymam regredi. Acceſſit, quòd Sanctus Doctor in Jovinianum vehementer calamum ſtringens, ita virginitatem extuliſſe viſus eſt, ut matrimonium quodammodo damnare crederetur. Quod licèt ab ejus mente prorsùs abhorreret, illa tamen communis tunc Romæ fama fuit. Unde Pammachius Romæ pariter coactus eſt exemplaria Opuſculorum adversùs Jovinianum ſubtrahere, quod S. Hieronymus Epiſtola 52. ad ipſum Pammachium, prudenter & amanter factum laudavit.

XV. Clerici Romani S. Paulinum apud Siricium criminantur.

Siricium etiam in Sanctum Paulinum Epiſcopum Nolanum minus æqui animi fuiſſe deducit Baronius, ex ejuſdem Sancti Epiſtola prima, nunc ordine quinta ad Sulpitium Severum, in qua dolens, dum Romæ fuit, Zelotyporum incendia Clericorum, addit: *Sed plenius judicare potuerunt conſervi noſtri pueri tui, quantum nobis gratiæ Dominicæ detrimentum faciat Urbici Papæ ſuperba diſcretio*. Ex his, inquam, Siricium Paulino infenſum deducit Baronius,

vel

vel quòd illum inter ſuos Clericos computare noluerit, vel averſatus fuerit, quia repentè ex Laico Paulinus Vir Conſularis & Senatorius in Hiſpania, Presbyter, quamvis coactus, evaſerit. Sed facilè potuit ex eodem penu Clericorum & Curiæ Romanæ Paulinus criminari apud Siricium, & invidiam in eum conflare, ut in Hieronymum, quòd jam Monachus, contra laxioris vitæ Clericos declamaret. Sed verè etiam fatendum eſt, Paulinum ex humana ratione optimum ſemper non fuiſſe hominum, & eorumdem morum æſtimatorem, dum Siricium ſuperbæ diſcretionis inſimulat, quem Hieronymus nimiæ ſimplicitatis & innatæ bonitatis quodammodò coarguit: & quamquam ſanctitate morum Paulinus polleret, minùs acris ingenii reputari poteſt, dum de unoquoque bonum præſumens, quemadmodum & Siricius, etiam Rufinum Aquilejenſem, ex Palæſtina, cum pace & amplexibus Hieronymi diſcedentem, magni fecerit; Vigilantium, in longo Hiſpaniarum itinere, non agnoſcens, laudaverit, & Melaniam Origeniſtarum errorum anteſignanam, ſanctam dixerit, & pluribus laudibus cumulaverit, ut animadvertit Baronius anno 397 num. III. Cum ergo hæc ſanctitati Paulini non obfuerint, ex eodem capite, quæ Baronius notavit, Siricii ſanctitati non detrahunt. Sed de Siricii ſanctitate plura Florentinius laudatus, quibus addo mirum videri non debere, quòd Siricius fidem adhibuerit iis quæ contrà S. Paulinum & S. Hieronymum à Clericis Romanis dicebantur, vel è contrà, cùm Sanctus Bernardus Clarævallenſis Abbas, cujus tanta fuit exiſtimatio apud Reges & Summos Pontifices, innocenter adhæſerit factioni contra Sanctum Willelmum electum & conſecratum Epiſcopum Eboracenſem, quem Epiſtolâ 234 *idolum Eboracenſe*, & Epiſtola 360 *peſtem communem* appellat, quia magni ac piiſſimi viri falſis relationibus quandoque decipiuntur. Sed ſicut criminationes adverſus Willelmum Eboracenſem excogitatæ, non obſtitére, quominus Honorius III eum Sanctorum Catalogo adſcriberet, ita dicendum ſcripta à Sancto Paulino in Siricium, ejus ſanctitati nequicquam obſuiſſe. Cum Siricio finem Chronici Euſebiani ſupplemento imponit D. Hieronymus.

XVI. *Floret S. Maro Abbas.*

Florebat hoc tempore Beatus Maro Abbas, à quo Maronitæ Syriam inhabitantes nomen accepére, ut teſtatur Fauſtus Naironus Maronita in Diſſert. de Origine, nomine, ac religione Maronitarum Romæ anno 1679 publicatâ, in qua ſanctum illum virum hoc tempore floruiſſe colligit, ex eo quòd Sanctus Joannes Chryſoſtomus in Epiſtola ab exilio, anno 403, vel ſequenti ſcripta *ad Maronem Monachum & Presbyterum* illum laudaverit. Cùm autem de Maronitis in Hormiſdæ & Honorii Pontificum Romanorum geſtis agendum nobis ſit, hìc in anteceſſum, quædam ex dicta diſſertatione de iis delibanda ſunt. Antequam Catholicum Siriæ regnum in varias ſectas ſcinderetur, omnes illius incolæ Syrorum nomine appellabantur: & qui ex Syris ſecuti ſunt Macedonium, *Macedoniani*; qui Apollinarem *Appollinariſtæ*, qui Neſtorium, *Neſtoriani*, qui Eutychen, *Eutychiani*; qui Jacobum, *Jacobitæ* dicti ſunt. Cùm verò totus fermè Oriens à fide Catholica quodammodo deficere videretur, tum ob Ethnicam pravitatem, tum ob peſtiferos inſultus Macedonii, Apollinaris, aliorumque Hæreſiarcharum, qui Neſtorium ac Eutychetem præceſſerant, Divus Maro Abbas Divino afflatus ſpiritu, ut ait Theodoretus, collem quendam, qui ab Ethnicis ſuperſtitiosè colebatur, occupavit, & quod ibi erat fanum conſecravit Deo, varioſque Syriæ incolas non modò in avita Catholicæ fidei religione, quam ab Apoſtolis ſuſceperant, retinuit; verùm etiam innumeros ad Monaſticam vitam adduxit, quod innuit idem Theodoretus in Hiſtoria Religioſa pluribus in locis, in quibus beati Maronis, ejuſque Diſcipulorum, virtutis ejus imitatorum Vitas deſcribit.

XVII. *Maronitæ ab eo ſic dicti.*

Cùm ejus diſcipuli per totam Syriam varia erexiſſent Monaſteria, illud præcipuè Apamæam inter & Emeſſam, propè Orontem fluvium, ſub præceptoris ſui nomine extruxerunt celeberrimum, & Maronis veſtigia ſectati ſunt; indèque factum, ut qui ex Syris non erant adhuc hæreſeos veneno infecti, & ad præfatos Monachos confluerent, ab aliis nationibus hæreticis *Maronitæ* nuncuparentur, quia ſcilicet Catholicam illam fidem, à qua nunquam deſciverant, Sancti Maronis ejuſque Monachorum operâ incorruptè conſervaſſent. Obſervat illud inter alios Baronius in Notis ad Martyrologium die 21 Octobris in feſto S. Malchi ejuſdem Monaſterii Monachi, ubi ait, ſicut à Studio *Studitas*, & à Saba, *Sabaitas*, pari eademque ratione *Maronitas* à S. Marone appellationem ſortitos eſſe.

XVIII. *Non verò à quodam Marone hæretico.*

Quidam recentiores Maronem, à quo Maronitarum natio denominata eſt, ſcribunt fuiſſe Joannem Maronem hæreticum Monothelitam, qui ſeptimo ineunte ſæculo vixit, laudantque Willelmum Tyrium tanquam teſtem oculatum lib. 22. belli ſacri cap. 8. quem ſequuntur Baronius ad annum 1182. Joannes Morinus in Tractatu de Sacris Ordinationibus, Joannes Cardinalis Bona in Epiſtola ad Mabillonium, aliique. Sed tantùm abeſt, ut Joannes ille Monachus Monaſterii S. Maronis, hæreticus Monothelita fuerit, ut ſanctimoniæ etiam laude claruerit, & ob egregia in hæreticos fa-

fa-

Digitized by Google

SÆC. IV. S. SIRICIUS. facinora, alter *Maro* ex nomine Monaſterii cognominatus fuerit. Joannes Cervera de Vera, qui multa perſcrutatus eſt in Itinerario Jeroſolimitano cap. 27 ait, *Maronitas propter diverſitatem religionum, quæ in Syria vigebant, petiiſſe à Romano Pontifice, ut eis proprium præficeret Patriarcham, quorum petitionibus annuens Summus Pontifex, Patriarchali dignitate Maronem inſignivit, qui tunc temporis Romam pervenerat, illumque miſit ad Maronitas, qui ſanctiſſimè vixit; ex quo tempore Maronitæ proprium ſibi ſemper elegerunt Patriarcham.* Illum autem Joannem Maronem Romam veniſſe tempore Honorii Papæ, in ejus Pontificatu videbimus. Quoad Willelmi Tirii opinionem eam refutavit idem Naironus, et Auctor Criticæ Baronii ad annum 1182, qui & ad annum 635 ad Joannis Morini rationes reſpondet, oſtenditque mirum non eſſe *Maronitas* ſic dictos etiam à viris Catholicis, cùm etiamnum extent in Oriente fideles, *Chriſtiani Sancti Thomæ* Apoſtoli appellati, & aliàs, qui Ario & Meletio adverſati ſunt, nuncuparentur Euſthatiani à Divo Euſthatio Epiſcopo Antiochiæ qui contra eos inſurrexerat, ut aſſerit Nicephorus Callixti lib 9 cap. 23. & 48.

Porrò fidem Monachorum Monaſterii Beati Maronis ſemper Catholicæ veritati conſonam fuiſſe, deducitur ex eo, quòd cùm per Orientem eorum fama diffuſa eſſet, adversùs inſurgentes hæreſes firma dicerentur propugnacula, eorumque Monaſterium, tanquam princeps Monaſteriorum Syriæ Secundæ ab omnibus haberetur, ſicut Quintæ Synodi Generalis acta declarant, ubi Paulus Diaconus, qui eidem Synodo interfuit, & Joannes Presbyter in Epiſtolis Monachorum ejuſdem provinciæ ad Juſtinianum Imperatorem, & ad Menam Patriarcham Conſtantinopolitanum, quæ ibidem recitantur, *Monachi & Ambaſciatores* dicuntur *Monaſterii Beati Maronis Primatis Monaſteriorum Syriæ Secundæ*, & pro omnibus Monaſteriis ejuſdem Syriæ ſubſcribunt. Et in Epiſtola Archimandritarum Syriæ Secundæ ad Hormiſdam Papam, anno 517 data, primo loco ſubſcribit, *Alexander Archimandrita, ſeu Abbas Sancti Maronis*. Sic etiam in libello Monachorum tractûs Apameenſis ad Secudæ Syriæ Epiſcopos, qui inſertus eſt eidem Concilio Quinto Act. 1. idem legitur. Quo circa hæreticorum furor adversùs præfatos Monachos adeò incaluit, ut multa illis temporibus paſſos eſſe ab Acephalis, Severianis, Eutychianis, & à Petri Fullonis aſſeclis, qui in Triſagio Trinitatis crucifixionem admittebant, oſtendat idem Naironus laudatus. SÆC. IV. S. SIRICIUS. XIX. *Ejus diſcipuli defenſores fuêre Catholicæ religionis.*

S. ANASTASIUS *Pontif. XLI.*

Anno Domini CCCXCVIII.

I. *S. Anaſtaſius PP.* S. Anaſtaſius, natione Romanus, Maximi filius, non multo poſt S. Siricium excepit, nam cùm ſedes diebus tantùm octo vacaſſet, ordinatus eſt die quinta menſis Decembris in Dominica eodem anno CCCXCVIII. Annum habemus ex Proſperi & Marcellini Chronicis, dies verò eruitur ex ejus Sedis duratione ab Orderigo & à pluribus Catalogis rectè annotata.

II. *Origenis errores damnat.* Jam in Siricio diximus Rufinum Aquilejenſem Origenis acerrimum defenſorem, ejus errores Romæ diſſeminaſſe, ejuſque libris Periarchon latinitate donatis aureo poculo Romanis venenum propinaſſe. Eam ob cauſam S. Hieronymus Rufinianæ interpetrationis perſpectam fecit perfidiam & Rufini verſionem coarguit, data ad Pammachium & Oceanum Epiſtolâ 65. Hieronymi criminationes Apologiâ duplici depellere conatus eſt Rufinus, cui duplicem quoque Apologiam Sanctus Hieronymus oppoſuit. Contentione efferveſcente, & Romanos, alioſque toto orbe Chriſtianos diverſa inſtudia diſtrahente, Anaſtaſius Pontifex Romanus Origenis errores hæreſeos notâ inuſſit, ut teſtatur Theophilus Alexandrinus in Epiſtola ad quoſdam Monachos, quam Juſtinianus profert in Tractatu ad Menam, & S. Hieronymus lib. 2. Apologiæ cap. 6. Rufinum prætereà ad cauſam dicendam Romam vocavit; qui frivolis excuſationibus, Pontificis citationem eludens, fidei profeſſionem ad ipſum miſit. Quare Anaſtaſius libros Periarchon proſcripſit, Rufinum interpretem caſtigavit, damnavit Origenem Auctorem, populos terruit edictis Principum, & Joannem Jeroſolymitanum Epiſcopum, Rufini atque Origenis fautorem arguit, ſeriòque monuit ne ſibi pateretur illudi ab homine erroris defenſore. Hæc conſtant ex celeberrima illa, & Apoſtolici vigoris Epiſtola ab Anaſtaſio Papa ad prædictum Joannem Jeroſolymorum Epiſcopum data, in qua ſic loquitur Pontifex: *Origenis quidem ſcripta, & errores damnavimus: interpretem verò, cùm non ſatis, neque ſua Præfatione ad libros Orig. neq; Apologia ad nos miſſa, ſe purgaverit, imò fortè iiſdem erroribus reipſa cõſentiat, Romam ad judiciũ Sedis Apoſtolicæ vocavimus, & renuentem venire eâdem ſententiâ involvimus. Damnationis autem Epiſtolam*

Digitized by Google

SÆC. IV. S. ANASTASIUS.

fratribus noſtris Venerio (Mediolanenſi) *&* *Chromatio* (Aquilejenſi Epiſcopis) *ſcripſimus*.

III. *Rufinum Periarchon interpretem etiam damnat.*

De harum certè literarum ſinceritate dubitari non poteſt, cùm S. Hieronymus lib. 2. Apologiæ primæ adversùs Rufinum ſcribat, datas ab Anaſtaſio literas, quibus Origenem toto orbe proſequeretur; iiſque acceptis Venerium Mediolanenſem, & Chromatium Aquilejenſem coegiſſe Synodos, in quibus *pari ſententia, quia & pari ſpiritu* hæreticum Origenem denunciaverunt populis. Damnatum præterea à ſe Rufinum Anaſtaſius Papa ſatis oſtendit his poſtremis Epiſtolæ verbis: *Ipſe denique viderit, ubi poſſit abſolvi*. Paulò ante, hæc verba in ea leguntur: *Illud quque quod eveniſſe gaudeo, tacere non potui: beatiſſimorum noſtrorum Principum manaſſè reſponſa, quibus unuſquiſque Deo ſerviens ab Origenis lectione revocetur, damnatumque ſententia Principum, quem lectio reum profana prodiderit, hactenùs ſententiæ meæ forma præceſſerit*. Ad quæ verba Garnerius in Notis ad eam Epiſtolam Tomo I. Operum Marii Mercatoris pag. 109 relatam, ait: Imperialium reſcriptorum adversùs Origeniſtas meminit Hieronymus his verbis, Apologiâ 1. adversùs Rufinum: *Imperatorum quoque reſcripta, quæ de Alexandria & Ægypto Origeniſtas pelli jubent, me ſuggerente dictata ſunt*. Hanc porro Origenis & Rufini damnationem contigiſse anno quadringenteſimoprimo, eodemque Epiſtolam illā ab Anaſtaſio Papa datam probat Annotator Baronii eo anno num 9 & ſeqq.

IV. *Concilii Carthag. legatio ad Anaſtaſium PP.*

Eodem anno quadringenteſimo primo ex Concilio Carthaginenſi miſſam ad Anaſtaſium Papam legationem refert Baronius, poſtquam celebratum eſt aliud Concilium itidem Carthagine Idibus Septembris ejuſdem anni ex omnibus Africæ Provinciis, prius enim celebratum fuerat decimo quarto Kalendas Julias, quam ultimam Synodum monitu ejuſdem Anaſtaſii indictam eſſe cenſet. Cum autem utraque Synodus eodem anno coacta fuerit, ſub unius Concilii *Quinti* nomine exhibetur in Collectione veteri. De utraque Synodo legendus Marca in Diſſert. de Veter. Collect. Can. cap. 8. & 9. & Schelſtratius in Diſſert. 3. de Eccleſia Africana cap 10. qui plura notant de Canonibus in iiſdem Synodis editis. Addit Baronius deſiderari literas, quas Pontifex ſcripſit ad Epiſcopos Africanos.

V. *Anaſtaſii conſtitutum.*

Liber Pontificalis de S. Anaſtaſio ſcribit: *Hic conſtituit ut quotieſcumque Evangelia ſancta recitantur, Sacerdotes non ſederent, ſed curvi ſtarent* Huic decreto Baronius credit occaſionem dediſse contentionem, quæ his temporibus Romæ Presbyteros inter & Diaconos oborta erat: hi enim adminiſtrantes res Eccleſiæ, Presbyteros ſpernebant; Presbyteri autem in eoſdem inſurrexére, atque ex conſuetudinis Eccleſiæ Romanæ præſcipto, ipſis ſedentibus, eos ſtare debere, contendebant. Sed eò uſque contentio progreſſa eſt, ut etiam cùm ſtantes Diaconi coram populo legerent Evangelium, Presbyteri tamen aſſurgere non dignarentur, ad majorem Diaconorum humiliationem: quod Anaſtaſius Pontifex decreto emendavit, ſi libro Pontificali fides ſit adhibenda.

VI. *Ejus obitus.*

Tandem S. Anaſtaſius, quem Hieronymus Epiſtolâ VIII ad Demetriadem, *ditiſſimæ paupertatis & Apoſtolicæ ſollicitudinis* virum appellat, in Domino obdormivit die decimaquarta menſis Decembris ejuſdem anni quadringenteſimi primi, poſtquam, Orderico lib. Auctori Chronico Veterum Pontificum, pluribuſque Catalogis in Critica Baroniana citatis, teſtibus, *annos tres, dies decem* ſediſset, habitis menſe Decembri duabus ordinationibus Presbyterorum IX, & Diaconorum V. Epiſcopos præterea X diverſis in locis conſecravit, & ſepultus eſt in cœmeterio ſuo juxta vicum Urſi Pileati intra Urbem.

VII. *Theophili Alex. & S. Hieronymi de eo teſtimonia.*

In Epiſtolâ Juſtiniani ad Menam Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ubi ſermo eſt de damnatione Origeniſtarum ab Anaſtaſio, refertur egregium Theophili Alexandrini de hoc Sancto Pontifice elogium: „ Audiamus, inquit Juſtinianus, & Sanctum „ Theophilum Epiſcopum Alexandriæ ex „ Sermone ad quoſdam Monachos ſcripto, „ qui Origeni aſſentirentur; ſic enim dicit: *Quare anathematizantes Origenem, cæteroſque hæreticos, exemplo noſtro & Anaſtaſii S. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, qui ex veteribus certaminibus clarus, nobiliſſimi populi Dux creatus eſt, quē & univerſa beatorum Occidentis Epiſcoporum ſequitur Synodus, quæ accepit ac probavit Alexandrinæ Eccleſiæ ſententiam in impium latam*. Hæc Theophilus; ſed præſtat audire S. Hieronymum, qui in Epiſtola 16 ad Principiam Virginem, eum magnifico hoc elogio commendat; *Succedit in Pontificatum vir inſignis Anaſtaſius, quem diù Roma habere non meruit, ne Orbis caput ſub tali Epiſcopo truncaretur: imò idcircò raptus atque translatus eſt, ne ſemel latam ſententiam precibus ſuis flectere conaretur, dicente Domino ad Hieremiam:* „ Ne oraveris pro populo iſto, neque depreceris „ in bonum: quia ſi jejunaverint non exaudiam preces eorum; & ſi holocauſta & „ victimas obtulerint, non ſuſcipiam eas, „ in gladio enim & fame & peſtilentia conſumam eos. (Hieremiæ 14.) Quæ ad Romæ excidium, quod anno quadringenteſimo nono contigit, referenda.

VIII. *Decretales et falsò tributa.*

Epiſtolæ duo decretales Anaſtaſio Papæ attribuuntur, ſed utraque ſuppoſititia. Prior enim, quæ dicitur ſcripta *cunctis*

Ger-

Digitized by Google

SÆC. IV. S. ANASTASIUS.

Germaniæ & Burgundiæ regionis Epiſcopis, non ſolum mendoſâ Conſulum notâ ſubſcripta eſt, contextaque ex variis Innocentii, Leonis, & Flavii Conſtantinopolitani ſententiis, ſed etiam ſupponit Burgundiones Chriſtianos fuiſſe, quos tamen conſtat adhuc Gentiles extitiſſe. De ejus ſinceritate dubitat Baronius; ſed de ſecunda, *Neriano nobiliſſimo viro* directa non loquitur, quæ tamen eadem ſuſpicicione ac præcedens laborat, non ſolùm ob falſam Conſularem notam, ſed etiam ob ſtylum, qui procùl abeſt ab Anaſtaſiano, & ob materiam, quæ è fontibus Innocentii, Leonis & Gregorii hauſta.

S. INNOCENTIUS *Pontif. XLII.*

Anno Domini CCCCI.

SÆC. V.

I. *Innocentius jejunium ſabbathi obſervari decreto ſtatuit.*

S. Innocentius, natione Albanenſis, ex patre Innocentio, poſt ſeptimum ab Anaſtaſii morte diem Pontificium thronum aſcendit, ideoque die vigeſima prima menſis Decembris Sancto Thomæ Apoſtolo ſacra, eodem anno quadringenteſimo primo. *Hic*, ſi vera ſcribat liber Pontificalis, *conſtituit ſabbato jejunium celebrari, quia ſabbato Dominus in ſepulcho poſitus eſt, & diſcipuli* ejus *jejunaverunt*. Quod ita intelligendum eſt, ut Innocentius fuerit primus, qui jejunium ſabbati obſervari decreto ſuo præceperit; nam anteà hunc uſum Romæ receptum fuiſſe teſtis eſt Sanctus Ambroſius, qui Divo Auguſtino interroganti tale reſponſum dedit: *Quando Romæ ſum, jejuno ſabbato*, quod ipſemet Auguſtinus commemorat Epiſtola 36. aliàs 86. ad Caſulanum. Innocentius Sabbaticum jejunium obſervandum ſtatuit in Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, de qua infrà.

II. *Conſtitutum facit de Monaſteriis.*

Idem libri Pontificalis Auctor aſſerit Innocentium *Conſtitutum* feciſſe *de regulis monaſteriorum*. Ad quæ verba Holſtenius notat inde apparere imperitiam Scriptoris libri Pontificalis. Sed Schelſtratius in Nota ad illa verba miratur hominem eruditum hæc animadvertiſſe: à Damaſi enim ætate, inquit, Monachi Romam venerant ductore Divo Athanaſio; Romanaſque virgines & matronas Monacharum inſtituta docuerat Divus Hieronymus, adeò ut Innocentius primus, qui diù poſt Damaſum floruit, de regulis monaſteriorum ſtatuta edere potuerit; præſertim cùm Siricius Innocentii prædeceſſor, ab hæreſi Manichæorum revertentes, in Monaſteriis ad agendam pœnitentiam recludi voluerit, ut in Siricio num. 10. diximus. Unde Innocentius in Epiſtola ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem, ſtatuit decreto decimo, propoſiti ſui tenaces, & Monaſticæ diſciplinæ obſervatores eſſe Monachos qui ad Clerum promoventur.

III. *Scribit ad Victricium Rotomagenſem Epiſt.*

Non me latet Heterodoxos dictam Innocentii ad Victricium Rotomagenſem Epiſtolam ſugillare, vel etiam penitus rejicere; quòd in ea quædam ſint decreta, quæ de verbo ad verbum continentur in Epiſtola Siricii. Sed cùm decreta XII & XIII ejuſdem Innocentii Epiſtolæ, de quibus loquuntur Heterodoxi, citentur ex Epiſtola Innocentii in Goncilio Turonenſi III, anno 566, vel 567 celebrato, & ibi approbentur, & Innocentius meliùs facere non potuerit, quàm majorum inſtituta tradere, nemo jure dubitaverit de illa decretali Epiſtola Innocentii, quam Dionyſius Exiguus inſeruit integram in Codice Eccleſiæ Romanæ, ſicuti nemo dubitaverit de Epiſtola Siricii, à Concilio Zellenſi, & à Ferrando laudata.

IV *Quædam decreta in ea Epiſtola contenta.*

Hanc decretalem Epiſtolam ad Victricium ſcripſit Innocentius Papa anno quadringenteſimo quarto, eâque eum monet, ut illam Epiſcopis ſuffraganeis & vicinis Eccleſiis notam faciat, ut cognoſcatur quæ ſit Romanæ Eccleſiæ praxis. Innocentius Epiſtolam illam *Librum Regularem* appellat, qui alius eſſe non videtur ab iis decretis, quæ adeò Epiſtolæ ipſi conjuncta ſunt, ut illius partem conſtituere videantur. Tredecim decreta in ea continentur, quorum tertio ſtatuit, cauſas Clericorum, tam ſuperioris, quàm inferioris ordinis ab Epiſcopis Provinciæ judicari, ſecundùm Nicænos Canones *ſine præjudicio tamen Romanæ Eccleſiæ cui in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri*. Duodecimo ſtatuit, *eas, quæ Chriſto ſpecialiter nupſerunt, & velari à Sacerdote meruerunt, ſi poſted vel publicè nupſerint, vel ſe clanculò corruperint, non admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui ſe junxerant, de ſæculo receſſerit: & eas quæ vivente adhuc viro, alteri nupſerint, haberi adulteras, nec ejs concedendum eſſe agendæ pœnitentiæ licentiam, niſi unus ex eis fuerit defunctus*. Decimo tertio tandem & ultimo decreto ſtatuit: *Pœnitentiam aliquanto tempore iis eſſe agendam, quæ nupſerint, poſtquam in propoſito virginitatis ſemper manere promiſerant, etiamſi velatæ non fuerint*. Cœtera Decreta in Tomis Conciliorum legenda.

V. *Scribit ad Exuperium Toloſ. Epiſt.*

Secunda Innocentii decretalis Epiſtola, anno quadringenteſimo quinto data, eſt ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum, & ſeptem

SÆC. IV. S. ANASTASIUS. fratribus noſtris Venerio (Mediolanenſi) & Chromatio (Aquilejenſi Epiſcopis) ſcripſimus.

III. Rufinum Periarchon interpretem etiam damnat. De harum certè literarum ſinceritate dubitari non poteſt, cùm S. Hieronymus lib. 2. Apologiæ primæ adversùs Rufinum ſcribat, datas ab Anaſtaſio literas, quibus Origenem toto orbe proſequeretur; iiſque acceptis Venerium Mediolanenſem, & Chromatium Aquilejenſem coegiſſe Synodos, in quibus pari ſententia, quia & pari ſpiritu hæreticum Origenem denunciaverunt populis. Damnatum præterea à ſe Rufinum Anaſtaſius Papa ſatis oſtendit his poſtremis Epiſtolæ verbis: Ipſe denique viderit, ubi poſſit abſolvi. Paulò ante, hæc verba in ea leguntur: *Illud quoque quod eveniſſe gaudeo, tacere non potui: beatiſſimorum noſtrorum Principum manaſſe reſponſa, quibus unuſquiſque Deo ſerviens ab Origenis lectione revocetur, damnatumque ſententia Principum, quem lectio reum profana prodiderit, hactenùs ſententiæ meæ forma præceſſerit*. Ad quæ verba Garnerius in Notis ad eam Epiſtolam Tomo I. Operum Marii Mercatoris pag. 109 relatam, ait: Imperialium reſcriptorum adversùs Origeniſtas meminit Hieronymus his verbis, Apologiâ 1. adversùs Rufinum: *Imperatorum quoque reſcripta, quæ de Alexandria & Ægypto Origeniſtas pelli jubent, me ſuggerente dictata ſunt*. Hanc porro Origenis & Rufini damnationem contigiſse anno quadringenteſimoprimo, eodemque Epiſtolam illâ ab Anaſtaſio Papa datam probat Annotator Baronii eo anno num 9 & ſeqq.

IV. Concilii Carthag. legatio ad Anaſtaſium PP. Eodem anno quadringenteſimo primo ex Concilio Carthaginenſi miſſam ad Anaſtaſium Papam legationem refert Baronius, poſtquam celebratum eſt aliud Concilium itidem Carthagine Idibus Septembris ejuſdem anni ex omnibus Africæ Provinciis, prius enim celebratum fuerat decimo quarto Kalendas Julias, quam ultimam Synodum monitu ejuſdem Anaſtaſii indictam eſſe cenſet. Cum autem utraque Synodus eodem anno coacta fuerit, ſub unius Concilii *Quinti* nomine exhibetur in Collectione veteri. De utraque Synodo legendus Marca in Differt. de Veter. Collect. Can. cap. 8. & 9. & Schelſtratius in Differt. 3. de Eccleſia Africana cap 10. qui plura notant de Canonibus in iiſdem Synodis editis. Addit Baronius deſiderari literas, quas Pontifex ſcripſit ad Epiſcopos Africanos.

V. Anaſtaſii conſtitutum. Liber Pontificalis de S. Anaſtaſio ſcribit: *Hic conſtituit ut quotieſcumque Evangelia ſancta recitantur, Sacerdotes non ſederent, ſed curvi ſtarent* Huic decreto Baronius credit occaſionem dediſse contentionem, quæ his temporibus Romæ Presbyteros inter & Diaconos oborta erat: hi enim adminiſtrantes res Eccleſiæ, Presbyteros ſpernebant; Presbyteri autem in eoſdem inſurrexére, atque ex conſuetudinis Eccleſiæ Romanæ præſcipto, ipſis ſedentibus, eos ſtare debere, contendebant. Sed eò uſque contentio progreſſa eſt, ut etiam cùm ſtantes Diaconi coram populo legerent Evangelium, Presbyteri tamen aſſurgere non dignarentur, ad majorem Diaconorum humiliationem: quod Anaſtaſius Pontifex decreto emendavit, ſi libro Pontificali fides ſit adhibenda.

VI. Ejus obitus. Tandem S. Anaſtaſius, quem Hieronymus Epiſtolâ VIII ad Demetriadem, *ditiſſimæ paupertatis & Apoſtolicæ ſollicitudinis* virum appellat, in Domino obdormivit die decimaquarta menſis Decembris ejuſdem anni quadringenteſimi primi, poſtquam, Orderico lib. Auctori Chronico Veterum Pontificum, pluribuſque Catalogis in Critica Baroniana citatis, teſtibus, *annos tres, dies decem* ſediſset, habitis menſe Decembri duabus ordinationibus Presbyterorum IX, & Diaconorum V. Epiſcopos prætereà X diverſis in locis conſecravit, & ſepultus eſt in cœmeterio ſuo juxta vicum Urſi Pileati intra Urbem.

VII. Theophili Alex. & S. Hieronymi de eo teſtimonia. In Epiſtola Juſtiniani ad Menam Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ubi ſermo eſt de damnatione Origeniſtarum ab Anaſtaſio, refertur egregium Theophili Alexandrini de hoc Sancto Pontifice elogium: „ Audiamus, inquit Juſtinianus, & Sanctum „ Theophilum Epiſcopum Alexandriæ ex „ Sermone ad quoſdam Monachos ſcripto, „ qui Origeni aſſentirentur; ſic enim dicit: *Quare anathematizantes Origenem, cæteroſque hæreticos, exemplo noſtro & Anaſtaſii S. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, qui ex veteribus certaminibus clarus, nobiliſſimi populi Dux creatus eſt, quē & univerſa beatorum Occidentis Epiſcoporum ſequitur Synodus, quæ accepit ac probavit Alexandrinæ Eccleſiæ ſententiam in impium latam*. Hæc Theophilus; ſed præſtat audire S. Hieronymum, qui in Epiſtola 16 ad Principiam Virginem, eum magnifico hoc elogio commendat: *Succedit in Pontificatum vir inſignis Anaſtaſius, quem diù Roma habere non meruit, ne Orbis caput ſub tali Epiſcopo truncaretur: imò idcircò raptus atque translatus eſt, ne ſemel latam ſententiam precibus ſuis flectere conaretur, dicente Domino ad Hieremiam*: „ Ne ora„ veris pro populo iſto, neque depreceris „ in bonum: quia ſi jejunaverint non exau„ diam preces eorum; & ſi holocauſta & „ victimas obtulerint, non ſuſcipiam eas, „ In gladio enim & fame & peſtilentia con„ ſumam eos. (Hieremiæ 14.) Quæ ad Romæ excidium, quod anno quadringenteſimo nono contigit, referenda.

VIII. Decretales et falsò tributa. Epiſtolæ duo decretales Anaſtaſio Papæ attribuuntur, ſed utraque ſuppoſititia. Prior enim, quæ dicitur ſcripta *cunctis* Ger-

Digitized by Google

Germaniæ & Burgundiæ regionis Epiſcopis, non ſolum mendoſâ Conſulum notâ ſubſcripta eſt, contextaque ex variis Innocentii, Leonis, & Flavii Conſtantinopolitani ſententiis, ſed etiam ſupponit Burgundiones Chriſtianos fuiſſe, quos tamen conſtat adhuc Gentiles extitiſſe. De ejus ſinceritate dubitat Baronius; ſed de ſecunda, *Neriano nobiliſſimo viro* directa non loquitur, quæ tamen eadem ſuſpicicione ac præcedens laborat, non ſolùm ob falſam Conſularem notam, ſed etiam ob ſtylum, qui procùl abeſt ab Anaſtaſiano, & ob materiam, quæ è fontibus Innocentii, Leonis & Gregorii hauſta.

S. INNOCENTIUS *Pontif. XLII.*

Anno Domini CCCCI.

SÆC. V.

I. *Innocentius jejunium ſabbathi obſervari decreto ſtatuit.*

S. Innocentius, natione Albanenſis, ex patre Innocentio, poſt ſeptimum ab Anaſtaſii morte diem Pontificium thronum aſcendit, ideoque die vigeſima prima menſis Decembris Sancto Thomæ Apoſtolo ſacra, eodem anno quadringenteſimo primo. *Hic*, ſi vera ſcribat liber Pontificalis, *conſtituit ſabbato jejunium celebrari, quia ſabbato Dominus in ſepulcho poſitus eſt, & diſcipuli* ejus *jejunaverunt*. Quod ita intelligendum eſt, ut Innocentius fuerit primus, qui jejunium ſabbati obſervari decreto ſuo præceperit; nam anteà hunc uſum Romæ receptum fuiſſe teſtis eſt Sanctus Ambroſius, qui Divo Auguſtino interroganti tale reſponſum dedit: *Quando Romæ ſum, jejuno ſabbato*, quod ipſemet Auguſtinus commemorat Epiſtola 36. aliàs 86. ad Caſulanum. Innocentius Sabbaticum jejunium obſervandum ſtatuit in Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, de qua infrà.

II. *Conſtitutum facit de Monaſteriis.*

Idem libri Pontificalis Auctor aſſerit Innocentium *Conſtitutum* feciſſe *de regulis monaſteriorum*. Ad quæ verba Holſtenius notat inde apparere imperitiam Scriptoris libri Pontificalis. Sed Schelſtratius in Nota ad illa verba miratur hominem eruditum hæc animadvertiſſe: à Damaſi enim ætate, inquit, Monachi Romam venerant ductore Divo Athanaſio; Romanaſque virgines & matronas Monacharum inſtituta docuerat Divus Hieronymus, adeò ut Innocentius primus, qui diù poſt Damaſum floruit, de regulis monaſteriorum ſtatuta edere potuerit; præſertim cùm Siricius Innocentii prædeceſſor, ab hæreſi Manichæorum revertentes, in Monaſteriis ad agendam pœnitentiam recludi voluerit, ut in Siricio num. 10. diximus. Unde Innocentius in Epiſtola ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem, ſtatuit decreto decimo, propoſiti ſui tenaces, & Monaſticæ diſciplinæ obſervatores eſſe Monachos qui ad Clerum promoventur.

III. *Scribit ad Victricium Rotomagenſem Epiſc.*

Non me latet Heterodoxos dictam Innocentii ad Victricium Rotomagenſem Epiſtolam ſugillare, vel etiam penitus rejicere; quòd in ea quædam ſint decreta, quæ de verbo ad verbum continentur in Epiſtola Siricii. Sed cùm decreta XII & XIII ejuſdem Innocentii Epiſtolæ, de quibus loquuntur Heterodoxi, citentur ex Epiſtola Innocentii in Goncilio Turonenſi III, anno 566, vel 567 celebrato, & ibi approbentur, & Innocentius meliùs facere non potuerit, quàm majorum inſtituta tradere, nemo jure dubitaverit de illa decretali Epiſtola Innocentii, quam Dionyſius Exiguus inſeruit integram in Codice Eccleſiæ Romanæ, ſicuti nemo dubitaverit de Epiſtola Siricii, à Concilio Zellenſi, & à Ferrando laudata.

IV. *Quædam decreta in ea Epiſtola contenta.*

Hanc decretalem Epiſtolam ad Victricium ſcripſit Innocentius Papa anno quadringenteſimo quarto, eâque eum monet, ut illam Epiſcopis ſuffraganeis & vicinis Eccleſiis notam faciat, ut cognoſcatur quæ ſit Romanæ Eccleſiæ praxis. Innocentius Epiſtolam illam *Librum Regularem* appellat, qui alius eſſe non videtur ab iis decretis, quæ adeò Epiſtolæ ipſi conjuncta ſunt, ut illius partem conſtituere videantur. Tredecim decreta in ea continentur, quorum tertio ſtatuit, cauſas Clericorum, tam ſuperioris, quàm inferioris ordinis ab Epiſcopis Provinciæ judicari, ſecundùm Nicænos Canones *ſine præjudicio tamen Romanæ Eccleſiæ cui in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri*. Duodecimo ſtatuit, *eas, quæ Chriſto ſpecialiter nupſerunt, & velari à Sacerdote meruerunt, ſi poſted vel publicè nupſerint, vel ſe clanculò corruperint, non admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui ſe junxerant, de ſæculo receſſerit: & eas quæ vivente adhuc viro, alteri nupſerint, haberi adulteras, nec eis concedendum eſſe agendæ pœnitentiæ licentiam, niſi unus ex eis fuerit defunctus*. Decimo tertio tandem & ultimo decreto ſtatuit: *Pœnitentiam aliquanto tempore iis eſſe agendam, quæ nupſerint, poſtquam in propoſito virginitatis ſemper manere promiſerant, etiamſi velatæ non fuerint*. Cœtera Decreta in Tomis Conciliorum legenda.

V. *Scribit ad Exuperium Toloſ. Epiſc.*

Secunda Innocentii decretalis Epiſtola, anno quadringenteſimo quinto data, eſt ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum, & ſeptem

Digitized by Google

& ſeptem Decreta ſeu Canones continet. Primo Clericos incontinentes, nempe Sacerdotes & Diaconos omni honore Eccleſiaſtico privandos decernit: & ſanctiſſimam cælibatûs legem à Siricio deceſſore ipſis poſitam confirmat. Septimo librorum Canonicorum Indicem deſcribit, eoſque ab Eccleſia receptos velut ſacros, et divinos teſtatur & pronuntiat: quem Indicem cùm legent Calviniani & Lutherani, ſe ab Eccleſiæ veteris ſenſu & fide, quoad numerum librorum Canonicorum, agnoſcant alienos, non enim Innocentius ſententiam ſolùm ſuam exponit, ſed Eccleſiæ doctrinam & traditionem ab Apoſtolis ad ſua tempora derivatam, & in Romana Eccleſia conſervatam.

VI. Primum ejus decretum Epiſtola ad Decentium de Oſculo pacis.

Tertia decretalis Innocentii ad Decentium Eugubinum Epiſcopum Epiſtola quæ apud Auctores Eccleſiaſticos prima reperitur, quamvis inter poſtremas numeranda ſit utpotè ſcripta anno quadringenteſimo decimoſexto; octo Decreta continet, ex quorum primo quidam Innocentio, oſculi pacis, quo Sacerdos in Miſſa Miniſtros, tum illi, omneſque fideles ſe invicem ſalutant in ſignum unionis, & mutuæ charitatis, inſtitutionem falsò adſcribunt; non enim inſtituit, ſed abuſum emendavit, qui irrepſerat ut contrà uſum Romanæ Eccleſiæ, pax alicubi ante confecta myſteria traderetur, cùm neceſſariò indicenda ſit poſt conſecrationem, ut pacis oſculo demonſtretur, populum ad omnia, quæ in myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebrantur præbuiſſe conſenſum. Deinde ejuſdem oſculi tanquã ab Apoſtolis inſtituti mentionem faciunt Veteres & Orthodoxi Patres, ut videre eſt apud Bonam Cardinalem de Reb. Lit. l. 2. c. 16. n. 6.

VII. Quartum de jejunio ſabbati, & ſacrificio Feria ſexta Paraſceves.

Quarto decreto ſtatuit, ut jam num. 1. dictum eſt, Sabbati jejunium obſervandum eſſe: & inſuper ex traditione Eccleſiæ provenire dicit, Eccleſiam Latinam die Paraſceves & ſabbato ante Paſcha à ſacrificio abſtinere, nam quæ ſabbato celebratur miſſa, non ad diem, ſed ad noctem ipſam ſabbati pertinet: *Sexta feriâ*, inquit, *propter Paſſionem Domini jejunamus, ſabbatum prætermittere non debemus, quod inter triſtitiam atque lætitiam temporis illius videtur incluſum. Nam utique conſtat Apoſtolos biduo iſto, & in mærore fuiſſe, & propter metum Judæorum ſe occultaſſe. Quod utique non dubium eſt in tantum eos jejunaſſe biduo memorato, ut traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo ſacramenta penitùs non celebrari*. Græci quidem, qui ut advertit Edmundus Martene in Tractatu de Antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis officiis celebrandis cap. 23. num. 5. non ſolùm iſto biduo abſtinent à ſacrificio, ſed etiam per totam Quadrageſimam, Sabbatis, Dominiciſque duntaxat exceptis; cùm feſtum Annuntiationis in feriam ſextam Paraſceves incidit, hac die celebrare non recuſant. Ita Typicum illorum cap. 21. apud Allatium de Miſſa Præſanctificatorum capite ultimo: *Magna feria ſexta ſit oblatio, ſi in ea advenerit Annuntiatio. Licèt enim aliter Canones ſtatuant, invenimus nihilominus in Synaxario magnæ Eccleſiæ in oratoriis Deiperæ dicatis fieri oblationem & perfectam miſſam celebrari*. In utraque tamẽ Eccleſia, feriâ ſextâ Paraſceves peragitur miſſa Præſanctificatorum, in qua ex diei præcedentis ſacrificio tàm ipſe celebrans, quàm alii Clerici, ipſeque populus univerſus olim communicabat, inquit Marten. laudatus.

VIII. Quintum de Eucharistia explicatur.

Quintum decretum his verbis conceptum eſt: *De fermento, quod die Dominica per titulos mittimus, ſuperfluè nos conſulere voluiſti, cùm omnes Eccleſiæ noſtræ intra civitatem ſint conſtitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcircò fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe à noſtra communione, maximè illa die non judicent ſeparatos. Quod per Parochias fieri debere non puto; quia nec longè portanda ſunt ſacramenta; nec nos per cœmæteria diverſa conſtitutis Preſbyteris deſtinamus, ſed Presbiteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam*.

IX. Eucharistia ad abſentes mitti ſolita.

In Melchiade, & Siricio decreta retulimus, in quibus etiam de fermento mentio, ſicut & in hoc Innocentii, ad quæ Lupus Tomo 3. Conciliorum in Reſponſis ad Michaelis Cerularii calumnias notat, primis Eccleſiæ temporibus, ob paucitatem fidelium, non fuiſſe in civitatibus plures, quam unam Eccleſiam, in Eccleſia unum, non plura altaria, & ad altare illud, unum non plura ſacrificia eâdem die fuiſſe oblata, quæ omnia ex variis antiquitatis monumentis conſtant, ex quibus apparet, uſum obtinuiſſe, ut Epiſcopi diebus Dominicis in Eccleſia ſacrificium offerendo præſentem populum ex oblatis communicarent, ad abſentem verò ex oblatis conſecratis mitterent. Hinc Juſtinus Martyr in Apologia pro Chriſtianis teſtatur, diebus Solis, ſeu Dominicis Sacramenta per Diaconos ad abſentes delata fuiſſe. Per abſentes autem non ſolùm infirmos & captivos, ſed etiam Sacerdotes, qui Miſſæ Pontificali adeſſe non poterant, Lupus intelligit.

X. Fermentum appellata.

De hac itaque conſuetudine explicandum eſt Melchiadis decretum, quod, ubi plures ob fidelium multitudinem Eccleſiæ inſtitutæ eſſent, oblationes ex conſecratu Epiſcopi, diebus nimirum Dominicis dirigerentur. De ea etiam intelligendum eſt illud Siricii, ut nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi die Dominico conſecratum Epiſcopi ſuſcepiſſet. Hæc enim Innocentius clariſſimè explicat, cum fateatur, die Dominico per Titulos intra civitatem conſtitutos conſecratum mitti

Digitized by Google

ti conſueviſſe, quod Acolithi ad Presbyteros, qui illa die propter plebem ſibi creditam ſacrificio Pontificali intereſſe non poterant, perferebant. Vocat autem Innocentius hoc ipſum conſecratum *Sacramenta*, negatque ad cœmeteria extra urbem conſtituta deſtinanda eſſe: *Quia*, inquit *non longè portanda ſunt Sacramenta*, quod de corpore & ſanguine Chriſti intelligendum vix negari poteſt.

XI. Quare ſub hoc nomine occultata.

Schelſtratius in Opere de Diſciplina Arcani cap. 7. art. 5. ſollicitè inquirit, cur iis in decretis tam obſcurè agatur de Euchariſtia, ut divinari quaſi oportuerit, an per fermentum, corporis & ſanguinis Chriſti Sacramenta intelligerentur. Potuiſſent enim Summi Pontifices claris verbis decernere, Euchariſtiam, quia fermenti inſtar fidelium unionem fovet, ex conſecratu Epiſcopi ad abſentes Presbyteros tranſmitti debere. Verùm nihil horum, nec Melchiades nec Siricius dicunt, ſed ſub fermenti nomine totum ſacramentum comprehendunt. Neque ipſe populus aliud, quàm fermenti nomen ſacris donis tribuebat. Horum rationem ex diſciplina Arcani & occultatione ſacrorum myſteriorum, quam per quinque priora ſæcula in uſu fuiſſe putat, deſumit Schelſtratius; ex qua factum, ut tam Romani Pontifices in decretis, quàm fideles in colloquiis, Sacramenta Euchariſtiæ ſub fermenti nomine occultarint. Hinc idem Schelſtratius articulo ſequenti oſtendit, ex diſciplina Arcani pleroſque Patres de realis corporis & ſanguinis Chriſti præſentia locutos, Euchariſtiam typum, figuram, Simbolum, imaginem, myſterium frequenter dixiſſe, non quòd corpus & ſanguinem Chriſti, in ea contineri negarint, ſed quòd Catecumenis ſeu non initiatis ex Eccleſiæ diſciplina eam occultari voluerint.

XII. Fermenti nomine non intelligitur panis benedictus.

Anonymus Auctor novæ Summæ Conciliorum, ſeu Delectûs Actorum Eccleſiæ univerſalis in Notis ad illam Innocentii Epiſtolam, obſervat hoc loco quondam uſos fuiſſe Græcos, Latinis objicientes, Eccleſiam Occidentalem olim non in azymis, ſed in fermentato ſolitam conſecrare. Cujus objectionis vim nonnulli ut declinarent, per hoc fermentum die Dominico per Titulos miſſum, benedictum panem intellexerunt, qui in ſignum mutuæ communionis mitteretur: cùm alii, inquit, Eruditi, inter quos Sirmondus & Cardinalis Bona, cum doctoribus exiſtiment, hac voce fermenti conſecrati, ipſam Euchariſtiam deſignari, ut in Ordine Romano legitur: vixque aliter Innocentii, cui præiverant Siricius & Melchiades, verba poſſint exponi. Dominicus Macri Canonicus Eccleſiæ Viterbienſis refert Epiſtolam Latinii exiſtimantis, fermentum hoc aliter non poſſe quàm de Euchariſtia intelligi; additque vetus Kalendarium tùm ineditum in Pariſienſi Sanctæ Genovefæ Monaſterio aſſervari, in quo hæc cæremonia ſic mittendi Euchariſtiam notatur, prout Romæ antiquitùs fieri ſolebat in ſabbato ante Dominicam Palmarum. Hanc Latinii Epiſtolam idem Macri edi curavit in ſuo Hierolexico.

XIII. Azimorum uſus in Occidentali Eccleſia perpetuus.

Verùm Cardinalis Bona non ſolùm exiſtimat, hac voce fermenti conſecrati Euchariſtiam deſignari, ſed etiam aſſerit, ideò *fermenti nomen à prædictis Pontificibus Euchariſtiæ tributum, quia in pane fermentato conficiebatur*. Cardinalem Bonam præceſſerat Jacobus Sirmondus, qui in ſingulari de azymo diſquiſitione, ſic in Eccleſia Latina fermentum ab initio prævaluiſſe docet, ut ante ſæculum decimum azymi uſus in ea prorsùs fuerit inauditus. Sed Mabillonius primùm in Præfatione ad Sæculum III Benedictinum, deinde in Diſſertatione de azymo & fermentato, contrariam ſententiam ſequitur, pluribuſque probat ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio Latinos azimis uſos eſſe, poſtquam ſolidè, ni fallor, ad Sirmondi & Bona argumenta reſpondit. Ad decreta autem Melchiadis, Siricii & Innocentii dicit, non ideò in iis Euchariſtiam fermentum dictam eſſe, quia ex fermento confecta erat, ſed ob myſticam rationem, ſcilicet, ut ait Sirmondus, ut Eccleſiis, ad quas mittebatur, fermenti vicem gereret, eiſque, unionis inter ſe vinculum eſset, ſicut fermentum maſsæ cui commiſcetur: vel etiam, ut addit Mabillonius, fermentum dicebatur Euchariſtia, *ad tegendum profanis rei ſacræ Arcanum pro more illorum temporum*. Et quidem ſi benè perpendantur verba relata in Melchiade & Siricio, ſtatim intelligitur fermenti nomen Euchariſtiæ eſse adſcititium, non ex natura rei petitum, ut probant hæc verba, *quod declaratur*, *quod nominatur fermentum*. Et certè Chriſto non in Euchariſtia ſolùm, ſed etiam extra hoc ſacramentum fermenti nomen inditum fuiſse, patet ex literis Epiſcoporum Phœniciæ Maritimæ ad Leonem Imperatorem Conciliorum Tomo IV, in quibus ſuam de Concilio Calchedonenſi mentem aperientes, hæc habent: *Eos qui prodigiosè non ex Dei genitrice Virgine eſſe noſtrum fermentum credunt deſtruxit.* Alia utriuſque opinionis argumenta legi poſſunt, tùm apud Mabillonium locis laudatis, tum apud Edmundum Martene lib. 1. de Antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 3. art. 7.

XIV. Arcani diſciplina ex Innocentio & Patribus probata.

Sed, ut ad dictam Innocentii ad Decentium Eugubinum Epiſtolam redeam, ex ea Arcani diſciplina primis Eccleſiæ ſæculis cautè cuſtodita probatur, cùm Innocentius ad Catholicum Epiſcopum ſcribens, ne quidem de forma conſecrationis, ſed nec & de forma confirmationis ſcribere voluerit

luerit, capite enim 3. de hoc ultimo Sacramento loquens, ait: *Verba verò dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad Conſultationem reſpondere;* de qua ideò diſciplina hic agendi locus ſe offert. Notum eſt illud Auguſtini Tractatu 96. in Joannem: *Cathecumenis ſacramenta fidelium non producuntur*, & illud magni ejuſdem Eccleſiæ Doctoris: *Neſciunt Cathecumeni quid accipiant Chriſtiani*. Notum quoque eſt illud Chryſoſtomi homilia 27 in Matthæum: *Euchariſtiæ myſterium .... initiati ſolummodo noverunt*. Et illud Cathecheſis prioris Cyrilli Jeroſolimytani ad baptizandos: *Sciunt initiati vim hujus poculi, ſcietis vos quoque paulò poſt*. Apud ipſas Philoſophorum ſectas diù ante Chriſti adventum obſervatum fuiſſe, ut profani procul à ſacris arcerentur oſtendit Schelſtratius laudatus ex Jamblico lib. 2. de Vita Pythagoræ cap. 28. & ex Clemente Alexandrino lib. 5. Stromatum.

XV. *Fideles non reſpiciebat.*

Porrò inter omnes convenit eam diſciplinam pro Cathecumenis, Judæis & Gentilibus obſervatam fuiſſe, non verò pro fidelibus ſeu baptizatis, quibus cuncta religionis Catholicæ myſteria abſque ulla verborum ambage exponi poterant. Putabant enim Patres ſequendum grave illud Chriſti mandatum apud Matthæum c.7. *Non eſſe dandum ſanctum canibus, nec margaritas projiciendas eſſe ante porcos.* Cùm verò Sancti Patres unanimi voce ex verbis Chriſti relatis diſciplinam Arcani introductam fuiſſe aſſerant, liquet eam ex traditione Apoſtolica proveniſſe: neque enim communis ille Eccleſiarum conſenſus ex decreto alicujus particularis vel generalis Concilii ortum duxit, ſed omnes per orbem Eccleſiæ eandem diſciplinam obſervarunt, abſque eo quod certo quodam tempore ea cœpiſſe reperiatur. Quare juxta D. Auguſtini regulam, hæc una eſt ex iis, quæ ex traditione Apoſtolica ad nos pervenére.

XVI. *Non ſoli ritus, ſed & dogmata ſacramentorū occultata.*

Proteſtantes Arcani diſciplinam apud Orthodoxos in mera rituum occultatione olim ſitam fuiſſe dicunt. Sed complura ſunt ſanctorum Patrum teſtimonia, ex quibus luce clarius monſtrari poteſt, antiquam Eccleſiæ diſciplinam non ſolùm in ſimbolis ſacramentorum, eorumque ritibus, ſed etiam in rebus per ipſa ſignificatis, ſeu contentis, occultandis viguiſſe. Extat celeberrimum totius Italiæ teſtimonium, quod Julius primus ſuo nomine ad Euſebianos tranſmiſit, & contra eoſdem urget Athanaſius in Apologia ſecunda. Non ſolùm enim accuſant Euſebianos, quòd de calice & menſa ſermonem habuiſſent in præſentia Præfecti, aſſiſtentibus tùm Ethnicis, tum Judæis, ſed quòd coràm iiſdem, præſentibus quoque Catechumenis, *quæſtionem de Sanguine & Corpore Chriſti habuiſſent.* Quæ his verbis totius Ægypti Epiſcopi in Synodica ad omnem ſub cœlo Eccleſiam deplorant: *Coram Ethnicis hominibus quæſtiones de Eccleſia, de Calice, de menſa Domini, de ſanctis ſanctorum habuere.* Nam per ſancta ſanctorum intelligenda ſunt ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti, quæ Gentilibus, Judæis, Cathecumenis occultanda, non publicanda erant.

XVII. *Quædam dogmata publicabantur, quædam occultabantur.*

Deinde Schelſtratius ex Origene lib. 1. contra Celſum probat eamdem de myſterio Arcani diſciplinam in Eccleſia tam quoad dogma, quàm quoad ritus receptam fuiſſe. Ibi enim enumerat Origenes dogmata, quæ palam prædicabantur, ut Incarnationis, paſſionis, & Reſurrectionis Dominicæ. Non loquitur autem de Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio, neque de Sacramento Euchariſtiæ, neque de aliis Sacramentis, quòd illa ex iis eſſent, quæ non communicabantur quibuſvis, adeoque circa quæ diſciplina Arcani obſervanda erat, prout de myſterio Euchariſtiæ tractaturus, homilia 13. in Exodum diſertis verbis præmonuit. Chryſoſtomus etiam homilia 40 in primam ad Corinthios Epiſtolam profitetur, ſe non audere loqui de forma baptiſmatis & ſymbolo, quibus ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium exponitur: *Non audeo*, inquit, *propter eos, qui non ſunt initiati: ii enim expoſitionem nobis faciunt difficiliorem, ut qui nos cogunt, vel non apertè dicere, aut eis arcana enuntiare. Sed tamen dicam, quoad ejus à me fieri poterit, tectè & adumbratè, &c.* Sanctus etiam Cyrillus Jeroſolymitanus Cathecheſi 6 agens de myſteriis in ſymbolo contentis, ait: *Hæc myſteria ſacramentaque nunc patefacit Eccleſia ei, qui ex Cathecumenis excedit; nec moris eſt Gentilibus exponere: non enim Gentili cuiquam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto myſteria declaramus, neque palam apud Cathecumenos de myſteriis verba facimus, ſed multa ſæpè loquimur occultè, ut fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur.*

XVIII. *Ex ea diſciplina ſacramentorum numerus malè impugnatur.*

Ex hac Arcani diſciplina provenit, quod primis Eccleſiæ ſæculis nulli Tractatus de Septem Sacramentis, quorum noſtris temporibus tam frequens mentio, ſcripti ſint. Dicunt quidem Proteſtantes antiquiores Patres à Commentariis de Septem Sacramentis abſtinuiſſe, quòd numerum illum Sacramentorum non admiſerint. Sed id ex Orientalis Schiſmaticæ, & Occidentalis Orthodoxæ Eccleſiæ conſenſione facilè refellitur. Neque enim Orientales Schiſmatici cum Orthodoxis Latinis in unam eamdemque ſententiam ab octingentis annis conſpiraſſent, niſi illam à majoribus accepiſſent. Alia itaque ratio quærenda. Cùm Tractatus de ſeptem ſacramentis eduntur, neceſſe eſt illorum ritus exponere, mate-

materiam & formam, quibus conficiuntur, determinare; dogma ipſum de omnibus ad ſacramentorum conſecrationem & adminiſtrationem ſpectantibus minimè celare. Quæ tamen priſca Eccleſiæ diſciplina oculis & auribus Gentilium, Judæorum & Cathecumenorum religioſè occultabat; quorum profanationem metuentes Antiqui, ab iis abſtinebant in ſermonibus, & ſibi cavebant, neque in ſcriptis de iis agebant. Contra verò poſtquam ſexto Eccleſiæ ſæculo diſciplina illa abolita fuit, frequens ſacramentorum memoria non tantùm apud Græcos, Sed etiam apud Latinos, ſaltem à Caroli Magni tempore: apud Græcos verò poſt tempora Photii, qui in ſua Bibliotheca ex Jobio Monacho *ſeptem ſacroſancta Christi Eccleſiæ myſteria* celebrat. Diſciplina itaque Arcani in cauſa fuit, quòd ſex primis Eccleſiæ ſæculis, Catholici Scriptores à Tractatibus de Sacramentis abſtinuerint, rariùs & obſcuriùs de iis ſcripſerint, neque de eorum numero recenſendo ſolliciti fuerint. Quæ omnia occaſione Decretalis Innocentii Papæ ad Decentium Eugubinum, ex Schelſtratio in Diſsertatione laudata excerpere haud abs re eſse nobis viſum eſt; ex ea enim diſciplina complures Patrum ſententiæ, quas Proteſtantes contra Catholicos adducunt, exponi poſsunt. Porrò quo circiter tempore ea diſciplina, tam in Oriente, quàm in Occidente defierit, dicemus in Pontificatu Eugenii Papæ primi.

XIX. *Alia Innocentii decretalis.* Eſt & alia Decretalis Innocentii Epiſtola ad Felicem Nucerianum Epiſcopum, quinque Canonibus conſtans, & altera ad Macedoniæ Epiſcopos, quæ omnes Eccleſiaſticæ diſciplinæ teſtes locupletiſſimas eſſe perſpicuum eſt, earum omnium Canones in Collectione Conciliorum legendi. Quoad Decretalem quam dedit ad Synodum Toletanam, ut collapſæ in Hiſpaniis diſciplinæ mederetur, præſertimque vitiis ordinationum, in quibus Canones impunè violabantur, ea data non eſt ad Toletanam Synodum Stilicone Conſule celebratam, ea enim pertinet ad annum 400, quo Anaſtaſius, non Innocentius ſedebat, ſed ad aliam Synodum Toletanam, ſedente Innocentio coactam, cujus Acta perierunt.

XX. *S. Joannes Chryſoſtomus Epiſcopatu C.P. deponitur.* Sedente Innocentio magnus anno quadringenteſimo tertio Conſtantinopoli tumultus excitatus eſt, ſchiſmaque in Eccleſiam invectum, ob Eudoxiæ Auguſtæ, Arcadii Imperatoris uxoris odium in S. Joannem Chryſoſtomum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quòd Orationem habuiſſet ad populum, quæ omnium generaliter mulierum vituperationem continebat. Auguſta enim illatam ſibi contumeliam putans, curavit ut Synodus adversùs eum convocaretur, ad quam *præcipuè et confluxere, qui Joanni variis de cauſis erant infenſi*, inquit Socrates lib. 6. cap. 15. Conventus ille dictus eſt *ad Quercum*, Suburbium Calchedonis. Theophilus Epiſcopus Alexandrinus ei præfuit, adfuerunt Epiſcopi triginta ſex. In eo Joannes depoſitus eſt, & ab Imperatore in exilium amandatus, ex quo paulò poſt, juſſu Imperatoris revocatus, rogatuſque à populo, ut in Epiſcopali Cathedra ſederet, ac pro more ſolito pacem apprecaretur, repoſuit: *Id Judicium decreto fieri debere, & oportere, ut ii, à quibus condemnatus eſſet, mutatâ ſententiâ ipſum abſolverent*, ut refert Socrates citatus cap. 16. ſciebat enim in Concilio Antiocheno anno 341 habito, hoc decretum factum eſse: *Epiſcopus à Synodo depoſitus, ſi ſacra celebrare auſus fuerit, redeundi poteſtatem non habet*. Quare nolebat ſedem ſuam recuperare ſine majoris Synodi judicio, ut Canonem Antiochenum, quocunque ſenſu exponeretur, obſervaſſe videretur. Tandem tamen ad preces populi acquievit. Baluzius in ſua editione Conciliorum hujus Synodi hiſtoriam texuit, ab Auctore conſcriptam, qui tum aſſiduus erat Divo Chryſoſtomo, à Palladio nimirum Helenopolitano Epiſcopo, cujus Dialogum de vita Chryſoſtomi nunc habemus ſanum & integrum beneficio Emerici Bigotii.

XXI. *Iterum damnatur.* Anno quadringenteſimo quarto nova Synodus Conſtantinopoli coacta, in qua S. Joannes iterùm depoſitus, & ab Arcadio Imperatore iterùm exilio mulctatus. In ea Synodo lectus eſt Canon IV dicti Concilii Antiocheni, quem Theophilus Epiſcopus Alexandrinus, præcipuus Chryſoſtomi adverſarius miſerat, in quo legebatur: *Si quis Epiſcopus aut Presbyter injuſtè ſive juſtè depoſitus, ex ſe ipſo abſque Synodo in Eccleſiam redierit, hic jam excuſationis non habeat locum, ſed omnino expellatur*; cum tamen Canon Concilii Antiocheni adverbium illud *injuſtè* non contineat. Chryſoſtomus duplici reſponſo uſus eſt; ac primò quidem conatus eſt oſtendere ſe ſe Canoni Antiocheno ſatisfeciſse; deinde cum nec ſic quidem adverſariorum calumniam effugeret, reſpondit objectum Canonem non ad Eccleſiam Catholicorum, ſed ad Eccleſiam Arianorum pertinere, quia ſcilicet Canon à Theophilo productus, alius omninò erat à Canone Concilii Antiocheni, Canon enim Theophili editus erat non à Catholicis Epiſcopis Antiochiæ congregatis, ſed à ſolis Euſebianis poſt Synodum Antiochenam in odium Athanaſii. Unde Georgius Patriarcha Alexandrinus vocat Canones à Theophilo tranſmiſſos *adulterinas & falſi nominis ſcripturas*. Qua de re plura Schelſtratius in Diſſert. 5. de Concilio Antiocheno cap. 6.

XXII. *Appellat ad Innocentium PP. de primo judicio.* Chryſoſtomum, poſtquam ſede dejectus eſt, ad Innocentium Papam appellaſſe conſtat ex Epiſtola Honorii Imperatoris ad Ar-

 cadium

cadium in Oriente imperantem apud Baronium anno 404. num. 80. & ſeqq. ubi refert tum Chryſoſtomum, tum Theophilum ipſum Legatos ad Innocentium miſiſſe, qui ejus ſuper judicio in Chryſoſtomum lato ſententiam referrent: *Miſſi*, inquit, *ad Sacerdotes urbis æternæ, atque Italiæ utraque ex parte Legati. Expectabatur ex omnium auctoritate ſententia informatura regulam diſciplinæ. Integrum nempè eſſe debuerat nec quidquam novari, dum definitio deliberata procederet; cùm intereà mirum quoddam præcipitium feſtinationis exarſit, ut non expectatis literis Sacerdotum, qui fuerant mutua partium legatione conſulti, non examinatis rebus, in exilium traderentur Antiſtites, animadverſioni priùs addicti, quàm ſententiam Judicii Epiſcopalis experti. Denique quàm immatura illa damnatio fuerit, res probavit. Namque hi, quorum expectabatur auctoritas* (nempe Pontificis Romani & ejus aſſeſſorum) *pacifica Joanni communione permiſſa, faciendam concordiam cenſuerunt; nec quemquam putarunt ante judicium conſortio repellendum.*

XXIII. *Illud caſſat Innocentius.* Sententiam verò depoſitionis à Theophilo Alexandrino, ejuſque conſortibus anno quadringenteſimo tertio, in Synodo ad Quercum latam, reſcidiſſe & in irritum miſiſſe Innocentium, liquet tùm Palladii, tùm Innocentii ipſius teſtimonio. Palladius quidem in Dialogo de vita Sancti Joannis Chryſoſtomi ſcribit: *Ad hæc reſcripſit Beatus Innocentius Papa, communioneque utriuſque partis admiſſa, Theophili judicium caſſum, atque irritum eſſe decrevit, dicens, oportere conflari aliam irreprehenſibilem Synodum Occidentalium & Orientalium Sacerdotum, cedentibus Concilio amicis primùm, deinde inimicis; neutrarum quippe partium ut plurimùm rectum eſſe judicium.* Innocentius verò Epiſtolâ 31. ad Thophilum, quam idem Palladius recitat: *Frater Theophile*, inquit, *nos & te, & fratrem noſtrum Joannem, communionis noſtræ eſſe decrevimus, ſicuti & in prioribus literis apertè ſatis expreſſimus, & nunc in ſententia noſtra & voluntate perdurantes, rursùs eadem ſcribimus. Et quotieſcunque ſcripſeris, niſi debitum ſequatur, convenienſque judicium, propter ea quæ magno cum dedecore geſta ſunt, poſſibile non eſt nos à Joannis communione diſcedere.*

XXIV. *Chryſoſtomi appellat de ſecundo judicio.* Nec de judicio tantùm Theophili, anno ut diximus 403. lato, ad Romanum Pontificem appellavit Chryſoſtomus, ſed etiam de judicio, quod alii Epiſcopi, incentore Theophilo, in illum anno 404. tulerunt. Cùm enim Epiſcopi, Chryſoſtomi hoſtes, eum iterum damnaſſent, ille Innocentii tribunal iterum appellavit, ut ſignificant illa ejus verba in Epiſtola ad Innocentium, prout refertur à Palladio: *Scribite precor, & auctoritate veſtra decernite, hujuſmodi iniquè geſta, nobis abſentibus, & judicium non declinantibus, nullius eſſe roboris. Porrò qui talia geſſere, eos Eccleſiæ cenſuræ ſubjicite. Nos autem inſontes, neque convictos, neque deprehenſos, neque ullius criminis reos comprobatos, Eccleſiis noſtris jubete reſtitui, ut charitate frui, & pace cum fratribus noſtris conſueta poſſimus.*

XXV. *Illud etiam reſcindit Innocentius.* Sententiam in hoc ſecundo judicio adversùs Chryſoſtomum latam æquè reſcidiſſe Innocentium, his rationibus demonſtrat Natalis Alexander in parte II Sæculi 4. Diſſert. 27. In Dialogo Palladii Theodorus Romanæ Diaconus Eccleſiæ refert verba Commonitorij ab Innocentio dati Legatis, quos à ſuo latere miſit Conſtantinopolim, ut adeſſent Synodo, quam ad iſtius cauſæ pleniorem diſceptationem, & ultimam definitionem fieri peroptabat. In hoc enim Commonitorio hæc inter alia leguntur: *Non oportere Joannem judicium aggredi, niſi illi prius Eccleſia, communioque redderetur, ut omnis dilationis occaſione ſublata, ſua ſponte Concilium ingredi poſſet.* Præterea Theodoretus lib. 5. cap. 34. *Epiſcopi Occidentis*, inquit, *non prius cum Epiſcopis Ægypti & Orientis & Boſphori, atque Thraciæ communicare voluerunt, quàm nomen illius ſanctiſſimi viri*, (nempe Joannis Chryſoſtomi) *in tabulas, in quibus nomina Epiſcoporum mortuorùm continebantur, retuliſſent; atque Arſacium ejus ſucceſſorem ne ſalutare quidem dignati ſunt.* At decernere non potuit Innocentius ut nomen Chryſoſtomi decreto Concilii Orientali ex tabulis Eccleſiæ expunctum eiſdem reſtitueretur, niſi reſciſsâ ſententiâ, quæ in illum lata fuerat.

XXVI. *Hæc judicia irritantur ab Innocentio extra Synodum.* Hinc Innocentius Alexandrum Antiochenum Patriarcham, & Acacium Beroënſem Epiſcopum Apoſtolicâ communione priùs non donavit, quàm memoriæ Chryſoſtomi feciſſent ſatis, ejuſque nomen in ſacra Diptycha retuliſſent, ut patet ex Epiſtola 17. Innocentii ad Alexandrum, & ex Epiſtola 19. ejuſdem Innocentii ad Acacium Beroënſem, idem decernentis. Hinc Gelaſius Papa ad Epiſcopos Dardaniæ ſcribens, Epiſtolâ 13. Chryſoſtomum ſolius Sedis Apoſtolicæ judicio abſolutum teſtatur abſque ulla Synodo. Denique Facundus lib. 6. docet Chryſoſtomi damnationem ab Innocentio fuiſſe reſciſſam. Quæ probatio ex appellatione Chryſoſtomi deprompta, eò majoris eſt roboris ad probandum appellationum uſum poſt Concilium Sardicenſe, quòd ejus cauſa non eſſet fidei; ſed meræ diſciplinæ. Quare non admittenda diſtinctio, quam aliqui viri Eruditi excogitarunt inter cauſas fidei, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ: dum priores ad Sedem Apoſtolicam ſemper deferri potuiſse, per appellationem Epiſcoporum dejectorum con-

feſſi

Digitized by Google

SÆC. V. S. INNOCENTIUS. feſsi ſunt; non autem poſteriores. Hunc enim uſum invaluiſse in Eccleſia tam Orientali, quàm Occidentali, pluribus poſt Concilium Sardicenſe ſæculis, demonſtrat Natalis Alexander laudatus.

XXVII. *Quare.* Advertendum tamen cum eodem viro Erudito parte I ſæculi V. cap. 4. de Conciliis Nationalibus & Provincialibus art. 2. Innocentium eam Chryſoſtomi appellationem decretorio judicio voluiſſe in Synodo Oecumenica judicari, omnemque dediſſe operam, ut ea congregaretur, propter periculum ſchiſmatis imminens, ſi cum ſolis Italiæ, aut totius etiam Occidentis Epiſcopis cauſam tam gravem judicaret. Cùm enim Orientalium maxima pars Epiſcoporum, Arcadius Imperator & Eudoxia Imperatrix, Chryſoſtomum ut legitimè depoſitum haberent, Arſaciumque ac deinde Atticum in ejus Sedem intruſos, ut legitimos Antiſtites Conſtantinopolitanos venerarentur, timendum erat, ne Orientis Eccleſia, communionem cum Occidentali penitùs abrumperet, ſi Romanus Pontifex Arſacium, ac deinde Atticum invaſores Conſtantinopolitanæ Sedis in ordinem redegiſſet, ac in Theophilum, aliosque Epiſcopos ipſi nequitiâ & iniquitate conſiliorum fœderatos, Canonum, quos impunè violaverant, ſeveritatem diſtrinxiſſet: Sed proviſorio nihilominus decreto, Synodum prædatoriam ad Quercum reſcidit Innocentius: ac tandem decretorio, cùm Oecumenicæ Synodi celebrandæ nulla ſpes ſupereſſet, Orientales compellens ad memoriam Joannis Chryſoſtomi inter Conſtantinopolitanos Epiſcopos in Eccleſia Dypticha reſtituendam, nec priùs ſuſpenſam redintegrans cum Orientalibus communionem, quam id executioni mandaſſent; pluribus deinde probat communionem Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali ſuſpenſam potius fuiſſe, quàm abruptam, nec ad ſchiſma uſque negotium illud proceſsiſse: ſed ſolùm formatarum literarum commercium fuiſſe interturbatum.

XXVIII. *Innocentius Arcadium & Eudoxiam Augg. non excommunicavit.* Ex quibus inferendum eſt falſum omninò eſse, quod ſcribunt quidam poſt Baroniū, Innocentium nempè, ob procuratam S. Jo: Chryſoſtomi depoſitionem, & ejus excidium, Arcadium Imperatorem & Eudoxiam Auguſtam excommunicaſse, freti Epiſtolâ Innocentii ad Arcadium, & binis ejuſdem Arcadii Epiſtolis ad Innocentium, quas è Glyca & MS. Bibliothecæ Vaticanæ deprompſit Baronius. In Epiſtola enim Innocentii, quæ anno quadringenteſimo octavo data ſupponitur, ſermo eſt de Eudoxia vivente, quæ tamen jam ab anno quadringenteſimo quarto ſupremum diem obierat. Quare ejuſdem Epiſtolæ nec Palladius, nec Socrates, nec Theodoretus, nec Sozomenus, nec Zonaras, nec aliqui ex Latinis mentionem fecere, primuſque Georgius Alexandrinus, qui ſeptimo Eccleſiæ ſæculo vixit, ex quo Nicephorus & Glycas eam hauſere, illius meminit. Idem judicium ferunt viri Eruditi de binis Arcadii ad Innocentium Epiſtolis. SÆC. V. S. INNOCENTIUS.

Falsò etiam quidam aſſerunt Innocentium in communionem ſuam recepiſſe Atticum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, hic enim ſcripſit quidem ad Cyrillum Epiſcopum Alexandrinum de inſcribendo Sancti Joannis Chryſoſtomi nomine in ſacris Dipthychis, ſed Attici Epiſtola anno tantùm 420 ſcripta, quo ſolùm anno Chryſoſtomi nomen in myſticis tabulis ab Attico inſcriptum; Theophanes enim anno Incarnationis ſecundùm Alexandrinos 412, qui Kalendis Septembris anni 419. inchoatur, ſcribit: *Hoc anno Atticus Epiſcopus extra Eccleſiam conventus celebrantes conſpicatus, Joannis Chryſoſtomi nomen ex Eccleſiæ Diptychis memorari præcepit: unde & plures hoc pacto Eccleſiæ reſtituit.* Cedrenus quidem in Chronico teſtatur id contigiſſe anno decimoquarto Theodoſii, quem anno 421 à Kalendis Septembris inchoat; ſed quidquid ſit apparet Atticum vivente Innocentio, nomen Chryſoſtomi in Dypticha non retuliſſe, ideoque ab Innocentio non fuiſſe in communionem ſuſceptum, nec conſequenter ſub eo pacem inter Occidentalem & Orientalem Eccleſias reſtitutam, ſed ſub Bonifacio Zoſimi ſucceſſore. XXIX. *Atticum Epiſc. CP. non recepit in communionem.*

Cùm Alaricus Gothorum Rex Romam anno quadringenteſimo nono obſidione cinxiſſet, & Senatus Romanus ad pacem ineundam ad Honorium Imperatorem Ravennæ conſiſtentem Legationem miſiſſet, Innocentius Papa ejus potior pars fuit, unde Oroſius lib. 7. cap. 39. ſcribit, eum tanquam juſtum Loth ſubtractum à Sodomis apud Ravennam poſitum fuiſſe, tempore irruptionis Gothicæ in urbem Romam. Ravennæ exiſtens auctor fuit Honorio Imperatori condendi legem 12. Codicis Theod. *de Maleficis* datam VIII. Kalendas Februarii anni quadringenteſimi noni, & inſcriptam Cæciliano Præfecto Prætorio Italiæ, quâ Honorius non tantùm urbe Româ, ſed etiam Civitatibus aliis omnibus Mathematicos expelli jubet. Hujus legis promulgandæ occaſionem præbuiſſe Innocentium rectè vidit Gothofredus in ejus Commentario. Cùm Pelagiana hæreſis primùm ſub Innocentii Pontificatu ab Apoſtolica ſede damnata fuerit, antequam de hac damnatione agamus, hic Pelagianorum errores & eorundem initium detegendum. XXX. *Legatur ad Honorium Imp. pro pace cum Alarico.*

Digitized by Google

Initium Hæreſis Pelagianæ.

XXXI. *Pelagianæ Hæreſis initium.*

PElagius Monachus, gente Britannus, magiſtrum habuit Rufinum Aquilejenſem, ut teſtatur Marius Mercator in Præfatione libri Subnotationum in ſcripta Juliani, ubi loquens de mortalitate Adami, ait: *Hanc ineptam & non minus inimicam rectæ fidei quæſtionem, ſub ſanctæ recordationis Anaſtaſio Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifice, Rufinus quidam natione Syrus Romam primus invexit, & ut erat argutus, ſe quidem ab ejus invidia muniens, & per ſe proferre non auſus, Pelagium gente Britannum Monachum tunc decepit, eumque ad prædictam apprimè imbuit, atque inſtituit vanitatem*. Ubi Marius loquitur de Rufino Aquilejenſi, quem, quia diu in Syria manſerat, natione Syrum credidit. Cùm autem Rufinus ex Syria, ubi viginti quinque annis moratus fuerat, anno trecenteſimo nonageſimo ſeptimo Romam redierit, ex eaque anno trecenteſimo nonageſimo octavo exierit, ut in Siricio Papa diximus, uno ex illis duobus annis Pelagium decepit, non quidem ſedente Anaſtaſio, ſed Siricio; verùm quia Pelagius hæreſim diſſeminare cœpit ſub Anaſtaſio, tam Marius Mercator laudatus, quàm Hieronymus, ejus initium repetunt ab Anaſtaſii Pontificatu; Hieronymus enim in Epiſt. VIII ad Demetriadem, loquens de hæreſi Pelagiana Romam invecta, ait: *Dum eſſes parvula, & ſanctæ ac beatæ memoriæ Anaſtaſius Epiſcopus Romanam regeret Eccleſiam, de Orientis partibus hæreticorum ſæva tempeſtas ſimplicitatem fidei, quæ Apoſtolicâ voce laudata eſt, labefactare, & polluere conata eſt*. Quare Pelagius ſedente Anaſtaſio, ideoque ante annum quadringenteſimum ſecundum hæreſim ſuam Romæ diſſeminavit.

XXXII. *Pelagii magiſtri, & præcurſores.*

Ante Rufinum errorem Pelagianorum docuerat Theodorus Mopſueſtenus Epiſcopus, ut idem Marius Mercator laudatus ſcribit ipſo Commonitorii ſui adverſùs hæreſim Pelagii initio: *Quæſtio*, inquit, *contra Catholicam fidem apud nonnullos Syrorum & præcipuè in Cilicia à Theodoro quondam Epiſcopo oppidi Mopſueſteni jam dudum mota, nunc uſque penes paucos eorum admodum reditur, nec ea palàm profertur; ſed ab ipſis qui de ea cornicantur, velut Catholicis intra Eccleſias interim retinetur*. Præter Theodorum, & Rufinum Aquilejenſem, Evagrius Ponticus, Sextus Philoſophus, Palladius Galata, imò & ipſe Origenes, quem Pelagii *amaſium* Hieronymus in Dialogo 3. adverſùs Pelagium vocat, Pelagio præivêre; ſed præter duos primos, alii non tam doctores, quàm præcurſores dici debent, juxta Hieronymum. Pelagius Cœleſtium diſcipulum habuit, eumque auditorialem Scholaſticum è foro ad altiorem vitam traxit, ſimulque infecit errore, quem à Rufino acceperat: *Huic Pelagio adhæſit Cœleſtius*, ut ait Marius Mercator in Præfatione libri Subnotationum, *nobilis natu quidem, & illius temporis auditorialis Scholaſticus, ſed naturæ vitio eunuchus matris utero editus*.

XXXIII. *Pelagianorum errores de peccato originali.*

Pelagianorum errores erant præcipuè circa Peccatum Originale, circa Liberi Arbitrii vires, & circa Gratiam. Dogma eorum circa peccatum originale, quod erat veluti cæterorum omnium baſis, iſtud erat: *Progenitores humani generis, Adam & Evam mortales à Deo creatos, nec quemquam poſterorum ſui prævaricatione tranſgreſſi læſiſſe; ſed ſibi tantùm nocuiſſe, ſeque mandati reos apud Deum fuiſſe, alterum penitus nullum*. In Commentariis Epiſt. S. Pauli ad Romanos, cùm ad celebrem illum locum Pelagius veniſſet; *Propterea ſicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertranſiit, &c.* eos tantùm reos dixit; atque obnoxios illâ prævaricatione teneri, qui hunc in prævaricandis Dei mandatis voluerint imitari, non omnes, qui ex ejus ſunt per ſucceſſionum ſeriem ſemine generati: atque hinc pronunciat, nullum hominem prorſùs per generationem læſum fuiſſe, nec lædi peccati Adæ tranſgreſſione, ſed imitatione, inquit, quia prior ille in genere humano peccavit; & illum reum & obnoxium fieri, qui hunc propriâ voluntate, non naſcendo, ſed peccando fuerit imitatus. Hæc totidem verbis Marius Mercator in Commonitorio, ubi ſubjungit Pelagio adhæſiſſe Cœleſtium, qui auſus eſt palàm publicèque his verborum ſententiis, ejuſdem ſenſum paſſim diſſeminare per populos, ideſt, *Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, fuiſſet moriturus*. II. *Quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, & non genus humanum*. III. *Quoniam infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem*. IV. *Quoniam neque per mortem Adæ omne genus humanum moritur, quia neque per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgit*. V. *Quoniam infantes, etiamſi non baptizentur, habent vitam æternam*. Quæ quinque capitula unam impiiſsimam & nefandam ſentententiam generant, inquit Marius Mercator. Qui ex illa ſententia alii errores naſcerentur, explicat Natalis Alexander Sæculo V. cap. 3. art. 3.

XXXIV. *De Libero Arbitrio.*

Circa liberum arbitrium in eo erraverunt Pelagiani, quòd liberum arbitrium æquè ſanum, æquè validum, æquè perfectum, æquè felix in Ad[illegible]i poſteris admitterent, ac in Adamo ip[illegible] non verò infirmum, ſaucium, captivun[illegible] qua ex infirmitate convaleſcere, qua ex ſervitute eripi non

Digitized by Google

non poſſit, niſi gratiâ Salvatoris ſanetur, & liberetur: quòd S. Auguſtinus contra Pelagianos cum Eccleſia Catholica aſſerebat. Decretum erat Pelagii: *Peccatum non potuiſſe humanam debilitare, vel mutare naturam.* Juliani Pelagiani dogma erat, *Ad operandam juſtitiam liberum arbitrium & poſt peccata tàm plenum eſſe, quàm fuit ante peccata*. Contra verò S. Auguſtinus proximam poteſtatem ad bonum amiſſam eſſe Adami peccato, & ipſi & ejus poſteris, aſſerit, eamque non reſtitui niſi gratiæ beneficio lib. 3. ad Bonifacium cap. 8. Alios circa liberum arbitrium Pelagianorum errores enumerat idem Natalis Alexander laudatus §. 2.

XXXV. De Gratia.

Tandem Pelagiani circa Gratiam errabant. *Dei Gratiæ in tantum inimici fuerunt, ut ſine hac poſſe hominem crederent facere omnia divina mandata*, inquit S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus cap. 88. Non una ipſis fuit erroris iſtius propugnandi ratio, ſed multiplex, & varia, quæ variis hæreſeos Pelagianæ diſtinguendis ſtatibus, anſam dedit, inquit idem Natalis Alexander §. 3. ubi eos omnes eodem §. & ſeqq. doctè exponit, apud quem legendi.

XXXVI. Duæ Synodi Pelagium damnandum cenſent.

Sub Innocentii Pontificatu contra eam hæreſim coactum eſt Concilium Carthaginenſe anno quadringenteſimo decimo ſexto, in quo Pelagii, & Cœleſtii ejus diſcipuli errores anathemate confoſsi ſunt. Statim Synodus quoque Numidiæ Mileni celebrata, cui interfuit Auguſtinus, exemplo Synodi Carthaginenſis eoſdem errores damnavit, licèt Patres utriuſque Synodi Pelagii ac Cœleſtii perſonæ pepercerint, forſan quia in Synodo Dioſpolitana in Palæſtina anno quadringenteſimo decimo quinto habita Pelagius abſolutionem ſuffuratus fuerat, vel potiùs per crebra mendacia damnationem declinaverat; nam Synodus Dioſpolitana ab Auguſtino, aliiſque celebratur, veluti prima de hac hæreſi victoria, cum tantùm abſit, ut in ea abſolutus fuerit Pelagius, ut potius ſuo ſemet ore damnarit, quod frequenter Pelagianis exprobrat Auguſtinus.

XXXVII. Earum Patres cauſam ad Sedem Apoſtolicam referunt.

Utraque illa Synodus, nempe Carthaginenſis & Milevitana, diſcuſſo negotio, relationem miſit ad Innocentium Papam; ut ipſe ſuâ auctoritate firmaret, quod Epiſcopi cenſuiſſent de damnando Pelagio & Cœleſtio, eorumque hæreſi. Retulerunt, inquit Marca in Diſſert. de Veter Collect. Canon cap. 14. ad Papam Innocentium, ut ipſe ſummo jure decernat. Hæc enim ſunt verba Synodi Carthaginenſis: *Cenſuimus hujuſmodi perſuaſionis auctores, Pelagium & Cœleſtium anathematizari oportere*. Definiunt, quid agendum videatur, ſed non pronuntiant: id ſummæ Sedi reſervant, cujus auctoritas per univerſam Eccleſiam expanſa porrigitur; quod docent ſequentia verba: *Hoc itaque geſtum, domine frater, ſanctæ Charitati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda ſalute multorum, & quorundam etiam perverſitate corrigenda*. Eòdem tendit Synodyca Concilii Milevitani, quæ Epiſcoporum culpæ imputandum fore ait, ſi quæ ſunt ſuggerenda Sedi Apoſtolicæ, pro Eccleſiæ commodo, tacuerint. Quapropter de nova hæreſi ad Innocentium reſcribunt, ut ipſæ paſtoralem diligentiam magnis periculis adhibeat: *Quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in Sede Apoſtolica collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſia ſunt ſuggerenda, tacuerimus, quam ea tu poſſis vel faſtidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam, quæſumus, adhibere digneris. Nova quippè hæreſis & nimium pernicioſa tentat aſſurgere inimicorum gratiæ Dei*.

XXXVIII. Epiſtola quinque Epiſcoporum ad Innocentium non eſt Synodica.

Præter Synodicas Conciliorum Carthaginenſis & Milevitani Epiſtolas, quinque Epiſcopi ſcilicet Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Evodius ac Poſſidius alias literas familiares communi nomine eidem Innocentio ſcripſére, quibus Pelagii cauſam apud illum expoſuére, aſſerentes ipſius Innocentii præſertim intereſſe, huic tanto malo mederi, propterea quòd in Urbe plurimi eſſent Pelagiani dogmatis ſectatores. Auguſtinus in Epiſtolis ad Valentinum CCXV. aliàs XLVII, & CLXXXVI, aliàs CVI, ad Paulinum, eas literas non Synodicas, ſed familiares appellat. In priori quidem, quando ait: *Quod ſcriptum eſt ad Papam Innocentium Romanæ Urbis Epiſcopum de Concilio Provinciæ Carthaginenſis, & de Concilio Numidiæ, & aliquanto diligentius à quinque Epiſcopis*, &c. In poſteriori verò quando num. 2. ait: *Scripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter Conciliorum relationes, literas familiares, ubi de ipſa cauſa aliquanto diutiùs egimus*.

XXXIX. Innocentius Pelagianum dogma damnat & auctores à Communione ſeparat.

Ad laudatas Conciliorum Carthaginenſis & Milevitani Synodicas, & Epiſtolam familiarem quinque Epiſcoporum reſcripſit Innocentius Papa ſexto kalendas Februarii anni quadringenteſimi decimi ſeptimi. Et primò quidem Patres dictorum Conciliorum laudat, tum quòd olim in hac cauſa pronuntiaſſent, nempe adversùs Cœleſtium, tum quòd nunc venerationem debitam Sedi Apoſtolicæ conſervent, eam conſulendo, & omnia ad ejus judicium referendo, quod à Dioſpolitanis Patribus omiſſum miratur Innocentius, qui poſteà addit diſcuſſam fuiſſe ab Epiſcopis quæſtionem, hæreſim quoque damnatam, ſed nondum promulgatam ſententiam, quæ decreto Sedis Apoſtolicæ pro-

Digitized by Google

SÆC. V. S. INNOCENTIUS.

proculdubio egebat, ut omnes teneret. Tandem Innocentius poſt longam diſputationem duo quædam conſtituit, ac primùm quidem nefarium Pelagii dogma condemnat, ut regulæ fidei contrarium: *Quiſquis ergo huic aſſentiens videtur ſententiæ, quo dicat adjutorio nobis non opus eſſe divino, inimicum ſe Catholicæ fidei, & Dei beneficiis profitetur indignum*, inquit in Epiſtola ad Synodum Carthaginenſem. Deinde auctores hæreſeos à communione ſeparat, donec reſipiſcant, quos nominatim appellat in reſcripto ad Concilium Milevitanum: *Quare Pelagium Cæleſtiumque, id eſt, inventores vocum novarum, quæ, ſicut dicit Apoſtolus, ædificationis nihilum, ſed magis vaniſſimas conſueverunt parere quæſtiones, Eccleſiaſticâ communione privari Apoſtolici vigoris auctoritate cenſemus, donec reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ſecundùm ipſius voluntatem, eoſque interim Dominico ovili non recipi, quoad ipſi perverſæ vitę, quam ſecuti ſunt, tramitem deſerere voluerint.*

XL. *Pelagium Romam evocare noluit.*

Quia verò quinque Epiſcopi ſuperiùs nominati Epiſtolâ familiari eum monuerant, Pelagii cauſam à pluribus in Urbe foveri, & Dioſpolitanam Synodum ab eo deluſam ambigua gratiæ ſignificatione, adjicientes quoque conſilium ſuum, ut aut Pelagium Romam evocaret, aut cum eo literis ageret, ut reſponderet quam intelligeret gratiam; huic Epiſtolæ reſpondit Innocentius, ut refert Marca laudatus, neſcire ſe an in urbe ſint, qui Pelagii doctrinæ faveant, ſaltem latere, nec ſimilia jactare. Quod attinet ad purgationem Pelagii in Oriente actam, habere ſe quidem geſta Epiſcopalia à Laicis hominibus ad ſe perlata, ſed dubitare an vera ſint. Nullam Innocentius Actorum Dioſpolitanæ Synodi rationem habet, Pelagiumque non habet pro abſoluto & purgato ab accuſatione, quam Gallicani Epiſcopi inſtituerant, etſi à Synodo Dioſpolitana abſolutus fuiſſet. Noluit autem Pelagium Romam evocare, aut cum eo per literas agere, ut monebant quinque Epiſcopi, ſed ſuo ipſius libro convictum communione privavit.

XLI. *Quare.*

Nefas putabit aliquis, & alienum à judiciorum ordine, proſequitur Marca, inauditum hominem damnare. Sed ſi quis expendat veterem uſum, inveniet ſceleris alicujus, homicidii puta, per teſtes convictum, ſtatim communione abſtentum, nullâ admonitione præviâ, quâ vocaretur ad ſe purgandum; ut cenſurâ illâ coactus, ad Epiſcopum accederet, aut innocentiam ſuam probaturus, aut confeſſione crimen agnoſcens, beneficium pœnitentiæ petiturus. Quod tantò accuratiùs obſervandum erat in hæreſeos crimine, quantò diligentius huic morbo occurrendum. Rectè itaque & juxta vetuſtum illum morem ſubjungit Innocentius de Pelagio loquens: *Qui ſi confidit novitque non noſtra dignum damnatione, quod dicat jam hoc ſe totum refutaſſe quod dixerat, non à nobis accerſiri, ſed ipſe debet potius feſtinare, ut poſſit abſolvi*, ſcilicet ab excommunicatione, quâ illum Innocentius percellit.

XLII. *Synodus Rom. in Pelagii cauſa, fictitia.*

Garnerius has omnes Epiſtolas ab Innocentio in Africam miſſas, in aliqua Synodo Romana ab eo coacta, datas putavit in Diſſertatione de Synodis in cauſa Pelagianorum habitis, hoc fundamento nixus, quod prædeceſſoribus, ſive ſucceſſoribus ejus ſolemne fuerit, decretales Epiſtolas, de dogmatibus præſertim, in Concilio ſcribere, & inde in univerſum orbem mittere. Quod idem cenſet Marca lib. 7. de Concordia cap. 12. num. 5. Sed quia hujus Synodi Romanæ nullus Antiquorum meminit, neutri hac in re aſſentitur Baronianæ Criticæ Auctor, dicens Auguſtinum lib. 4. ad Bonifacium cap. 12. reſpondentem ad Pelagianos, qui poſtquam à Zoſimo Papa damnati fuiſſent, provocabant ad Concilium, ſcribere: *Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit: cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit. Multòque ſint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt.* Imò ipſi Pelagiani, poſtquam ab Innocentio, & poſteà à Zoſimo hæretici declarati ſunt, de Romanis clericis tantùm queſti inveniuntur, ut videre eſt apud Auguſtinum lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. & ſeq.

XLIII. *Pelagiana hæreſis à Sede Apoſtolica primùm damnata.*

Proſper in Carmine de Ingratis, innuit Sedem Apoſtolicam primam fuiſſe, quæ damnaverit Pelagianam hæreſim, his verſibus:

Peſtem ſubeuntem prima reſcidit
Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis
Relligione tenet. Non ſegnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit:

Non facile eſt explicare hos verſus, cùm Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus anno quadringenteſimo duodecimo, quinquennio ante Innocentium, Pelagianam hæreſim proſcripſerit. Varii viri Eruditi & inter eos Baronius & Garnerius in diverſas hac de re ſententias abierunt, quibus omiſſis exiſtimo veriorem eſſe Marcæ opinionem, qui in Diſſert. de Veter. Collect. Canonum cap. 15. ita difficultatem ſolvit, arbitratur enim, à Sede Apoſtolica primùm Pelagii atque Cœleſtii dogma proſcriptum, tanquam Catholicæ fidei contrarium, generali

Digitized by Google

nerali decreto. Nam Carthaginenſis Synodus ſub Aurelio repulit quidem Cœleſtium à Presbyterio & ab Eccleſiæ communione, quòd errores ſpargeret. Sed hæc erat privata in eum hominem cenſura, quam ille appellatione ad Romanam ſedem ſe ſe elusiſſe putabat, ipſique adeò Africani ad eam referendam tunc quoque cenſuerant, à qua proinde totius rei definitio expectabatur. Itaque Proſper non immeritò Romanæ Sedi primam Pelagianæ hæreſeos damnationem tribuit.

XLIV. Explicatur locus Proſperi de damnatione Pelagianorum.

Majus negotium faceſſit quòd ſubjungit Proſper, Palæſtinorum Epiſcoporum in Oriente judicio, ideſt Synodi Dioſpolitanæ, dogma quoque Pelagianum condemnatum, quod cùm actum fuerit anno quadringenteſimo decimo quinto, & reſcripta Innocentii ad Synodos Africanas promulgata ſint anno quadringenteſimo decimo ſeptimo, primi videntur Epiſcopi illi de hac re decreviſſe. Sed facilis eſt reſponſio, inquit Marca laudatus, Pelagium illi non condemnarunt, abſolverunt per ignorantiam facti; & quamvis gratiam Chriſti probarent, ſeque illius vindices gererent, non damnaverunt ignotos ſibi per Pelagii verſutiam errores. Eorum itaque cura profuit Eccleſiæ ad aſſerendam Gratiam, ſed nullo eorum decreto hæreſis ignota proſcribi diſertè potuit. Gravior eſt quæ procedit ex unico apud Proſperum verbo difficultas, à qua ſe eruditiſſimus Petavius expedire non potuit. Videtur enim ſignificare, poſt damnatam Pelagii hæreſim, in Oriente Palæſtinos Epiſcopos judicaſſe, *Inde Orientis Rectorum cura emicuit*, cùm certum ſit judicium Dioſpolitanum anteceſſiſſe duobus annis Romani Pontificis decretum. *Inde* hoc in verſu non tempus, ut putant, ſed locum ſignificat. Scribebat Proſper in Occidente, & habita ratione climatis ait: *Inde Orientis Rectorum cura emicuit*; ac ſi diceret: *Hinc* in Occidente peſtis adversùs gratiam reſciſſa eſt, & *Inde* in Oriente ejus quoque rei curam geſſerunt Epiſcopi Paleſtini. Quæ omnia ex Marca exſcripta. Qui plura de hæreſi Pelagiana volet, legat Marcam laudatum, Cardinalem Noriſium in Hiſtoria Pelagianorum, Garnerium in Diſſertationibus ad Marium Mercatorem & Auctorem Criticæ Baronianę, ex quo pręcipuè ſuperiora narravimus.

XLV. Innocentius Theſſalonicenſem Epiſcopum conſtituit S. Sedis Vicarium.

Poſt Siricium Anaſtaſius, ac dein Innocentius Vicariam ſuam poteſtatem Epiſcopo Theſſalonicenſi per Illyricianas provincias commiſere. De Anaſtaſio conſtat ex Epiſtola Innocentii ad Anyſium Theſſalonicenſem data, in qua apud Holſtenium in Collectione Romana id diſertè aſſerit. Innocentius autem, Anyſio mortuo, eam commiſit Rufo ejuſdem ſedis Epiſcopo de Sede Apoſtolica bene merito, his verbis apud eumdem Holſtenium ibidem pag. 48. *Divinitùs ergo hæc procurrens gratia ita longis intervallis diſterminatis à me Eccleſiis diſcat conſulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam cauſaſque, ſi quæ exoriantur, per Achajæ, Theſſaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripenſis, Mœſiæ, Dardaniæ, & Prævali Eccleſiis Chriſto Domino annuente cenſeam. Verè enim ejus ſacratiſſimis monitis lectiſſimæ ſinceritatis tuæ providentiæ ac virtuti hanc injungimus ſollicitudinem; non primitùs hæc ita ſtatuentes, ſed prædeceſſores noſtros Apoſtolicos imitati, qui beatiſſimis Acholio & Anyſio injungi pro eorum meritis iſta voluerunt.* Paulò poſt addit. *Arripe igitur, dilectiſſime frater, noſtra vice per ſupraſcriptas Eccleſias, ſalvo eorum primatu, curam; & inter ipſos Primates, primus, quidquid eos ad nos neceſſe fuerit mittere, non ſine tuo poſtulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam, quidquid illud eſt finietur, aut tuo conſilio ad nos uſque perveniendum eſſe mandamus.*

XLVI. Novatianos Romæ perſequitur.

Hic non omittendum Innocentium multas Eccleſias Novatianis Romæ degentibus ademiſſe, Socrates enim l. 7. c. 9. ſcribit: *Anaſtaſium deinde excepit Innocentius: qui quidem primus Novatianos Romæ degentes perſequi cœpit, multaſque eis Eccleſias ademit.* Cœleſtinus poſteà omnes alias Eccleſias eis abſtulit & eorum Epiſcopum clam in privatis ædibus plebem colligere compulit, ut in eo Pontifice dicemus.

XLVII. Baſilicam SS. Gervaſii & Protaſii dedicat.

Liber Pontificalis præter ſuperiùs, initio hujus Pontificatûs narrata, ſcribit: Innocentium feciſſe *ad ornatum baptiſterii cervum argenteum ad fundendam aquam penſantem libras quindecim*, quia ſcilicet, cum benedicta ſemel aqua multitudini baptizandorum, quæ ad plura hominum millia, in magnis præſertim civitatibus exurgebat, ſufficere non poſſet, ſtatim ut Pontifex baptizandum in ſacrum fontem mergere cœperat; deductâ per canales aquâ in ipſum continuò influebat. Fecit & ex eodem Anaſtaſio vas ad oleum chriſmatis argenteum penſantem libras quinque, & alia quædam apud ipſum legenda. Porrò hæc fecit in Eccleſia SS. Gervaſii & Protaſii, quam dedicavit.

XLVIII. Moritur.

Paulò poſt Pelagianorum damnationem, ex qua tantam gloriam ſibi comparavit Innocentius Pontifex, ad Deum migravit, die ſcilicet duodecima menſis Martii anni quadringenteſimi decimi ſeptimi, ad quem diem inſcribitur Martyrologiis, Romano à Roſweido publicato, omnium, quæ ad nos pervenere, vetuſtiſsimo, Hieronymiano à Florentinio è tenebris eruto, alio vetuſto S. Hieronymo attributo, quod legitur Tomo IV. Spicilegii Dacheriani, alio antiquiſsimo edito ab Holſtenio cum Actis SS.

Digitized by Google

SS. Martyrum Felicitatis & Perpetuæ, aliiſq; multis MSS. à Bollando ad diem XII Martii in Vita SS. Innocentii & Raſi Epiſcoporum recitatis. Quare cùm Anaſtaſius, tam in codicibus vulgatis, quàm in pluribus MSS. doceat eum ſediſſe annos quindecim, menſes duos, dies viginti, quod & legitur in Mariano Scoto, Orderico lib. 2. Honorio Auguſtodunenſi, Adone, Beda vulgato, & variis catalogis, manifeſtè patet ejus initium diei vigeſimæ primæ Decembris anni quadringenteſimi primi à nobis rectè affixum fuiſſe. Quod magis conſtabit ex initio Pontificatûs Zoſimi ejus ſucceſſoris.

S. ZOSIMUS *Pontif. XLIII.*

Anno Domini CCCCXVII.

I. *Zoſimus fit Papa.*

ZOſimus, natione Græcus, ex patre Apronio, vel Abramio, Innocentio ſucceſſor datus eſt, poſt ſex dierum interpontificium, die ſcilicet decimâ octavâ menſis Martii ejuſdem anni quadringenteſimi decimi ſeptimi, in Dominica. Certè die vigeſimâ quintâ ejuſdem menſis jam Pontifex erat, quod conſtat ex Epiſtola Paſchaſini Epiſcopi Lilybetani ad Sanctum Leonem Magnum, quæ poſt priorem ejuſdem S. Leonis Epiſtolam in nova ejus Operum editione collocatur. Cùm enim, Leone Eccleſiam regente, magna ſuper Paſchate anni quadringenteſimi quadrageſimi quarti controverſia inter Alexandrinos & Occidentales orta fuiſſet, Sanctus Pontifex hac de re conſuluit Paſchaſium, qui in ea, quam ad eum reſcripſit Epiſtola, meminit controverſiæ, anno quadringenteſimo decimo ſeptimo eadem de re exortæ, aitque: *Non ergo una dies longius poſita terreat; ne cum hoc evitamus, incurramus errorem, ſicut tempore recordationis domini mei prædeceſſoris veſtri Zoſimi: Conſulatu Honorii Aug. XI & Conſtantii II. Tunc enim cum declinaretur, ne X Kal. Maii Paſcha teneretur, celebratum eſt VIII Kal. Aprilis, id eſt, pro emboliſmo communis annus tentus, & error graviſſimus eſt ortus*; ex quo ſequitur Zoſimum anno CCCCXVII, quo Paſcha in Occidente celebratum eſt die vigeſima quinta Martii, jam fuiſſe Pontificem. Imò & die vigeſimâ ſecundâ ejuſdem menſis jam Pontificatum obtinebat, cum ejus Epiſtola univerſis Epiſcopis per Gallias & Septem provincias conſtitutis, dicatur *data XII Kalend. Aprilis, Honorio XI & Conſtantio II Coſſ.* ideoque die vigeſimâ ſecundâ Martii anni CCCCXVII.

II. *Cœleſtium Innocentem credit.*

Cœleſtius auditâ Innocentii morte, ex Oriente Romam ſtatim advolavit, ut teſtatur Marius Mercator in Commonitorio his verbis: *Prædictus tamen Cœleſtius etiam hinc* (nempe Conſtantinopoli) *ejectus ad urbem Romanam ſub ſanctæ memoriæ Zoſimo Epiſcopo, totâ feſtinatione perrexit*. Ubi Romam pervenit, Zoſimus Papa in Sancti Clementis Baſilica conceſſum habuit, & quidquid ad eam uſque diem, in ejus cauſa actum fuerat, excuſſum eſt, introductuſque etiam Cœleſtius, ac lectus libellus, quo fidem ſuam teſtabatur, ut ſcribit Zoſimus in Epiſtola ad Aurelium & univerſos Epiſcopos Africæ anno quadringenteſimo decimo ſeptimo data, in qua Conſules leguntur, ſed dies & menſis deſiderantur. Cœleſtii profeſſio Zoſimo viſa eſt Catholica, non quòd, quæ dogmata Cœleſtii continebat, ipſe approbaret; ſed quòd Apoſtolicæ Sedis judicium amplecti ſe paratiſſimum ille exhiberet. *In homine acerrimi ingenii*, inquit Auguſtinus lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 3. *qui profectò, ſi corrigeretur, plurimis profuiſſet, voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt*. Non putavit tamen Zoſimus, ejus libellum ſibi debere ſufficere, ſed variis interrogationibus ejus animum exploravit, ut liquet ex laudata Zoſimi ad Epiſcopos Africanos Epiſtola. Nec tamen Cœleſtium excommunicationis vinculis, quibus innodatus erat, abſolvendum eſſe judicavit: *Sed interpoſito duorum menſium tempore, donec reſcriberetur ex Africa, reſipiſcendi ei locus ſub quadam medicinalis ſententiæ lenitate conceſſus eſt*, inquit Auguſtinus lib. 2. de Peccato originali cap. 7. quod Aurelio, ceteriſque Epiſcopis Africanis per literas Zoſimus ſignificavit *datas XI Kalend. Octob.* ejuſdem anni CCCCXVII. Illis literis ſanctos illos Præſules duriùs increpuit, dolens Pelagii, ac Cœleſti vices, qui cùm Catholica ſaperent, hæreſeos damnati fuiſſent.

III. *Sicuti & Pelagium.*

Poſtquam Zoſimus pro Cœleſtio ſcripſit ad Epiſcopos Africanos, Pelagius ſuam quoque Epiſtolam, quâ hæreſis crimen à ſe depelleret, miſit cum adjuncta fidei profeſſione, in qua ſincerè quid crederet, quidve reſpueret, ſeſe declarare prædicabat. In ea, Cœleſtium imitatus, ea capita, quorum nemo illum poſtulabat, multis diſputat, ſed ubi ad baptiſmi quæſtionem venit, *Baptiſma* inquit, *unum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, aſſerimus eſſe celebrandum.* Quę verba nihilominus ipſum ad originalis culpæ confeſſionem non adſtringebant. Sic neque exprimebat, qualem gratiam agnoſceret

Digitized by Google

SÆC. V. S. ZOSIMUS.

ret neceſſariam, & ex iis quæ Auguſtinus de Pelagianorum fraudibus tradit, intelligimus illam fidei expoſitionem, in qua nihil prorſus videtur niſi orthodoxum, januam eorum omnibus erroribus patefacere. Eâ tamen acceptâ Zoſimus ſcripſit ad Epiſcopos Africanos ſupra citatam Epiſtolam XI Kalend. Octob. datam, in qua ait, liquidò purgare ſe Pelagium, ac fidem ſuam tantâ perſpicuitate exponere, ut locum malignis interpretationibus nullum relinqueret. Verùm culpam, quam Zoſimus imprudens admiſerat, poſteà correxit, ideoque Auguſtinus eum, quantum in ſe fuit, excuſavit.

IV. Epiſcopi Afri adverſùs Zoſimum expoſtulant.

Epiſcopi Africani, acceptis Zoſimi Papæ literis, anno quadringenteſimo decimo octavo duo Concilia celebrarunt, quorum primum S. Auguſtinus Africanum ſemper appellat, licèt Carthagine celebratum fuerit. Ei CCXIV Epiſcopi interfuerunt. Ex eo obteſtatio ad Zoſimum Papam miſſa; graviter in ea expoſtulabant Patres Concilii adversùs Zoſimum, quòd poſthabito, & Africanæ Eccleſiæ, & Romanæ per Innocentium judicio, quo finita Cœleſtii cauſa fuerat, ad novum eam examen revocaſſet. Deinde cùm intelligerent ex Epiſtolis Zoſimi, hunc ad Pelagium, Cœleſtiumque abſolvendos feſtinare, niſi accuſatores Romam occurrerent, & ſuæ accuſationis capita probarent: obteſtatorium libellum interpoſuerunt, quo ſuum ſibi jus ſervari poſtulabant, & ut nihil de ſententia in utrumque prolata immutaretur; ſed in eodem cuncta relinquerentur ſtatu, ſaltem donec unum è ſuis Romam mitterent cum idoneis cauſæ inſtrumentis, quibus hæreticorum artes aperirentur, doceretur que quàm legitimè & canonicè damnati eſſent. Ex eo itaque Concilio omnia geſta in cauſa Cœleſtii ad Zoſimum miſſa ſunt.

V. Zoſimus Cœleſtium & Pelagium damnat.

Cùm eo loco res eſſet, Zoſimus examinatis, quæ hactenùs adversùs Cœleſtium tam Romæ, quàm in Africa facta fuerant, eum ad pleniorem audientiam, ſummumque judicium vocavit; ſed hæreſiarcha cùm artes ſuas patere, nullumque ſupereſſe tergiverſandi modum videret, ſe ſe examini ſubduxit. Cujus fuga ubi innotuit, continuò lata in eum ac Pelagium decretoria ſententia, ſcriptaque univerſis mundi Epiſcopis à Zoſimo grandis illa Epiſtola, quam Tractoriam Marius Mercator vocat, & cujus aliqua tantùm nobis fragmenta reſtant. Hæc Mercatoris hac de re in Commonitorio verba: *Epiſcopis verò ex Africa reſcribentibus, omnemque cauſam, quæ apud eos facta fuerat, exponentibus: miſſis etiam geſtis exinde, quæ fuerant tunc cum illo, vel de illo confecta, vocatur ad audientiam pleniorem, ut quæ promiſerat, feſtinaret implere, id eſt, ut damnatis prædictis capitulis, ſententia Afrorum Pontificum, qua fuerat communione privatus, abſolveretur: non ſolùm non adfuit, ſed etiam ex memorata Romana urbe profugit: atque ob hoc à beatæ memoriæ prædicto Zoſimo Epiſcopo ſcriptis ampliſſimis vel longiſſimis perdamnatus eſt; in quibus & ipſa capitula, de quibus accuſatus fuerat, continentur, & omnis cauſa tam de Cæleſtio ſuprascripto, quàm de Pelagio magiſtro ejus praviore videtur eſſe narrata (quorum ſcriptorum & nos hìc habemus exemplaria) & ad omnes Orientales Eccleſias, Ægypti diœceſim, & Conſtantinopolim & Theſſalonicam, & Hieroſolyma, ſimilia eademque ſcripta ad Epiſcopos tranſmiſſa eſſe ſuggerimus.*

VI. Honorius Imp. Zoſimo rogante Pelagianos Roma pellit.

Zoſimus Tractoriam ſuam & geſta Synodi Africanæ ad Honorium Imperatorem Ravennæ agentem miſit, petens, ut Cœleſtius, omneſque Pelagiani Urbe pellerentur, & toto Chriſtiano orbe tanquam hæretici haberentur. Iis acceptis Honorius reſcriptum emiſit, quod Baronius ex codice Monaſterii Sancti Vedaſti anno 418 Annalibus inſeruit, & poſteà Salmaſius, Uſſerius lib. de Britannic. Eccleſ. primordiis, Baluzius in Appendice ad Salvianum, & nuper Garnerius partim collatione editorum, partim MSS. ope correctius dedit in Differt. 3. de Conſtitutionibus Imperatorum editis in cauſa Pelagianorum. In eo reſcripto ad Palladium Præfectum Prætorio Italiæ directo, Honorius ait: *Illuſtris tua auctoritas victura in omne ævum, lege nos ſtatuiſſe cognoſcat, ut pulſis ex Urbe primis capitibus dogmatis execrandi, Cæleſtio atque Pelagio, ſi qui hujus de cetero ſacrilegii ſectatores, quibuſcunque locis potuerint reperiri, aut de pravitate damnata aliquem rursùs proferre ſermonem, à quocunque correpti ad competentem judicem pertrahantur.* Imperiale edictum juſſione ſua proſecuti ſunt Præfecti Prætorio Junius Quartus Palladius Italiæ, Monaxius Orientis, & Agrigola Galliarum, qui decreto ſuo, quod adhuc extat, juſſére Pelagium & Cœleſtium ex Urbe ejici, omneſque iſtorum erroris convictos facultatibus ſuis ſpoliari, ac perpetuo mulctari exilio. Honorii reſcriptum dicitur *datum pridie Kalend. Maias, Ravennæ, D. D. N. N. Honorio XII & Theodoſio VIII. AA. CC.* ideoque anno 418, poſt menſem ſcilicet & aliquot dies, quàm Zoſimus tertiam ad Afros Epiſtolam die XXI Martii ſcripſiſſet, qui ideo intra illud tempus, & Cœleſtium poſtremo ad judicium vocavit, & Tractoriam ſuam adversùs Pelagianos ad univerſos orbis Epiſcopos dedit.

VII. Afri Epiſt. gratulatorias literas Zoſimo ſcribunt.

Epiſcopi Africani Carthagine in Concilio, quod à D. Auguſtino plenarium dicitur, congregati, Zoſimi Tractoriam receperunt, & Epiſtolam gratulatoriam ad ipſum ſcripſerunt, qua, de Pelagianorum damnatione

Digitized by Google

tione, Zoſimo, ut par erat, gratulati ſunt. Hujus Epiſtolæ & Zoſimi Tractoriæ mentio eſt cap. 8. capitulorum, quæ Epiſtolæ Cœleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliarum ſubjici ſolent. Cœleſtinus, cui illa capitula attribuuntur ait: *Quòd omnia ſtudia & omnia opera, ac merita Sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda ſint, quia nemo aliunde ei placeat, niſi ex eo, quod ipſe donaverit: in quam nos ſententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zoſimi regularis auctoritas, cùm ſcribens ad totius orbis Epiſcopos, ait:* „Nos autem inſtinctu Dei (omnia enim bo„na ad auctorem ſuum referenda ſunt, un„de naſcuntur) ad fratrum & Coepiſco„porum noſtrorum conſcientiam univerſa „retulimus. *Hunc autem ſermonem ſinceriſſimæ veritatis luce radiantem tanto Afri Epiſcopi bonore venerati ſunt, ut ita ad eundem virum ſcriberent:* „Illud verò quod in li„teris, quas in univerſas provincias curaſti „eſſe mittendas, poſuiſti dicens: Nos tamen „inſtinctu Dei &c. *ſic accepimus dictum, ut illos, qui contra Dei adjutorium extollant humani arbitrii libertatem, diſtricto gladio veritatis, velut curſim tranſiens amputares. Quid enim tam libero feciſti arbitrio, quàm quòd univerſa in noſtræ humilitatis conſcientiam retuliſti? Et tamen inſtinctu Dei factum eſſe fideliter ſapienterque vidiſti, veraciter, fidenterque dixiſti.* „Ideo utique, „quia præparatur voluntas à Domino, & „ut boni aliquid agant, paternis inſpira„tionibus ſuorum ipſe tangit corda filiorum: „quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi fi„lii Dei ſunt; ut nec noſtrum deeſſe ſen„tiamus arbitrium, & in bonis quibuſque „voluntatis humanæ ſingulis motibus ma„gis illius valere non dubitemus auxilium. Ita Cœleſtinus. Laudatam Epiſtolam ab Africanis Epiſcopis in Concilio Plenario congregatis, ubi Zoſimi Tractoriam recepere, ſcriptam eſſe oportet, cùm Zoſimus ſub finem anni quadringenteſimi decimi octavi vivere deſierit, nec aliud ante mortem ejus in Africa Concilium congregatum fuerit.

VIII. *Zoſimus etiam ad Orientales Tractoriam ſuam miſit.* Porrò ex eo, quòd num. V retulimus ex Mario Mercatore, Zoſimum Tractoriam ſuam *ad Orientales Eccleſias, Ægypti diœceſim, & Conſtantinopolim, & Theſſalonicam, & Hieroſolyma* miſiſſe Cardinalis Noriſius lib. 2. Hiſtoriæ Pelagianæ cap. 6. infert anno primo Zoſimi inter Romanam & Orientis Eccleſiam pacem conflatam, quam tamen in Innocentio diximus, ſub Bonifacio tantùm Zoſimi ſucceſſore factam; quia, inquit, Zoſimus ad Eccleſias Alexandriæ, Antiochiæ & Conſtantinopolis de Pelagianis ab ſe damnatis ſcripſit. Unde licet Cyrillus Alexandrinus & Atticus Conſtantinopolitanus id temporis nondum Chryſoſtomi nomen in Diptycha retuliſſent, noluit tamen Zoſimus Innocentii veſtigiis inhærere, ſed ea diſſentione omiſſa, eoſdem per literas convenit. Verùm Auctor Criticæ Baronianæ, hoc non obſtante, exiſtimat Zoſimum non ſe alio modo geſſiſſe erga Epiſcopos Orientales memoriæ Chryſoſtomi inimicos, quàm ſe Innocentius geſſerat, neque pacem inter Romanam Eccleſiam reſtitutam ante Bonifacii Pontificatum. Sed cùm duæ iſtæ Eccleſiæ ſchiſmate inter ſe diviſæ non eſſent, Zoſimum, damnatis Pelagianis, Tractoriam ſuam non minus ad Orientales quàm ad Occidentales Epiſcopos miſiſſe. Ita anno 417 num. 14, & poſteà num. 15 explicat ex Morino in Exercitat. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 17. & ſeqq. in quo conſiſteret illa ſuſpenſio à communione & literis Eccleſiæ Romanæ, tandemque concludit, debuiſſe Zoſimum Tractoriam ſuam ad Orientales, ſicuti & ad Occidentales inſcribere, quod & præſtitit.

IX. *Arelatenſi Eccleſiæ privilegia auget.* Cùm controverſia eſſet inter Arelatenſem, & Viennenſem Epiſcopos de jure Metropolitico, quod uterque ſibi deberi contendebat, Zoſimus Epiſt. VII decrevit juxta Patrocli Arelatenſis preces, ut civitatis Arelatenſis Epiſcopus, *jam inde à Trophimo ordinationis ſeriem temporibus roboratam* poſſideat, non ſolùm in provincia Viennenſi, ſed etiam in utraque Narbonenſi, cujus prærogativæ rationem reddit Epiſtola VIII ad Hilarium Narbonenſem: *Quoniam Trophimus Sacerdos quondam Arelatenſi urbi ab Apoſtolica Sede tranſmiſſus ad illas regiones, tanti nominis reverentiam primus exhibuit, & in alios non immeritò, ea, quam acceperat, auctoritate transfudit.* Edixit etiam ut Clericorum nemo ex quavis Galliarum provincia Romam abſque Arelatenſis Epiſcopi literis proficiſceretur, Epiſtolâ V *ad univerſos Epiſcopos per Gallias, & ſeptem provincias conſtitutos*, in qua & ait: *Hoc autem privilegium formatarum Sancto Patroclo fratri, & Coepiſcopo noſtro* [Arelatenſi] *meritorum ejus ſpeciali contemplatione conceſſimus*, à quo literas formatas recipere debebant, ut ab Apoſtolica ſede ſuſciperentur, qui Romam pergere volebant. Juſſit prætereà eâdem Epiſtolâ, ut præcipuam, *ſicut ſemper* habuerat *Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſium civitatis in ordinandis Sacerdotibus* teneret *auctoritatem; & Viennenſem, Narbonenſem primam & Narbonenſem ſecundam provincias ad Pontificium ſuum revocaret.* Hanc quidem Epiſtolam Zoſimo abjudicavit Joannes Launojus, ſed ejus objectiones ſolvit Natalis Alexander Diſſert. XV in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculi primi, & Queſnellus in Diſſertatione Apologetica pro S. Hilario Arelatenſi cap. 6.

Zoſimo tribuit Liber Pontificalis, quòd li-

Digitized by Google

licentiam benedicendi per ſingulas Parochias Cerei Paſchalis conceſſerit. Quod non ita intelligendum eſt, inquit Cardinalis Baronius, quaſi Zoſimus Cerei Paſchalis uſum primus inſtituerit, ſed illud tantùm à Zoſimo inſtitutum, ut idem Cereus, qui in majoribus tantùm Baſilicis incendi ſoleret, æquè ſingulis Parochiis concederetur: antiquiorem enim fuiſſe in Eccleſia ejuſdem Cerei benedictionem, docet Prudentius, qui de eo hymnum compoſuit.

X. Paſchalis Cerei benedictionem omnibus parochiis conceſſit.

XI. Cerei Paſchalis antiquitas.

Paſchale tempus primis Eccleſiæ ſæculis ſolemni baptiſmi adminiſtratione fuiſſe præſtitutum ex dictis ſatis compertum eſt. Tunc autem competentes cathecumeni, vel immergebantur fontibus, vel aquis perfundebantur, & aquæ fonteſque benedicebantur, ut liquet ex Victore Vitenſi lib. de perſecutione Vandalica. Benedicebatur ſive conſecrabatur & ingens cereus accenſus igne, qui conſervabatur in lampadibus feria quinta cœnæ domini; ſed ex præcepto Zachariæ Papæ nunc excutitur ex ſilice. A quo tempore extinctis luminibus omnibus nocte feriæ quintæ propter mœrorem atque triſtitiam ex paſsione Domini atque morte conceptam, dum pſalmi recitantur, quindecim accenduntur candelæ, quæ XII Apoſtolos & II Marias, unàque ſanctiſſimam Dei Genitricem referunt, & ſingillatim extinguuntur præter ultimam, quia fides Deiparæ nunquam defecit: tenebræ quoque demonſtrantur, quibus Sole inſolitam eclypſim paſſo terra omnis fuit circumfuſa juxta Rupertum lib. de divinis officiis, & Durandum lib. 6. cap. 71. Rationalis. At in ipſo quod conſequitur ſabbato ſancto, mane ob lætitiam Reſurrectionis Chriſti, & propter gaudium baptiſmi ſuſcitatur etiam ignis in cereo, & benedicitur formulis antiquiſſimis, moxque cerei reliqui ac lampades undique ſuccenduntur. Hanc cerei Paſchalis benedictionem cecinit Sanctus Auguſtinus, cùm adhuc Diaconus eſſet, ut legitur in Sacramentario Gallicano à Mabillonio Tomo I Muſei Italici publicato, non verò cùm ordinatus fuit Presbyter à Valerio Epiſcopo Hipponenſi, uti volunt Rivius in ejus Vita, & Gretzerus lib. 1. de Benedict. cap. 31. ſic autem incipit: *Exultet jam Angelica turba cœlorum*, &c. Sanctus etiam Ambroſius lib. de paſch. cap. ult. meminit cereorum Paſchalium, & elegantiſsimam formulam eum cereum benedicendi reliquit Eccleſiæ ſuæ Mediolanenſi, quæ habetur lib. 6. Bibliothecæ Patrum, & in Ambroſianæ Miſſæ codice. Ex quibus patet hujuſmodi cerei benedictionem Zoſimo Papa antiquiorem eſse.

XII. Agnorum Dei in Eccleſia uſus ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio.

Cerei Paſchalis occaſione quædam addenda duxi de *Agnis Dei*, qui vel ex eo cereo, vel ex nova cera benedicta conficiebantur, & Sabbato in Albis diſtribuebantur. Nonnulli exiſtimarunt Agnos Dei benedicendi uſum Urbano V. antiquiorem non eſſe, ut aſserit Victorellus in Notis ad Ciaconium in Urbano V. Verùm hanc opinionem invictè refellunt non ſolùm idem Victorellus ibidem, ſed & Joſephus Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis in libello Romæ anno 1656. evulgato *de Baptiſmo Paſchali & origine ac ritu conſecrandi Agnos Dei*, in cujus cap. 7. citat Ordinem Romanum à Gelaſio Papa circa annum 492. concinnatum, in quo legitur: *Mane itaque primo venit Archidiaconus in Eccleſiam, & fundit ceram in vas mundum majus, & miſcitat ibidem oleum & benedicit ceram, & ex ea fundit ſimilitudinem Agnorum, & ſervat in loco mundo.* Hæc tit. de ſabbato ſancto, ſeu ordine benedicendi cerei, & poſteà tit. in octavis Paſchæ: *In dominica poſt Albas infra civitatem Romanam dantur Agnus Dei ab Archidiacono poſt Miſſam & communionem populo, & ex eis faciunt infra domos ſuas incenſum accendi ad ſuffumigandum in domibus ſuis pro quacunque neceſſitate.* Eadem verba leguntur in Appendice Ordinis Romani primi, omnium quos publicavit Mabillonius Tomo 2. Muſei Italici antiquioris paſſim ab Amalario laudati. Ejuſdem ritûs meminit Pollicitus, qui vixit ſub Innocentio II in Ordine Romano XI pag. 138. apud eundem Mabillonium: *In ſabbato ſancto mane ſurgit Archidiaconus, & miſcitat oleum & Chriſma annotinum in cera munda. Acolytus conficit eam & colat, & facit ex ea ſimilitudinem Agnorum, quos dominus Pontifex expendit in Sabbato de Albis.* Et poſteà in ſabbato de Albis: *Dum Primicerius cum ſchola cantat Agnus Dei, domnus Apoſtolicus expendit Agnos per populum, hac ratione, ut ſicut filii Iſrael in Ægypto poſiti præcepto Domini de ſanguine immaculati Agni in liminibus domorum ſcripſerunt hoc ſignum T, ne ab Angelo percuterentur: ita & nos de ſanguine paſſionis immaculati Agni Chriſti debemus hoc ſignum ſcribere in limine domorum noſtrarum per fidem, ne à Diabolo & à vitiis percutiamur, & à poteſtate Diaboli liberemur. Aliud propter infantes noviter baptizatos in Eccleſia deponentes veterem tunicam, qui annunciant Alleluja, ideſt gloriam beatitudinis cœleſtis Patriæ. Tertium quia quicumque habuit de cera prædictorum Agnorum, & ex ea in domo ſua crucem habuerit, vel ſecum portaverit, non lædetur ab aliquo phantaſtico ſpiritu & à tonitruo.* Eadem refert Cencius de Sabellis poſtea Papa ſub Honorii tertii nomine in Ordine Romano XII apud eundem Mabillonium pag. 202. & ſeq. ut recentiores prætercam. Ex ceris illis, quæ ex cereo acceptæ Paſchali, ſacro Chriſmate delibutæ, ac benedictione ſanctificatæ erant: quæ & eò quòd Agni Chriſti typum præſeferentes

SÆC. V. S. ZOSIMUS.

habent impreſſam imaginem, *Agnus Dei* dici conſueverant, permulta conſtat eſſe edita miracula, ut ſcribit Baronius ad annum 58. Illos enim Agnos factos eſse de cera benedicta, vel de cera cerei Paſchalis anni præcedentis admixto Chriſmate, & diſtributos fuiſse Sabbato in Albis per Pontificem, inter alios ſcribit Guillelmus Durandus in Rationali divinorum officiorum lib. *6.* ubi agit de ſabbato Sancto. Benedicebantur olim Agni illi ab Archidiacono benedictione ſeu conſecratione, quæ peragitur formulis precum ad Deum conceptis, ſed nunc ipſe Pontifex per dies hebdomadæ Paſchalis benedictionem illam ſeu conſecrationem perficit, Agnos abluens ſacratis aquis, immergendo ſcilicet cereos Agnos aquæ benedictæ in pelvibus capacioribus, tum extrahendo cum coclearibus colatoriis ex argento: poſt hæc ſabbato in Albis dividit eos Clero & populo primo & ſeptimo ſuæ coronationis anno. Effingebantur olim Agni, ut ex dictis conſtat, ab Archidiacono, tum à Subdiaconis Apoſtolicis, dein ab Acholytis, mox à Sacriſta, ut accidit anno 1378. quo Petrus Amelius Epiſcopus Senogalienſis Sacriſta illos efformavit, ut ipſemet aſſerit in Ordine Romano XV à Mabillonio laudato edito pag. 510. Hodie id factitatur a Monachis Sancti Bernardi Congregationis Fulienſis, ut docet Suareſius citatus cap. 8. apud quem plura de illis Agnis Dei, quorum ritum ab exordio naſcentis Eccleſiæ uſurpatum fuiſſe pluribus oſtendit.

XIII. *Uſum Stolæ Diaconis tribuit.*

Idem liber Pontificalis aſſerit, eum conſtituiſſe, ut Diaconi lævas tectas haberent de pallis linoſtinis. Nomine hujus pallæ intelligenda eſt Stola Diaconalis ex lino & lana contexta, quam Diaconi in humero ſiniſtro deferunt, ad differentiam Sacerdotalis, à collo ante pectus pendentis. Hic autem uſus jam à tempore Concilii Laodiceni anno circiter trecenteſimo ſexageſimo tertio celebrati, invaluerat, ut Diaconi ſtolâ uterentur in ſacris miniſteriis. Canone enim XXII ſtatuitur, Subdiaconos cum Orariis aſſiſtere non debere; & Canone XXIII Lectores, Cantoreſque cum Orariis agere officium ſuum non debere. Ad quem ultimum Canonem Auctor Anonymus in Notis ad Conciliorum Canones obſervat, Lectoribus & aliis uti Orariis fuiſſe prohibitum, ne Ordinum gradus confunderentur: Orarium autem idem fuiſſe ac ſtolam, ſeu, ut alii volunt, ſudarium, quo os abſtergetur, quod tandem in manipulum evaſit. Veriſimilius tamen eſſe Orarium hic ſumi pro ſtola, quæ olim latitudine ſua humeros tegebat, & cujus oram tantùm retinuimus, quæ circa collum defertur: Græcis in hoc à Latinis diſcrepantibus, quòd apud illos ante pectus, & retrò, Crucis in modum, Orarium illud decuſſetur.

XIV. *De appellation. ad Sed. Rom.*

Sub Zoſimi Pontificatu controverſia de Appellationibus ad Romanam Sedem Africanam Eccleſiam cum Romana commiſit; ſed quia hæc controverſia Bonifacio ſedente magis agitata eſt, ideo de ea in ejus Pontificatu ſermo erit.

XV. *Zoſimi Papæ obitus.*

Zoſimus, poſtquam Sedem Romanam annum unum, menſes novem, & dies novem tenuiſset, obiit die vigeſimâ ſextâ menſis Decembris anni quadringenteſimi decimi octavi, quo die colitur in Martyrologio Romano, & Baronius in Notis ad eum diem credit, ejus meminiſse Bedam in ſuo Martyrologio ad diem XVIII ejuſdem menſis; ſed Zoſimus ille, Martyrio clarus, nihil commune habet cum Zoſimo Papa.

S. BONIFACIUS *Pontif. XLIV.*

Anno Domini CCCCXVIII.

I. *Bonifacius fit Pontifex Rom.*

Bonifacius natione Romanus, ex patre Secundo Presbytero, Zoſimo ſucceſſit, & ordinatus eſt die vigeſimâ nonâ menſis Decembris ejuſdem anni quadringenteſimi decimi octavi in Dominica, poſt duorum dierum interpontificium; in Anaſtaſio enim Holſtenii accuratè habetur: *& ceſſavit Epiſcopatus per dies II*, & parte alia in Martyrologio Hieronymiano ad eundem diem legitur: *Et Romæ Felicis, & Bonifacii Epiſcoporum de ordinatione*, ideſt, *Et Romæ Felicis & Bonifacii Epiſcoporum dies ordinationis*.

Schiſma tertium in Eccleſia Rom. contra Bonifacium.

II. *Eulalius ſchiſma conflat.*

Eodem die, quo Bonifacius ordinatus eſt, minor pars Cleri, facto ſchiſmate, elegit Eulalium Archidiaconum, contra Bonifacium Presbyterum, qui eodem die videtur etiam ordinatus. Hac de re Symmachus Urbis Præfectus Eulalio favens adversùs Bonifacium retulit ad Honorium Auguſtum Ravennæ conſiſtentem, cujus literæ à Baronio anno 418 referuntur. Illis literis ad-

Digitized by Google

addidit Symmachus: *Et quoniam pietatis veſtræ eſt, de hac parte ferre judicium: ſtatim pro competenti ſollicitudine, veſtram Majeſtatem credidi conſulendam: ut quod de hac parte pietas veſtra decernat, præcepto veſtri numinis evidenter informet*, &c.

III. *Inde ortum ut Principes ſe immiſcuerint electioni Pont. Rom.*

Ex hoc Bonifacium inter & Eulalium diſſidio factum putat Auctor Criticæ Baronianæ, ut primùm Honorius, deinde Italiæ Reges, alii aliis temporibus, ſeſe Romani Pontificis electioni immiſcuerint, quod malum à parvis profectum initiis, in grande Romanæ Eccleſiæ dedecus poſteà degeneravit.

IV. *Honorius Imp. pro Eulalio ſtat.*

Honorius Imperator mendaci Symmachi relatione commotus in Bonifacium, quaſi poſt electionem Eulalii in ſedem ſe tyrannicè intruſiſſet, & Eulalius juxta ſacros Canones, ſervatis ritibus omnibus, legitimè electus fuiſſet; ut in re certa, quæ nullo indigeret examine, vel Epiſcoporum conſultatione, adversùs Bonifacium reſcriptum dedit, ad eundem Symmachum, quo decernit, ordinationem Eulalii eſſe legitimam, monetque Bonifacium eſſe coercendum, qui ſi acquieſcere nolit, ex Urbe pellatur. Symmachus hæc omnia nunciaturus Bonifacio, qui unà cum ſuis ſe continebat in Baſilica Sancti Pauli extra Urbem, eum acceſſit per miniſtrum ſuum, qui ad eum accedens à populo verberatur. Quod cùm accepiſſet Symmachus, publicari primùm juſſit literas Imperatoris pro Eulalio datas, inde Urbis oſtia claudi, ne Bonifacius in Urbem redire poſſet. Inter hæc autem Eulalius in Urbe agens, ad S. Petri Baſilicam accedens, ibi ſacra egit, ſuorumque immenſâ lætitiâ ſuſceptus eſt.

V. *A Presbyteris Rom. de veritate certior fit.*

Inter hæc Presbyteri, qui erant ex parte Bonifacii, cùm ſcirent Honorium Imperatorem, mendaci Symmachi relatione eſſe deceptum; eundem Imperatorem de veritate certiorem reddunt, eique libellum ſupplicem offerunt, quo rem geſtam, quomodo re vera ſe habuerit, certa fide narrarunt, adjicientes Bonifacium veterem Presbyterum, in lege doctiſsimum, ac bonis moribus comprobatum, & (quod eum magis ornabat) invitum, acclamatione totius populi, ac conſenſu meliorum civitatis electum, divinæ inſtitutionis ordine conſecratum. Nam ſubſcribentibus plus minus ſeptuaginta Presbyteris, aſtantibus novem diverſarum provinciarum Epiſcopis ejus electionem competenti tempore fuiſse celebratam; ac prius omnia, quæ ſolemnitas exigebat, celebrata eſse. Eulalium verò, circumventis paucisſimis Presbyteris, malè acceptis his, ac diverſæ cuſtodiæ mancipatis, qui ad prohibendum cum literis venerant, exhibito etiam cum aliis Oſtienſi Epiſcopo, quem prope mortuum conſtaret accitum, in locum ſibi non debitum, incuſtodito religionis ordine, per ambitum proruiſſe. Deinde Imperatori ſupplicant, ut Eulalium jubeat ad Comitatum adduci, profitentes Sanctum Papam Bonifacium cum ſuis Sacerdotibus affuturum.

VI. *Bonifacium & Eulalium Ravennam advocat.*

Honorius his ſupplicibus literis à Romanis Presbyteris acceptis, reſcripſit ad Symmachum, ut agat tam cum Bonifacii, quàm cum Eulalij parte, ut ambo ſe Ravennam conferant ad ſextum Idus Februarii. Scripſit etiam ad Epiſcopos diverſarum provinciarum, ut omnes Ravennæ præſto eſſent, quò de tanta controverſia diſceptarent; quibus, ubi illùc conveniſſent, ſcripta commonitione ſignificavit, ne cum ipſis ſederent judices, qui Bonifacii electioni præſto fuiſſent; ne iidem fautores alterius partis, judices etiam eſſe viderentur. Habita itaque Ravennæ Synodus, ſed re infectâ, aliâ apud Spoletum indictâ, ad quam Africanos Epiſcopos Honorius invitavit, interimque tam Bonifacius, quàm Eulalius Urbe abſtinere juſſi ſunt, Achilleo Spoletino Epiſcopo, qui Pontificis vices in ſacris gereret Paſchatis tempore, Romam directo.

VII. *Bonifacium Sedi ſuæ reſtituit.*

Dum Synodus pararetur, & Bonifacio, ut dictum eſt, ac Eulalio prohibitum eſſet, ne Urbem ingrederentur, ad vitandos tumultus, quos ipſorum præſentia excitaſſet, Regis mandatis non paruit Eulalius, Urbem namque ingreſſus ſeditioni faces ſubminiſtravit. Quam ob cauſam, Honorii edicto, Symmacho Urbis Præfecto ſuggerente, pulſus Eulalius, & Romam Bonifacius revocatus eſt, ipſique confirmata Sedes Pontificia, quam legitima electione adeptus fuerat, & ſingulari moderatione fuerat promeritus; ac tandem mandatum de Synodo Spoleti habenda, per Largum Africæ Proconſulem revocatum fuit. Honorii Epiſtola ad Simmachum de Bonifacio in Urbem reſtituendo, quam refert Baronius anno 419, dicitur *data III Nonas Aprilis*, *accepta VI Idus Aprilis*. Ex quibus patet Schiſma uſque ad medium circiter menſem Aprilem anni quadringenteſimi decimi noni duraſse.

VIII. *Eccleſiæ quieti pro futura electione conſulit.*

Bonifacius in ſedem ſuam reſtitutus, pacificè ſedens, egit apud Honorium Imperatorem, ut Eccleſiæ paci in futurum proſpiceret, ne ſchiſmate novo poſt ſuum obitum ſcinderetur. Sanctiſsimi Pontificis votis annuit religioſus Imperator, edixitque, ſi duo per ambitum electi fuiſsent, nullum ex his fore Pontificem: *Sed illum ſolum in Sede Apoſtolica permanſurum, quem ex numero Clericorum, nova ordinatione, divinum judicium, & univerſitatis conſenſus elegiſſet*. Id conſtat ex reſcripto Honorii ad Bonifacium apud Baronium anno 419. num. 41. Quo tempore Eulalius unà cum ſuis apud Antium, non longè ab Urbe exul

Digitized by Google

exul agebat, in Eccleſia S. Hermetis operiens obitum Bonifacii, longa ætate, & mala valetudine fracti & debilitati. Verùm ipſum Eulalium Nepeſinæ Eccleſiæ poſtmodùm factum fuiſſe Epiſcopum ſcribit Auctor libri Pontificalis.

IX. *Bonifacius contrà Pelagianos conſtitutionem obtinet ab Imp.*

Non ſolùm Bonifacius Eccleſiæ paci in futurum proſpexit, ſed etiam contra Pelagianos ab Honorio conſtitutionem obtinuiſſe videtur, cùm Proſper contra Collatorem cap. 41. ſcribat: *Sanctæ memoriæ Bonifacius, piiſſimorum Imperatorum Catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non ſolùm Apoſtolicis, ſed etiam Regiis utebatur edictis.* Hujus conſtitutionis meminit ipſe Honorius in Epiſtola *V Idus Junias Ravennæ* ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum data, quâ ſignificat ſeſe conſtitutionem, quam anno 418 dederat adversùs Pelagium atque Cœleſtium renovaſse, ſimulque ſanxiſse, ut quiſquis eos ubicumque terrarum ageret, ſciens non denuntiaret, aut expelleret, ipſemet in exilium pelleretur. Quæ conſtitutio ad Aurelium cum prædictis literis miſsa, ad nos non pervenit. Aurelius hac acceptâ, literas ad Epiſcopos Byzacenæ provinciæ, atque Arzugitanæ dedit Kalendis Auguſti, in quibus conſtitutionem Imperatoriam ab Epiſtola ſibi directa ſecernit, eoſque omnes ad ſubſcribendum Cœleſtii & Pelagii damnationi cohortatur, quod Honorius in dicta Epiſtola jubet.

X. *Subſcriptiones de hæreticorum damnatione in uſum vocatæ.*

Valde refert hujus Epiſtolæ verba notare. Non enim aliàs unquam, inquit Garnerius in Diſſert. 3. ubi actum eſt de profliganda hæreſi, præceſſit ulla, quod ſciamus, conſtitutio Principum Chriſtianorum, de conveniendis univerſis Epiſcopis, ſive qui defuiſſent Concilio, in quo fuiſſet, aut condita fidei formula, aut damnata cum auctoribus hæreſis; ſive etiam qui in ſua ſinguli ſede quieſcerent, neque ſuſpecti haberentur nomine hæreſis, ut ſubſcriberent latæ ab Eccleſia in aliquem hominem ſententiæ. Nulla certè in toto codice Theodoſiano eſt, nullaque apud Scriptores rerum Eccleſiaſticarum: quæ enim jactantur de Euſebio & Theocgnide in cauſa Ariana, habent ſpeciem longè diverſam. Hæc igitur conſtitutio cenſeri poteſt meritò exemplar conſequentium plurimarum. Lex autem ſubſcribendi ſancita eſt Sacerdotali primùm, deinde Imperiali auctoritate, ut patet ex laudatis, numero ſuperiori Proſperi de Bonifacio verbis, aliiſque ejuſdem ſæculi Scriptorum teſtimoniis, ab eodem Garnerio in Diſſert. de ſubſcriptionibus exactis in cauſa Pelagianorum, recitatis.

XI. *Subſcriptio Tractoria Zoſimi Pap.*

Sicut porrò in cauſa Eutychiana non alia fuit fidei formula, quàm Epiſtola Sancti Leonis *de Incarnatione* ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ita nec in Pelagiana, alia fuiſſe videtur, quàm Zoſimi Papæ Tractoria ad univerſos totius orbis Epiſcopos; quod cùm alii non obſcurè, tùm Marius Mercator in Commonitorio clariſsimè teſtatur his verbis: *Hæc omnia ſuprаſcripta capitula, ut jam ſuperius dictum eſt, continet illa beatæ memoriæ Epiſcopi Zoſimi Epiſtola, quæ Tractoria dicitur, qua Cæleſtius, Pelagiuſque damnati ſunt, quæ & Conſtantinopolim & per totum Orbem miſſa, ſubſcriptionibus Sanctorum Patrum eſt roborata, cui Julianus & reliqui ejus complices ſubſcribere detrectantes, conſentaneoſque ſe nolenteſque eiſdem Patribus facere, non ſolùm Imperialibus legibus, ſed & Sacerdotalibus ſtatutis depoſiti, atque exauctorati, ex omni Italia deturbati ſunt.*

XII. *Diſſidium in Africa de Appellationibus ad Sedem Romanam.*

Apiarius Siccenſis Presbyter ob morum depravationem ab Urbano Epiſcopo S. Auguſtini diſcipulo depoſitus, cùm contra Africanarum Eccleſiarum uſum, Papam Zoſimum appellâſſet, ab eodem benignè exceptus, communioni & ordini reſtitutus eſt, miſſo ad hoc in Africam anno quadringenteſimo decimo octavo Fauſtino Potentiæ in Piceno Epiſcopo cum duobus aliis Legatis, ut Apiarii cauſam retractarent. Sed mortuo paulò poſt Zoſimo, Apiarii cauſa in plenaria Synodo Africæ anno quadringenteſimo decimo nono coacta, diſceptata eſt. Contendebant Africani ab ipſis Chriſtianæ religionis in Africa primordiis conſuetudinem obtinuiſſe, ut Presbyteri, Diaconi & Clerici inferiores in ſuis quiſque provinciis judicarentur, appellatione ad tranſmarinos judices omninò interdictâ, de quo decretum emiſſum eſt in Concilio plenario totius Africæ anno 418 celebrato, ob tentatam, ut videtur, ab Apiario appellationem. Sed cùm Zoſimus totum quod geſſerat, decretorum Concilii Nicæni auctoritate nixum ſcripſiſſet, donec hujus Concilii acta ſincera exhiberentur, interim ſtatuerunt Africani, Epiſcopos juxta Zoſimi ſententiam, ad ſummum Pontificem poſſe appellare, Presbyteros autem & alios intra provinciæ ſuæ fines Epiſcoporum tantùm judicio, remotâ appellatione, ſubjici.

XIII. *Eas appellationes tandem admittunt Afri.*

Epiſcopi Africani Legatos ad Cyrillum Alexandrinum & Atticum Conſtantinopolitanum Epiſcopos miſerant, ad exquirenda Nicæni Concilii ſtatuta, quæ anno 419 adducta ſunt menſe Novembri, & ex Africa ad Bonifacium Papam miſſa, ut fidem facit titulus Symboli Nicæni in Concilio vulgò Africano ſub num. CIV. *Exemplaria Concilii Nicæni directa ſub die VI Kalend. Decemb. poſt Conſulatum Honorii XII, & Theodoſii VIII Bonifacio urbis Romæ Epiſcopo.* Bonifacio mortuo, idem Apiarius, Cœleſtino Pontifice, immanium criminum iterum accuſatus, damnatuſque, Cœleſtini pa-

Digitized by Google

patrocinium imploravit, à quo Eccleſiaſticæ communioni reſtitutus eſt, miſſo in Africam iterum Fauſtino Legato, ut cum Epiſcopis Apiarii cauſam retractaret. Hic verò conſcientiæ reæ ſtimulis actus univerſa crimina, quæ diù perfracta fronte negarat, tandem confeſſus eſt. Epiſcopos tamen Africanos admiſiſſe tandem appellationes ad Romanos Pontifices, liquet ex iis exemplis, quæ apud Baronium legi poſſunt. Ceſsére ergo Africani, quia Pontifices Romani nihil voluerunt remittere ex jure ſibi legitimè quæſito in Concilio generali Occidentis, Sardicenſi nimirùm; cùm poſseſsioni eorum conſenſiſſent Africani Epiſcopi, qui ad certum tempus morem geſſerant deſiderio Summorum Pontificum: Subſidio fuit exemplum Galliarum & Hiſpaniarum, apud quas in uſum revocatum eſt privilegium illud. Tum etiam Novella Conſtitutio Valentiniani, ſuggerente S. Leone Papa anno 445 data, quæ Summo Pontifici ſupremam auctoritatem tribuit in judiciis Epiſcoporum, ſive ii Galli ſint, aut ex aliis provinciis; quod Africanos coegit ad obſervationem Canonum Sardicenſium. Prætereà incurſio Vandalorum, qui Ariani erant, & in Africa anno quadringenteſimo vigeſimo octavo dominari cæpere, Africanos neceſsitate adigebat ad arctiſsimam unionem cum Eccleſia Romana. Veſtigia tamen quædam contradictionis extant in Epiſtolis Papæ Leonis, in cauſa Lupicini. Sed acquieviſſe eos conſtat ex Ferrando, ex capitibus 59. & 60 Breviarii Canonum. Quæ excerpta ex Marca lib. 7. de Concordia cap. 15. num. 5.

XIV. Literas Juliani ad Auguſtinum Bonifacius mittit.

Anno quadringenteſimo decimo octavo S. Auguſtinus intelligens à Valerio Comite, apud nonnullos ſibi imponi, quòd nuptias damnaret, aſſerendo Originale peccatum, librum primum de nuptiis & concupiſcentia ad eundem Comitem tranſmiſit. Contra quem librum Julianus Eclanenſis quondàm Epiſcopus, Pelagianæ hæreſeos patronus quatuor libros ſcripſit, & quidem ineunte anno 419. tempore ſchiſmatis contra Bonifacium concitati, cujus in illis libris meminit. Inter hæc cùm Alypius Tagaſtenſis Epiſcopus Ravennam, incertum qua de cauſa, veniſſet inde Romam profectus eſt, ubi eum Bonifacius Papa perhonorificè excepit. Idem Julianus duas literas ſcripſerat, alteras Romam ad decipiendos Clericos Romanos miſſas, alteras Theſſalonicam ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum directas. Utræque literæ cùm per Italiam ſecretò circumferrentur, quorumdam Catholicorum vigilantiâ detectæ fuerunt, & ad eumdem Bonifacium miſsæ, qui eas Alypio cùm Roma diſceſsit, tradidit, Auguſtino deferendas cum excerptis quibuſdam ex quatuor Juliani Libris, contra primum de nuptiis ſcriptis, quæ à Valerio Comite acceperat. Alypium utramque Epiſtolam à Bonifacio accepiſse teſtatur Auguſtinus ipſe lib. 1. ad Bonifacium c. 1.

XV. Auguſtinus ad Bonifacium libros mittit contra illas literas.

Auguſtinus iis excerptis & duabus Epiſtolis acceptis, nulla interpoſitâ mora reſpondit, alterumq; de nuptiis & concupiſcentia librum elucubravit in prioris defenſionem, illumque eidem Valerio Comiti nuncupavit. Scripſit pariter quatuor libros doctiſsimos contra illas duas Epiſtolas Pelagianorum, eoſque ad Bonifacium Papam miſit, ut ejus probarentur auctoritate. Continent illi plurima non tantùm dogmatica, ſed etiam Hiſtorica, præſertim de rebus cum Cæleſtio Romæ geſtis à Zoſimo Papa, & de Pelagianorum querelis, eorumque appellatione à Sedis Apoſtolicæ judicio ad Synodum generalem, quibus abundè ſatiſfacit Sanctus Doctor. In quarto docet opus non eſſe Synodo, ut hæreſis aperta damnetur, longè plures hæreſes judiciis particularibus, quàm Synodis univerſalibus extinctas & hæreticos propter ſuperbiam urgere, ut congregetur Synodus; perinde tales ſint, propter quos totus Orbis commoneri debeat. Qua de re vide dicta in Innocentio num. 42. Porrò Julianus ordinatus erat ab Innocentio, ut teſtatur Marius Mercator, Epiſcopus & quidem Eclan' urbis Hirpinorum non longè diſtantis à Benevento, quâ everſâ, Epiſcopalis Sedes Frequentum, vulgò *Frigento*, translata fuit. Sed Julianus eo Epiſcopatu à Zoſimo Papa dejectus fuerat, ut aſſerit Marius Mercator in Præfatione in Tractatus Neſtorii adversùs hæreſim Pelagianam: *Julianum ex Epiſcopo Eclanenſi cum participibus ſuis hujus hæreſis ſigniferum & anteſignanum olim ab Apoſtolicâ ſententia exauctoratum, atque depoſitum, in amicitiam interim cenſuit ſuſcipiendum*, nempe Neſtorius. Plura de Juliano Annotator Baronii.

XVI. Theodoſii lex de Illyrico ab eodem Imp. reſcinditur.

Bonifacio ſedente, Theodoſius Orientis Imperator anno quadringenteſimo vigeſimo primo *pridie Idus Julii* reſcriptum dedit, quo jura Epiſcopatus Conſtantinopolitani ad Illyricum quoque extendit, ideoque Illyricianam Diœceſim Romano Pontifici aufert, & tranſcribit in jus Patriarchicum Regiæ civitatis. Sed, ad poſtulationem Honorii patrui, Theodoſius eamdem legem reſcidit anno 422, ut patet ex reſcripto ejuſdem Theodoſii ad Epiſtolam Honorii, quæ publicavit Holſtenius in Collectione Romana pag. 81. & ſeqq. Ea autem lex data fuerat ad inſtantiam Epiſcoporum Illyricianorum, ait enim Theodoſius in reſcripto ad Honorium: *Omni ſupplicantium Epiſcoporum per Illyricum ſubreptione remota ſtatuimus obſervari, quod priſca Apoſtolica diſciplina & canones veteres eloquuntur. Super qua re ſecundùm formam oraculi peremnitatis tuæ ad Viros illuſtres Præ-*

Digitized by Google

SÆC. V. S. BONIFACIUS.

Præfectos Prætorii Illyrici noſtri ſcripta porreximus, ut ceſſantibus Epiſcoporum ſubreptionibus, antiquum ordinem ſpecialiter faciant cuſtodiri.

XVII. *Bonifacius vices ſuas committit Rufo in Illyrico.*

Cùm Rufus Theſſalonicenſis Epiſcopus, & Sanctæ Sedis per Illyricum Vicarius Bonifacium Papam de quibuſdam diſciplinæ Eccleſiaſticæ capitibus conſuluiſſet, & Bonifacius ad ejus conſulta reſpondiſſet ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ, Rufus paſſus eſt contradictionem à nonnullis provinciarum illarum Epiſcopis, dum exequi curaret Bonifacii mandata. Quare cùm Rufus ad Bonifacium reſcripſiſſet, ne ſibi infauſtum harum conſtitutionum exitum imputaret, Bonifacius, ut illum magis excitaret ad conſervandum debitam Sedi Apoſtolicæ reverentiam, vices ei ſuas, ut factum fuerat à ſuperioribus Pontificibus, delegavit literis ad ipſum datis *XIII Kal. Octob. Monaxio v. c. conſ.* ideoque anno 419, quæ extant apud Holſtenium pag. 54.

XVIII. *Illyricianos Epiſc. in officio continere tentat.*

In literis illis Bonifacius non exprimit, quæ fuerint illa conſtituta, quæ recepta non ſunt à quibuſdam partium illarum Epiſcopis. Quare ea aliunde repetenda ſunt, & quidem ex aliis ejuſdem Bonifacii Epiſtolis, ex quibus colligitur Rufum ad eum retuliſſe, Epiſcopos illos, ſe inconſulto, Synodum Corinthiacam indixiſſe, pro retractanda cauſa Perigenis, qui Patrenſis Epiſcopus ordinatus, quoniam ejus civitatis incolæ illum admittere recuſabant, in Metropolitana Sede Corinthi conſtitutus fuerat à Summo Pontifice. Addiderat etiam Rufus Vicariatum ſibi conceſſum in contemptum veniſſe, huncque etiam in ſui perſonam redundare. Reſcripſit ergo Bonifacius nova tentamenta Epiſcoporum Illyricianorum, quæ vetuſtati contraria erant, valere non poſſe; nec cauſas à Sede Apoſtolica definitas retractari in provinciis: ſtatum Perigenis Corinthiorum Metropolitæ, nulla poſſe penitus ratione turbari, & Concilia intra Illyricum congregari non poſſe extra conſcientiam Rufi, adeoque hunc honorandum propter Apoſtolicam vicem, abſque quo non liceat Epiſcopos ordinare per illas provincias.

XIX. *Cauſa Perigenis ſolicitum habet Bonifacium.*

Solicitum præſertim habebat Bonifacium, inquit Baluzius in Supplemento ad librum 5. Marcæ de Concordia cap. 24. cauſa Perigenis, charitate ſanè erga hominem Sedi Apoſtolicæ addictiſſimum, ſed præcipuè propter convulſam ab Epiſcopis Illyricis Romani judicii definitionem, qui poſt illud eam cauſam rurſùs judicare moliebantur in Concilio Corinthiaco, ut videre eſt in Epiſtola ab eodem Bonifacio ad Epiſcopos per Illyricum *V. Idus Martii* datâ anno 422, & ab eodem Holſtenio recitatâ. Dupliciter enim in hoc peccabatur adverſùs Sedis Apoſtolicę Majeſtatem. Primò, quòd eam cauſam retractare præſumerent, quæ ſupremo Romani Pontificis arbitrio judicata fuerat. Deinde, quòd eam Synodum celebrare cogitarent, præter conſenſum Rufi Epiſcopi Theſſalonicenſis, qui Vicarius erat Romanæ Sedis per omnes Illyrici provincias. Hæc duo capita complexus eſt Bonifacius, in Epiſtola ad Rufum, eadem die, qua præcedens, datâ, nempe V. Idus Martii. *Ad Synodum quæ dicitur illicitè congreganda de cauſa fratris noſtri & Coepiſcopi Perigenis, cujus ſcripſimus ſtatum, nulla poſſe penitùs ratione turbari, talia ſcripta direximus, quibus univerſi fratres intelligant, primò convenire ſe citra ſuam conſcientiam minimè debuiſſe, deinde noſtro non eſſe judicio retractandum. Nunquam etenim licuit de eo rurſum, quod ſemel ſtatutum eſt ab Apoſtolica Sede, tractari.*

SÆC. V. S. BONIFACIUS.

XX. *Non vult eam retractari.*

Adeò altè inſederat hæc cauſa animo Bonifacii, ut ad Epiſcopos Illyricos, qui ad Synodum Corinthiacam conventuri erant, prædictas literas ſcribens, apertè comminatus abſtentionem ſit, ſi Perigenis cauſam iterum ad diſcutiendum in medium adducerent, cujus honor dubius & incertus per regulas omninò eſſe non poſſet, poſt ſententiam Romani Pontificis: *Congregetur ergo*, inquit, *ut redeamus ad cauſam hujus injuriæ, Synodus, cujus dilecto conſultum ſemper ſuperhabens Concilii recognoſcat arcanum: fiet quod quidem fieri per regulas omninò non poterit, fratris & Coepiſcopi noſtri Perigenis honor dubius & incertus, quem in ſedem Eccleſiæ ſupradictæ noſtra ſententia collocavit*. Et infra: *Convenientes, ut condecet, fratres, ne quis volens in noſtra communione durare, fratris & Conſacerdotis noſtri Perigenis iterum ad diſcutiendum in medium nomen adducat, cujus Sacerdotium Apoſtolus Petrus ſemel jam Spiritus Sancti ſuggeſtione firmavit.*

XXI. *Jubet ad ſe referri quid circa eum fiet.*

Diſplicebat itaque Bonifacio Papæ Epiſcoporum Illyricianorum audentia, qui Concilia congregare præſumebant citra conſcientiam Rufi. Nam Innocentius Papa ei conceſſerat, ut quoties cauſa aliqua eveniret, quę congregationem Sacerdotum requireret, poſſet, quos vellet, Epiſcopos de quibuſcumque Eccleſiis evocare, & cum eis controverſias definire. Sed ultra hoc conſtituit Bonifacius, ne liceret Epiſcopis Illyricianis convenire, ideſt Concilia celebrare contra conſcientiam ejuſdem Rufi. Quare cùm inaudiſſet Epiſcopos illos Synodum indixiſſe apud Corinthum pro retractanda cauſa Perigenis, commotus & *exagitatus*, ut ipſe ait in eadem Epiſtola, proptereà fuit, Synodumque non aliter celebrari mandavit, quàm ex auctoritate Rufi, electionem verò Judicum à Rufo faciendam eſſe: *Sanè quoniam ſervandus accu-*

ſatori

Digitized by Google

ſutori locus eſt, inquit ibidem Bonifacius, *ne audentiam penitus incitare videamur, ſi quid ab eodem, poſtquam Epiſcopus noſtris eſt auctoritatibus conſtitutus, contra diſciplinam & propoſitum Sacerdotis fertur admiſſum, Coepiſcopus noſter Rufus, cui ad vicem noſtram cuncta committimus, cum ceteris fratribus, quos ipſe delegerit, negotium curabit audire, ad noſtram relaturus omnia notitiam quæcunque cognitioni ejus rerum curſus, & ordo monſtravit*. Porrò valuiſſe Apoſtolicæ Sedis auctoritatem circa Perigenem, ex eo liquet, quòd ſemper is dignitate ſua potitus ſit. Bonifacium verò ſtatuiſſe, ut ordinationes Epiſcoporum citra conſcientiam Ruſi celebrari non poſſent, oſtendunt eadem Epiſtola ad Epiſcopos Illyricianos, aliaque ab eodem Bonifacio ad Epiſcopos Theſſalos eadem die data.

XXII. *Eccleſia Narbonenſis jura reſtituit.*

Bonifacius Narbonenſis Eccleſiæ jura à Zoſimo deceſſore ſuo imminuta, Epiſtolâ 3. ad Hilarium Narbonenſem ſcripta reſtituit, & Patroclum Arelatenſem Epiſcopum, ad cujus preces Zoſimus Narbonenſem Eccleſiam Arelatenſi ſubjecerat, quique Lutubenſi Eccleſiæ, in Occitania inferiori, ad Narbonenſem provinciam ſpectanti, Epiſcopum ordinaverat, coercuit, Nicænorum Canonum executionem imperans, quibus ſtatutum erat, ut ſingulis provinciis proprius Metropolitanus præeſſet.

XXIII. *Valentini Epiſ. cauſam in Synodo judicari decernit.*

Cùm Clerici Valentinæ civitatis Maximum Epiſcopum variorum criminum, & Manichææ præſertim hæreſeos reum ad Bonifacium Papam detuliſſent, ad quem noverant majores cauſas ex Eccleſiæ diſciplina referendas, Pontifex Epiſtolâ 2 ad Epiſcopos Galliæ hujus negotii cognitionem Septem provinciarum Epiſcopis demandavit: *Decrevimus*, inquit, *veſtrum debere intra provinciam eſse judicium, & congregari Synodum ante diem Kalendarum Novembrium*; jure tamen relationis ad Sedem Apoſtolicam ſervato, ad quam ab ipſis Conciliis Nationalibus poterat appellari.

XXIV. *Moritur.*

Poſtquam Bonifacius annos tres, menſes octo, dies ſeptem ſediſſet, ad Deum migravit, & quidem die quarta menſis Septembris anni quadringenteſimi vigeſimi ſecundi, quo die in Martyrologio Hieronymiano legitur: *Romæ in cœmeterio Maximi, Viâ Salariâ, depoſitio Bonifacii Epiſcopi*; & parte alia ex eodem Martyrologio, initio ejus Pontificatus laudato, conſtat eum ordinatum fuiſſe die vigeſimanonâ Decembris anni quadringenteſimi decimi octavi. In Critica Baronii complures citantur MSS. Codices Anaſtaſii & plures Auctores, qui ejus ſedis durationem ad tres annos menſes octo & dies ſeptem contrahunt. In libro Pontificali dicitur ſepultus in cœmeterio *S. Felicitatis Martyris, viâ Salariâ*, ſed falsò, cùm ex Ciaconio conſtet cœmeterium S. Felicitatis fuiſſe proximum Calliſti viâ Appiâ, ubi hodie extat ſacellum ejuſdem Martyris, in quo legitur inſcriptio *Bonifacii Papæ I Confeſſoris*, & loculus ejus conſpicitur, ubi quondam depoſitum fuit ejus corpus.

XXV. *Ejus conſtituta.*

Hic juxta eundem libri Pontificalis Auctorem *Conſtituit, ut nulla mulier, vel Monacha pallia ſacrata* (vel, ut unus codex habet, pallam ſacratam) *contigeret, aut lavaret, aut incenſum poneret in Eccleſia, niſi miniſter; nec ſervum Clericum fieri, nec obnoxium curiæ vel cujuslibet rei*. Addit Pontificalis libri Auctor Bonifacium durante ſchiſmate, in Baſilica ſanctæ Martyris Agnetis, ſicut conſuetudo erat, celebraſſe *baptiſmum Paſchæ*, quia inquit Schelſtratius in Nota ad illum locum, licèt urgente neceſsitate ſemper baptizare licuerit, baptiſmus tamen extra neceſsitatem, tantùm bis in Eccleſia ſolemniter olim conferebatur, vigilia nimirùm Paſchatis & Pentecoſtes. Unde hoc loco baptiſmus Paſchæ vocatur, ut à baptiſmo Pentecoſtes diſtinguatur.

S. CÆLESTINUS *Pontif. XLV.*

Anno Domini CCCCXXII.

I. *S. Cæleſtinus ordinatur Papa.*

CÆleſtinum, natione Campanum, ex patre Priſco, die decimâ menſis Septembris anni quadringenteſimi vigeſimi ſecundi, die Dominicâ, poſt dierum ſex interpontificium ordinatum Romanum Pontificem probat Auctor Criticæ Baronii ex ordinatione Hilarii, quæ cùm certa ſit, ex ea interpontificia, initiumque ac finem ſucceſſorum Bonifacii, nempe Cœleſtini, Sixti III & Leonis magni digerere neceſſe eſt.

II. *Pelagianos Italia pellit.*

Sanctus Cœleſtinus, deceſſorum ſuorum veſtigiis inhærens, Pelagianorum conatus infregit, eoſque totâ Italiâ expulit. Illi quidem ſingulos quoſque Romanæ Eccleſiæ Præſules, ſub eorum Pontificatûs initiis ſubdolè tentare ſueti, iiſdem artibus in Cœleſtini gratiam irrepere tentarunt, at illum deceſſoribus longè infeſtiorem experti ſunt. Ubi enim ſub Bonifacio extra centeſimum ab Urbe lapidem, ex Conſtantii Imperatoris decreto, à Baronio anno 420. num. 2. relato, licet pertineat ad annum 421. quo Conſtantius Imperator dictus eſt, degere juſſi ſunt, Cœleſtinus procùl ab Ita-

Digitized by Google

liæ finibus eos rejecit, ut docet Proſper lib. contra Collatorem cap. 41. *Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, cui ad Catholicæ Eccleſiæ præſidium multa dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens damnatis non examen judicii, ſed ſolùm pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cæleſtium quaſi non diſcuſſò negotio, audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus juſſit extrudi, adeo & præceſſorum ſuorum ſtatuta, & decreta Synodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat, ut quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari.* Hinc Patres Concilii Epheſini parte II. Act. V. *Perlectis in ſancta Synodo*, inquiunt, *Commentariis Actorum de depoſitione impiorum Pelagianorum, & Cæleſtianorum, & quæ à pietate tua de ipſis decreta & conſtituta ſunt, judicavimus & nos ea ſolida firmaque permanere debere.* Garnerius in Differt. de Synodis in cauſa Pelagianorum habitis, putat anno 424, aut 425 coactam à Cœleſtino Romæ Synodum adversùs Epiſcopos Pelagianos, qui formulæ fidei à Zoſimo præſcriptæ ſubſcribere pertinaciter detrectabant; ſed ſicut tempus Synodi illius, ita & Synodus valde incerta.

III. *S. Germanum in Britanniam contra eos mittit.*

Non ſolùm ex Italia, ſed etiam ex Britannia Pelagianam hæreſim eliminare conatus eſt Cœleſtinus; Proſper enim in Chronico ſub Conſulibus anni quadringenteſimi vigeſimi noni, ſcribit: *Agricola Pelagianus, Severiani Epiſcopi Pelagiani filius, Eccleſias Britanniæ dogmatis ſui inſinuatione corrupit. Sed actione Palladii Diaconi Cœleſtinus Germanum Antiſiodorenſem Epiſcopum vice ſua mittit, & deturbatis hæreticis Britannos ad Catholicam fidem dirigit.* Eam autem Legationem S. Germanus ſuſcepit collega Sancto Lupo Epiſcopo Trecenſi, cujus vita Anonymus ſcripſit, in qua ait: *Exacto biennii ſpatio* [ab Epiſcopatu nempe Lupi anno 428 ad eum evecti] *cum ſancto Germano contra hæreſim Pelagianam, quæ ſanam oppugnabat fidem, in Britanniam profectus eſt.* De hac Germani Legatione legendus Conſtantius Presbyter in ejus Vita apud Surium ad diem 30 Julii, & Beda lib. 1. cap. 17.

IV. *Palladium pro Scotis Epiſcopum ordinat.*

Anno poſteà quadringenteſimo trigeſimo primo Cœleſtinus Scotis Epiſcopum dedit eundem Palladium Diaconum, cujus ſuaſu Sanctum Germanum in Britanniam miſerat; ſcribit enim idem Proſper ſub illius anni Conſulibus: *Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur à Papa Cœleſtino Palladius, & primus Epiſcopus mittitur*, quod etiam habet Beda lib. 1. cap. 13. dicens, id contigiſſe anno Theodoſii Junioris octavo, à morte nempe Honorii Imperatoris deducto. Magna controverſia eſt, Hibernos inter & Scotos de Palladii Apoſtolatu, Hibernis, quos certum eſt à veteribus *Scotos* appellatos fuiſſe, contendentibus ad ſuam inſulam Palladium miſſum, contra vero Scotis, ſeu, ut nunc loquimur, Scoto-Britannis illum ſibi vindicantibus. Difficultatem auget Proſper lib. contra Collatorem cap. 41. de Cœleſtino Papa ſcribens: *Nec ſegniore cura ab hoc eodem morbo* (nempe Pelagiana hæreſi) *Britannias liberavit, quando quoſdam inimicos gratiæ ſolùm ſuæ originis occupantes etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſervare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam.* Romani *barbarorum* nomine deſignabant gentes omnes à ſua ditione & cultu alienas, ideoque hæc Proſperi verba, *fecit etiam barbaram Chriſtianam*, aliqui de Scotia, aliqui de Hibernia interpretantur. Qua de re legendi Uſſerius in lib. de Britann. Eccleſ. Primordiis cap. 16. Alfordus in Annalibus Brittannicis ad annum 431, aliique Scriptores Anglici & Hiberni, qui inter ſe de hac Palladii miſſione digladiantur.

V. *Hibernorum converſio S. Patricio debetur.*

Sed quidquid ſit de hac controverſia, certum eſt, & inter omnes convenit, circa hæc tempora Sanctum Patricium in Hiberniam miſſum, & Hiberniæ Apoſtolum appellandum eſſe. Ei enim Hiberni debent, quòd patria ſua facta ſit *Sanctorum Inſula* & literarum, ſcientiarumque fuerit aliquandò gymnaſium. Nam quamvis nonnulla Chriſtianæ doctrinæ ſemina ante eum in Hibernia ſparſa fuerint, & ideò Sanctus Palladius *ad Scotos in Chriſtum credentes* miſſus dicatur, converſæ tamen Hiberniæ decus & titulus uni debetur Patricio, per quem non pauci aliqui atque ex vulgo homines, ſed Reges & Principes, populique gregatim ſalutari tincti baptiſmate, jugo fidei ſubmiſere cervices. Ipſe Sanctam Brigidam velavit, aliqua Concilia à Spelmanno relata congregavit, ejuſque operâ plurimæ ſparſim Eccleſiæ erectæ, in iiſque Epiſcopi ordinati. Sancti Patricii Epiſcopi, Apoſtoli, & Primatis Hiberniæ vitam exhibet Bollandus ad diem 17 Martii, & in Commentario prævio, ubi pluribus de triplici ejus captivitate, vita Monaſtica & peregrinationibus differit, exiſtimat mortem ejus contigiſſe anno quadringenteſimo ſexageſimo, licèt Marianus Scotus, Sigebertus & alii eam conſignent anno quadringenteſimo nonageſimo primo. Licèt autem tam multa in Sanctorum Hibernorum Vitas irrepſerint fabulis ſimillima, Patricianæ tamen Hiſtoriæ Chronotaxim veroſimilibus conjecturis innixus Bollandus digeſſit.

VI. *Cæleſtinus Illyrici Vicariatum Theſſalonicenſi Epiſcopo continuat.*

Vicariatum Sedis Apoſtolicæ per Illyricum Ruſo Theſſalonicenſi Epiſcopo continuavit Cœleſtinus Papa; Holſtenius enim in Collectione Romana exhibet ejus Epiſtolam, Perigeni, aliiſque novem Epiſcopis per Illyricum conſtitutis inſcriptam, ſine

Digitized by Google

SÆC. V. S. CÆLESTINUS.

ne die & Conſule datam, ex qua diſcimus Felicem Epiſcopum Provinciæ Dyracenæ, quorundam accuſantium factione circumventum penè oppreſſum fuiſſe, ſi Cœleſtini diligentia non interceſſiſſet. Ea occaſione Cœleſtinus Illyricianis Epiſcopis ſignificat, jam inde ab antiquitate Sedem Apoſtolicam derivaſſe partem aliquam ſuæ ſolicitudinis in provincias Illyricianas, earumque curam Theſſalonicenſi Eccleſiæ ſemper eſſe commiſſam, confirmaſſe ſe eam auctoritatem Rufo Epiſcopo Theſſalonicenſi, cui eos obedire præcipit in omnibus cauſis Eccleſiaſticis: *Sine ejus conſilio*, inquit Cœleſtinus, *nullus ordinetur, nullus uſurpet eodem inconſcio commiſſam illi provinciam colligere niſi cum ejus voluntate Epiſcopos præſumant, per eum etiam ad nos, ſi quid eſt, referatur.* Mox pœnam excommunicationis intentat illis, qui his conſtitutis Apoſtolicæ Sedis non obedierint: *Sed hac præceptione cognoſcant & eum, qui refragrandum noſtræ auctoritati, vel illius crediderit juſſioni, à fraternitatis cœtu, cùm ipſe ſe ſeparet, ſegregandum.* Hæc Epiſtola recitata eſt in Synodo Romana Bonifacio II ſedente celebrata. Eſt porrò Dyrrachium Urbs Macedoniæ, poſita in ora occidua maris Jonii, inter Brunduſium Italiæ urbem & Theſſalonicam.

Initium hæreſis Neſtorianæ, & Concilium Epheſinum, Generale tertium.

VII. Neſtorius fit Epiſcopus Conſtantinopolitanus.

Cœleſtino ſedente emerſit Neſtorii hæreſis, quam damnavit in Synodo Romana ante Concilium Epheſinum coacta. Ejus hæreſis initium & Concilia contra eam ſub Cœleſtini Pontificatu celebrata, hìc paucis deſcribere juvat. Cùm Siſinnius Epiſcopus Conſtantinopolitanus circa finem anni quadringenteſimi vigeſimi ſeptimi obiiſſet, & inter agendum de ſucceſſore Clerus Conſtantinopolitanus diviſus eſſet, viſum eſt Theodoſio Imperatori Neſtorium ex Eccleſia Antiochena accerſere. Erat ille Germanicia oriundus, oppidulo Syriæ, &, ut ſcribit Evagrius, Monaſticam vitam profeſſus erat in Laura Sancti Euprepii propè Antiochiam, ubi verſabantur Joannes poſteà Patriarcha Antiochenus, & Theodoretus dein Cyrenſis Epiſcopus. Magiſtrum habuit Theodorum Mopſueſtenum, à quo didicit malè ſentire de Incarnatione Verbi. Cùmque magnam ſanctitatis ſpeciem affectaret, Conſtantinopolim à Theodoſio evocatus, & Epiſcopus Kalendis Aprilis anni quadringenteſimi vigeſimi octavi ordinatus, illuc venit cum Anaſtaſio Presbytero, omnium conſiliorum ſuorum ſocio, quo poſtmodum uſus eſt velut adminiſtro ſui in Deiparam odii.

VIII. Hæreſim ſuam propalat.

Neſtorius ipſo ſuæ ordinationis anno hæreſim ſuam propalavit, ſed aliter primum ejus factum narrant Scriptores. Nam Cyrillus in Epiſtola ad Acacium Berœnſem dicit, dum frequens eſſet in Eccleſia populus, Neſtorio in cathedra Eccleſiæ ſedente, Dorotheum quemdam Epiſcopum ſurrexiſſe, & magna voce exclamare auſum eſſe: *Si quis Mariam Deiparam eſſe dixerit, anathema ſit.* Socrates verò lib. 7. cap. 32. ita rem narrat: *Anaſtaſius Presbyter, qui unà cum eo* [ſcilicet Neſtorio] *Antiochiâ illuc venerat, ejuſque conſuetudine ſemper uſus erat, & in magno honore ab illo habitus, eique in rebus gerendis conſiliarius, quodam tempore in Eccleſia docuit*, Mariam à nemine Deiparam vocari debere: eam enim hominem eſſe, & ab homine Deum non poſſe naſci. *Hæc verba omnium animos tam Clericorum, quàm Laicorum magnopere conturbarunt.* Quocunque modo rès acciderit, non tantùm patienter tulit Neſtorius, Anaſtaſium, Dorotheumque impiè locutos, ſed & ipſe in magna Eccleſia, ubi frequens erat omnium Ordinum conſeſſus, Sermonem habuit de Incarnatione Dominica, qui totum continet venenum impietatis tunc primùm ab eo propalatæ: *Habet matrem Deus*, inquit inter alia Neſtorius, *ergo excuſabilis gentilitas matrem Diis ſubintroducens. Non vir optime, Maria peperit Deum*, &c. *peperit hominem deitatis inſtrumentum*, &c.

IX. Fideles ad ejus blaſphemiam cohorruère.

Illum ſermonem recitat Marius Mercator apud Garnerium Tomo 2. pag. 5. Contra illam Neſtorii blaſphemiam Proclus panegyricam orationem de laudibus Deiparæ Virginis, de qua mox, Cyrillus Epiſtolam ad Monachos Ægypti ſcripſere, & Caſſianus ſeptem libros edidit, quos idcircò de Incarnatione inſcripſit, quia in his pugnabat contra Neſtorii Tractatum de Incarnatione. Ad tantam Neſtorii blaſphemiam cohorreſcentibus omnibus, ea fuit auditorum indignatio, ut eodem die quo ſermo dictus eſt, *ſimplex quidam Monachus, ſtatim habita concione, cùm fidei ſtudio arderet, in medium Eccleſiæ progreſſus, cùm Synaxis celebraretur, impietatis præconem, quòd hæreticus eſſet, ab ingreſſu prohibere conatus ſit.* Sed vir Sanctus, Neſtorii oppreſſus potentiâ, flagris publicè cæſus eſt, ac in exilium miſſus, ut teſtantur Monachi Conſtantinopolitani in ſupplicatione Imperatori oblata, quæ extat parte 1. Concilii Epheſini cap. 30. ubi cap. 14. refertur Epiſtola S. Cyrilli ad Cæleſtinum, in qua teſtatur,

Digitized by Google

SÆC. V. S. CÆLESTINUS.

Monachos, & Senatûs, populique Conſtantinopolitani maximam partem; ne ſe Neſtorii communione polluerent, mox à Synaxibus abſtinere cæpiſse. Duo itaque Neſtorii fuere palmares errores. Primus, hominem in utero Virginis formatum, alium eſſe ab Unigenito Dei Verbo, & Incarnationem eſſe meram inhabitationem Dei Verbi in homine, velut in ſuo Templo, adeoque Deum non eſſe natum, paſſum, & mortuum; nec Chriſtum eſſe Deum, ſed Templum duntaxat Dei. Alter ejus error erat, quòd Beatiſſimam Virginem Mariam Deiparam eſſe negaret, ut jam dictum eſt. Unde hæreſis Neſtoriana maximam habet convenientiam cum hæreſi Ebionis, & Pauli Samoſateni, ac cum dogmatis Diodori Tarſenſis, & Theodori Mopſueſteni, quam convenientiam, pluribus explicat Garnerius pag. 306. & ſeqq.

X. Presbyteri & Laici in Neſtorium inſurgunt.

Neſtorius poſt priorem illum Sermonem, alterum fecit anno quadringenteſimo vigeſimo nono velut adversùs Arianos, & Macedonianos, reipſa verò adversùs Catholicos, quò priorem confirmare viſus eſt. Quo tempore contigit mirabile quiddam, atque audax facinus, quod narrat Cyrillus lib. 1. Contradict. de Euſebio cauſarum patrono, qui propter ſingularem doctrinam & pietatem Dorylæi Epiſcopus poſteà renunciatus eſt. Is cùm inter Laicos verſaretur, impiè dicentem pro concione Epiſcopum auſus eſt verbò palàm arguere, ſuæque fidei, atque animoſæ in hæreſes fortitudinis ſpecimen dedit. Fecit & tertium Sermonem Neſtorius brevi poſt tempore, velut in Apollinariſtas, in quo venenum paulò artificioſius texit, tantoque nocentius populis infudit, quòd videretur in Apollinariſtas, qui naturas in Chriſto confundebant, inviſum Catholicis ea tempeſtate nomen, invehi; quamquam hæreſim ſuam de Chriſto puro homine, & ſola præſtantia à ceteris hominibus diverſo, tacere non potuit. Contra hunc idem Euſebius laicus obteſtationem publicè propoſuit, eoque facto omnium animos inflammavit in fidei ſtudio, adversùs Neſtorium hæretica Pauli Samoſateni dogmata renovantem. Refertur hæc Euſebii obteſtatio in parte 1. Concilii Epheſini cap. 13. Exemplo Laicorum incenſi Presbyteri, cùm in Eccleſia, quæ *Irene Maritima* dicebatur, in pravum dogma invecti eſſent, continuò minis & auctoritate frendentis Epiſcopi ſilere juſſi ſunt: unde accidit, ut populus uſitatam fidei prædicationem requirens publicè inclamaret: *Imperatorem habemus, Epiſcopum non habemus*, ut legitur in ſupplic. Baſilii parte 1. Concilii Epheſini cap. 30.

XI. Neſtorius à Proclo refellitur, & Proclum refellit.

Proclus Cyzicenus Epiſcopus, pergebat populum, ut ante, docere; dumque fieret ampliſsima quædam Synaxis, habuit in maximo ordinum omnium cœtu, pro Deipara Virgine contra Neſtorium Orationem Panegyricam, in qua, licèt adverſarii nomen tacuerit, præſentem Epiſcopum reveritus, hæreſim tamen omnibus notam ſummo auditorum plauſu refellit. Habita eſt autem illa Oratio die feſto ſolemniore, ideoque Chriſti aut beatæ Virginis, & probabiliter die 25 Martii. Licèt dicenti Proclo magnus plauſus ab omnibus datus ſit, auſus eſt tamen Neſtorius continuò pro more populum affari, ſummaque impudentia ac impietate, Procli præcipua quoque dicta reprehendere, imò & blaſphemiæ damnare. His non contentus Neſtorius, tres iterum habuit Sermones, tribus conſequentibus poſt Paſchalia Synaxibus, quibus tres præcipuas Procli ſententias arguit, quòd Deus ſit paſſus & mortuus, quòd Deus ſit noſter Pontifex, quòd beata Virgo dici debeat Deipara.

XII. Cyrillus ſcribit Monachis Ægypti ut ſe Neſtorio opponant.

Miſerat Neſtorius per fidos homines primum ſuum tractatum de Incarnatione, cum nonnullis aliis homiliis in provincias, ad peſtem latius ſpargendam. His in Ægyptum perlatis Cyrillo Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopo neceſſitas impoſita eſt ſcribendi ad Monachos, ut obviam iret malo, quod propter nonnullorum, quorum in manus ſcripta venerant, imperitam ſimplicicitatem & credulam levitatem timeri poterat. Ita rem narrat Cyrillus Cœleſtino Papæ in parte 1 Concilii Epheſini cap. 14. Cùm exempla illius Cyrilli ad Monachos Ægyptios Epiſtolæ, Conſtantinopolim fuiſſent deportata, tanto adjumento fuerunt, ut plurimi è Magiſtratu, ejus rei cauſâ, per literas Cyrillo gratias egerint, quod Neſtorio iræ contra Cyrillum ſuſceptæ fomentum ſubminiſtravit. Quare cum in urbe Regia Ægypti quidam verſarentur, in quos Alexandrinus Epiſcopus propter infamiam vitæ ex Canonum præſcriptò animadverterat, eos Neſtorius ſubornavit, ad calumniam Cyrillo faciendam, dandoſque adversùs ipſum ſibi & Theodoſio Imperatori libellos, quibus argueretur, non Eccleſiam modò malè adminiſtrare; ſed in Ægypto etiam contra Imperatorem & Magiſtratus turbas ciere, ut videre eſt in parte 1. Concilii Epheſini cap. 12. & in Apologet. Cyrilli ad Theodoſium.

XIII. Cœleſtinus PP. Cyrillum conſulit.

Cùm Cœleſtinus accepiſſet non Conſtantinopolim ſolùm, ſed totû Orientem turbatum eſſe occaſione Sermonum Neſtorii, offenſus inde, cum aliis Epiſcopis, quorum in cœtu relationem de cunctis fieri voluerat, conſulendum ratus eſt ſuper ea re Cyrillum, an perinde ſe res haberet, atque fama jactabat. Harum Cœleſtini literarum meminit Cyrillus in Epiſtola prima ad Neſtorium. Inter hæc cùm Neſtorius ad Cœleſtinum datâ ſemel & iterum Epiſtolâ,

ipſius

Digitized by Google

ipſius animum occupare tentaſſet, S. Cyrillus veritus, ne Romano Pontifici imponeret, ipſum de illius erroribus certiorem fecit, & de iis quæ in ipſum huc uſque egerat. Epiſtola inſcripta eſt: *Beatiſſimo, Deoque dilectiſſimo Patri Cæleſtino in Domino ſalutem*. Alexandrinus Antiſtes, ſecundæ ſedis Epiſcopus, Romanum *Patrem* vocat, ob Primatûs utique reverentiam. Duo præterea in illa Epiſtola notanda veniunt. Primò, quòd teſtetur Cyrillus hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut de emergentibus ubique terrarum hæreſibus, ad Sedem Apoſtolicam referatur. *Vetus*, inquit, *Eccleſiarùm conſuetudo ſuadet, ut ejuſmodi res Sanctitati tuæ communicetur*. Secundò, quòd ait, ſe auſum non fuiſſe inconſulto Cœleſtino, & inexpectata Sedis Apoſtolicæ ſententia, ſe à Neſtorii communione ſubtrahere: *Non prius autem*, inquit, *illius communionem palamque apertèque deſerimus, quàm hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hìc ſentias præſcribere; quo liquidò nobis conſtet, communicarene nos cum illis oporteat, an verò liberè eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejuſmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat. Porrò tuæ Integritatis mens, & ſuper hac re ſententia, piiſſimis, Deoque devotiſſimis Macedoniæ Epiſcopis, necnon totius Orientis Antiſtitibus perſpicuè per literas exponi debet. Nam cupientibus illis anſam dabimus, ut omnes uno animo in una ſententia perſiſtant, rectæque fidei, quæ jam impugnatur, opem ferant.*

XIV. *Reſpondet ad Neſtorii literas.*

Cœleſtinus anno quadringenteſimo trigeſimo acceptis Neſtorii literis, & Quaternionibus apertam continentibus blaſphemiam, indignatus præterea, quòd Neſtorius Pelagianis Epiſcopis auxilium præberet, diutiùs reſponſionem diſtulit; & acceptis à Cyrillo Alexandrino literis, quibus ejus errores memorabantur, ſtatim acres ad Neſtorium literas dedit, quibus illum uti veterum hæreticorum patronum, novæque inſuper hæreſeos auctorem increpavit. Eas tamen literas non rectà ad Neſtorium perferendas voluit Cœleſtinus, ſed per Poſſidonium Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconum ad Cyrillum in Ægyptum miſit, qui illas poſteà Conſtantinopolim transmitteret.

XV. *Eum damnat in Synodo Rom.*

Eæ autem literæ datæ ſunt in Synodo Romana, quàm Cœleſtinus ſub initium menſis Auguſti celebravit, in qua lata eſt ſententia excommunicationis & depoſitionis in Neſtorium, niſi intra decimum à denuntiatione diem errores ſuos aperta & ſcripta confeſſione damnaret. Reſtituti quoque in Eccleſiæ communionem, qui propter fidem à Neſtorio ejecti fuerant; Alexandrino tandem Præſuli exequendæ ſententiæ provincia demandata. Damnati ſunt in eadem Synodo Pelagiani, ut qui ſocietate erroris cum Neſtorio jungerentur, eadem ſententia percellerentur. Denique ex Synodo ſcriptæ ſeptem Epiſtolæ à Summo Pontifice, Cyrillo ſcilicet, ut ſedis Apoſtolicæ vice in hoc negotio fungeretur; Neſtorio, ut ad pœnitentiam rediret; Clero Conſtantinopolitano, ut conſtans remaneret in Fide; Joanni Antiocheno; Rufo Theſſalonicenſi; Juvenali Jeroſolymitano; Flavio Philippenſi, ideſt, majorum ſedium Orientis Epiſcopis, ut ſtrenuè cauſam fidei agerent. Recitantur hæ literæ Part. I. Concil. Epheſ. Capp. 15, 18, 19, & 20, conſignanturque eadem temporis nota, *III Idus Auguſti Theodoſio XIII & Valentiniano III Coſſ.* ideoque pertinent ad annum quadringenteſimum trigeſimum.

XVI. *Alexandrina Synodus contra Neſtorium.*

Cyrillus acceptis Cœleſtini Papæ literis Concilium in Ægypto coegit, & quidem Alexandriæ, indeque Synodicam miſit Neſtorio, quà continebantur tria: Fidei expoſitio, duodecim Anathematiſmi ſubſcribendi, & denunciatio ſententiæ ab eodem Cœleſtino latæ, quæ refertur part. I. Conc. Epheſ. cap. 36. Legati ſunt à Synodo Epiſcopi quatuor, qui literas Cœleſtini, & Synodicam darent Neſtorio, Cleroque Conſtantinopolitano, ac Archimandritis. Ii fuere Theopemptus Cabaſorum, Daniel Darnenſium, Potamion & Macarius Epiſcopi; conſuetudo enim erat conveniendi Epiſcopos majorum ſedium, ſi quando vocandi eſſent ad judicium, per tres ſaltem Epiſcopos, ut variis exemplis probat Garnerius pag. 338.

XVII. *Aſſerit realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia.*

In ea Synodica Cyrilli & Concilii Alexandrini eſt inſignis locus, quo realis Chriſti corporis in Euchariſtia præſentia, & incruentum Miſſæ ſacrificium aſſeruntur; *Quin & illud* (inquit Cyrillus, & cum eo Patres Synodi) *non poſſum hoc loco non adjicere, nempe dum Unigeniti Filii, hoc eſt Jeſu Chriſti mortem & reſurrectionem ex mortuis annuntiamus, ejuſdemque in cœlum aſſumptionem confitemur: incruentum in Eccleſia ſacrificium nos celebrare, atque ad myſticas benedictiones accedere, eaque ratione ſanctificari, utpotè ſacræ carnis, & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrum Salvatoris participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem ſuſcipimus: abſit hoc, neque rurſum tanquam divinam inhabitationem ſortiti, aut dignitatis tantùm Verbo conſociati, ſed tanquam verè vivificam, ipſiuſque Verbi propriam*, & cetera apud Baronium anno 430. num. 55 legenda.

XVIII. *Neſtorius tertiò ſcribit ad Cœleſtinum PP.*

Antequam ſententia Cœleſtini ad Neſtorium deferretur, hic tertiam ad Cœleſtinum Epiſtolam dedit, in qua poſtquam Cyrillum perſtrinxit, indictam à Theodoſio Imperatore generalem Synodum monet, idque callidè, velut inſultans Pontifici ob declinatam ipſius ſententiam: *Pla-*

cent

cuit verò, inquit, *piiſsimis Imperatoribus, Domino adjuvante, etiam Synodum inexcuſabiliter totius Orbis terrarum indicere, propter inquiſitionem aliarum rerum Eccleſiaſticarum*, quæ vox, *inexcuſabiliter*, & ſacra Imperatoris ad Metropolitas, indicant non obſcurè, inquit Garnerius, qui primus hanc Neſtorii Epiſtolam publicavit, Synodum rogatu Neſtorii indictam, & communicatam ipſo indictionis quoque formam. Quare cum indictionis Synodi Epheſinæ decretum *XIII Kal. Decemb.* conſignetur, ea Epiſtola non multò poſt data, & quidem ante diem 30 Novembris, quo redditæ ſunt Neſtorio decretoriæ Cœleſtini literæ, in ea ſiquidem earum literarum Cœleſtini non fit mentio, utique non omittenda, ſi acceptæ à Neſtorio jam fuiſſent.

XIX. *Cœleſtini & Cyrilli literas recipit ex Synodis datas.*

Dum hæc Conſtantinopoli geruntur, eò appulerunt quatuor Epiſcopi à Synodo Alexandrina ad Neſtorium miſſi, literaſque Apoſtolicas Cœleſtini, & Synodicas Cyrilli ejus Vicarii Neſtorio dederunt, & quidem die trigeſima Novembris, ut Theopemptus Legatorum unus narravit Patribus Epheſinis Part. 1. Act. 1. *Die Dominica*, inquit, *poſt Synaxim peractam, in Epiſcopium aſcendimus, ibidemque toto præſente Clero, cunctiſque ferè Illuſtribus adſtantibus, literas, de quibus ſermo eſt, Neſtorio tradidimus: quibus acceptis conſtituit nobis, ut ſequenti die ſermonem cum eo haberemus. Abivimus ergo: at poſtero die reverſos non admiſit, neque etiam ſatisfecit literis, ſed publicè pro concione, eadem, quæ ante, & his quoque deteriora dogmata propoſuit*, nempe die ſexta Decembris, quo die Sermonem illum habuit, quem recitat Garnerius pag. 85. quemadmodum & pag. 93. alium à Neſtorio dictum, *die altera, ideſt Dominica*, ſeptima menſis Decembris die.

XX. *Anathematiſmis XII Cyrilli totidem opponit.*

Neſtorius acceptis Romanæ & Alexandrinæ Synodorum literis, confeſtim exemplum Antiochiam miſit, ad Joannem Antiochenum Epiſcopum amicum ſuum, rogans ut à doctiſſimis Epiſcopis ſui conſilii, & nominatim ab Andrea Epiſcopo Samoſateno, hoc tempore inter Orientales doctrinæ, pietatiſque fama celebri, & à Theodoreto Epiſcopo Cyrenſi ſcribendum curaret adversùs duodecim anathematiſmos Cyrilli in hujus Synodica contentos, quaſi Apollinaris, Ariive hæreſim renovarent. Illi anathematiſmi nihil aliud ſunt, quàm Patrum ſententiæ, quibus nihil continetur, quod non ubique ac ſemper omnes docuiſſent. Omnes reducuntur ad quatuor propoſitiones. Prima, quòd Dei Filius verè ſit factus homo. Secunda, quòd idem ſit, & non alius, filius Dei, qui filius hominis, atque ita Deus ex muliere natus ſit, duaſque Verbum generationes habuerit. Tertia, quòd Virgo ſit Deipara. Quarta, quòd Immortalis mortem pertulerit, & idem crucifixus, qui adorandus. Contra dictos anathematiſmos Cyrilli Andreas Samoſatenus, & Theodoretus Cyrenſis ſcripſere, ſed eorum objecta ante Paſcha anni quadringenteſimi trigeſimi primi Cyrillus diluit duplici Apologetico, altero adversùs Orientales Epiſcopos, altero adversùs Theodoretum. Uterque extat apud Garnerium pagg. 133. & 178. Sed cùm interim videret Neſtorius anathematiſmos Cyrilli, quaſi totidẽ telis ſuam doctrinam peti: duodecim & ipſe anathematiſmos condidit, ſingulos ſingulis Cyrillianis reſpondentes, qui recitantur in in Part. 1. Concil. Epheſ. Cap. 29.

XXI. *Theodoſius Synodum Epheſinam indicit.*

Antequam Neſtorio redderentur & literæ Cœleſtini Papæ ex Synodo Romana datæ, & Synodica Cyrilli, Joannes Antiochenus Epiſcopus ad ipſum miſerat literas ad ſe à Cœleſtino & à Cyrillo ſcriptas; cùmque Neſtorius ex iis intelligeret, quanta ſuo capiti impenderet tempeſtas, tentavit eam in caput Cyrilli convertere. Quare cùm ipſum apud Theodoſium, tùm impietatis in Deum, tùm criminis in Imperatorem accuſaſſet, petiit convocari generale Conciliũ, in quo judicium de reo inſtitueretur. Theodoſius, Neſtorii inſtinctu, illud Concilium indixit, atque ex univerſis Diœceſibus Epiſcopos ad diem Pentecoſtes anni quadringenteſimi trigeſimi primi Epheſum vocavit, miſſis ad Majorum Sedium Antiſtites Cœleſtinum Romanæ, Rufum Theſſalonicenſis, Cyrillum Alexandrinæ, Joannem Antiochenæ, Juvenalem Jeroſolymitanæ, Capreolum Carthaginenſis, literis. Ut autem ſingulos ſine excuſatione vel mora, cum ſuis, quos idoneos ſcirent, venire juſſit, ita vetuit, *ne ulla interim ante coactam Synodum, communemque ejuſdem, quæ de omnibus danda eſſet, ſententiam, fieret privatim à quibuſcumque innovatio*, ut legitur Part. 1. Concil. Ephes. Cap. 30. Conſulebat ſcilicet Neſtorio, quem alioquin ſententia Sedis Apoſtolicæ de ſuo ſolio erat dejectura. Datum eſt Theodoſii Edictum *Conſtantinopoli XIII. Kalend. Decemb. Theodoſio XIII & Valentiniano III. AA. CC.* ideoque anno quadringenteſimo trigeſimo.

XXII. *Sine Cœleſtini conſilio.*

Porrò Synodum indictam non eſſe conſilio Cœleſtini ex eo conſtat, quòd literæ Cœleſtini redditæ ſunt Neſtorio die tantùm trigeſima Novembris, duodecim ſcilicet diebus poſtquam Synodus indicta eſt: pugnantes enim alioquin ſententias eodem tempore habuiſſet Cœleſtinus; cùm hinc damnationis ſententiam definitivam ferret in Neſtorium, & executores ſententiæ mitteret; inde cauſam Concilio permitteret. Parte alia Neſtorius ipſe petitam à ſe Synodum fatetur; unde & Synodi petitor à Cœleſtino dicitur, & Legatis Sedis Apoſtolicæ:

Digitized by Google

SÆC. V. S. CÆLESTINUS.

ſtolicæ: & ipſe Philippus Presbyter ex Legatis Apoſtolicis unus, ſtudioſiſsimus in primis Pontificiæ dignitatis aſſertor, non à Cœleſtino, ſed ab Imperatoribus indictum Concilium teſtatus eſt, ac eo tempore congregatum, quo ſententia Pontificis in Neſtorium lata mandanda erat executioni; & executionem Cyrillo, non Oecumenicæ Synodo, Cœleſtinus commiſit, ut ex literis Neſtorii ac Cœleſtini, & ex Actis Concilii apertè conſtat. Ex quibus ruit ſententia Petri de Marca, qui lib. 4. de Concordia cap. 4. num. 1. ait, videri Neſtorium ad Imperatorem appellaſse, ab eoque reſcriptum obtinuiſſe, quo tàm Romanæ, quàm Alexandrinæ Synodi ſententia vel ſuſpenderetur, vel antiquaretur omninò, ruit, inquam, illa opinio, quia fundatur in eo quòd Marca ſupponit prius ſignificatam fuiſse Neſtorio utriuſque Synodi ſententiam, quam vel quereretur apud Imperatorem, vel Concilium ipſius rogatu indiceretur, quod repugnat tùm Sacræ Theodoſii, tum auctoritati Marii Mercatoris, tum ipſi Neſtorio. Unde cùm ſententia Sedis Apoſtolicæ denunciata non fuerit, niſi poſt Synodum indictam, quod Marcam fugiebat, præventa potius videri debet, quàm Edicto ſuſpenſa, ſi propriè loqui velimus.

XXIII. Ad eam Legati ex Synodo Rom. mittuntur.

Cùm Cœleſtinus anno quadringenteſimo trigeſimo primo Sacram Imperatoris accepiſset, Romam evocavit Occidentales Epiſcopos initio menſis Maii, hique *illic congregati*, ut ajunt Patres Epheſini Concilii in Relatione ad Imperatores, & rectam de fide ſententiam magno conſenſu prædicarunt, eoſque, qui diversa ſentirent, alienos eſſe penitùs ſacerdotio, & Clero, & gradu definierunt. In ea Synodo Romana delecti Legati, qui in Epheſina Cœleſtini præſentiam ſupplerent, Arcadius & Projectus Epiſcopi, ac Philippus Presbyter Romanus. Illis Legatis Cœleſtinus mandata ſeu inſtructiones dedit, quæ licèt non extant; Baronius tamen ex Epiſtola Cœleſtini ad Synodum Epheſinam colligit, ſic à Cœleſtino, Romanaque Synodo miſſos eſſe Legatos in Orientem, ut non redditis irritis, quæ ab eodem Pontifice adversùs Neſtorium decreta erant, cauſa ejuſdem novo ſubjaceret examini; ſed potius ut ſententiæ in Neſtorium à Cœleſtino latæ iidem eſſent executores. Quod ſanè confidentius aſſeruiſſet Baronius, ſi Commonitorium Cœleſtini à Baluzio ex duobus codicibus MSS. altero Colbertino, altero Vaticano erutum vidiſſet; ex eo enim manifeſtè conſtat Legatos Apoſtolicæ Sedis ad Synodum Epheſinam miſſos, ut exequerentur, quæ à Cœleſtino jam ſtatuta fuerant quoad res Neſtorii, & decretis Concilii pondus Apoſtolicæ auctoritatis adderent. Illud Commonitorium dicitur datum *die VIII Iduum Majarum Baſſo & Anthioco Conſulibus*, ideoque anno quadringenteſimo trigeſimo primo.

XXIV. Epheſina Synodus inchoatur.

Licèt terminum Synodo Epheſinæ à piiſsimis Imperatoribus poſitum fuiſſe ſacram Pentecoſtes diem, ideoque diem ſeptimam menſis Junii conſtet tum ex Epiſtola ipſius Synodi ad Cœleſtinum, tum ex Epiſtola Cyrilli ad quoſdam de Clero Conſtantinopolitano, quæ extat Tomo 3 Conciliorum pag. 562. Patres tamen Concilii in Epiſtola ad Imperatores pag. 570. ajunt: *Vigeſimo ſecundo die menſis Junii ſecundùm Romanos congregati ſumus*. Joannes Antiochenus Epiſcopus, qui de induſtriâ per viam trahebat moram cum Orientalibus, hujus dilationis cauſa fuit; ſcripſit tamen Cyrillo per Epiſcopos duos, cum abeſſet tantùm itinere quinque aut ſex dierum, qui non ſemel teſtati ſunt, ſibi datum in mandatis à Joanne, ne ſacra Synodus prorogaretur, ſi ipſum tardari amplius contingeret. Quare cum diebus ſexdecim fruſtra expectatus fuiſſet, Synodus inchoata eſt, ſtatimque diviſa in duas communiones; minor Neſtorio, major & ſanior pars Cyrillo adhæſit, præſertim Memnon Epheſinus Epiſcopus.

XXV. Ei præfuit S. Cyrillus nomine S. Cœleſtini.

Sed antequam hæc proſequamur, de Præſide & numero Patrum Synodi hìc paucis agendum. Joannes Launojus Doctor Pariſienſis negat Cyrillum vices Cœleſtini Papæ in Concilio tenuiſſe, ſed, ut notat Baluzius in Notis ad Marium Mercatorem pag. 488. nullus tergiverſationi locus eſſe poteſt, cùm in monumentis, *quæ geſta ſunt in Epheſo ſub præſentia eorum, qui de Roma venerunt, Epiſcoporum atque Presbyterorum*, de Cyrillo dicatur, *regente etiam locum Sanctiſſimi & Beatiſsimi Archiepiſcopi Romanorum Eccleſiæ Cœleſtini*. Adfuit igitur Cyrillus & tanquam Epiſcopus Alexandrinus, & tanquam Vicarius Cœleſtini, ſicut paulò poſt Flavianus Episcopus Philippenſis interfuit, & ſuo, ac Rufi Theſſalonicenſis nomine. Certè Cyrillus in Actis Concilii hoc titulo ubique exornatur, etiam poſt adventum Legatorum Romanæ ſedis, ut patet ex Actione IV, ubi Legati Romani ſtatim poſt Cyrillum ante reliquos omnes Epiſcopos nominantur. Imò & ante adventum Legatorum, vice Cœleſtini præfuerat, ut liquet ex Actione prima: *Conſidentibus in ſanctiſſima Eccleſia, quæ appellatur Maria, religioſiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis, Cyrillo Alexandriæ, qui & Cœleſtini quoque ſanctiſſimi ſacratiſſimique Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi locum obtinebat, & Juvenali Hieroſolymorum*, &c. neque injuriâ, cùm ei à Cœleſtino Sedis Apoſtolicæ auctoritas delegata eſſet ad executionem ſententiæ contra Neſtorium in Romana Synodo latæ, de quo negotio agebatur in Concilio Epheſino.

XXVI. Numerus Patrum Synodi

De numero Epiſcoporum, qui Synodo adfuere, Veteres non conſentiunt, ſed Ba-

Digitized by Google

SÆC. V. S. CÆLESTINUS.

Baluzius citatus rectè aſſerit illam opinionem videri veriorem, quæ ducentos aut circiter fuiſſe docet, id enim legitur in Collectione Creſconiana, in qua *nominantur, & numerantur Epiſcopi, qui Ephesinæ Synodo interfuerunt, centum nonaginta*, & idem numerus reperitur in Græco Codice Bibliothecæ Regiænum. 206. Standum itaque, ùt rectè Baronius, teſtimoniis Cyrilli & Epiſcoporum Synodi Epeſinæ, quæ manifeſtè docent Epiſcopos, qui huic Synodo interfuere, non fuiſſe ultra ducentos octodecim.

XXVII. *In Actione prima Neſtorius deponitur.*

In prima Actione Concilii, quæ die vigeſima ſecunda menſis Junii celebrata eſt, feriâ ſecundâ, lectis omnibus inſtrumentis, & inter ea, Neſtorii Epiſtolâ ad Cyrillum, quæ incipit, *Admirabilium literarum tuarum contumelias, &c.* quæ unanimi Patrum calculo explosa eſt, ob eamque Neſtorius anathemathe confixus, tanquam hæreticus; lectâ inſuper Cœleſtini Pontificis ad Neſtorium Epiſtolâ & Synodicâ Cyrilli ad Neſtorium, illi per Theopemptum, Danielem, Potamionem & Macarium Epiſcopos traditis: exceptis ſubinde illorum teſtimoniis, quibus aſſeruerunt Neſtorium non ſatisfeciſse, neque Cœleſtini, neque Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ literis, ſed publicè pro concione eadem quæ ante, & his deteriora dogmata propoſuiſſe: lata eſt in Neſtorium, hæreſeos nefariæ convictum reum & auctorem, exauctorationis & excommunicationis ſententia, in qua maximè notandum quòd Synodus ad eam ferendam *coactam* ſe dicit *per Sacros canones, & Epiſtolam Sanctiſſimi Patris, & Comminiſtri Cœleſtini, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi.* Hæc ſententia poſtridie, nempe die vigeſimâ tertiâ menſis Junii Neſtorio ſignificata eſt.

XXVIII. *Joannes Antiochenus Conciliabulum celebrat.*

Joannes Antiochenus Epiſcopus, quinto die à lata in Neſtorium ſententiâ advenit, die ſabbati, ideoque die vigeſima ſeptima Junii, eademque die ſuum Conciliabulum egit, &, ut habet Relatio quintæ Actionis ad Cœleſtinum Papam, *Joannes ſimul atque Ephesum ingreſſus eſt, antequam pulverem ex itinere contractum excuſſiſſet, antequam ſe veſte exuiſſet, rem auſus eſt impiam. Etenim privatum ſcriptum quoddam confecit, depoſitioniſque nomen & contumeliam impegit Sanctiſſimo Cyrillo & pientiſſimo Memnoni. Excommunicationis nomine etiam univerſæ Synodo contumeliam fecit.* Inſuper *hæc ſcripto etiam publico mandata depoſuit legenda quibuslibet; Theatri parietibus affigens, ut ſuæ impietatis ſpectaculum exhiberet.*

XXIX. *Tentat impedire ne Cyrillus Miſſam celebret.*

Tum, ut legere eſt in cap. XII Synodici Tragediæ adversùs Irenæum, Joannes Antiochenus præſente ſua Synodo, ac Candidiano Comite, qui ab Imperatore ad Concilium miſſus fuerat, ut ordinem ſervari curaret, dixit Cyrillum, alioſque Epiſcopos, in quos ſententiam tulerat, velle *Miſſarum celebrare collectam*, ſeque rogare magnificentiam ejus, ut ad eos tranſiret & conteſtaretur, *ne calcarent Eccleſiaſticas Sanctiones, & pia decreta, neque collectam celebrarent viri, quorum juſtè quidem quidam depoſiti, alii verò communione privati ſunt propter hæreticam veſaniam, & inexplicabiles tumultus illicitos, plarumque Sanctionum contemptum.* Candidianus hæc poſteà retulit ad Synodum: *Ego in ipſo ſabbato ad veſperam rogavi, & ſequenti die valde diluculò vadens ad Reverendiſſimum Epiſcopum Cyrillum, id eſt Dominico die* (ideoque 28 menſis Junii) *non ceſſavi rogare atque precari, ut meæ poſtulationi concederet. Illi verò non acquieſcentes exierunt, collectamque fecerunt. Contra quos contendere ultra non valui.* Liquet autem ex Actis Synodalibus Joannem audita Candidiani relatione, concluſiſſe Cyrillum cum ſuis denuo prævaricatum eſſe, deliquiſſe in quartum canonem Antiochenum, & minatum eſſe ſe ſe ad Principes relaturum.

XXX. *Theodoſius reſcindit geſta in prima Actione.*

Statim poſt primam Synodi Actionem Candidianus Neſtorio favens retulerat ad Imperatorem de geſtis in Concilio; retulerat & Neſtorius, ſed ita mendaciter, ut animum Theodoſii, jam in Neſtorium pronum, & à Cyrillo averſum in totam Synodum commoverint. Candidiani relatione Conſtantinopoli lectâ, Theodoſius reſcripſit continuò per Palladium Magiſtrianum, juſſitque omnia reſcindi, tanquam vitio geſta, & communi ſententia examinari dogmata, ut tantò facilius omnes conſentirent; nec ulli faciendi poteſtatem exeundi Epheſo, ſive in patriam, ſive ad comitatum, priuſquam omnia ritè abſoluta eſſent, quò foret neceſſitas rei maturandæ. Synodus queſta eſt, Candidiani artibus factum hactenus, ut veritas lateret Imperatori, petiitque ab eo acerſiri, & unà quinque Epiſcopos, qui coram exponerent, quid rerum ab utraque parte, & qua ratione geſtum eſſet.

XXXI. *Actiones II. III. & IV. Synodi.*

Interim die decima Julii Arcadius & Projectus Epiſcopi & Philippus Preſbyter Cœleſtini Pontificis Legati Epheſum appulere, & excepti ſunt à Concilio, celebrataque eodem die Actio ſecunda Synodi Oecumenicæ, in qua lectæ ritu ſolemni Cœleſtini literæ, ipſi à Patribus acclamatum: *Novo Paulo Cœleſtino cuſtodi fidei, Cœleſtino cum Synodo concordi: Cœleſtino univerſa Synodus gratias agit.* Poſtridie habita Actio tertia, in qua lecta quæ ante geſta fuerant in depoſitione Neſtorii; & dicta in eundem Neſtorium à tribus Legatis ſigillatim ſententia; poſteà relatum à Synodo ad Imperatorem de Legatorum adventu, & utriuſque Eccleſiæ conſenſu in damnatione Neſtorii; at tandem poſtulata diſcedendi facultas

cultas

Digitized by Google

cultas quaſi omnia peracta eſſent. Actio quarta celebrata eſt die decima ſexta Julii, in qua oblatus à Cyrillo & Memnone libellus, quo apud ſanctam Synodum expoſtularunt de injuria ſibi ab Orientalibus facta, petieruntque vocari Joannem Antiochenum, qui cùm non compareret, pronunciatum à Patribus irrita eſſe, quæ Joannis Synodus feciſſet adversùs Cyrillum & Memnonem; decretumque, ut hac de re ſcriberetur Imperatori, ac tertiò citaretur Joannes, priuſquam jure in ipſum ageretur.

XXXII. *Reliquæ Synodi Actiones.*

Actio quinta habita eſt die decimâ ſeptimâ menſis Julii, & Joannes tertiò vocatus, qui cùm renuiſſet Legatos Epiſcopos per ſe audire, Synodus latâ in eum, ejuſque Epiſcopos excommunicationis ſententiâ, ſtatuit iterum irrita eſſe, quæ adversùs Cyrillum, aliosque geſta eſſent. Interim Joannes tentavit occupare literis Imperatoris animum, ab eoque petiit Synodum vocari, aut Conſtantinopolim, aut certè Nicomediam, unde citiùs nuncii perferrentur in urbem Regiam. Irenæus Comes, quem Joannes ad Imperatorem miſerat, Conſtantinopolim venit, & procuravit damnationem Cyrilli in Eccleſia publicari. Verùm adveniente Joanne Medico & Syncello Cyrilli, Aula in duas partes ſciſſa eſt. Vicit ſententia de mittendo è Primoribus aliquo, qui tres eſſe depoſitos nomine Theodoſii juberet, Cyrillum, Memnonem, & Neſtorium, omneſque in unam Synodum cogeret. Miſſus igitur Joannes Comes Sacrarum, cum literis Imperatoris ad omnes utriuſque partis Epiſcopos nominatim inſcriptis, ut coitionis in unam Synodum initium darent. Ex relatione ad Cœleſtinum facta, conſtat Pelagianorum depoſitionem ab ipſo decretam Epheſinos patres confirmaſſe in hac actione quinta. Die vigeſima Julii celebrata ſexta Actio, in qua damnatum Symbolum Theodori. Die denique ultima Julii coacta ſeptima Actio.

XXXIII. *Legati Synodi, & Schiſmaticorum Conſtantinopolim evocantur.*

Interim Joaannes Sacrarum Comes Epheſum advenit, & Epiſcopos ambarum partium ad ſuum diverſorium vocavit. Adfuerunt Joannes Antiochenus & Neſtorius cum ſuis; adfuit & Cyrillus cum aliis Epiſcopis, ortaque eſt altercatio, aliis negantibus Neſtorium intereſſe debere, aliis contra contendentibus, & Cyrillum rejicientibus. Comes Neſtorium & Cyrillum in cuſtodiam tradidit, monuitque Imperatorem, Episcoporum animos irreconciliabiles eſſe. In his rerum anguſtiis jubet Imperator Neſtorium à Concilio recedere, & ex utraque parte Legatos ad Regiam urbem venire. Suos Legatos elegit ſacra Synodus, ſuoſque Orientalis factio, qui ultimi ſuis ad ſocios literis ſe Calchedone fuiſſe die quarta Septembris teſtantur. Imperator Legatos Schiſmaticorum in villa Rufiniana quinquies audivit, & quidem ſatis benevolè in ſpeciem, ſed juſſit Legatis Synodi Catholicæ ſe ſe comitari, ut Epiſcopum Conſtantinopoli ordinarent, Orientalibus interim Calchedone relictis. Hi tandem poſt acceptam abeundi poteſtatem, miſerunt ſuis Epheſum, deploratam eſſe Neſtorii cauſam, & Cyrillianos tyrannide, adulatione & donis omnes decepiſſe. Quid à ſuis Legatis Oecumenica Synodus acceperit, Acta non referunt, ſed tantùm Cyrillum die trigeſima menſis Octobris Alexandriam appuliſſe, & à ſuis quaſi triumphantis exercitûs ductorem acceptum eſſe. Hæc ſumma rerum poſt ſeptimam Actionem geſtarum.

XXXIV. *Maximianus fit Epiſcopus CP. & Synodum celebrat.*

Epiſcopi à Synodo Oecumenica ad Theodoſium Imperatorem miſſi Conſtantinopolim pervenientes, die vigeſimaquintâ Menſis Octobris, quadrimeſtri ſpatio poſt Neſtorii abdicationem elapſo, Maximianum ex Monacho Presbyterum, non quidem excultiſſimum literis, ſed probatæ fidei ac pietatis virum Conſtantinopolitanum Epiſcopum ordinarunt. Neſtorius in ſuum Sancti Euprepii Monaſterium ante portas Antiochiæ ſitum à Theodoſio amandatus eſt; unde poſtea ad alia loca deportatus, ejuſque libri jubente Theodoſio combuſti, ut legere eſt in Annalibus Baronii, & in eorum Critica. Maximianus ſtatim ab ordinatione ſua in Synodo Conſtantinopolitana literas de more dedit ad primas Sedes, atque etiam ad Epiſcopos Veteris Epiri, quos Schiſmatici fallere tentabant, proinde ac ii Sanctæ Synodi communione fruerentur, quamvis à priſtina ſententia non receſſiſſent. Synodus Epheſina in Epiſtola, quam ad omnes orbis Eccleſias miſit, enumerat Epiſcopos à ſe gradu, vel Chriſtiana communione privatos, & inter eos meminit Joannis Antiocheni Patriarchæ, Dorothei Metropolitani Epiſcopi, Helladii Tarſenſis, Himerii Nicomedienſis, & Eutherii Thyanenſis. Horum verò, quia à Synodo Epheſina depoſitorum, ob ſingularem eorum contumaciam, depoſitio, in hac Maximiani Synodo Conſtantinopolitana, confirmata. Hoc decretum retulit Synodus ad Cœleſtinum, ut ab eo confirmaretur, & Maximianus ex ea Synodo ad eundem Cœleſtinum Synodicas miſit.

XXXV. *Cœleſtinus reſtringit decretum Synodi Epheſinæ adverſus Neſtorianos Epiſc.*

Verùm Cœleſtinus, die decimaquintâ Martii anni quadringenteſimi trigeſimi ſecundi, reſpondens ad Synodicas Maximiani, & ad Relationem Synodi Epheſinæ de ejus meritis ac virtutibus, decretum illud quoad omnes ſuas partes confirmandum non judicavit. Cenſuit enim omnes Neſtorii aſſeclas, & Epheſi damnatos Epiſcopos, à ſuis ſedibus non extrudendos, nec

eiſdem omnem ſpem veniæ & reſtitutionis præcidendam. Quare exiſtimavit decretum iſtud nimis durum, ac contrarium antiquo Canoni, olim S. Athanaſii ſuaſu à Romana Eccleſia edito, quo ſolis Hæreſiarchis, licèt pœnitentibus, tollebatur ſpes priſtini gradûs recuperandi. Hunc Canonem quoad Neſtorianos Cœleſtinus obſervari voluit, & quidem cum alia extenſione, illorum nempe reſpectu, *quos propriè cum auctoribus hæreſis conſtat omnium fratrum ſubſcriptione damnatos*. Deinde affirmat Pontifex non tantùm à Romana Eccleſia hanc clementiam inductam; ſed etiam per Imperiales leges ſtabilitam, ideoque non poſſe non adhiberi: redituros è Neſtorii hæreſi Epiſcopos, debere ipſum cum ſuo dogmate anathematizare, atque ita Eccleſiis ſuis reddi; hanc profeſſionem exigi & præſtari debere etiam ab Epiſcopis, qui Principi obrepſerant, & qui per ſæcularem auctoritatem Eccleſias ſuas receperant. Ubi loquitur Cœleſtinus de Joanne Antiocheno, aliiſque apud Epheſum damnatis Epiſcopis, quos ad propria dimittens Theodoſius, orthodoxos & innoxios judicarat. Hos enim Cœleſtinus ad iſtam profeſſionem compelli mandat. Denique eamdem clementiam erga Joannem Antiochenum adhibendam jubet, licèt factionis caput, & omnium ſuffragiis damnatum, quia nempe non propter hæreſim, ſed propter tumultum ac contumaciam damnatus fuerat.

XXXVI. *Semipelagianiſmi initia.* Semipelagianiſmi initia referuntur ad annum quadringenteſimum vigeſimum octavum; cùm eo anno S. Auguſtinus ſcripſerit Epiſtolam 217, aliàs 107 ad Vitalem Carthaginenſem datam. In ea Auguſtinus, ſciens Vitalem virum Eruditum docere initium fidei non eſſe donum Dei, fortiter reclamavit, aitque: *Illi* (nempe Pelagiani) *omnia ad fidelem piamque vitam hominum pertinentia ita tribuunt libero arbitrio, ut habenda ex nobis, non à Domino putent eſſe poſcenda: tu autem, ſi ea, quæ de te audio, vera ſunt, initium fidei, ubi eſt etiam initium bonæ, hoc eſt, piæ voluntatis, non vis donum eſſe Dei, ſed ex nobis nos habere contendis, ut credere incipiamus: Cetera autem religioſæ vitæ bona Deum per gratiam ſuam jam ex fide petentibus, quærentibus, pulſantibus donare conſentis.* Vitalem ex precibus Eccleſiæ confutat Auguſtinus, ac duodecim regulas proponit ad fidem Eccleſiæ pertinentes circa quæſtionem de gratia Dei.

XXXVII. *Cœleſtinus Semipelagianos comprimit.* Cùm Semipelagianorum factio quæ in Africa ortum habuit, in Galliis augeretur, Proſper Aquitanus Presbyter, S. Leonis Papæ poſtea Notarius, & Hilarius vir Laicus, qui Auguſtini doctrinam defendendam ſuſceperant, Romam ad Cœleſtinum Papam profecti, obtinuerunt anno circiter quadringenteſimo trigeſimo ſecundo Epiſtolam ad Galliæ Epiſcopos datam, in qua eoſdem acriùs increpuit, quòd tantam licentiam Presbyteris darent, *ut indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium pertinaciter* prædicent *adverſantia veritati*. Eâdem Epiſtolâ, S. Auguſtini nomini obſtrepentes reprimit, huncque debitis exornat laudibus. Extat ea Tom. II Concil. ſed ſine die & Conſule; cùm tamen in ea ſermo ſit Auguſtini tanquam mortui, hæc Epiſtola vel anno 431, vel inſequenti ſcripta.

XXXVIII. *Non eſt Auctor Capitulorum de gratia.* Huic Epiſtolæ in pleriſque codicibus ſubjiciuntur *præteritorum Sedis Apoſtolicæ Epiſcoporum auctoritates de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio*: ſed hæc jure meritò diſtinguuntur ab Epiſtola Cœleſtini in editione Labbeana. Nam decem illorum capitulorum ſtylus planè diverſus eſt à ſtylo Epiſtolæ. Sirmondus Tom. I. Concil. Gall. ea capitula Cœleſtino abjudicat, ſed certum illorum Auctorem proferre non audet. Queſnellus Tom. II. Oper. S. Leonis M. diſſert. 3. divum Leonem M. verum horum parentem eſſe exiſtimat. Verùm Cardinalis Noriſius in Vindiciis Auguſtinianis Cap. 8. putat ea capitula eſſe Proſperi Aquitani; & Antelmius in diſſert. de Veris Operibus SS. Leonis M. & Proſperi Aquitani Queſnelli opinionem evertit, & ex vocibus & locutionibus, quibus Proſper uti ſolet, cum verbis hujus Indiculi minutatim collatis oſtendit, unum eundemque Proſperum in Præfatione ad objectiones Vincentii Lerinenſis, indicare ſe ex Sedis Apoſtolicæ mandato capitula illa compoſuiſſe. De Semipelagianorum damnatione agetur ſub Bonifacio ſecundo. De eorum erroribus legendus Natalis Alexander Sæculo V.

XXXIX. *Scribit ad Viennenſem & Arelatenſem Epiſcopum.* Cœleſtinus Epiſtolâ ſecundâ ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis & Narbonenſis, plura ſtatuit. Primò, reprehendit Clericos qui in veſtitu novum uſum induxerant, incedentes amicti pallio & lumbos præcincti, quos jubet, illum, quem a majoribus accepiſſent, habitum retinere, quòd præſtaret moribus magis, quàm indumentis Sacerdotalem præ ſe ferre decorem. Secundò, prohibet ne pœnitentia morientibus denegetur: *horremus*, inquit, *fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem, pondere quo ſe expediri deſiderat, liberare*, &c. Tertiò, vult per gradus Eccleſiaſticos promovendos eſſe Epiſcopos, non ex laicis aſſumendos, neque criminoſos. Quartò decernit ut unaquæque provincia ſuo eſſet contenta Metropolitano, Bonifacii Conſtitutionem confirmans circa Narbonenſem & Arelatenſem Eccleſiam. Quintò, vetat nullum inviti

invitis Epicopum dari, & abſque Cleri, plebiſque conſenſu conſecrari. Vacantis Eccleſiæ Clericos, extraneis, ut in ſacris electionibus, anteponi; nullum digamum, nullum viduæ maritum ordinari præcipit, factaſque hujuſmodi perſonarum ordinationes illegitimas pronunciat. Tandem Maſſilienſis Epiſcopi, qui unius é ſuis Coepiſcopis interfectori gratulatus fuiſſe dicebatur, interfectori gratulatus fuiſſe dicebatur, cauſam Gallicanis Epiſcopis provinciarum Vienenſis & Narbonenſis, judicandam delegat.

XL. *Novatianum Epiſc. Roma pellit.* Non ſolùm Pelagianos Italiâ, ſed etiam Novatianorum Epiſcopum, Româ expulit. Socrates enim qui lib. 7 cap. 9. dixerat Innocentium Novatianos Romæ degentes perſequi cœpiſſe, multaſque eis Eccleſias ademiſſe, poſtea cap. 11. ejuſdem libri ſcribit: *Huic* (nempè Bonifacio) *ſucceſſit Cæleſtinus. Et hic quoque Novatianis Eccleſias quas Romæ habebant, ademit, & Ruſticulam eorum Epiſcopum clàm in privatis ædibus plebem colligere compulit.*

XLI. *Ejus Conſtitutum de Pſalmis Davidicis.* Cœleſtinus, ſi libri Pontificalis Auctori fides ſit, *conſtituit, ut* 150 *Pſalmi David ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim, quod ante non fiebat, niſi tantùm recitabantur Epiſtolæ Pauli Apoſtoli, & Sanctum Evangelium, & ſic Miſſæ fiebant.* Ad quæ verba Schelſtratius hæc obſervat. Lucas Holſtenius notat in margine, *ante Canonem. Romualdus intelligit introitum Miſſæ.* In quo tamen nunquam 150 Pſalmi cantati ſunt, ſed pars unius Pſalmi tantùm. Unde hunc locum de matutinis quis rectiùs intelligere poſſet, in quibus per anni circulum omnes ferè pſalmi David antiphonatim canuntur. Deſumpſit Author hæc verba ex ſecundo catalogo, à quo non nihil differt catalogus Palatino-Vaticanus, in quo legitur ut Antiphona ante ſacrificium caneretur: quo loco aliqua verba deſiderantur. Neque introitus ex Pſalmis Davidicis antiphonatim olim canebatur à Clero in Eccleſiis; ſed matutinum, inſtituente id Cœleſtino, ut ex libro Pontificali colligitur.

XLII. *Ejus obitus.* Tandem Cœleſtinus, tot pro Eccleſiæ bono præclarè geſtis, poſtquam ſediſſet annos novem, menſes decem & dies novem, anno quadringenteſimo trigeſimo ſecundo ad Deum migravit die decima octava, aut decima nona menſis Julii: nam quædam exemplaria MSS. Anaſtaſii Thuanea, Ordericus lib. 2. Abbo Floriacenſis, Luitprandus, Proſper, variique catalogi habent eum ſediſſe annos novem & menſes decem; dies verò novem inſuper habenrur tam in Anaſtaſio vulgato, quàm MS. Colbertino, pluribuſque Catalogis.

S. SIXTUS III. *Pontif. XLVI.*

Anno Domini CCCCXXXII.

I. *Sixtus III. ſuccedit Cæleſtino.* SIxtus hujus nominis III, Romanus, ex patre Sixto, poſt quinque, aut ad ſummum ſex dierum ſedis vacationem, ad culmen Apoſtolicum evectus eſt die vigeſimaquartâ menſis Julii, quæ anno quadringenteſimo trigeſimo ſecundo Dominicalis erat. Hic eſt ille Sixtus Presbyter Romanæ Eccleſiæ, qui anno quadringenteſimo decimo octavo, primus omnium adversùs Pelagium & Cæleſtium anathema pronuntiaverat ſedente Zoſimo Papa; idque S. Auguſtinus ea de cauſa ab eo factum affirmat, quod Pelagiani ſparſiſſent calumniam, Sixtum favere Pelagianis, jactantes habere ſe Sixtum amicum atque patronum: ad quam quidem diluendam calumniam, Sixtus magnis ſumptis ſpiritibus ad debellandam eam hæreſim cum Auctoribus atque ſectariis inſurrexit. Hæc conſtant ex Auguſtini ad ipſum Sixtum epiſtolis 104, & 105. ſecundùm veterem ordinem.

II. *Scribit ad Neſtorium & Orientis Epiſc. pro pace.* Ubi Sixtus dictus eſt Pontifex nihil prætermiſit, ut Neſtorium ad ſuæ hæreſeos damnationem perduceret. Gennadius enim lib. de Scriptor. Eccleſiaſt. cap. 54. inquit: *Similiter etiam Sixtus ſucceſſor Cæleſtini pro eadem re, & ad ipſum Neſtorium, & ad Orientis Epiſcopos adversùs errorem ejus ſuccidendum ſententias direxit.* Unde ipſemet Sixtus in literis ad Joannem Antiochenum anno quadringenteſimo trigeſimo tertio datis, à Baronio ibidem recitatis, ſcribit: *Credo ad dilectionem tuam rerum curſus & ordo pervenerit, qualiter ei* [ſcilicet Neſtorio] *voluimus noſtra admonitione ſuccurrere, retinuimus eum in præceps euntem, qui erat blaſphemiarum pondere in profunda mergendus.*

III. *Gaudet de pace inter Cyrillum & Joannem Antioch.* Cùm, circa finem anni quadringenteſimi trigeſimi ſecundi, pax compoſita eſſet inter Cyrillum Alexandrinum & Joannem Antiochenum, hic ad Sixtum Papam ſcripſit, Synodicaſque literas dedit ex Synodo Antiochena, in qua Joannes aſſenſus eſt damnationi Neſtorii, & Maximiani in Epiſcopum Conſtantinopolitanum ordinationi. Præter illas literas Synodicas Sixto, Cyrillo & Maximiano inſcriptas, Joannes & Cyrillus ſuis ſinguli literis ad Sixtum retulerunt. Joannis Antiocheni ad Sixtum relatio

Digitized by Google

latio periit, ſed indicatur in reſcripto ejuſdem Sixti ad eundem Joannem dato, in quo affirmat eam fuiſſe ſolemniter lectam in Synodo, quam ejus Natali die congregarat. Multùm de hac pace gaviſus eſt Sixtus, ut ex ejus ad Joannem & ad Cyrillum literis conſtat.

IV. Metropolitæ duo ad Sixtum appellant.

Helladius Tarſenſis & Eutherius Thyanenſis Metropolitæ, poſtquam viderunt, non ſolùm ſe ſe à pace excluſos, ſed etiam depoſitionem ab Epheſina Synodo factam, & à Conſtantinopolitana Maximiani confirmatam, probari etiam & admitti à Joanne Patriarcha, nihilque ſibi nunc ſupereſſe præter exilium, Theodoſio Imperatore pacem initam omnibus modis tuente, & adverſariis manum præſidiariam prebente, appellarunt ad Sixtum Romanum Pontificem, non ſolùm adverſùs pacem, ſed etiam adverſùs omnia Epheſini Concilii Acta. Quod nos docet Epiſtola ejuſdem Eutherii Thyanenſis Alexandro Hieropolitano & Theodoreto Cyrenſi data, quæ legitur Cap. 116 Synodici adverſùs Tragædiam Irenæi, ex qua et deducitur hanc appellationem interjectam, ante datam initæ paci à Sixto confirmationem. Eutherius autem & Helladius Tarſenſis Alexandrum & Theodoretum rogant, ut hanc communem appellationis formulam, cui ideo adhæreant alii quam plures Epiſcopi, Romam tranſmittant, quod & factum eſſe manifeſtè declarat alia Eutherii & Helladii Epiſtola ad Sixtum Papam ſcripta, quæ etiam legitur cap. 117 ejuſdem Synodici.

V. Appellationis hujus fundamenta.

In hac ad Sixtum Epiſtolâ Eutherius & Helladius varia in medium adducunt adverſùs Cyrillum, ac ejus capitula, quæ dicunt blaſpemam vocum novitatem continere; Cyrillum juſſiſſe ea ſubſcribi à Neſtorio, alioquin deponendo; Neſtorium hæreticis dolis conſentire noluiſſe; & ob id ſolùm ab Epheſina Synodo damnatum, & quidem ante multorum, qui expectabantur, Epiſcoporum adventum, atque ita ſinè Synodo. Varia etiam in medium adducunt adverſùs Joannem Antiochenum, præſertim, quòd, quæ juſte egerat, poſteà retractarit, ac lapſus ſit in manifeſtam prævaricationem, Cyrillum ſinè pœnitentia, ac anathemate ſuorum capitulorum in communionem admittens. Contra Epheſinam Synodum plura etiam afferunt, præſertim quòd Cyrillum, qui reus erat, in Præſidem admiſerit, Neſtorium ſine debito examine, ac ante convocatorum Epiſcoporum adventum damnarit; quòd promiſſionibus, minis, & fraudibus, ut ſententiæ in Neſtorium ſubſcriberent, adduxerit: quòd Epiſcopos, qui recuſabant, etiam damnarit, & alios ſuperordinaverit. Denique appellantes non detrectant damnare Neſtorium, ſed volunt judiciali ordine & juxta Sacros Canones id fieri.

VI. Plures alii ei adhærent.

Rogamus, inquiunt, *& Sanctis tuæ Religioſitatis provolvimur pedibus, ut manum porrigas ſalutarem, & auferas mundi naufragium, omniumque horum inquiſitionem jubeas fieri, & his illicitis cœleſtem ſuperduci correctionem. Ut revocentur quidem S. Paſtores, qui injuſtè ſunt à ſuis ovibus effugati, & reddatur gregibus ordo, & antiqua concordia.* Rogant ſe ac alios, aut ejectos, aut dejectos Epiſcopos, in integrum reſtitui, per Papam omnia retractari, ac etiam definiri. Tum pergunt: *Olim quidem concurriſſemus nos ad Sanctitatem tuam, qui è diverſis regionibus ſumus, id eſt ex Euphrateſia, ex utraque Cilicia, ſecunda Cappadocia, Bithynia, Theſſalia, & Mæſia, niſi detineret nos luporum terror, inſidiantibus gregibus ad rapinam, & ad errorem, omnemque adverſitatem. Unde coacti ſumus noſtra vice dirigere religioſiſſimos Clericos & Monachos, qui impleant locum noſtrum.* Ex quibus patet diverſarum provinciarum Epiſcopos huic appellationi adhæſiſſe.

VII. Orientalium ad Papam appellationes antiquiſſimæ.

Quid poſt eam appellationem interpoſitam fecerit Sixtus, neque in laudato Synodico, neque alibi legimus. Lupus quidem in Notis ad caput 117 Synodici autumat, Pontificem eam admiſiſſe, & ante datas Cyrillo & Joanni Antiocheno literas, quibus pacem confirmabat, maturè omnia retractaſſe, etiam Conſtantinopolitanam Maximiani Synodum, & appellantes non quidem in omnibus, ſed in quibuſdam exaudiviſſe, quod probare conatur ex utraque illa Sixti Epiſtola. Verùm nihil in eis legitur, quod contrarium non inſinuet, ut ait Criticæ Baronianæ Auctor, ideoque exiſtimandum Pontificem ſancita à Synodo Epheſina effectum ſortiri voluiſse, niſi quòd aliqua in Synodo Maximiani facta circumſcripſit, & quatuor Metropolitanos in ea, dignitate depoſitos, in integrum reſtituit, dummodo articulis pacis ſubſcriberent. Ex hoc porrò egregio antiquitatis monumento apparet, quantum hallucinati fuerint, qui voluere Orientales Epiſcopos, nunquam olim ad Romanos Pontifices, ſed ſemper ad Generalem totius Eccleſiæ Synodum provocaſſe. Imò idem Criticæ Baronii Auctor anno 433 ſcribit Alexandrum Hieropolitanum Epiſcopum cum tota ſua provincia ad Sixtum appellaſſe, & Irenæum Synodici Auctorem, licèt Neſtorianum, ideòque ab Apoſtolica Sede averſum, Romanas Appellationes probaſſe; & uſum appellationum à Pontifice malè informato ad melius informandum, ſeu petendæ Apoſtolici judicii retractationis, non à generali Synodo, ſed ab ipſo eodem Pontifice, aut ejus ſucceſſore, antiquiſſimum eſſe.

VIII. Sixtus Petrum Chryſologum Ep. Rav. ordinat.

Anno quadringenteſimo trigeſimo tertio, ut narrat Hieronymus Rubeus ex antiquis Ravennatenſis Eccleſiæ monumen-

mentis, Sixtus Papa à Sancto Petro Apoſtolo per viſum ſibi apparente admonitus fuit, quem in Joannis Ravennatenſis Epiſcopi mortui locum ordinare deberet. Quo tempore cùm Sanctus Cornelius Forocornelienſis Epiſcopus, unà cum ſuo Diacono Petro, Chryſologo nomine, ipſum Sixtum Pontificem inviſeret, Petrum intuens Sixtus, ipſum planè illum eſſe cognovit, quem Princeps Apoſtolorum in Ravennatem Epiſcopum fore ordinandum oſtenderat. Moxque jubet Ravennates adeſſe, & qui inſtituendus eſſet ipſorum Epiſcopus docuit: ſed illis, qui Romam cum electionis decreto advenerant, reclamantibus, & aſſerentibus inſuper haud moris eſſe, ex alterius Eccleſiæ Clero aſſumi aliquem in Eccleſiæ Ravennatis Epiſcopum, compulſus fuit Sixtus, viſionem illam Ravennatibus notam facere, qui tandem acquieſcentes, gaudentes cum Petro, à Sixto ordinato Epiſcopo reverſi ſunt; exituque dilucidè declaratum eſt nonniſi à Deo electum fuiſſe, quem admiranda morum ſanctitudo, & doctrina inſignis mirificè commendarunt.

IX. *Anaſtaſium Theſſalonic. Vicarium ſuum in Illyrio conſtituit.*

Illyrium in Orientale & Occidentale anno trecenteſimo ſeptuageſimo nono diviſum fuiſſe diximus in Siricio Papa, ſed poſt annos 58, anno nempe quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo ad priſtinam formam rediit, quia Valentinianus III, ut ait Jornandes in lib. de Succeſſ. Regnorum cap. 97. *à Roma Conſtantinopolim ob ſuſcipiendam in matrimonium Eudoxiam Theodoſii Principis filiam venit, dataque pro munere ſocero ſuo tota Illyria, celebratis nuptiis ad ſua regna cum uxore receſſit.* Pontifices tamen Romani, poſt iſtam donationem, jus ſuum retinuere in omnes Illyrici Eccleſias uſque ad Leonem Iſaurum, qui increpitus à Gregorio III, quòd uſum Imaginum in Templis abrogaſſet, & confringi juſſiſſet, provinciarum, quæ à Sicilia uſque ad Thraciam per Illyricum, Epirum, Achajam & Macedoniam porrigebantur, adminiſtrationem ab Eccleſia Romana avulſit & Conſtantinopolitanæ tribuit. Sixtus autem anno quadringēteſimo trigeſimo ſeptimo ſcripſit *univerſis Epiſcopis Synodo apud Theſſalonicam congregandis*, ut videre eſt in Collectione Holſteniana, prohibuitque, ne invito, vel inſcio Anaſtaſio Epiſcopo Theſſalonicenſi, Rufi ſucceſſore, ullus auderet aliquem ordinare. Data eſt Epiſtola XV Kalendas Januarii. Eadem die ſcripſit ad Proclum Conſtantinopolitanum Epiſcopum: *Illyricianæ omnes Eccleſiæ, ut à deceſſoribus noſtris accepimus, & nos quoque fecimus, ad curam nūnc pertinent Theſſalonicenſis Antiſtitis, ut ſua ſolicitudine, ſi quæ inter fratres naſcantur, ut aſſolent, actiones, diſtinguat atque definiat, & ad eum, quidquid à ſingulis Sacerdotibus agitur, referatur.*

X. *Julianum Pelagianum in Eccleſiam non admittit.*

Julianus hæreticus ille Pelagianus, ſive Cœleſtianus, qui plures libros contra S. Auguſtinum ſcripſit, quique ex Epiſcopatu Eclanenſi jamdiu depoſitus fuerat, & à S. Cœleſtino Italiâ cum aliis Pelagianis pulſus, molitus eſt ſub Sixto in Eccleſiæ communionem irrepere, ſed eum rejecit Sixtus, ut teſtatur Proſper in Chronico, qui ſub Conſulibus anni 439 ſcribit: *Hac tempeſtate Julianus Eclanenſis, jactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem dudùm amiſſi Epiſcopatûs intemperans cupido exagitabat; multimodâ arte fallendi correctionis ſpem præferens, molitus eſt in communionem Eccleſiæ irrepere. Sed his inſidiis Sixtus Papa, Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum peſtiferis conatibus patere permiſit, & ita omnes Catholicos de rejectione fallacis beſtiæ gaudere fecit, quaſi tunc primùm ſuperbiſſimam hæreſim Apoſtolicus gladius detruncaſſet.*

XI. *Accuſatio Sixti PP. & Polychronii Ep. ſuſpectæ fidei.*

Circumferuntur Acta Synodi Romanæ de cauſa Sixti III, à Baſſo Exconſule accuſati, quòd ſtupro ſe polluiſſet, in qua dicitur purgatus, Clero, Senatu & Imperatore præſentibus; ſed hæc Actâ falsâ Conſulum notâ conſignantur, & anochroniſmis ſcatent, quæ ſuppoſitionem produnt. Nec ullum robur illis accedit ex Epiſtola Sixti ad Epiſcopos Orientales, cùm contexta ſit ex ſententiis Concilii Toletani VIII, Felicis III, Gregorii Magni, Hadriani I, Codicis tam Theodoſiani, quàm Juſtinianei, Aniani Interpretis & Sixti Pithagorei. Ejuſdem farinæ ſunt Acta *de Synodali accuſatione & expurgatione Polychronii Epiſcopi Hieroſolymitani*, quæ ſub Pontificatu Sixti Romæ dicuntur habita. Toto enim ſedis Sixti tempore, Juvenalis præfuit Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, & nihil illis Actis inſulſius. Refertur quidem accuſatio, & purgatio Sixti in libro Pontificali, ſed cùm in eo aliæ fabulæ recitentur, utraque hiſtoria ſuſpectæ fidei haberi debet.

XII. *Sixtus PP. moritur.*

Poſtquam Sixtus Baſilicam Sanctæ Mariæ Majoris, quæ Baſilica Liberii ab Antiquis dicebatur, reſtauravit & exornavit, & multa munera contulit, ſanctiſſimè obiit die undecimâ menſis Auguſti anni quadringenteſimi quadrageſimi, poſtquam ſediſſet *annos octo, & dies decem & novem*, ut omnia exemplaria Anaſtaſii tam edita, quàm MSS. cunctique ferè catalogi habent. Anaſtaſius neque diem mortis, neque ſepulturæ ejus, præter morem, indicavit, neque Proſper eum Kalendis Aprilis in Chronico mortuum tradidit, ut memoriæ lapſum ſcripſit Baronius, qui tamen eum die 28 Martii mortuum credit, diem cultûs pro die mortis, ut aſſolet, ſumens.

XIII. *Libri ei falſò attributi.*

Rectè tamen oſtendit libros tres *de divitiis*, *de malis doctoribus*, *de caſtitate*, malè

SEC. V. S. SIXTUS. III.

lè Sixto attributos eſſe. Quod idem aſſerendum eſt de *Hypomnoſtico*, ſeu Hypomgnoſtico, ſeu, ut aliqui vocant, *Subnotationum libro, aut Commonitorio*, quòd Auctoris conſilium fuiſſe videatur, ut Eccleſiæ Catholicæ doctrinam contra Pelagianos compendio traderet. Hoc opus ab Auguſtino compoſitum fuiſſe tradidit Hincmarus in Epiſtola ad Amolonem, & Eccleſiam Lugdunenſem de Gotteſchalcho ſcripta; ſed Hincmarum confutarunt Remigius Archiepiſcopus & Eccleſia Lugdunenſis, ac Prudentius Epiſcopus Tricaſsinus, ut videre eſt in Appendice ad Tomum X Operum Sancti Auguſtini in edictione Patrum Benedictinorum. Garnerius quidem in Diſſert. VI de ſcriptis adversùs hæreſim Pelagianam, Sixtum III inter eos numerat, qui adversùs illam ſcripſere, ipſique libros ſex Hypognonoſticon aſſerit. Sed rationes ejus id minimè evincere oſtendit Natalis Alexander ſæculi Eccleſiæ quinti parte 1. pag. 214. & ſeqq. ubi etiam refellit, quod idem Auctor probare conatus eſt, tres ſcilicet laudatos libros de divitiis, & alios duos, Pelagianis erroribus ſcatentes Sixto adhuc Presbytero tribuendos eſſe. Auctores itaque omnium iſtorum librorum perperàm Sixto Papæ, aut Sixto Presbytero adſcriptorum hactenùs ignoti.

S. LEO *Pontif. XLVII.*

Anno Domini CCCCXL.

I. *S. Leo fit Papa.*

S. Leo, natione Tuſcus, ex patre Quintiano, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus, poſt dierum 42 ſedis ceſſationem, conſecratus eſt Romanus Pontifex die vigeſimâ ſecundâ Septembris, in quam eodem anno quadringenteſimo quadrageſimo Dominica cadebat. Proſper enim, qui hoc tempore vivebat in Chronico ait: *Defuncto Xyſto Epiſcopo XL amplius diebus Romana Eccleſia ſine Antiſtite fuit, mirabili pace, atque patientiâ præſentiam Diaconi Leonis expectans*. Fuit autem natione Tuſcus, non Romanus, licèt idem Proſper ſcribat: *Leo legatione publica accitus, & gaudenti patriæ præſentatus XLVII Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur*, ibi enim Proſper interpretari debet de Italia, quam Leonis patriam appellat, unde antiquiſſimi Codices MSS. Anaſtaſii Vaticani, Caſinenſes, Regii, Florentini & alii habent Leonem fuiſse *natione Tuſcum*. Tandiu dilata eſt ejus conſecratio, quia *tunc eum inter Aetium & Albinum* (Romani exercitus Duces) *amicitias redintegrantem Galliæ detinebant, quaſi ideò longe eſſet abductus, ut & electi meritum & eligentium judicium probaretur*, ut ſcribit idem Proſper.

II. *Diaconi ſæpius ad Eccleſiæ regimen aſſumpti.*

Erat porro S. Leo S. R. E. Diaconus; qua occaſione hic obſervandum venit cum Queſneillo ejus Operum editore, pluries accidiſſe ut Diaconi, quàm Presbyteri ad Eccleſiæ ſupremum regimen aſſumerentur. Primò, quia Diaconi Eccleſiæ res, non temporales tantùm, ſed etiam ſpirituales penitius noverant: eſt enim Diaconus Epiſcopi oculus & adjutor. Deinde, notiores erant omnibus civitatis ordinibus. Poſteà, cùm haberent omnia in poteſtate, devinciebant ſibi facilè Clericorum animos. Denique, ut plurimùm plus dignitatis afferebant, quam alii; ſiquidem Archidiaconi, (qui nomine Diaconorum hìc intelliguntur) ſi benè ſe geſſiſſent, oſtenderant, omnibus ſe animi dotibus, ad animorum regimen utilibus excellere.

III. *S. Leo primum ſermonem habet ipſo ordinationis ſuæ die.*

Statim ac in Pontificali ſpecula poſitus eſt Leo, plebem ſibi commiſſam, non vitæ ſolùm exemplo excitare, ſed proprii etiam oris officio erudire eſt aggreſſus. Idem enim vir Eruditus obſervat ipſa ordinationis die, non autem in ejuſdem anniverſario, primum ejus ſermonem habitum eſſe; in eo quippe Sanctus Pontifex ait: *ſatis dignum* eſt, *à ſacrificiis Dominicæ laudis obſequium conſecrati Pontifices inchoari*. Unde falſum eſt quod ſcribit Sozomenus lib. 7. cap. 19. *In eadem urbe* (Roma) *nec Epiſcopus, nec alius quiſpiam, in Eccleſia populum docet;* S. enim Leo, primus è Romanis Pontificibus id non prætitit, nam, ut in Liberio diximus, S. Ambroſius lib. 3. de Virginibus deſcribit ſermonem Liberii Papæ, habitum in Baſilica S. Petri, in Marcellinæ, ejuſdem Ambroſii ſororis, ſpiritualibus nuptiis, cùm ſe Deo perpetuâ virginitate dicaret.

IV. *Manichæos & Priſcillianiſtas perſequitur.*

Devaſtatâ à Vandalis Africa complures Manichæi Romam venerant, ibique Catholicis admixti latentes conventus agebant, & plures impiâ ſuâ doctrinâ ſeducebant. Primus Leonis congreſſus adversùs illos fuit, & plurimos diligentiâ ejus detectos narrat Proſper ſub Conſulibus anni 443: eorum libri innumeri Romæ combuſti, & ex ipſis Manichæis plures ad ſanitatem revocati. Tum anno ſequenti 444 S. Leo Epiſtola VIII, quæ aliàs erat II, ad Epiſcopos per Italiam, data III Kalendas Februarii, plurimos Manichæorum vigilantiâ ſuâ in urbe Roma detectos eſſe, & pari ab eis ſolicitudine inveſtigandos admonet. Hæc Epiſtola per provincias ad omnes

mnes

Digitized by Google

mnes Epiſcopos miſſa eſt, cùm Idacius illorum temporum æqualis ſcribat: *Per Epiſcopum Romæ tunc præſidentem geſta de Manichæis per provincias diriguntur.* Anno poſtea quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo eoſdem Manichæos in Hiſpania repreſſit; & Priſcillianiſtas, quorum errores partim erant cum Manichæis communes, partim proprii. Illam autem Priſcillianiſtarum ſectam contrivit, datâ ad Turribium Aſturicenſem Epiſcopum Epiſtolâ 93, in qua ſingula hujus ſectæ capita ſeorſim conterit, ac Turribium, Epiſcopoſque Gallæciæ & Luſitaniæ ad Concilium vocat, ut ſimul videant, quid adversùs gliſcentem hæreſim agendum ſit. Hanc Leonis Epiſtolam legant, qui impios Priſcillianiſtarum mores noſſe voluerint.

V. Sicuti & Pelagianos.

Non ſolos Manichæos & Priſcillianiſtas, ſed etiam Pelagianos ſanctus Leo inſectatus eſt. Cùm enim hi in provincia Veneta, damnatis in ſpeciem tantùm erroribus Pelagianis, in Catholicorum conſortium recepti, hæreſim clanculùm reſtaurarent, Septimius Epiſcopus Altini, Sanctum Leonem hac de re per literas certiorem fecit, iſque Januario Antiſtiti Aquilejenſi totius provinciæ Metropolitæ per literas injunxit: *Ut congregata Synodo provincialium Sacerdotum, omnes ſive Presbyteri, ſive Diaconi, ſive cujuſcunque Clerici ordinis, qui de Pelagianorum, Cœleſtianorumque conſortio in communionem Catholicam ea imprudentiâ ſunt recepti, ut non prius ad damnationem ſui coarctarentur erroris, nunc ſaltem, poſtea quàm hypocriſis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipſis prodeſſe, & nullis poſſit nocere, cogantur, &c.* Scripſit eodem tempore Sanctus Leo ad Septimium Altinenſem eadem de re. Utraque adversùs Pelagianos Epiſtola, ſine ullo temporis charactere data, & utraque à Photio Cod. 54. his verbis memorata: *Cùm temporis deinde progreſſu ſectæ hujus homines* (nempe Pelagiani) *per hæreſis ſuæ abjurationem Eccleſiæ reſtituti eſſent; iterum malum ab ipſis principium ſumpſit; ut Septimio Epiſcopo renaſcens eadem lues, antequam longius ſerperet, fuerit reprimenda, datis ad Leonem Romæ tunc Sedem Apoſtolicam tenentem, literis, qui Leo ferventi zelo contra impietatem illam depugnavit.* Loquitur & Photius de iiſdem Leonis Epiſtolis Cod. 53, quando ait: *Scripſit & Leo Romanus Epiſcopus de Pelagianis converſis, quomodo debeant recipi, quandò convertuntur, ſcriptis ſuam opinionem damnantes.*

VI. Non eſt Auctor librorum de vocatione omnium gentium.

Idem Photius Cod. 54 aſſerit, poſt repreſſos à Septimio Epiſcopo & Leone Pelagianos, Romæ plures liberiùs pro hæreſi loquentes Proſperum confutaſſe, ait enim: *Poſt non diu rursùm veluti exiſtere atque enaſci è mala radice impudenter cùm cæpiſſet, Romæ etiam quidam pro hæreſi liberè locuti ſunt, quos Vir ſanè divinus Proſper libellis adversùs eos in vulgus editis facilè diſſipavit, extinxitque: Leone etiamnum, quem diximus, Romanam Sedem gubernante.* Antelmius in Diſſert. 3. de veris Operibus SS. Leonis Magni, & Proſperi Aquitani, oſtendit libellos illos à Proſpero contra Pelagianos editos, eſſe duos libros de vocatione omnium gentium, Proſpero à quibuſdam perperàm abjudicatos, ubi & refellit Queſnellum, qui eos libros ſancto Leoni attribuit.

VII. Arelatenſem Eccleſiam ſuis privilegiis exuit.

Anno quadringenteſimo quadrageſimo quarto orta eſt contentio inter ſanctum Leonem & Hilarium Epiſcopum Arelatenſem. Celidonius Epiſcopus Veſontionenſis in Concilio, incerto loco habito, à ſancto Hilario Epiſcopatu depoſitus, ad Sanctum Leonem appellavit. Sanctus Hilarius Romam ſtatim contendit; ſed cùm à Leone acriter increpitus fuiſset, & Celidonius manifeſtâ teſtium reſponſione ab iis immunem ſe probaſſet criminibus, ob quæ fuerat exauctoratus; Hilarius clam Roma, quaſi inſalutato hoſpite ſe ſubduxit, & Arelatem rediit. In ejus autem abſentia Celidonius in ſedem ſuam reſtitutus eſt à Sancto Leone, in Synodo Romana, in qua & Projecti contra Hilarium querimoniæ diſcuſſæ ſunt. Scilicet Hilarius Projecto Epiſcopo alienæ provinciæ ægrotanti, alium ſuperordinaverat. Ordinatum contra Canones S. Leo cum ſua Synodo ſubmoveri decrevit, & Projectum in ſuo Sacerdotio permanere. Scripſit autem S. Leo *ad Epiſcopos per provinciam Viennenſem conſtitutos* Epiſtolam 89, nunc 11, in qua irritis redditis, quæ ab Hilario præſumpta fuerant, inter alia ſtatuit, non ultra Hilarius auderet *conventus indicere Synodales*, utque præter conſenſum Leontii provinciæ Viennenſis antiquioris Epiſcopi Concilium alterius Provinciæ non celebretur; *Metropolitanis privilegii ſui dignitate ſervata.* Romani Pontificis ſententiam, ſubſecutum eſt Valentiniani Imp. reſcriptum Romæ datum VIII Idus Junii anni quadringenteſimi quadrageſimi quinti, quod ſic habet: *Decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quàm aliarum provinciarum contrà veterem conſuetudinem liceat, ſinè viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate, tentare, ſed illis omnibuſque pro lege ſit, quidquid ſanxit, ſanxeritque Apoſtolicæ Sedis auctoritas*, ex Cod. Theod. tit. 24. de Ord. Ep. Ideò porrò S. Leo Valentinianum III interpellavit ea de re, ne majores turbæ impoſterum concitarentur, nam ſine Imperatoris auctoritate executioni mandari poterat Pontificis Romani ſententia, unde ipſemet Imperator in ſuo reſcripto de ea ait; *quamvis ſine Imperiali ſanctione valitura eſſet, quid enim* tan-

Digitized by Google

SÆC. V. S. LEO. tanti Pontificis auctoritati in Eccleſias non liceret?

VIII. Ex ea parte reſtituit. Cujus provinciæ Epiſcopus fuerit Celidonius, diu agitatum fuit, ſed poſtquam Vita S. Romani Abbatis Jurenſis in lucem prodiit, Eruditi eum Veſontionenſis ſeu Biſuntinæ Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe non dubitarunt. Sanctus autem Hilarius, Zoſimi Papæ reſcripto & Vicariâ poteſtate ab illo ſuis deceſſoribus conceſsâ uſus, Celidonium Epiſcopum dignitate dejecit, quod indicat Sanctus Leo in laudata ad Epiſcopos Viennenſis provinciæ Epiſtolâ, in qua ab eo Hilarius accuſatur, tanquam *ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum vindicans*. Fretus illa poteſtate Hilarius Celidonium, quem reum credidit, Epiſcopatu depoſuit; unde idem Sanctus Leo ait: *Manſiſſet nanque in illum* (nempè Celidonium) *prolata ſententia, ſi objectorum veritas extitiſſet*. Quod nequaquam ſcripſiſſet S. Leo, ſi nulla omninò fuiſſet Hilarii in Celidonium juriſdictio. Iratus tamen S. Leo Hilario, ſive quòd, ut ipſemet ait, *B. Petro nollet eſſe ſubjectus, & frequentiùs temerariis & inſolentibus verbis ſententiam damnationis expeteret*; ſive quòd Synodi Romanæ judicio ſtare nollet, clàmque Româ receſſiſſet, Arelatenſem Eccleſiam ſuis exuit privilegiis, juraque Metropolis in Viennenſem tranſtulit. Sed Hilario anno quadringenteſimo quadrageſimo nono mortuo, Epiſcopi Viennenſis provinciæ pro Ravennio ejus ſucceſſore Epiſtolam ſeu libellum ad S. Leonem miſerunt, reſtituique Metropolitano Arelatenſi jura ſuæ Eccleſiæ poſtularunt. Sanctus verò Leo anno quadringenteſimo quinquageſimo litem ita compoſuit, ut Viennenſi Metropoli quatuor Epiſcopatus attribueret, Valentinum, Tarentaſienſem, Genevenſem & Gratianopolitanum: reliquos ſubjecerit Arelatenſi Metropoli.

IX. S. Hilarium Arelat. poſt mortem pro viro Sancto habet. Quia porrò quæ de hac inter Sanctum Leonem & S. Hilarium controverſia referuntur ab eodem S. Leone, & à Sancto Honorato Epiſcopo Maſſilienſi in Vita ejuſdem S. Hilarii, valdè inter ſe diſcrepant. Queſnellus arbitratur Honorato credendum eſſe, indeque prolixam Apologiam texuit *pro Sancto Hilario Arelatenſi Epiſcopo*. Papebrocius verò longè rectiùs ſtatuit potiorem in hujus cauſæ narratione eſſe auctoritatem S. Leonis, quàm Honorati Auctoris Vitæ S. Hilarii; quia Leo tam Sanctus fuit, ut mentiri nollet; tam antiquus, ut nemo propinquior haberi poſsit teſtis hujus rei, cui interfuit, quamque ipſe ut judex geſſit. Sed quidquid ſit, S. Leo Hilarium mortuum pro viro Sancto habuit, ut conſtat ex ipſius Epiſtola 106 ad Epiſcopos per Arelatenſem provinciam conſtitutos, in qua ait: *Quod ergò in Arelatenſium civitate defuncto ſanctæ memoriæ Hilario, virum etiam nobis probatum fratrem Ravennium ſecundùm deſideria Cleri, Honoratorum & plebis unanimiter conſecraſtis, bonum fraternitatis veſtræ opus noſtro judicio roboramus*. Ex quo & colligitur, S. Hilarium pro ſua erga Sedem Apoſtolicam debita reverentia, nihil non egiſſe, ut S. Leonem placaret, ac promereretur; ac omni deinceps contentione quieviſſe, Auxiliaris potiſſimùm urbis Romæ Præfecti conſilio, quod indicat S. Honoratus in laudata S. Hilarii Vita. Probabiliter igitur dici poſſe videtur S. quidem Hilarium privilegia, olim Sedi ſuæ ab Apoſtolica Sede conceſſa per Zoſimum, ſed ab ejus ſucceſſoribus vel revocata vel imminuta, propugnaſſe pertinaciùs; ſed parte alia S. Leoni fuiſſe obreptum, huncque falſis adverſariorum Hilarii delationibus circumventum, de quo audiendus Baronius de hac & ſimili cauſa S. Mamerti Viennenſis Epiſcopi, ad annum 464. num. ultimo loquens: *Non mireris, Lector*, inquit, *Romanum Pontificem adversùs Mamertum adeo vehementer inſurgere, virum, ut declararunt eventa, ſanctitate inſignem. In his enim, quæ contentioſi fori ſunt, perfacile eſt quemquam decipi. Perſimile etiam S. Leoni accidit, qui in S. Hilarium eadem fermè ex cauſa acerrimè invectus eſt. Quis neſciat ſæpe accidere, ut falſis accuſationibus, & ſubreptionibus aures Pontificum repleantur; & cùm putent agere quod juſtum appareat, exagitent innocentem?*

Initium hæreſis Eutychianæ, & Concilium Calchedonenſe, Generale quartum.

X. Eutyches hæreſim ſuam docet. SEdente Sancto Leone exorta eſt Eutychiana hæreſis, cujus initium & Concilia contra eam celebrata hìc compendiosè exhibenda. Eutyches Presbyter, Archimandrita, ſeu Abbas celeberrimi cujuſdam in urbe Regia Conſtantinopoli Monaſterii, teſte Liberato cap. 11. ex nimio in Diodorum Tarſenſem, & Theodorum Mopſueſtenum olim Epiſcopos odio, lapſus eſt in blaſphemam impietatem Apollinaris, *myſterii Incarnationis dogma corrumpens, & divinitatem Unigeniti, & humanitatem vocans unam naturam, commiſtionemque & confuſionem aſſerens factam, & ſalutarem paſſionem ipſi incommutabili Deitati adnectens*, ut ſcribit Facundus lib. 8. c. 5. exhibens fragmentum Epiſtolæ Domni Epiſcopi Antiocheni ad Theodoſium Imp. Aſſerebat itaque Eutyches Chriſtum eſſe ex duabus naturis, ſed non in duabus, ideſt, duas fuiſſe ante uni-

Digitized by Google

unitionem naturas, unicam poſtea: unde illud conſectarium, Chriſtum conſubſtantialem nobis non eſſe ſecundùm carnem. Cùm autem dicta Domni Antiocheni ad Theodoſium Imp. Epiſtola ſcripta ſit anno circiter quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, Eutychianæ hæreſis initium ab eo anno repetendum; unde Sanctus Anaſtaſius Synaita ſcribit: *Annis circiter poſt* (Epheſinum ſcilicet Concilium) *decem Eutyches quidam Archimandrita Conſtantinopoli exortus, qui diceret totum Chriſtum eſſe naturam unicam*.

XI. *In judicium vocatur apud Flavianum Epiſcopum CP.*

Gelaſius Papa in Epiſtola 16 ad Epiſcopos Dardaniæ, initium hæreſis Eutychianæ ab anno quadringenteſimo quadrageſimo octavo repetit; quia eo anno Eutyches in judicium vocatus eſt apud Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, accuſante Euſebio Dorylæi in Phrygia Salutari Epiſcopo, Eutychetis amico, cujus rei meminit Breviculus Eutychianiſtarum: *Cùm Eutychen Euſebius Dorolytanus Epiſcopus ſuadere talia reperiſſet, zelo fidei, quem etiam, cùm agens in rebus eſſet, oſtendit, (ipſe enim Neſtorium quoque in tempore reprehendit in Eccleſia res ſacrilegas prædicantem) detulit ad Flavianum Epiſcopum*. Accuſatio ſummopere Eutychetem offendit, quare apud S. Leonem queſtus eſt; *quòd Neſtoriana hæreſis quorundam rursùs ſtudiis pullularet*. Leo ejus zelum laudavit, ac benignè reſcripſit, *XII Kal. Martii* anno quadringenteſimo quadrageſimo nono. Hinc Acta Quinti Concilii ajunt: *Leo Sanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ, & ſuſcepit Eutychetem, & reſcripſit, comprobans eum, & tamen poſtea condemnavit, & anathematizavit eum, ut hæreticum.* Sed antequam ad Judicium Epiſcopale deferretur Eutyches, jam ad Theodoſium Imperatorem delata fuerat à Domno Antiocheno Epiſcopo accuſatio de reviviſcente Apollinaris hæreſi, Eutychetis induſtriâ & artibus, ut conſtat ex citata Domni Synodica Epiſtola ad Theodoſium apud Facundum lib. 8. cap. 5. ex qua diſcimus, quinam fuerint illi, quos Eutyches apud S. Leonem tacitè infamabat, tanquam Neſtorii ſequaces & Patronos: clarum eſt enim eum de Domno & Theodoreto, & aliis hujuſmodi loqui, qui de anathematizatis per Eutychen Diodoro & Theodoro apud Theodoſium conqueſti fuerant.

XII. *Damnatur in Synodo Cpolitana.*

Coacta eſt illicò Conſtantinopoli à Flaviano Epiſcopo Synodus, ſub die VI Idus Novembris anni quadringenteſimi quadrageſimi octavi, non quidem ordinaria, ſed ex iis ſolis Epiſcopis, qui reperti ſunt in comitatu. Occaſionem cogendæ Synodo dedit orta quæſtio inter Florentium Sardorum Epiſcopum, Lydiæ Metropolitanum, & duos ſuæ Provinciæ Epiſcopos: quâ finitâ actum eſt de Eutychete, qui olim Neſtorianæ hæreſi profligandæ cum Sancto Dalmatio Monacho navarat operam. Eutyches ſæpiùs ab Euſebio Dorylæi Epiſcopo amicè admonitus de abjiciendo errore, in eo obſtinatè perſtiterat, cùmque etiam in Synodo duas quidem aſſeruiſſet naturas ante unionem; unam verò poſt unionem, damnatus eſt à Synodo, nequicquam obnitente Chryſaphio Eunucho Imperii Adminiſtro, quem minùs Eutychetis amor, quàm Flaviani odium urgebat. Subterfugit judicium hæreticus, qui tamen ex ſcriptis ſuis convictus eſt. Synodus ſeptem actionibus completa, eique ſubſcripſere Epiſcopi omnes numero 32, & Archimandritæ numero 23. Epiſcopi hac formula ſubſcripſerunt *Baſilius Epiſcopus N. judicans ſubſcripſi*. Archimandritæ verò: *N. Presbyter & Archimandrita, ſubſcripſi in depoſitione Eutychetis*, quia ſcilicet Epiſcopi Conciliis adſunt ut judices; Abbates verò ut honorifici ſpectatores: illi ſententiam dicunt; iſti ſententiæ ab Epiſcopis latæ aſſenſum præbent. Porrò Eutychetis ut hæretici ſententia prolata eſt his verbis: *Lachrimantes & lugentes perfectam ejus perditionem decrevimus per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ab eo blaſphematum, extraneum eum eſſe ab omni officio Sacerdotali, & à noſtra communione, & primatu Monaſterii*.

XIII. *Ad Pontificem Rom. appellat.*

Eutyches cùm authoritate Chryſaphii & tutela Theodoſii Auguſti Doctrinam ſuam tectam, ſartamque non cerneret, ad Romanum Pontificem confugit, quòd abſentem circumvenire in promptu eſſet. Ejus literæ leguntur in Synodico adversùs Tragediam Iræneì à Chriſtiano Lupo publicato cap. 222. In earum fine ait Eutyches: *Subjunxi autem his literis meis utrumque libellum, & eum, qui ab accuſatore meo oblatus eſt Synodo, & qui à me quidem geſtus eſt, non tamen ſuſceptus*. Sed in ea Epiſtola nulla mentio de Eutychetis appellatione. Tum caput 223. ejuſdem Synodici continet libellum conteſtatorium ab Eutychete propoſitum in Conſtantinopolitana urbe, ut docent verba Leonis in Epiſtola VIII ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Sanctus Leo, de his quæ Conſtantinopoli geſta erant, non admonitus à Flaviano, ne vel innocentem condemnaret, vel reum abſolveret, ad Theodoſium Imperatorem Flavianumque ſcripſit. Protinùs ad Summum Pontificem reſcripſit Flavianus, & Acta Conſtantinopolitanæ Synodi in cauſa Eutychetis, ſimul cum Epiſtola ad eum miſit.

XIV. *S. Leo ſcribit ad Theodoſium & ad Flavianum.*

Acceptis Flaviani literis, Leo opem, operamque ſuam adversùs Eutychetem pollicetur, & per illuſtrem virum Rhodanum Epiſtolam miſit, quam primùm Queſnellus publicavit ordine 22, quam & ſecuta eſt alia ad Theodoſium, quæ ordine eſt 23, in

O qua

Digitized by Google

qua Nicænæ fidei ſe inhærere profitetur, Neſtorii & Eutychis dogmata condemnat, poſtulatque Synodum intra Italiam congregari. In ea ampliores literas promittit per Flaviani nuncium perferendas; fuitque illa celebrata adeo ad Flavianum Epiſtola, aliàs ordine 10, nunc 14, laudata Calchedone, Patribus approbata, & retenta ad fidem Eccleſiæ de Incarnatione Chriſti explicandam, ut eâ, quaſi Lydio lapide, ſincera adulterinaque fides probetur. Ea Epiſtola olim integra in Eccleſia Romana legebatur tempore Adventus, quod etiam in Eccleſiis Galliarum factitatum eſſe eruit Queſnellus ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ. Eam anno quadringenteſimo quadrageſimo nono detulerunt Legati Leonis Papæ ad pſeudo-Synodum Epheſinam, de qua mox.

XV. *Euſeb ii cauſa retractatur Cpoli.*

Interea Eutyches ſupplices libellos dat Imperatori, Actaque Synodi Conſtantinopolitanæ diminuta, falſataque arguit. Imperator Chryſaphii Eunuchi ſermonibus deceptus, retractari Acta jubet, & videre an quid omiſſum, mutilum, adulteratumque reperiatur. Quamobrem eoſdem Epiſcopos, qui ſuperiorem Synodum Conſtantinopoli celebrarant, jubet iterum anno quadringenteſimo quadrageſimo nono cogi, ſed illis Thalaſsium Epiſcopum Cæſareæ in Cappadocia præficit, amoto Flaviano Conſtantinopolitano, cui jus ſedendi aufertur. Quinto itaque Idus Aprilis cæpta eſt Synodus: ad examen acta revocantur; nihil depravatum aut immutatum reperitur, omniaque uti geſta erant, ita ſcripta eſſe omnes approbant.

XVI. *Pſeudo-Synodus Epheſina.*

Eutyches, dum hac viâ omnes aditus interclusos intelligit, Dioſcori Epiſcopi Alexandrini, Flaviano inimici, patrocinium implorat. Dioſcorus ad Imperatorem ſcribit, aliamque Synodum poſtulat, cui per literas Imperatoris jubetur præſidere, rejecto ex illo cætu Theodoreto, qui Dioſcoro infenſus erat, & Eutychianæ doctrinæ apertè contrarius. Indicta eſt itaque Synodus apud Epheſum tertio Kalendas Aprilis anni quadringenteſimi quadrageſimi noni, antequam retractarentur Acta Concilii Conſtantinopolitani anno 448 celebrati, ut ad Kalendas Auguſti inciperetur. Ad illam S. Leo, ab Imperatore invitatus, Legatos miſit Julium Puteolanum Epiſcopum, Renatum Presbyterum tituli Sancti Clementis & Hilarum Diaconum. Synodus incæpta eſt die tantùm octava menſis Auguſti, eique interfuere centum triginta Epiſcopi, præſeditque Dioſcorus Alexandrinus. Eutyches introductus continuò confeſſionem fidei propoſuit, falſitatis & ſimulationis plenam, ac ambage verborum perplexam. Retractata deinde acta ejus condemnationis, iſque declaratus innocens & ſolutus ab excommunicationis vinculo. Flavianus vindex fidei condemnatur cum Euſebio Dorylei Epiſcopo; plurimique Pontifices proſcripti condemnatique, inter quos Ibas Edeſſenus Epiſcopus, Theodoretus Cyrenſis, & ultimus omnium Domnus Antiochenus. Imò cum omnia ſuſque deque gererentur, & Epiſcopi convocati, intentato quaſi faucibus gladio, ejuſmodi decretis ſubſcriberent, & contra jus & æquitatis leges omnia fierent, Flavianus, qui ad Summum Pontificem appellaverat, non modò injuriis, ſed & verberibus plagiſque affectus, Hypepæ, quæ civitas eſt Lydiæ, quo in exilium amandatus eſt, *ſeu ſuperveniente, ſeu ingeſta morte* ſpiritum Deo reddidit eodem anno 449, ut habet Marcellinus in Chronico. In tanta rerum deſperatione Legati Leonis Papæ obfirmatè reſtiterunt conatibus hæreticorum adversùs condemnationem Flaviani, indeque in cuſtodiam dati. Ex quibus geſtis jure *prædatoria*, aut *Latrocinalis* hæc Synodus appellata eſt.

XVII. *Ejus Acta à S. Leone reſcinduntur.*

Hilarus Diaconus, Leonis Papæ Legatus, cum poſt infinita ſuperata vitæ diſcrimina ex Epheſina pſeudo-Synodo ſe ſubduxiſſet, Romamque adveniſſet, à Leone Papa excipitur, qui auditâ rerum, ut evenerant, narratione, Concilium Romæ coegit, in quo quidquid Epheſi fuerat actum, damnavit, ac reſcidit. Crebris deinde inſtitit literis, Theodoſium & Pulcheriam Auguſtam urgere, ut unanimi conſenſu Synodus altera, quâ Epheſinam ignominiam & labem deleret, intra fines Italiæ cogeretur. Sed & cum multis Italiæ Epiſcopis obviam prodiit Valentiniano Auguſto, qui cum matre Galla Placidia & conjuge Eudoxia, religionis causâ Romam ad Apoſtolorum limina veniebat, & tum eas, tum Valentinianum orando compulit, uti Theodoſio ſcriberent, efficerentque, ut alio rurſus Concilio, quæ Epheſi perperàm geſta fuerant, retractarentur. Verum Eutychianis fabulis ac dolis irretita Theodoſii mens, nullis literis, nullis precibus, nulla ſuorum neceſſitudine flecti potuit; quin potius publicis legibus Flavianum damnavit, Epheſinamque prædatoriam Synodum Nicænæ juſſit æquari. At neque leves, neque feras tanti facinoris pœnas dedit. Siquidem non multò poſt dum equitaret, collapſo equo graviter eliſus, atque mortuus eſt die vigeſimaoctavâ menſis Julii anni quadringenteſimi quinquageſimi, nullo hærede relicto.

XVIII. *Synodus Cpolitana Eutychem damnat.*

Theodoſio Imperatore mortuo, Pulcheria Auguſta ejus ſoror, ſuffragante Senatu & exercitu, Orientis Imperium & ſe ipſam in matrimonium dedit Marciano Clariſſimo Senatori, genere Thraci & filio viri rem militarem exercentis. Marcianus ubi Imperium ſuſcepit, ſancti Leonis hortatu de Concilio generali cogendo cogitavit, in-

Digitized by Google

interimque Conſtantinopoli Synodum haberi juſſit, in qua lecta celeberrima illa Epiſtola S. Leonis aliàs 10, nunc 24. ad Flavianum, quam omnes ſua ſubſcriptione confirmarunt: ad alios deinde Metropolitanos miſſa, qui cum ſuæ provinciæ Epiſcopis eam approbarunt. Anathema dictum Neſtorio & Eutychi, & eorum hæreſis Conſtantinopoli proſcripta, ut teſtatur S. Leo in Epiſtola 68 ad Paſchaſinum Lylibætanum, data menſe Julio anni 451. Sed falſum eſt quòd ſcribit Baronius, & poſt eum Auctor Anonymus Delectus Actorum Eccleſiæ univerſalis ſeu Novæ Summæ Conciliorum, in ea nempe Synodo vetitum eſſe, ne Dioſcori Alexandrini, Juvenalis Jeroſolymitani & Euſthatii Beryti Epiſcoporum nomina ex Dyptycis recitarentur; Sanctus enim Leo in Epiſtola 60 aliàs 40. ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, Idibus Aprilis anni 451 etiam data, ait: *De nominibus autem Dioſcori, Juvenalis, & Euſtathii ad ſacrum altare non recitandis dilectionem tuam haud decet cuſtodire, quod noſtri ibidem conſtituti faciendum eſſe dixerint.* Quare, ut rectè notat Queſnellus, Leo ad Anatolium ſcribit, non tanquam de re geſta, ſed tantùm definienda à ſuis Legatis cum Anatolio.

XIX. *Marcianus apud Nicæam Synodum indicit.*

Licèt S. Leo differri Synodum Oecumenicam, & in Italia fieri optaret, Marcianus tamen Imperator, neceſsitate rerum, & votis Orientalium ſolicitatus, Synodi indicendæ conſilium cæpit, & edicto ſuo juſſit Epiſcopos *ad Nicæam civitatem proximis Kalendis Septembris* anni quadringenteſimi quinquageſimi primi advenire. Sanctus itaque Leo acceptis Imperatoris literis, extemplò de Legatis mittendis cogitavit, ad eumque ſcripſit Epiſtolam 69, aliàs 49, ſignificavitque, ſe Legatos mittere, ad vices ſuas implendas, Paſchaſinum Lylibæi Epiſcopum, Bonifacium Presbyterum, & Julianum Coënſem. Data Epiſtola VI Kalendas Julii. Præfatis Legatis poſtridie duos alios adjunxit, Lucentium Epiſcopum, & Baſilium Presbyterum.

XX. *Chalcedonem eam transfert.*

Interim cùm Attila Hunnorum Rex in Galliis victus fuiſſet, & Orientem versùs iter cæpiſſet, totumque Illyrium perturbari ob imminentium Barbarorum metum, ex literis Præfectorum accepiſſet Imperator, neque Nicæam poſſet ſe conferre, Concilium Nicæa Chalcedonem, quæ Conſtantinopoli ſeptem tantum ſtadiis abeſt, tranſtulit, eamque Epiſcopis inſinuavit, Edicto dato X Kalendas Octobris. Tranſlationi huic etiam occaſionem dedit obſecratio Legatorum Apoſtolicæ Sedis, qui Imperatorem enixè rogaverant, ut adeſſet Sancto Concilio, proteſtati, ſe, ipſo abſente, illuc non venturos. Iſta conſtant ex Epiſtolis Marciani Imperatoris ad Synodum, quæ Nicæam convenerat, relatis part. 1. Concil. Calched. num. 41. & ſeq. ex Liberato cap. 13. Breviarii, & ex Evagrio lib. 2. cap. 2. Porrò Synodum à Marciano Auguſto primùm Nicæam convocatam, deinde ab eodem Calchedonem tranſlatam, conſentiente Sancto Leone, rectè probat Natalis Alexander ſæculo V Diſsert. XI partis II, ubi & oſtendit, eundem S. Leonem Synodo præfuiſſe per Legatos Paſchaſinum Lylibætanum, & Lucentium Aſculanum Epiſcopos, & Bonifacium Presbyterum, quibus Julianum Coënſem, ut conſiliorum participem, potius quàm legationis ſocium adjunxit.

XXI. *Actio prima Synodi.*

Incepta eſt Synodus octavo Idus Octobris anni Chriſti quadringenteſimi quinquageſimi primi, in ampliſſima Sanctæ Virginis & Martyris Euphemiæ Baſilica, in civitatis ſuburbiis ſita. Ibi adfuerunt ampliſſimus Senatus, & aliquot alii Proceres, ut tumultus prohiberent, ut judiciorum ordinem ſervarent, utque ſecundùm Canones omnia agi curarent, non ut de rebus ad fidem & religionem ſpectantibus decernere ac judicare deberent. In prima Actione Apoſtolici Legati dixerunt, fas non eſſe, ut Dioſcorus, qui reus ſit, & ab aliis judicandus, inter Epiſcopos ſedeat de aliis judicaturus; quare, decernentibus Magiſtratibus, juſſus eſt in medio ſedere, ut reus. Actorem egit Euſebius Dorylæi Epiſcopus. Tum Conſtantinus, qui erat à Secretis Conſiſtorii, recitavit omnia Acta tum Conſtantinopolitanæ, tum pſeudo-Synodi Epheſinæ. Quibus perlectis, Flavianus, & Euſebius Dorylæi à labe hæreſeos vindicati ſunt, & præter jus æquumque exauctoratos privatoſque communione pronuntiatum eſt. Decretum, Dioſcorum Alexandrinum, Juvenalem Hieroſolymitanum, Thalaſſium Cæſarienſem Cappadociæ, Euſebium Ancyranum, Euſthatium Berytenſem, Baſilium Seleucienſem, auctores latrocinii Epheſini eâdem pœna plectendos, quâ immeritò Flavianum, alioſque affecerant, ea conditione: *Si placuerit diviniſſimo & piiſſimo Domino noſtro*, ut habent Acta, ideſt Marciano Imperatori, ad quem & totam Actionem referendam cenſuerunt Patres.

XXII. *Actiones ſecunda & tertia.*

Actione ſecunda de fide agi cœptum eſt. Publicè recitatum Nicænum, Conſtantinopolitanumque Symbolum; deinde, Cyrilli ad Neſtorium, & Joannem Antiochenum literæ, cum pax inter eos inita eſt: tùm S. Leonis ad Flavianum Epiſtola, cui illis verbis acclamaverunt Epiſcopi: *Petrus per Leonem ita locutus eſt: Apoſtoli ita docuerunt.* Dioſcorus ſcelerum conſcientiâ conſternatus huic ſecundæ Synodi Actioni non interfuit, ſicuti nec tertiæ, in qua cùm ad judicium poſceretur, & tertiò vocatus venire contemneret, Apoſtolici Legati ſumma-

Digitized by Google

SÆC. V. S. LEO. matim commemoratis ſceleribus, quorum, & Alexandrinorum teſtimoniis, & publicis Pſeudo-Synodi Epheſinæ Actis convictus fuerat, ex Leonis Pontificis ſententia pronunciant, illum & Epiſcopali honore, & Sacerdotum functionibus omnibus privatum eſſe. Eam ſententiam Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ceterique Patres univerſi graviſsimis verbis comprobant, atque Auguſto & Auguſtæ ſignificant, ac publicis evulgant edictis, & Alexandrinæ perſcribunt Eccleſiæ.

XXIII. Actio quarta. Actione quarta reditum eſt ad conſtabiliendam fidei formulam, & ad Leonis Epiſtolam. Rogati Patres quid de ea Epiſtola cenſerent, ſuo ſinguli ordine responderunt, Symbolis Nicæno & Conſtantinopolitano conſentaneam eſſe, necnon fidei à Sancto Cyrillo in Epiſtolis expoſitæ, ideoque ſe illi ſubſcripſiſſe. Juvenalis, Thalaſſius, Euſebius, Baſilius & Euſtathius, de quibus in prima Actione locuti ſumus, qui in hac Actione eandem S. Leonis Epiſtolam ſua ſubſcriptione approbarunt, in Synodum ſunt admiſsi, & omnes qui dictam Epiſtolam, ut inviolabilem orthodoxi dogmatis normam venerati ſunt, veniam facilè conſequuntur, præter Ægyptios Epiſcopos, & nonnullos Archimandritas; qui tamen petierunt, ut liceret ſibi novum Epiſcopum Alexandrinum, ex cujus voluntate ſubſcriberent, opperiri. Neque id ipſis denegatum, jurejurando tamen & vadimonio abſtrictis, ſe Calchedone non abituros quoad ſancta Synodus imperarit.

XXIV. Actio quinta. Actione quinta definitio fidei lecta eſt, quæ omnibus Patribus non placuit. Apoſtolicæ Sedis Legati, & aliquot Orientis Epiſcopi, multa deeſse ad profligandam hæreſim Eutichianam conteſtati ſunt. Ad id enim ſatis non eſse, ut Chriſtus *Ex duabus naturis* diceretur: ſed neceſse eſse, ut *In duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, & indiviſè* ſubſiſtere diceretur. Habitus itaque ex ſingulis provinciis delectus quorumdam Epiſcoporum, qui in eam rem incumberent cum Legatis Apoſtolicis & Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano, ſeorſim in Eccleſiæ Secretario. Juſsu tandem Imperatoris id perfectum eſt, & conſcripta receptaque fidei definitio, quæ Symbolum Nicænum, & Conſtantinopolitanum, Epiſtolas Synodicas S. Cyrilli, & memoratam S. Leonis Epiſtolam, & illa verba, propter quæ tanta fuerat contentio, continebat: *Unum eundemque Chriſtum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum, &c.*

XXV. Sexta Actio Marciano præſente habita. Poſtquam Marciano Auguſto renunciatum eſt, id à Patribus definitum eſſe, confeſtim octavo Kalendas Novembris Calchedonem venit, & ſextæ Actioni interfuit, non oſtentandæ poteſtatis gratia, ſed ut univerſos Patres ad rectæ fidei rationem cohortaretur; idque oratione latinè primò, deinde græcè pronunciata. Ex qua tantus extitit animorum ardor, ut poſt benevolentiſſimas erga Imperatorem & Auguſtam acclamationes, in eam formulam, quam tunc Apoſtolici Legati cum Anatolio & Collegis ediderant, ab univerſis Epiſcopis itum ſit, ſummoque conſenſu ſubſcriptum. Deinde Marcianus capitula quædam Synodo propoſuit approbanda. Denique in honorem ſanctæ Martyris Euphæmiæ, & in Sanctæ Synodi memoriam, civitatem Calchedonenſem Metropoleos nomine adauxit, ſalvâ Nicomediæ propriâ dignitate.

XXVI. Actiones VII. & VIII. Actione ſeptima, cauſa Juvenalis Hieroſolymitani & Maximi Antiocheni compoſita eſt, cùm judicio Synodi, tùm mutuo partium conſenſu. De quibuſdam provinciis inter eos erat contentio. Actione octava Theodoretus juſſus eſt dicere in Neſtorium anathema, quo facto Eccleſiæ ſuæ Cyrenſi reſtitutus eſt, ex qua Latrocinii Epheſini decreto fuerat dejectus & expulſus, ſive potius approbata ejus reſtitutio à Sancto Leone facta.

XXVII. Actiones IX. & X. Actionibus nona, & decima, cauſa Ibæ Edeſſeni Epiſcopi acta eſt. Relecta ſunt, quæ de eo Antiochiæ, Tyri, & Beryti acta fuerant; is depoſitus à Dioſcoro in Pſeudo-Synodo Epheſina, libellum Imperatori obtulerat; ſed re delata ad Synodum Calchedonenſem, probatæ vitæ & integræ fidei compertus eſt, & dicto in Neſtorium & Eutychetem anathemate, ſedi reſtitutus eſt. Decretum tandem, abolendam eſſe penitus Pſeudo-Synodi Epheſinæ memoriam.

XXVIII. Actio XI. de Domno Antioc. non eſt commentitia. Actio undecima, quæ eſt de Domno Antiocheno Epiſcopo, non eſt commentitia ut arbitratur Queſnellus Diſſert. IX in Opera S. Leonis. Nam Baluzius in Præfatione ad Concilium Calchedonenſe num. 32 & ſeqq. eum hac in re deceptum eſſe ſolidè demonſtrat, & ad omnia ejus argumenta reſpondet. Domnus Antiochenus Epiſcopus ab Epiſcopis Epheſinæ Synodi latrocinalis depoſitus eſt, in ejuſque locum ordinatus Maximus ab Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano, jubente Theodoſio Imperatore. Omnia hujus latrocinii Acta in irritum miſit Sanctus Leo, reſtituit Epiſcopos, qui è ſuis ſedibus dejecti fuerant: Domnus unus ab eo non eſt reſtitutus; imò confirmatus eſt Epiſcopatus Maximi, qui ipſi ſuperordinatus fuerat. Domno verò annuum ex Eccleſiæ Antiochenæ facultatibus, permittente Synodo, conceſſit Maximus.

XXIX. Actiones XII. XIII & XIV. Actionibus duodecimâ, & decimatertiâ, Baſsiani & Stephani controverſia dirempta eſt. Ille ex ſede Epheſina depoſitus, iſte ſubrogatus fuerat. Judicatum fuit,

Digitized by Google

it, ut neuter ſederet; tertius ordinaretur; & utrique ſumptus ex ærario Eccleſiæ ſubminiſtrarentur. Actione decimaquarta, actum eſt de contentione inter Athanaſium & Sabinianum de Epiſcopatu Perrhenorum. Athanaſius Epiſcopus à ſuis accuſatus dignitate motus fuerat, & Sabinianus in ejus locum ordinatus, per Dioſcorum ſede pulſus. Decretum autem fuit ut Sabinianus Epiſcopus Epiſcopatu Perrhenſi in Euphrateſia provincia frueretur, ac dignitatem Epiſcopatûs haberet: *Et ſubſtitutus ſit*, inquit Concilium, *& paſcatur, ſicut Reverendiſſimus Antiochenorum Maximus ſecundùm facultatem Perrhenorum Sanctiſſimæ Eccleſiæ diſpoſuerit*. Sabiniano igitur tribuitur Coadjutoria, cum futura ſucceſſione; Athanaſius quippe, qui in eodem Epiſcopatu confirmatus eſt, niſi convinceretur, ſenex erat. Ubi obſervandum eſt penſiones è beneficiorum Eccleſiaſticorum fructibus delibatas nullibi ante Calchedonenſe Concilium memorari; à quo etiam ſtatutum eſt, ut mox diximus, ut Baſsianus, & Stephanus poſt exauctorationem alerentur Eccleſiæ Epheſinæ ſumptibus, collatis ex ærario præfatæ Eccleſiæ. Hæ penſiones utrique conceſsæ ratione paupertatis, ad quam poſt exauctorationem redacti erant, & ut loquitur Synodus, *nutrimenti gratiâ, & conſolationis*.

XXX.
In Act. XV. fit Canon de Eccleſia Cpolitana.

In actione decimaquinta, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Clerici petiere, ut de Sede Conſtantinopolitana patres aliqua conſtituerent. Legati dixerunt id ſibi non eſse in mandatis; Judices verò pronunciarunt rem eſse Synodi, ſtatimque ex ea diſceſsére, & eos Legati ſecuti ſunt. Patres nihilominus, utriſque abſentibus, complures Canones condiderunt. Græci Codices habent XXX, Latini XXVIII, ex quibus vigeſimus octavus confirmat Patriarchica privilegia, à Concilio primo Conſtantinopolitano ſub Damaſo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ conceſſa, ut ſcilicet primo poſt Sedem Romanam honore frueretur, juſque & poteſtatem haberet in Thraciæ, Ponti, & Aſiæ Dioëceſes, eorumque Metropolitas, & Barbarorum inſuper Epiſcopos ordinaret.

XXXI.
Adverſus illum reclamant Legati in Act. ultima.

Id poſtquàm audivere Legati Apoſtolici, in Actione decima ſexta & ultima, Kalendis Novembris habita, poſtularunt, ut relegeretur canon de ſede Conſtantinopolitana, ſe abſentibus, conditus. Eo recitato, cum omnium ferè Patrum ſubſcriptionibus, Lucentius Sedis Apoſtolicę Legatus Judices interpellans dixit: *Primò Gloria veſtra perpendat, quâ circumventione cum Sanctis Epiſcopis geſtum ſit, ut non conſcriptis canonibus, quorum mentionem fecerunt, ſubſcribere ſint coacti*. Conclamaverunt omnes: *Nemo coactus eſt*. Quia verò de canonibus erat controverſia, Judices juſſerunt, ut canones ab utraque parte proferrentur; quod poſtquam factum fuit, hi canonem iterùm recenſitum ſua firmaverunt auctoritate, Patribus acclamantibus: *Hæc juſta ſententia. Hæc omnes dicimus*, &c.

XXXII.
Illum improbat S. Leo.

Sed reclamavit Lucentius Apoſtolicæ Sedis Legatus, & meritò; unde S. Leo huic definitioni vehementer ſuccenſuit; utpotè quæ Nicænos canones evertens, nitatur reprobato Conſtantinopolitani primi Concilii tertio canone, & falsò aſſerat Romanam Eccleſiam, nonniſi accepto à Patribus, quod in univerſam Eccleſiam habet, potiri Primatûs privilegio: hinc eodem Conſtantinopolitanam Sedem, utpote cum Romana factam jam æqualem, donandam eſſe. Quare ſanctus Leo, ſicut eorum, quæ adverſùs hæreticos illi decreverant, fuit conſtantiſsimus approbator, ita ſe ambitionis acerrimum præbuit vindicem, haud quaquàm paſſus, Eccleſiarum jura, quæ à Nicænis Patribus conſtituta fuerant, commutari. Itaque canonem illum XXVIII improbavit, qui & è numero canonum expunctus eſt à Græcis ipſis. Canones verò ceteros Concilii tacito ſaltem conſenſu approbavit, eoſque Eccleſia recepit univerſa. Porrò Synodus à 630 Patribus celebrata, ineunte menſe Novembri anni 451 abſoluta.

XXXIII.
S. Proterius Epiſc. Alex. ad S. Leonem ſcribit.

Dioſcoro ab Epiſcopatu Alexandrino in Concilio depoſito, Ægyptii Epiſcopi, eo abſoluto, Alexandriam redierunt, & Proterium ejuſdem Eccleſiæ Archipresbyterum Patriarcham elegerunt anno 453. Hic ſtatim ac conſecratus eſt, literas dedit ad S. Leonem anno 454 allatas per Neſtorium Phagoneos Epiſcopum, qui Romam non rectà contendit, ſed per Conſtantinopolim iter faciens, literas Imperatoris ei etiam detulit, in quibus de novo Alexandrinorum Antiſtite Proterio magnificè loquebatur. Hujus fides primò Leoni ſuſpecta fuerat, quia charus olim Dioſcoro, qui curam tutelamque Alexandrinæ Eccleſiæ illi commiſerat, quandò ad Synodum Calchedonenſem profectus eſt. Gratæ Leoni literæ fuere, quia ejus rectam fidem, ut Marcianus Imperator prius teſtatus fuerat, declarabant; quibus & Leo egregiè reſpondit Epiſtolâ, quæ inter Leoninas eſt 103, quam Queſnellus ex codice Cardinalis Grimani publici juris fecit, quâ Proterio fidei integritatem gratulatus eſt.

XXXIV.
S. Leonis ſollicitudo pro Eccleſia Alex.

Timotheus quidam cognomento Ælurus, & Petrus Moggus Diaconus noluerunt communicare Proterio; & audita morte Marciani Imperatoris, quæ anno quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo contigit, hæretici, qui Dioſcorum ſequebantur, Timotheum Ælurum Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopum ordinarunt, Sanctumque Proterium occiderunt, unde Theodorus Lector lib. 1. & Evagrius lib. 2. cap. 8. teſtantur

Digitized by Google

SÆC. V. S. LEO.

Timotheum Ælurum, Proterio adhuc vivente ſedem ejus invaſiſſe. De Alexandrinæ Eccleſiæ deplorando ſtatu certior factus S. Leo plures ad Imperatorem Leonem Marciani ſucceſſorem literas dedit, quibus ipſum hortatus eſt, ne ea, quæ de Synodo Calchedonenſi definita eſſent, retractari pateretur, aut novum Concilium celebrari, quod hæretici poſtulabant. Hortatur prætereà, ut Alexandrinæ Eccleſiæ pacem reſtituat, & ex ea expellat Timotheum invaſorem, qui ab eodem Leone Auguſto anno quadringenteſimo ſexageſimo ex ea Eccleſia ejectus, in exilium deportatus eſt, ut mox dicetur.

XXXVI. Cpolim Legatos mittit S. Leo. Leo Auguſtus, cui Synodum fruſtrà peti ab hæreticis viſum eſt, poſtquam Synodo Calchedonenſi finita eſſet controverſia, collationem, quam iidem hæretici, procraſtinandi animo petebant, non cenſebat denegandam. Ideò rogabat S. Leonem, ut Epiſcopos mitteret ex Occidente, qui quaſdam quæſtiones elucidarent. Hæreticorum aſtutiam agnovit prudentiſsimus Pontifex, & licèt collationem non probaret, tamen ſe miſſurum Epiſcopos pollicetur, qui præſentiam ſuam ſuppleant, non ad pugnam cum hæreticis inſtaurandam; ſemel enim definita Nicæa & Calchedone retractanda non eſſe. Hanc Epiſtolam ſcripſit S. Leo IX kalendas Aprilis anni 458, eſtque veteri ordine 78, novo 132. Legatos miſit Conſtantinopolim Geminianum & Domitianum Epiſcopos, ejuſque legationis occaſione Epiſtolam dedit ad Imperatorem tertio Kalendas Septembris, quæ de Incarnationis myſterio prolixiorem tractationem continet, & plurima difficillimaque SS. Patrum teſtimonia ſubjecta habet, quibus Eutychiana hæreſis jam pridem in Eccleſia damnata oſtenditur.

XXXV. Ejus opera pax Eccleſiæ Alex. redditur. Literis Sancti Leonis, Legatorumque precibus permotus Imperator, anno quadringenteſimo ſexageſimo Timotheum Ælurum Alexandriâ ejici juſſit, & alium Synodi Calchedonenſis vindicem ipſi ſubſtitui. Timotheus Cherſonam relegatus eſt, ut habent Liberatus, & Victor Tununenſis. Quâ de re gratulatoriam ad Leonem Auguſtum Epiſtolam dedit S. Leo XV kalendas Julii ejuſdem anni 460, veteri ordine 99, novo 137. Pulſo Timotheo Æluro, electus Timotheus alter, cognomento Solophaciolus, ideſt Albus, & in Alexandrina Sede collocatus, literas de ordinatione ſua dedit ad S. Leonem per Danielem Presbyterum & Timotheum Diaconum. Ad ipſum viciſſim ſcripſit S. Leo, Epiſtolâ 101 veteri ordine, novo 139, ſuamque illi gratulatus eſt electionem. Quid poſtea acciderit dicetur ſub Simplicio.

XXXVII. Leo Attilam Hunnorum Regem mitem reddit. Anno quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo Attila, qui maximâ ſuorum jacturâ in Galliis ab Aetio victus fuerat, viribus auctus Aquilejam nobiliſsimam Italiæ urbem, alteram Romam antiquitus dictam, & alias nobiliſsimas civitates expugnavit, & diruit, perditurus & ipſam urbem Romam unà cum Imperio, niſi S. Leo ejus animum miraculosè mitigaſſet. Nihil *inter omnia conſilia Principis, ac Senatus, populique Romani ſalubriùs viſum eſt*, inquit Proſper in Chronico, *quàm, ut per Legatos pax truculentiſsimi Regis expeteretur. Suſcepit boc negotium cum viro Conſulari Albieno, & viro Præfectorio Trigetio Beatiſſimus Papa Leo, auxilio Dei fretus, quem ſciret nunquam piorum laboribus defuiſſe. Nec aliud ſecutum eſt, quam quod præſumpſerat fides; nam totâ legatione dignanter acceptâ, ita ſummi Sacerdotis præſentia Rex gaviſus eſt, ut & bello abſtinere præciperet, & ultra Danubium promiſſa pace diſcederet.* Attila itaque Hunnorum Rex, flagellum Dei dictus, Leonis divina eloquentia perſuaſus, ut regrederetur, interrogatus à ſuis, cur præter conſuetudinem inflexus eſſet, atque tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret, reſpondit: ſe vidiſſe, Leone loquente, aſtantem alium quemdam habitu Sacerdotali decorum, quid Divinum præſeferentem, minantemque mortem, niſi Leonis Papæ juſſa capeſſeret. Hæc refert Baronius ex veteribus Romanæ Eccleſiæ monumentis.

SÆC. V. S. LEO.

XXXVIII. Originem dat Nuntiis Sedis Apoſtolicæ. Anno quadringenteſimo quinquageſimo tertio S. Leo ſcripſit ad Julianum Epiſcopum Coënſem, ut vice ſua functus aſſumeret ſpecialem curam, *ne hæreſis, vel Neſtoriana, vel Eutychiana in aliqua parte reviviſceret.* Ea Epiſtola aliàs 56, nunc eſt 86. In Epiſtola verò ad Marcianum Imperatorem 84, de eodem Juliano loquens Leo ait: *Vicem ipſi meam contra temporis noſtri hæreticos delegavi: atque propter Eccleſiarum paciſque cuſtodiam, ut à Comitatu veſtro non abeſſet exegi.* Data ea *VI Idus Martii Opilione V.C. Coſ.* ideoque anno Chriſti 453. Quibus ex verbis & ſimilibus Marca lib. 5. de Concordia cap. 15. & ſeqq. & Queſnellus in Notis ad eaſdem Epiſtolas, Vicariorum, ſeu, ut nunc loqui conſuevimus, Nunciorum Sedis Apoſtolicæ in Comitatu agentium, originem deducunt. Qua in inſtitutione, Orientalium Patriarcharum morem ſecutus eſt S. Leo; illi enim Apocriſarios ad Imperatores Orientis deſtinarunt ab eo tempore, quo ſedes Imperii Byzantium tranſlata. In multis tamen Leo ſeſe ab eiſdem pro ſua prærogativa diſcrevit. Viderat Sanctus Pontifex per novam Neſtorii hæreſim Orientales Eccleſias diris procellis jactatas, vix & ne vix quidem per Concilii Epheſini definitiones quieviſſe. Non ignorabat etiam Conſtantinopolitanum Antiſtitem canone ſecundi Concilii genera-

lis

Digitized by Google

lis fretum, totis viribus amplificandæ poteſtati ſuæ incumbere, nec priùs molitionibus ſuis finem poſiturum, quàm ſibi majores Primates ſubjeciſſet: quibus ſubjectis, timendum erat, ne de minuenda pariter Romanæ Sedis auctoritate aliquando cogitaret. Quare exiſtimavit, aliquem in urbem Regiam mittendum, qui fidei, & Eccleſiaſticæ paci vigilaret, ageretque apud Imperatorem de compeſcendis conatibus eidem fidei, ac paci contrariis. Clericis aut Presbyteris Apocriſariorum munus creditum fuit priori ævo, eamque ob cauſam inprimis inſtitutum, Edictiſque Imperatorum ſancitum, ne ad Comitatum venirent Epiſcopi, quòd ex Juſtiniani Novella 6. cap. 11 manifeſtum eſt: nunc ſæpè Epiſcopis munus illud committitur. Sed de Legatis, Apocriſariis, aut Reſponſalibus Romanorum Pontificum ad Imperatores, pro negotiis univerſalis Eccleſiæ procurandis, legendus Marca laudatus. De origine verò Nunciorum Apoſtolicæ Sedis in Comitatu Francorum Regum vide dicenda in Gregorio Tertio.

XXXIX. *Genſerico Vandalorum Regi obviam procedit.*

Anno quadringenteſimo quinquageſimo quinto Genſerico Vandalorum Regi urbem Romam improvisò aggredienti & ingredienti S. Leo occurrit, ipſumque pluribus allocutus, obtinuit ut igne & ferro, quo civitatem delere parabat, abſtineret, ſola direptione contentus, ut refert Proſper in Chronico: Romanam *urbem omni præſidio vacuam Genſericus obtinuit, occurrente ſibi extra portas Sancto Leone Epiſcopo, cujus ſupplicatio, ita eum, Deo agente, lenivit, ut cùm omnia poteſtatis ipſius eſſent, tradita ſibi civitate, ab igne tamen, & cæde, atque ſuppliciis abſtineretur. Poſt quatuordecim igitur dies, ſecura & libera ſcrutatione omnibus opibus ſuis Roma evacuata eſt, multaque millia captivorum . . . . . . cum Regina & filiabus ejus Carthaginem abducta ſunt.* Tres primarias Baſilicas à direptione defendit Sanctus Pontifex. Nam cùm reſarciendis damnis poſt cladem animum adjiceret, argentea & magni ponderis vaſa, olim tribus Baſilicis Conſtantiniane, Sancti Petri, & Sancti Pauli à Conſtantino data conflari juſſit, & per Titulos Urbis diſtribui, ut habet liber Pontificalis, qui & complures Baſilicas ejus pietate & ſolicitudine ædificatas, inſtaurataſque memorat.

XL. *Conſulitur à Theodoro Forojulienſi Epiſc.*

Anno quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo conſuluit ſanctum Leonem Theodorus Forojulienſis in Galliis Epiſcopus de penitentiæ diſciplina. Ad eum Sanctus Leo Epiſtolâ, quæ in Collectione Conciliorum eſt ordine 91, fusè & clarè reſpondet, regulis tamen ab Innocentio in Epiſtola ad Exuperium Toloſanum, & Cæleſtino in Epiſtola ad Epiſcopos Viennenſis & Narbonenſis provinciæ traditis prorſus inhærendo: Indulgentiam Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum non poſſe obtineri: peccatoribus per pœnitentiæ actiones eluenda eſſe delicta, ut deinde ad communionem admittantur. Iis verò, quos inſtans periculum, aut morbi vis premit, non denegandam eſſe reconciliationem, ſi petierint, aut petiiſſe antea circumſtantium fidelium teſtimonio comprobantur. Queſnellus Tom. 2. Operum S. Leonis teſtatur hanc Epiſtolam, tot, tantique momenti conſtitutionibus exuberare, & tot antiquæ diſciplinæ obſervationes exhibere, *ut multa*, inquit, *eſſent adnotanda*: quod tamen diligenter præſtat, multaque congerit, quæ Joannem Morinum in ſuis de pœnitentia Commentariis fugerant. Hæc porrò S. Leonis Epiſtola eodem anno 452 ſcripta.

XLI. *Reſpondet ad Inquiſitiones Ruſtici Epiſc. Narbonenſis.*

Conſultus eſt etiam Sanctus Leo, anno quadringenteſimo quinquageſimo nono, à Ruſtico Epiſcopo Narbonenſi circà ſacramenta Baptiſmi, Ordinis, Pœnitentiæ, & Matrimonii, Clericorum continentiam, Virginum conſecrationem, & alia hujuſmodi ad mores, & regimen Eccleſiæ pertinentia. Ad XIX Inquiſitionum ejus capita, reſponſa dedit Sanctus Leo, ex quibus diſcimus, baptizandos abſque conditione parvulos, de quibus neſcitur, an ſint baptizati. Eos qui in ægritudine pœnitentiam accipiunt, & cùm revaluerint, agere eam nolunt, deſerendos non eſſe. Pœnitentes in foro litigare poſſe; melius tamen facturos, ſi Eccleſiaſticum præ forenſi judicio expetant. Ruſtici Inquiſitiones, & Leonis Reſponſiones extant in Epiſtola 92 Sancti Leonis in Collect. Concil. Ad ſecundam Ruſtici Inquiſitionem reſpondet Leo: *Alienum eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo per manûs impoſitionem remedium accipiant pœnitendi, quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit.* Quibus ex verbis eruitur, inquit Queſnellus in Notis ad Epiſtolas 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, & 11. ad Dioſcorum, minoris ordinis Clericos, inter quos Subdiaconi numerabantur, non ſemper agendæ pœnitentiæ lege exemptos fuiſſe. Sed quod hanc diſciplinam à conſuetudine Eccleſiaſtica, imò *ex Apoſtolica traditione* arceſſit Leo, illud benignè intelligendum: nec enim de hac traditione uſpiam apparet; cùm potiùs, tribus ferè primis ſæculis, Clericos etiam majores pœnitentiæ publicæ fuiſſe ſubjectos, multis probet Morinus in Commentario de pœnitentia. Ita Queſnellus, qui poſtea explicat quænam fuerit mens Sancti Leonis, & quomodo ipſius verba interpretanda.

XLII. *Confeſſio publica ab Eccleſia nunquam præcepta.*

Idem Sanctus Leo in Epiſtola 136. novæ editionis, veteris verò 80. ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum con-

Digitized by Google

conſtitutos, confeſſionem publicam ab Eccleſia non ſolùm nunquam præceptam, ſed etiam *contra Apoſtolicam Regulam* præſumptionem eſſe teſtatur: ejus prolixum locum hìc referre juvat, quia inſuper egregium auricularis confeſſionis, ſecundùm *Apoſtolicam regulam*, continet teſtimonium: *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem*, inquit, *quam nuper agnovi à quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri: ne videlicet de ſingulorum peccatorum genere, libello ſcripta profeſſio publicetur, cùm reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicare confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen quia non omnium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea, qui pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis facta ſua reſerari, quibus poſſint legum conſtitutionibus percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.* Quo ex loco eruitur publicam ſeu ſolemnem confeſſionem aliqua Eccleſiaſtica lege præceptam non fuiſſe; eam tamen *ob vindictam ſuorum ſcelerum*, *& ſui humiliationem*, *cùm ob aliorum exemplum*, *tùm ob Eccleſiæ ædificationem* laudabiliter fieri potuiſſe docet Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 5. Habemus inſuper in hac Epiſtola rationes, quibus à præcipienda publica confeſſione repreſſa fuit Eccleſia.

XLIII. *Leo reprehendit eos, qui in Martyrum Natalitiis baptiſmum conferebant.*

Antiqua Eccleſiæ praxis fuit ſacramentum Baptiſmi ſolemniter adminiſtrare in ſola Paſchali ſolemnitate & in Pentecoſte, quod infinitis propè veterum Scriptorum teſtimoniis demonſtrari poteſt. Ad has feſtivitates non Hiſpani ſolùm, de quibus locuti ſumus in Siricio Papa, ſed etiam Campani, Samnii & Piceni, vel ſaltem quidam ex illis Martyrum dies feſtos addiderant. Hos reprehendit idem Sanctus Leo in dicta Epiſtola 136 ſcribens: *Magna indignatione commoveor, & multo dolore contriſtor, quòd quoſdam ex vobis comperi ita eſſe Apoſtolicæ traditionis oblitos, & ſtudio ſui erroris intentos, ut præter Paſchalem feſtivitatem, cui ſola Pentecoſtes ſolemnitas comparatur, audeant ſibimet, non aliqua humanæ infirmitatis neceſſitate cogente, ſed ſola indiſciplinati arbitrii libertate, jus baptiſmatis vindicare, & in Natalitiis Martyrum regenerationis celebrare myſteria.* Poſt Sanctum Leonem quinque potiſsimum dies deſignati in Galliis reperiuntur, nempe Natalis Domini, Epiphania, Paſcha, Pentecoſtes, & feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ. Imò Hiſpani non ſolùm in Natali Domini & in Epiphania, ſed etiam in Apoſtolorum & Martyrum feſtis diebus, ante S. Leonem baptiſma conferebant, ut in Siricio diximus. Sed talibus anguſtiis coarctari nolebat ſanctus Auguſtinus, qui, ut inquit Edmundus Martene lib. 1. de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 1. art. 1. num. 2. etiam omni die licitum eſſe ſuſcipere baptiſmum aſſerit ſermone 6. in Quadrageſima. Cui Auguſtini ſententiæ favet Innocentius primus Papa in Epiſtola ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum cap. 9. ubi Sacerdotes & Levitas, idcircò ab uxoribus abſtinere debere aſſerit, quòd *nec prætereat dies, qua vel à ſacrificiis divinis, vel à baptiſmatis officio vacent.* Sanctus tamen Leo Apoſtolicam traditionem ſe ſequi laudatis verbis aſſerit.

XLIV. *Extra Paſcha & Pentecoſten, baptiſmus aliquando collatus.*

Quamvis porrò à deſignatis olim baptiſmi temporibus recedere piaculum duceretur, nihilo tamen minus, ut ait Henricus Valeſius in Notis ad librum 7. cap. 11. Hiſt. Eccleſiaſt. Euſebii, *quando ingruebat perſecutio, ſolebant priùs Epiſcopi populum congregare, ut eum ad retinendam Chriſti fidem exhortarentur: deinde infantes, & cathecumenos baptizabant, ne ſine baptiſmo ex hac luce migrarent.* Quod probat ex facto Dorothei cujuſdam Theſſalonicenſis Epiſcopi tempore Juſtini Imp. quod refertur in ſuggeſtione Germani, Felicis & Dioſcori, miſſâ ad Hormiſdam Papam anno 519. Cujus rei praxim videre eſt etiam in Actis S. Stephani Papæ & Martyris cap. 1. apud Surium 2. Auguſti, ut notat Edmundus Martene, ex quo hæc excerpta loco laudato, ubi & oſtendit, idem etiam præſcripſiſſe faciendum tempore obſidionis, & in formidine naufragii eundem Leonem Papam Epiſtolâ 16.

XLV. *Quo tempore deſierit mos in Paſchate & Pentecoſte tantùm baptizandi.*

Hanc autem certis duntaxat diebus, maximè in Paſcha & Pentecoſte, baptizandi conſuetudinem, ad finem uſque ſæculi undecimi perſeveraſſe credit idem Martene, & eo tempore abrogari cœptam; ſæculo tamen medio decimo tertio in Anglia adhuc viguiſſe. Sed Concilium Londinenſe anno 1237 celebratum, quod hanc in rem laudat, non dicit baptizandum tantùm eſſe ſabbato ante Reſurrectionem Domini, & ante Pentecoſten, ſed ſolùm invehitur in eos, qui periculum ſuſpicabantur, ſi præfatis diebus pueri baptizarentur. *Quod*, inquit Concilium, *arbitrari vel utcumque metuere, ſanæ fidei penitus adverſatur, & manifeſtè convincitur falſitatis: cùm Summus Pontifex perſonaliter illud myſterium ſolemnizet, & diebus baptizet ſolemniter memoratis, & in aliis mundi partibus ſervat Eccleſia illud idem.* Unde

de licèt tunc temporis uſus baptizandi ſolemniter in diebus Reſurrectionis & Pentecoſtes duraret, inde concludi non poteſt, aliis anni temporibus baptiſmum non fuiſſe adminiſtratum. Hanc baptizandi extra ſolemnitates Paſchæ & Pentecoſtes conſuetudinem, jam ſæculo ſexto deſinente ab Eccleſia Romana inductam, manifeſtè patet ex Epiſtola 24. lib. 4. Regiſtri Sancti Gregorii, qua hic Pontifex permittit cuidam Epiſcopo, ut Judæos agri Agrigentini, *aut die Dominico, aut ſi celeberrima feſtivitas fortaſsè occurrerit, omnipotentis Dei miſericordia protegente baptizet*, ut in Sancto Gregorio dicemus. Hanc porrò S. Leonis ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium & Picenum Epiſtolam anno 459 ſcriptam, ex eo conſtat quòd dicatur data *pridie Nonas Martii Recimero Conſule*, qui eo Chriſti anno Conſulatum geſſit. A variis aliis Epiſcopis conſultus Sanctus Leo, decretales ad eorum conſulta reſcripſit Epiſtolas, ſapientiâ, eruditione, & ſtudio in diſciplinam Eccleſiaſticam conſpicuas.

XLVI. *Quid S. Leo Canoni Miſſæ addiderit.* Auctor libri Pontificalis refert, S. Leonem conſtituiſſe, ut intra actionem ſacrificii diceretur *Sanctum ſacrificium, Immaculatam hoſtiam*, quæ ſunt poſtrema verba orationis illius, quam dicit Sacerdos peractâ conſecratione. An verò hæc ſola verba huic orationi, an ipſam integram orationem Canoni Leo addiderit, Pamelius noluit definire tom. 1. Liturgicorum pag. 572. At Cardinalis Bona lib. 2. cap. 13. num. 3. Rer. Liturgic. cenſet, Leonem nihil addidiſſe niſi prænotata verba, quia Auctor quæſtionum veteris & novi Teſtamenti apud Auguſtinum Tom. 4. qui ſe ſcribere teſtatur deſinente ſæculo quarto, quique ideo Leone eſt antiquior, hujus orationis, quæ incipit *ſupra quæ propitio*, mentionem facit, eaque etiam extat apud Ambroſium lib. 4. de Sacramentis.

XLVII. *Moritur Leo, & ejus Reliquiæ transferuntur.* Poſtquam Sanctus Leo annos viginti unum, menſem unum, & dies tredecim ſediſset, ad Deum migravit die quarta menſis Novembris anni quadringenteſimi ſexageſimi primi, ut probat Annotator Baronii ad eum Chriſti annum, ubi & oſtendit à tempore tantùm Gregorii XIII feſtum ejus diei 11. menſis Aprilis affixum fuiſſe. Sepultus eſt in Baſilica Sancti Petri, ut habet liber Pontificalis. Tres poſtea ejus Reliquiarum Tranſlationes factæ ſunt. A quo Pontifice prima fuerit facta, ignoratur; ſed ſecunda facta eſt à Sergio Papa hujus nominis primo, anno 688. quarto Kalendas Julii, indictione prima, quod conſtat ex ejus Epithaphio, in quo legitur: *Depoſitus III Idus . . . . . & iterum tranſlatus huc à beato Papa Sergio IV Kal. Jul. indict.* 1. & in codice M. S. Virdunenſis cænobii Sancti Vitoni apud Mabillonium Tom. 3. Analect. pag. 431. additur: *Sedit in Epiſcopatu annos XXI, menſem I, dies XIII.* Tertia ejuſdem Sancti Pontificis Tranſlatio peracta eſt à Paulo quinto; Henſchenius enim ad diem 11. menſis Aprilis quo colitur, recitat Hiſtoriam elevati & tranſlati corporis ejus ex MS. Catalogo Eccleſiæ ſancti Petri, in quo legitur: *Sacrum ipſum corpus unà cum oſſibus aliorum Leonum, ſecundi, tertii, & quarti ſolemni ritu in novum Templum tranſlatum fuit, memorata die 27 Maii, Dominica infra octavam Aſcenſionis 1607 poſt cantatas veſperas. Huic Tranſlationi præſentes fuerunt*, &c. Sanctiſſimus Dominus noſter Paulus Papa V. voluit videre corpora eorundem Sanctorum, viditque illa multo animi ſui ſolatio. In ea Hiſtoria etiam legitur corpus Sancti Leonis M. ante hanc tranſlationem conditum fuiſſe in capſa lignea, in qua quieſcebat *corpus Beatiſſimi Leonis Magni Papæ primi à Sergio primo reconditum.*

XLVIII. *Ejus Opera vera & ſuppoſita.* Monumentum quovis ære perennius ſibi vivens poſuit Leo Magnus ſuis lucubrationibus nunquam interituris, quas Queſnellus cum variis MSS. codicibus contulit, ejus Epiſtolas ordine Chronologico digeſſit, varias, quæ nunquam lucem viderant, è tenebris eruit, ac quotquot ad Sanctum Leonem datæ ſunt ab aliis, ejuſdem literis inſeruit, quia iis melius intelligendis ſæpè neceſſariæ ſunt. Capitula tamen *de gratia & libero voluntatis arbitrio*, Epiſtolam *ad Demetriadem*, & duos *de vocatione omnium gentium* libros, quos Sancto Leoni attribuit Queſnellus, jure merito Sancto Proſpero Aquitano vindicat Antelmius in Diſſertatione de Veris Operibus SS. Leonis M. & Proſperi Aquitani.

S. HILARUS *Pontif. XLVIII.*

Anno Domini CCCCLXI.

I. *S. Hilarus creatur Papa.* S. Hilarus Diaconus, non Hilarius, ut ex literis argenteis, & muſivis, quæ extant in baptiſterio Lateranenſi, & ex vetuſtis quibuſdam codicibus eruiſſe ſe dicit Onuphrius in Annotat. ad Platinam, natione Sardus, ex patre Criſpino poſt dierum ſeptem interpontificium, ut in libro Pontificali legitur, Sancto Leoni ſucceſſor datus eſt die duodecima menſis Novembris ejuſdem anni quadringenteſimi ſexageſimi

 primi,

SÆC. V. S. HILARUS.

primi, ordinatus die Dominica. Quod Marianus Scotus in Chronico ex aliquo antiquo monumento ſine dubio eruit, & deducitur ex Concilio Romano anno 465, die 17 Novembris, ut habent Acta, Romæ celebrato ab Epiſcopis, quos Hilari Papæ Natalis feſtivitas congregarat, ideſt dies ordinationis, Natalis nomine expreſſæ. Fuerat Hilarus Legatus Sancti Leonis in pſeudo-Synodo Epheſina, in qua Dioſcori tyrannide cuſtodiæ traditus eſt, ex qua ſe ſubducens poſt infinita ſuperata vitæ diſcrimina Romam tandem advenit.

II. Confirmat tres Synodos generales.

Sanctus hic Pontifex, ſi Auctori libri Pontificalis fides, *fecit Decretalem & per univerſum Orientem ſparſit de fide Catholica & Apoſtolica, confirmans tres Synodos, Nicænam, Epheſinam & Calchedonenſem* (codex Florentinus ab Holſtenio laudatus apud Schelſtratium habet, quatuor Synodos) *vel Tomum Archiepiſcopi Leonis, & damnavit Eutychem, Neſtorium & Dioſcorum, vel omnes ſequaces eorum, & omnes hæreſes, & confirmans auctoritatem & principatum S. Sedis Apoſtolicæ.*

III. Scribit ad Arelatenſem & alios Epiſcopos Gallicanos.

Hilarus anno quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo, literis octavo Kalendas Februarii datis, creationem ſuam Leontio Arelatenſi Epiſcopo ſignificavit, quæ Epiſtola, ut ex ipſius lectione conſtat, circularis fuit, de more & conſuetudine ad omnes Eccleſias transmiſſa. Poſt hæc autem accidit, ut cùm Hermes quidam Biterrenſibus ordinatus Antiſtes, nec ab iis ſuſceptus, intruſiſſet ſe in Eccleſiam Narbonenſem, acriter Hilarus reprehendit Leontium Arelatenſem, quòd id non indicaſſet, jubetque ut ejus invaſionis relationem tranſmittat. Tùm tertio nonas Decembris ejuſdem anni 462, Epiſtolâ VIII ad Epiſcopos Provinciarum Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ & ſecundæ, & Alpium maritimarum datâ, ejuſdem Hermis ambitum temerarium ſevera animadverſione caſtigavit. Ipſum enim ita permiſit Eccleſiæ Narbonenſi præſidere, ut nullas ordinationes celebrare poſſet in Provincia Narbonenſi, earum celebrandarum jura ad Conſtantium Uceticæ Eccleſiæ Epiſcopum transferens, & poſt mortem Conſtantii ad antiquiorem provinciæ Antiſtitem, donec Hermes obiiſset. Poſt Hermis enim obitum Narbonenſi Eccleſiæ jus ordinationum reſtitui decrevit.

IV. Concilia quotannis celebrari decernit.

Magna Synodus Nicæna canone V ſtatuerat bis in anno Concilia celebrari debere, ad quem canonem Sanctus Leo reſpexit cùm ad Epiſcopos Siciliæ ſcripſit, ſaluberrimè à Sanctis Patribus conſtitutum, ut bini debeant in annos ſingulos Epiſcoporum eſse Conventus. In Regienſi Concilio ſub Sixto III can. 7. & in Arauſicano primo ſub Sancto Leone can. 29 ordinatum fuerat, ut ſingulis annis Epiſcopi congregarentur. Quare Hilarus intelligens reſtaurandæ diſciplinæ nullum medium convenientius eſſe, quàm frequentium Conciliorum celebrationem, ea per annos ſingulos in Eccleſia Gallicana ex quibus poſſent provinciis congregari præcepit, dictâ ad Epiſcopos Gallicanos Epiſtolâ, hancque ſolicitudinem demandavit Leontio Arelatenſi; ita tamen, *ut in dirimendis gravioribus cauſis, & quæ illic non poſſent terminari, Apoſtolicæ Sedis ſententia* conſuleretur. Vetuit etiam ne abſque Metropolitani literis, quiſquam extra provinciam diſcederet, quas ſi propter ſimultatem non poſſet impetrare, Arelatenſis Epiſcopus cum duobus aliis Metropolitanis cauſas expenderet. Ad Gallicanos denique Epiſcopos querelam Leontii Arelatenſis Epiſcopi audiendam, judicandamque remiſit, quâ ſuæ diœceſeos parochias quaſdam ab Hilario deceſſore ſuo in alios translatas, Eccleſiæ ſuæ reſtitui à Pontifice petierat.

V. Cyclum 532 annorum à Victorio componi curat.

Baronius ſcribit Hilarum anno quadringenteſimo ſexageſimo tertio novum Cyclum annorum 532 per Victorium Aquitanum componi curaſſe; ſed cyclus ille, ſive canon Paſchalis compoſitus eſt à Victorio anno 457, dum adhuc Hilarus urbis Romæ Archidiaconus erat, ſub Conſulatu Conſtantini & Ruſi, ut liquet ex Præfatione Victorii. Editus eſt autem occaſione Paſchatis anni 455, de quo magna Orientales inter & Occidentales contentio fuerat. Sanctus enim Leo, ne quid ſimile impoſterùm contingeret, per quempiam è ſuis talium intelligentem, Paſchalem canonem conſcribi voluit, negotiumque Hilaro, tunc ſuo Archidiacono, & poſtea in ſede Petri ſucceſſore, commiſit, & Hilarus Victorio Aquitano: unde Hilarus in Epiſtola ad Victorium ait: *Quapropter dilectiſſime frater, tanta rerum ambiguitate permotus, tuæ dilectionis ſtudio fidenter injungo, ut per omnium diligenter inquiras, vel unde ſupradicta diverſitas oriatur*, &c. Eum autem non dixiſſet fratrem Hilarus, ſi tunc fuiſſet Pontifex Romanus. Canonem illum Paſchalem promulgavit Ægidius Bucherius in Opere de Doctrina Temporum & pluribus expoſuit. De eo etiam doctiſſimè diſſerit Cardinalis Noriſius in Diſſert. de Paſchali Latinorum cyclo annorum 84. Legenda quæ de eo cyclo dicuntur in Critica Baroniana.

VI. Adverſus Mamerti Epiſc. Viennenſi factum ſcribit.

Cùm Mamertus Viennenſis Epiſcopus, Dienſis Eccleſiæ in Delphinatu poſitæ, quæ ad Arelatenſis Epiſcopi diœceſim pertinebat, Epiſcopum, ipſis etiam Dienſibus invitis ordinaſſet, Hilarus literis ad Leontium Arelatenſem ſexto Idus Octobris, Baſilio Viro Clariſſimo Conſule, ideoque anno 463 datis, eum monet ut in Conventu Synodali,

qui

qui annis ſingulis eſt congregandus, quæ ſunt acta diſcutiat, rationem facti exigat, *ac deinde*, inquit, *omnium literis noſtræ* intimetur *notitiæ*, *ut quod Sancto Spiritu dictante eſt faciendum, ac comprimendos conatus illicitos ordinemus.* Eſt Epiſtola ordine 9. Ad Epiſcopos autem provinciarum Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ & ſecundæ Epiſtolam 10, nullâ temporis notâ inſignitam eadem de re ſcribit, & tandem Epiſtolam 11, datam ſexto Kalendas Martii P. C. Baſilii Viri Clariſſimi Conſulis, ideoque anno 464, quâ jubet Verano Venceſi Epiſcopo, ut moneat Mamertum, ut ab ordinationibus indebitis, ſub honoris ſui privilegiorum periculo, impoſterum abſtineat. Eum verò, qui fuerat à Mamerto Dienſis Epiſcopus ordinatus, Leontii Arelatenſis, à quo ritè conſecrari debuerat, arbitrio confirmari præcepit. Hoc in decreto Hilari videre eſt ardentiſſimum ejus ſtudium vigilantiamque ſingularem in procuranda per totam Eccleſiam, & maximè per diœceſes Patriarchatui ſuo ſubjectas, canonum executione, ac eorundem tranſgreſſione vindicanda. Utrùm verò Mamertus reverà peccaverit contra canones & contra S. Leonis conſtituta, qui quatuor duntaxat civitates Viennenſi Metropoli addixerat; an verò Hilarus falſis accuſationibus & ſubreptionibus in Mamertum virum ſanctiſſimum invectus fuerit, ſub judice lis eſt.

VII. Concilium Romæ celebrat.

Anno quadringenteſimo ſexageſimo quinto Concilium celebravit Hilarus Papa Romæ in Baſilica Sanctæ Mariæ die 16 Kalendarum Decembris, ut habent Acta, quæ correctiora edita ſunt, quam ante fuerant, à Chriſtiano Lupo in fine Tom. 1. Epiſtolarum Caſinenſium. Actum in eo de diſciplina Eccleſiaſtica, & de Hiſpaniarum Eccleſiis. Quinque canones ſeu decreta in eo condita ſunt: quorum primo ſtatuitur canones Nicænos, vel Apoſtolicæ Sedis decreta cuſtodiri debere. Secundo, ut bigami, aut viduæ, aut corruptæ mariti ad Eccleſiaſticos gradus non accedant. Tertio, ut pœnitentes, aut inſcii literarum, ſive defectu membrorum, aut deciſione aliquid minus habentes, ad ſuperiorem ordinem non accedant. Quarto, ut quæ Epiſcopus, vel deceſſor ejus illicitè ordinavit, ab eo qui ſupereſt, emendentur. Quinto, ut nullus Epiſcopus ſibi ſucceſſorem eligat.

VIII. Irenæum à regimine Barcinonenſis Eccleſiæ amovet.

Hoc ultimum decretum factum eſt, quia, ut conſtat ex Epiſtola ſecunda Hiſpanorum Epiſcoporum ad Hilarum, Nundinarius Barcinonenſis Epiſcopus ſucceſſorem ſibi deſignaverat, conſentientibus provinciæ Tarraconenſis Epiſcopis. Quare Hilarus Epiſtolâ ſuâ ſecundâ ad Aſcanium Tarraconenſem Metropolitam & reliquos Tarraconenſis provinciæ Epiſcopos, ex Romanæ Synodi ſententia datâ die trigeſima Decembris ejuſdem anni 465, Irenæum à regimine Barcinonenſis Eccleſiæ excludi voluit, *ne*, inquit, *Epiſcopalis bonor hæreditarium jus putetur, quod nobis ſola Dei noſtri benignitate confertur*, licèt provinciæ Epiſcopi, & Aſcanius Metropolitanus Irenæo ſuffragarentur, ipſumque Optimates & plebs, utpotè meritis & morum integritate inſignem poſtulaſſent. Silvanus prætereà Calaguræ in eadem provincia Tarraconenſi Epiſcopus, Presbyterum alienum proprio Epiſcopo ſuperordinaverat in eadem Eccleſia. Factum inſolens ad Sedem Apoſtolicam detulerunt Hiſpani Antiſtites, quod Calaguræ & vicinarum civitatum Optimates apud Romanum Pontificem excuſarunt. Violatorum canonum veniam Silvano conceſſit Hilarus, ut & aliis Epiſcopis de ipſo conqueſtis, quoniam nonnulli Epiſcopos abſque Metropolitani conſenſu quibuſdam civitatibus ordinaverant.

IX. Hiſpanorum Epiſc. in Apoſtolicā ſedem reverentia.

Ideo autem Silvani cauſam ad Romanum Pontificem detulerunt Hiſpani Epiſcopi, quia ſchiſmatis cauſa erat; & Pontificii Primatûs præcipua pars eſt, Eccleſiæ unitatem ſartam tectam ſervare. *Proinde*, inquiunt, *quia bis præſumptionibus, quæ unitatem dividunt, quæ ſchiſma faciunt, velociter debet occurri: quæſumus ſedem veſtram, ut quid ſuper hac parte obſervari velitis, Apoſtolicis affatibus inſtruamur.* In eadem Epiſtola Hiſpani Epiſcopi religioſam ſuam erga Apoſtolicam Sedem reverentiam oſtendunt, cùm ſcribunt: *Etſi extaret neceſſitas Eccleſiaſticæ diſciplinæ, expetendum revera nobis fuerat illud privilegium ſedis veſtræ, quo ſuſceptis regni clavibus poſt reſurrectionem Salvatoris, per totum orbem beatiſſimi Petri ſingularis prædicatio univerſorum illuminationi proſpexit; cujus Vicaris principatus ſicut eminet, ita metuendus eſt ab omnibus & amandus. Proinde Deum in Vobis penitus adorantes, ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam, inde reſponſum quærentes, unde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur.*

X. Qua occaſione Concilium Romanum coactum.

Concilium iſtud Romanum congregatum eſt occaſione diei Natalis, ſeu diei ordinationis Hilari Papæ, ut ipſemet inſinuat in præcepto, ſeu in Synodica Epiſtola jam laudata ad univerſos Epiſcopos Tarraconenſis provinciæ data, in qua ait: *Lectis in Conventu Fratrum, quos Natalis mei feſtivitas congregarat, literis veſtris.* Hilarus ordinatus fuerat die 12 menſis Novembris, ut jam dictum eſt; is autem dies anno 465 in feriam ſextam incidit. Quare Epiſcopi eo die congregati initium fecerunt à divino cultu, in eoque perſeverarunt duobus ſequentibus diebus, ſabbato nempe, & Dominica. Quibus confectis hortantur Papam, *ut quæcumque pro diſciplina Ec-*

Digitized by Google

SÆC. V. S. HILARUS.

Eccleſiaſtica neceſſaria ſunt, curâ diligentiore tractet, quemadmodum legitur initio Actorum Synodalium; interimque coeunt ſequentibus diebus, & ea conſtituunt ac decernunt, quæ in Epiſtola ad Tarraconenſes ipſemet Hilarus exponit. Hunc Majorum morem, ut poſt rem divinam die Dominico peractam, inchoarentur Synodi egregiè illuſtravit Tentzelius in Schediaſmate *de Natalitiis Epiſcoporum*, ubi & oſtendit non ſolùm Pontifices Romanos, ſed & alios omnes Epiſcopos diem Natalem ſuum celebraſſe.

XI. Hilarus Eccleſiæ Ebredunenſi jura ſua reſtituit.

Auxanius Aquenſis in Provincia Metropolita ſecundæ Narbonenſis ab Hilaro Papa per obreptionem impetraverat jus Metropoliticum in Eccleſiis quibuſdam provinciæ Alpium maritimarum, quod in ſuæ dignitatis imminutionem factum, Ingenuus Ebredunenſis Epiſcopus Alpium maritimarum Metropolitanus, apud Sedem Apoſtolicam conqueſtus eſt. Hilarus cauſæ cognitionem Leontio Arelatenſi (non verò Forojulienſi, ut habet Binius in Notis, hic enim jam anno 433 obierat, ut videre eſt apud Antelmium in Initiis Eccleſiæ Forojulienſis) Verano Vencienſi, & Victuro Epiſcopis demandavit. Interimque ſtatuit, ut Cemelenenſis civitas, et Nicenſe Caſtellum uni Epiſcopo ſubeſſent, juxta deceſſoris ſui decretum, miſſo in irritum Auxanii facto, qui in iſtarum civitatum altera Epiſcopum ordinaverat: decernens ut Metropolitani quique ſuis contenti eſſent finibus, nullaque ratio haberetur illorum, quæ ab Apoſtolica Sede contra canones per obreptionem eſſent impetrata. Hilari Epiſtola, ordine 4, nullâ temporariâ notâ inſignitur, ideoque ignoratur quo anno ſcripta ſit.

XII. Anthemio Imp. reſiſtit.

Anno quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo Leo Orientis Imperator Anthemium Patricium Romam miſit Imperatoremque conſtituit, qui, ut ſcribit Chronographus à Cuſpiniano editus ſub Conſulibus anni 467, levatus eſt Imperator Romæ pridie Idus Aprilis. Huic impellente Philotheo Macedoniano ejus familiaritate ſuffulto, diverſarum Conciliabula nova ſectarum in urbem Romam inducere volenti, Apoſtolicâ conſtantiâ reſtitit Hilarus, & *apud beatum Petrum Apoſtolum palam ne id fieret clara voce eum* conſtrinxit, *intantum ut non ea facienda cum interpoſitione ſacramenti, idem promitteret Imperator*, inquit Gelaſius Papa in Epiſtola ordine 13 ad Epiſcopos Dardaniæ.

XIII. Moritur.

Ex hoc ſolo loco, etiamſi aliæ probationes deficerent, jugulatur ſententia Papebrocii ſcribentis in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum, Hilarum Papam die vigeſima prima Februarii anni quadringenteſimi ſexageſimi ſeptimi ad Deum tranſiiſſe; licèt enim verum ſit, ejus mortem diei 21 Februarii aſſigendam eſſe, ea tamen differri debet ad annum quadringenteſimum ſexageſimum octavum, poſtquam Romanam Eccleſiam ſanctè adminiſtraſſet annos ſex, menſes tres, dies decem, ut habetur in libro Pontificali, in ſex Catalogis Criticæ Baronianæ Tomo primo præfixis, in Catalogo Vaticano-Palatino, & in pluribus auctoribus in eadem Critica ad annum 467 laudatis. Si autem die 21 Februarii anni quadringenteſimi ſexageſimi ſeptimi obiiſſet, falsò ſcriberet Gelaſius eum Anthemio Imperatori Romæ reſtitiſſe, cum dictus ſit Imperator Romæ die 12 menſis Aprilis ejuſdem anni. Ex quo & priorum Pontificum Romanorum Chronologia confirmatur.

XIV. Ejus munificentia.

Hilari munificentiam extollit libri Pontificalis Auctor ſcribens eum feciſſe tria Oratoria in Baſilicæ Conſtantinianæ Baptiſterio, S. Joannis Baptiſtæ, S. Joannis Evangeliſtæ, & S. Crucis, omniaque ex argento & lapidibus pretioſis ornaſſe. Et confeſſionem S. Joannis Evangeliſtæ feciſſe ex argento penſantem libras centum & crucem auream. Et in ambobus Oratoriis januas æreas argento clauſas. In Oratorio verò S. Crucis feciſſe confeſſionem, ubi lignum poſuit Dominicum, & crucem auream cum gemmis pènſantem pondo librarum viginti: in confeſſione feciſſe januas ex argento penſantes libras quinquaginta: ſupra confeſſionem arcum aureum penſantem libras quatuor, quem portant columnæ Onychinæ; & ubi ſtat agnus aureus penſans libras duas. Plura alia refert idem liber Pontificalis, quæ ejus munificentiam produnt, apud eum legenda. Legendus & Joannes Diaconus Junior in libello de' Eccleſia Lateranenſi §. 12. & ſeq. ubi ſcribit hunc Pontificem duo memorata Oratoria S. Joannis Baptiſtæ & S. Joannis Evangeliſtæ, è regione hinc inde diſpoſita conſtruxiſſe, retro Baſilicam Salvatoris, & feciſſe in eodem loco Bibliothecas duas, eaque omnia in Baſilica Conſtantiniana ad S. Mariam conſtituta repoſuiſſe. Porrò tria illa Oratoria in Baſilica Conſtantiniana erexit Hilarus, quia cùm recens regenerati ſolerent ſtatim poſt ſuſceptum baptiſma corpori & ſanguini Domini participare, aliquot etiam Oratoria in ſacris Baptiſteriis vulgò erigebantur, in quibus Miſſa celebrari poſſet ad communionem renatorum. De Baptiſteriis, ſeu, ut nunc loquimur, fontibus baptiſmalibus lege Edmundum Martene lib. 1. de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 1. art. 2. Bollandus ſcribit ad diem 21 Februarii, Hilari nomen adſcriptum eſſe Florario SS. & Maurolyci, Galeſinii, Caniſii Martyrologiis, variiſque Calendariis & Greveni ad Uſuardum Auctario.

S.SIM-

Digitized by Google

S. SIMPLICIUS *Pontif. XLIX.*

Anno Domini CCCCLXVIII.

I. *Simplicius fit Papa.*

S. Simplicius natione Tiburtinus, patre Caſtino, poſtquam Sedes Romana dies tantùm quatuor vacaſſet, ordinatus eſt die vigeſima quinta menſis Februarii, quæ anno quadringenteſimo ſexageſimo octavo Dominicalis fuit, quod ex ejus ſedis duratione, de qua infrà, manifeſtè conſtabit, non quidem quoad annum ordinationis, hic enim ex morte Hilari certò innoteſcit, ſed quoad diem & menſem.

II. *Decretum Synodi Calchedon. pro Eccleſia C.P. approbare recuſat.*

Simul ac Conſtantinopoli innotuit Simplicium Papam Hilaro ſubrogatum fuiſſe, Leo Imperator, quod obtinere non valuit à S. Leone, nec ab Hilaro, à Simplicio Papa impetrare ſategit, ut rata haberentur decreta ab Epiſcopis Synodi Calchedonenſis, quæ pertinebant ad privilegia Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ. Verùm & ipſe Simplicius vehementiùs reſtitit, obſtititque ejus conatui, miſſo ad hoc Probo Epiſcopo Canuſino Legato Conſtantinopolim. Teſtatur id Gelaſius Papa in Epiſtola 13 ad Dardaniæ Epiſcopos his verbis: *Eaque nihilominus ſub Sanctæ memoriæ Papa Simplicio Legatum Sedis Apoſtolicæ Sanctæ memoriæ Probum Canuſinæ urbis Epiſcopum, Leone Principe tunc petente, præſentem docuiſſe nullatenus poſſe tentari, neque his prorſus præbuiſſe conſenſum, atque ideo non ad civitatis cujuslibet reſpiciant qualitatem, ſed modum diſpenſationis Eccleſiaſticæ paterna traditione firmatum convenienter obſervent.*

III. *Zeno Imp. pro ejuſdem Eccleſiæ privilegiis ſanctionem edit.*

Baronius exiſtimat Leonem Imperatorem Orientis anno quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, impellente & ſuadente Acacio, qui anno quadringenteſimo ſeptuageſimo primo, Gennadio in Epiſcopatum Conſtantinopolitanum ſucceſſerat, ſanctionem emiſiſſe, qua cuncta conceſſa Eccleſiis privilegia jam perdita reſtitueret, atque firmaret: ut hac via, quod Anatolius Gennadii prædeceſſor, reſiſtente Sancto Leone, de Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Primatu, viſus fuerat feciſſe diſpendium, ipſum illi in integrum reſtitueret; poſteaque ſanctionem illam, quæ eſt 16 Cod. Juſtin. *de Sacroſanctis Eccleſiis*, refert. Sed licèt verum ſit Acacium conatum eſſe impetrare à Leone Imperatore, ut Conſtantinopolitana Sedes poſt Romanam locum principem obtineret, juxtà decreta Conciliorum Conſtantinopolitani & Calchedonenſis; prædicta tamen lex, quâ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ privilegia reſtituuntur, non à Leone Imperatore, ſed à Zenone Auguſto emiſſa, flagitatu Acacii, & quidem anno quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo; quo Zeno in Imperium reſtitutus eſt, ut probat Annotator Baronii. Leo autem Imperator nihil impetrare potuerat à Simplicio, ut mox dictum eſt.

IV. *Simplicius Hiſpalenſ. Epiſc. Primatem declarat.*

Simplicius Papa Epiſtolâ primâ, Zenoni Hiſpalenſi Epiſcopo vices ſuas in omnibus Hiſpaniarum Eccleſiis, delegavit ad curandam Canonum executionem: ſed quo anno incertum eſt, quòd Epiſtola illa Conſulibus careat. Quare Hiſpalenſis Epiſcopus in Hiſpaniis ante cæteros Primatûs jure potitus eſt. Poſtea Sanctus Leander Hiſpalenſis etiam Epiſcopus Concilio tertio Toletano, anno 589 celebrato, ut Sedis Apoſtolicæ Vicarius interfuit, ut habet Sanctus Iſidorus in Chronico lib. 2. Iſte Primatus ad Concilii Toletani 12. tempora, ſeu ad annum uſque circiter 681 perduravit. Verùm Hiſpalenſis Epiſcopus ſolus in Hiſpaniis Primas non fuit. Hormiſdas enim Papa Joanni Tarraconenſi Epiſcopo vices ſuas commiſit anno 517, ut patet ex ejus Epiſtola 24.

V. *Ejus ſollicitudo pro Eccleſia Alex.*

Timotheus Ælurus, ut in Sancto Leone diximus, S. Proterio Epiſcopo Alexandrino vivente, Alexandrinam Eccleſiam invaſerat, ſanctumque Proterium interfici curaverat: ſed anno 460 Leone Imperatore præcipiente ex ea ſede dejectus, & Cherſonam exilio relegatus: alius pro eo Timotheus Salophaciolus Synodi Calchedonenſis defenſor Epiſcopus ordinatus fuerat. Verùm cùm Baſiliſcus anno 476 Orientis imperium invaſiſſet, damnare cæpit Calchedonenſem Synodum & Catholicos perſequi. Quare Timotheum Ælurum promulgato edicto ab exilio revocavit, qui cùm iterum Eccleſiam Alexandrinam invaſiſſet, Timotheus Salophaciolus in Monaſterio latere coactus eſt. Simplicius, ut huic malo occurreret, tres Epiſtolas anno quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto ſcripſit, primam ad Baſiliſcum, quæ in Collectione Conciliorum Labbei eſt ordine quarta, in qua Simplicius petit ab Imperatore Baſiliſco, ut Timotheum Ælurum, qui Alexandrinam Sedem occuparat, & clàm Conſtantinopoli ſuas hæreſes diſſeminabat, Regia poteſtate cohibeat. In epigraphe quidem hujus Epiſtolæ Librarius poſuit, *Zenoni Auguſto*, ſed Auctor Criticæ Baronianæ anno 476 legendum oſtendit, *Baſiliſco Auguſto*, & tam eam, quàm duas alias, nempe quintam Simplicii ad Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & ſeptimam ad Presbyteros

Digitized by Google

teros & Archimandritas Conſtantinopolitanos contra Timotheum Ælurum, non eſſe ſcriptas menſe Januario, ſed menſe Junio.

VI. Pro ea & pro Eccleſia Antioch. Romæ Synodum celebrat.

Parte alia Petrus Fullo, qui ab anno 463 Eccleſiam Antiochenam turbare cœperat, eam poſtea invaſit: qua temeritate commotus Leo Imperator, anno 471 Synodum Epiſcoporum fieri præcepit, in qua Fullo depoſitus, ac damnatus, jubente Leone in Oaſim deportatus eſt. Sed anno 476 in Sedem Antiochenam à Baſiliſco tyranno reſtitutus, ex ea iterum pulſus eſt anno 477. Holſtenius in Collectione Romana publicavit Epiſtolam Simplicii Papę ad Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quæ ſine die & Conſule eſt, ex qua diſcimus, Simplicium ab Acacio de Synodo à ſe Conſtantinopoli indicta monitum, petiiſſe ut hæretici in ea damnarentur. Extat ea Epiſtola Tom. 4 Concil. pag. 1039. Quare anno 478 Acacius Conſtantinopoli, Simplicius Romæ Synodum celebravit. In illis Timotheus Ælurus, Petrus Fullo, Joannes Apamenus & Paulus Epheſiorum Epiſcopus damnati ſunt. Felix enim III Simplicii Papæ ſucceſſor in Epiſtola ad Clericos & Monachos Orientales apud Baronium anno 483. num 52. ait: *Quos tunc hypocrita Acacius ita fecit ab Apoſtolica ſede damnari, ut his etiam vocabulum Chriſtianorum tolleretur, quod geſta apud eum habita manifeſtant.* Quæ verba nonniſi de Synodalibus geſtis intelligi poſſunt.

VII. Petrus Fullo in ea damnatur ob additionem Triſagio factam.

Porrò Petrus Fullo damnatus eſt in Synodis Conſtantinopolitana & Romana, quòd Triſagio, Hymno in Eccleſia cani ſolito, ex his tantum verbis compoſito. *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis*, clauſulam hanc adjeciſset: *Qui crucifixus es pro nobis*, ut nempe Theopachiſtarum hæreſim, qua Fullo infectus erat, induceret, & Deo Trino, ad quem ſuperiora ſpectabant, paſſionem adſcriberet. Id conſtat ex Epiſtola Simplicii Papæ ad Petrum Fullonem, quæ incipit, *Quis dabit capiti meo aquam*, &c. quæ in Conciliorum Collectione Felici III malè adſcribitur, eſtque ordine tertia; & ex alia Epiſtola ad eundem Fullonem, quæ incipit, *Quoniam peſtiferis doctrinis imbutus*, &c. eſtque ordine quarta inter Felicianas; quæ duæ Epiſtolæ Simplicio reſtitui debent, ut videre eſt in Critica Baronii. In iis Epiſtolis Simplicius invehitur in Fullonem, quòd Triſagiæ deprecationi additionem illam induxerit. Executio ſententiæ, qua Petrus Fullo damnatus & Antiocheno Epiſcopatu dejectus, demandata Acacio, ut docet Gelaſius Papa in laudata Epiſtola 13 ad Dardaniæ Epiſcopos, & in Commonitorio ad Fauſtum, ubi loquens de Timotheo Alexandrino & Petro Fullone Antiocheno, aliiſque Epiſcopis, ait: *Sola Sedis Apoſtolicæ ſunt auctoritate dejecti, cujus rei teſtis etiam ipſe docetur Acacius, qui præceptionis hujus extitit executor.*

VIII. Simplicius confirmat electionem Antioch. Epiſcopi contra canones factam.

Petro Fullone, ut ſuperiùs dictum eſt, anno 477 dignitate moto, Joannes Apamenus ordinatus eſt Epiſcopus Antiochenus; ſed hoc quoque poſt tres menſes ejecto, Stephanus vir ſpectabilis Antiochiæ promovetur Epiſcopus. Stephano anno 481 demortuo ſucceſſit Stephanus Junior, ut ſcribit Theophanes, *quem fidei perduelles, pro ſua in Petrum Fullonem propenſione, in amentiæ ſubſidium furorem armantes, in Sancti Martyris Barlaam Baptiſterio acutis calamis perfoſſum & necatum in Orontem fluvium projecerunt. Zeno porrò facinus attentatum ulturus Acacio Conſtantinopolitano Præſuli, ut Antiochiæ crearet Epiſcopum, mandavit: qui conſecravit Calendionem.* Hunc, non verò Stephanum Juniorem Conſtantinopoli Antiochenum Epiſcopum ordinatum, diſertè etiam tradit Theodorus Lector lib. 2. Stephani Junioris cædem, & Calendionis ordinationem, contra Nicænorum Canonum tenorem, & antiquum uſum, Conſtantinopoli factam, graviter tulit Simplicius Papa. Diſpenſationem tamen conceſſit, ſeu veniam infractorum Canonum rogante Zenone Imperatore, ea lege, ut uſurpata ab Acacio Antiocheni Epiſcopi conſecratio, non traheretur in exemplum, & ſervarentur Canones, ita ut Antiochenus Epiſcopus & creatio ejus reſervaretur Synodo Orientalis diœceſeos, ut liquet ex Epiſtolis 14. Simplicii ad Zenonem, & 15. ac 16. ad Acacium, quas anno 482 datas probat idem Criticæ Baronianæ Auctor. Ex hoc Simplicii facto Romani Pontificis Primatus ſupra omnes Epiſcopos evidenter oſtenditur, quippe qui cum Patriarchis etiam Orientalibus de canonibus Conciliorum etiam Oecumenicorum diſpenſet.

IX. Joannes Talaia fit Epiſcopus Alexandrinus.

Cùm Timotheus Salophaciolus Epiſcopus Alexandrinus anno 476 Epiſcopatu dejectus fuiſſet à Timotheo Æluro, hicque anno ſequenti à Zenone Imperatore pulſus eſſet & Timotheus reſtitutus, mortuo tamen eodem anno 477 Timotheo Æluro, Petrus Moggus ſeu Mongus, ipſius conſors ab uno hæretico Alexandrinus Epiſcopus ordinatur. Hunc nihilominus dejici juſſit Imperator Zeno & reduci Timotheum Salophaciolum. Sed cùm hic anno 481 obiiſſet, Joannes Talaia, à Græcis *Tabennioſita* cognominatus, quòd eſſet ex numero Tabennenſium Monachorum, qui apud Canopum monaſterium jam inde à Cyrilli temporibus habitabant, à Catholicis ordinatus eſt Epiſcopus Alexandriæ, ſtatimque literas Synodicas ex more miſit ad Simplicium Papam & ad Calendionem Epiſcopum Antiochiæ, ut ex Breviculo Hiſtoriæ Eutychianiſtarum,

& ex

Digitized by Google

& ex Liberato liquet. Ad Acacium verò Conſtantinopolitanum Epiſcopum Synodicas mittere neglexit, ſeu quòd amicitiæ illi Magiſtri Officiorum nimis confideret, ſeu quòd jamdiu antea infenſus erat Acacio. Ea res Acacii animum graviter commovit, & Imperatoris animum adversùs eum exaſperavit.

X. *Imperator contra eum ad Simplicium PP. ſcribit.* Imperator ſcripſit primò ad Simplicium Papam per Uranium Subdiaconum literas, quibus Joannem tanquam perjurii reum, quod quidem Acacio etiam Epiſcopo notum eſſe perhibebat, Sacerdotio judicabat indignum. Satius autem eſſe dicebat, ut ad procurandam Eccleſiarum Ægypti unitatem atque concordiam Petrus Moggus in Sedem Alexandrinam reſtitueretur. Imperatoris literis acceptis Simplicius Papa, qui Joannis Talaiæ Apocriſarios in communionem ſuam recipere, ejuſque ordinationem ſententiâ ſuâ confirmare jam paratus erat, pedem repreſſit, ne contra Imperatoris teſtimonium quicquam præpropere egiſſe videretur. Mox per eundem Uranium reſcripſit Imperatori, quod quidem ad Joannis ordinationem attinet, lecto Imperatoris teſtimonio ſuſpendiſſe ſe ab ejus confirmatione; quod verò ad reſtitutionem Petri Moggi ſpectat, eum utpote hæreticum, & ab hæreticis poſtulatum nec poſſe, nec debere reſtitui, quippe qui Apoſtolico judicio damnatus, in priſtino errore adhuc permaneret. Periere hæ Simplicii literæ, ſed extant quas eodem tempore ſcripſit ad Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quæ datæ ſunt *Idibus Julii Severino V. C. Coſ.* ideoque anno 482, ſuntque in Collectione Conciliorum ordine 17.

XI *Joannes ſede pulſus ad Rom. Pont. appellat.* Zeno Imperator, ſpretâ Simplicii Papæ reſponſione, ſcripſit ad Pergamium Ducem Ægypti, & ad Apollonium Auguſtalem, *ut Joannes expelleretur ab Alexandrina ſede, quaſi eam contra ſuum jusjurandum, quod in Regia civitate dedit, arripuiſſet: cooperaretur Petro Moggo, ut remineret in ſede; nec prius hoc faceret, niſi ſuſciperet Henoticum Principis, Synodicas deſtinaret Epiſtolas Conſtantinopolitano Acacio, & Simplicio Romano & cæteris Archiepiſcopis. Acacius verò promittente Petro facere unitatem, nec adhuc implente legitimè nomen ejus in Diptychis recitari permiſit tanquam jam Alexandrini Præſulis in Sede Apoſtolica poſiti*, inquit Liberatus cap. 12. Joannes, ut legitur in Breviculo Hiſtoriæ Eutychianiſtarum Romam venit, & *ſicut decebat, ab Apoſtolica Sede*, ad quam appellaverat, *ſuſceptus eſt.* Dum Romæ eſſet, Simplicio Papæ perſuaſit, ut pro ſua cauſa adversùs Petrum Moggum, ad Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſcriberet. Quod quidem prompto ac libenti animo fecit Simplicius. Acacius verò acceptis Simplicii literis reſpondit, ſe Joannem quidem Epiſcopum Alexandriæ minimè agnoſcere. Petrum verò Moggum juſſu Zenonis Auguſti in communionem ſuſcepiſſe. His literis graviter commotus Simplicius reſcripſit, Acacium non rectè neque ordine egiſse, qui Petrum cõmuni ſententia damnatum in communionem recepiſſet.

XII. *Simplicius PP. moritur.* Cùm Joannes Talaja libellum pararet offerre Simplicio varia in Acacium crimina continentem, Simplicius morte præventus eſt, antequam Acacius poſtremis ejus literis reſpondiſſet, ut prodit Liberatus cap. 18. Obiit enim hic Sanctus Pontifex die ſecunda menſis Martii anni quadringenteſimi octogeſimi tertii, eodemque die in Baſilica Sancti Petri Apoſtoli ſepultus eſt, ut habet Anaſtaſius, poſtquam ſediſſet *annos quindecim & dies ſex*, ut legitur in uno exemplari MS. Colbertino Anaſtaſii, in Catalogis IV & V Tom. I Criticæ Baronianæ præfixis, & in Mariano Scoto.

XIII. *In tempore ordinationum immutationem facere creditur.* Mabillonius in Commentario prævio ad ordinem Romanum paragr. 16. hæc de Simplicio obſervavit: *Primi Apoſtolici*, inquit Amalarius in lib. 2. cap. 1. *ſemper in Decembrio menſe, in quo Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti celebratur, conſecrationes miniſtrabant uſque ad Simplicium, qui fuit à B. Petro XLIX. Ipſe primus ſacravit in Februario.* Idem teſtatur Micrologus ex Romano Pontificali, quo nomine librum de geſtis Rom. Pontif. intelligit. Sanè inter tot Pontifices, qui ad finem ſæculi noni ordinationes fecerunt, unus Leo II in menſe Majo ordinationes fecit; & in menſe Septembri unam Gregorius Magnus, alii poſt Simplicium omnes, vel menſe Decembri, vel in prima, vel in mediana hebdomada Quadrageſimæ, nulli, quod quidem ſciatur, in ſabbato Paſchæ. Hæc, inquit Criticæ Baronianæ Auctor, rectè Mabillonius, niſi quod aſſerit Leonem II menſe Majo ordinationem feciſſe: in ejus enim Pontificatu oſtendemus, illum menſe Junio ordinationem ſuam peregiſſe.

XIV. *Pontifices Romæ quibuscunque ſabbatis ordinare poterant.* Sed hac de tempore ſacrarum ordinationum quæſtione maturè examinata, mihi quidem videtur & Amalarium & viros doctiſſimos falli, dum ſcribunt Romanos Pontifices uſque ad Simplicium ſemper in menſe Decembri ordinationes peregiſſe: ſicut enim poſt Gelaſium, qui primus eas quatuor Temporibus affixit, Romani Pontifices huic communi regulæ adſtricti non erant, ſed quibuſcunque ſabbatis Diaconos, Presbyteros & Epiſcopos ordinabant, ut in Leone II oſtendemus, ita ante Simplicium, legi de ordinationibus menſe Decembri faciendis, ob principem dignitatem non alligabantur, ſed aliis menſibus, ubi opus erat, ad ſacros ordines promovebant. Anaſtaſius quidem uſque ad Simplicium ordinationes omnes menſe Decembri à Romanis Pontificibus factas memorat: verùm, ut ſcribit

Ed-

Digitized by Google

Edmundus Martene lib. 1. de antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 8. art. 4. num. 5. non negat etiam aliis quatuor Temporum jejuniis, aut ab ipſis etiam, aut ab aliis eorum juſſu Epiſcopis celebratas fuiſſe. Hæc conjectura robur accipit ex eo quod Chronicon Damaſo attributum, quo ex alibi dictis nullum antiquius monumentum de duratione Pontificum Romanorum ſupereſt, diſertè ſcribit Euſebium Papam ſediſſe tantùm *menſes quatuor, dies ſedecim*, & fuiſſe *à XIV Kalend. Majas, uſque in diem XVI Kalendas Septembris*, qui ideo nullum menſem Decembrem in ſuo Pontificatu vidit, & tamen Anaſtaſius teſtatur eum ordinationem feciſse per menſem Decembrem; qui Anaſtaſii error non extat in Chronico Reginæ Sueciæ, tam ex editione Papebrocii in Conatu Chronico-Hiſtorico, quàm Schelſtratii in Antiquitate Eccleſiæ; utrobique enim Euſebius dicitur ordinationes tres feciſse, nulla menſis Decembris mentione facta; ex quo neceſsaria ſequitur eum alio menſe, quàm Decembri ordinationes peregiſse. Idem dicendum de Marco Papa, qui ex eodem Damaſi Chronico *ſedit menſes VIII. dies XX.... ex die XV Kalendas Februarii, uſque in diem Nonarum Octobrium*, ideoque ſacros ordines conferre non potuit menſe Decembri, ut ſcribit Anaſtaſius: unde Baronius anno 336. num. 61. ait *totum illud de duabus* à Marco *habitis ordinationibus menſe Decembri* evaneſcere. Prætereà ex Pontificibus LVI in dicto Reginæ Sueciæ Chronico memoratis, quindecim reperiuntur, quorum ordinationes factæ dici poſſunt alio menſe, quàm Decembri, in iis prætermiſſo; ſunt autem Anacletus, Evariſtus, Sixtus, Pontianus, Anterus, Cornelius, Sixtus II, Euſebius, Liberius, Siricius, Anaſtaſius, Sixtus III, Hormiſda, Joannes I & Felix IV, in quo illud Chronicon deſinit, imò cùm in eo mentio non ſit ordinationum peractarum à Simplicio, Symmacho, & Felice IV menſe Februario, & Martio, de quibus loquitur Anaſtaſius, apparet Auctorem dicti Chronici tempora ordinationum peractarum extra menſem Decembrem, ideoque extra regulam communem, vel ignoraſſe, vel potiùs conſultò prætermiſiſſe; & Anaſtaſium, qui eo Chronico uſus eſſe creditur, exiſtimaſſe omnes ordinationes à Pontificibus factas menſe Decembri, quia alius menſis in eo Chronico non exprimebatur, & ordinationes generales de more & juxta antiquas regulas in menſe Decembrio peragebantur: à quibus tamen regulis immunes erant Epiſcopi Romani, qui Diaconos & Presbyteros quibuſcunque ſabbatis ordinabant, imò & Epiſcopos quibuſcunque diebus, etiamſi non eſſent Dominici; cujus rei illuſtre exemplum habemus in ſancto Agapito Papa, qui anno 536, Conſtantinopoli exiſtens, Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum conſecravit die decimatertia menſis Martii, quæ eo anno in feriam quintam incidebat. Hanc conjecturam Eruditorum examini ſubmitto, paratus ſententiam mutare ſi eam claudicare arbitrentur. Vide dicenda in Gelaſio & in Leone II.

S. FELIX III. *Pontif. L.*

Anno Domini CCCCLXXXIII.

I. *Felix III. ordinatur Pont. Rom.*

S. Felix hujus nominis III, patriâ Romanus, ex Patre Felice Presbytero, ſancti Gregorii Magni atavus, poſt quinque dierum interpontificium, Simplicio ſucceſſor datus eſt; ordinatus eſt enim die Dominica, ſexta Martii, ejuſdem anni quadringenteſimi octogeſimi tertii, ut ex ſedis ejus duratione conſtabit. Porrò Felicem III, non verò IV fuiſſe Gregorii Magni atavum, rectè probat Baronius in Annalibus & in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem XXV menſis Februarii, qua de re vide dicenda in Felice IV.

II. *Legatos Cpolim mittit & Acacium Romam citat.*

Joannes Talaja Epiſcopus Alexandrinus, tunc Romæ exiſtens, ut in Simplicio diximus, libellum, quem huic paraverat porrigendum, varia in Acacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum crimina continentem, obtulit Felici, ut habet Evagrius lib. 3. cap. 18. *Cùm libelli*, inquit, *à Joanne Felici porrecti eſſent adversùs Acacium, ut qui illicitè Petro* (ſcilicet Moggo in ſedem Alexandrinam intruſo) *communicaret, & alia quædam gereret contra ſacrorum canonum præſcriptum, Felix Vitalem ac Miſenum Epiſcopos ad Zenonem miſit poſcens, ut Synodus Calchedonenſis firmaretur, & Petrus tanquam hæreticus expelleretur, utque Acacius Romam mitteretur, rationem redditurus eorum, quæ Joannes ei objiciebat.* Quarum ſedium fuerint Epiſcopi, Vitalis & Miſenus, diſcimus ex Breviculo Hiſtoriæ Eutychianiſtarum, in quo Vitalis dicitur Epiſcopus Troentinus ex Picena regione, quod oppidum Truentum dictum, nunc eſt exciſum; & Miſenus dicitur Cumanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ex regione Campaniæ; Cuma verò erat urbs Campaniæ, prorsùs etiam nunc everſa. Directa ſunt autem *ſub hac inſtructione*, ut legitur in eodem Breviculo, *ut Pe-*

Digitized by Google

Petrus de Alexandrina pelleretur Eccleſia, & ut libello ſancti Joannis Epiſcopi Alexandrini reſponderet Acacius, atque ipſi denuntiaretur Acacio, ut anathema diceret Petro. Libellus citationis Acacii extat Tom. IV Concil. pag. 1098.

III. *Legati, Acacii communione polluuntur.*

Legatis in mandatis dedit Felix, ne quidquam agerent, priuſquam cum Cyrillo Acæmetenſium Monachorum Præpoſito *eſſent collocuti, et ab eo quid agendum eſſet didiciſſent*, inquit Evagrius laudatus cap. 19. Legati, cùm Abydum veniſſent, illic ab Imperatoris ſatellitibus comprehenſi, & chartis eorum ablatis, cuſtodiæ mancipati ſunt, ut ſcribit Theophanes. Primò quidem minatus eſt Imperator, ſeſe eos interfecturum, niſi Petro & Acacio communicarent. Sed cùm minæ nihil proficerent, ad blanditias converſus, donis ac muneribus eos corrumpere aggreſſus eſt. Imo, addito jurejurando, tam ipſe, quàm Acacius iiſdem pollicitus eſt integram cauſam Apoſtolicæ Sedi ſervandam eſſe, nec ullum inde præjudicium cauſæ futurum, ſi Legati cum Acacio & Petro communionis ſocietatem iniiſſent. Teſtatur id Gelaſius Papa in Epiſtola 13 ad Epiſcopos Dardaniæ, haud procul ab initio: *Sed Acacius non ſolùm deſpexit ſatisfacere poſtulatis, verùm etiam ipſam legationem Sedis Apoſtolicæ, blandimentis, præmiis, perjuriiſque deceptam, quibus ei cum Imperatore promiſit, integram Præſulis Apoſtolici cauſam de omnibus eſſe ſervandam, Petri communione pollutam redire perfecit.* Cùm ergo Vitalis & Miſenus variis artibus decepti fuiſſent, è cuſtodia producti, unà cum Acacio & Petri Mongi Apocriſariis ad Eccleſiam proceſſerunt, & Miſſarum ſolemnia celebrarunt, reclamantibus licèt Orthodoxis, & prævaricationem hanc, eſſe perditionem rectæ fidei, ſemel, iterum, ac tertiò conteſtantibus. Primum quidem conteſtationis libellum, funiculum ad hamum circumligantes, uni ex Legatis ſuſpenderunt, ſecundum verò in codicem immiſerunt, tertium olerum cophino inſerentes ad Legatos miſerunt, ut ſcribit Theophanes.

IV. *Romam redeunt.*

His ita geſtis, Legati operti ignominia ac dedecore Romam revertuntur; cùm non ſolùm ea, ad quæ miſſi fuerant, non egiſſent, ſed cum Petro Mongo, ad quem expellendum directi erant, initâ communione polluti eſſent. Zenonis & Acacii literas, quas illi ad Felicem Papam reſcripſerant, Romam redeuntes ſecum detulerunt, plenas contumeliarum in Joannem Talajam: Petri verò Mongi laudibus ac præconiis refertas. Epiſtolæ Zenonis partem refert Evagrius lib. 3. cap. 20. De Acacii Epiſtola, Felix Papa, Synodus Romana, & Auctor Breviculi Hiſtoriæ Eutychianiſtarum mentionem faciunt. Poſt diſceſſum Legatorum Felix Eccleſiæ Romanæ defenſor, quem Felix Papa ex latere ſuo Legatum miſerat, Vitalis enim & Miſenus ex Sacerdotali collegio delecti fuerant, cogente morbi neceſſitate, tardiùs Legatos ſubſecutus, ita contumelioſè exceptus eſt ab Acacio, ut nec in conſpectum ſuum admittere ſuſtinuerit, ut teſtatur Felix Papa in ſententia damnationis Acacii. Liberatus addit, detruſum eſſe in cuſtodiam & chartas ejus ablatas, quia nempe Acacio & Petro, ſicut Vitalis & Miſenus fecerant, communicare noluerat.

V. *In eos & in Acacium, Synodus Rom. ſententiam fert.*

Priuſquam Legati Romam reverſi eſſent, fama adventum eorum præveniens, prævaricationem eorum ubique divulgaverat. Quare Felix Papa Synodum ſexaginta ſeptem Epiſcoporum anno quadringenteſimo octogeſimo quarto in Baſilica ſancti Petri collegit. Illic Vitalis ac Miſenus, cùm legationis ſibi mandatæ rationem reddere juberentur, & ad vanas excuſationes converterentur, Felix Papa primò Vitalem ac Miſenum Epiſcopos Sacerdotio & communione privavit. Petrum deinde Mongum Alexandrinum & Acacium Conſtantinopolitanum à Sacerdotali collegio & ab Eccleſiaſtica communione pronunciavit alienos. Hæc eſt prima damnatio Acacii in Synodo Romana habita *die V Kalendas Auguſti Venantio Coſ.* ideoque anno 484. Hujus Synodi Romanæ unicum hodie ſupereſt fragmentum, pars ſcilicet Sententiæ ab univerſa Synodo prolatæ in Petrum & Acacium. Extat ea Tom. IV Concil. pag. 1073. incipitque, *multarum tranſgreſſionum* &c. quid in ea reprehenderent Græci, & quid Romani reſponderent, legi poteſt in Critica Baronii eodem anno.

VI. *Sententia Acacio intimatur.*

Sententia in Acacium, à Synodo Romana lata, miſſa eſt per Tutum Eccleſiæ Romanæ defenſorem; quemadmodum & Epiſtola ad Zenonem Auguſtum, quâ rogabant Epiſcopi, ut Synodi decretis obtemperaret. Tutus ſententiâ, & literis acceptis, in Orientem navigavit, ſententiam damnationis, quam at ulerat, Acacio inter Altaria tradidit, ejuſque pallio affixit, ut ſcribunt Victor Tununenſis, Liberatus & Theophanes. Sed & Edictum Felicis Papæ univerſis in urbe Conſtantinopoli legendum propoſuit. His omnibus fideliter peractis, dolis Acacii circumventus eſt. Nam, ut liquet ex Epiſtola Felicis Papæ ad Monachos urbis Conſtantinopoleos & Bithyniæ, quæ Tom. IV Concil. pag. 1085 legitur, miſſus ad Tutum ſenex quidam Maronas nomine, magnam pecuniæ vim ei pollicitus eſt, ſi Acacio omnia, quæ Romæ contra ipſum agebantur, aperire vellet. Verùm Rufinus & Thalaſſius Archimandritæ & cæteri Monachi Conſtantinopoli & per Bithyniam conſtituti, ſimul atque Tutus Romam reverſus

Digitized by Google

verſus eſt, literas ſcripſerunt ad Felicem Papam, miſſis etiam Tuti ipſius literis, quibus in Conventu Epiſcoporum lectis, officio pariter & ſacroſancta communione privatus eſt anno quadringenteſimo octogeſimo quinto.

VII. Joannes Talaja Eccleſiæ Nolanæ præficitur.

Intereà cùm Felix Pontifex videret res adeo in Oriente eſſe turbatas, ut nulla penitus foret ſpes Joannem Talajam Epiſcopum Alexandrinum in ſuam ſedem reſtitui poſſe, eundem Antiſtitem, Nolanæ in Campania nobili præfecit Eccleſiæ, quod teſtatur Liberatus Diaconus in Breviario cap. 18. *Joannes verò Talaja habens Epiſcopi dignitatem*, inquit, *remanſit Romæ: cui Papa Nolanam dedit Eccleſiam, quæ eſt in Campaniæ regione; in qua plurimos reſidens annos, in pace defunctus eſt*.

VIII. Petrus Fullo, Acacius & Petrus Mongus in ſecunda Synodo Rom. damnantur.

Acacius deteriora committens, ejecto ex Eccleſia Antiochena Catholico Epiſcopo Calendione, quem ipſe ordinaverat, Petrum Fullonem ejuſdem ſedis invaſorem, ab eaque ejectum, & in Synodis Romana & Conſtantinopolitana ſub Simplicio damnatum, in eam ſedem à Zenone Imperatore reſtitui curavit, Calendione expulſo & in Oaſim relegato; ex quo factum, ut Eutychianis hæreticis aditus panderetur, & in locum Catholicorum Antiſtitum ſubrogarentur hæretici, ut teſtatur Gelaſius Papa, tam in ſæpius laudata Epiſtola XIII ad Epiſcopos Dardaniæ, quàm in ea, quàm ad Epiſcopos Orientales ſcripſit ordine XV. Hanc Antiochenæ Eccleſiæ calamitatem cùm accepiſſet Felix Papa, Synodum Epiſcoporum Romæ, anno quadringenteſimo octogeſimo quinto, tertio Nonas Octobris coegit, cujus ſupereſt Epiſtola ejuſdem Felicis ad Zenonem Auguſtum ordine V. Eâ nuntiat Felix Imperatori, Petrum Fullonem, Synodali Judicio, ſententia anathematis condemnatum, ideoque ab ejus communione abſtinendum eſſe. Hortatur præthereà eundem Imperatorem, ut Fullonem depoſitum ex Antiochena Eccleſia expellat. Superſunt prætereà Epiſtola Felicis Papæ ad Presbyteros & Archimandritas Conſtantinopoli & Bithyniæ conſiſtentes, in Collectione Concil. pag. 1124. cum hac inſcriptione *Epiſtola Synodi Romanæ ad Clericos & Monachos Orientales*; Epiſtola denique ejuſdem Pontificis ad Vetranionem Epiſcopum ibidem pag. 1092. In hac itaque Synodo Petrus Fullo, qui tyrannico more Antiochenam Eccleſiam occupabat, anathemate percullus eſt, & Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cum Petro Mongo Alexandrinæ Eccleſiæ invaſore, iterata excommunicatione damnatus.

IX. Perſecutio Orthodoxorum in Africa.

Felice tertio ſedente, Hunericus Wandalorum in Africa Rex Arianus, cùm per quinque annos quà in Manichæos, quà in ſuos Arianos ſævliſſet, furorem omnem ſuum in Orthodoxos convertit, perſecutionemque in eos excitavit anno 483, eodemque anno Victor Vitenſis prodit eum *Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos & alia Eccleſiæ membra, ideſt quatuor millia nongenta ſexaginta ſex in exilium eremi* deſtinaſſe. Præceptum prætera dedit univerſis Africæ Epiſcopis Orthodoxis, ut ad fidei ſuæ rationem reddendam Carthaginem anno 484 convenirent. Quo anno decretum emiſit, quo omnes Africanarum provinciarum Epiſcopi Orthodoxi, qui Carthaginem convenerant, Eccleſiis ſuis ſpoliati & in exilium miſſi ſunt. Poſt Hunerici obitum, qui menſe Decembri ejuſdem anni 484 contigit, cùm Gundabundus ejus ſucceſſor pacem Eccleſiis donaſſet, & Catholicos ab exilio revocaſſet, illi qui lapſi fuerant in perſecutione, & ob id ab hæreticis Arianis denuo baptizati fuerant, dolentes in Eccleſiam recipi cum lachrymis expetebant.

X. Synodus Rom. de lapſis in ea.

Felix Papa Concilium Romæ triginta & octo Epiſcoporum congregavit anno quadringenteſimo octogeſimo ſeptimo, in quo decreta tria ſtatuta ſunt. Primo, ut Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, qui licet pœnis adacti, lapſi fuerant, excommunicati laica tantùm communione in morte donentur. Secundo, ut alii Clerici, Monachi & laici poſt triennium inter audientes, poſtea ſine Euchariſtiæ perceptione per vitam, viaticum eis in morte non negetur. Tertio, ut ætate parvuli licet pœnitentes ſub manûs impoſitione retineantur, donec communionis capaces ſint. Quòd ſi interea quis in vitæ diſcrimen veniat, communione quidem donetur, ſed vitæ reſtitutus, ſpatium temporis eidem præſtitutum implere teneatur. Iiſque vetatur ad Eccleſiaſticam militiam prorſus unquam accedere. Hæc conſtant ex Epiſtola ſeptima Felicis Papæ ad univerſos Epiſcopos ex Concilio data, licet anno tantùm 488 miſſa.

XI. Felix Zenonis Imp. Henoticum rejicit.

Cùm Imperator Zeno, anno 482, Henoticum, ſeu unitivum edictum, vel ſuadente, vel dictante Acacio emiſiſſet, & ad Ægyptiacæ diœceſeos Antiſtites, Monachos, plebemque Chriſtianam direxiſſet animo conciliandæ pacis, & procurandæ Eccleſiarum unitatis, illud maximè diſplicuit, tum Simplicio, tum Felici ejus ſucceſſori, qui parum religioſum Principem ad officium revocare, & ad fidei tuitionem accendere graviſſimis literis conatus eſt. Sed nec ipſe, nec Eccleſia Edictum illud diſertè damnavit, tùm ne Zenonis animum exacerbaret, & graviora inde ſchiſmata & mala orirentur, quorum difficilior eſſet ſanatio: tum quia Zeno Synodum Calchedonenſem diſertè non damnavit, nec hæreſim ullam adſtruxit Henotico ſuo, imo damna-

Digitized by Google

SÆC. V. S.FELIX. III.

damnavit Eutychianum dogma, & aliunde privatis literis ad Romanos Pontifices, & nominatim ad Felicem tertium datis, quarum fragmentum refert Evagrius lib. 3. cap. 20. Calchedonenſem Synodum profeſſus eſt; *Pro certo habere debes*, inquit Zeno apud Evagrium, *& pietatem noſtram, & ſupra memoratum ſanctiſſimum Petrum & univerſas ſacroſanctas Eccleſias, ſanctiſſimum Calchedonenſe Concilium amplecti atque venerari, quod cum fide Nicæni Concilii prorſus conſentit*. Qua ex Epiſtola, & ex ipſius Henotici verbis Natalis Alexander ſæculo V Diſſert. 18, illud nullam hæreſim continere oſtendit. In eo Zeno non aliud Symbolum admittendum decernit, quàm Nicænum: approbat 12 Sancti Cyrilli capitula. Neſtorium & Eutychem damnat anathemate. Illud tamen Eccleſia meritò rejecit, non ſolùm quia laici Principes decernere de fide non poſſunt; ſed etiàm quia Zeno in eo definitionem Synodi Calchedonenſis, & Epiſtolam S.Leonis ad Flavianum, ſummo totius Synodi conſenſu receptam, & voces *ex duabus, & in duabus naturis*, quibus Eutychianam hæreſim jugularunt, ſilentio premendo, ſua œconomia condeſcendit hæreticis, qui illas execrabantur. Unde Zenonis nomen poſt mortem ex ſacris Diptychis expunctum, quando pax inita eſt inter Orientalem Eccleſiam & Romanam ſub Hormiſdæ Pontificatu.

XII. Ad Deum tranſit. Cùm Sanctus Felix Papa annos 8, menſes 11, dies 18 ſediſſet, habent Anaſtaſius MS. Colbertinus, varii Catalogi, Regino, Martinus Polonus, Luitprandus & Hermannus Contractus, ad cœleſtem patriam tranſiit die vigeſima quarta menſis Februarii anni quadringenteſimi nonageſimi ſecundi. Eum poſt obitum Tarſillæ Virgini pronepti ſuæ, Gordiani patris Sancti Gregorii Magni ſorori conſpicuum, eam ad regnum cœleſte vocaſſe narrat ipſemet Gregorius Homilia 38. in Evangel. & lib. 4. Dialog. cap. 16.

S. GELASIUS *Pontif. LI.*

Anno Domini CCCCXCII.

I. Gelaſius fit Papa. Gelaſius, natione Afer, ex patre Valerio, poſtquam Epiſcopatus dies quinque ceſſaſſet, ut habet Anaſtaſius, cui conſentiunt exemplaria ejus MSS. Ordericus & varii Catalogi, thronum Pontificium aſcendit die prima menſis Martii, in quam anno quadringenteſimo nonageſimo ſecundo Dominica incidebat.

II. Epiſtolas ſcribit de ſua electione. Factus Pontifex electionem ſuam Epiſtolâ ordine III in collectione Conciliorum Epiſcopis Dardaniæ nunciavit, quos hortatus eſt, ut cum Eutychianiſtis non communicarent. Ea autem Epiſtola data non eſt initio ſui Pontificatûs, retardatus eſt enim, ut ipſemet ait, propter continuorum tempeſtatem bellorum. Quare cùm pax inter Theodoricum & Odoacrem anno 493 peracta ſit, veroſimile eſt eam Epiſtolam eo pariter anno ſcriptam; Epiſtola enim decimaſecunda ad Æonium Arelatenſem Epiſcopum de initiis ſui Pontificatûs etiam ſcripta, data eſt anno 494, & quidem decimo Kalendas Septembris.

III. Primam Romæ Synodum celebrat. Primam Gelaſius Papa Synodum Romæ celebravit *octavo Idus Martii*, *Flavio Viatore V. C. Coſ.* ut in Actis legitur, ideoque anno quadringenteſimo nonageſimo quinto. In ea Miſenus olim Apoſtolicæ Sedis Legatus Conſtantinopolim à Felice Papa, Acaciana communione infectus, ob idque ab eodem Felice, cum Vitali alio Legato, Sacerdotio & communione privatus, ut in eodem Pontifice diximus, Sedis Apoſtolicæ miſericordiam, atque communionem flagitans, causâ ejus diſcuſsâ, cum Eccleſia à Gelaſio reconciliatus eſt, Vitali altero Legato jam in excommunicatione mortuo. *Profeſſus ergo Miſenus regulaliter ſe omnes hæreſes, Eutychianam præcipuè cum Eutychete, Dioſcoro, Timotheo Æluro, Petro Alexandrino, Acacio Conſtantinopolitano, Petroque Antiocheno, vel cunctis eorum ſucceſſoribus, ſectatoribus, & communicatoribus deteſtari, eaſque anathemate ferire perpetuo, communionis Apoſtolicæ, & Sacerdotalis gratiam, quam Catholica traditione percepit, recipiet dignitatis*, inquit Gelaſius in Synodo, cui decreto omnes Epiſcopi numero quinquaginta quinque ſubſcripſerunt.

IV. Tertium edit de libris recipiendis & non recipiendis. Autumno ejuſdem anni quadringenteſimi nonageſimi quinti, vel veroſimilius anno quadringenteſimo nonageſimo ſexto, Gelaſius ſecundam Synodum Romæ celebravit. Cùm enim Eccleſia jam à pluribus annis multis referta libris apocryphis medicam manum averet, quæ ſinceros à ſuppoſititiis diſcerneret, Gelaſius Papa convocato Romæ Concilio, ordinem librorum, quem Romana Eccleſia ſuſciperet, aut deteſtaretur, vel dubios tantùm haberet, digeſſit. Decretum illud de Scripturis divinis & Opuſculis Sanctorum Patrum, quæ in Eccleſia Catholica recipiuntur, valde urget Heterodoxos, qui traditionem rejiciunt, & librorum canonicorum numerum pro libito,

Digitized by Google

SÆC. V. S. GELASIUS.

to, ac ſectarum ſuarum comodo mutilant. Job enim, Tobiæ, Judith, Macchabæorum libri, Epiſtola ad Hæbræos, Apocalipſis Joannis, Petri duæ, Joannis Apoſtoli tres, Judæ una in eo memorantur. Uno verbo omnes, tam novi, quàm veteris Teſtamenti libri. Statuitur poſtea in eodem Concilio ordo Patriarchalium Eccleſiarum, nempe Romanæ, Alexandrinæ & Antiochenæ: quatuor itidem Conciliorum generalium mentio. Item Sanctorum Patrum Opera quædam recenſentur, quibus tandem accedit notitia librorum apocryphorum, quos Eccleſia non recipit. Huic decreto ſubſcripſere ſeptuaginta & duo Epiſcopi.

V. *Illius decreti Damaſus non eſt Auctor.*

Catholici inter ſe non conveniunt de hujus decreti auctore; alii enim illud Damaſo, alii Hormiſdæ Romanis Pontificibus tribuunt. Sed Criticæ Baronianæ Auctor oſtendit Gelaſium hujus decreti certum & indubitatum auctorem eſſe. Nam primò quod attinet ad Damaſum, ei certè tribui non poteſt, cùm plerique Opuſculorum in eo memoratorum Auctores poſt Damaſum vixerint & ſcripſerint. Cùm enim damnatorum voluminum index texitur, inter ea libri Caſſiani ac Fauſti Reienſis numerantur hoc modo: *Opuſcula Caſſiani Preſbyteri Galliarum apocrypha: Opuſcula Fauſti Regienſis Galliarum apocrypha*. Caſſianus autem & Fauſtus poſt Damaſum vixerunt & ſcripſerunt.

VI. *Neque etiam Hormiſdas.*

Neque etiam Hormiſdæ Papæ tribui poteſt illud decretum. Nam ſæculo ſexto ineunte, cùm orta eſset contentio, non ſolùm in Occidente, ſed etiam in Oriente de Fauſti libris, Poſseſsor Epiſcopus Africanus â Traſamundo Africæ Rege in exilium miſsus, dum Conſtantinopoli morabatur, conſultus de illis, conſuluit ipſemet Hormiſdam Papam, quid de iiſdem libris ſentiendum eſſet. Poſſeſsoris Relatio ad Hormiſdam extat Tom. 4. Concil. pag. 1529. diciturque accepta *Decimoquinto Kalendas Auguſti Ruſtico V. C. Coſ.* ideoque anno 520. Hormiſdas reſpondet Poſſeſſori die 13 menſis Auguſti Epiſtolâ 70, in qua inter alia ait: *Non improvide veneranda Patrum ſententia fideli poſteritati, quæ eſſent Catholica dogmata, definiit; certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, ſancto Spiritu inſtruente præfigens; ne opinioni ſuæ lector indulgens, non quod ædificationi Eccleſiaſticæ conveniret, ſed quod voluptas ſua concepiſſet, aſſereret*. Quæ verba manifeſtè inſinuant decretum de libris recipiendis & non recipiendis, non ab Hormiſda, ſed ab aliquo ex ejus deceſſoribus in aliqua Synodo Romana emiſſum; non quidem ab Anaſtaſio & Simmacho, qui Gelaſium ſecuti ſunt, & Hormiſdam anteceſſere, cùm nullus unquam id aſſeruerit, nullusque codex MS. alterutrius nomen præferat; ſed à Gelaſio, cui innumeri codices illud attribuunt. Qui plura hac de re cupit, legat laudatam Baronii Criticam ad annum 494.

VII. *Gelaſius Euphemium CP. Epiſc. in communionem non recipit.*

Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo, de quo ſupra, tam in Simplicio, quàm in Felice locuti ſumus, anno quadringenteſimo octogeſimo nono extra Eccleſiæ communionem mortuo, ei ſubſtitutus eſt Flavita. Sed hoc quoque poſt tres menſes vita functo, ſucceſſor ei datus eſt Euphemius, qui, ut habet Evagrius lib. 3. cap. 23. Calchedonenſem Synodum ſuſcepit & veneratus eſt, ac Petrum Mongum eidem Synodo anathema dicentem exoſum habuit. Ubi Euphemius accepit Gelaſii electionem, more Majorum ad ipſum Epiſtolam ſcripſit, qua & ſuæ fidei profeſſionem inſeruit, ut ſic conſequi mereretur Catholicæ Eccleſiæ communicationem. Cùm verò Gelaſius inveniſſet quidem ejus fidei profeſſionem in omnibus conſonam Catholicæ veritati, reperit tamen quod in Euphemio reprehenſione dignum eſſet, nimirum, quòd nequaquam è Diptychis nomen Acacii prædeceſſoris expunxiſſet, ſed pateretur in ſacris recitari cum aliis Epiſcopis orthodoxis; ideoque Euphemium, virum licet in primis Catholicum, nec alios Orientis Antiſtites communionis honoribus donare voluit, niſi Acacii nomen è Diptychis expungerent. Quæ conſtant ex Epiſtolis I ad Euphemium, XIII ad Epiſcopos Dardaniæ, & XV ad Epiſcopos Orientales. Scripſit etiam Gelaſius Epiſtolam graviſſimam & eloquentiſſimam ad Anaſtaſium Imperatorem, qua ipſum hortatur ut Apoſtolicæ Sedi obtemperet, & damnato Acacii nomine, Eccleſiarum pacem reſtituendam curet, ea eſt ordine VIII.

VIII. *Scribit contra Pelagianam hæreſim.*

Gelaſius Pelagianam hæreſim in Dalmatia & Piceno reviviſcentem damnavit, confutavit, extinxit tribus Epiſtolis, quarum primâ, ordine V, Honorium Dalmatiæ Epiſcopum monet, ne hæreſim Pelagianam, à tot Pontificibus deteſtatam reviviſcere ſinat. Secundâ, ordine VI ad eundem ſcripta, dicit eum mirari non debuiſſe, quòd admonuerit invigilandum, ne iterum Pelagiana hæreſis pullularet. Tertiâ ordine VII, ad omnes Epiſcopos per Picenum data, tria præcipua hæreſis Pelagianæ capita refellit. Primum ſcilicet parvulos ſine peccato originali naſci. Secundum, hos pro ſolo peccato originali non damnari. Tertium, gratiam ad ſalutem non eſſe neceſſariam, illamque ſecundùm hominum merita conferri. Hæ Epiſtolæ, ſaltem quinta & ſeptima anno quadringenteſimo nonageſimo tertio datæ ſunt. Extat etiam Tom. 4. Concil. Tractat. Gelaſii Papæ adverſus Pelagianam hereſim pag. 1240. & ſeqq. Gelaſio Joannes Talaja Epiſcopus Alexandrinus Apologiam contra Pelagianam hæreſim nuncupavit, cujus me-

Digitized by Google

SÆC. V. S. GELASIUS.

meminit Photius Cod. LIV.

IX. *Baptiſmum gratis conferri ſtatuit.*

Anno quadringenteſimo nonageſimo quarto, Pontifex ut collapſam reſtauraret diſciplinam, Decretalem ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios & Siciliam conſtitutos ſcripſit Epiſtolam ordine IX, capitibus 28 conſtantem, quorum quinto ſtatuit nihil de baptizandis conſignandiſque fidelibus exigendum eſſe: *Baptizandis*, inquit, *conſignandiſque fidelibus Sacerdotes pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impoſitis, exagitare cupiant renaſcentes; quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. Et ideo nihil à prædictis prorſus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis ſuæ cauſas adire deſpiciant. Certum habentes, quòd qui prohibita deprehenſi fuerint admiſiſſe, vel commiſſa non potius ſua ſponte correxerint, periculum ſubituri proprii ſint honoris*. Id ante Gelaſium etiam vetuerat Concilium Illiberitanum canone XLVIII. Poſt Gelaſium Concilium quidem Emeritenſe circa annum *666* celebratum, canone IX ſtatuit, quòd ſi quis voluntariè aliquid offerat, accipiatur; ſed multò rigidius fuit Concilium Toletanum XI, anni 675, quod nequidem ſponte oblata percipi voluit canone VIII, addens: *Si ſciente loci Epiſcopo, tale quidpiam à ſubditis perpetratur, idem Epiſcopus duobus menſibus excommunicationi ſubjaceat*. Et ſi quis ex neceſsitate aliquid etiam ſponte oblatum receperit; *Si Presbyter eſt, trium menſium excommunicatione plectatur: ſi Diaconus, quatuor: Subdiaconus verò vel Clericus his cupiditatibus ſerviens, competenti verbere, & debita excommunicatione plectendus eſt;* & juſtè quidem, nihil enim aliud clamant Concilia, nihil aliud ſummorum Pontificum decreta, nihil aliud editæ ab Epiſcopis Sanctiones, quàm ſacramentorum Miniſtros ac præſertim baptiſmi, pretium à baptizatis exigere non debere; quia quod gratis acceperunt, gratis dare debent, ut inquit Edmundus Martene lib. 1. de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 1. art. 4. num. 6.

X. *Ordinationes ſacras quatuor Temporibus affigit.*

Capite, ſeu decreto undecimo ſtatuit: *Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum, niſi certis temporibus & diebus exerceri non* debere, *ideſt, quarti menſis jejunio, ſeptimi & decimi, ſed & etiam Quadrageſimalis initii; ac mediana Quadrageſimæ die, ſabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas*, ubi de quatuor anni Temporibus, ut nunc vocamus, ſermo eſt. Et hæc eſt prima, quæ quidem nobis relicta eſt, Pontificia conſtitutio, quâ ordinationes ad tempora ſolemnium jejuniorum revocantur. Vide dicta in Simplicio & dicenda in Leone II.

XI. *Eccleſiæ reditus in quatuor partes dividit.*

Vigeſimo ſeptimo capite Eccleſiæ reditus & oblationes fidelium in quatuor partes dividit, quarum una ſit Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta Eccleſiæ fabricis applicetur. *De quibus*, inquit, *ſicut Sacerdotis integram miniſtris Eccleſiæ memoratam dependere quantitatem, ſic Clerus* (legendum forſan Clericus) *ultra delegatam ſibi ſummam, nihil inſolenter noverit expetendum. Ea verò quæ Eccleſiaſticis ædificiis attributa ſunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat inſtauratio manifeſta ſanctorum; quia nefas eſt, ſi, ſacris ædibus deſtitutis, in lucrum ſuum Præſul impendia his deſignata convertat*, &c. Alia capita Tom. IV. Concil. legenda pag. 1186. & ſeqq.. In Epiſtola autem ſequenti ordine X. eodem anno data ad Epiſcopos Siciliæ, dicit Pontifex Eccleſiæ facultates ab Epiſcopis, Clericis, & pauperibus diſtribui debere.

SÆC. V. S. GELASIUS.

XII. *Lupercalia Romæ abolet.*

Gentilitiam Lupercalium ſuperſtitionem Romæ ſuſtulit Gelaſius Papa, & Andromachum Senatorem alioſque Romanos, qui ſuperſtitioſam illam obſervationem aboleri ægrè ferebant, egregio edito Tractatu confutavit, in quo damnat eorum celebrationem & non ex eorum intermiſſione, ſed ex ſceleribus Romæ mala contigiſſe probat. Extat ille Tractatus eodem Tom. IV Concil. pag. 1234. & ſeqq. ex quo conſtat Gelaſium inſtituiſſe ut Litaniæ fierent in die Purificationis B. Mariæ Virginis.

XIII. *Miſſarum ordinem digeſſit.*

Miſſarum etiam ordinem digeſſit, ejuſque Miſſalia extabant anno Domini 831. in Abbatia Centulenſi, ſive Sancti Richerii. Sic enim recenſentur in Chronico ejus monaſterii lib. 3. cap. 3. Tom. IV Spicilegii Dacheriani in indice Bibliothecæ, *de libris ſacrarii, qui miniſterio Altaris deſerviunt, miſſales Gregoriani tres, Miſſalis Gregorianus & Gelaſianus modernis temporibus ab Albino ordinatus Miſſales Gelaſiani XIX*. Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii M. lib. 2. cap. 12. ſcribit Gregorium Codicem Gelaſianum in unius libri volumine coarctaſſe, de Miſſarum ſolemniis multa ſubtrahendo, nonnulla adjiciendo, pauca convertendo. Collectarum, quibus in Miſſa utimur, primum auctorem fuiſſe Gelaſium, omnes rerum Eccleſiaſticarum Scriptores aſſerunt, & antiqua monumenta evincunt.

XIV. *Præfationes multas edidit.*

In libro Pontificali de Gelaſio legitur: *Fecit Sacramentorum Præfationes & orationes cauto ſermone*. Ad quæ verba Schelſtratius in Notis habet: *Extat in Bibliotheca Palatino-Vaticana Sacramentarium M S. annorum circiter mille, in quo continentur Præfationes ante Gregorii tempora in Eccleſia Romana uſu receptæ, quæ forſan illæ ſunt, de quibus hoc loco mentio reperitur: unde non male illud Sacramentarium Gelaſianum vocatur*. Ita Schelſtratius. Ex hoc loco quidam Gelaſio tribuunt Præfationum inſtitutionem. Sed Cardinalis Bo-

na

Digitized by Google

SÆC. V.
S. GELASIUS.

na lib. 2. Rer. liturgic. cap. 10. concedit quidem plures à Gelaſio editas fuiſſe; nihilominus tamen contendit certum eſſe in ipſis Eccleſiæ primordiis jam uſum Præfationum extitiſſe, earumque inſtitutionem vel Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris tribuendam, quod deinde pluribus probat. Extat alter Codex Sacramentarius Gelaſii Papæ tribus conſtans libris; nempe de Anni circulo; de Sanctorum Natalitiis; & de Dominicis diebus, variiſque cauſis, cujus vetuſtatem manifeſtò arguit, quòd, in Symbolo non habeatur vox, *Filioque*. Quòd, plures deſint Miſsæ ſeptimo & octavo ſæculo uſurpari ſolitæ. Denique, quòd pauciora quàm in aliis liturgiis Sanctorum Natalitia celebrentur. Codex ille ex Bibliotheca Floriacenſi anno 1562. direpta & diſtracta, in manus incidit Pauli Patavii Senatoris Pariſienſis, ac tandem in Bibliothecam Chriſtinæ Suecorum Reginæ tranſiit, à qua illum recepit & in lucem emiſit Thomaſius Romæ anno 1680. Hic in Præfatione notat, exiguo tempore poſt Gregorium Magnum fuiſſe exaratum. Huic adjunxit tria antiquiſſima Miſſalia, ſcilicet Gothicum, Francorum, & Gallicanum vetus; quæ tria poſtea cum obſervationibus de liturgia Gallicana Joannes Mabillonius recudi curavit anno 1685 Pariſiis.

XV.
Non eſt Auctor Canonis Miſſæ.

Canonis Miſsæ incipientis ab oratione, *Te igitur clementiſſime Pater*, uſque ad orationem Dominicam, quæ abſoluto canone alta voce recitatur, quidam Gelaſium Papam Auctorem faciunt, alii Muſæum Presbyterum Maſsilienſem, alii Voconium Epiſcopum Caſtellanenſem in Mauritania, qui teſte Gennadio libros Sacramentorum compoſuerunt. Anſelmus Epiſcopus lib. de Laudibus virginitatis cap. 23 à Gregório Magno editum exiſtimat. Sed ipſe Gregorius Epiſtola 64 lib. 7. ait à Scholaſtico compoſitum, quicunque autem fuerit ille Scholaſticus, certum eſt antiquiorem fuiſſe Gelaſio & aliis ſuprà nominatis. Nec credendum Polydoro Virgilio, qui lib. 5. de Invent. rerum cap. 10 à multis Pontificibus compactum Canonem aſſeverat: licèt enim aliqui paucula quædam verba adjunxerint; ipſum tamen, ut ait Vigilius Papa in Epiſtola ad Eucherium, *ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus*. Concilium quoque Tridentinum Seſs. 22. cap. 4. conſtare Canonem docet, ex ipſis Domini verbis, ex Apoſtolorum traditionibus, ac Sanctorum Pontificum inſtitutionibus. Obſervandum nihilominus venit cum Cardinali Bona laudato cap. 11. ubi plura habet de Canone, neminem ex Pontificibus poſt Gregorium Magnum quidpiam addidiſse Canoni, aut immutaſse. De clauſula, quam Anaſtaſius dicit additam à Gregorio III, ſuo loco agetur.

SÆC. V.
S. GELASIUS.

Apud Gratianum *de Conſecr. diſt.* 2. *comperimus* extat Canon Gelaſii adversùs eos, qui ſumpta tantummodo corporis ſacri portione à calice abſtinebant: *Comperimus*, inquit Gelaſius, *quòd quidam, ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtineant, qui procul dubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire*. Superſtitio Manichæorum erat vinum eſſe fel principis tenebrarum & à Diabolo creatum, unde communionem ſub ſpecie vini ſumere recuſabant, ut teſtatur Leo M. Serm. 4. de Quadrageſima. Ut igitur Catholico nomine latitantes proderentur, idem remedium adhibuit Gelaſius, quo pridem Leo uſus fuerat, præcipiens, ut ſub utraque ſpecie omnes communicarent: ne ſi Catholici à calice abſtinerent, ſe de hæreſi Manichæorum ſuſpectos redderent: aut ipſi Manichæi eo ſigno detegi non poſſent, ſi idem facerent quod Catholici ſub ſpecie ſola panis communicantes. Cùm verò ait Gelaſius, diviſionem myſterii ſine grandi ſacrilegio provenire non poſſe, eoſdem Manichæos perſtringit, qui hauſtum vini reſpuentes tanquam fel Diaboli, divina myſteria procùl dubiò mutilabant, ſeque grandi ſacrilegio obſtringebant. Hæc ex Baronio deſumpta, & ex Cardinalis Bonæ lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 18. ubi oſtendit communionem ſub utraque ſpecie, nec divinitùs inſtitutam, nec unquam antiquos Patres eam ad ſalutem neceſſariam eſſe docuiſſe; licèt ſemper & ubique, ab Eccleſiæ primordiis, uſque ad ſæculum XII, ſub ſpecie panis & vini fideles communicarint. Profeciſſe porrò hujuſmodi remedium ad Manichæos detegendos, planè docent quæ Auctor libri Pontificalis de Gelaſio habet: *Hujus temporibus*, inquit, *inventi ſunt Manichæi in urbe Roma, quos exilio deportari præcepit, quorum codices ante fores Baſilicæ Sanctæ Mariæ incendio concremavit*.

XVI.
Decretum edit contra Manichæos ſub ſpecie vini non communicantes.

Gelaſius Tractatum edidit, quem de anathematis vinculo inſcripſit, quo probare aggreſſus eſt Acta Calchedonenſis Concilii ea tantùm rata, quæ Sedes Apoſtolica approbavit: juſta eſſe quæ in Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum à Felice III ſtatuta erant, & Petrum Mongum Alexandrinæ ſedis invaſorem à Sede tantùm Apoſtolica abſolvi potuiſſe. Extat Tom. IV Concil. eumque commentati ſunt Auguſtinus Barboſa in ſuis Collectanis Doctorum part. 1. decreti diſt. 15. cap. 3. & Didacus Covaruvias lib. 4. variarum reſolutionum.

XVII.
Tractatus ejus de vinculo excommunicationis.

Tomo IV Bibliothecæ Patrum editionis Pariſienſis extat ſub nomine Gelaſii Papæ

XVIII.
Auctor eſt Operis de duabus naturis.

SÆC. V. S. GELASIUS.

pæ Opus de duabus naturis contra Neſtorium & Eutichetem, quem alii adſcribunt Gelaſio Cyziceno, alii Gelaſio Ceſareæ Paleſtinæ Epiſcopo. Verùm, ut Spondanus in margine Epitomes Baronianæ ad annum 496 notavit, liber ille ſub Gelaſii Papæ nomine citatur à Sancto Fulgentio, ipſo etiam Afro, Gelaſio æquali, in libro de quinque quæſtionibus, apud Ferrandum Diaconum cap. 18. Addit Labbeus in lib. de Script. Eccleſiaſt. citari etiam à Joanne II. Papa in Epiſtola ad Avienum, ceteroſque Senatores, qua fidem de Chriſti divinitate & Incarnatione exquiſitis undequaque teſtimoniis, confirmat, aliiſque recentioribus: Sirmondum teſtem eſſe, in MSS. Codicibus probæ notæ, deſcriptum reperiri opus illud inter indubitatas Gelaſii Epiſtolas; tandemque Gennadium Maſſilienſem cap. 94. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & ex eo Honorium Auguſtodunenſem libello 2. cap. 93. ipſumque etiam Auctorem libri Pontificalis illud Gelaſio Papæ adſcribere. Quoad argumentum, quod inde deſumunt Heterodoxi, ut probent ſubſtantiam panis & vini in Euchariſtia remanere, illis jam abunde ſatisfactum eſt à Baronio anno 496 num 11. & ſeqq. ab Auctoribus Catholicis, qui de controverſiis tractarunt, ac nuper à Natali Alexandro part. 1. quinti ſæculi Eccleſiæ pag. 680. & ſeqq. Sed hìc omittere non poſſum, unicum ex recentioribus Auctorem reperiri, nempe Joſephum Pamphilium Epiſcopum Signinum, qui vivebat anno 1579. hoc opus Joanni Papæ tribuentem pag. 22. Chronic. Auguſtin.

SÆC. V. S. GELASIUS.

XIX. *Libri ejus deperditi.*

Tandem libri Pontificalis Auctor, & Gennadius laudatus ſcribunt, Gelaſium feciſſe hymnos in ſimilitudinem Ambroſii Epiſcopi, ſed hymni illi periere, ſicuti & ejus Commentarii in tredecim Divi Pauli Epiſtolas, à Pelagianis fæcibus non immunes, utpotè ab Hæreticis, vel ſuppoſiti, vel corrupti, teſte Caſſiodoro de Inſtitut. Divin. Script. cap. 8.

XX. *Non eſt Auctor Breviculi Hiſt. Eutychian.*

Valeſius in lib. 1. Obſervat. Eccleſiaſt. ad Evagrium cap. 1. & paſſim in Notis ad eundem Evagrium, Gelaſio Papæ attribuit Tractatum inſcriptum: *Breviculus Hiſtoriæ Eutychianiſtarum*, ſeu, ut vetus habet inſcriptio, *Geſta de nomine Acacii*. Sed dubitandum non eſt, quin deceptus fuerit; prior enim hujus libelli pars totidem verbis excerpta eſt ex Breviario Liberati Diaconi, qui Opus illud Juſtiniano imperante elucubravit; poſterior verò ex ipſis Gelaſii Epiſtolis collecta, ut legenti patet.

XXI. *Vitam cum morte commutat.*

Poſtquam Gelaſius annos quatuor, menſes octo, dies octodecim ſediſſet, ut Luitprandus, Ordericus, Honorius Auguſtodunenſis, Regino, Hermannus Contractus, & plures Codices MSS. Anaſtaſii habent, mortuus eſt die decimanona menſis Novembris anni quadringenteſimi nonageſimi ſexti, ſepultus in Baſilica S. Petri die vigeſima prima ejuſdem menſis, ut tradit Anaſtaſius vulgatus. Gelaſii laudes celebrat Dionyſius Exiguus in Epiſtola ad Julianum Presbyterum, in qua ejuſdem Pontificis doctrinam, pietatem, & exhantlatos pro Catholica fide labores eximiè commendat. habetur hæc Epiſtola in calce prioris partis Collectionis Romanæ Holſtenii.

S. ANASTASIUS II. *Pontif. LII.*

Anno Domini CCCCXCVI.

I. *Anaſtaſius Gelaſio ſuccedit.*

SAnaſtaſius hujus nominis II, natione Romanus, ex patre Petro, poſt ſex dierum interpontificium, ut legitur in Auctiori Chronico veterum Pontificum, Romanam cathedram regendam ſuſcepit, ordinatus die vigeſimaquarta menſis Novembris ejuſdem anni quadringenteſimi nonageſimi ſexti, quæ Dominicalis erat, quod ex ejus ſedis duratione, ab Anaſtaſio rectè memorata confirmabitur.

II. *Legatos Cpolim mittit.*

Ipſo ſui Pontificatûs initio, ut Anaſtaſium Imperatorem ab hæreſi ad meliorem mentem avocaret, Germanum Capuanum, & Creſconium Tridentinum Epiſcopos, Conſtantinopolim ad eundem Imperatorem Legatos miſit, cum Epiſtola ad ipſum data, quâ petebat, ut nomen Acacii, Conſtantinopolitani quondàm Epiſcopi, extra Eccleſiæ communionem defuncti, ex Diptychis planè expungeretur. Ut Alexandrinos moneret Imperator ad fidem ſinceram & ad pacem redire Catholicam; eâque admonetur Imperator, ut conſtitutis Apoſtolicæ Sedis obtemperet. In propoſito illo piiſsimo nihil effecit Sanctus Pontifex, nam Imperator, detentis doloſè Conſtantinopoli Legatis, per fraudem & dolum magno conatu elaboravit, ut ipſum Romanum Pontificem, ad ſubſcribendum Zenonis Henotico induceret.

III. *Nihil pro pace Eccleſiæ proficit.*

Quam in rem uſus eſt operâ Feſti cujuſdam Senatoris Romani, qui ob civilia quædam negotia, ut habet Theodorus Lector lib. II. Hiſt. Eccleſiaſt. ad Imperatorem Anaſtaſium miſſus, favore ejuſdem Imperatoris impetravit, ut ſacra Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli memoria, à Schiſmaticis aliquandiu neglecta, honorificentius

Digitized by Google

ficentiùs & ſplendidiùs celebraretur: *quamvis igitur antea quoque celebrata fuiſſet, deinceps poſt petitionem Feſti, longè majori ſplendore ea feſtivitas peracta eſt*. Et paulò poſt: *Porrò Feſtus occultè, ut ajunt, Imperatori ſuggeſſerat, ut Epiſcopo Romano perſuaderet, ut Zenonis Henotico ſubſcriberet. Sed cùm Romam veniſſet, Anaſtaſium Epiſcopum jam mortuum reperit. Quare operam dedit, ut per ſchiſma promotus Edicto illi ſubſcriberet*, nempe Laurentius ſchiſmaticus contra Symmachum electus.

IV. *Defenditur à calumnia ipſi affictâ.*

Ex his apparet Anaſtaſium Papam, antequam à Feſto de perfidia tentaretur, integrum atque ſincerum in Catholica fide deceſſiſſe. Falſum itaque & ineptum omnino eſt, quod in libro Pontificali legitur, Anaſtaſium nempe Papam, Acacium à Felice tertio, & à Gelaſio deceſſoribus jam ante prædamnatum, multiſque jam annis ſub eodem Felice tertio mortuum, in ſedem ſuam revocare, aut ſaltem nomen ejus ſacris Diptychis reſtituere voluiſſe; eodemque tempore multos Clericos & Presbyteros ſe ab ipſius communione ſeparaſſe, eo quòd communicaſſet ſine conſilio Epiſcoporum vel Presbyterorum vel Cleri, Diacono Theſſalonicenſi nomine Photino, qui communicaverat cum Acacio. Hæc enim ex dictis falſa omnino eſſe demonſtrantur. Porrò Anaſtaſium Papam nullam cum Imperatore Anaſtaſio concordiam iniiſſe, ſed magis illum execratum eſſe, oſtendit Baronius anno 497.

V. *Legatis ejus libellus offertur ab Alexandrinis.*

Cùm per univerſam Eccleſiam Orientalem innotuiſſet, ab Apoſtolica Sede Legatos miſſos eſſe Conſtantinopolim pro pace Eccleſiarum concilianda, Apocriſarij Alexandrinæ Eccleſiæ egerunt id ipſum cum Legatis Conſtantinopoli agentibus, nimirùm ut Eccleſia Alexandrina in communicationem Catholicam ab Eccleſia Romana reciperetur, libellumque ſupplicem iiſdem obtulere Legatis, qui extat Tom. 4. Concil. Sed cùm in illa fidei profeſſione Apocriſarij Alexandrinæ Eccleſiæ nullum verbum poſuiſſent de Synodo Calchedonenſi, & nefandiſſimos hæreticos Dioſcorum, Timotheum & Petrum vellent ſalvos, atque eorum nomina inter diptycha nominari, digni judicati ſunt qui repellerentur ab Apoſtolica Sede.

VI. *Clodoveus Rex Francorum baptizatur.*

Sedente Anaſtaſio, cùm nullus eſſet reperiri in toto terrarum orbe penitùs Princeps Chriſtianus Catholicus: nam & qui velamento fidei Orthodoxæ diu latuit Anaſtaſius Imperator, apertiſſimè cognitus eſt hæreticus: Romæ verò & in Italia Rex Theodoricus, & in Gallia Viſigothorum Alaricus, & Gundobadus Burgundiorum Ariani prorſus erant; itemque Suevi & ſi qui alii in Hiſpania: in Germania autem & Britannia adhuc Pagani: Francorum Rex Clodoveus, cùm per invocationem nominis Chriſti victoriam de Alemannis meruiſſet obtinere, à Sancto Remigio Epiſcopo Remenſi baptizatus eſt, non quidem anno 499, ut credidit Baronius, ſed anno 496, ipſo initio Pontificatûs Anaſtaſii, in die Nativitatis Domini, ut conſtat ex Epiſtola Aviti Viennenſis Epiſcopi in Burgundiæ regno, ad ipſum Clodoveum ſcripta, quæ extat Tomo IV. Concil. pag. 1266. in qua ait: *Igitur qui celeber eſt Natalis Domini, ſit & veſtri, quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo; in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecraſtis*. Eadem, quâ Clodoveus, die *baptizata eſt & ſoror ejus Albofledis*. Tum *converſa eſt & alia ſoror ejus Lantechildis nomine, quæ in hæreſim Arianorum dilapſa fuerat, quæ confeſſa æqualem Filium Patri & Spiritum Sanctum chriſmata eſt*, inquit Hincmarus in Vita Sancti Remigii. Uſus iſte baptizandi in Natalitiis Domini, poſt converſionem Clodovei Regis perſeveravit apud Francos. Guntramnus enim Rex Francorum apud Gregorium Turonenſem lib. 8. cap. 9. queritur dilatum eſſe nepotis ſui baptiſmum ultra Natalis Domini ſolemnitatem.

VII. *Gratulatorias Anaſtaſii PP. literas recipit.*

Ubi Anaſtaſius Papa accepit Clodoveum baptiſmo regeneratum, ſtatim gratulatorias ei literas per Eumerium Presbyterum miſit, a Dacherio Tom. 5. Spicilegii publicatas, in quibus ait: *Tuum glorioſe Fili, in Chriſtiana fide cum exordio noſtro in Pontificatu contigiſſe gratulamus. Quippe ſedes Petri in tanta occaſione non poteſt non lætari, cùm plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, & per temporum ſpatia repleri ſagenam, quam in altum juſſus eſt mittere idem Piſcator hominum & cœleſtis Jeruſalem beatus claviger*. Cum autem Anaſtaſius menſe Novembri anni 496 ordinatus fuerit Pontifex Romanus, Clodovei baptiſmus pertinet ad diem Chriſti Natalitium ejuſdem anni, & Anaſtaſii ad Clodoveum Epiſtola circa initium anni 497 ſcripta.

VIII. *Conſtitutum Anaſtaſii de Eccleſia Arelatenſi.*

Anaſtaſius quoddam conſtitutum ediderat in controverſia, quæ verſabatur inter Arelatenſem & Viennenſem Epiſcopos; Symmachus enim Papa in Epiſtola prima ad Æonium Arelatenſem Epiſcopum data tertio Kalendas Octobris anni quingenteſimi, ait: *Conſtat inter Arelatenſem & Viennenſem Eccleſiam aliquod de ordinandis Epiſcopis in vicinis civitatibus ortri luctamen: illa re videlicet faciente, quòd deceſſor noſter ſanctæ recordationis Anaſtaſius, tractans confuſionem provinciæ, aliqua contra veterem conſuetudinem juſſerit obſervari, deceſſorum ſuorum videlicet ordinationem, quod non oportebat, ſub qualibet neceſſitate tranſgrediens, &c.* Deinde antiqua Sedis Apoſto-

Digitized by Google

SÆC. V. S. ANASTASIUS. Apoſtolicæ decreta obſervari jubet. Sed decretum Anaſtaſii nullibi reperitur. De hac & alia Symmachi Papæ ad Æonium Epiſtola circa hanc controverſiam agetur in Symmacho.

IX. *Anaſtaſii PP. obitus.* Poſtquam Anaſtaſius Papa annum unum, menſes undecim, dies quatuor & viginti ſediſſet, ut habent libri Pontificalis Auctor, omnes ferè Catalogi, Ordericus lib. 2. & Hermannus Contractus, obiit die decima ſeptima menſis Novembris anni quadringenteſimi nonageſimi octavi, & die decima nona ejuſdem menſis ſepulturæ mandatus eſt in Baſilica beati Petri Apoſtoli, ut legitur in eodem libro Pontificali, in quo & habetur, eum feciſſe confeſſionem ſancti Laurentii Martyris ex argento, quæ penſabat libras centum. SÆC. V. S. ANASTASIUS.

S. SYMMACHUS *Pontif. LIII.*

Anno Domini CCCCXCVIII.

SÆC. VI. I. *Symmachus fit Papa.* Symmachus, natione Sardus, ex patre Fortunato, poſtquam Sedes Romana vacaſſet dies quatuor, ut habent liber Pontificalis, varii Catalogi Tom. I Criticæ Baronianæ præfixi, & Ordericus, eam regendam ſuſcepit die vigeſima ſecunda menſis Novembris, in quam anno quadringenteſimo nonageſimo octavo Dominica cadebat. Unde idem libri Pontificalis Auctor aſſerit Symmachum fuiſſe à die X Kalendarum Decembrium, uſque in diem 14. Kalendarum Auguſti, Symmachi emortualem, ut ſuo loco dicetur.

II. *Laurentius fit Antipapa.* Feſtus Romanus Senator, qui, ut in Anaſtaſio Papa diximus, Imperatori Anaſtaſio promiſerat ſe effecturum, ut Anaſtaſius Papa Zenonis Henotico ſubſcriberet; cùm Romam rediiſſet, & Anaſtaſium mortuum inveniſſet, operam dedit, ut alius per ſchiſma promotus Edicto illi ſubſcriberet. Multis igitur pecuniâ corruptis, effecit, ut quidam nomine Laurentius, natione Romanus, Archipresbyter tituli ſanctæ Praxedis eligeretur. Duo itaque ordinati ſunt, Symmachus quidem in Baſilica Conſtantiniana, Laurentius verò eadem die in Baſilica Sanctæ Mariæ. *Et à majori quidem parte ordinatus eſt Symmachus, unus ex Diaconis: ab aliis verò Laurentius*, inquit Theodorus Lector lib. 2. Hiſt. Eccleſiaſt. qui addit ex duplici illa electione cædes, rapinas, & alia innumera mala perpetrata eſſe.

III. *Theodoricus Rex pro Symmacho ſententiam dicit.* At non Clerus tantùm, ſed & Senatus Romanus ea de cauſa mutuis inter ſe diſcordiis, rixiſque certavit, partis alterius, nempe Laurentii, Patrocinium ſuſcipientibus dicto Feſto, atque Probino potentiſſimis Senatoribus: alteri verò parti, ſcilicet Symmachi, Fauſto Exconſule, & aliis Senatoribus faventibus. Quare *conſtruxerunt*, vel conſtituerunt *partes*, inquit Auctor libri Pontificalis, *ut ambo Ravennam pergerent, ad judicium Regis Theodorici. Qui dum ambo introiſſent Ravennam, hoc judicium æquitatis invenerunt, ut qui primò ordinatus fuiſſet, vel ubi pars maxima cognoſceretur, ipſe ſederet in Sede Apoſtolica. Quod tandem æquitas in Symmacho invenit & cognitio veritatis. Et factus eſt Præſul Symmachus.* Theodoricus itaque Italiæ Rex, licèt Arianus, comperiens Symmachum priùs ordinatum, & pluribus electum ſuffragiis, ſecundùm ipſum ſententiam dixit. Ita compreſſum ad tempus incendium eſt. SÆC. VI.

IV. *Symmachus primam Romæ Synodum cogit.* Symmachus in Apoſtolica Sede conſtitutus, anno quadringenteſimo nonageſimo nono, Kalendis Martii Synodum Romæ coegit, in qua actum eſt de tollendo ambitu in Comitiis Pontificiis, & de præcludenda ſchiſmaticis via. Ob id decretum, ut cujuſvis ordinis Clerici, qui Papa incolumi ſuffragium alicui in proxima futura Romani Pontificis electione polliciti fuiſſent, aut ſacramento ſe in alicujus gratiam obſtrinxiſſent, loci ſui dignitate & communione privarentur. Decretum ſecundò, ut poſt obitum Papæ, ille Apoſtolicæ Sedis conſecraretur Epiſcopus, qui conſentientibus totius ordinis Eccleſiaſtici ſuffragiis electus eſſet: vel ſi ſtudia eſſent diverſa, vinceret ſententia plurimorum: ſic tamen ut careret Sacerdotio, qui captus promiſſione, non recto judicio de electione decreviſſet. Baronius putat Laurentium, qui contra Symmachum electus fuerat, in hac Synodo Romana factum fuiſſe Epiſcopum Nucerinum. Sed id tantùm factum eſt in ſecunda Synodo Romana ſub Symmacho, ut in ea dicetur. Huic verò primæ Synodo ſubſcripſit Laurentius his verbis: *Cælius Laurentius Archipresbyter tituli ſanctæ Praxedis his ſubſcripſi & conſenſi Synodalibus conſtitutis, atque in hac me profiteor manere ſententia.* Ea Synodus non à Theodorico Rege, ut habet Theodorus Lector loco laudato, ſed à Symmacho convocata, ut habet liber Pontificalis, & legitur in principio Actorum Synodi. Eam celebratam Kalendis Martii anni 499 habent vulgatæ editiones, in quibus legitur, *Poſt Conſulatum Paulini V. C. Kalendis Martii, in Baſilica beati Petri Apoſtoli, Synodo Præſidente*

te beatiſſimo Papa Symmacho, &c. Conſulatus autem Paulini incidit in annum 498. Huic Synodo Epiſcopi ſeptuagintaduo interfuere.

V. Symmachi pro Eccleſia Arelat. Epiſtola.

Hoc eodem anno 499, cùm Æonius Arelatenſis Epiſcopus ad Symmachum Papam queſtus eſset, Viennenſem Epiſcopum *contra regulas Eccleſiaſtici conſtituti*, Eccleſiæ ſuæ jura invaſiſſe, Symmachus, qui ſtatuta à prædeceſſoribus ſervari volebat, Æonio injungit, ut aliquem ad ſe dirigat, qui *apud ſe veritatem cauſæ alleget*; atque Viennenſem Epiſcopum moneat, quò is quoque hominem proprium dirigat, qui partis ejus allegationes competenter inſinuet. Symmachi Epiſtola refertur, licèt inverſo ordine, Tom. IV Concil. pag. 1292. ejuſque initium: *Movit quidem nos*, eſtque ordine II, cùm dici deberet I, data eſt enim *ſub die III Kalendas Novemb. poſt Conſulatum Paulini V. C.* ideoque anno 499. Tum Symmachus acceptis aliis literis ab Æonio per Creſcentium Presbyterum miſſis, quibus dicebatur Anaſtaſium Papam *aliqua contra veterem conſuetudinem* juſſiſſe obſervari, Æonium commonuit, *ut in ordinandis per ſingulas urbes Sacerdotibus* (controverſia enim erat inter utrumque Epiſcopum de ordinatione Epiſcoporum) *cana ac reverenda ſervetur antiquitas, nec novella Conſtitutio vetuſtæ ſanctionis robur imminuat*. Ubi loquitur Symmachus de diviſione utriuſque provinciæ à Leone Magno aliàs facta, quam infringi pati nolebat, ideoque reſcindit quæ in contrarium ab Anaſtaſio conſtituta fuerant. Hæc Epiſtola eſt ordine prima Tom. IV Concil. cùm debeat eſſe ſecunda, utpotè *data III Kalendas Octob. iterum poſt Conſulatum Paulini Junioris V. C.* ideoque anno Chriſti quingenteſimo, cùm prior anno illum præcedente data ſit.

VI. Symmachus Viennenſem Epiſc. ad ſe tuendum invitat.

Avitus Viennenſis Epiſcopus queſtus eſt apud Symmachum, quòd hanc de ordinationibus Epiſcoporum controverſiam in favorem Arelatenſis Eccleſiæ judicaſset. Ad eum enim reſcripſit Symmachus Epiſtolam ordine XII datam *III Idus Octobris Avieno & Pompejo Conſulibus*, ideoque anno quingenteſimo primo, in qua ait ei *ſalvum eſse allegare quod putaverit allegandum, & proponere quod viderit proponendum. Nam licèt*, inquit *confuſionem provinciæ à prædeceſſore noſtro ſanctæ memoriæ Anaſtaſio Epiſcopo præter Eccleſiæ conſuetudinem, & antiqua prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta factam eſſe dixerimus, & non eſſe tolerandam; attamen ſi ea quæ fecit, rationabiliter feciſſe fraternitas tua docuerit, gaudebimus nihil eſſe ab eo contra Canones attentatum, quia quod fit præter regulam, modò ſit ex juſta cauſa, non infringit regulam, quam ſola pervicacia & antiquitatis contemptus lædit*. Et infra: *Quamobrem pergat dilectio tua, rationes quæ prædeceſſorem noſtrum ad tractandam prædictam confuſionem impulerunt, ad nos dirigere, ut & ſciamus quid fuerit ſtatuendum, & in Domino lætemur beatæ memoriæ Anaſtaſium, nihil feciſſe retractandum.*

VII. Sententiam fert pro Eccleſia Arelat.

Nihil poſtea in hac controverſia definitum reperimus à Symmacho ante annum quingenteſimum decimum tertium, quo ad petitionem Cæſarii, Arelatenſis Epiſcopi confirmavit diviſionem provinciæ inter Viennenſem & Arelatenſem Eccleſias à Leone Papa conſtitutam, Epiſtola IX ad univerſos Galliæ Epiſcopos *datâ Idibus Novembris Probo Viro Clariſſimo Conſule*; licèt enim Collectores Conciliorum eam referant ad annum 502, quia eo anno Probus Conſul fuit cum Avieno Juniore, data tamen eſt anno 513 quo alter Probus fuit Conſul Occidentalis; Probus autem Conſul anno 502 fuit Conſul Orientalis; & mos ferebat, ut quando unius tantùm Conſulis in Actis publicis mentio fieret, Occidentales Conſulem Occidentalem, & vice verſa Orientales Orientalem memorarent. Hinc quia Probus anno 502 Conſul in Oriente deſignatus fuerat, Synodus Romana tertia Symmachi ſolo Avieni Junioris Conſulis Occidentalis nomine notata reperitur.

VIII. Reſpondet conſultationibus Cæſarii Epiſc. Arelat.

Ad annum pariter quingenteſimum decimum tertium revocanda eſt Epiſtola ordine quinta Symmachi ad Cæſarium Arelatenſem, quæ reſponſa ſex complectitur, ad petitiones ſex Cæſarii contentas in libello ab eodem Cæſario Symmacho oblato; cùm enim hæc Epiſtola data ſit VIII Idus Novembris Probo Viro Clariſſimo Conſule, ad eundem Chriſti annum revocanda propter rationem numero ſuperiori adductam. Ad primam Cæſarii conſultationem reſpondet Symmachus, poſſeſsiones Eccleſiæ datas aut relictas alienari non poſſe: *Niſi forſitan aut Clericis honorum meritis, aut monaſteriis Religionis intuitu, aut certè peregrinis neceſſitas largiri ſuaſerit: ſic tamen ut hæc ipſa non perpetuò, ſed temporaliter, donec vixerint, perfruantur*. Hinc quæ fuerit beneficiorum Eccleſiaſticorum origo manifeſtum ſit. Cùm enim ſolerent Clerici ab Eccleſia per Epiſcopum ſingulis menſibus meritam ſtipem accipere, contigit poſtea ut aliquibus ex his, Eccleſiæ poſſeſſiones, quoad viverent, ab ipſo Epiſcopo concederentur, quæ beneficia dici cæperunt, eò quòd, ut habet Symmachus, bene meritis tantummodo eas concedi liceret. Alia diſciplinæ Eccleſiaſticæ capita ſancivit Symmachus in dicta ad Cæſarium Epiſtola, quæ Tomo 4 Concil. legi poſſunt.

IX. Secundam Romæ Synodum celebrat.

Anno Chriſti quingenteſimo Symmachus ſecundam Romæ Synodum coegit, cujus Acta ad nos non pervenere. Hæc Laurentium

Digitized by Google

rentium ſchiſmaticum, ut Eccleſiam turbare deſineret, Nuceriæ Epiſcopum renunciavit, nam Theodorus Lector laudatus ſcribit: *Cùm hujuſmodi perturbatio tres continuos annos in urbe Roma perſeveraſſet* [ab anno ſcilicet 498] *Theodoricus Afer, qui tum Romæ regnabat, quamvis ſectâ eſſet Arianus, collecta tamen Synodo, Symmacho quidem Epiſcopatum urbis Romæ confirmavit: Laurentium vero cujuſdam urbis, quæ Nuceria dicitur, Epiſcopum conſtituit.* In textu tamen græco Theodori non dicitur perturbationem *tres continuos annos* duraſſe, ſed tantùm fuiſſe *trium annorum.* Neque enim toto illo triennio Laurentius turbas excitavit, cùm ſubſcripſerit priori Synodo Romanæ, ut jam diximus. Porrò hanc ſecundam Synodum Romanam, cum anno quingenteſimo, accuratè connectit Hermannus Contractus ex editione Caniſii, licèt quota ordine fuerit, non exprimat.

X.
Item tertiam.

Annis quingenteſimo primo, & quingenteſimo ſecundo, omnia Romæ tranquilla fuere, quia Laurentius ſchiſmaticus, qui anno quingenteſimo *intuitu miſericordiæ*, ut loquitur Auctor libri Pontificalis, Nucerinus Epiſcopus creatus fuerat, ante annum quingenteſimum tertium, Romanam ſedem iterum non invaſit. Anno tamen quingenteſimo ſecundo Symmachus celebravit tertiam Romæ Synodum, quæ vulgò Palmaris appellatur, licèt, ut mox dicetur, Synodus Palmaris anno tantùm quingenteſimo tertio celebrata fuerit. Extat hæc Synodus Romana tertia Tom. 4 Concil. & his verbis inchoatur: *Flaviano* (legendum Flavio) *Avieno Viro Clariſſimo Juniore Conſule ſub die VIII Iduum Novembrium, in Baſilica beati Petri Apoſtoli*, &c. *Benè quidem fraternitas veſtra Eccleſiaſticis legibus obſecuta*, &c. Hujus Synodi celebrationis cauſa fuit abrogatio legis Odoacris Italiæ Regis, qua Baſilius Præfectus Prætorio ſanxerat, ne abſque Italiæ Regis conſenſu electio Romani Pontificis fieret. Secundò, ne liceret Summo Pontifici quidquam ex Eccleſiæ bonis alienare. Irrita declarata ſunt hæc capita, quia facta à laico Principe. Suâ tamen & Synodi auctoritate ſtatuit Symmachus, ut nulli Romanorum Pontificum, vel Presbyterorum, qui Titulis erant præpoſiti, Eccleſiæ prædia quæcunque alienare, vel commutare liceret; nec etiam eorum uſumfructum concedere, niſi Clericis captivis & peregrinis. Huic Synodo adfuere Epiſcopi 64, inter quos eminebant Laurentius Mediolanenſis, Petrus Ravennas & Eulalius Syracuſanus.

XI.
Laurentius iterum ſchiſma excitat.

Anaſtaſius, ſive libri Pontificalis Auctor, poſtquam retulit Laurentium ſchiſmaticum, Nucerinum Epiſcopum conſtitutum eſſe, narrat quæ anno quingenteſimo tertio contigere: *Poſt annos IV* (ab anno ſcilicet Chriſti quingenteſimo, quo Laurentius dictus Epiſcopus Nucerinus) *zelo ducti aliqui ex Clero, & alii ex Senatu, maximè Feſtus & Probinus incriminarunt Symmachum, & ſubornaverunt teſtes falſos, quos miſerunt Ravennam ad Regem Theodoricum, accuſantes B. Symmachum, & occoltè revocaverunt Laurentium, poſt libellum Romæ factum, & fecerunt ſchiſma, & diviſus eſt iterum Clerus. Et alii communicabant Symmacho, alii Laurentio. Tunc Feſtus & Probinus Senatores miſerunt relationem Regi, & cœperunt agere, ut Viſitatorem daret Rex Sedis Apoſtolicæ. Tunc Rex dedit Petrum Alticinæ* (ſeu potius Altinæ) *civitatis Epiſcopum, quod Canones probibebant.* Secundum itaque ſchiſma ſub Symmacho anno quingenteſimo tertio exortum, & Petrus Altini Epiſcopus Romam ad tumultus compeſcendos à Theodorico Italiæ Rege miſſus eſt. Petrus Altinus Romam profectus, nullâ Symmachum reverentiâ proſecutus eſt; quod tamen Rex ipſi in primis præceperat; nullam Eccleſiaſticę pacis curam geſſit, ſed à ſchiſmaticis in partes tractus turbavit omnia, ut teſtatur Ennodius Ticinenſis in Apologetico pro Symmacho. Eſt porrò Altinum civitas propè littus Venetiæ poſita, quæ cùm everſa fuiſſet, Epiſcopatus Torcellum, haud procul inde diſſitum, ſæculo ſeptimo translatus eſt.

XII.
Theodoricus Rex Synodum Romæ dictum Palmarem convocat.

Theodoricus Italiæ Rex, ut iſtis tumultibus finis imponeretur, juſſit Romæ Synodum celebrari, cui interfuere Epiſcopi 115. Synodus iſta quarta Romana ſub Symmacho, *Palmaris* appellata, à loco ubi celebrata eſt. Hanc porrò Synodum quartam eſſe Palmarem probat Auctor Criticæ Baronianæ ex Codice MS. San-Germanenſi tempore Caroli Magni exarato, in quo poſt relatas tres Synodos Romanas ſub Symmacho, legitur: *Quarta Synodus habita Romæ Palmaris.* Ejus initium eſt: *Sancta Synodus* &c. ut in Collectione Concil. pag. 1323, in qua perperam vocatur tertia, & ibidem malè addita eſt nota temporaria, quæ deeſt in dicto Codice MS. San-Germanenſi.

XIII.
De conſenſu Symmachi PP.

Synodum, conſentiente Symmacho, à Theodorico Rege convocatam, ex Actis perſpicuum eſt: *Memorati Pontifices*, inquiunt Acta, *quibus allegandi imminebat occaſio, ſuggeſſerunt, ipſum, qui dicebatur impetitus, debuiſſe Synodum convocare; ſcientes quia ejus ſedi primùm Petri Apoſtoli meritum, vel Principatus; deinde ſecuta juſſionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, ei ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem: nec antedictæ Sedis Antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio, in propoſitione ſimili forma aliqua teſtaretur. Sed potentiſſimus Princeps ipſum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem ſuam literis demonſtraſſe*

Digitized by Google

monſtraſſe ſignificavit. Unde à Manſuetudine ejus paginæ poſtulatæ ſunt, quas ab eo directas conſtabat; baſque dari Sacerdotibus ſine tarditate conſtituit.

XIV. *Sciſmatici tumultus in Synodo excitant.*

Synodus ante diem nonum menſis Augusti coacta fuerat; ſed ob confuſionem, quæ nata eſt, aliqui ex Urbe deceſſerunt, aliique cæptum judicium reliquére. Quod cùm accepiſſet Theodoricus Rex, per Germanum & Caroſum Epiſcopos præceptionem miſit, qua jubet, ut ſecundo conventu Synodo finem imponant, & abſentes Epiſcopos opperiantur, quò diſſenſione ſummota, cauſa terminum ſortiatur, pax Eccleſiæ & Urbi reddatur. Ingreſſus & Synodum Symmachus primo conventu, qui in Baſilica Julii actus eſt: ad alterum item Seſſorianum proficiſcebatur, cùm ab adverſariis in via circumventus, ac cæſis ſuis penè oppreſſus eſt. Poſt eam cædem commonitus Symmachus, an rurſus ad Synodi judicium exire vellet, compelli ſe jure poſſe negavit. Theodoricus Rex præceptionem aliam dedit *ſub die Kalendarum Octobris* directam *univerſis Epiſcopis ad Synodum convocatis*, in qua ait, decuiſſe eos jam finiiſſe negotium, ſeque mirari denuò ab eis conſultum fuiſſe, ideoque ſe illis eadem quæ antea intimare, ut proferant ſententiam, de qua ſint *rationem Divino judicio reddituri*.

XV. *Prima Actio Synodi.*

Synodus itaque duabus Actionibus conſtat. In prima Symmachus Papa ingreſſus eſt Baſilicam Julii, *in qua Pontificum erat congregatio*, & de evocatione Synodi Regi gratias retulit, ac dixit ſperare ſe, *ut Viſitator, qui contra religionem, contra ſtatuta Veterum, vel contra regulas Majorum, à parte Cleri, vel ab aliquibus fuerat poſtulatus, ex ordinatione Antiſtitum, prima fronte cederet: & omnia quæ per ſuggeſtionem inimicorum ſuorum amiſerat, poteſtati ejus legaliter ab honorabili Concilio redintegrarentur, ſeu redderentur: & tanti loci Præſul prius ſtatui priſtino redderetur; & tunc, non ante veniret ad cauſam: & ſi ita rectè videretur, accuſantium propoſitionibus reſponderet*. Hæc ex Actis, quæ addunt, Concilium hæc retuliſſe ad Regem, qui, agentibus Symmachi inimicis, juſſit eum ante patrimonii, vel Eccleſiarum receptionem cum impugnatoribus ſuis in diſceptatione confligere.

XVI. *Actio ſecunda ejuſdem Synodi.*

Actus deinde ſecundus conventus; ſed *dum eſſet Synodus in Hieruſalem Baſilica Seſſoriani Palatii conſtituta, aliquibus Sacerdotibus viſum eſt, ut libellus, quem accuſatores paraverant, ſuſciperetur à Synodo.* at dum veniret Pontifex, *ut cauſam diceret, ab irruentibus turbis æmulorum ſuorum ita tractatus eſt, ut multis Presbyteris, qui cum ipſo erant, mortis occaſio fuerit*. Rebus varia confuſione turbatis, rurſus Synodus ſcripſit ad Regem, ſignificavitque Symmacho, qui penè fuiſset oppreſsus, à ſtatutis Canonibus non poſſe compelli. Reſpondit Rex *in Synodali eſſe arbitrio in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reverentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere*, ſeque tantùm velle, ut *proviſione Concilii pax in Civitate Romana Chriſtianis omnibus redderetur*.

XVII. *Symmachus abſolvitur & Laurentius relegatur.*

Cùm jam in prima Actione compertum fuiſſet Schiſmaticos ad dicendum contra Pontificem teſtimonium, ſervos adduxiſſe, quos Canones, & leges ipſæ ſæculi non admittunt, Synodus his acceptis Theodorici literis, decrevit ut Symmachi cauſa Divino judicio ſervaretur, & ab æmulorum ſuorum accuſationibus liber, puruſque criminis declaratus, ſacra miniſteria obiret, omnibuſque Pontificatûs maximi juribus in Urbe & extra frueretur: Clerici verò, qui ab eo defecerant, officiis ſuis ex miſericordia reſtituerentur, dummodo eidem ſatisfacerent, ut fuſiùs in Actis continetur. Poſt hanc Synodum Symmachus Laurentium in exilium mitti curavit, ſubdit enim Theodorus Lector laudatus: *Laurentius tamen haud quaquam quievit, ſed Epiſcopatum urbis Romæ adhuc ambire non deſiitit: quam ob cauſam eum deponi, & in exilium mitti curavit Symmachus. Atque hoc modo ſeditio conſopita eſt*. Ceterùm Romana Synodus cauſam Symmachi Pontificis maximi judicare ſummo jure non potuiſſet, niſi ſe illius judicio ſubjecisſet Symmachus, ut probat Natalis Alexander Diſſertatione prima ſæculi ſexti, in qua & ad Joannis Launoii objectiones reſpondet.

XVIII. *Symmachus quintam Romæ Synodum habet.*

Schiſmatici adhuc tumultuantes, contra Synodum hanc, opus ſcripſerunt, cui titulus erat: *Adverſus Synodum abſolutionis incongruæ*. His ex Synodi quintæ, anno quingenteſimo quarto celebratæ, mandato, reſpondit Ennodius Ticinenſis Diaconus libello Apologetico, quem pro quarta Synodo Romana, & Symmacho ipſo ſcripſit, ut legitur initio ejuſdem Synodi Romanæ quintæ, ubi dicitur: *Libellus, qui Synodali auctoritate contrà eos, qui adversùs quartam noſtram Synodum, quæ habita eſt Romæ, palàm mutire præſumpſerunt, ab Ennodio conſcriptus eſt, coràm omnibus deferatur, & in præſentia omnium legatur*, &c. *Hic libellus integerrimè Synodaliter ab omnibus tueatur, atque inter quartæ & quintæ Synodorum noſtrarum Actiones interponatur, & ita ſicut harum Synodorum decreta habeatur, quia Synodali auctoritate conſcriptus eſt, & roboratus*. Ex quibus intelligitur, vel Synodum quartam Palmarem Ennodio mandaſse, ut libellum illum Apologeticum elucubraret; quod tamen dici non poſse videtur, cùm ſit reſponſum ad libellum *adversùs Synodum abſolutionis incongruæ*, qui poſt quartam Synodum

Digitized by Google

nodum ſcriptus eſt; vel potius Synodum quintam, ubi congregata eſt, hoc mandatum Ennodio dediſſe, & libello confecto, eamdem Synodum robur ſuæ confirmationis addidiſſe. In hac quinta Synodo Symmachus Pontificiæ manſuetudinis inſigne dedit exemplum, cùm Patres damnationis ſententiam in accuſatores ſuos, ac Synodi quartæ obtrectatores mox laturos, pro iiſdem rogavit: *Et licèt*, inquit, *juſtè damnentur, propter miſericordiam tamen conſerventur, ut in nobis illa Domini declaretur ſententia, quâ præcipitur ita fratribus dimitti, ſicut ſibi à Domino cupiunt dimitti*.

XIX. *Quædam in ea decreta.* Denique ut Pontificum honori conſuleretur impoſterum, Canones antiqui ab hoſtibus Symmachi, in ejus accuſatione conculcati, reſtituti ſunt & confirmati, quibus cavetur ne *oves, quæ paſtori ſuo commiſſæ fuerint, eum nec reprehendere, niſi à recta fide exorbitaverit, præſumant*. Sancitum præterea, ut Epiſcopis, quæ ablata fuerant, reſtituantur, priuſquam ipſorum cauſæ inſtituatur cognitio. Tandem decretum, *accuſatoribus inimicis, vel de inimici domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis immorantur, aut ſuſpecti ſunt, ne credatur*, ideſt ne inimici, aut inimicorùm domeſtici, vel ſuſpectæ quævis perſonæ ad accuſationem Epiſcoporum admittantur.

XX. *Symmachus Anaſtaſium Imp. excommunicavit.* In quanam ex ſuperius relatis Synodis Anaſtaſius Imperator à Symmacho Papa excommunicatus fuerit, incertum; illud tantùm certò conſtat, Apologiam ſuam adversùs calumnias Imperatoris edidiſſe Symmachum poſt Synodum quartam Romanam Palmarem dictam, cùm in ea Apologia dicat: *Inter imbres lapidum totus evaſi*. Quare cùm Symmachus lapidibus impetitus fuerit, dum celebraretur hæc quarta Synodus, ea Apologia poſt annum quingenteſimum tertium ab eodem edita eſt. Ex ea Apologia conſtat Anaſtaſium Imperatorem, Acacii memoriæ, & hæreticis Calchedonenſis Concilii hoſtibus communicantem & faventem, à Symmacho Papa excommunicatum fuiſſe. Quam ob rem furore percitus Imperator libellum famoſum adversùs Pontificem vulgavit, quo ipſum inter alia convitia, Manichæum vocabat. Huic libello reſpondit Symmachus dictâ Epiſtolâ Apologeticâ, in qua de Anaſtaſii excommunicatione hæc habet: *Dicis, quòd mecum conſpirante Senatu, excommunicaverim te. Iſta quidem ego, ſed rationabiliter factum à Deceſſoribus meis ſine dubio ſubſequor. Nos non te excommunicavimus, Imperator, ſed Acacium: Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis: Tu te noli miſcere excommunicationi ejus, & non es excommunicatus à nobis: ſi te miſces, non à nobis, ſed à te ipſo excommunicatus es*. In eadem Apologia Symmachus Pontificiam cum Imperatoria dignitatem conferens, Pontifices Regibus ſuperiores eſſe oſtendit, illiſque reverendos; Principibuſque parendum non eſſe docet, cùm aliquid adversùs Dei legem jubent.

XXI. *Sextam Romæ Synodum cogit.* Incertum pariter, quo anno Symmachus ſextam Synodum Romæ convocaverit, quia in ea nullus temporis character legitur. Baronius, & Conciliorum Collectores eam cum anno quingenteſimo quarto illigant, à quibus ſine aliquo fundamento recedendum non eſt. Sextam illam fuiſſe inter Symmachianas, conſtat ex eo quòd his verbis inchoetur: *Cùm in unum apud B. Petrum Apoſtolum Sancta ſexta Synodus canonicè à B. Symmacho Romæ congregata reſediſſet*, &c. Hæc habita eſt contra invaſores rerum Eccleſiaſticarum, decretumque, ut niſi eas reſtituerint, velut manifeſti hæretici anathematizarentur, neque aliter quàm per ſatisfactionem ad communionem Eccleſiæ admitterentur. Additum eſt eâdem ſententiâ teneri omnes, qui facultates Eccleſiæ ſub ſpecie largitatis Regiæ obtinuiſſent, eo quòd Regum non ſit de bonis Eccleſiæ decernere. Nec licere Imperatori vel Regi, contrà Divina mandata & Patrum conſtituta, ſibi aliquid quovis modo uſurpare.

XXII. *Lauriacenſi Archiep. Pallium mittit.* Theodorus Epiſcopus civitatis Lauriaci in Norico poſitæ, quæ nunc eſt vicus Auſtriæ ſuperioris ad Danubium fluvium, pallium à Symmacho Papa petiit & impetravit, ut conſtat ex ejus Epiſtola XI ad Theodorum: *Diebus vitæ tuæ*, inquit Symmachus, *pallii uſum.... ab Apoſtolica ſede, ſicut decuit, popoſciſti: quod utpotè ab eiſdem Apoſtolis fundatæ Eccleſiæ Majorum more lubenter indulſimus, ad oſtendendum, te Magiſtrum & Archiepiſcopum, tuamque Sanctam Lauriacenſem Eccleſiam provinciæ Pannoniorum Sedem fore Metropolitanam*. Hæc Metropolis extincta eſt poſtea anno 568, iterumque ſæculis ſequentibus reſtituta, ut legere eſt Tomo tertio Criticæ Baronianæ.

XXIII. *Africæ Epiſcoporum exulum miſeriam ſublevat.* Cùm, ſedente Symmacho, Traſamundus Vandalorum Rex anno quingenteſimo quarto perſecutionem in Africa excitaſſet, ex diverſis provinciis Epiſcopos ducentos viginti, vel, ut alii volunt, ducentos viginti quinque relegatos eſſe conſtat. Symmachus, ut legitur in libro Pontificali, *omni anno per Africam, vel Sardiniam ad Epiſcopos, qui in exilio erant retruſi, pecuniam & veſtes miniſtrabat*; quæ eadem verba exſcripſit Marianus Scotus in Chronico ad annum 505 ſecundùm editiones hodiernas. Cùmque perſecutio illa durarit uſque ad mortem Traſamundi, quæ contigit anno 522; ab anno 504 quo initium ſumpſit, uſque ad annum 514, quo Symmachus obiit, hic Africanos Epiſcopos exules pecuniâ

Digitized by Google

SÆC. VI. S. SYMMACHUS.

niâ & veſtibus juvit. Idem libri Pontificalis Auctor addit eum captivos per Liguriam & per Mediolanum, & per diverſas provincias pecuniâ redemiſſe.

XXIV. *Manichæos perſequitur.* Symmachus præter eà cùm inveniſſet Manichæos in urbe Roma, eorum omnia ſimulacra, vel codices ante fores Baſilicæ Conſtantinianæ incendio concremavit, & eos ipſos exilio relegavit, vel potius exilio relegari curavit, ex libro Pontificali.

XXV. *Non eſt Auctor hymni* Gloria in Excelſis Deo. Ex eodem libro Pontificali habemus Symmachum conſtituiſse, ut omni die Dominico, vel Natalitiis Martyrum hymnus diceretur Angelicus, Ideſt *Gloria in excelſis Deo*, antea enim in Miſſa tantùm nocturna Nativitatis Dominicæ cantari ſolebat, ex Teleſphori decreto, ſi vera ſunt, quæ Sigebertus in Chronico, & Innocentius III lib. 2. de Miſteriis Miſſæ cap. 20 ſcribunt. Sed forsàn tunc verba tantùm Evangelica in uſu erant: conſtitutum verò Symmachi ad totum hymnum extenditur, qui jam antea compoſitus erat, Sanctus enim Athanaſius ejus recitationem ſuadet virgini, quam inſtituit libro *de ſancta Virginitate*. Ex quo & ſequitur, hymnum illum à quibuſdam Symmacho malè adſcriptum eſse. Vide dicta in Teleſphoro. Porrò ſi conſtitutum Symmachi ad omnes Presbyteros extendatur, dicendum eſt Sanctum Gregorium illud reſtrinxiſse ad ſolos Epiſcopos, Miſſæ enim ordinem in libro Sacramentorum deſcribens ait: *Item dicitur Gloria in excelſis Deo, ſi Epiſcopus fuerit, tantummodo die Dominico, ſive diebus feſtis; à Presbyteris autem minimè dicitur niſi in ſolo Paſcha*: Quando verò *Letania agitur, neque Gloria in excelſis Deo, neque Alleluya canitur*.

XXVI. *Ad Deum tranſit.* Poſtquam Sanctus Symmachus à die X Kalendarum Decembrium anni 498, uſque ad diem XIV Kalendarum Auguſtarum ſediſſet, ut docet Anaſtaſius, ſive libri Pontificalis Auctor, Senatore Conſule ad Deum migravit, poſtquam, ut idem Auctor ait, annos quindecim, menſes ſeptem, dies viginti ſeptem Romanæ Eccleſiæ præfuiſſet, ideoque mortuus eſt die decimanona menſis Julii anni quingenteſimi decimi quarti. Tot enim ſedis annos, menſes, & dies ei attribuunt varii MSS. Codices Anaſtaſii, in fine editionis Regiæ memorati, tres Catalogi Tom. I Criticæ Baronianæ præfixi, Ordericus lib. 2. Luitprandus & Regino. De pluribus Sanctorum Baſilicis à Symmacho vel à fundamentis erectis, vel inſtauratis, vel amplificatis, vel exornatis legendus idem Anaſtaſius.

S. HORMISDAS *Pontif. LIV.*

Anno Domini DXIV.

I. *Hormiſdas fit PP.* HOrmiſdas, natione Campanus, ex patre Juſto, de civitate Fruſinone, poſtquam Sedes Romana vacaſſet diebus ſeptem, ut ſcribit Auctor libri Pontificalis, Symmacho ſuffectus eſt, ordinatus die vigeſima ſeptima menſis Julii, quæ Dominicalis erat, eodem anno quingenteſimo decimo quarto.

II. *Anaſtaſii Imp. literas pro pace Eccleſiæ recipit.* Cùm Anaſtaſius Imperator res ſuas in Oriente deploratas eſſe videret, ob rebellionem Vitaliani Magiſtri equitum, qui profitebatur ſe pro Orthodoxorum fide, & revocando Macedonio Epiſcopo Coſtantinopolitano, quem relegaverat, omnia agere, juravit ſe Macedonium revocaturum, Concilium Heracleæ acturum, & ad illud Romanum Pontificem evocaturum. Indicto igitur Heracleæ Concilio, quinto Kalendas Januarii anni quingenteſimi decimi quarti literas ad Hormiſdam Papam dedit, quæ extant Tom. IV Concil. quibus de futura Synodo indicta ad diem Kalendarum Juliarum anni quingenteſimi decimi quinti eum certiorem reddit, ac rogat, ut *Sanctitas ſua, cum quibus ſibi placuerit Reverendiſſimis Epiſcopis, quos de Eccleſiis ſub ſui Sacerdotii cura conſtitutis idoneos & inſtructos erga orthodoxam religionem eſſe probaverit, ad præfatam Heracleotanam civitatem intra diem Kalendarum Juliarum venire dignetur*. Eadem de re ſcripſit Imperator ad eumdem Hormiſdam Papam pridie Idus Januarii anni quingenteſimi decimi quinti, extat Epiſtola eodem Tom. Concil. pag. 1421. prior verò pag. 1425.

III. *Ad eum Legatos mittit.* Hormiſdas poſterioribus literis acceptis, antequam priores ei redditæ eſſent, octavo Idus Julii ejuſdem anni quingenteſimi decimi quinti Epiſtolam ordine IV ad Imperatorem ſcripſit, in qua ejus zelo commendato, quoad Concilium, per Legatos ſe reſponſurum pollicitus eſt. Sed prioribus acceptis literis Anaſtaſii, die tertio Idus Auguſti ejuſdem anni eidem reſpondit Epiſtolâ V, in qua ſpopondit ſe adfuturum Concilio, quamvis nulla antiquitatis monumenta, vel exempla, deceſſores ſuos Orientalibus Conciliis per ſe ipſos adfuiſſe probarent, modò Synodi Calchedonenſis decreta non revocarentur in dubium, & damnarentur Dioſcori, Timothei Æluri, Petri Mongi, Acacii & conſortium cum Eutychete nomina. Legatos tamen deſtinavit Ennodium Ticinenſem Epiſcopum, Fortunatum Epiſcopum, Venantium Presbiterum

Digitized by Google

rum & Vitalianum Diaconum, eiſque Commonitorium, ſive Indiculum Tom. IV Concil. pag. 1426. extantem dedit, quo declaratur, quonam modo ſe apud Imperatorem gerere deberent. Legati Conſtantinopolim profecti ſubdolis Anaſtaſii Imperatoris artibus paci Eccleſiæ Orientalis conſulere non potuerunt. Ad Concilium tamen Heracleæ indictum Epiſcopos circiter ducentos acceſſiſſe teſtatur Theophanes in Chronico, qui addit eos, tam à ſceleſto Imperatore, quàm à Timotheo Conſtantinopolitanæ ſedis invaſore deluſos, re infecta receſſiſſe. *Plebs autem omnis*, inquit, *& Senatus univerſus Anaſtaſium, ceu perjurum convitiis impetebat. Ad quem nefarius ille impudentiſſimè dicebat: haberi legem, quæ Imperatorem in neceſſitate conſtitutum pejerare ac mentiri jubeat.*

IV. *Legati redeunt re infecta.*

Redeuntibus Legatis Anaſtaſius Imperator ad Hormiſdam Papam fidei profeſſionem miſit, quæ extat in ejus Epiſtola eodem Tomo Concil. pag. 1432. qua Neſtorium & Eutychetem ſe execrari teſtatur; eorumque & perſonas & dogmata anathemathe percellere. Synodum etiam Chalcedonenſem, quam hactenus inſectatus fuerat, ſe recipere ſimulat, quam nec alia Synodus in irritum miſit, nec ipſe lege lata reſcidit, nec illam anathemate confixit, ſicut nec Epiſtolam Sancti Leonis ad Flavianum. Damnationi verò, & expunctioni nominis Acacii ſe non poſſe conſentire ſcribit, propter ſcandalum, quod inde Eccleſiæ Orientales paterentur. Aliàs ſe & iſtud caput, propter ſtudium unitatis, Pontifici conceſſurum, omnia tamen per Concilium meliùs diſponenda ſe ſperare.

V. *Anaſtaſius ad Hormiſdam Legatos mittit.*

Addidit Anaſtaſius redeuntibus Legatis Sedis Apoſtolicæ, duos ex parte ſua Legatos Theopompum Comitem Domeſticorum, & Severianum Comitem Sacri Conſiſtorii, cùm ad ſalutationis officium, tùm ad ea referenda, quæ de Eccleſiarum pace concilianda Imperator ipſe cum ſuis Præſulibus contulerat. Id conſtat ex Epiſtola Anaſtaſii ad Hormiſdam, quæ extat loco citato Concil. pag. 1434. datâ XVII Kal. Auguſti, anno Chriſti 516, Conſtantinopoli. Scripſit etiam per eoſdem Legatos ad Senatum Romanum, ut negotium pacis apud Pontificem, & Theodoricum Regem urgeret. Epiſtola data Chalcedone V Kal. Auguſti, ibidemque extat pag. 1436. Hormiſdas Imperatoris fraude nondum detecta, reſpondet Epiſtolâ VI, laudat ejus ſtudium de pace concilianda, monetque, ut tandem damnatis hæreticis, eorumque ſectatoribus & communicatoribus, initum de unitate Eccleſiarum redintegranda conſilium ad exitum perduceretur. Hæc Epiſtola miſſa eſt per dictos Legatos Theopompum & Severianum, ſicuti & reſcriptum Senatûs Romani ad eumdem Imperatorem, quo Pontificem pacis eſſe ſtudioſiſſimum ſcribunt, eamque ex Acacii damnatione pendere.

VI. *Hormiſdas alios Legatos, ſed fruſtra, ad Imp. deſtinat.*

Anno quingenteſimo decimo ſeptimo, Hormiſdas Papa cùm animo deſtinaſſet, alteram ad Anaſtaſium Imperatorem legationem mittere, Ennodium Ticinenſem, & Peregrinum Miſenatis Eccleſiæ in Campania Epiſcopos, ad eam obeundam delegit, iique Epiſtolam II ad Anaſtaſium Auguſtum tertio nonas Aprilis ab Hormiſda datam detulerunt, qua Pontifex ad Acacii damnationem ipſum graviſſimè adhortabatur, illius æquitatem & neceſſitatem oſtendens. Scripſit etiam per eoſdem Legatos ad Timotheum Conſtantinopolitanum Epiſcopum hæreticum, & ad univerſos hæreticos Epiſcopos Orientis Epiſtolas XII & XIII, eodem die, quo ſuperior, datas pro unitate Eccleſiarum. Ad Epiſcopos orthodoxos pariter gratulatorias ordine XIV, quibus laudat eorum in fide conſtantiam, ac de fine miſſæ à ſe legationis certiores facit. Scripſit denique ad Clerum, Monachos, plebemque orthodoxam Conſtantinopoleos Epiſtolam XVI, qua eos hortatur ad vitandam hæreticorum communionem, & ad ſtudium pro fide Catholica & Synodo Chalcedonenſi. Sed Imperator damnationi Acacii conſenſum præbere nolens, & Hormiſdæ mandata impatienter ferens, remiſit Legatos pace infecta; Hormiſdæ nimiam duritiam, datis ad eum die quinta Julii literis Tom. IV Concil. pag. 1460 relatis exprobravit, ſicque Legati re infecta redierunt.

VII. *Maronitæ Synodum Calchedonenſem tuentur.*

Eodem anno quingenteſimo decimo ſeptimo Archimandritæ & Monachi ſecundæ Syriæ, ſeu Maronitæ ad Hormiſdam Papam relationem miſerunt eorum, quæ patiebantur ab hæreticis Eutychianis, præſertim à Severo Antiocheno, & Petro Apameenſi, quæ extat ibidem pag. 1461, in qua legitur: *Quoniam Chriſtus Deus noſter principem paſtorum & doctorem & medicum animarum conſtituit Vos, & Veſtrum Sanctum Angelum, dignum eſt paſſiones, quæ nobis contigerunt, exponere, & immiſericordes oſtendere lupos, qui diſſipant gregem Chriſti. Qui autem ſint iſti, & qui adversùs nos armaverint, audiſtis utique Beatiſſime: Severus ille & Petrus, qui nunquam in Chriſtiano numero reputati ſunt, qui per ſingulos dies Sanctam Chalcedonenſem Synodum, Sanctiſſimum & Beatiſſimum Patrem noſtrum Leonem* (Papam hujus nominis primum) *publico anathemate impetentes, qui judicium Dei nihil æſtimantes, & colendos Canones Sanctorum Patrum conculcantes, Epiſcopos quidem principali potentia facientes exhiberi, & nos cogentes illudere prædictam Sanctam Synodum ſuppliciis inæſtimabilibus affligentes, euntibus nobis ad mandatum Domini*

Digitized by Google

mini Simeonis pro cauſa Eccleſiæ, inſidiati ſunt nobis in itinere perditi, coinquinati, & ſupervenientes occiderunt ex nobis 350; quoſdam autem vulneraverunt, alios verò, qui potuerant ad colenda altaria fugere, ibidem peremerunt, & monaſteria incenderunt. Unde in Martyrologio Romano ad diem 31 menſis Julii habetur: *In Syria Sanctorum trecentorum quinquaginta Monachorum, qui ob defenſionem Synodi Chalcedonenſis ab hæreticis occiſi ſunt.*

VIII. Hormiſdam PP. ad eam tuendam excitant. Hormiſdas Papa maxime doluit de tanto ſcelere, ſcripſitque ad Archimandritas Syriæ Epiſtolam ordine XXIII, quæ extat Græcè & Latinè in Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna anno 536 celebrato Actione V Tom. V Concil. pag. 143. in qua ait, Catholicam religionem per ipſos viſam eſſe inconcuſsè ſervatam, illoſque commendat & ſolatur de iis quæ paſſi fuerant, dicens: *Benedixi Deum fidem militum ſuorum inter adverſa ſervantem.* Hi itaque Monachi tanquam Catholicæ fidei anteſignani, ut eamdem fortiter tuerentur, varios ex ſuis poſtea miſerunt Romam, Conſtantinopolim & per univerſam Syriam ſecundam, quibus Hormiſdam Papam, Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum, Juſtinianum Imperatorem, & omnes Syriæ Epiſcopos enixè rogabant, ut unà ſimul adversùs hæreſes inſurgerent, ut in citata Epiſtola eorundem Monachorum ad Hormiſdam legitur, & in libello ad Mennam Patriarcham Concilium Conſtantinopoli celebrantem, Tom. V Concil. pag. 115. & ſeqq. relato. In Epiſtola ad Hormiſdam ita loquuntur: *Deprecamur ergo Beatiſſime, ſupplicantes & rogantes, ut exurgatis cum fervore & zelo, & vindicetis fidem contemptam, Canones conculcatos, Patres blaſphematos, & talem Synodum anathemate impetitam.* Libelli Mennæ & Juſtiniano oblati legi poſſunt eodem Tomo Conciliorum. Hæc & plura alia habet Fauſtus Naironus Maronita in Differt. de Origine, nomine, ac religione Maronitarum.

IX. Juſtinus Imp. de pace cum Hormiſda ſincerè agit. Anaſtaſio Imperatore, die nona menſis Aprilis anni quingenteſimi decimi octavi mortuo, in ejus locum ſubrogatus eſt Juſtinus maximus Chalcedonenſis Concilii defenſor, qui Kalendis Auguſti ſe in Imperatorem electum eſſe Hormiſdæ ſignificavit, aliiſque literis VII Idus Septembris Conſtantinopoli datis, ab Hormiſda petiit per Gratum Comitem, ut ad pacem Orientali Eccleſiæ reconciliandam, & ad lapſos recipiendos, Conſtantinopolim Legatos mittere dignetur. Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, per eumdem Gratum miſſa fidei profeſſione ad Hormiſdam, qua Synodum Chalcedonenſem recipere ſe teſtabatur; & Sancti Leonis, Hormiſdæque ipſius nominibus in ſacra Diptycha reſtitutis, viam ad unitatem aperuit. Hormiſda in Epiſtola XXIX ad Joannem reſponſoria, ipſum ad communionem Eccleſiæ admittendum pollicitus eſt; ſi nomen Acacii è ſacris Diptychis expungeret: *Iſta*, inquit, *laudanda ſunt, ſi perfectionis ſubſequatur effectus: quia recipere Chalcedonenſe Concilium, & ſequi ſancti Leonis Epiſtolas, & adhuc nomen Acacii defendere, hoc eſt inter ſe diſcrepantia vindicare.*

X. Hormiſda Legatos Cpolim mittit. Anno itaque quingenteſimo decimo nono, Hormiſdas non dubitans, quin Juſtinus Imperator, & Joannes Cappadox Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui anno præcedenti Synodum Conſtantinopoli celebrarat, in qua excommunicatis Eutychianis, eorumque defenſoribus, receptum eſt Chalcedonenſe Concilium cum Sancti Leonis Epiſtola, cujus nomen in ſacris Diptychis reſtitutum, ſincerè de pace agerent, Germanum & Joannem Epiſcopos, Blandum Presbyterum, Felicem & Dioſcorum Diaconos, Legatos Conſtantinopolim miſit, eiſque indiculum rerum agendarum dedit, & Epiſtolas ad Juſtinum Imperatorem, ad Euphemiam Auguſtam ejus conjugem, ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ad Archidiaconum & Clerum Conſtantinopolitanum, ad Juſtinianum Domeſticorum Comitem, poſteà Juſtini in imperio collegam & ſucceſſorem, ad quoſdam Patricios, ad Præfectum Prætorio Theſſalonicenſem, & ad quaſdam celeberrimas fœminas Senatorias, perferendas, quæ omnes extant Tom. IV Concil. à pag. 1476. ad 1484. Libellum fidei præterea edidit, tradiditque Legatis, cui ſubſcribere Conſtantinopolitanus Epiſcopus, aliique Antiſtites deberent, antequam in communionem Sedis Apoſtolicæ reciperentur. Eo libello, Acacio dicebatur anathema: non item Euphemio & Macedonio ejuſdem ſedis Epiſcopis Joannis deceſſoribus; eorum enim damnationem ab Epiſcopis non eſſe exigendam exiſtimavit Hormiſdas; ſatis eſſe, ſi eorum nomina ex ſacris Diptychis expungerentur, quod conſtat ex Indiculo Legatis dato, ibidem pag. 1476. relato.

XI. Communio inter utramque Eccleſ. redintegratur. Ubi Legati Conſtantinopolim pervenerunt, Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus libello fidei, ab iiſdem ſibi oblato ſubſcripſit; anathema dixit in Acacium: Epiſcoporum, qui in ejus communione perſtiterant, Euphemii ſcilicet & Macedonii, necnon Anaſtaſii & Zenonis Imperatorũ nomina ex Eccleſiæ Tabulis expunxit. His conditionibus pax conſtituta, & redintegrata communio eſt Eccleſiam Conſtantinopolitanam inter & Romanam eodem anno quingenteſimo decimonono. Hæc conſtant ex libello Joannis Conſtantinopolitani ad Hormiſdam, qui extat eodem Tomo Concil. pag. 1486. Quare Hormiſdas Epiſtola XLV

ad

Digitized by Google

SÆC. VI. S. HORMISDAS.

ad Joannem ſcripta ipſum laudat, quod ad unitatem Eccleſiæ redierit, & hortatur, ut Alexandrinæ & Antiochenæ Eccleſiarum unionem procuret, & Epiſtola XLIV ad Juſtinum gratulatur ejus operâ Conſtantinopoli pacem vigere, &, ut hoc ipſum Antiochiæ & Alexandriæ faciendum curet, etiam hortatur. Hormiſdæ Papæ Legati, inquit Theophanes in Chronico, hanc pacem ſancivere, *freti Vitaliani adhuc viventis potentia, & Joannis Cappadocis Conſtantinop. Epiſcopi etiam ſuperſtitis diligentia.*

XII. Euphemii & Macedonii nomina in diptyca reſtituta.

Porrò licet Euphemii & Macedonii nomina è ſacris Diptychis expuncta fuerint, à communione tamen Catholica Epiſcopi illi non ſunt ſegregati. Id conſtat ex Indiculo laudato, quem dedit Hormiſdas prædictis Legatis, in quo numero V dicit Hormiſdas: *Quod ſi de anathemathe Acacii conſentiens* (nempe Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus) *ſucceſſores ejus dixerit recitandos, ob hoc quòd propter definitionem Calchedonenſis Synodi aliqui eorum exilio fuerint deportati, inſinuabitis nihil vos de libelli forma poſſe decerpere, in qua ſequaces damnatorum pariter continentur. Sed ſi eos ab hac non poteritis intentione deflectere; ſaltem hoc acquieſcite, ut anathematizato ſpecialiter per libellum, quem vobis dedimus, Acacio, de prædeceſſorum ejus nominibus taceatur, abraſis eorum de Diptychorum inſcriptione vocabulis. Quo facto Epiſcopum Conſtantinopolitanum in veſtram communionem accipite.* Hormiſdas itaque Euphemium & Macedonium anathematizandos non cenſuit, imò cùm, anno 520, Juſtinus Imp. Epiſtolâ, quæ extat Tom. IV Concil. pag. 1527. petiiſſet, ut damnato Acacii nomine, & erroris auctoribus anathematizatis, cæterorum nomina in Diptychis retinerentur, & Hormiſdas Epiſtola LXXVIII ad eum reſcribens in priori ſententia perſtans, petita minimè conceſſerit; ne tamen Eccleſiis Conſtantinopolitanæ, Ponti, Aſiæ, Palæſtinæ, ac totius præſertim diœceſeos Orientalis, ſeu Antiocheni Patriarchatûs vis inferri videretur, negotium omne anno 521. Epiphanii tunc Epiſcopi Conſtantinopolitani prudentiæ permiſit, cui ideo vicariam Sedis Apoſtolicæ Præfecturam delegavit Epiſtola LXXX, *ſeptimo Kalendas Aprilis Valerio V. C. Coſ.* data. Orientales itaque Epiſcopi in ſedis Apoſtolicæ communionem tandem admiſſi ſunt, quamvis Euphemium & Macedonium non damnaſſent, eorumque nomina è Diptychis expungi paſſi non eſſent. Certè Macedonii nomen in Diptychis, quibus inſcriptum fuerat, remanſiſſe, & à quibus ablatum reſtitutum fuiſſe, indicat ſacer cultus ei à Græcis exhibitus, & eorum Menæa fidem faciunt.

Jam ſuperiùs diximus Siricium, Innocentium, Bonifacium & Cœleſtinum Pontifices Romanos, Epiſcopos Theſſalonicenſes ſanctæ ſedis Vicarios per Illyricum conſtituiſſe, quæ prærogativa videtur duraſſe uſque ad Pontificatum Gelaſii, quo tempore Epiſcopus Theſſalonicenſis Vicaria illa poteſtate videtur privatus, quia Acacii ſchiſmati adhærebat, quod patet ex eo quòd Gelaſius in Epiſtola XI ad Epiſcopos Dardaniæ & Illyrici, Metropolitæ Theſſalonicenſis in ſchiſmate defendendo obſtinationem increpat: & parte alia quia Nicolaus I in Epiſtola ſecunda ad Michaelem Imperatorem, enumerans Pontifices, qui vices ſuas per Illyricum Theſſalonicenſibus Epiſcopis commiſerunt, incipit à Damaſo & Siricio, poſteaque nominat Innocentium, Bonifacium, Cæleſtinum, Sixtum, Leonem, Hilarum, Simplicium, Felicem, atque Hormiſdam, nulla Gelaſii, Anaſtaſii II, & Symmachi mentione facta, ex quo conjicere licet Epiſcopos Theſſalonicenſes Gelaſii tempore ſchiſmati adhæſiſſe, ob idque Vicariatu Sedis Apoſtolicæ per Illyricum privatos.

XIII. Epiſcopi Theſſalonic. Sedis Apoſt. Vicariatu privati.

XIV. Id confirmat Hormiſdas PP.

Cùm autem ſub Pontificatu Hormiſdæ, & quidem anno 515 Dorotheus Epiſcopus Theſſalonicenſis ad Hormiſdam literas dediſſet, quibus ejus electioni congratulabatur, Hormiſdas Epiſtolâ III, ſine die & Conſule ad ipſum data, pietatem ejus laudat & ſtudium in Romanam ſedem, &, ut conjectura eſt, eidem Dorotheo vices ſuas per Illyricum commiſit, quo jure non multò poſt privatus eſt, quia anno 516, Anaſtaſii Imperatoris metu, communicavit cum Timotheo Epiſcopo Conſtantinopolitano ſchiſmatico. Quod conſtat ex Theophane in Chronico, qui poſtquam ſcripſit Monachos, deſerta Palæſtinæ loca inhabitantes, fortiter pro Synodo Calchedonenſi pugnaſſe, ſubdit: *Epiſcopo verò Theſſalonicenſi* (Dorotheo ſcilicet) *ob Imperatoris metum cum Timotheo Conſtantinopolitano Epiſcopo communionem tenente, quadraginta Illyrici, Græciaque Epiſcopi unà convenientes, Tabulis etiam Teſtibus profeſſi ſunt, ab eo velut Metropolita ſe diſcedere, miſſiſque Romam Tabulis, Romani Pontificis communionem obſervare polliciti ſunt.* Hincque factum, ut cùm Dorotheus, non obſtante communione ſua cum Acacio, privilegio deceſſorum ſuorum uti vellet per totam Illyricam diœceſim, Joanne Nicopolitano Epiri Metropolita contradicente, Dorotheum Hormiſdas Epiſtolâ XXII data pridie Idus Aprilis anno 517, redarguit: *Quo pudore, rogo, privilegia circa te illorum manere deſideras, quorum mandata non ſervas? Et reverentiam, quam non exhibes fidei, cupis tibi Eccleſiaſtica poteſtate deferri?* Poſt Hormiſdam Theſſalonicenſes Epiſcopi vices Sedis Apoſtolicæ in Illyrio non geſſere.

Digitized by Google

XV. *Epiſcopi Illyrici & Dardaniæ à ſchiſmate recedunt.*

Epiſcopos verò Illyrici ad communionem cum Hormiſda Papa rediiſſe ipſo tempore Anaſtaſii Imperatoris, præter laudata Theophanis numero ſuperiori verba, evincit Epiſtola ejuſdem Hormiſdæ XXX ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum *VI Idus Septembres Florentio V. C. Conſule*, ideoque anno 515 data, in qua ait: *Epiſcopi tam Dardani, quàm Illyrici penè omnes, ne ſint errore condemnandi præterito, petentes beati Petri Apoſtolorum principis communionem, & ſcriptis & legationibus deſtinatis, ſe Apoſtolicæ Sedis regulis obedire confirmant*. Dardaniæ autem & Illyrici Epiſcopi à Theſſalonicenſi Metropolita pendebant. Idem etiam ſcripſit Hormiſdas Epiſtolâ X ad Avitum Viennenſem Epiſcopum, *XV Kalend. Martias Agapito Conſ.* datâ, ideoque anno 517, in qua ſcribit, Epiri Metropolitanum, hoc eſt, Nicopolitanum Epiſcopum *cum Synodo ſuâ nuper* ſegregatum *ab impiis, ad Apoſtolicam communionem, deprompta quæ fuerat profeſſione, ſe* contuliſse. Antea dixerat Dardaniam & Illyricum, ut ſibi Epiſcopi ordinarentur, expetiiſſe. Ad hunc porrò Joannem Nicopolitanum Epiſcopum plures extant Epiſtolæ Hormiſdæ eodem Tomo Conciliorum.

XVI. *Synodus Theſſalonic.*

In libello Synodico refertur Synodus ſub Hormiſda & Juſtino Imperatore anno 518 celebrata Theſſalonicæ his verbis: *Cùm igitur Anaſtaſius* (Imperator) *in lecto impiam animam fulgure ab irato Deo immiſſo efflaſſet, eique Juſtinus pius in imperio ſucceſſiſſet: beatus Hormiſdas Papa Romanus, plurimos Epiſcopos Theſſalonicam miſit, ut ſacram Calchedonenſem Synodum confirmarent. Quam divinam & ſanctam Synodum, qui malè ſentiebant, ictu crudeliter incenſa domo, ubi erant congregati, diſſiparunt: & ſanctos illos viros ſemiuſtulatos abegerunt.* Ex hac Synodo, ſicuti & ex mox dictis, conſtat Illyrici Epiſcopos Romano Pontifici ſubditos fuiſſe.

XVII. *Hormiſdas vices ſuas committit Hiſpalenſi & Tarraconenſi Epiſcopis.*

Anno quingenteſimo decimo ſeptimo Hormiſdas Epiſtolâ XXIV ad Joanem Tarraconenſem Epiſcopum IV Nonas Aprilis data, vices ſuas ad cuſtodiam canonum in provinciis Hiſpaniarum Joanni Tarraconenſi commiſit, ſervatis privilegiis Metropolitanorum. Epiſtolâ verò XXVI, ſine die & Conſule datâ eaſdem vices ſuas demandavit Salluſtio Epiſcopo Hiſpalenſi per Bæticam & Luſitaniam, ſervatis etiam *privilegiis, quæ Metropolitanis decrevit antiquitas*.

XVIII. *Decretalem ad Hiſpanos ſcribit.*

Collapſam in Hiſpaniis diſciplinam, ſcriptâ ad illius Eccleſiæ Epiſcopos Epiſtolâ XXV, quarto Nonas Aprilis ejuſdem anni 517 reformavit. Tria ſunt illius Decretalis capita. Primum ſpectat ordinationes Sacerdotum; quos è Laicis aſſumi vetat. Pœnitentiæ etiam publicæ aliquando addictos conſecrari prohibet. Secundo capite Metropolitanos invigilare præcipit, *ut nec electio Præſulis empta detur pretiis, nec obſequentis ſit quæſita operibus*. Tertio denique capite, Concilia bis per annos ſecundùm canones, aut ſaltem ſemel celebrari decernit; quod medium eſt ad conſervationem diſciplinæ efficaciſſimum: *Difficile eſt enim*, inquit, *ut cujuſcunque cor pravis ſit cogitationibus induretur, ut à ſe patiatur culpanda fieri, cùm noverit ſibi judicium ſubeundum eſſe Concilii*.

XIX. *Monachi Scythæ libellum offerunt Legatis Hormiſdæ Cpoli.*

Anno quingenteſimo decimonono, Legatis Hormiſdæ Papæ Conſtantinopoli agentibus, Monachi Scythæ, inter quos eminebat Joannes cognomento Maxentius, hanc ſententiam, *Unus è Trinitate in carne crucifixus eſt*, omnibus & credendam & defendendam, ad ſeditionem uſque inculcabant. His acriter reſtitit Victor Diaconus, ac plerique alii in eo offenſi, quòd novam populis theſim proponerent, veluti Calchedonenſis Synodi decreta non ſufficerent. Cùmque libri Fauſti non modo in Occidente, verùm etiam in Oriente ab aliis defenderentur, ab aliis acerrimè confutarentur, iidem Monachi illos ut hæreticos damnabant, dum plures Byzantii eos Catholicos eſſe aſſerebant. Unde lites in immenſum crevere, & Principes etiam viros in partes diſtraxere. Vitalianus, qui anno 520 Conſulatum geſſit, Monachis favebat; Juſtinianus verò, Juſtini Imperatoris nepos, eis adverſabatur in ea quæſtione. Monachi Scythæ, quòd ab adverſariis tanquam Eutychiani per contemptum ſe traduci viderent, fidei libellum Legatis Hormiſdæ exhibuerunt, in quo ſuam de Chriſto fidem pluribus exponebant. Eò tamen dicta omnia collimabant, ut à Legatis hæc inibi inſerta theſis reciperetur: *Unus de Trinitate crucifixus eſt in carne*. Poſteà, quid de Divina gratia contra Pelagianos & Cœleſtianos ſentirent, explicabant. Contra verò Fauſti ſententiam in fine concludebant: *Abominantes etiam eos, qui contra vocem Apoſtoli audent dicere, noſtrum eſt velle, Dei autem perficere, cùm idemmet Doctor & velle & perficere donum teſtetur eſſe Divinum*.

XX. *Repulſi à Legatis Romam pergunt.*

Legati hiſce de rebus nihil ſe à Pontifice in mandatis habuiſſe dicebant, imò apertè ſibi injunctum, ne aliis ſeſe cauſis immiſcerent. Verùm interceſſione Imperatoris Juſtini coacti, Monachis tandem aures dedere, & illis, cum Victore Diacono alterius factionis primipilo, ſæpius auditis, quò hominum moleſtia ſeſe liberarent, tale demum reſponſum dedere: *Quod non eſt ſcriptum à Papa Leone, non ſuſcipimus*. Novas enim præter Synodum Calchedonenſem theſes de Chriſto populis inculcare, & hunc articulum, *Unus è Trinitate crucifixus eſt carne*, uti appendicem Synodo adjicere

Digitized by Google

cere (ita enim Legati ſuſpicabantur) temeritati atquè inſolentiæ proximum judicabant. Nihil tamen coram Legatis de gratia & libero arbitrio, vel de Fauſti libris diſputatum fuit; Monachi hac repulſa in indignationem acti, Romam ad Hormiſdam legationem mittere decernunt. Quatuor Monachi ad eam obeundam electi, ſed ubi primùm eos Romam profectos innotuit, Juſtinianus & Legati literas ad Hormiſdam dederunt, quibus eumdem de iis, quæ in illa quæſtione cum Monachis acta eſſent, certiorem reddebant; ſimulque Pontificem hortabantur, ut Monachos procul à conſpectu ex Urbe pelleret. Legatorum literæ datæ III Kal. Julias anni 519, & Epiſtola Juſtiniani leguntur Tom. IV Concil. pag. 1516.

XXI. *Hormiſdas uſque ad adventum Legatorum judicium ſuſpendit.*

Hormiſdas ſuum aliquanto tempore judicium ſuſpendit, ſed cùm decreviſſet Monachos Byzantium dimittere, causâ ad Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum delegatâ, hoc ſummopere Legatis Apoſtolicis diſplicuit; nolebant enim cauſam ad Joannis tribunal devolvi, quem à Vitaliano Monachis acquiſitum ſuſpicabantur. Quare cùm poſteà accepiſſet Hormiſdas, non ſolùm Vitalianum, ſed & Juſtinianum mutatâ ſententiâ, Monachis patrocinari, & hunc pro iis ex accuſatore ſtrenuum interceſſorem agere; ex alia verò parte Dioſcori unius ex Legatis Pontificiis Epiſtolam recepiſſet, Joannem uti divenditæ fortè Monachis fidei inſimulantis, integram cauſam pendere juſſit uſque ad reditum Legatorum. Quod cùm Monachorum Oratoribus, qui Romæ aderant, innotuiſſet, diuturnioris in Urbe moræ impatientes, clàm ſe Româ ſubducere tentarunt. Verùm id Hormiſdas prohibuit, ut conſtat ex ejus Epiſtola LXIII ad Legatos, III Nonas Decembris data. Acta hæc anno 519. Ceterum cùm Legati ad Hormiſdam Papam ſcripſiſſent, eam theſim ſic à Monachis exprimi, *Unum de Trinitate crucifixum*, ideoque in ſuſpicionem vocatos; quaſi unam tantùm in Chriſto naturam prædicarent; Monachi eo dicto ſe in invidiam trahi proteſtati ſunt; eorum enim hæc erat aſſertio: *Unum de Trinitate paſſum carne*, unde in libello fidei hæc ſcripſerunt: *Deum Verbum Unigenitum Filium Patris Dominum N. Jeſum Chriſtum, qui pro nobis paſſus eſt carne, Unum de tribus ſubſiſtentiis unius Divinitatis eſſe credimus.*

XXII. *Juſtinus & Juſtinian. Monachos Hormiſdæ commendant.*

Anno 520 Juſtinianus, qui Monachos Scythas protegebat, iterùm ad Hormiſdam Papam in eorum favorem ſcripſit, & in ſuis literis eos apprimè Catholicos conteſtatus, litem verbo tenùs tantùm eſſe autumabat, iterumque rogabat, ut jam tandem eos cum reſponſo dimitteret, quorum doctrinam juxtà traditionem Patrum dici vulgò affirmabat. His Juſtiniani literis reſpondit Hormiſdas Epiſtolâ LXVII, eâque perſtringit Juſtinianum, qui ſententiam in Scythica cauſa mutaſſet; illum tamen hortatur, ut cum Imperatore agat, quò Victor, aliique, qui à Monachis accuſabantur, Romam mittantur, ut meliùs cauſa tractari poſſit. Juſtinus etiam Imperator *XV Kal. Febr. Vitaliano, & Ruſtico Coſſ.* ideoque anno 520 eadem de cauſa ad Hormiſdam ſcripſit.

XXIII. *Monachi Epiſcopis Africanis exponunt, quid de perſona Chriſti ſentiant.*

Scythæ Monachi longiores Romæ moras trahentes, Pontificios Legatos opperiri juſſi, Epiſcopos Africanos, qui à Traſamundo Vandalorum Rege in Sardiniam exules deportati fuerant, miſſo Legato cum profeſſionis fidei libello in partes pellicere tentarunt. Communi conſenſu libellum in octo capita digeſtum producunt, eumque per Joannem Diaconum ad Epiſcopos Africanos dirigunt. In eo libello uſque ad caput quintum incluſivè, de perſona Chriſti Domini ſuam ipſorum fidem exponunt; capite verò quarto de illa theſi adeò controverſa hæc ſcribunt: *Idem Deus Verbum etiam cum propria carne Unus eſt ex Trinitate, non quod caro ejus ſit de ſubſtantia Trinitatis, ſed quia caro Verbi Dei eſt, qui eſt unus ex Trinitate.*

XXIV. *Item quid de gratia & libero arbitrio.*

Defenſa theſi de Verbo uno ex Trinitate paſſo in carne, à capite ſexto uſque ad finem libri; de gratia & libero arbitrio quid ſentiant, in eodem libello exponunt. Inde de peccato originali, ejuſque pœnis, de humani generis gratia reparatrice, juxta Sancti Auguſtini doctrinam copioſè et eruditè diſſerunt; in fine capitis ſexti fidem præcipuè dari à Deo tradunt, ac fine meritis prædeſtinationem.

XXV. *A' Præſulibus Africanis commendantur.*

Præſules Africani, quorum ingens apud Sardiniam erat numerus, Monachorum Scytharum libello lecto, non modo illorum fidem ex integro commendarunt; verùm etiam alterum & ipſi volumen pari titulo *de Incarnatione & gratia* ſepoſuerunt, in quo omnes Scytharum ſententias approbarunt, aliiſque ſolidioribus argumentis muniverunt. Illi autem fuerunt quindecim Epiſcopi, quorum nomina initio libri recenſentur; unius tamen Fulgentii Ruſpenſis, qui ſcientiâ cęteros antecellebat, ſtylo volumen illud elucubratum fuiſſe ex diſcipulo Sancti Fulgentii in ejus Vita cap. 20. colligitur. Illa fidei Monachorum commendatio initio ſtatim præfixa apparet: *Veſtram*, inquiunt, *ſimul alacres & fidem cognovimus & ſalutem; imo in agnitione fidei veſtra nobis ſalus innotuit.* Fauſti ſententiam de initio fidei ex viribus naturæ à capite 17 acutè refellunt; nulla tamen cenſurâ Fauſtum perſtringunt; illius enim libros nondum viderant.

XXVI. *Monachi Romam relinquunt.*

Dum hæc in Sardinia geruntur, Legati Scytharum, cùm Dioſcorum unum ex Pontificiis Legatis, quem hoſtem infenſiſ-

 ſimum

Digitized by Google

SÆC. VI. S. HORMISDAS. ſimum ſemper experti fuerant, propediem Romæ adfuturum intelligerent, ne ejus auctoritate opprimerentur, diuturniorem ſe Romæ moram facere non poſſe dictitantes, ex Urbe egreſſi ſunt. Antequam tamen Româ evaderent, libellos atque exemplaria, quibus eorum de Trinitate & Divinâ gratiâ ſententia exprimebatur, ad Principum ſtatuas appenderunt, ut eo pretextu aliquod receptui velamen eſſet. Eoſdem ad Principum ſtatuas exclamaſſe ſcribit Hormiſdas ad Poſſeſſorem, ut populum Romanum in commiſerationem traherent, quorum tamen clamores ſurda aure Romanos pertranſiiſſe eodem auctore accepimus.

XXVII. Hormiſdas ad conſultationem de Fauſti libris Poſſeſſori reſpondet. Poſſeſſor unus ex Africanis Præſulibus à Traſamundo in exilium miſſis, tunc Conſtantinopoli morabatur. Hunc Vitalianus & Juſtinianus induxerunt ad Hormiſdam Pontificem de Fauſti Regienſis libris conſulendum. Poſſeſſoris Epiſtolam, Juſtino Diacono delatore, accepit Hormiſdas eo tempore, quo amaro in Monachos erat animo, ob nuperam eorumdem diſceſſionem jure indignatus. Epiſtola LXX, data Idibus Auguſti, Poſſeſſori reſpondens Hormiſdas, in priori ejus parte pluribus in Monachos invectus eſt, eoſque tantùm non hæreticos appellavit. De Fauſto verò hanc ſententiam tulit, his verbis conceptam: *Hi verò, quos vos de Fauſti cujuſdam Galli Antiſtitis dictis conſuluiſſe literis indicaſtis, id ſibi reſponſum habeant: Neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Eccleſiaſticæ diſciplinæ ambiguitatem poſſe gignere, aut religioſis præjudicium comparare.* Cùm verò paſſim diceretur Fauſtus contra Sanctum Auguſtinum ſcripſiſſe, idem Sanctus Pontifex ea ſententia, libris Fauſti omni prorſus auctoritate exutis, volumina poſtrema Sancti Auguſtini legenda ingeſſit, veluti puriſsimos fontes indicans, è quibus doctrinam Catholicam de libero arbitrio & gratia Dei haurirent. Hæc omnia ex lib. 2. cap. 18. & ſeqq. Hiſtoriæ Pelagianæ Cardinalis Noriſii ſummariè deſcripta, ubi & demonſtratur, Monachos Scythas non ſolùm ab hæreſi Eutychiana immunes fuiſse, ſed etiam ejuſdem hæreſis ſtrenuos expugnatores extitiſſe, licèt obſtinatum eorum ſtudium, quo præconceptæ ſententiæ ad cæterorum uſque contemptum adhæſere, culpâ non caruerit. Legi etiam poteſt Natalis Alexander ſæculo 6. Diſſert. 11. Porrò hanc Monachorum Scytharum propoſitionem anno 534 approbavit Joannes II, ut in ejus Pontificatu dicetur, quam Hormiſdas intempeſtivam judicans, & turbandæ potiùs, quàm ædificandæ Eccleſiæ opportunam, ne quidem examinare voluit, eam intactam & indiſcuſſam relinquens, cujus prædicationem tunc nocituram prævidebat, quòd nonnullam, ſpecie tenùs, affinitatem habere videretur cum recens damnato Petri Fullonis dogmate, & quòd abſque ejus ope Synodus Chalcedonenſis Eutychetis & Neſtorii hæreſim confixiſſet. SÆC. VI. S. HORMISDAS.

Poſtquam Hormiſdas Papa annos novem & dies undecim ſediſſet, mortuus eſt die ſexta menſis Auguſti anni quingenteſimi vigeſimi tertii, ſepultuſque eſt *in Baſilica Beati Petri Apoſtoli octavo Idus Auguſti Conſulatu Maximi*, inquit Anaſtaſius, qui conſulatus incidit in eumdem annum 523. Ornamenta ab eo Eccleſiis collata refert idem Auctor, apud quem legenda. Eum non eſſe Auctorem decret de libris recipiendis & non recipiendis, jam ſuprà probatum eſt in Gelaſio. XXVIII. Moritur.

S. JOANNES *Pontif. LI.*

Anno Domini DXXIII.

I. Joannes PP. dicitur. S. Joannes, natione Tuſcus, Conſtantii filius, ordinatus eſt Romanæ Eccleſiæ Præſul die decima tertia menſis Auguſti, in quam anno quingenteſimo vigeſimo tertio Dominica cadebat, poſtquam, ut habent Anaſtaſius, & Ordericus lib. 2. ceſſaſſet Epiſcopatus diebus ſeptem.

II. A Theodorico Rege Cpolim legatur. Sedente Joanne, cùm Juſtinus Imperator ex Auctore Miſcellæ lib. 15. orthodoxæ fidei ſtudio omnimodis ſatagens, ut hæreticorum nomen extingueret, ſtatuiſſet, ut Arianorum Eccleſiæ Catholico ritu conſecrarentur; Theodoricus Italiæ Rex Arianus indigno admodum animo hujuſmodi legem ferens, dum ipſe nullum unquam religionis causâ Catholicis negotium faceſſiſſet, imò ipſam Romanam Eccleſiam à Schiſmaticorum oppreſsione levaſset; Theodoricus, inquam, Joannem Papam Ravennam accerſivit, eumque compulit legationem ad Juſtinum Imperatorem ſuſcipere pro Arianorum causâ.

Duo erant illius Legationis capita, ut eruo ex Anaſtaſio, Auctore Miſcellæ, & Anonymo Scriptore, qui Hiſtoriam Cæſaream à Conſtantio Chloro uſque ad interitum Theodorici Regis ſummariè deſcripſit, quem Henricus Valeſius Ammiani Marcellini libris à ſe notis illuſtratis ſubjecit. Hic de illa legatione ſcribit: Theodoricus III. Primum caput ejus legationis rejicitur.

doricus *evocans Ravennam Joannem Sedis Apoſtolicæ Præſulem, dicit ad eum: Ambula Conſtantinopolim ad Juſtinum Imperatorem, & dic ei inter alia, ut reconciliatos hæreticos in Catholica reſtituat Religione* [ubi Theodoricus Arianos, Catholicos appellat, & hæreticos, qui Catholicam religionem ſuſcipere coacti fuerant) *Cui Papa Joannes ita reſpondit: Quod facturus es Rex, facito citius* (Minabatur enim Theodoricus ſe in Occidente adverſus Orthodoxos illa facturum, quæ in Oriente adverſus Arianos Juſtini legibus decreta ſciviſſet) *Ecce in conſpectu tuo adſto, hoc tibi ego non promitto me facturum, nec illi dicturus ſum; nam in aliis cauſis, quibus mihi injunxeris, obtinere ab eodem, annuente Deo, potero. Jubet ergo Rex iratus navem præparari & ſuperimpoſitum eum cum aliis Epiſcopis & Senatoribus Conſtantinopolim dirigit.* Hoc primum caput legationis Joannis rejectum fuiſſe, aſſerit idem Anonymus, qui ſubdit: *Sed Deus, qui fideles cultores ſuos non deſerit, cum proſperitate perduxit. Cui Juſtinus Imperator venienti ita occurrit, ac ſi B. Petro: cui audita legatione omnia repromiſit facturum, præter reconciliatos, qui ſe fidei Catholicæ dederunt, Arianis reſtitui nullatenus poſſe.*

IV. *Secundum caput admittitur.*

Secundum legationis caput erat, ut Eccleſiæ Arianis ablatæ eis reſtituerentur, & ne Ariani hæreſi ſua per vim abducerentur. Primum conſtat ex Auctore Chronici Veterum Pontificum ſcribente: *Juſtinus autem Auguſtus omnem conceſſit petitionem; & propter ſanguinem Romanorum, reddidit hæreticis Eccleſias, ſecundum voluntatem Theodorici Regis; ne Chriſtiani, maximè Sacerdotes, ad gladium mitterentur.* Rectè igitur Anaſtaſius & Auctor Miſcellæ ſcripſerunt, Joannem Papam & Senatores Romanos à Juſtino Imperore, fletibus eorum permoto, obtinuiſſe, ut Eccleſiæ ablatæ Arianis reſtituerentur, ipſumque Juſtinum ab iis inſequendis deſtitiſſe. Baronius quidem, & poſt eum alii, volunt tam Anaſtaſium, quàm Auctorem Miſcellæ falſa in hac parte narrare, idque demonſtrare non ſolùm Epiſtolam à Joanne Papa, poſt ſuum reditum ad Italiæ Epiſcopos ſcripta, qua jubet Eccleſias Arianorum conſecrari; ſed etiam indignationem Theodorici Regis, qui Joannem & Senatores Conſtantinopoli reduces in carcerem conjecit. Verùm ea Joannis ad Epiſcopos Italiæ Epiſtola ſuppoſititia eſt, ut mox dicetur; & Joannes cum Senatoribus inhumaniter à Theodorico habitus, quia Juſtinus reconciliatos Arianos, qui ſe fidei Catholicæ dederant, Arianis reſtitui noluit; nec Joannes id ab Imperatore poſtulavit, quod reverà ab eo petere non poterat. Obtinuerunt etiam idem Legati ne Ariani ab hæreſi per vim abducerentur, quod ipſis mandatum fuiſſe ſcribit Theophanes, & conceſſum ajunt Anaſtaſius his verbis, *dum omnia obtinuiſſent à Juſtino Aug.* & Auctor Miſcellæ his, *quorum fletibus Juſtinus permotus, eis quod petebant conceſſit, Arianoſque ſui juris reliquit.*

V. *Joannes Cpoli Latinorum ritum adhibet.*

Joannes Papa Conſtantinopolim *appellens, & ab Epiphanio Patriarcha invitatus, congreſſum denegavit, donec ipſe, qui Romanus eſſet Pontifex, primum in conſeſſu locum ſupra Epiphanium obtinuiſſet. Joannes cunctis quidem Epiſcopis communionis impertiit commercium, quod cum Timotheo Alexandrino ſibi nullum eſſe propoſuit*, inquit Theophanes. Dum Conſtantinopoli eſſet, ritum Romanum adhibuit, ait enim Marcellinus in Chronico: Joannes *ſolus duntaxat Romanorum ſibi deceſſorum, Urbe digreſſus, Conſtantinopolim venit, miro honore ſuſceptus eſt. Dexter dextrum Eccleſiæ inſedit ſolium, diemque Domini noſtri Reſurrectionis plena voce Romanis precibus celebravit.* Ritum poſtea etiam latinum adhibuit Legatus Agathonis Papæ Conſtantinopoli anno 681, ut infrà videbitur. Porrò Joannes Papa diem illum Reſurrectionis ſeu Paſchatis Conſtantinopoli celebravit anno 525, quo Paſcha celebratum eſt die 30 menſis Martii: anno enim 526, quo Paſcha celebratum eſt die 19 Aprilis, Joannes Ravennæ obiit die 18 Maii, ideoque die Paſchatis jam erat in Italia.

VI. *Juſtinum Imp. coronat.*

Joannem Papam ſummo cum honore excepit Juſtinus Imperator, & ab ipſo coronari voluit: *Occorrerunt Beato Joanni Papæ*, inquit Anaſtaſius, *à milliario 12. omnis civitas cum cereis & crucibus in honorem BB. Petri, & Pauli.* Et paulò poſt: *Tunc Juſtinus Auguſtus dans honorem Deo, humiliavit ſe pronus in terram, & adoravit beatiſſimum Joannem Papam.* Et poſtea: *Juſtinus autem Imperator gaudio repletus eſt, quia meruit temporibus ſuis Vicarium Beati Petri Apoſtoli videre in regno ſuo, de cujus manibus cum gloria coronatus eſt Juſtinus Auguſtus*, qui, ut ſubdit idem Auctor, Joanni Papæ obtulit Patenam auream cum gemmis, penſantem libras viginti, Calicem aureum cum gemmis penſantem libras quinque; ſcyphos argenteos quinque; pallia auro texta quindecim, quæ ipſe Joannes detulit ad beatos Apoſtolos Petrum & Paulum, & ad Sanctam Mariam & ad Sanctum Laurentium.

VII. *Primus ex Pontificibus Rom. Imp. coronavit.*

Porrò licèt Juſtinus Auguſtus jam coronatus fuiſſet à Joanne Patriarcha Conſtantinopolitano, ut conſtat ex ejuſdem Joannis Epiſtola ad Hormiſdam Papam, iterùm tamen à Joanne Papa coronari voluit, quod, præter Anaſtaſium, disertè teſtatur Aimonius lib. 2. cap. 1. ſcribens, Joannes Papa *Juſtino Auguſto ut Vicarius beati Petri imperialem impoſuit coronam.* Nec inſolens fuit ſubſecutis ſæculis Imperatores & Reges ſecundò, aut etiam tertiò coronari.

Digitized by Google

SÆC. VI. S. JOANNES.

ri. Ante Juſtinum quidam Imperatores, à temporibus Theodoſii Junioris, qui teſte Theodoro Lectore lib. 2. à Proclo Patriarcha Conſtantinopolitano coronatus eſt, coronam imperialem ſuſceperunt ab Epiſcopis, ſed nullus ante Juſtinum ab aliquo Pontifice Romano ſolemnem benedictionem acceperat. Antequam Imperatores benedictione Pontificali donarentur, fidei profeſſionem emittebant, de qua, ſicuti & de ritu, quo conſecrabantur, lege Edmundum Martene lib. 2. cap. 9. de Antiquis Eccleſiæ ritibus. De benedictione Imperatorum Occidentis poſt Imperii renovationem lege dicenda in Leone III, & de benedictione Regum dicenda in Zacharia.

VIII. *Multa miracula patrat.* De Joanne Papa Conſtantinopoli exiſtente hæc habet Sanctus Gregorius Magnus lib. 3. Dialog. cap. 2. *De quo illud mirabile à noſtris ſenioribus narrari ſolet, quòd in Conſtantinopolitana urbe, ad portam, quæ vocatur Aurea, veniens, populorum turbis ſibi occurrentibus, in conſpectu omnium roganti cœco lumen reddidit, & manu ſuperpoſita oculorum tenebras fugavit.* Anonymus Valeſianus laudatus ſimile quid in Joannis morte accidiſſe refert; de Joanne enim ex Oriente Ravennam reduce loquens, ait: *Revertens igitur Joannes Papa à Juſtino, quem Theodoricus cum dolo ſuſcepit, & in offenſa ſua eum eſſe jubet, qui poſt paucos dies defunctus eſt. Ergo euntes populi ante corpuſculum ejus, ſubitò unus de turba, arreptus dæmonio cecidit, & dum perveniſſet cum lectulo ubi locatus erat, uſque ad hominem, ſubitò is ſanus ſurrexit, & præcedebat in exequias. Quod videntes populi & Senatores cœperunt reliquias de veſte ejus tollere. Sic cum ſummo gaudio populi deductum eſt corpus ejus foris civitatem.* Alia miracula ab eodem Sancto Pontifice in itinere Conſtantinopolitano patrata refert Gregorius loco laudato.

IX. *Martyr moritur.* Anaſtaſius, & Auctor Miſcellæ clariùs loquuntur de Theodorici Regis in Sanctum Joannem perſecutione; ſcribunt enim, quòd cùm Joannes, atque Legati in Italiam rediiſſent, Theodoricus Rex eos omnes in carcerem detruſit, & quidem *Ravennæ*, ubi *defunctus eſt in cuſtodia XV Kalend. Junias, Martyr*, &c. *Cujus corpus translatum eſt de Ravenna, & ſepultum eſt in Baſilica B. Petri Apoſtoli ſub die 6 Kalend. Junii*, quo die memoria ejus recolitur in omnibus antiquis Martyrologiis, quorum varia citat Papebrocius in ejus Vita, ad diem 27 Maii relatâ, licèt, ut habet Anaſtaſius, mortuus ſit die 18 ejuſdem menſis.

X. *Epiſtola dua ei aſſicta.* Tomo IV Conciliorum refertur Epiſtola hujus Sancti Pontificis *ad omnes Italiæ Epiſcopos* ſcripta, quam Baronius germanam credit, in qua Joannes aſſerit, ſe, dum Conſtantinopoli eſſet, Arianorum Eccleſias conſecraſſe, eoſque hortatur, ut in agro dominico viriliter elaborent, idemque in Italia præſtent. At ea Epiſtola una eſt ex iis, quas Iſidorus Mercator ſuppoſuit, fundatus in verbis Gregorii Turonenſis in lib. de Miraculis, & gloria Martyrum, ubi cap. 40. nulla Joannis legationis mentione facta, ſcribit, Joannem, cùm ad Epiſcopatum veniſſet, Eccleſias hæreticorum in Catholicas dedicaſſe, & quidem in Italia; & carceri mancipatum eſſe, cùm acceſſiſſet deprecaturus pro Catholicis ob conſecrationem Eccleſiarum jam peractam periculo expoſitis. Et tamen fabricator Epiſtolæ id factum affirmat poſt legationem ſuſceptam, idque Conſtantinopoli & in partibus Orientis, & Theodoricum ei infenſum fuiſſe ob Eccleſias Orientalibus Orthodoxis reſtitutas. Turonenſis fatetur ſe ſola relatione quæ ſcribit accepiſſe; at quantum hujuſmodi relationes errori obnoxiæ ſint, vel hoc ſolum exemplum demonſtrat. Præterea data fingitur Epiſtola III Idus Junii, ad quem diem Joannes non pervenit, mortuus, ut dictum eſt, die 18 Maii; dicitur etiam data *Maximo, & Olybrio Coſſ.* qui duobus diverſis annis Conſulatum geſſere. Ea tamen Epiſtola fucum fecit Baronio, qui etiam Joannis ad Zachariam Archiepiſcopum Epiſtolam datam *XV Kal. Novemb. Maximo & Olybrio Coſſ.* in nota tantùm Conſulari peccare autumavit, licèt conſarcinata ſit ex variis locis Epiſtolarum Innocentii, Zoſimi, Symmachi & Ennodii, ut jam viris doctis obſervatum.

S. FELIX IV, *Pontif. LVI.*

Anno Domini DXXVI.

I. *Theodoricus Rex confirmandi Papam jus ſibi attribuit.* Felix hujus nominis IV, natione Samnita, ex patre Caſtorio, poſt Joannis mortem non ſtatìm electus eſt. Theodoricus enim Italiæ Rex, jus eligendi Pontificis Romani ſibi attribuit, & Felicem IV Clero, Senatui, populoque Romano propoſuit. Diu quidem illi reſtitere; ſed ea tandem lege res compoſita eſt, ut more priſtino à Clero Pontifex eligeretur, & à Rege aſſenſu ſuo confirmaretur, certa pecuniæ ſumma pro confirmatione imperata, non tantùm Romano Pontifici, ſed etiam omnibus Epiſcopis, qui ſub Gothorum ditione in Italia gemebant, quæ in pauperes erogaretur,

Digitized by Google

SÆC. VI. S. FELIX IV.

garetur, ut innuit Athalaricus Theodorici nepos ac ſucceſſor, in ſuo Edicto adverſùs Simoniacos apud Caſſiodorum lib IX Epiſt. XV. Extat ejuſdem Athalarici ad Senatum urbis Romæ Epiſtola, ex eodem Caſſiodoro lib. VIII Epiſt. XV deſcripta, apud Baronium, de facta Felicis per Theodoricum electione. Ea creandi Pontificis Romani ratio obtinuit, quandiu Gothorum in Italia floruit Imperium; imò quando illud deletum, Juſtinianus Imperator jus approbandi Pontificis Romani ſibi retinuit, ut ſuo loco dicetur.

II. *Felix IV. fit Pont. Rom.* Mortuo itaque ſancto Joanne die decima octava menſis Maii anni quingenteſimi vigeſimi ſexti, Epiſcopatus ceſſavit, non dies 58, ut in vulgatis Anaſtaſii codicibus legitur, ſed dies 55, ſcilicet uſque ad diem duodecimum menſis Julii, quo die, qui in Dominicam incidebat, Felicem ordinatum ex ipſomet Anaſtaſio colligitur, qui ait fuiſſe Felicem, *à die quarto Iduum Juliarum uſque in quarto Idus Octobris*; à die autem decima octava menſis Maii, quo juxta Anaſtaſium mortuus eſt Joannes, ad diem duodecimum Julii intercurrunt tantùm dies 55, quo tempore probabile eſt multum altercatum fuiſſe de electione, & licèt in alium forſan conſpiraſſent eligentium vota, Theodorico tamen eum non probante, ſed deligente ſummæ probitatis virum Felicem, eam conditionem licèt duram Romanos tandem ſubiiſſe.

III. *Baſilicam SS. Coſmæ & Damiani conſtruit.* Felicis res geſtas ob injuriam temporum, jejunas admodum nobis eſſe relictas, maximè dolendum. De eo hæc tantùm habet Auctor libri Pontificalis, ſive Anaſtaſius: *Hic fecit Baſilicam Sanctorum Coſmæ & Damiani in urbe Roma, ad locum, qui appellatur Via ſacra, juxta Templum urbis Romæ. Hujus temporibus conſumpta eſt Baſilica Sancti martyris Saturnini Viâ Salariâ, quam à fundamentis reſtituit.* Cùm porrò Sanctorum Coſmæ & Damiani nomina in Canone Miſſæ recenſeantur, hic ex Cardinali Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 12. num. 3. obſervandum tria fuiſſe paria ſanctorum ejuſdem nominis Coſmæ & Damiani: unum Martyrum in Arabia, alterum Confeſſorum in Aſia, tertium Martyrum, qui Romæ martyrium ſubierunt. Priorum memoria in Menæis legitur die XVII Octobris; Confeſſorum die prima Novembris; Romanorum die prima Julii. Omnes fuerunt profeſſione Medici & dicti Anargyri, quia ſine pretio ægrotos curabant. Ex qua profeſſionis & nominum ſimilitudo facile æquivocatio & confuſio oriri potuit; & credibile eſt, quòd cùm amiſſa fuiſſent Acta Coſmæ & Damiani Romanorum Martyrum, per ignorantiam ſeu negligentiam, Arabes, quorum paſſio illuſtrior fuit, ſubſtitutos, ita ut coli cæperint Arabes die 27 Septembris. Agit de his omnibus Florentinius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum ad eumdem diem, & advertit Romanis, non Arabibus dicatam hanc fuiſſe Eccleſiam à Felice IV, eorumque Natalitia, tum in veteri Calendario, tum in libro Sacramentorum Sancti Gregorii, eidem diei 27 Septembris adſcripta fuiſſe, & hos procul dubio eſſe, qui in Canone Miſſæ nominantur cenſet Cardinalis Bona laudatus.

IV. *Tria paria ſunt SS. Coſmæ & Damiani.* De his omnibus Sanctis extat ex MSS. Græcis Syntagma Hiſtoricum Viennæ in Auſtria editum, interprete Simone Waagnerekio, cui Præfationem adjecit Apologeticam Reinoldus Denhius, ubi pertractat quomodo confuſa ſint horum omnium Acta, & quid in Notis ad diem 27 Septembris peccaverit Baronius. Sed hìc omittere non poſſum Tomo I Auctuarii magnæ Patrum Bibliothecæ Pariſinæ extare egregium Georgii Metropolitæ Nicomedienſis Encomium de ſanctis Anargyris Theodotæ filiis à Combefiſio Latinitate donatum, in quo Theodotam quoque matrem Cœlitibus adſcriptam aſſerit; ſed cùm in Elogio Martyres nō appellentur, Florentinius laudatus ſuſpicatur illud dictum eſſe de ſanctis Coſma & Damiano Confeſſoribus, quamvis Combefiſius in Notis illud Martyribus adſcribat.

V. *Felix prohibet laicos ordinari Sacerdotes.* Extat Tomo IV Concil. Epiſtola Felicis Papæ ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum de Laicis ante probationem ad Sacerdotium non promovendis, quam Baronius anno 488 Felici tertio adjudicaverat, quia in præcedentibus Conciliorum editionibus dicitur *data III Non. Feb. P. C. M. Sev. Boetii V. C.* qui Conſulatus in eum annum incidit. Sed Sirmondus veram hujus ſubſcriptionis lectionem ex M. S. Arelatenſi reſtituit; in eo enim legitur: *Data III Nonas Februarias poſt Conſulatum Mavortii* anno 527 Conſulis. Ea itaque Epiſtola non à Felice III, quo ſedente Cæſarius tantùm Monachus erat, ſed à Felice IV anno 527 ſcripta.

VI. *Non fuit S. Gregorii M. atavus.* Felicem IV Sancti Gregorii Magni Romani Pontificis atavum fuiſſe exiſtimavit Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii lib. 1. cap. 1. & poſt eum Leo Oſtienſis in Chron. lib. 1. cap. 1. in fine. Sed Baronius tam in Annalibus, quàm in Notis ad Martirologium Romanum, ad diem 25 Febr. in eam ſententiam propendet, ut opinetur non Felicem IV, ſed Felicem III fuiſſe atavum S. Gregorii: nam Felix tertius inquit, Romanus fuit, quartus autem Samnis natione, & Patria Beneventanus; & perſpicuum eſt omnibus, Sanctum Gregorium non ex Samnitibus originem ducere, ſed ab antiquis Romanis Senatoribus, quod & ipſe Joannes Diaconus, abſque ulla dubitatione confirmat. Præterea ſi tempora attendamus, quibus vixit uterque Felix, magis con-

Digitized by Google

SÆC. VI. S. FELIX IV. congruit, ut Felix tertius, quàm quartus atavus Sancti Gregorii dici debeat: ſi enim numeres annos ab obitu Felicis tertii, uſque ad electionem Sancti Gregorii Papæ jam ſenis, intercurriſſe invenies annos centum & unum; ſi autem recenſeas annos ab eo tempore, quo Felix quartus ex hac vita deceſſit, uſque ad ejuſdem S. Gregorii Pontificàtum, annos tantùm ſexaginta numerabis. Ex quibus concludit æquiùs videri, ut Felix tertius potius dicatur ejus atavus, quàm quartus, qui eodem S. Gregorio jam nato, geſſit Pontificatum.

VII. Synodus Arauſicana II contra Semipelagianos. Cùm Semipelagianorum factio in Galliis hoc tempore potentior eſſet, quàm ut Epiſcoporum viribus ſuperari poſſet, Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus Felicis quarti auxilium imploravit, quò hoſtes de ſuperiori loco percuteret, iiſque dejectis Catholica doctrina in nobiliſſima provincia ſarta tectaque ſervaretur, inquit Cardinalis Noriſius lib. 2. Hiſt. Pelagianæ cap. 23. ubi geſta in Synodo Arauſicana II accuratè explicavit. Celeberrimus in urbe Arauſicana Conventus agebatur, in dedicatione Baſilicæ à Liberio Ex-Præfecto Prætorio extructæ. Erat hic Cæſario amiciſſimus, à quo lethali vulnere ſauciatus, ſanitati reſtitutus fuit, ut tradit Meſſianus lib. 2. de Vita Cæſarii cap. 5. Arauſicam non modò ſacri Antiſtites, ſed & nobiliſſimi quique confluxerant, ideoque Cæſarius opportunam occaſionem nactus, coacto Epiſcoporum, ac Virorum Illuſtrium Senatu, ſententias à Sede Apoſtolica ad ſe tranſmiſſas protulit; id enim ex Præfatione Synodi Arauſicanæ II quinto nonas Julii anni 529 celebratæ colligitur, ubi hæc recitantur: *Pervenit ad nos eſſe aliquos, qui de gratia & libero arbitrio minus cautè, & non ſecundùm fidei Catholicæ regulam ſentire velint. Unde id nobis ſecundùm auctoritatem & admonitionem Sedis Apoſtolicæ juſtum & rationabile viſum eſt, ut pauca capitula ab Apoſtolica ſede nobis tranſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de certis Scripturarum voluminibus, in hac præcipuè cauſa collecta ſunt, ad docendos eos, qui aliter, ac oportet, ſentiunt, ab omnibus obſervanda proferre, & manibus noſtris ſubſcripſere deberemus, quibus lectis, qui huc uſque, non ſicut oportebat de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholicæ conveniunt, animum ſuum inclinare non diſſerat.* Tredecim Epiſcopi huic Synodo ſubſcripſere.

VIII. Canones in ea conditi. In ea conditi ſunt Canones viginti quinque, quibus Semipelagianorum ſententiæ condemnatæ ſunt Apoſtolicæ Sedis auctoritate, ita ut abſque hæreſeos nota à quovis impoſterum propugnari non potuerint, præſertim cum, ut in Bonifacio Papa Felicis quarti ſucceſſore videbimus, Bonifacius illam Synodum confirmarit. In ea Caſſiani & Fauſti ſententiæ damnatæ ſunt. SÆC. VI. S. FELIX IV. Initium fidei, ipſum etiam fidelitatis affectum donum Dei eſſe decernitur Canone V. Gratiam Dei non dari petentibus, quærentibus, pulſantibus, ſed dari potius ut velimus, & petamus, & quæramus, & pulſemus Canone VI. Adjutorium Dei etiam ſanctis ſemper implorandum, quò poſſint in bono opere purdurare Canone X. Unde perſeverantia Dei donum eſſe intelligatur. Canone verò XXII humani arbitrii adverſùs Divinam gratiam tumor eliditur: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum.* Qui Canones omnes ex divi Auguſtini ſententiis conflati. Baronius in Appendice Tomi X in addendis ad Tomum VII ait *Recitant*, Patres Arauſicani, *capita in Gallias ab ipſo Romano Pontifice miſſa, profitentes ea cuncta haud recentem eſſe Eccleſiæ doctrinam, ſed antiquorum Patrum definitionem, eamdemque Apoſtolicæ Sedis auctoritate firmatam, quæ Apoſtolica Sedes, ut ſuis locis ſuperius eſt declaratum, ſancti Auguſtini ſe profeſſa eſt de gratia & libero arbitrio probare ſententiam*: Porrò quæ poſt Canonem XXV addita ſunt in hac Synodo, Cardinalis Noriſius citatus non arbitratur eſſe tranſmiſſa à Felice IV, ſed potius ab ipſis Arauſicanis Patribus adjuncta ad Semipelagianorum technas evertendas, ac Fauſti ſectatores penitus convincendos.

IX. Ei præſuit Cæſarius ut Legatus Felicis PP. Huic Synodo Arauſicanæ ſecundæ præfuit Sanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus tanquam Felicis IV Pontificis Romani delegatus, ut disertè docet Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus in libro de Prædeſtinatione cap. 12. ubi ait: *Nam ideo dicuntur electi, quia de maſſa perditionis ſunt gratiâ electi, nullum habentes meritum antequam eligantur, quorum electio ipſa eſt Dei miſericordia, ſicut in Arauſicana Synodo, cui Beatus Cæſarius ex delegatione Sedis Apoſtolicæ præſedit, & capitula ab Apoſtolica ſede directa, ſubſcribenda & tenenda omnibus protulit, cap. 14 dicitur, nullus miſer*, &c. Cæſarium Synodo Arauſicanæ præfuiſſe ex delegatione Sedis Apoſtolicæ repetit iiſdem verbis Hincmarus cap. 22. pag. 134. & 142. editionis Sirmondi. De hujus Synodi, ſicuti & de Valentinæ, anno 530 celebratæ, confirmatione agemus in Bonifacio II Felicis ſucceſſore.

X. Felicis PP. obitus. Poſtquam Felix IV annos quatuor, menſes duos, & dies ſex, non verò 14, ut Librariorum errore in Anaſtaſio legitur, ſediſſet, ad Deum tranſiit die 18 menſis Septembris anni quingenteſimi trigeſimi. Errorem in Anaſtaſii textum irrepſiſſe, ex eo conſtat, quòd cùm dixiſſet Felicem fuiſſe, à die IV Idus Juliarum, uſque ad IV Idus Octobris, dicere debebat eum ſediſſe ultra annos quatuor, menſes tres, qui intercurrunt inter IV Idus Julii & IV Idus Octobris

Digitized by Google

SÆC. VI. S. FELIX IV.

bris, & tamen in eo ſcriptum eſt, ſediſſe annos quatuor, menſes duos, & dies quatuordecim; quare mendum cubat in eo quòd legitur, Felicem ſediſſe uſque ad IV Idus Octobris, & legendum uſque ad XIV Kal. Octobris; & loco, ſedit annos quatuor, menſes duos, dies ſex, quod neceſſario ſequitur ex iis, quæ Anaſtaſius de Joanne, Felice & Bonifacio ſcribit. Dies autem ille IV Idus Octobris ad aliquam Felicis Translationem referendus; ejus enim nomen inſcriptum eſt Martyrologio Caniſiano ad eum diem. Holſtenius, qui librum Pontificalem uſque ad Felicem IV emendavit, eum ſanctum appellat.

XI. Epiſtolæ ipſi aſſictæ.

Duæ Felicis IV circumferuntur Epiſtolæ, quarum prima dicitur data *Kal. Martii Lampadio & Oreſte Coſſ.* altera *XII Kal. Novemb. Lampadio & Oreſte Coſſ.* Verùm, ut jam viris doctis obſervatum, utraque ſuppoſititia eſt, cùm contineat phraſes poſteriorum ſæculorum, & ſententias ex Epiſtolis Sancti Gregorii magni, aliiſque emendicatas; ac denique *XII Kal. Novemb.* Felix IV in vivis non fuerit.

BONIFACIUS II. *Pontif. LVII.*

Anno Domini DXXX.

I. Bonifacius II fit Papa contra Dioſcorum.

BOnifacius hujus nominis II, natione Romanus, patre Sigilbuldo, poſt trium dierum interpontificium, qui leguntur in Codice MS. Colbertino Anaſtaſii, in variis Catalogis, ac pleriſque aliis MSS. Anaſtaſii, ſicuti & in eo quo uſus eſt Baronius, & in Orderico lib. 2., Felici IV ſubrogatus eſt, ideoque ordinatus die vigeſima prima Septembris anni quingenteſimi trigeſimi, in quem diem feſtum Sancti Matthæi Apoſtoli incidit. Creato autem ipſo Pontifice in Baſilica Julii, adversùs eum in ſchiſmate in Baſilica Conſtantiniana ordinatus eſt Dioſcorus, qui putatur eſſe Diaconus ille, qui ſub Hormiſda Pontifice Romano legatione functus eſt ad Juſtinum Imperatorem, una cum collegis Germano & Joanne Epiſcopis, Blando Presbytero, atque Felice Diacono. Quæ fuerit ſchiſmatis occaſio incertum, ſed certum eſt ex Anaſtaſio, paucis diebus ſuperſtitem fuiſſe Dioſcorum, cum quo ſchiſma feliciter extinctum eſt. Bonifacius eum mortuum anathematizavit, quod anathema æmulationi & dolo tribuit Anaſtaſius in ejus Vita. Verùm illud tanquam injuſtum Agapetum Papam poſtea ſuſtuliſſe tradit idem Auctor in ejuſdem Agapet. Vita.

II. Primam Synodum celebrat.

Duas ſub Bonifacio Romanas Synodos ex Anaſtaſio explicat Baronius, in quarum priori, in Sancti Petri Baſilica congregata, Bonifacius *fecit conſtitutum, ut ſibi ſucceſſorem ordinaret; quo conſtituto cum chirographis Sacerdotum & jurejurando ante confeſſionem beati Petri Apoſtoli Diaconum Vigilium conſtituit*, ideſt ſucceſſorem. Baronius ſcribit, quòd cùm Gothorum Reges impiè ſibi uſurpaſſent Romani Pontificis electionem, ad hujuſmodi uſurpatam licentiam ex Gothorum manibus extorquendam, Bonifacium Eccleſiæ conſultum eſſe judicaſſe, ut nullo relicto ſedi vacanti loco, ſucceſſorem ſibi eligeret. Quod licèt ſpeciem quamdam juſtitiæ præſeferret, poſtea tamen ab omnibus eſt reprobatum atque reſciſſum.

III. Conſtitutum in ea revocat in ſecunda.

Nam, ut ſubdit idem Anaſtaſius, *eodem tempore*, ſeu non multo poſt, *facta iterum Synodo, hoc cenſuerunt*, caſſaverunt, *Sacerdotes omnes propter reverentiam Sanctæ Sedis, & quia contra canones hoc fuerat factum, & quia culpa eum*, Bonifacium, *reſpiciebat, ut ſucceſſorem ſibi conſtitueret, ipſe Bonifacius Papa reum ſe confeſſus eſt majeſtatis, quòd Diaconum Vigilium ſui ſubſcriptione chirographi et ante confeſſionem beati Petri ſucceſſorem conſtituiſſet, ac ipſum conſtitutum in præſentia omnium Sacerdotum, & Cleri & Senatus incendio conſumpſit.* Idem Baronius ait Bonifacium reum majeſtatis ex ea parte Gothis videri potuiſſe, quòd contra Regis voluntatem, ad quem Romani Pontificis electionem ſpectare Theodoricus ſtatuerat, ſucceſſorem ſibi inſtituiſſet. Sed quod addit, illud conſtitutum in priori Synodo Romana fuiſſe à Bonifacio ambitione & conſilio Vigilii, conſtare ex decreto anathematis Silverii Papæ in Vigilium, ſubſiſtere non poteſt, cùm ex infra dicendis in Silverio, decretum illud ſit ſuppoſititium.

IV. Tertiam Romæ Synodum cogit.

Poſt Baronii mortem Lucas Holſtenius Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus in Collectione Romana publicavit ex Barberina Bibliotheca tertiam Synodum à Bonifacio II Romæ coactam, quæ duabus ſeſſionibus conſtat. Habita ea *poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis VV. CC. ſub die VII Iduum Decembrium*, ideoque anno quingenteſimo trigeſimo primo in cauſa Stephani Lariſſenſis Epiſcopi, Metropolitani Theſſaliæ, qui canonicè electus & ordinatus mox Probiani, unius è ſuffraganeis ſuis, aliorumque improborum factione, ab Epiphanio Conſtantinopolitano Patriarcha irregulariter exauctoratus

Digitized by Google

SÆC. VI. BONIFACIUS II.

ctoratus Apoſtolicam Sedem appellarat. Miſit Stephanus querimoniarum & appellationis libellos per Theodoſium Echinienſem in Theſſalia Epiſcopum; necnon Epiſtolas Damaſi, Siricii, Innocentii primi, Cœleſtini, Sixti, & Leonis Pontificum Romanorum, quibus probavit, Romanum Pontificem Illyrici Eccleſias jure Patriarchico ſemper rexiſſe, præter jus Primatûs, quo Eccleſiæ præeſt univerſæ. Duplicem illam poteſtatem optimè diſtinxit idem Theodoſius Echinienſis Epiſcopus ſeſſione II dicens: *Nam conſtat, venerandos Sedis veſtræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes Apoſtolica Eccleſiarum ſibi jure vindicet principatum, & ſolam Eccleſiaſticis cauſis undique appellare neceſſe ſit, ſpecialiter tamen gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias vendicaſſe.*

V. Illyrici Epiſc. Pontifici Rom. ſubditi.

Ex libello Elpidii, Stephani, & Timothei Epiſcoporum ab eodem Stephani Lariſſæi procuratore Synodo porrecto liquet, Epiphanium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ejuſque ſuffraganeos nihil prætermiſiſſe, ut Illyrici Eccleſias ſibi ſubjicerent, & Illyricianos Epiſcopos ab ea ſubjectione abhorruiſſe. Inquiunt enim tres illi Epiſcopi: *Quia ſtudii eorum eſt, ut ſub ordinationem & jus ſanctæ Regiæ civitatis Eccleſiæ nos miſeros efficiant. Pro quibus omnibus lugentes die ac nocte omnium Salvatori Jeſu Chriſto Deo noſtro lacbrymas fundimus, & miſeram noſtram prætendimus canitiem, ſupplicantes ne nos in manibus eorum tradi patiamini.* Quid in eo Concilio ſtatutum fuerit, incompertum, cùm manuſcriptum, ex quo duæ laudatæ ſeſſiones deſcriptæ in calce mutilatum ſit. Verùm Illyricum hoc tempore Romano Epiſcopo ſubditum fuiſſe, docet Synodus Theſſalonicenſis, de qua in Hormiſda Papa egimus.

VI. Valentina Synodus.

Cùm Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus ſub Felice IV, anno quingenteſimo vigeſimo nono, Arauſicanam Synodum, de qua in Felice, contrà Semipelagianos celebraſſet, ejuſque Synodi auctoritate eorum audaciam infringere non potuiſſet, Valentinam in Delphinatu Synodum indixit anno quingenteſimo trigeſimo ſub eodem Felice, ut frequentioribus ſuffragiis Catholica doctrina approbaretur. Statuta enim, inquit, Cardinalis Noriſius lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 23 in Arauſicana Synodo, minori fortè apud nonnullos auctoritate valebant, quòd inter Templi conſecrationem, quaſi aliud agentes, Synodum Epiſcopi habuiſſe dicebantur. Synodo Valentinæ Cæſarius adverſa valetudine præpeditus adeſſe non potuit, ejus tamen vices pro Divinæ gratiæ defenſione ſuſtinuit Cyprianus Tolonenſis Epiſcopus, cujus Synodi Acta periere. Id conſtat ex Cypriano in Vita Sancti Cæſarii cap. 30, ubi ait: *Ob hoc Antiſtites Chriſti ultra Iſaram conſiſtentes charitatis amore collecti in Valentina civitate conveniunt, ubi etiam beatus Cæſarius infirmitatis cauſâ ſolicitans, ſicut diſpoſuerat properare non potuit. Miſit tamen præſtantiſſimos viros de Epiſcopis cum Presbyteris & Diaconis, inter quos etiam Cyprianus Tolonenſis Epiſcopus Antiſtes magnus & clarus enituit, omnia quæ dicebat, de Divinis utique Scripturis firmans, & de antiquiſſimis Patrum conſtitutionibus probans, nihil per ſe in Divinis profectibus quemquam arripere potuiſſe, niſi fuerit primitùs Dei gratia præveniente vocatus,* &c. *Quorum intentionibus vir Dei Cæſarius dedit veram, & evidentem ex Traditione Apoſtolica rationem.*

SÆC. VI. BONIFACIUS II.

VII. A Bonifacio ſimul cum Arauſicana II confirmatur.

Celebratâ, ſub finem Pontificatûs Felicis IV, Valentina Synodo, Cæſarius Armenium Abbatem circa menſem Auguſtum anni quingenteſimi trigeſimi Romam miſit, ut à Felice IV confirmationem obtineret eorum, quæ in Arauſicana & Valentina Synodis definita fuiſſent. Certè hanc ultimam à Bonifacio fuiſſe confirmatam disertè ſcribit Auctor Vitæ Sancti Cæſarii, qui poſt laudata verba, ſubdit: *Beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ Eccleſiæ Papa, eadem colluctatione comperta, calcata intentione jurgantium, proſecutionem ſancti Cæſarii Apoſtolica auctoritate firmavit.* Mortuus enim erat Felix IV; & Bonifacius II ordinatus, cùm Armenius Romam pervenit. Bonifacius in Epiſtola ad Cæſarium, quæ extat Tom. IV Concil. pag. 1687 ait: *Per filium noſtrum Armenium Presbyterum & Abbatem literas tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos, ut apparet, inſcius adhuc Sacerdotii mihi commiſſi, ſub ea, qua in Deo tenemur charitate, direxerat, quibus credideras poſtulandum, ut id quod à beatæ recordationis deceſſore noſtro Papa Felice pro Catholicæ fidei popoſceras firmitate, mea explicaretur inſtantia. Sed quia id voluntas ſuperna diſpoſuit, ut quod per nos ab illo ſperaveras, à nobis potiùs impetrares; petitioni tuæ, quam laudabili fidei ſolicitudine concepiſti, Catholicum non diſtulimus dare reſponſum.* Et infra: *Quapropter affectu congruo ſalutantes ſuperſcriptam confeſſionem veſtram conſentaneam Patrum regulis approbamus.* Quibus verbis Synodus Arauſicana II confirmatur. Unde in Codicibus MSS. Foſſatenſi & Laudunenſi, Synodo Arauſicanæ II præponitur Epiſtola laudata Bonifacii II ad Cæſarium, cum hac adnotatione. *In hoc codice continetur Synodus Arauſicana, quam per auctoritatem S. Papa Bonifacius confirmavit.* Quod porrò legitur in fine Epiſtolæ, eam datam *VIII Kalend. Februarias Lampadio & Oreſte VV. CC. Coſſ.* anno ſcilicet 530 additum fuit Epiſtolæ, quia Felix IV mortuus tantùm eſt die 18 Septembris ejuſdem anni, eique Bonifacius poſt tri-

Digitized by Google

SÆC. VI. BONIFACIUS II.

triduum ſubſtitutus. De quibus lege Baronii Criticam anno 529 & ſeqq.

VIII. *Bonifacius II PP. moritur.*

Anaſtaſius ſcribit Bonifacium II ſediſſe *annos duos & dies viginti ſex*, ſepultum autem eſſe in Baſilica beati Petri Apoſtoli, *ſub die XVI Kalend. Novemb. Conſulatu Lampadii*; ſed legendum, iterum poſt Conſulatum Lampadii, quâ formula notatur annus 532, ut demonſtratur in eadem Baronii Critica, ad annum 531. Quare cùm Bonifacius Pontificatum inierit die vigeſima prima Septembris anni quingenteſimi trigeſimi, mortuus eſt die decima ſexta menſis Octobris anni quingenteſimi trigeſimi ſecundi, & die decima ſeptima ejuſdem menſis ſepultus.

IX. *Epiſtola ei falsò tributa.*

Circumfertur Epiſtola ſub nomine Bonifacii II ad Eulalium Alexandrinum Epiſcopum, de reconciliatione Carthaginenſis Eccleſiæ ſcripta, quæ omnino commentitia eſt. Notoriè enim falſum eſt Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum, & cæteros Africanos Antiſtites, adeoque & ſanctum Auguſtinum ipſum, Bonifacii I, & Cœleſtini temporibus inſtigante Diabolo, contra Eccleſiam Romanam inſurrexiſse, & extunc Africanam Eccleſiam, à Romanæ communione fuiſſe ſegregatam, uſque ad Pontificatum Bonifacii II, quod tamen ſcribit Epiſtolæ hujus artifex. Prætereà contexta eſt verbis Romanorum Pontificum, Leonis, Hormiſdæ & Gregorii Magni, ideoque à Baronio ipſo & ab omnibus Eruditis ut ſpuria rejicitur. Tandem ſi ea Epiſtola conferatur cum Epiſtola 64 Hormiſdæ Papæ, ad Joannem Melicitanum Epiſcopum, de ſimili argumento, apparebit impoſtorem hanc ita tranſcribere, ut ſola commutet nomina, quo deridendum ſe præbet.

IOANNES II *Pontif. LVIII.*

Anno Domini DXXXII.

I. *Bonifacio II ſuccedit Joannes II.*

JOannis II, cognomento Mercurii, natione Romani, ex patre Projecto, de Cœlio monte, ordinatio affigenda eſt diei trigeſimæ primæ menſis Decembris ejuſdem anni quingenteſimi trigeſimi ſecundi, licèt enim Dominicalis non fuerit, erat tamen Romæ ſacra Sancto Silveſtro Pontifici Romano, ut conſtat ex iis quæ Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, & Florentinius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum, habent. In exemplari enim Anaſtaſii MS. Colbertino, in duobus Freherianis, in uno Thuaneo, in Caſinenſi & Antuerpienſi, in duobus Catalogis Tom. I Criticæ Baronianæ præfixis, habetur vacaſſe ſedem menſes duos, & dies quindecim, & in Gotfrido Viterbienſi, dies 76, quod idem eſt, quia hic diem mortis Bonifacii in interpontificio includit, quem alii excludunt: ex quo neceſſariò ſequitur Joannem II die trigeſima prima menſis Decembris fuiſſe ordinatum, cùm Bonifacius II die decima ſexta menſis Octobris mortalitatem expleverit.

II. *Edictum contra Simoniacos ab Athalarico Rege obtinet.*

Interpontificio durante, complures ut ad Pontificatum adipiſcendum ſibi aditum præpararent, Eccleſiæ bona effuderant, & alii pecuniâ aliquos ex Senatoribus corruperant; quod indignè ferens Senatus, adversùs eos, qui ideo turpiter aliquid accepiſſent, Senatusconſultum promulgavit. Joannes verò Papa electus apud Athalaricum Regem egit, ut qui Eccleſiaſticos canones proculcarent, Regis perterrerentur edicto: per Defenſorem enim Eccleſiæ ab ipſo Athalarico petiit, ut adversùs hujuſmodi Simoniacos, Regiâ ageret poteſtate, pœniſque ſæcularibus eoſdem comprimeret, quos nec Dei timor, neque Eccleſiaſtica cenſura corrigeret. Athalaricus adverſus Simoniacos edictum emiſit, quo Senatûſconſultum confirmatum eſt, de quo locuti ſumus initio Pontificatus Felicis IV, quodque extat apud Caſſiodorum lib. IX Epiſt. XV, & apud Baronium anno 533.

III. *Monachorum Scytharum propoſitio Romæ examinatur.*

Sub Hormiſdæ Pontificatu diximus, Monachos Scythas multa peregrinationum incommoda, multoſque labores pertuliſſe ad defenſionem illius propoſitionis, *Unus è Trinitate paſſus eſt carne*. Hæc autem propoſitio à Joanne II tandem approbata. Monachis Scythis acerrimè reſtiterant alii Monachi *Acæmetæ* dicti, qui videntes Scytharum cauſam ſuperiorem evadere, & tam Epiſcopis Orientalibus, quàm Juſtiniano Imperatori propoſitionem illam probari æmulatione quadam accenſi, Legatos ad Joannem II anno quingenteſimo triceſimo tertio miſére, Cyrum & Eulogium, qui opinionem ſeu errorem, in quem, æſtu pugnæ, abrepti erant, apud Sedem Apoſtolicam defenderent, ejuſque approbationem à Summo Pontifice impetrarent. In eo Acæmetarum error verſabatur, quòd negarent, *Unum de Trinitate incarnatum, & carne paſſum, & beatam Mariam verè & propriè eſſe Dei Genitricem*. Adversùs illos miſit Juſtinianus Romam Hypatium Epheſiorum Epiſcopum, & Demetrium à Philippis, qui Sedem Apoſtolicam conſulerent de his quæſtionibus, & fidem Imperatoris, imò totius Orientalis Eccleſiæ, in ipſius ad Roma-

Digitized by Google

manum Pontificem Epiſtola, quæ extat Tom. IV Concil. pag. 1742 expoſitam approbari obtinerent.

IV. *Nec Eutychianis nec Neſtorianis favebat.*

Dum Romæ, quid in hac quæſtione de Scytharum Monachorum propoſitione decernendum ſit, accuratè quæritur, Anatolius Romanæ Eccleſiæ Diaconus Ferrandum Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconum conſuluit, quæ ejus eſſet de hac quæſtione ſententia. Ferrandus in Epiſtola ad Anatolium egregiè quæſtionem illam explicavit, oſtenditque propoſitionem, de qua controverſia erat, nullatenus favere Eutychianis, imò tam eorum, quàm Neſtorianorum errores pariter perimere: *Nihil planè*, inquit, *diutius cogitans reperire valui, unde poſset hæc ſententia, [quid à quibuſdam jactatur] Eutychianis favorem præbere. Primum enim mendacium delirantis Eutychetis hoc fuit, Unigenitum Deum, quando homo fieri dignatus eſt, non ſibi aſſumpſiſſe carnem de utero virginali. Secundum verò, non eſſe nunc in Chriſto ſubſtantias duas, Divinitatis & humanitatis, ſed ex duabus his unam factam ſubſtantiam. Retractemus igitur utraſque ſententias, & ſi vel uni earum coaptari poſſit iſta ſententia, quæ Unum de Trinitate paſſum fatetur ſollicitius inquiramus. Quid, rogo, proficit ad negandum Filio Dei materni corporis veritatem, quando unus de Trinitate paſſus aſſeritur? Nonne ſi unus de Trinitate eſt, verè filius Dei eſt; & ſi paſſus eſt, verè habet materni corporis veritatem? Alioquin tolle corpus ex matre ſumptum, & quomodo pati potuit pura Divinitas? Perpende qualis eſt caro Mariæ, ſine dubio paſſibilis & mortalis. Ut ergo eſſet caro Verbi paſſibilis, & mortalis, ex illa carne habuit originem, quæ fuit paſſibilis & mortalis. In prole igitur cognoſce ſimilitudinem generis per teſtimonium paſſionis, & expugnari magis Eutychianos, quàm foveri, quando Unus de Trinitate paſſus aſſeritur, velis, nolis, adverte*, &c. *Sine dubio enim ſub his verbis etiam prædicator unius in Chriſto ſubſtantiæ confutatur. Ut ſit enim Chriſtus Unus de Trinitate, ad Divinitatem pertinet; ut credatur paſſus, ad humanitatem. Non eſſet, qui paſſus eſt, Unus de Trinitate, niſi unam haberet cum Patre & Spiritu Sancto Divinitatem. Sileat ergo unius naturæ in Chriſto prædicator: duas enim naturas commemorat, qui unum de Trinitate paſſum fatetur. Unum de Trinitate paſſum Neſtorianis non immeritò diſplicet. Introducere enim quartam perſonam volunt, cui accidiſſe æſtimant paſſiones. Eutychianis autem Unum de Trinitate paſſum, non rectè placet, ſi tamen placet. Ipſi enim duas Chriſti permanere naturas evidenter contendunt negare, quibus per hoc capitulum manifeſtare contradicitur.*

Nihilominus ob eamdem propoſitionem multæ tragediæ ſunt excitatæ, quia in varios ſenſus diſtrahi poteſt, de quibus agit Lupus in Notis ad Synodum Epheſinam. Trifolius Presbyter in Epiſtola ad Fauſtum, quæ extat Tom. IV Concil. pag. 1590. eam ſiniſtro prorsùs interpretamento excepit, aitque: *Iſta doctrina de fonte Arii prodivit, & eſt conveniens omnibus hæreſibus*, &c. Verùm is error Presbytero iſti condonandus, qui à Fauſto Senatore de iſta propoſitione interrogatus per Epiſtolam, nec certior factus de fide & doctrina Scytharum Monachorum, ſed de turbis duntaxat ab ipſis Conſtantinopoli & Romæ excitatis, facilè ſibi perſuaſit eos propoſitionem illam hæretico ſenſu aſſerere, maximè cùm & legatos Hormiſdæ Pontificis Romani, adverſarios habuiſſent, & ipſummet Pontificem, ut in Hormiſda diximus. Prætereà nec ipſa propoſitio Scytharum fideliter ad Trifolium relata eſt, ut liquet ex Epiſtolæ ejus initio. Quæſivit enim ab eo Fauſtus Senator, quid de illa propoſitione ſentiret: *Unus de Trinitatè crucifixus eſt*; & tamen propoſitio Monachorum Scytharum hęc erat: *Unus de Trinitate crucifixus eſt carne.* Omnia Trifolii dubia reſolvit Natalis Alexander Diſſert. 1. Sæculi VI.

V. *Eam multi malè interpretantur.*

VI. *Joannes PP. eam approbat.*

Joannes itaque Papa, acceptis Juſtiniani Imp. literis, ejuſque legatione, de quibus mox locuti ſumus, in Synodo Romana propoſitionem hanc, *Unus è Trinitate crucifixus eſt carne*, examinavit, fidei profeſsionem literis Imperatoris inſertam approbavit, necnon Edictum fidei, quod ante miſsam legationem promulgaverat, ne Acęmetarum Legati aliquam ipſi calumniam ſtruerent: *Proinde*, inquit Joannes in Epiſtola ad Juſtinianum, VIII Kalend. Aprilis Juſtiniano Aug. & Paulino Coſſ. data, ideoque anno 534. quę extat Tom. IV Concil. pag. 1744. *Serenitatis veſtræ apices per Hypatium atque Demetrium ſanctiſſimos viros, Fratres & Coepiſcopos meos, reverentia conſueta ſuſcepimus: quorum etiam relatione comperimus, quòd fidelibus populis propoſuiſtis Edictum amore fidei, & pro ſubmovenda hæreticorum contentione, ſecundùm Apoſtolicam doctrinam, Fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum interveniente conſenſu, quod quia Apoſtolicæ doctrinæ convenit, noſtra auctoritate confirmamus.*

VII. *Monachos Acœmetas damnat.*

In eadem Epiſtola Pontifex, Acęmetas Monachos, obſtinato animo in errore perſeverantes, communione privavit, niſi ad ſanam mentem redirent: *In quibus*, inquit, *obſervantes ea, quæ ab ipſorum ſunt ſtatuta Pontifice, eos minimè in noſtra communione ſuſcepimus, & ab omni Eccleſia Catholica eſſe juſſimus alienos, niſi errore damnato, doctrinam noſtram quantocyus ſequi, habita regulari profeſſione, ſignaverint.* Eodem anno 534 Joannes Papa, eadem de cauſa, literas ad Avienum, Liberium, alioſque

Digitized by Google

que Senatores dedit, quæ extant eodem Tomo Concil. pag. 1751, in quibus tres ſibi ab Imperatore propoſitas quæſtiones teſtatur, de quibus diſſidia orta erant. Prima, *utrum Unus ex Trinitate Chriſtus Deus noſter dici poſſit*: hoc eſt, Una de Tribus perſonis Sanctæ Trinitatis perſona? Secunda, *an Deus Chriſtus carne pertulerit, impaſſibili Deitate?* Tertia, *an propriè & veraciter Mater D. N. Jeſu Chriſti Maria ſemper Virgo debeat appellari?* Quas propoſitiones tanquam fidei Catholicæ conſentaneas ſe probaſse ſcribit Joannes II, eaſdemque ſubjectis Scripturæ ſacræ & SS. Patrum teſtimoniis confirmat. Denique Vigilius Papa, cùm Trium Capitulorum proſcriptioni conſentire nollet, ut Juſtiniani animum quoquo modo deliniret, in Encyclica Epiſtola propoſitionem ſupra memoratam ſe approbare teſtatus eſt: *Paſſus*, inquit, *carne eſt pro nobis Dei Filius, crucifixus carne eſt, & mortuus carne eſt*. Eadem etiam propoſitio anno 553 definita fuit in Synodo Quinta Collat. VIII canone IV & ſeq. Hæc ex Baronii Critica excerpta. De Monachis Scythis vide dicta in Hormiſda.

VIII *Acæmeti quare ſic dicti.* Porrò Monachi, à Joanne Papa damnati, erant fundati à Sancto Alexandro, cujus vitam exhibet Bollandus ad diem 15 Januarii. Appellati autem ſunt Acæmeti, ſeu Inſomnes, non quòd inſomnes & conniventes oculis, perpetuis ſe vigiliis exercerent, ut quidam ſcripſere, ſed quòd Divina in eorum Eccleſiis hymnologia non intercideret, nullâque horâ vacaret à laudibus Divinis; quam perpetuam pſalmodiam in quædam Galliarum Cœnobia poſtmodùm introductam videre eſt in eadem Baronii Critica anno 702. Primum ſuum Monaſterium Sanctus Alexander inſtituerat ad Euphratem, ubi diſcipulos congregaverat, eique per annos viginti præfuerat. Ad cujus normam, alia ab ejus diſcipulis, ipſo vivente condita. Demùm Sanctus Alexander Conſtantinopolim venit, ubi monaſterium ædificavit, ibique obiit circa annum 430. De Acæmetis legendus Ducangius in Gloſsario mediæ & infimæ latinitatis.

IX. *Joannis PP. Epiſtola de Contumelioſi Epiſc. Regienſis cauſa.* Cùm Contumelioſus Regienſis Epiſcopus adulterii accuſatus, propriâ confeſsione convictus fuiſſet, eum Sanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus ex Epiſcopatu dejecit plena in Synodo, ac relationem iſta de cauſa ad Joannem Papam miſit, qui Synodi judicium confirmavit, illumque officio exutum in monaſterium detrudi juſſit ad agendam pœnitentiam; ſed ne Eccleſia Regienſis deſtituta videretur, in Contumelioſi locum Viſitatorem dari decrevit, qui tamen ea ſolùm, quæ ad ſacroſanta myſteria pertinent exequeretur, nihil de ordinibus Clericorum, aut de Eccleſiaſtica facultate præſumens, & hoc donec proprium Sacerdotem Eccleſia Regienſis habere poſſet: & illorum omnium curam Sancto Cæſario demandavit. Hæc conſtant ex Epiſtolis ejus IV ad Epiſcopos Galliæ, V ad Preſbyteros & Diaconos Contumelioſi olim Epiſcopi, & VI ad Cæſarium; quarum duæ priores datæ ſunt *VII Idus Aprilis Paulino Juniore Viro Clariſſimo Conſule*, ideoque anno 534. Epiſtolæ ad Cæſarium, quæ eſt ſine die & Conſule, adjunxit Pontifex titulos canonum, ſecundùm quos Clerici criminis convicti, à ſacris in perpetuum miniſteriis arceri debent. Tres illæ Epiſtolæ extant Tom. IV Concil. De cauſa Contumelioſi iterùm ſermo erit in Agapeto, Joannis II ſucceſsore.

X. *Caſſiodorus ſe Joannis PP. precibus commendat.* Floruit ſub iſto Pontifice Magnus Aurelius Caſsiodorus Senator, vir maximus, religioſiſsimus & doctiſsimus; licèt enim à Theodorico Rege, qui pluribus ante Joannis Pontificatum annis obiit, ad varias dignitates evectus fuiſset, anno tamen tantùm 534 ab Athalarico Theodorici ſucceſſore auctus eſt Præfecturâ Prætorii, quæ erat culmen honoris altiſsimum. Caſsiodorus tanto munere inſignitus, ad Joannem Romanum Pontificem ſcripſit Epiſtolam, qua venerationem erga illum propenſiſsimam ſignificavit, ejuſque preces apud Deum flagitavit, ut, quâ par erat integritate, Magiſtratum ampliſsimum gereret: *Monete me quæ ſunt agenda ſolicitè*; inquit, *bene agere vel correptus exopto: quia difficilius errat ovis, quæ voces deſiderat audire paſtoris: nec facile efficitur vitioſus, cui admonitor inſiſtit aſſiduus. Sum quidem Judex Palatinus, ſed veſter non deſinam eſſe diſcipulus: nam tunc iſta rectè gerimus, ſi à veſtris regulis minimè diſcedamus*. Et infra: *Sedes illa* (nempe Romana) *toto orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores, quæ licèt generalis mundo ſit præſtita, Vobis etiam cognoſcitur & localiter attributa*. Eam Præfecturam anno 538 aut inſequenti depoſuit Caſsiodorus, & quietioris vitæ deſiderio in urbem Scyllacium, Brutiorum tum primariam, in qua clariſsimis parentibus natus erat, contendit, juxta quam conſtructum à ſe monaſterium, veluti tutiſsimum ſalutis portum ingreſſus eſt, ut oſtendit Galetius Benedictinus è Congregatione S. Mauri in ejus Vita, quam collegit ex ejus Operibus, quæ in duos Tomos diſtributa nuper in lucem emiſit. Annus mortis ejus incertus veteribus monumentis deficientibus. De ejus virtutibus ac vita Monaſtica legendus idem Galetius.

XI. *Africanorum Epiſc. decretum de monaſteriis.* Epiſcopi Africani numero 127 Concilium anno quingenteſimo trigeſimo quinto Carthagine, ut videtur, celebrarunt, & quidem ante menſem Auguſtum, ut oſtendit Annotator Baronii, ad reſtituendam collapſam, ob longam ſervitutem, Eccleſiaſticam

cam diſciplinam. Ex eo ad Joannem Pontificem Epiſtolam Synodicam ſcripſerunt, & ad eundem legationem miſerunt, qua perfuncti ſunt Petrus & Lucius Epiſcopi, atque Liberatus Diaconus Carthaginenſis Eccleſiæ, cui Reparatus præſidebat. Legati cùm Romam venientes Joannem defunctum inveniſſent, Agapeto Papæ qui in ocum ejus ſucceſſerat, Synodales literas dederunt. Quid eæ continerent, & quid ab eodem Papa reſponſum ſit, in ejus Pontificatu dicemus. Sed hic omittendum non eſt, decretum in eodem Concilio editum, cujus nulla mentio in dictis literis Synodalibus, quodque legitur Tom. IV Concil pag. 1785 ubi poſtquam aliàs conſtituta in favorem monaſterii Ruſpenſis à Sancto Fulgentio conſtructi, confirmata ſunt, de Monachorum ſtatu ita decretum eſt: *Cætera verò Monaſteria etiam ipſa libertate pleniſſima perfruantur; ſervatis limitibus Conciliorum ſuorum in hæc duntaxat, ut quandocunque voluerint ſibi Clericos ordinare, vel oratoria monaſteriis dedicare, Epiſcopus loci hanc gratiam compleat, ſalva libertate Monachorum; nihil ſibi in eis præter hanc ordinationem vindicans, neque Eccleſiaſticis eos conditionibus, aut angariis ſubdens. Oportet enim in nullo monaſterio quemlibet Epiſcopum cathedram collocare, nec aliquam ordinationem, quamvis leviſſimam facere, niſi Clericorum, ſi voluerint habere: eſſe enim debent Monachi in Abbatum ſuorum poteſtate. At quando ipſi Abbates de corpore exierint, qui in loco eorum ordinandi ſunt, judicio Congregationis eligantur: nec officium ſibi hujus electionis vindicet aut præſumat Epiſcopus. Si qua verò contentio, quod non optamus, exorta fuerit, ut iſta Abbatum aliorum Concilio ſive judicio finiatur.*

XII. *Joannis PP. obitus.*

Poſtquam Joannes II annos duos, menſes quatuor & dies viginti ſex ſediſſet, anno quingenteſimo trigeſimo quinto, ſexto Kalendas Junii vitam cum morte commutavit, quem diem præferunt quinque exemplaria MSS. Anaſtaſii, Ordericus lib. 2. Luitprandus, Abbo & Marianus Scotus in Chronicis, qui diem illum, ab Anaſtaſio ſine dubio acceptum notarunt. Eamdem annorum & dierum ſeſſionem Joanni tribuunt omnia Anaſtaſii exemplaria, tàm edita, quàm MSS. omnes Catalogi Pontificum, & cum his Hermannus Contractus, & Ordericus citatus. Error tamen in Anaſtaſio à Librariis admiſſus quoad dies, in illis enim numerandis duos denarios omiſerunt, quod ex dictis neceſſariò ſequitur.

XIII. *Epiſtola ei falsò adſcripta.*

Joannis Papæ circumfertur Epiſtola *ad Valerium Epiſcopum*, quam adulterinam eſſe multa probant. Ithacii nempe adverſus Warimadum, & Leonis primi Epiſtolæ XV ſententiæ in illam intruſæ, ſtylus ab aliis ejuſdem Pontificis Epiſtolis diverſus, Conſulum nota mendax, & ſummus virorum Eruditorum conſenſus.

S. AGAPETUS *Pontif. LIX.*

Anno Domini DXXXV.

I. *Agapetus PP.*

S. Agapetus, natione Romanus, ex patre Gordiano Presbytero, Clericus ad SS. Joannem & Paulum, Pontificalem cathedram aſcendit, poſtquam, ut tradit Anaſtaſius, ſedes vacaſset *diebus ſeptem*, ideoque ordinatus eſt die tertia menſis Junii, in quam anno quingenteſimo trigeſimo quinto Dominica cadebat. Verum quidem eſt quædam exemplaria Anaſtaſii & Gotfridum Viterbienſem in Chronico habere *dies ſex*, ſed ſi hic numerus retinendus ſit, excluditur dies emortualis Joannis, ſi prior præferatur, includitur.

II. *Decretum Bonifacii II contra Dioſcorum irritum.*

Diximus in Bonifacio II hunc Pontificem anathematizaſse Dioſcorum Antipapam, cujus anathematis meminit Anaſtaſius in ejus Vita, illudque æmulationi & dolo tribuit. Juſtinianus etiam Imperator in Edicto adversùs Tria Capitula Dioſcorum ob cauſam pecuniariam, ideſt ob Simonię crimen, poſt mortem anathematizatum ſcribit. Agapetus, ubi Pontificatum adeptus eſt, anathema illud ſeu injuſtum ſuſtulit, ut tradit idem Anaſtaſius in ejus Vita. Quam ob cauſam injuſta viſa ſit Agapeto excommunicatio in Dioſcorum Antipapam à Bonifacio lata, ex veteribus monumentis minimè compertum eſt.

III. *Reſpondet ad conſultationes Africanorum.*

Legati Synodi Africanæ, quos diximus ad Joannem Papam cum Synodalibus literis miſſos, Romam perrexerunt mortuo jam Joanne, ideoque eas literas Agapeto Papæ reddidere, quibus Sedem Apoſtolicam conſulebant Africani Patres de Arianis ad Eccleſiam redeuntibus, utrum in ſuis honoribus ſuſcipiendi eſſent. Et de parvulis in eorum ſecta baptizatis, utrum adulta ætate poſſent in Clerum admitti. Rogabant denique Pontificem, ne Clericos, relictis Plebibus ſuis, ad tranſmarinas regiones ſine cauſa navigantes, ad communiōnem ſuſciperet, niſi ſuorum Epiſcoporum formatis Epiſtolis, ſe pro Eccleſiarum utilitate miſſos probarent. Reſpondit Pontifex Africanis Epiſtolâ II, Arianos ad Eccleſiam venientes ſingulari charitate,

non

Digitized by Google

non tamen in ſuis officiis & honoribus ſuſcipiendos; nec eorum filios, qui ab hæreticis eſſent baptizati promovendos ad Clerum. De Clericis verò, qui relictis Plebibus ſuis ad transmarinas regiones navigabant ſine cauſa, ita reſpondet: *Illud quoque quòd Catholicos, qui præſunt, aut militant Eccleſiæ, ſine Sacerdotum ſuorum literis ſuſcipi à nobis minimè debere mandatis, & canonibus eſt congruum, & diſciplinis prodeſſe judicamus, ac fidei, qui permanendo in Eccleſiis, in quibus militant, & miniſterii ſui poterunt aſſiduitate, in Dei Salvatoris noſtri amore ferveſcere, & quæ in pervagatione reprehenſibilia ſunt, vitare.* Epiſtola data eſt quinto Idus Septembris anni quingenteſimi trigeſimi quinti.

IV. Contumelioſi Epiſc. appellationem ſuſcipit.

Contumelioſus Regienſis in ſecunda provincia Narbonenſi Epiſcopus à ſancto Cæſario in Synodo depoſitus, ut dictum eſt in ſuperiori Pontificatu, ad Apoſtolicam Sedem appellavit. Licèt Synodi ſententia à Joanne II Papa fuiſſet confirmata, Agapetus tamen appellationem ejus admiſit: Contumelioſum ab Eccleſiaſtici patrimonii adminiſtratione ſuſpenſum manere juſſit Epiſtolâ VII ad Cæſarium data XV Kalendas Auguſti poſt Conſulatum Paulini Junioris, ideoque anno 535, ſola illi Miſſarum celebratione, quam præſumpſerat, permiſſa, donec ab Apoſtolica Sede delegarentur Judices, qui negotii examen in Provincia inſtaurarent. Interim verò Cæſarium arguit, quòd non obſtante appellatione, ſententiam contrà Contumelioſum latam executioni mandari permiſiſſet.

V. Canonum diſpenſationem recuſat

Agapetus duabus Epiſtolis, nempe ſexta ad eundem Cæſarium eodem die, nempe XV Kalendas Auguſti, & quarta ad Juſtinianum Imperatorem Idibus Octobris ejuſdem anni quingenteſimi trigeſimi quinti datis, ſe canonum obſervantiſsimum oſtendit. Priori enim, Cæſario ſupplicanti, ut aliqua Eccleſiæ prædia in gratiam pauperum alienare liceret, annuere noluit, id canonibus vetitum reſpondens, quos violare ſibi integrum non erat: *Nec*, inquit, *tenacitatis ſtudio, aut ſæcularis utilitatis cauſâ hoc facere nos credatis; ſed Divini conſiderattone Judicii, neceſſe nobis eſt, quidquid ſancta Synodalis decrevit auctoritas, inviolabiter cuſtodire*. Poſteriori verò Epiſtolâ, Juſtiniano negavit diſpenſationem canonum, quam poſtulabat in gratiam Arianorum ad Eccleſiam redeuntium, ſcilicet, *ut & in his honoribus in quibus fuerunt apud hæreticos perſeverent, & promoveantur ad altos*, ſcribens ſibi nefas eſſe *Synodalia Sedis Apoſtolicæ infringere conſtituta, cùm ſententia clamet Apoſtoli* „ Si tamen quæ deſtruxi, ea iterum reædifico, prævaricatorem me ipſe conſtituo. Galat. 2. Illud idem reſponderat Agapetus ad conſultationes Epiſcoporum Africanorum Epiſtola II, ut mox diximus, Arianos ſcilicet ad Eccleſiam redeuntes, ſingulari quidem charitate, non tamen in ſuis officiis & honoribus eſſe ſuſcipiendos.

VI. Legationem ad Imp. ſuſcipere cogitur.

Cùm Theodatus, Gothorum in Italia Rex, timeret ne Beliſarius, qui in Sicilia cum exercitu Juſtiniani Imperatoris hiemabat, Italiam invaderet, tantum diſcrimen antevertendum putavit, non alio obice, quàm Summi Pontificis Legatione, qua pacem peteret ab Imperatore, de qua legatione hæc ſcribit Liberatus Diaconus in Breviario cap. 21. *Quo tempore Theodatus Rex Gothorum ſcribens ipſi Papæ & Senatui Romano, interminatus non ſolùm Senatores, ſed & uxores, & filios, filiaſque ſe gladio interempturum, niſi egiſſent apud Imperatorem, ut deſtinatum exercitum ſuum de Italia ſubmoveret. Sed Papa pro eadem cauſa legatione ſuſcepta Conſtantinopolim profectus eſt.* Agapetus ejuſmodi ſubire provinciam barbarico coactus imperio, cùm pecunias ad expenſas in via faciendas non haberet, Regio Arcario opus habuit vaſa ſacra oppignorare, quæ tamen poſteà, Caſsiodori præfecti Prætorio operâ, reddita fuiſſe Eccleſiæ Sancti Petri, à qua ſublata fuerant, patet ex ipſius Epiſtola XX lib. XII Var. ad Arcarios ſcripta.

VII. In itinere mutum & claudum ſanat.

Agapetus jam Conſtantinopolim pervenerat medio menſe Martio anni quingenteſimi trigeſimi ſexti; fidei enim confeſſio quam Juſtinianus ei obtulit, dum Conſtantinopoli eſſet, ſignatur in codice Vaticano apud Cardinalem Noriſium in Diſſertatione Hiſtorica de Uno ex Trinitate carne paſſo, data *XVII Kal. Aprilium P. C.* ideſt poſt Conſulatum *Beliſarii V. C.* ideoque die decima ſexta Martii anni 536. Imò jam Conſtantinopoli erat die decima tertia Martii, ut mox videbitur. Agapetus in itinere conſtitutus in quodam Græciæ loco mutum & claudum natum per ſanctiſſimi Miſſæ ſacrificii oblationem ambulare & loqui fecit, ut indubitatus eſt teſtis S. Gregorius Magnus lib. 3. Dialog. cap. 3. Ut planè illud contigerit Agapeto, quod olim primo Romano Pontifici, eidemque Apoſtolorum Principi Petro, dum rogatus à mendico claudo eleemoſinam dare, pro petita pecunia, qua carebat, ſanitatem omni pretioſiorem auro contulit.

VIII. Anthimum CP Epiſc. in communionem admittere recuſat.

Anaſtaſius ſcribit, Agapetum à Juſtiniano Imperatore omnia obtinuiſſe pro quibus miſſus fuerat, ſed redarguitur ex Liberato hujus temporis Scriptore, qui loco laudato ait, Imperatorem minimè acquieviſſe Agapeto pacem Theodato petenti, quòd magnam pecuniarum vim in exercitu comparando jam inſumpſiſſet. Quare ſpe pacis fruſtratus, Chriſti legationem cœpit obire. Anthimum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ

Digitized by Google

SÆC. VI. JOANNES II.

cam diſciplinam. Ex eo ad Joannem Pontificem Epiſtolam Synodicam ſcripſerunt, & ad eundem legationem miſerunt, qua perfuncti ſunt Petrus & Lucius Epiſcopi, atque Liberatus Diaconus Carthaginenſis Eccleſiæ, cui Reparatus præſidebat. Legati cùm Romam venientes Joannem defunctum inveniſſent, Agapeto Papæ qui in locum ejus ſucceſſerat, Synodales literas dederunt. Quid eæ continerent, & quid ab eodem Papa reſponſum ſit, in ejus Pontificatu dicemus. Sed hic omittendum non eſt, decretum in eodem Concilio editum, cujus nulla mentio in dictis literis Synodalibus, quodque legitur Tom. IV Concil pag. 1785 ubi poſtquam aliàs conſtituta in favorem monaſterii Ruſpenſis à Sancto Fulgentio conſtructi, confirmata ſunt, de Monachorum ſtatu ita decretum eſt: *Cætera verò Monaſteria etiam ipſa libertate pleniſſima perfruantur; ſervatis limitibus Conciliorum ſuorum in hæc duntaxat, ut quandocunque voluerint ſibi Clericos ordinare, vel oratoria monaſteriis dedicare, Epiſcopus loci hanc gratiam compleat, ſalva libertate Monachorum; nihil ſibi in eis præter hanc ordinationem vindicans, neque Eccleſiaſticis eos conditionibus, aut angariis ſubdens. Oportet enim in nullo monaſterio quemlibet Epiſcopum cathedram collocare, nec aliquam ordinationem, quamvis leviſſimam facere, niſi Clericorum, ſi voluerint habere: eſſe enim debent Monachi in Abbatum ſuorum poteſtate. At quando ipſi Abbates de corpore exierint, qui in loco eorum ordinandi ſunt, judicio Congregationis eligantur: nec officium ſibi hujus electionis vindicet aut præſumat Epiſcopus. Si qua verò contentio, quod non optamus, exorta fuerit, ut iſta Abbatum aliorum Concilio ſive judicio finiatur.*

XII. *Joannis PP. obitus.* Poſtquam Joannes II annos duos, menſes quatuor & dies viginti ſex ſediſſet, anno quingenteſimo trigeſimo quinto, ſexto Kalendas Junii vitam cum morte commutavit, quem diem præferunt quinque exemplaria MSS. Anaſtaſii, Ordericus lib. 2. Luitprandus, Abbo & Marianus Scotus in Chronicis, qui diem illum, ab Anaſtaſio ſine dubio acceptum notarunt. Eamdem annorum & dierum ſeſſionem Joanni tribuunt omnia Anaſtaſii exemplaria, tàm edita, quàm MSS. omnes Catalogi Pontificum, & cum his Hermannus Contractus, & Ordericus citatus. Error tamen in Anaſtaſio à Librariis admiſſus quoad dies, in illis enim numerandis duos denarios omiſerunt, quod ex dictis neceſſariò ſequitur.

XIII. *Epiſtola ei falsò adſcripta.* Joannis Papæ circumfertur Epiſtola *ad Valerium Epiſcopum*, quam adulterinam eſſe multa probant. Ithacii nempe adverſus Warimadum, & Leonis primi Epiſtolæ XV ſententiæ in illam intruſæ, ſtylus ab aliis ejuſdem Pontificis Epiſtolis diverſus, Conſulum nota mendax, & ſummus virorum Eruditorum conſenſus.

S. AGAPETUS *Pontif. LIX.*

Anno Domini DXXXV.

I. *Agapetus fit PP.* S. Agapetus, natione Romanus, ex patre Gordiano Presbytero, Clericus ad SS. Joannem & Paulum, Pontificalem cathedram aſcendit, poſtquam, ut tradit Anaſtaſius, ſedes vacaſset *diebus ſeptem*, ideoque ordinatus eſt die tertia menſis Junii, in quam anno quingenteſimo trigeſimo quinto Dominica cadebat. Verum quidem eſt quædam exemplaria Anaſtaſii & Gotfridum Viterbienſem in Chronico habere *dies ſex*, ſed ſi hic numerus retinendus ſit, excluditur dies emortualis Joannis, ſi prior præferatur, includitur.

II. *Decretum Bonifacii II contra Dioſcorum irritat.* Diximus in Bonifacio II hunc Pontificem anathematizaſse Dioſcorum Antipapam, cujus anathematis meminit Anaſtaſius in ejus Vita, illudque æmulationi & dolo tribuit. Juſtinianus etiam Imperator in Edicto adverſùs Tria Capitula Dioſcorum ob cauſam pecuniariam, ideſt ob Simonię crimen, poſt mortem anathematizatum ſcribit. Agapetus, ubi Pontificatum adeptus eſt, anathema illud ſeu injuſtum ſuſtulit, ut tradit idem Anaſtaſius in ejus Vita. Quam ob cauſam injuſta viſa ſit Agapeto excommunicatio in Dioſcorum Antipapam à Bonifacio lata, ex veteribus monumentis minimè compertum eſt.

III. *Reſpondet ad conſultationes Africanorum.* Legati Synodi Africanæ, quos diximus ad Joannem Papam cum Synodalibus literis miſſos, Romam perrexerunt mortuo jam Joanne, ideoque eas literas Agapeto Papæ reddidere, quibus Sedem Apoſtolicam conſulebant Africani Patres de Arianis ad Eccleſiam redeuntibus, utrum in ſuis honoribus ſuſcipiendi eſſent. Et de parvulis in eorum ſecta baptizatis, utrum adulta ætate poſſent in Clerum admitti. Rogabant denique Pontificem, ne Clericos, relictis Plebibus ſuis, ad tranſmarinas regiones ſine cauſa navigantes, ad communionem ſuſciperet, niſi ſuorum Epiſcoporum formatis Epiſtolis, ſe pro Eccleſiarum utilitate miſſos probarent. Reſpondit Pontifex Africanis Epiſtolâ II, Arianos ad Eccleſiam venientes ſingulari charitate,

non

non tamen in ſuis officiis & honoribus ſuſcipiendos; nec eorum filios, qui ab hæreticis eſſent baptizati promovendos ad Clerum. De Clericis verò, qui relictis Plebibus ſuis ad transmarinas regiones navigabant ſine causa, ita reſpondet: *Illud quoque quòd Catholicos, qui præſunt, aut militant Eccleſiæ, ſine Sacerdotum ſuorum literis ſuſcipi à nobis minimè debere mandatis, & canonibus eſt congruum, & diſciplinis prodeſſe judicamus, ac fidei, qui permanendo in Eccleſiis, in quibus militant, & miniſterii ſui poterunt aſſiduitate, in Dei Salvatoris noſtri amore ferveſcere, & quæ in pervagatione reprehenſibilia ſunt, vitare.* Epiſtola data eſt quinto Idus Septembris anni quingenteſimi trigeſimi quinti.

IV. Contumelioſi Epiſc. appellationem ſuſcipit.

Contumelioſus Regienſis in ſecunda provincia Narbonenſi Epiſcopus à ſancto Cæſario in Synodo depoſitus, ut dictum eſt in ſuperiori Pontificatu, ad Apoſtolicam Sedem appellavit. Licèt Synodi ſententia à Joanne II Papa fuiſſet confirmata, Agapetus tamen appellationem ejus admiſit: Contumelioſum ab Eccleſiaſtici patrimonii adminiſtratione ſuſpenſum manere juſſit Epiſtolâ VII ad Cæſarium data XV Kalendas Auguſti poſt Conſulatum Paulini Junioris, ideoque anno 535, ſola illi Miſſarum celebratione, quam præſumpſerat, permiſſa, donec ab Apoſtolica Sede delegarentur Judices, qui negotii examen in Provincia inſtaurarent. Interim verò Cæſarium arguit, quòd non obſtante appellatione, ſententiam contrà Contumelioſum latam executioni mandari permiſiſſet.

V. Canonum diſpenſationem recuſat.

Agapetus duabus Epiſtolis, nempe ſexta ad eundem Cæſarium eodem die, nempe XV Kalendas Auguſti, & quarta ad Juſtinianum Imperatorem Idibus Octobris ejuſdem anni quingenteſimi trigeſimi quinti datis, ſe canonum obſervantiſſimum oſtendit. Priori enim, Cæſario ſupplicanti, ut aliqua Eccleſiæ prædia in gratiam pauperum alienare liceret, annuere noluit, id canonibus vetitum reſpondens, quos violare ſibi integrum non erat: *Nec*, inquit, *tenacitatis ſtudio, aut ſæcularis utilitatis cauſâ hoc facere nos credatis; ſed Divini conſideratione Judicii, neceſſe nobis eſt, quidquid ſancta Synodalis decrevit auctoritas, inviolabiter cuſtodire.* Poſteriori verò Epiſtolâ, Juſtiniano negavit diſpenſationem canonum, quam poſtulabat in gratiam Arianorum ad Eccleſiam redeuntium, ſcilicet, *ut & in his honoribus in quibus fuerunt apud hæreticos perſeverent, & promoveantur ad alios*, ſcribens ſibi nefas eſſe *Synodalia Sedis Apoſtolicæ infringere conſtituta, cùm ſententia clamet Apoſtoli* „ Si tamen quæ deſtruxi, ea iterum reædifico, prævaricatorem me ipſe conſtituo. Galat. 2. Illud idem reſponderat Agapetus ad conſultationes Epiſcoporum Africanorum Epiſtola II, ut mox diximus, Arianos ſcilicet ad Eccleſiam redeuntes, ſingulari quidem charitate, non tamen in ſuis officiis & honoribus eſſe ſuſcipiendos.

VI. Legationem ad Imp. ſuſcipere cogitur.

Cùm Theodatus, Gothorum in Italia Rex, timeret ne Beliſarius, qui in Sicilia cum exercitu Juſtiniani Imperatoris hiemabat, Italiam invaderet, tantum diſcrimen antevertendum putavit, non alio obice, quàm Summi Pontificis Legatione, qua pacem peteret ab Imperatore, de qua legatione hæc ſcribit Liberatus Diaconus in Breviario cap. 21. *Quo tempore Theodatus Rex Gothorum ſcribens ipſi Papæ & Senatui Romano, interminatus non ſolùm Senatores, ſed & uxores, & filios, filiaſque ſe gladio interempturum, niſi egiſſent apud Imperatorem, ut deſtinatum exercitum ſuum de Italia ſubmoveret. Sed Papa pro eadem cauſa legatione ſuſcepta Conſtantinopolim profectus eſt.* Agapetus ejuſmodi ſubire provinciam barbarico coactus imperio, cùm pecunias ad expenſas in via faciendas non haberet, Regio Arcario opus habuit vaſa ſacra oppignorare, quæ tamen poſteà, Caſſiodori præfecti Prætorio operâ, reddita fuiſſe Eccleſiæ Sancti Petri, à qua ſublata fuerant, patet ex ipſius Epiſtola XX lib. XII Var. ad Arcarios ſcripta.

VII. In itinere mutum & claudum ſanat.

Agapetus jam Conſtantinopolim pervenerat medio menſe Martio anni quingenteſimi trigeſimi ſexti; fidei enim confeſſio quam Juſtinianus ei obtulit, dum Conſtantinopoli eſſet, ſignatur in codice Vaticano apud Cardinalem Noriſium in Diſſertatione Hiſtorica de Uno ex Trinitate carne paſſo, data *XVII Kal. Aprilium P. C.* ideſt poſt Conſulatum *Beliſarii V. C.* ideoque die decima ſexta Martii anni 536. Imò jam Conſtantinopoli erat die decima tertia Martii, ut mox videbitur. Agapetus in itinere conſtitutus in quodam Græciæ loco mutum & claudum natum per ſanctiſſimi Miſſæ ſacrificii oblationem ambulare & loqui fecit, ut indubitatus eſt teſtis S. Gregorius Magnus lib. 3. Dialog. cap. 3. Ut planè illud contigerit Agapeto, quod olim primo Romano Pontifici, eidemque Apoſtolorum Principi Petro, dum rogatus à mendico claudo eleemoſinam dare, pro petita pecunia, qua carebat, ſanitatem omni pretioſiorem auro contulit.

VIII. Anthimum CP Epiſc. in communionem admittere recuſat.

Anaſtaſius ſcribit, Agapetum à Juſtiniano Imperatore omnia obtinuiſſe pro quibus miſſus fuerat, ſed redarguitur ex Liberato hujus temporis Scriptore, qui loco laudato ait, Imperatorem minimè acquieviſſe Agapeto pacem Theodato petenti, quòd magnam pecuniarum vim in exercitu comparando jam inſumpſiſſet. Quare ſpe pacis fruſtratus, Chriſti legationem cœpit obire. Anthimum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ

cleſiæ Epiſcopum intruſum hæreticum, poſt Epiphanii Patriarchæ obitum, ex Trapezuntino Epiſcopatu ad illam Eccleſiam translatum agente Theodora Imperatrice, Eutychianis partibus addicta, quarum princeps erat Anthimus, in ſalutationem & communionem ſuſcipere noluit, niſi prius, libello oblato, ſe Orthodoxum probaret, & ad ſedem ſuam Trapezuntinam reverteretur. Nec à ſententia dimoveri unquam potuit, quamvis id vehementer ab ipſo peteret Imperator (cui nondum compertus fuerat Anthimus hæreticus) necnon Theodora Auguſta, imò & recuſanti exilium minaretur: quando & conſtantiſsimè Agapetus Imperatori reſpondit: *Ego quidem peccator ad Juſtinianum Imperatorem Chriſtianiſſimum venire deſideravi: nunc autem Diocletianum inveni: qui tamen minas tuas non pertimeſco*. Cùm verò poſt hæc interrogatus ab eo, coram Imperatore Anthimus, renuiſſet confiteri duas in Chiſto naturas, tunc idem Imperator fraude comperta, *humiliavit ſe*, inquit Anaſtaſius, *Sedi Apoſtolicæ, & adoravit beatiſſimum Papam Agapetum*.

IX. *Eum depoſuit & Mennam ejus loco ordinat.*

Deinde Agapetus Anthimum Sacerdotio & Chriſtiana communione privavit, ejuſque loco Mennam Presbyterum, Præpoſitum Xenodochii Majoris conſtituit & conſecravit Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ut narrat Liberatus in Breviario cap. laudato 21. *Petentibus*, inquit, *Principibus, ut Anthimum Papa in ſalutatione & communione ſuſciperet, ille fieri, inquit, poſſe ſi ſe libello probaret Orthodoxum, & ad Cathedram ſuam reverteretur. Impoſſibile eſſe ajebat translatitium hominem in illa ſede permanere. Auguſtâ verò clàm promittente munera multa, & rurſus Papæ minas intentante, in hoc Papa perſtitit, ne ejus audiret petitionem. Anthimus verò videns ſeſe depulſum, pallium quod habuit, Imperatoribus reddidit, & diſceſſit, ubi eum Auguſta ſuo patrocinio tueretur. Tunc Papa, Principis favore, Mennam pro eo ordinavit Antiſtitem, conſecrans eum manu ſua in Baſilica Sanctæ Mariæ*. Ea ordinatio peracta eſt ab Agapeto die 13 menſis Martii; in Codice enim Vaticano laudato legitur pag. 45. *Exemplar libelli Mennæ Presbyteri ac Xenodochii Præpoſiti, qui factus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſub die 3 Idus Martias, iterum poſt Conſulatum Paulini Junioris Viri Clariſſimi*. Ex quo conſtat verum eſse quod ſuperiùs diximus Agapetum die 13 menſis Martii jam Conſtantinopolim perveniſſe, ideoque in Anaſtaſio, ubi legitur eum perveniſſe Conſtantinopolim *X Kalendas Maii*, legendum eſſe, *X Kalendas Martii*. Porrò Primatumglorioſiùs exercere non potuit Romanus Pontifex, quàm Conſtantinopolitanum Patriarcham hæreticum exauctorando, & in ejus locum alium ordinando, idque nullâ convocata Synodo.

X. *Profeſſionem fidei Mennæ ſuſcipit.*

Antequam Mennas ab Agapeto Papa ordinaretur, ſuæ fidei profeſſionem publicè edidit, eique ſubſcripſit, quam olim præſcripſiſſe diximus Hormiſdam Papam omnibus Orientalibus communionem Catholicam expetentibus. Poſtquam verò ordinatus eſt, obtulit rursùm more Majorum, Romano Pontifici Agapeto libellum fidei, quo omnes condemnavit hæreſes, & Catholicam fidem profeſſus eſt, quod diſertè aſſerit Vigilius Papa in Epiſtola ad Juſtinianum, quæ extat Tom. V Concil pag. 314. Hiſque omnibus peractis, idem Agapetus Pontifex, literis ſuis circularibus, omnes Epiſcopos Orientales, de cunctis reddidit certiores, quarum quidem extat exemplar ad Petrum Jeroſolymitanum Epiſcopum eodem Conciliorum Tomo pag. 47, ubi etiam inter Mennæ dignitatis prerogativas adnumerat, quod à temporibus Petri Apoſtoli nullum alium unquam Orientalis Eccleſia ſuſcepiſſet Epiſcopum Romanæ Sedis manibus ordinatum.

XI. *Item profeſſionem fidei Juſtiniani.*

Poſtridiæ ab ordinatione Mennæ Juſtinianus Imperator Epiſtolam dedit ad Agapetum, cujus initium: *Ante tempus in hac Regia urbe*, &c. In ea narrat Imperator, ſe dictum contra Acæmetas, Neſtorium & Eutychianos publicaſse, ejuſque tenorem Epiſtolæ a ſe ad Joannem Papam ſcriptæ inſeruiſſe, *quam*, inquit, *pro integritate fidei memoratus prædeceſſor veſter libenti gratulatione ſuſcipiens, ſuo ac totius Eccleſiæ Romanæ firmavit aſſenſu*, ubi intelligit decreta a Joanne II Papa contra Acæmetas Monachos, de quibus in ejus Pontificatu locuti ſumus. Rogat autem Imperator Agapetum, ut decreta a Joanne auctoritate ſua confirmaret. Extat ea Epiſtola Tom. IV Concil. pag. 1788. Data autem dici debet pridie Idus Martii, ſeu die 14 ejuſdem menſis. Poſtea die decima ſexta Martii Imperator profeſſionem fidei à ſe ſignatam ad eundem Pontificem deſtinavit, quæ incipit his verbis: *Prima ſalus eſt rectæ fidei*, &c. extatque eodem Tomo Concil. pag. 1801. Agapetus Juſtiniani Epiſtolam cum inſertis literis ad Joannem II Papam, reſcripto ad eundem Principem approbavit. Initium Epiſtolæ Agapeti eſt: *Gratulamur venerabilis Imperator*, & extat loco laudato pag. 1789.

XII. *Eam confirmat, & Acæmetas Monachos damnat.*

Significat Agapetus Juſtiniano expoſitionem fidei ab illo per Legatos ad Joannem Papam deceſſorem ſuum miſſam, & ab eodem Pontifice roboratam, ſe quoque laudare & amplecti, addens: *Non quia laicis auctoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum noſtrorũ regulis conveniens confirmamus atque roboramus*. Poſtea quoslibet eidem profeſsioni fidei, præ-

SÆC. VI. S. AGAPETUS.

præſenti definitione iterum confirmatæ, repugnantes, *ſanctæ communionis extraneos* declarat. Deinde ait: *Unde & Cyrum ejuſque ſequaces, jam ante pro hac inſania ab Eccleſiæ Catholicæ communione ſuſpenſos, niſi reſipiſcant, nullatenus patimur eos ſacræ communioni reſtitui.* Inſaniam vocat Acæmetarum obſtinatam pervicaciam, qua contra definitionem à Joanne II emanatam negabant Chriſtum unum eſſe ex Trinitate, qua de re vide dicta in Joanne Papa. Tandem inſerit Epiſtolam Imperatoris ad Joannem II, & concludit: *Et huic fidei quiſquis contradicere præſumpſerit, à Catholica communione ſe noverit alienum. Data XV Kal. Aprilis Conſtantinopoli, poſt Conſulatum Beliſarii V. C.* Harum Epiſtolarum & profeſſionum fidei Chronologiam reſtituit Cardinalis Noriſius in laudata Diſſertatione, ex Codice Vaticano, ut legere eſt in Critica Baronii ad annum 535 & ſeq.

XIII. Cpoli moritur.

Cùm autem poſt hæc ſanctiſsimus hic Pontifex in Italiam reverti diſponeret, ex hac vita Conſtantinopoli migravit, ut tradit Liberatus laudatus cap. 22. *His peractis*, inquit, *conſtituens Papa apud Imperatorem Apocryſarium Eccleſiæ ſuæ Pelagium Diaconum ſuum, dum in Italiam reverti diſponit, Conſtantinopoli obiit.* Anaſtaſius verò ſcribit: *Poſt dies aliquantos ægritudine correptus, defunctus eſt Conſtantinopoli. Cujus corpus in loculo plumbeo translatum eſt Romam uſque ad Baſilicam beati Petri Apoſtoli, ubi & ſepultus eſt duodecimo Kalendas Octobris.* Mortuus eſt autem ante diem ſecundam Maii anni quingenteſimi trigeſimi ſexti, quo, in Concilio Conſtantinopolitano dicitur *Vir ſanctæ memoriæ*. Veroſimile autem eſt eum obiiſſe die 22 Aprilis, poſtquam ſediſſet menſes decem, dies novemdecim, quo die colitur in Martyrologiis MSS. Vaticano Sancti Petri, Barberino, aliiſque, & in Appendice ad Martyrologium Adonis. Vix alius Pontifex inveniri poteſt, qui adeò brevi temporis ſpatio Eccleſiæ Catholicæ præſidens, talia tantaque perfecerit; cujuſque æquè apud Occidentales atque Orientales ſint ampliſsima conclamata præconia.

SÆC. VI. S. AGAPETUS.

XIV. Ejus decreta in Synodo CP. confirmantur.

Antequam Agapetus Conſtantinopolitanum iter ſuſciperet, illuc præmiſerat Sabinum Canuſinum, Epiphanium Aſculanum, Aſterium Salernitanum, Ruſticum Feſulanum, & Leonem Nolanum Epiſcopos, quos Apoſtolicæ Sedis Legatos conſtituerat. Eos nulla imminuta poteſtate Conſtantinopoli reliquit, quando deceſsit. His, communicato cum Menna Conſtantinopolitano Epiſcopo conſilio, cura potiſsima fuit, ut quæ ab Agapeto vivente conſtituta fuiſſent, iiſdem obſervandis Orientales Epiſcopi ſuis ipſorum verbis obligarentur. Quare ab ipſo Menna & Legatis Apoſtolicis celebratum eſt Conſtantinopoli ſexto Nonas Maii ejuſdem anni 536 Concilium, cui interfuerunt quinquaginta Epiſcopi, in quo Conſtitutum eſt, ut quæ ab Agapeto contra Anthimum & hæreticos Acephalos decreta fuerant, executioni mandarentur. Damnati iterum fuere Anthimus, Severus, Petrus Apameenſis & Zoaras. Decretorum Agapeti ac Synodi executionem Juſtinianus imperavit Novella XLII, & hæreticos illos in exilium miſit. Data eſt VIII Idus Auguſti poſt Conſulatum Beliſarii V. C. ut in Actis Concilii legitur, cujus quinta & ultima ſeſſio habita eſt pridie Nonas Junias. Baronius & cum eo alii exiſtimant, Concilium illud in monaſterio ſancti Dii Archimandritæ celeberrimi congregatum fuiſſe; verùm illud habitum in Occidentali atrio venerabilis ædis beatæ Mariæ Virginis, oſtendit Henricus Valeſius in Notis ad lib. 4 Evagrii cap. 3.

XV. Epiſtola ei falsò adſcripta.

Circumfertur Epiſtola Agapeti Papæ, ad Anthimum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ invaſorem, quæ in Collectione Conciliorum quinta eſt, ſed eam ſuppoſititiam eſſe demonſtrant falſa Conſulatûs nota, & ingentes laciniæ ex Epiſtola XCVII ſancti Leonis, ac ex ſententiis Hormiſdæ & Auguſtini. Unde Baronius eam impoſturæ ſuſpicione non vacare ſcribit ad annum 535. n. 88.

S. SILVERIUS *Pontif. LX*

Anno Domini DXXXVI.

I. Silverius fit Pontif. Rom.

CUm auditus eſſet Romæ obitus ſancti Agapeti Papæ, atque jam haberentur more Majorum ſacra comitia de novo creando Pontifice, Theodatus Rex Gothorum, ut tradit Anaſtaſius in Silverio, Silverium natione Campanum, Hormiſdę quondam Pontificis Romani filium, ex legitimo ante Pontificatum matrimonio ſuſceptum, per vim & metum ordinari curavit Pontificem, quamvis multi ex Clero ejus electioni refragarentur, cui tamen poſtea, ad evitandum ſchiſma, ſubſcripſerunt. Unde ſpecies addita poſtmodùm calumnię, quaſi Gothis faveret. Simoniacam labem ipſi perperam inurit idem Anaſtaſius. Liberatus enim in Breviario cap. 22, ubi de Silverio ex Subdiacono, ut ipſe ſcribit, in Pontificem electo agit, nec alius quiſquam

Digitized by Google

Antiquorum, nihil penitus habet de pecunia à Silverio collata. Ordinatus eſt autem Silverius die octava menſis Junii, in quam anno quingenteſimo trigeſimo ſexto Dominica cadebat. Licèt enim Codices MSS. Anaſtaſii in interpontificio, quod fuit poſt mortem Agapeti, varient, præferenda tamen videtur lectio eorum, qui habent, interpontificium fuiſſe unius menſis & dierum viginti octo, qui nihilominus unum diem plus numerant; ex tempore quippe quo ſedit, ſequitur eum ordinatum die octava Junii, & conſequenter Interpontificium fuiſſe dierum *quadraginta ſeptem*, qui leguntur in Catalogis I & III Tomo primo Criticæ Baronianæ præfixis.

II. *Vigilius tractat de invadendo Pontificatu.*

Intereà verò, ut tradit Liberatus loco laudato, Vigilius Agapeti defuncti Diaconus Conſtantinopoli degens, cum Theodora Auguſta ſecretò egit ut Pontificatum obtineret, eique promiſit, ſi in Papam eligeretur, ſublaturum ſe Synodum Calchedonenſem, atque Anthimum, Severum, alioſque ipſis confœderatos Acephalos communione donaturum. Theodora, ut Vigilium in Sedem Apoſtolicam intruderet, Beliſario Patricio in mandatis dedit, ut ipſi faveret. Romam profectus Vigilius Silverium ordinatum invenit; quare Beliſarium Ravennę ſedentem adiit, literiſque Auguſtę ipſi traditis, adjectaque duorum auri centenariorum promiſſione, ſi redacto in ordinem Silverio, crearetur ipſe Pontifex, ſuis illum ſtudiis addixit. Hic porrò Vigilius ille eſt, quem jam temporibus Bonifacii II diximus, pertentaſſe ab eo vivente ſubrogari in Sedem Apoſtolicam, contrà leges omnes & conſuetudines Eccleſiaſticas.

III. *Silverio in exilium miſſo fit Antipapa.*

Beliſarius Romam reverſus, ut Imperatrici pareret, faveretque Vigilio, calumniam Silverio ſtruxit, operâ Marci Scholaſtici & Juliani Prętoriani, fictis literis quaſi à Silverio ſcriptis ad Regem Gothorum, quibus cum ipſo de tradenda urbe Roma ageret, eam enim tunc obſidebat Vitiges Gothorum Rex Theodati ſucceſſor. Hanc donec ederent calumniam, Beliſarius & Antonina ejus uxor Silverio perſuadere nitebantur, ut Imperatrici morem gereret, Calchedonenſem tollendo Synodum, & Acephalis communicando. Vim timens Pontifex in Baſilicam Sanctę Sabinę ſe recepit: unde fraude eductus, & accepto à filio Antoninę juramento, ingreſſus palatium, Beliſarii juſſu, Monaſtica veſte, à Subdiacono, quem perverterat, indutus eſt, eodemque agente Beliſario Pataram civitatem Lycię in exilium deportatus, in ejuſque locum Vigilius intruſus eſt. Hęc autem acciderunt durante urbis Romanę obſidione, ut tradit Procopius lib. 1. de bello Goth. cap. 25. ideoque anno 537, quo Romana urbs à Vitige Rege obſeſſa eſt. Id confirmatur ex Anaſtaſio in Silverio &, ex Continuatore Marcellini, qui tradunt hæc accidiſse *Indictione XV*, quę anno 537 in curſu erat. Depoſitus eſt autem Silverius die decima octava Novembris, ut ex ejus ſedis duratione conſtabit. Vigilius verò ordinatus eſt X *Kalendas Decembris*, ſeu die 22 Novembris, quæ erat Dominicalis, ut teſtatur Anaſtaſius in Vigilio.

IV. *Silverius Romam redit & iterùm ex ea pellitur.*

Cùm Silverius Pataram deportatus fuiſset, Patarenſis Epiſcopus, ut addit Liberatus loco laudato, Juſtinianum Imperatorem adiit, *& judicium Dei conteſtatus eſt de tantæ ſedis Epiſcopi expulſione; multos eſſe dicens in hoc mundo Reges, & non eſſe unum, ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius, à ſede ſua expulſus. Quem audiens Imperator, revocari Romam Silverium juſſit, & de literis illis* (quas ad Regem Gothorum Vitigem ſcripſiſse dicebatur) *judicium fieri, ut ſi probaretur ab ipſo fuiſſe ſcriptas, in quacumque civitate Epiſcopus degeret: ſi autem falſæ fuiſſent probatæ, reſtitueretur ſedi ſuæ*. Imperatoris itaque juſsione Romam rediit Silverius: ſed Beliſarius Sanctum Pontificem Vigilio petenti tradidit, qui eum in Palmariam Inſulam antiquorum Martyrum palmis fęcundam deduci curavit, ut ait Liberatus, Anaſtaſius ſcribit in Inſulam Pontiam, Inſulę Palmari vicinam.

V. *Vigilius Synodum Calched. anathematizat.*

Tunc Vigilius promiſsionem ſuam, quam Theodorę Auguſtę fecerat de duobus auri centenariis, & de communicando cum Acephalis, per Antoninam Beliſarii conjugem implens, ſcripſit Epiſtolam à Liberato laudato recitatam, quam & Baronius anno 538 num 14 refert, qui tamen negat eam eſſe Vigilii, licèt fateatur eum ſimoniacam labem contraxiſſe ſpondendo aurum, ut Pontifex fieret. Verùm Cardinalis doctiſsimi conjecturas id non evincere probat ejus Annotator ad eumdem annum, ubi & oſtendit Epiſtolam illam non ſolùm à Liberato, ſed etiam à Victore Tununenſi, Scriptore pariter coęvo recitari, & Facundum Hermianenſem lib. contra Mocianum diſertè teſtari Vigilium in univerſam Eccleſiam anathema dixiſse, indeque confirmari quod poſt illam Epiſtolam ſcribit Liberatus: *Sub hac Epiſtola Vigilius fidem ſuam ſcripſit, in qua duas in Chriſto damnavit naturas, & reſolvens Tomum Papæ Leonis, ſic dixit: Non duas Chriſtum naturas confitemur, ſed ex duabus naturis compoſitum Unum filium, Unum Criſtum, Unum Dominum*, Ex hoc tamen nullum penitùs Apoſtolicæ Sedi præjudicium illatum; cum ejus tunc Vigilius invaſor, Silverius autem germanus Pontifex eſſet. Ea porrò Epiſtola data eſt ſub finem anni 537, aut ſequentis initio, certè ante Silverii mortem.

San-

Digitized by Google

VI. Silverius in exilio moritur.

Sanctus hic Pontifex in exilio ærumnis confectus, inediaque conſumptus die vigeſima Junii extremum diem clauſit, ejuſque memoriam, ſub Martyris titulo quotannis, eo die Eccleſia celebrat. Sepultus eſt autem, ut ait Anaſtaſius, in eodem loco, & ad ejus ſepulchrum multitudo concurrens languentium ſanitatem obtinere conſuevit. Ejus mors immeritò adſcribitur Vigilio. Procopius enim in Hiſtoria Arcana cap. 1. loquens de Antonina Beliſarii uxore, ait: *Fuit illi miniſter ſceleris quidam ex famulis Eugenius nomine, qui & commiſſi contra Silverium piaculi ſatelles fuerat*, ubi Alemannus in Notis ad librum illum obſervat Procopium indicare Silverium ferro, aut alia ſanguinaria hominis arte necatum: inſuperque Liberatum ſcribere, Silverium inedia defeciſſe, quod ab aliis acceperat; Sed Procopium ſcripſiſſe, quæ ipſemet viderat. Quoad annum mortis Silverii, Baronius credit eſſe annum 540; Annotator verò Baronii annum 538: Sed cùm, tàm Anaſtaſius, quàm Catalogi Pontificatum Silverii in ejus depoſitione abſolvant, quocumque ex illis annis obierit, Chronologiæ Pontificiæ nihil officit. Licèt uſque ad mortem ſemper legitimus perſeveraverit Pontifex, Anaſtaſius tamen ſedis ejus durationem ad *annum unum*, *menſes quinque*, & *dies undecim* coarctat, ex quo ſequitur verum eſſe quod ſuperius diximus, eum ſcilicet depoſitum die decima octava menſis Novembris anni quingenteſimi trigeſimi ſeptimi.

VII. Epiſtola ab eo contra Vigilium ſcripta ſpuria.

Extat Tomo V Concil. Epiſtola Silverii Papæ ad Vigilium, qua ei exprobrat ambitionem Sedis Apoſtolicæ & ſimoniæ crimen admiſſum, eumque ſententia anathematis condemnat; cui ſubſcribunt quatuor Epiſcopi, nempe Terracinenſis, Fundanus, Firmanus, & Minturnenſis, quos Baronius ſupponit iu Inſula Palmaria cum Silverio Papa Concilium celebraſſe, & in Vigilium anathematis ſententiam tuliſſe. Verùm illa Epiſtola, cujus initium: *Multis te tranſgreſſionibus irretitum*, &c. ſuppoſititia eſt, ut oſtendunt ſtyli barbaries, falſa nota Conſularis, & emendicatæ ex Epiſtola Felicis II ad Acacium ſententiæ. Præterea nullo Hiſtoricorum teſtimonio confirmantur, quæ de Vigilio narrat Silverius, ſcilicet *cruentis ſanguine manibus* Leviticum munus affectaſſe: *Deceſſoribus ſuis* ſubrepſiſſe, & Senatûs juſtitiâ repreſſum fuiſſe. Tertiò denique incredibile eſt Silverium, quem ſtatim à dejectione ſua ſub inimicorum cuſtodia detentum, ac in exilium deportatum Liberatus teſtatur, indicto Epiſcoporum Conventu anathematis ſententiam in Sedis ſuæ pervaſorem pronuntiaſſe. Neque enim id contingere potuit eo tempore, quo Pataram, patriâ pulſus, ſede privatus Pontifex incolabat, cùm huic anathematis decreto non Aſiani, ſed Itali ſubſcribant Epiſcopi. Poſt reditum Silverii, excommunicatum Vigilium nemo dixerit; ſtatim enim Silverius Vigilio æmulo ſuo traditus eſt, & in Palmariam, vel Pontiam Inſulam deportatus, ubi veriſimile non eſt, cuſtodum vigiles oculos fallere, Synodos indicere, canonicas ſanctiones condere, anathematiſmos in adverſarios torquere potuiſſe.

VIII. Amatoris ad Silverium & hujus ad Amatorem Epiſtola confictæ.

Suppoſititia pariter eſt Amatoris Epiſcopi Auguſtodunenſis ad Silverium Epiſtola, quam pſeudo-Iſidori fœtum eſſe probant phraſis ſoleciſmis & barbariſmis fœda, verba Ennodii, Silverii calamitatum Hiſtoria, qui ſtatim atque Pataram, exilii ſui locum deportatus eſt, ab Imperatore, Patareni Epiſcopi precibus exorato, Romam revocatus fuit. Itaque Pataræ Amatoris munera non recepit; qui, tam exiguo temporis intervallo, vix de Pontificis calamitate certior fieri potuit. Romam verò redux, traditus eſt Vigilio, & in Palmariam Inſulam adductus. Ibi igitur Amatoris Epiſcopi eleemoſinis ſuſtentatum Silverium veriſimile non eſt. Denique per hæc tempora, non Amator, ſed Agrippinus Auguſtoduni ſedebat, ab anno ſcilicet 525, & anno 538 interfuit Concilio Aurelianenſi III: & Agrippino, non multò poſt, ſucceſſit Nectarius, ut legere eſt apud San-Marthanos. Ex quo ſolo convinceretur etiam falſitatis Epiſtola Silverii ad Amatorem, etiam ſi Conſularis nota mendax, ſtyli barbaries, phraſes, & ſententiæ ex legibus Honorii & Arcadii Imperatorum, ex Leone, & Gregorio Romanis Pontificibus, & Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo excerptæ, ejus falſitatem non probarent.

VIGILIUS *Pontif. LXI.*

Anno Domini DXXXVII.

I. Vigilius ordinatur Antipapa.

Vigilius, natione Romanus, ex patre Joanne, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus, & Agapeti Papæ Conſtantinopoli Apocriſarius, anno quingenteſimo trigeſimo ſexto, poſt Agapeti mortem, Romam reverſus cum literis Theodoræ Auguſtæ, ut in Pontificem Romanum eligeretur, operâ Beliſarii, Sanctum Silverium,

V 2 jam

jam Romæ ordinatum & ſedentem, in exilium à Beliſario mitti curavit anno quingenteſimo trigeſimo ſeptimo; die decima octava Novembris; ipſeque in ejus locum intruſus, ordinatus eſt Antipapa die vigeſima ſecunda ejuſdem menſis, ut in Silverio narravimus. Certè per aliquot dies vacaſſe Sedem poſt Silverii depoſitionem, colligitur ex Procopio lib. 1. de Bello Gothico cap. 25, ubi poſtquam dixit Beliſarium in Græciam Silverium relegaſſe, ſubdit: *Ac Vigilium paulò poſt ad Pontificatum provexit*. Liberatus etiam, Silverii depoſitione narrata, ait: *à ſuis ulterius non eſt viſus. Et altera die Beliſarius, convocatis Preſbyteris, & Diaconibus, & Clericis omnibus, mandavit eis, ut alium ſibi Papam eligerent*. Ex quibus inferre licet, die 19 Novembris anni 537, qui eſt *altera* dies à depoſitione Silverii, Vigilium electum fuiſſe, & ordinationem ejus dilatam in proximam Dominicam, ſcilicet in diem 22 Novembris, ad quem diem reſpexit Procopius, ſcribens *paulò poſt* irrogatum Silverio exilium, Vigilium ad Pontificatum evectum. Unde duo ex Catalogis Tom. I Criticæ Baronianæ præfixis habent ceſſaſſe Sedem *diem I*, reſpicientes ad ejus electionem; & Anaſtaſius reſpiciens ad ordinationem ſcripſerat ceſſaſſe Sedem dies 5, ſed à Librariis addita eſt ſine dubio unitas; ex ipſomet enim Anaſtaſio conſtat Vigilium ordinatum die 22 Novembris, cùm ſcribat eum diem fuiſſe diem Natalis ejus. Ab eo itaque die, uſque ad mortem Silverii, Vigilius fuit Antipapa, de quo vide dicta in Silverio.

II
Scribit ad Profuturum Epiſc. Bracarenſem.

Tres ſuperſunt Vigilii Antipapæ Epiſtolæ, de priori egimus in Silverio; ſecunda in Conciliorum Collectione ſcripta dicitur *ad Eutharium* adverſus Priſcillianiſtas & Arianos; ſed Baluzius Tomo I novæ Collectionis Conciliorum pag. 1468 demonſtrat eam inſcribi debere *Profuturo*, qui hoc tempore Bracarenſis Epiſcopus erat, idque auctoritate plurium codicum Bibliothecæ Colbertinæ, & inſuper ejus, ſub nomine Profuturi, mentio eſt in geſtis Concilii primi Bracarenſis, ubi fertur ſcripta ad interrogationem ejus, & propter prolixitatem geſtis minimè inſerta. Ex hac Epiſtola intelligimus errorem rebaptizantium, olim à Sancto Stephano Papa hujus nominis primo, & poſtea in Concilio Nicæno damnatum, ac à Sancto Auguſtino in Africa impugnatum, ſæculi ſexti initio in Hiſpaniis ab Arianis & Priſcillianiſtis redintegratum fuiſſe. Datam illius Epiſtolæ reſtituit idem Baluzius ex exemplari Colbertino, in quo dicitur, *data Romæ III Kal. Julii Flavio Joanne Viro Clariſſimo Conſule*, cùm in Collectione Conciliorum dicatur *data Kal. Martii Voluſiano & Joanne Viris Clariſſimis Coſſ.* cùm tamen nullus per hæc tempora Voluſianus Conſulatum geſſerit, & Joannes ſolus ſine collega, anno 538, in Oriente Conſul proceſſerit, ut omnes Faſti habent, & habetur in ſequenti Vigilii Epiſtola.

III.
Item ad Cæſarium Arelat. Ep.

Romanum Pontificem Theodebertus Francorum Rex conſuluerat de pœnitentia cuidam viro injungenda, qui nuptias inceſtuoſas in regno ſuo cum uxore fratris ſui contraxerat. Vigilius tunc occupans Sedem Apoſtolicam, ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum ſcripſit Epiſtolam ordine tertiam, quæ tamen deberet eſſe ſecunda, cùm ante priorem data ſit. In ea ait Vigilius, *tale commiſſum non parva cordis afflictione poſſe expiari. Sed quia (ſicut charitatem tuam bene noſſe confidimus) modus pœnitentiæ præſentium potius Sacerdotum inſpectioni committitur, ut juxta compunctionis meritum, veniæ quoque poſſit indulgeri remedium: tuæ hoc potius æſtimationi credimus relinquendum*. Et poſt pauca: *Illud quàm maximè præcavendum, ut ne ipſe qui hoc noſcitur admiſiſſe, ad eoſdem vomitus revertatur: ſed diviſis etiam habitationibus commanentes, ab omni ſuſpicione commiſſi facinoris reddantur immunes. Data pridie Nonas Martias Fl. Joanne V. C. Coſ.* Baronius, & cum eo Conciliorum Collectores exiſtimarunt, Romanum Pontificem conſultum fuiſſe de pœnitentia, quæ ipſi Theodeberto Regi propter inceſtuoſas nuptias eſſet imponenda. Sed licèt Theodebertus Rex cum Deuteria adultera per triennium vixerit, ab illo ſcelere jam reſipuerat, nec unquam lapſus eſt in inceſtum; cumque fratrem non haberet, uxorem fratris accipere non potuit. Quare hæc de Theodeberto intelligi non poſſunt, ſed de quodam Franco, qui cum uxore fratris ſui illicitum conjugium inierat, ut rectè vidit Cointius in Annal. Eccleſiaſt. Francorum anno 538. num. 3. & ſeqq.

IV.
Legitimus Papa declaratur poſt Silverii mortem.

Idem Baronius exiſtimavit Vigilium, poſtquam Silverii mortem ac miracula eam ſecuta accepiſſet, pœnitentia ductum Pontificatui male uſurpato renuntiaſſe, & poſt dies ſex, ut habet Anaſtaſius, libera Cleri electione iterum Pontificem Romanum electum eſſe. Verùm ex dictis conſtat, Anaſtaſium ibi non loqui de vacatione Sedis, quæ poſt Silverii mortem contigerit, ſed de ea, quæ accidit à die decima octava Novembris anni 537, poſtquam Pontificatu depoſitus fuit, ad diem ordinationis Vigilii, quæ quinto poſt die peracta eſt, nempe 22 Novembris. Mortuo poſtea Silverio conſenſit quidem Clerus Vigilii Pontificatui, & ſuffragiis ſuis legitimum Eccleſiæ Paſtorem declaravit, tam Beliſarii potentia coactus, quàm Eccleſiaſticæ pacis & unitatis ſtudio; ſed aliquam abdicationem interveniſſe gratis aſſeritur, & ſine ullo ali-

cujus

Digitized by Google

cujus Auctoris teſtimonio.

V. *Quatuor Synodos generales profitetur, & Anthimum damnat.*

Subitò itaque Vigilius in alterum virum mutatus, Sancto Spiritu, qui Eccleſiam regit, operante, quæ aliàs in Synodi Calchedonenſis fidem ad Theodoram Auguſtam ſacrilegè ſcripſerat, ſolemni fidei profeſſione delevit, ut videre eſt in ejus Epiſtola IV ad Juſtinianum Imperatorem ſcripta, qua quatuor Synodos Oecumenicas, & Sancti Leonis Epiſtolas, aliorumque deceſſorum, ſe recipere, & ſecundùm eas credere profeſſus eſt, confirmavitque Agapeti Papæ in Anthimum è ſede Conſtantinopolitana depoſitum, aliosque Acephalos conſtitutum. Eadem de re ſcripſit Vigilius ad Mennam Epiſcopum Conſtantinopolitanum Epiſtolâ V, qua gratulatur eum, hæreticis damnatis, ſanctas quatuor univerſales Synodos amplecti, & ab hæreſi reſipiſcentes recipi debere ſtatuit, dummodo anathema dicant eis, qui prædictas quatuor Synodos in cauſa fidei non ſequuntur, vel Sancti Leonis Papæ venerabilia conſtituta in omnibus non confitentur. In fine legitur: *Flavius Dominicus vir Clariſſimus, Comes Domeſticorum, Exconſul ac Patricius has ſchedas à beatiſſimo atque Apoſtolico Papa Vigilio in cauſa fidei factas ad Domnum noſtrum Juſtinianum piiſſimum & Chriſtianiſſimum Principem, ſed & ad Mennam virum beatiſſimum Conſtantinopolitanæ Archiepiſcopum civitatis relegens, conferens, conſentienſque ſubſcripſi die XV Kalendas Octobris, Juſtino Viro Clariſſimo Conſule* anno Chriſti 540, quo ideo utraque Epiſtola ad Juſtinianum & ad Mennam ſcripta eſt à Vigilio, qui eas Romæ prædicto Dominico tradidit, ut patet ex Epiſtola ad Mennam.

VI. *Veces ſuas committit Archiep. Primæ Juſtinianæ.*

Juſtinianus Imperator patriæ ſuæ Achridæ, ſive Primæ Juſtinianæ, quæ civitas eſt in Dardania Europæa, etiamnum ampla, ornandæ cupidus, Novellâ 11 ad Catellianum Archiepiſcopum Primæ Juſtinianæ directâ, datâque *Beliſario V. C. Conſule* anno ſcilicet 535, conſtituit, ut Primæ Juſtinianæ Antiſtes, non ſolùm Metropolitanus, ſed etiam & Archiepiſcopus fieret, & ut ſub ejus auctoritate eſſent provinciæ Illyricianæ, quas nominat in Novella 131. Jus autem omne in provincias illas abrogat Epiſcopo Theſſalonicenſi, tam pro celebratione Conciliorum, quàm pro ordinationibus Metropolitanorum, quos ad conſecrationem Archiepiſcopi Primæ Juſtinianæ pertinere impoſterum debere ſancivit, ita ut ipſe à generali provinciarum illarum Synodo ordinaretur. Petiit autem Juſtinianus ab Agapeto Papa, ut novo huic Archiepiſcopo vices Apoſtolicæ Sedis injungeret per illas provincias; ſed Agapetum noluiſſe huic petitioni acquieſcere, patet ex dicta Novella 131 anno 541 data, in qua Juſtinianus indicat Vigilium vices ſuas dicto Archiepiſcopo conceſsiſse, ſic enim loquitur: *Per tempus autem beatiſſimum Primæ Juſtinianæ noſtræ patriæ Archiepiſcopum ſemper ſub ſua juriſdictione Epiſcopos provinciarum Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripenſis, & Prævalis & Dardaniæ, & Myſiæ ſuperioris, atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari, ipſum verò à proprio ordinari Concilio, & in ſubjectis ſibi provinciis locum obtinere eum Sedis Apoſtolicæ Romæ, ſecundùm ea quæ definita ſunt à Sanctiſſimo Papa Vigilio.*

VII. *Archiepiſcopi Primæ Juſtinianæ Pontifici Rom. ſubjecti.*

Novam illam Archiepiſcopi Primæ Juſtinianæ dignitatem acceptam non fuiſſe Illyricianis Epiſcopis, præcipuè verò Theſſalonicenſi, in cujus diminutionem iſta conſtituta fuerant, dubitandum non videtur, inquit Baluzius in ſupplemento lib. 5. de Concordia cap. 29 ex quo hæc excerpta. Manſit tamen novo Archiepiſcopo auctoritas, quam illi lege ſua ex commendatione apud Romanos Pontifices procuraverat Juſtinianus. Diſcimus iſtud ex Epiſtolis Sancti Gregorii Magni LIII & LIX lib. IV Indict. XIII, quæ docent eum unà cum Pallio vices ſuas Joanni Epiſcopo Primæ Juſtinianæ commiſiſſe juxta morem, & *iteratam*, ut ipſe ait, innovationem. Unde rectè ſcribit Marca in lib. de Primat. paragrapho 47 id circa Epiſcopos Sedis illius obſervatum eſſe per illas tempeſtates, ut Romani Pontifices ſingulis Archiepiſcopis, ſtatim ac iſti conſecrati erant, vices Apoſtolicæ Sedis, & Pallium conferrent, ac cauſas, perſonaſque eorum ſubjectas fuiſſe cenſuræ Romanorum Pontificum; quod ibidem ex S. Gregorio M. demonſtrat Marca. Primæ Juſtinianæ auctoritas effecit, ut ei *Patriarchæ* dignitas & appellatio à nonnullis Scriptoribus tributa ſit, uti à Curopalate cap. de Patriarch. deſignat. & Barlaamo in ſuis adversùs Græcos Schiſmaticos Diſputationibus.

VIII. *Vigilius vices ſuas committit Auxanio Epiſc. Arelat.*

Anno quingenteſimo quadrageſimo quinto Auxanius Epiſcopus Arelatenſis, in cujus gratiam Childebertus Francorum Rex ſcripſerat, accepit à Vigilio Papa uſum Pallii, qui inſuper ei vices ſuas delegavit, ut liquet ex Epiſtola VII Vigilii ad eum *data XI Kalendas Junias IV P. C. Baſilii V. C.* & eum Vigilius admonet, ut pro Imperatore Deum oret, pacemque inter ipſum & Childebertum Regem conſervare ſtudeat. Eodem quoque die Vigilius ad Epiſcopos, quos ſub poteſtate Primatus Arelatenſis eſse vellet Epiſtolam IX dedit, ex qua liquet eum duplicis generis Epiſcopos Arelatenſi Primati ſubjicere, eos ſcilicet, qui de regno ſunt Childeberti, & eos, qui ab ipſo ſolent conſecrari, ſive Childeberto, ſive aliis Francorum Regibus Clotario & Theodeberto ſubdantur. Cùm autem Primatum Arelatenſem adeò exactè

deſcri-

Digitized by Google

SÆC. VI. VIGILIUS. deſcribit, palàm oſtendit ei non fuiſſe obnoxios cæteros Galliarum Epiſcopos, quorum diœceſes erant extra regnum Childeberti, & extra provincias, in quas Epiſcopus Arelatenſis, Metropolita primi ordinis, jus Metropolicum exercebat. Inſcripta eſt enim Epiſtola: *Dilectiſſimis fratribus, univerſis Epiſcopis omnium provinciarum per Gallias, qui ſub regno vel poteſtate glorioſiſſimi filii noſtri Childeberti Regis Francorum conſtituti ſunt, ſed & his qui ex antiqua conſuetudine ab Arelatenſi conſecrati ſunt, vel conſecrantur Epiſcopo; Vigilius*. In ea munus Vicarii per partes exponit, declaratque quibus in rebus Epiſcopos ei parere velit.

IX. In judicium cauſæ Prætextati Epiſc. Eodem pariter die Vigilius tertiam Epiſtolam ordine VIII ad eundem Auxanium Arelatenſem ſcripſit, de cognoſcenda cauſa Prætextati Epiſcopi, qui laicum ante convenientem probationem ſacris ordinibus initiarat. Baronius, & Conciliorum Collectores hanc Epistolam recitant, incerti cujus ſedis Epiſcopus fuerit Prætextatus. Verùm Cointius in Annal. Eccleſiaſt. Francorum rectè aſſerit eum fuiſſe Epiſcopum Cabellicum in provincia Viennenſi ſecunda, ſive Arelatenſi; cùm ejus nomine Optatus Abbas Concilio Aurelianenſi V, anno quingenteſimo quadrageſimo nono celebrato, ſubſcripſerit. Mortuo Auxanio, Vigilius anno 546 vices etiam ſuas commiſit & pallii uſum conceſſit Aureliano ejus ſucceſſori, ut conſtat ex Vigilii Epiſtola X ad Aurelianum, *data X Kalendas Septembris quinquies poſt Conſulatum Baſilii Viri Clariſſimi*, quæ omnes tam ad Auxanium, quam ad Epiſcopos Galliæ & ad Aurelianum Epiſtolæ datæ ſunt ex Sicilia, ut ex dicendis conſtabit.

Initium Controverſiæ de Tribus Capitulis, & Concilium Cpolitanum II, Generale quintum.

X. Origenes damnatur. NUnc explicanda eſt controverſia de Tribus Capitulis, quorum occaſione celebrata eſt Quinta Synodus œcumenica, Conſtantinopolitana ſecunda, ex Cardinali Noriſio in Diſſert. de Synodo Quinta cap. 3 & ſeq. Pelagius Vigilii Papæ Apocriſarius Conſtantinopoli, ut Theodori Cæſareæ Cappadocum Epiſcopi, magni Origeniſtarum patroni, qui magna apud Juſtinianum gratia & auctoritate pollebat, potentiam atque exiſtimationem deprimeret, cum Menna Epiſcopo Conſtantinopolitano, Juſtiniano ſuaſit, ut libellos contrà Origenem, ac ſectatores, à Monachis ſibi oblatos, ſuſciperet, & Origenem damnaret: *Annuit*, inquit Liberatus cap. 23 *Imperator facillimè, gaudens ſe de talibus cauſis judicium ferre. Jubente eo dictata eſt in Origenem & in illa capitula anathematis damnatio, quam ſubſcribentes unà cum Menna Archiepiſcopo apud Conſtantinopolim reperti, deinde directa eſt Vigilio Romano, Zoilo Alexandrino, Æphremio Antiocheno & Petro Jeroſolymitano. Quibus eam accipientibus & ſubſcribentibus, Origenes damnatus eſt mortuus, qui vivens fuerat ante damnatus*. Encyclicam itaque Epiſtolam ſcripſit Juſtinianus ad quinque Orbis Patriarchas, in qua Origenis errores de myſterio Trinitatis, de animarum præexiſtentia, de anima Chriſti, aliiſque de rebus refert, ac ſanctorum Patrum teſtimoniis eoſdem impugnat, quorum Summarium continetur in novem canonibus, quos Epiſtolæ ſubjicit, & notis illuſtrat Lupus in Commentario ad Synodum Quintam. Ubi hæc Epiſtola publicata, atque, teſte Liberato laudato, à Vigilio Papa, aliiſque Patriarchis ſubſcripta fuit, gravε Origenianæ Doctrinæ vulnus illatum eſt. Hæc poſt annum 540 & ante annum 544 geſta.

XI. Controverſia de Tribus Capitulis ex ea damnatione orta. Ex damnatione Origenis orta de Tribus Capitulis controverſia, quæ ingentium turbarum & calamitatum origo fuit; Origenis enim defenſione deſperata, ad ultionem animum doloſè verterunt Origeniſtæ. Theodorus Cæſareæ Metropolita, cognomento Arcidas, quem diximus magnum fuiſse Origeniſtarum patronum, Juſtiniano Imperatori ſuaſit, Acephalos compendio ad ſubſcribendam Synodum Calchedonenſem adduci poſse, ſi tria tantùm, quibus hi plurimum offendebantur, corrigeret. Nempe ſi damnaretur Theodorus Epiſcopus Mopſueſtiæ Neſtorii Magiſter, cujus laudes habentur in Epiſtola Ibæ Epiſcopi Edeſſeni in Synodo Calchedonenſi recitata. Deinde ſi prohiberentur libri Theodoreti Epiſcopi Cyrenſis contra XII Capitula Sancti Cyrilli in Epheſina Synodo conſecrata, quos libros Patres Calchedonenſes non condemnarant, contenti dicto contra Neſtorium à Theodoreto præſente anathemate. Tandem ſi rejiciatur memorati Ibæ Epiſtola ad Marim Perſam, in qua laudat Theodorum, ſanctum Cyrillum accuſat, ac Epheſinam Synodum, latæ citra examen præcipitis contra Neſtorium ſententiæ inſimulat. His tribus capitulis proſcriptis, ſubitam Theodorus Cæſareæ Metropolita pollicetur Acephalorum unionem.

XII. Juſtinianus Edictum contra illa Capitula emittit. Ea tamen mente hæc Juſtiniano ſuggerere viſus eſt Theodorus, ut Concilii Calchedonenſis correctio ſtrueretur, quod uſque ad minimum jota Pelagius Romanæ Sedis Apocriſarius cum Occidentali Eccleſia, ſartum tectumque volebat. Theodora Au-

Auguſta, quæ palam Acephalis ſtudebat, id ipſum quod ſuaſerat Antiſtes Cæſareenſis, Juſtiniano inculcat, ſed eo conſilio peſſima mulier facinus moliebatur, ut ubi ſemel Calchedonenſis Concilii correctio in aliquibus fieret, jam univerſim ejuſdem auctoritas collaberetur, ac nullius ponderis evaderet, quod alicubi erraſſe monſtraretur: *Hæc audiens Imperator*, inquit Liberatus in fine ſui Breviarii, *& dolum doloſorum minimè proſpiciens, ſuggeſtionem eorum libenter accepit, & facere promptiſſimè ſpopondit*. Et poſtea: *Annuit his Princeps, & hoc ſe lætus implere promiſit, & relinquens operis ſui ſtudium unum in damnationem Trium Capitulorum condidit librum pro delictis noſtris nobis omnibus notiſſimum*. Hoc eſt primum Edictum à Juſtiniano Imperatore contra Tria Capitula emiſſum, quod non extat, ut mox videbitur.

XIII. *Et quidem anno 544.* Quo anno hoc Edictum contra Tria Capitula à Juſtiniano emiſſum fuerit, non conſtat. Baronius anno 546 vulgatum tradit, ſed invictè refellitur à Cardinali Noriſio laudato, & ab Auctore Criticæ Baronianæ ad eumdem annum, ex eo quod certum ſit ex Facundo Hermianenſi lib. 4. cap. 4. Ephremium Epiſcopum Antiochenum & Petrum Jeroſolymitanum huic ſubſcripſiſſe: & tamen prior obiit anno 545, poſterior verò anno 544; ex quo manifeſtum eſt Edictum emiſſum eſſe vel ſub finem anni 543, vel tardius anno 544. Præterea Vigilius circa finem anni 544 Româ Conſtantinopolim profectus eſt: antequam autem Româ egrederetur, Edictum Juſtiniani jam emiſsum erat, cùm, teſte Facundo laudato, Romani eum ante diſceſſum rogaverint, ne illi acquieſceret; ex quo neceſſariò conſequitur, Edictum anno 544, jam non multum affecto, à Juſtiniano promulgatum eſſe.

XIV. *Illud Edictum ad nos non pervenit.* Idem Baronius Edictum contra Tria Capitula putat eſſe illud, quod extat Tomo quinto Conciliorum pag. 683. cujus initium eſt: *Scientes, quod nihil aliud*, &c. Verùm ex verbis in eo poſitis illud poſt annum 550 emiſsum eſse oſtendit idem Cardinalis Noriſius. De Theodoro enim Mopſueſteno ibidem ſcribit Juſtinianus: *Deleverunt ipſi* (ſcilicet Clerici Mopſueſtiæ) *ex illo à ſacris Eccleſiæ Diptychis ejus nomen, ſicut geſta in eadem civitate apud Concilium Epiſcoporum illius provinciæ confecta oſtendunt*. At hoc Concilium anno 550 celebratum eſt, & recitatur in Synodo Quinta Actione V. Ejus initium ita reſtituit Baluzius in nova Collectione Conciliorum: *Imperii Divini & piiſſimi D. N. FL. Juſtiniani perp. Aug. Imperatoris anno* XXIV (loco XXIII, qui legitur in Collect. Concil. Labbei) *poſt Conſul. Baſilij V. C. anno IX, menſis Junii XVII inſtantis* (ideſt currentis, ut Auctor Criticæ laudatus oſtendit) *XIII Indict. in Mopſueſtia Colonia*, &c. Quare edictum illud, quod contra Tria Capitula à Juſtiniano publicatum Collectores Conciliorum & Baronius producunt, poſt annum 550 concinnatum fuit. Præterea Facundus Hermianenſis loco citato in primo Juſtiniani Edicto hæc inſerta fuiſſe ſcribit: *Si quis dicit hæc nos ad abolendos, aut excludendos Sanctos Patres, qui in Calchedonenſi fuere Concilio, dixiſſe, anathema ſit*. Quæ ſanè verba in Edicto à Collectoribus Conciliorum, & à Baronio laudato non continentur. Primum itaque Juſtiniani Edictum, anno 544 emiſſum, ad nos non pervenit.

XV. *Eccleſiam diviſit.* Stephanus Diaconus, qui Pelagio à Vigilio Romam evocato Apocriſarii munere apud Imperatorem fungebatur, palam Edicto reſtitit, ac Mennam Conſtantinopolitanum Epiſcopum ob datum conſenſum, fractæ fidei reum increpuit, cui & à pluribus Epiſcopis libelli dati ſunt ad Vigilium tranſmittendi, in quibus proteſtabantur: *Quòd à Conſtantinopolitano Epiſcopo coacti ſubſcriberent*. Facundus tamen Hermianenſis lib. 4. cap. 4. ſcribit Mennam Conſtantinopolitanum, Petrum Jeroſolymitanum; & Ephremium Antiochenum Epiſcopos, licèt nolentes & invitos Edicto ſubſcripſiſſe. Pelagius Diaconus, qui tunc Romæ verſabatur, quique Origeniſtarum impugnator erat, adversùs Edictum inſurrexit, ſicuti & Epiſcopi Africani. Diviſa igitur eſt in partes Eccleſia; nam Oriens Edictum recepit; at Occidentales, Illyrici, Itali, Galli, Hiſpani, & ut jam dictum eſt, Africani pro Tribus Capitulis depugnarunt.

XVI. *Vigilius CP. evocatur.* Vigilius itaque ac reliqui Occidentis Epiſcopi Edictum contra Tria Capitula ſubſcribere recuſabant, arbitrati id abſque gravi in Synodum Calchedonenſem injuria perfici nullo modo poſse. Quare cùm per hujuſmodi Eccleſiarum diſsidia annus traheretur, Juſtinianus curavit plena Synodo quæſtionem in Regia urbe diſcuti. Quò tamen Patriarchas facilius eò pertraheret, Acephalorum ſectæ ad Orthodoxam ſocietatem reducendæ ſtudium prætexuit. Vigilius etiam ab Imperatore ad Synodum vocatus fuit, qui tamen non rectà Conſtantinopolim perrexit, ſed in Siciliam ivit, eo conſilio, ut ibidem Synodus cogeretur. Diu in Sicilia permanſit, nam Procopius lib. 3. de Bello Goth. cap. 6. loquens de ejus Conſtantinopolim adventu, ait: *Vigilius Romanus Pontifex Byzantium Imperatoris accitu venit ex Sicilia, ubi jam diù degerat profectionis illius cauſa*. Diutinam Vigilii in Sicilia moram probant etiam Legationes quas ibidem excepit. Africæ quippe & Sardiniæ Epiſcopi eum per Oratores rogarunt,

ne

SÆC. VI. VIGILIUS. ne novis Juſtiniani contra tria Capitula decretis acquieſceret, ut teſtatur Facundus lib. 4. cap. 3.

XVII. Româ diſcedit. Româ egreſsus eſt Vigilius circa finem anni 544, & quidem die 22 Novembris, ut ait Anaſtaſius, qui ſcribit, eum fuiſſe *Natalis ejus diem*; licèt enim ibidem multa fabuloſa de Vigilio habeat, inde tamen non ſequitur eum etiam in die, quo Româ diſceſsit, falſum eſse. Annus eruitur ex Victore Tununenſi, qui ejus profectionem narrat *poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno IV*, qui ſecundùm ejus ſupputandi modum eſt annus 544. Præterea Vigilius ipſe in Epiſtola Encyclica anno 552 Nonis Februarii data, tradit hæc ſe ad Juſtinianum ſuo nomine per nuncium deferenda dixiſſe: *Nos ad Pietatem tuam feſtinantes ante ſeptem annos de civitate noſtra ſic egreſſi ſumus, ut nulla haberemus privata negotia*. Quare cum ſeptem annos numeret, ex quo Româ diſceſserat, confirmat quod ſcribit Victor laudatus, eum Româ diſceſsiſſe anno 544, & quidem exeunte, ut ex Anaſtaſio diximus.

XVIII. Invitus & coactus. Vigilium profectionem illam invitum & coactum ſuſcepiſſe docet idem Victor Tununenſis loco laudato, ubi ſcribit: *Juſtinianus Imperator Acephalorum ſubreptionibus inſtigatus Vigilium Romanum Epiſcopum ſubtiliter compellit, ut in urbem Regiam properaret, & ſub prætextu congregationis eorum, qui ab Eccleſiæ ſunt ſocietate diviſi Tria Capitula condemnaret*. Clerici etiam Italiæ in Epiſtola, quam anno 551 Legatis Francorum Conſtantinopolim proficiſcentibus ſcripſerunt, inquiunt: *Veniens ibi* [ſcilicet Conſtantinopolim] *ante ſex annos iſtos Beatiſſimus Papa Vigilius, magis autem, ut quod verius eſt dicatur, prope violenter deductus*. Ex quo etiam confirmatur Vigilium anno 544 Româ exiiſſe. Hæc tamen non favent Anaſtaſio ſcribenti Vigilium captum eſſe Romæ juſſu Theodoræ Auguſtæ ab Anthemio Scribone, & navi impoſitum per vim Conſtantinopolim deductum, quæ & plura alia ab eodem Anaſtaſio narrata ſunt merè fabuloſa, ut obſervavit Baronius. Certè Juſtinianus, qui Vigilium in ſuam ſententiam pertrahere volebat, eum indignè haberi mandare non potuerat. Unde Victor Tununenſis ait tantùm eum *ſubtiliter* compulſum, & Clerici Italiæ *prope violenter* deductum eſse.

XIX. In Sicilia moras trahit. Dum Vigilius in Sicilia moras traheret, ad eum Conſtantinopoli venit Datius Mediolanenſis Metropolita (ibi enim morabatur vel fuga lapſus ad evadendas cruentas Gothorum manus, ut ait Baronius, vel cauſa fidei ibidem exactus, ut ſcribit Sanctus Gregorius Papa lib. 3. Dialog. cap. 4.) à quo intellexit Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum, latam à Juſtiniano contra Tria Capitula ſententiam ſubſcripſiſſe, indeque non modò Stephanum Vigilii ad Juſtinianum Apocriſarium, ſed pleroſque etiam Epiſcopos ac laicos ab ejus communione ſe ſegregaſſe: unde Vigilius in literis ad Mennam, quas Facundus in libro contra Mocianum laudat, ſcribit: *In Sicilienſi inſula conſtituti, fratre & Coepiſcopo noſtro Datio referente didicimus, quòd ipſe & alii Conſacerdotes noſtri, & multi filii Eccleſiæ Chriſtianæ à tua ſe nihilominus communione ſubtraxerint*. Quare Facundus loquens de profectione Vigilii ex Sicilia, ait Vigilium per literas Mennam increpaſſe, quòd Edicto Juſtiniani ſubſcripſiſſet. Quomodo poſtea cum eo ſe geſſerit Conſtantinopoli infra dicetur.

XX. Romanis obſeſſis frumentum mittit. Interea cùm anno 546 Vigilius accepiſſet Romam à Totila Gothorum Rege obſeſſam penuria laborare, plurimas onerarias naves frumento repletas Romanis in ſubſidium ſubmiſit, quas ubi hoſtium excubiæ Romanum portum plenis velis venientes animadvertiſſent, rem ſuis ſignificarunt, qui diſpoſitis inſidiis univerſas portum citra ullam ſuſpicionem ſubeuntes intercepere. Captus eſt inter alios Valentinus Epiſcopus Silvæ Candidæ, qui cùm Romanorum conſilia, quòd ea fortè neſciebat, prodere recuſaret, à vero aliena exponere eumdem Totilas ſuſpicatus, utraque manu obtruncata dimiſit. Hæc conſtant ex Procopio lib. 3 de Bell. Goth. cap. 15.

XXI. E Sicilia Cpolim petit. Tandiu in Sicilia remanſit Vigilius, non ſolùm ut Synodum in ea Inſula fieri poſſe impetraret, quo ex Oriente, Occidente, atque Africa Epiſcopi facili navigatione ſe conferrent; verùm etiam ne Romam à Gothis obſeſſam periculoſis temporibus deſerere videretur. Sed tandem anno 546 jam, ut videtur, multùm provecto, factâ in Peloponeſo exſcenſione terreſtri itinere Conſtantinopolim perrexit; nam per Helladem & Illyricum eumdem iter hubuiſſe tradit Facundus lib. 4 cap. 3. Theſſalonicæ obviam habuit Sebaſtianum Diaconum Apoſtolicę Sedis in Dalmatia Quæſtorem, quem in provinciam Vigilius redire juſſit mandans, ne Conſtantinopolim accederet, niſi poſt exactas Prævalis penſiones. Ingreſſus eſt autem Conſtantinopolim Vigilius die 25 Januarii anni 547, ut habet Continuator Marcellini ad eum Chriſti annum.

XXII. Mennam CP. Epiſ. à communione ſuſpendit. Vigilius ſummo honore à Juſtiniano Imperatore exceptus eſt, ut teſtatur Theophanes in Chronico, ubi addit: *Tantis bonorum & cultûs indiciis ab Imperatore decoratus, adeò animatus eſt, ut à communione exclusionem menſes quatuor ſuſtinendam Mennæ Conſtantinopolitano Epiſcopo in pœnam imponeret*. Sed Theodora Imperatrix Mennam Vi-

Vigilio conciliavit, ſubdit enim Theophanes: *Vigilius pariter à Theodora Auguſta rogatus, Junii die vigeſimonono, qui Sanctis Apoſtolis ſacer, Patriarchæ Conſtantinopolitano Mennæ pacem reſtituit*. Quare cùm Mennas finem menſis Februarii à Vigilio Papa excluſus fuerat. Id autem accidiſse anno 547 demonſtrat idem Theophanes ſcribens: *Eodem anno die XI Maii ſanctæ Pentecoſtes ſabbato cùm ludi Circenſes celebrarentur*, &c. Quo Paſchali charactere deſignatur annus 547, Paſcha enim eo anno die 24 Martii celebratum eſt. Decretum etiam contra Acephalos promulgavit Vigilius, quamvis ipſis faveret Theodora Auguſta, ut teſtatur S. Gregorius M. lib. 2. Epiſt. 36 ad Epiſcopos Hyberniæ.

XXIII. *Concilium Cpoli cogit.*

Interim tamen Vigilius experiebatur, quàm prudenter deceſsores Pontifices Græcorum Synodis non interfuiſſent. Talis enim ac tanta eidem violentia inferebatur, ut in publico Conventu ſemel in haſce querelas feratur erupiſſe: *Conteſtor, quia etſi me captivum tenetis, beatum Petrum Apoſtolum captivum facere non poteſtis*. Horum teſtis venit Italiæ Clerus in Epiſtola, ſeu libello ſupplici dato Legatis Chidelberti Francorum Regis Conſtantinopolim proficiſcentibus, quo enixè rogabantur, ut Vigilii Papæ cauſam ſuſciperent. Hoc unum, ut ſuperiùs diximus, petebat Vigilius, ut in Sicilia, vel alio quopiam loco Occidenti proximiori Oecumenica Synodus haberetur, ad quam Latini commodè commeare poſſent. Sed ex Juſtiniani decreto res in urbe Regia ventilanda erat. Quare urgente Synodum Imperatore, Vigilius Conſtantinopoli Concilium quorumdam Epiſcoporum anno quingenteſimo quadrageſimo octavo coegit. *Adfuere*, inquit Facundus in libro contra Mocianũ, *ſeptuaginta circiter Epiſcopi cum Romano Antiſtite congregati*. Sed cùm ſecus quàm ſperabat Vigilius, rem ſuccedere animadverteret, eodem Facundo & quibuſdam aliis Afris Tria Capitula vehementius propugnantibus, Acta Synodi interrumpeps ſtatuit per ſemetipſum ſententiam proferre.

XXIV. *Judicatum emittit.*

Diuturnioris itaque in Urbe Regia moræ impatiens, ac Juſtiniani violentiis fractus *Judicatum* ad Mennam Conſtantinopolitanum Patriarcham ſcripſit, in quo propugnata huc uſque Tria Capitula, mutata derepente ſententiâ damnavit, adjecta tamen clauſulâ: *Salva in omnibus reverentia Synodi Calchedonenſis*. Ipſe Vigilius in literis contra Theodorum Cæſareæ Metropolitam rem ita narrat: *Pro ſcandalo refrænando condeſcendentes quorumdam animis, quos aliqua diſpenſatione credidimus temperandos, quia tu jam eos pluribus annis inquietiſſimus ſtimulator accenderas, quædam pro tempore medicinaliter exiſtimavimus ordinanda, tali ſcilicet conditione, ut omni imposterum perturbatione ſopita, nihil ultra nec verbo, nec literis quiſquam facere ex eadem cauſa præſumeret*. Jam enim Vigilius videre cæperat, quòd Græci rectè monebant, tria Capitula ad Synodum Calchedonenſem non ſpectare, quæ jam finita erat, antequam illa nominarentur, & de quibus Leo Magnus minimè ſententiam tulerat, quippe qui Acta Synodi uſque ad definitionem fidei ſolummodo approbarat. Judicatum porrò tradidit Vigilius Mennæ ſabbato Sancto, ſeu die XI Aprilis, ut ipſemet aſserit in Epiſtola ad Ruſticum & Sebaſtianum Romanæ Eccleſiæ Diaconos.

XXV. *Occidentales contra illud inſurgunt.*

Utrique parti ſe feciſſe ſatis Vigilius putavit; Græcis, quòd Tria Capitula condemnaſſet; Latinis, quòd ſalva Synodo Calchedonenſi id ſe feciſse conteſtaretur. Præſto erant Vigilio inter alios Ruſticus & Sebaſtianus doctiſsimi Romanæ Eccleſiæ Diaconi, qui uterque Judicatum ſummis laudibus extulit. At Facundus Epiſcopus Hermianenſis, qui etiam Conſtantinopoli aderat, Vigilium mendacii, proditionis, colluſionis cum Acephalis, ambitionis, venalitatis arguit, ut videre eſt in libro præſertim contra Mocianum. Africani non modò Judicatum non approbarunt, ſed eidem conſentientes Eccleſiaſtica communione privarunt. Idem ab Illyricis Epiſcopis factum. Fremebat univerſus occidens, palamque Juſtiniani juſſis non modò Epiſcopi, ſed integræ plebes refragabantur; unde Imperator ex Vigilii Judicato lites in immenſum auctas intelligebat, quas tamen eo ſcripto componendas ſperaverat. Quamobrem famæ ſuæ conſulens Vigilius, datis ad nobiles Epiſcopos literis, ſcilicet ad Valentinianum Tomitanum in Ponto Metropolitam & ad Aurelianum Arelatenſem anni 550 initio, docuit in Judicato ſuo ſe nihil contra Chalchedonenſis Synodi reverentiam admiſiſſe. Utraque Epiſtola inſerta eſt Actis Quintæ Synodi Collatione VII.

XXVI. *Ruſticus & Sebaſtianus Diaconi à Vigilio excommunicantur.*

Anno quingenteſimo quadrageſimo nono Ruſticus & Sebaſtianus Diaconi Eccleſiæ Romanæ, magni illi, ut numero ſuperiori diximus, Judicati præcones ac laudatores, Felicis Monachi Africani, Gillitani monaſterii Hegumeni perſuaſionibus victi, à priori ſententia diſceſſere, ac perfricta fronte à Vigilii communione ſegregati, hoſtium numerum auxere, ac literas quaqua verſùm diſſeminarunt, quibus ſignificabant Vigilium *aliquid ſcripſiſſe, quod reperiatur adverſum definitioni Sanctæ Calchedonenſis Synodi*, teſte ipſomet Vigilio in ſententia adverſùs eos lata anno 550, poſt diem 18 menſis Martii, ut oſtendit auctor Criticæ Baronii eo anno num. 4. Vigilius enim juſta contrà eoſdem indignatione con-

Digitized by Google

cepta, ubi ad meliorem frugem eos reverti nolle cognovit, utrumque anathemate perculſum dignitate ac gradu ſubmovit. Sententia in eoſdem à Vigilio lata inſerta eſt Actis Synodi Quintæ Collat. VII. Ruſticus erat Vigilii Papæ nepos, & Baluzius Tomo I novæ Collectionis Conciliorum in Præfatione ad Acta Synodi Calchedonenſis nu. 25, & pag. 1228 oſtendit hunc Ruſticum unum eumdemque cum illo fuiſſe, qui priorem verſionem latinam Concilii Calchedonenſis cum codicibus antiquis contulit.

XXVII. *Illyrici Epiſcopi pro Tribus Capitulis Synodum celebrant.*

Eodem anno quingenteſimo quadrageſimo nono Epiſcopi Illyrici, ubi primùm Judicatum Vigilii ad eos pervenit, Synodum indixere, & communi conſilio Trium Capitulorum defenſionem ſuſcepere, teſte Victore Tununenſi ad eumdem annum ſcribente: *Illyriciana Synodus in defenſione Trium Capitum Juſtiniani Auguſti ſcribit, & Benenatum Primæ Juſtinianæ Civitatis Epiſcopum obtrectatorem eorumdem Trium Capitum condemnat.* Mirum non eſt, inquit Cardinalis Noriſius in eadem Diſſert. de Synodo Quinta cap. 4 Benenatum ſolum ex Illyrici Metropolitis contra Tria Capitula ſenſiſſe, erat enim Epiſcopus, novæ Juſtinianæ à Juſtiniano Imperatore præfectus.

XXVIII. *Africani Vigilium excommunicant.*

Anno quingenteſimo quinquageſimo Africani Antiſtites, Reparato Carthaginenſi Epiſcopo Duce, grande facinus auſi, non modò Judicatum rejecerunt, verùm etiam Vigilium ipſum anathemati ſubjecerunt, teſte Victore Tununenſi in Chronico, qui fuſiùs, quàm cæteri, geſta in cauſa de Tribus Capitulis ſuis faſtis inſeruit: *Poſt Conſulatum Baſilii*, inquit, *anno* X, ideoque anno 550, *Africani Antiſtites Vigilium Romanum Epiſcopum damnatorem Trium Capitulorum Sinodaliter à Catholica communione, reſervato ei pœnitentiæ loco, recludunt, & pro defenſione Trium memoratorum Capitulorum literas ſatis idoneas Juſtiniano Principi per Olympium Magiſtrianum mittunt.* Ex quo patet Africanos Epiſcopos eo uſque temeritatis erupiſſe, ut ipſum Pontificem Romanum palam anathemate percellerent. Sed & eoſdem pari pœna Vigilius mulctaverat, nam Judicati detractores ipſo facto anathemati ſubjiciebantur, quod ex his quæ in ſententia ejuſdem Vigilii contra Ruſticum & Sebaſtianum leguntur, intelligitur: *Quos pro hoc*, ait Vigilius, *quod contra Judicatum noſtrum ſcripſerant, per ejuſdem Judicati ſeriem conſtabat jam à nobis communione ſuſpenſos.*

XXIX. *Juſtinianus reſcribit contrà Illyricos & Africanos.*

Juſtinianus Imperator acceptis Actis Synodalibus Epiſcoporum Illyricorum, quibus anno quingenteſimo quadrageſimo nono Tria Capitula defenderant, Actiſque Concilii in Africa eamdem in rem anno quingenteſimo quinquageſimo coacti, contra Illyricos & Africanos reſcripſit, ut docet Iſidorus in libro de Viris Illuſtribus cap. 12. *Juſtinianus*, inquit, *Imperator condidit quoque & reſcriptum contra Illyricianam Synodum, & adverſus Africanos Epiſcopos, in quo Tria Capitula damnare contendit.*

XXX. *Vigilius ſibi Judicatum reſtitui curat.*

Vigilius nulla re in dies magis angebatur, quàm quod Judicatum emiſerat, cujus ſcripti non ſemel eumdem pœnituit; videbat enim Occidentales ob id, omni erga Apoſtolicam Sedem reverentia depoſita, rebellaſſe. Quare prudenti conſilio cum Juſtiniano egit, ut à Menna ſibi Judicatum illud reſtitueretur, unde poſtea in Synodo plenaria, velut ex integro eadem cauſa tractaretur, nullaque fieri poſſet ex priori illo decreto Patribus in dicenda ſententia præſcriptio. Judicatum itaque ſuum ex Mennæ manibus recepiſſe Vigilium, omnemque deinceps uſque ad Concilium de Tribus Capitulis quæſtionem ſub anathematis pœna interdixiſſe, teſtatur Clerus Italiæ in libello Francorum Legatis tradito, ipſeque Vigilius in ſententia contra Theodorum lata. Illius Judicati nec unicum exemplum apud Mennam remanſiſse, eo argumento probat Cardinalis Noriſius laudatus cap. 4, quod cum poſtea Collatione VII Quintæ Synodi ex ſcriptis Vigilii Tria Capitula ab Apoſtolica Sede damnata eſse demonſtrare Græci Patres conarentur, ac ſententiam contra Diaconos Romanos Ruſticum & Sebaſtianum, itemque Epiſtolas ad Valentinianum Tomitanum, & Aurelianum Arelatenſem Epiſcopos ad verbum recitarant, Judicatum minimè protulerunt. Ita Cardinalis Noriſius.

XXXI. *Quare illud in Collatione VII Synodi Quintæ non lectum.*

Verùm poſt editam illam de Synodo Quinta diſſertationem, Baluzius in nova Collectione Conciliorum Acta vulgata Concilii Quinti cum MSS. Bellovacenſi & Pariſienſi diligenter contulit, multas varias lectiones ex his notavit, & prætereà varia fragmenta publicavit, quæ ſunt magni momenti, inter ea inſigne fragmentum ex Judicato Vigilii quod ad nos non pervenit, ſupplevitque ſacram Divalem Juſtiniani, quæ mutilata in omnibus Conciliorum editionibus legitur. In hac Epiſtola, ſeu Epiſtolæ fragmento ait Juſtinianus, Vigilium in ſuo Judicato Tria Capitula anathematizaſse his verbis: *Et quoniam his quæ nobis de nomine Theodori Mopſueſteni ſcripta porrecta ſunt, multa contraria rectæ fidei releguntur, nos monita Pauli ſequentes Apoſtoli dicentis*, Omnia probate, quod bonum eſt retinete, *ideoque anathematizamus Theodorum, qui fuit Mopſueſtiæ Epiſcopus cum omnibus ſuis Scriptis, & qui vindicant eum. Anathematizamus & impiam Epiſtolam, quæ ad Marin Perſam ſcripta eſſe ab Iba dicitur, tanquam contrariam rectæ Chriſtianorum fidei, & omnes qui eam vindicant, vel*

rectam

Digitized by Google

rectam eſſe dicunt. Anathematizamus & Scripta Theodoreti, quæ contra rectam fidem, & duodecim Capitula Sancti Cyrilli ſcripta ſunt. „Et hæc quidem in ea, quæ dicitur Judicatum, inſerta ſunt, inquit Juſtinianus in dicta Epiſtola. Ex quibus patet Juſtinianum & conſequenter Mennam Patriarcham apud ſe retinuiſſe exemplum Judicati Vigiliani. Ideo autem lectum non fuit Collatione VII, quia Vigilius die decima quarta Maii, duodecim diebus ante eam Collationem, quæ habita eſt die 26 ejuſdem menſis, Conſtitutum ſuum ediderat, quo Tria Capitula defendebat, ideoque Judicatum ab eo revocatum cenſebatur.

XXXII. Mopſueſtia Synodus celebratur.

Cum accepiſset Juſtinianus nomen Theodori è ſacris Diptychis Eccleſiæ Mopſueſtenæ, cujus olim Epiſcopus fuerat, eraſum eſſe, ad Joannem Metropolitam Juſtinopolitanum in Cilicia minori, & ad Coſmum Epiſcopum Mopſueſtiæ literas dedit die 17 Junii anni 550, ut collecta provinciæ Synodo inveſtigaretur, quandonam id factum eſſet. Adfuere cum Joanne Metropolita octo alii Epiſcopi, ſeniores Clerici, & Nobiles civitatis. Prolata ſunt Mopſueſtenæ Eccleſię Diptycha, in quibus Antiſtitum illius ſedis nomina ita inſcripta legebantur: *Pro requieſcentibus Epiſcopis Protogene, Zoſimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Baſſiano, Auxentio, Palatino, Jacobo, Zoſimo, Theodoro, Simone*, qui duo ultimi paulo ante defuncti erant. Recitato hoc Diptycho Stephanus Presbyter annos ſeptuaginta uno minus natus dixit: *Nullatenus ſcio, vel audivi Theodorum, qui olim in noſtra Civitate fuit Epiſcopus, nominatum in ſacris Diptychis. Cognovi autem ex quo huic connumeror Clero, quòd illo adempto ex ipſis aliquando Cyrillus Alexandrinæ civitatis Epiſcopus in illius loco inſertus eſt ſacris Diptichis requieſcentium Epiſcoporum, qui uſque nunc pro ipſo prædicatur.* Idem cæteri tum Clerici, tum Nobiles cives conteſtati ſunt. Itaque Theodorus inter Olympium & Thomam in ſacris olim libris legebatur, ex quibus poſtea expunctus fuit. Hæc expunctio declarabat Theodorum mortuum fuiſſe in communione Eccleſiæ, poſt mortem verò errorum accuſatum, atque convictum communione privatum fuiſſe. Synodus itaque Mopſueſtena hanc ſententiam de Theodoro pronunciavit, cauſâ ejuſdem diligenter diſcuſſa: *Nunc veritatis revelata eſt ratio, & valde evidenter declarata eſt, Theodorum veterem in antiquis temporibus extra prædicationem divini myſterii fuiſſe, & Sacris Diptychis ejectum eſſe, & in illius vocabulum inſcriptum eſſe Cyrillum Sanctæ memoriæ.* Patres hoc ipſum ſtatim Juſtiniano Imperatori per literas ſignificarunt, cujus etiam rei Vigilium certiorem reddidere, ut juſſerat Imperator. Extat Epiſtola ad Vigilium collat. V. Synodi Quintæ.

XXXIII. Vigilius Theodorum Cappadocem increpat.

Succeſſit annus quingenteſimus quinquageſimus primus Vigilio infauſtus ob Juſtiniani furorem, & in Apoſtolicam Sedem injurias. Theodorus Cæſareæ Metropolita induciarum impatiens, fidemque ſervare neſcius, contra Tria Capitula librum publicè coram pleriſque Epiſcopis in Palatio legendum curaverat. Quod ubi Vigilius accepit, hominis petulantiam execratus, graviori quidem pœna eumdem afficere decreverat, ſed quòd ille Juſtiniano cariſſimus erat, mitius conſilium iniens eumdem accerſitum, patrati facinoris reprehendit. Ille ut erat prono ad fingendum animo facti veniam ſupplex petiit, impetravitque, quod poſtea ei exprobravit Vigilius in Sententia contra eum lata. At ingens Pontificis ad parcendum facilitas, ad graviora facinora tentanda eum promptiorem reddidit, ut ex ſequentibas apparebit.

XXXIV. Epiſcopi Afri malè habentur.

Advenere hoc eodem anno quingenteſimo quinquageſimo primo Conſtantinopolim evocati Africani Epiſcopi Reparatus & Firmus, ille Proconſularis, hic Numidarum Primas, Primaſius Adrumetinus, ac Verecundus Nicenſis, pro Trium Capitulorum defenſione obſtinatiſsimi. In reparatum totius Africæ Primatem vehementior impreſsio facta eſt; at ille nec gratia, nec minis inflexus eſt, ſed Tria Capitula conſtanter propugnavit. Quare indignatus Imperator eum in exilium miſit, in quo vixit uſque ad annum 563. Nunquam tamen Synodum Quintam recipere voluit, quam Romani Pontifices ſubſcripſerant, ſchiſmate mortuus eſt. Firmus Numidarum *Primas donis Principis corruptus*, ut habet Victor Tununenſis, *damnationi eorumdem Capitulorum aſſenſum præbuit*. Primaſius diù contra Juſtinianum ſtetit, ſubſcripſit enim hoc eodem anno decretum contra Theodorum, & anno 553 Vigilii Conſtitutum. Verùm à Juſtiniano relegatus, audita morte Boëthii Primatis Byzaceni, ut ei ſuccederet, Capitulorum damnationi nomen dedit, & in Africam reverſus, cùm rapinis & violentiis Eccleſiæ ſtatum turbaret, à provinciæ Synodo depoſitus eſt, ut ſcribit Victor Tununenſis ad annum poſt Conſulatum Baſilii XII. Verecundus Nicenſis, cùm Juſtiniani furori ſe ſubduxiſſet, Calchedonem fugiens, ibidem mortuus eſt, ut infra dicetur.

XXXV. Juſtinianus ſecundum contra Tria Capitula Edictum publicat.

Juſſerat Juſtinianus nobiliores ſingularum provinciarum Epiſcopos Conſtantinopolim accedere. Sed cùm Africani Tria Capitula defenderent, & Illyrici venire noluiſſent, ac inſuper videret ex Occidente paucos ad Synodum accedere, neque Vigilium ſine Occidentalibus Epiſcopis quid-

Digitized by Google

quam decernere velle, incentore Theodoro Cæſareæ Epiſcopo, eodem anno 551, Edictum contra Tria Capitula publicavit, atque palàm in Eccleſia Regiæ urbis, & alibi ſuſpendi juſſit. *Conſtantinopoli verò*, inquit Clerus Italiæ in ſuo libello, *cæperùnt iterum Beatiſſimum Papam Vigilium compellere, ut ſi Afri, atque Illyriciani, vel Dalmatæ Epiſcopi nollent, ipſe cum Græcis Epiſcopis ea Capitula condemnaret. Sed Beatiſſimo Papa Vigilio nullatenus acquieſcente Edicta ex nomine Imperiali, tam in Eccleſia Conſtantinopolitana, quàm in diverſis locis ſuſpendi fecerunt, per quæ eadem Capitula damnarentur.* Iſtud ſecundum Juſtiniani Edictum contra Tria Capitula à priori, anno 544 emiſſo, diverſum eſſe, jam ſupra probatum eſt. Iſtud autem circa diem 14 Julii anni 551 appenſum eſſe oſtendit Card. Noriſius laudatus cap. V.

XXXVI. Quid continet illud Edictum.

In hoc Edicto Juſtinianus Eccleſiæ dogmata contra Arium, Neſtorium atque Eutychetem ſtatuit, recipit quatuor Synodos Oecumenicas, poſtea novem Canones ſtatuit contra Neſtorianos, atque Eutychianos, qui ad verbum omnes ferè approbati ſunt à Synodo Quinta. Poſtea hunc Canonem ponit: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Neſtorium, & Eutychem, & omnes qui ſimilia eis ſapuerunt, vel ſapiunt, talis anathema ſit.* Quo in canone cùm Origenis nomen non legatur, optimè colligit Baronius Edicti auctorem fuiſſe Theodorum Cappadocem Origeniſtarum ducem. Cumque in eodem quoque Acephalorum hæreſis pluribus proſcribatur, Cardinalis Noriſius rectè deducit eumdem Theodorum non fuiſſe Acephalum, in qua ſecta eum fuiſſe tradit Liberatus in Breviario c. 24. Poſtea Juſtinianus tranſit ad Tria Capitula, quibus ſub pœna anathematis damnatis, diffuſam diſputationē init contra Trium Capitulorum defenſores, oſtenditque hæreticos, vel ſchiſmaticos, licèt defunctos poſſe damnari.

XXXVII. Acephali hæretici qui.

Porrò Acephalos dictos fuiſſe illos hæreticos qui neque Sanctum Cyrillum Alexandrinum, neque Joannem Antiochenum aut Orientales Epiſcopos ſequebantur, auctor eſt Liberatus in Breviario cap. *9*, ubi loquens de defenſione Orientalium Epiſcoporum pro duabus naturis Chriſti à Cyrillo compoſita, ait: *Quam quicumque tunc minimè receperunt, hos eſſe puto auctores Acephalorum, qui neque Cyrillum habent caput, neque, quem ſequantur, oſtendunt.* Leontius tamen lib. de Sectis nonniſi poſt Concilium Calchedonenſe Acephalos hæreticos nominare cæpiſſe ſcribit. Sed inter utrumque Auctorem concordiam iniri poſſe vult Garnerius in Hiſtoria Theodoreti cap. *6*, apud quem legi poteſt.

Sed ut ad Tria Capitula redeam, ubi Vigilius Edicta Principis contra Tria Capitula publicè affixa intellexit, in Placidianam domum, tum Latinos, tum Græcos Epiſcopos venire juſſos hiſce admonuit: *Quicumque Edictis iſtis conſenſum præbere voluerit, ſciat ſe ab Apoſtolicæ Sedis communione ſuſpenſum.* Ita Clerus Italiæ. Ipſemet Vigilius in Epiſtola Encyclica, quam anno 552 ſcripſit, teſtatur ſe hoc eodem anno 551, coram diverſis provinciarum Epiſcopis, ac Conſtantinopolitano Clero in Placidiana domo publicè protuliſſe hæc verba: *Rogate piiſſimum Principem, ut Edicta ſua, quæ præcepit appendi, removere dignetur, & Conſtitutum commune expectare, ideſt ut ſcandalizati Epiſcopi Latinæ linguæ, ad Synodum veniant, aut certè remota omni violentia ſuas ſcripto declarent ſententias. Quod ſi forte preces noſtras audire noluerit, vos nulli rei præbeatis aſſenſum, quæ ad diviſionem tendit, nec contra conſtitutum comminatione aliqua veniatis. Quod ſi hoc forſitan, quod non credimus, feceritis, noveritis ex præſenti die ut prævaricatores Apoſtoli Petri per miniſterium vocis meæ haberi ſuſpenſos.*

XXXVIII. Vigilius Juſtiniani Edictum improbat.

Poſt verba mox laudata Clerus Italiæ addit: *Sed & Sanctus Datius Mediolanenſis Epiſcopus conteſtationem omnibus ſub magna vociferatione depoſuit, dicens*: „ Ecce „ ego & pars omnium Sacerdotum, inter „ quos Eccleſia mea conſtituta eſt, ideſt, „ Galliæ, Burgundiæ, Spaniæ, Liguriæ, „ Æmiliæ, atque Venetiæ conteſtor, quia „ quicumque in Edicta iſta conſenſerit, ſupraſcriptarum provinciarum Pontifices „ communicatores habere non poterit. Quia „ conſtat apud me Edicta illa Sanctam Synodum Calchedonenſem & fidem Catho„ licam perturbare. Datium nihilominùs Mediolanenſem damnationi Trium Capitulorum ante mortem, quæ anno 552 contigit, ſubſcripſiſſe tradit Victor Tununenſis in Chronico, quod tamen valde dubium eſſe oſtendit Annotator Baronii. Zoilus Epiſcopus Alexandrinus, qui Edicto conſenſum dare noluit, depoſitus eſt, & in ejus locum Apollinarius ſubſtitutus, & quidem ante menſem Septembrem ejuſdem anni 551, ut in eadem Critica Baronii legere eſt.

XXXIX. Idem faciunt Datius Mediol. & Zoilus Alex.

At Theodorus Cappadox auctor Edicti, Græcorum catervam ſecum trahens, ad Eccleſiam, in qua ſuſpenſa erant Edicta, ſe contulit, ac ſacroſancta myſteria celebravit. Juſtinianus indignatus, Vigilium non ſolùm Edictis Imperatoris adverſari, verùm etiam & eidem obtemperantes, ab illo Eccleſiaſtica communione privari, eum cuſtodiæ tradi juſſit, qui ſibi timens, unà cum Datio Mediolanenſi Epiſcopo in Eccleſiam Sancti Petri in Hormiſda ſe recepit, ut non ſolùm Clerus Italiæ, ſed ipſemet etiam Vigilius in laudata Encyclica narrat:

XL. Vigilius in S. Petri Eccleſiam ſe recipit.

Digitized by Google

narrat: *Cum in eadem Eccleſia*, inquit, *à comitatu Prætoris cum multitudine armatorum militum veniente, tanquam ad bellum inſtructa acie, à ſancto ejus Altare tracti pedibus traheremur, & ſuper nos etiam ipſa Altaris menſa ceciderat, niſi Clericorum noſtrorum fuiſſet manibus ſuſtentata.* Ibidem autem eam violentiam menſe Auguſto ſibi factam affirmat.

XLI. Sententiam fert in Theodorum & Mennam Epiſcopos. Quare Vigilius non jam fomenta, ſed ferrum admovendum ratus, in Italorum Epiſcoporum congreſſu pluribus Theodori Epiſcopi Cæſareenſis in Apoſtolicam Sedem injuriis recenſitis, quas & ſcripto conſignavit, hanc contra eundem ſententiam protulit: *Theodorus Cæſareæ Cappadociæ civitatis quondam Epiſcopum ſententiæ promulgatione tam Sacerdotali honore, & communione Catholica, vel omni officio Epiſcopali, ſeu poteſtate ſpoliatum eſſe decernimus.* Mennam verò Conſtantinopolitanum Patriarcham, ac conſentientes Epiſcopos à ſacra tantùm communione ſuſpendit. Hæc ſententia *data XIX Kalend. Septemb. imperante Domino Juſtiniano PP. Auguſto anno XXV, poſt Conſulatum Baſilii anno X*, ideoque die 24 menſis Auguſti anni 551. Eam tamen ſententiam minimè publicandam duxit Vigilius, veritus ne Juſtinianum, cujus furorem jam expertus erat, in rabiem rursùs impelleret, Theodoro præſertim omnia ex arbitrio faciente.

XLII. Calchedonem fugit. Extat Tomo V Conciliorum Epiſtola Encyclica Vigilii, aliàs mutila, nunc integra, in qua ſuarum calamitatum ſeriem Pontifex exponit. Cùm apud divi Petri in Hormiſda moraretur Beliſarius & Cethegus, & Petrus Exconſules, ipſeque Juſtinus Imperatoris nepos, cum Marcellino Quæſtore ad Vigilium venere, ut accepto juramento in Placidianas ædes veniret, ſecus vel *ſub omni violentia* è Templo retrahendum. Sed cùm ibidem ſe recepiſſet, & tamen tam ſancta fide poſthabita, in dies ſęvius ſe tractari animadverteret; ſemel, iterùm ac tertiò Beliſarium, alioſque Judices conteſtatus eſt, ut jusjurandi religione tenerentur, *quatenus*, inquit, *nullas inquietudines, aut moleſtias, ſicut nobis juratum fuerat, pateremur.* Interea Juſtinianus veritus, ne Vigilius iterum è Placidianis in Templum confugeret, miſſo clàm milite ædes ſedulò cuſtodiendas juſſit, quod ubi Vigilio ſignificatum fuit, biduo ante Natalem Domini fugam meditatus, nocte intempeſta ex Placidiano Palatio cœcis veſtigiis diſcedens Calchedonem transfretavit, atque apud D. Euphemiæ domicilium habuit. Vigilium Datius Mediolanenſis ſecutus eſt, aliique etiam Latini Epiſcopi, inter quos fuit Verecundus Nicenſis in Byzacena provincia Epiſcopus, quem paulò poſt ibidem defunctum ſcribit Victor Tununenſis.

XLIII. Juſtiniani Legatos recipit. Anno quingenteſimo quinquageſimo ſecundo Juſtinianus Vigilii conſtantiam, ut experimentis ſibi ſatis jam probatam proſpiciens, ſepoſitis minis eundem per Legatos convenit; Legatione autem Beliſarius, aliique mox memorati quinto Kalendas Februarii perſuncti ſunt. Illi cum Vigilio egerunt, ut accepta iterum publica fide, Conſtantinopolim rediret, quibus Pontifex in hanc ſententiam reſpondit: *Si cauſa Eccleſiæ ordinatur, ut pacem ejus, quam avunculi ſui* (ideſt Juſtini Imperatoris) *piiſſimus Princeps fecit temporibus, & modò reſtituat, ego ſacramentis opus non habeo, ſed ſtatim egredior. Si autem cauſa Eccleſiæ finita non fuerit, item ſacramentis opus non habeo, quia nunquam de S. Euphemiæ Baſilica exire diſpono, niſi ſcandalum ab Eccleſia Dei fuerit amputatum.* Hæc ubi Juſtinianus à Legatis accepit, Epiſtolam, ſeu, ut Vigilius loquitur, chartam ad eundem miſit, mendaciis ac injuriis refertam. Eam Petrus Referendarius pridie Kalendas Februarias tulit. Cùm verò non eſſet Imperatoris *manu ſubſcripta*, neque Petrus eidem nomen dare vellet, vel ſignare diem, quo allata fuerat, nullam illi Vigilius fidem præſtandam duxit. Cæterum ne ream conſcientiam ſilentio apud imperitos prodere videretur, objecta quæcunque crimina validiſſimè ſe confutaſſe, in Epiſtola Encyclica conteſtatur.

XLIV. Encyclicam Epiſtolam ſcribit. Die verò quinta Februarii ejuſdem anni, Vigilius illam famoſam ad univerſam Eccleſiam, dedit Epiſtolam, qua cuncta, quæ geſta eſſent, innoteſcerent. In ea exponit cauſas ſeceſsûs ſui ad Sanctam Euphemiam, quid ibi egerit cum Legatis Juſtiniani, ſimulque fidei ſuæ confeſſionem interſerit. De ſententia in Theodorum Cappadocem lata, qua Epiſcopatu deponebatur, ſub finem ſcribit: *Pro manſuetudinis veſtræ intuitu, & ſpe converſionis ejus, ſicut dictum eſt, publicè proferre diſtulimus.* Data dicitur hæc Encyclica *Nonis Februarii imperante Domino Juſtiniano PP. Auguſto anno XXV poſt Conſulatum Baſilii anno X*, ſed legendum *anno XI*, ut annus XXV Juſtiniani cum menſe Februario conjunctus manifeſtum facit. Eſt inter Epiſtolas Vigilii in Collectione Conciliorum ordine XV.

XLV. Paret Mennæ, & Theodoro veniam petentibus. Juſtinianus Synodi peragendæ cupidus, aures jam tandem Vigilio dare cœpit, videbat enim reluctante Pontifice Romano nihil ſolidum ea in cauſa ſtatui poſſe. Quare non amplius alieno erat à Vigilio animo: quod ubi Mennas Conſtantinopolitanus, ac Theodorus Cæſareenſis, aliique intellexere, libellum fidei contexuerunt, illumque Vigilio adhuc in Templo Divæ Euphemiæ commoranti obtulere. In eo expedita fidei profeſſione juxta decreta quatuor Synodorum generalium, facti veniam à Vigilio

Digitized by Google

gilio his verbis poſtularunt: *De injuriis autem quæcumque Beatitudini, vel Sedi veſtræ factę ſunt, eas quidem non feci, ſed quia pro pace Eccleſię modis eſt omnibus feſtinandum, velut ſi eas feciſſem, veniam poſtulo. Quia verò tempore diſcordię excommunicatos, vel non receptos à Beatitudine Veſtra in communionem ſuſcepi, pariter veniam poſtulo.* Subſcripſere libellum *Mennas Conſtantinopolitanus, Theodorus Cęſareę Cappadocię, Andreas Epheſinus*, aliique. Poſt hæc Juſtinianus Edicta revocat, & jam Patribus Conſtantinopolim ad Synodum venientibus ex integro cauſa Trium Capitulorum dijudicanda dimittitur. Interea Mennas ineunte circiter Decembri ejuſdem anni quingenteſimi quinquageſimi ſecundi, diem obiit, cui ſubſtitutus eſt ſtatim Sanctus Eutychius.

XLVI. Conſtantinopolim redit.

Hic, anno quingenteſimo quinquageſimo tertio ineunte, cum eſſet novus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Profeſſionem Fidei ad Vigilium miſit, in qua laudatis quatuor Synodis generalibus, atque Sancti Leonis Epiſtolis, Vigilium rogat, ut jam tandem Concilium de Tribus Capitulis inchoet. Subſcripſere Epiſtolam Eutychius Conſtantinopolitanus, Apollinaris Alexandrinus, Domninus Antiochenus, Patriarchæ, & Elias Theſſalonicenſis Metropolita. Vigilius ipſorum fidem collaudavit reſpondens VIII Idus Januarii; petitioni verò de diſcutienda cauſa Trium Capitulorum hæc reponit: *Annuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quęſtio nata eſt, facto regulari Conventu, ſervata æquitate, mediis ſacroſanctis Evangeliis Collationem cum unitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo, & conveniens iis, quę à Sanctis quatuor ſunt definita Conciliis.* At illis clauſulis, *facto regulari Conventu, ſervata ęquitate*, ita Synodum indici Pontifex conſentiebat, ut & Latini Epiſcopi pari numero adeſſent, ne decretis poſtea Synodalibus adverſarentur. Porrò Vigilium relicta Calchedone, iterum Conſtantinopolim petiiſſe, poſt acceptam die Theophaniorum Eutychii Epiſtolam oſtendit Cardinalis Noriſius laudatus cap. *6*.

XLVII. Juſtinianus Synodum quintam generalem indicit.

Cum itaque Vigilius Occidentales Epiſcopos, timore Juſtiniani, adeſſe nolle intelligeret, ſe cum paucis Italis atque Illyricis rem ita definiri poſſe negabat, ut nulla deinceps ab Occidentis Epiſcopis contradictio fieret. Ea tandem ſententia placuit, ut pari Latinorum, ac Græcorum numero Synodus componeretur, quod ante feſtum Paſchæ, anno 553 die 20 April. celebratum, ſtatutum fuiſſe obſervat idem Cardinalis Noriſius citatus cap. 7. Ipſemet enim Vigilius in Conſtituto ad Juſtinianum, ait: *Poſtea verò hoc magis cum conſenſu Fratrum noſtrorum, noſtrarum partium Epiſcoporum nuper ante Sanctum Paſchę diem Pietas Veſtra conſtituit, ut exęquato numero his Pontificibus, qui in Conſtantinopolitana urbe pręſentes ſunt, de Tribus Capitulis, ex quibus quęſtio vertitur, ſecundùm ſuperius deſignatum Fratrum noſtrorum Epiſcoporum profeſſionem deberemus inire tractatum.* At Græci Epiſcopi his intellectis tumultuari, veniſſe ſe ex longinquis provinciis Synodi Oecumenicæ cauſa, hujus auctoritatem, ac nomen deprimi, ſi à pauciſſimis celebretur: plurimos ſapientiſſimos excludendos, ſi pari cum Latinis numero coeundum ſit. Synodos frequentiſſimas à ſolis Græcis celebratas; in Calchedonenſi ſexcentorum & triginta Patrum Conventu, Legatos tantùm Leonis Papæ ex Latinis interfuiſſe; Nicænam omnibus venerabilem Synodum ex Græcis tantùm conflatam: notam eſſe Occidentalium in Trium Capitulorum defenſione obſtinationem, cum quibus ſi exæquato numero Orientales diſputationem ineant, paribus hinc inde ſuffragiis, re infecta Concilium dimiſſum iri. Juſtinianus his acceptis, contra pacta conventa, à priori ſententia diſceſſit, Synodumque indixit ad diem quintum menſis Maii, ut habent Codices Bellovacenſis & Pariſienſis, non verò ad diem quartum ejuſdem menſis, ut legitur in Codicibus editis. De quo legendi Garnerius Diſſert. de Quinta Synodo generali cap. 5, & Auctor Criticæ Baronii ad annum quingenteſimum quinquageſimum tertium num. *9*.

XLVIII. Prima Synodi Collatio.

Die itaque quinta menſis Maii anni quingenteſimi quinquageſimi tertii primà Synodi Collatio habita eſt. Adfuere tres Patriarchæ, Eutychius Conſtantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, Domnus ſeu Domninus Antiochenus, Jeroſolymitanus per Vicarios; Patres univerſim centum ſexaginta quinque. Lecta eſt Sacra Divalis Juſtiniani, per Theodorum Silentiarium ad Synodum perlata, qua Imperator ſignificabat, nihil antiquius ſibi fuiſſe, quàm, hæreſibus eliminatis, quietem Eccleſiæ dare poſt excitatos ab Acephalis tumultus: Patres ad trium Capitulorum examen, & ad judicium de illis ferendum hortabatur, quæ Romani Pontificis Judicato jam confixa eſſent. Lectæ ſunt deinde Eutychii recens Epiſcopi Conſtantinopolitani inaugurati literæ ad Vigilium datæ, fidei profeſſionem ipſius continentes, & preces humillimas, ut *pręſidente* ejus *Beatitudine* controverſia de Tribus Capitulis finiretur, & Vigilii literæ ad Eutychium & ſubditos ipſi Epiſcopos, de quibus mox locuti ſumus.

XLIX. Mittuntur ex ea Legati ad Vigilium PP.

Sed cùm ſcirent Epiſcopi Græci Synodum, Romano Pontifice non præſente, nihil haberi apud Occidentales, eamque pro Oecumenica haberi non poſſe, niſi ſaltem per Legatos Romanus Pontifex adeſ-

ſet;

Digitized by Google

ſet; nobiliſsima ad Vigilium deſtinata Legatione trium Patriarcharum, omnium Primatuum Autocephalorum, aliorumque Antiſtitum eum rogarunt, ut Synodo intereſſet, & ſecum diſputaret de Tribus Capitulis, quemadmodum datis ad Eutychium literis pollicitus fuerat. Eis repoſuit Vigilius: *Se propter corporis infirmitatem non poſſe ad hanc petitionem reſpondere, in poſtero autem die pollicitus eſt manifeſtare quid ei de tali Conventu placuerit*. Notandum autem eſt Legatos illos non citatoria mandata, ſed preces Vigilio detuliſse: *Pervenientes*, inquiunt, *ad ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ petivimus ejus Beatitudinem convenire, & diſputare nobiſcum de Tribus Capitulis*. Atque ita prima Collatio abiit.

L. *Legati Vigilium ad Synodi iterum invitant.*

Poſtridie, nempe ſexta Maii iidem Patriarchæ, Primates, atque Epiſcopi Vigilium iterum convenere, enixè poſtulantes, ut ad Synodum accederet; quibus ille reſpondit, cum illis convenire non poſse, quod Occidentales Epiſcopi ſibi adhærentes numero ab Orientalibus vincerentur: quamobrem ſe circa Trium Capitulorum quæſtionem, ſeorſim in ſcriptis dicturum ſententiam, eamque miſsurum ad Imperatorem, à quo propterea poſtulaverat inducias. At Juſtinianus viginti dierum inducias, quas Vigilius poſtulaverat, concedere recuſavit, cæteris Epiſcopis longioris apud Regiam urbem moræ incommoda cauſantibus. Quare Glorioſiſsimi Judices, Imperatoris nomine, mandarunt Epiſcopis, ut etiam Vigilio abſente Synodum haberent.

LI. *Secunda & tertia Collatio.*

Collatio itaque ſecunda peracta eſt die octava Maii, in qua Legati à priori Collatione deſtinati, Vigilii reſponſa retulerunt. In ea Patres, Epiſcopos ad Vigilii Patriarchalem juriſdictionem expectantes, ad Synodum invitarunt, qui conſtanter adeſſe ſine Vigilio pernegarunt. Sequenti die, nempe die nona Maii iterum ſimul Græci Antiſtites coeuntes, tertiam Collationem habuerunt. In ea quatuor Synodorum fidem profeſsi ſunt, earumque definitiones, nec non doctrinam ſanctorum Patrum, quos ceu Magiſtros Eccleſia veneratur: reprehenſa eſt etiam nimiùm in pleriſque radicata opinio, ſine Calchedonenſis Synodi injuria damnari non poſſe Tria Capitula. Et ſic habita eſt tertia Collatio.

LII. *In Collatione IV. Theodorus Mopſueſtenus damnatur.*

Triduò poſt, nempe die duodecima menſis Maii Collatione quarta Synodus cauſam ipſam diſcutere incæpit. Lectæ ſunt plures ſententiæ ex libris Theodori Mopſueſteni excerptæ, itemque Symbolum Judaicum, quod Theodoro olim à Chariſio Philadelphienſis in Lydia Eccleſiæ Presbytero adſcriptum fuerat, & Marius Mercator fuſiùs circa annum 431 impugnaverat, tanquam ab eodem Theodoro compoſitum. Dictum in eas blaſphemias; & in ipſum Theodorum à Patribus anathema. *Hoc Symbolum*, exclamavit univerſa Synodus, *Satanas compoſuit. Anathema ei qui hoc Symbolum compoſuit. Hoc Symbolum Epheſina prima Synodus unà cum Authore ejus anathematizavit. Anathema Theodoro Mopſueſteno. Iſte Evangelia reprobavit: Iſte diſpenſationem injuriavit. Anathema illis qui non anathematizant eum: Defenſores ejus Judæi ſunt: Sequaces ejus Pagani ſunt.*

LIII. *In quinta ſcripta ejus expenduntur.*

Quinta Collatio habita eſt die decima ſeptima Maii, ut oſtendit Baluzius in nova Collectione Conciliorum pag. 1510. In hac recitata ſunt quæ à ſanctis Patribus contra Theodorum Mopſueſtenum ſcripta fuerant, & quæ contra eumdem legibus Imperatorum erant ſancita. Recenſita ſunt teſtimonia Sancti Cyrilli, quibus præfati Theodori errores perſtringit. Lectus eſt Libellus ſancto Proclo Epiſcopo Conſtantinopolitano ab Epiſcopis, Clericis & Monachis Majoris Armeniæ & Perſidis contra eumdem Theodornm oblatus; item fragmentum Tomi à S. Proclo ſcripti ad Armenos; variæ ſancti Cyrilli Alexandrini Epiſtolæ, quibus probatum eſt Neſtorium hæreſim ſuam & blaſphemias ex Theodori fonte hauſiſſe. Epiſtola Rabulæ Edeſſeni Epiſcopi contra Theodorum. Fragmentum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Heſychii Presbyteri Jeroſolymitani, ex quo ejuſdem Theodori probata eſt impietas. Leges Theodoſii & Valentiniani Impp. contra Theodori & Neſtorii nomen & doctrinam. Fragmentum Epiſtolarum Theophili Aſexandrini ad Porphyrium Antiochenum, & Sancti Gregorii Nyſſeni ad Theophilum. Teſtimonia Theodoreti, qui Theodorum adversùs S. Cyrillum vindicans, fidem facit errores, quos Theodoro tribuit Cyrillus, verè ipſius eſſe. Tandem recitari juſſa eſt Mopſueſtena Synodus, ex cujus Actis probatum eſt Theodori nomen ex Eccleſiæ Diptychis jam olim expunctum fuiſſe, & in locum ejus Sancti Cyrilli nomen ſubſtitutum.

LIV. *Declaratur hæreticos poſt mortem damnare licitum eſſe.*

Poſt hæc diſceptatum eſt, utrum liceret defunctos anathemate damnare, quod licitum eſse & quandoque neceſſarium gravibus momentis probatum eſt; & veroſimiliter in hac Collatione variæ Sancti Auguſtini Epiſtolæ lectæ ſunt, nam in definitiva ſententia, prolata in octava Collatione contra Tria Capitula: *Auguſtini*, inquiunt Patres, *religioſæ memoriæ, qui inter Africanos Epiſcopos reſplenduit, diverſæ Epiſtolæ recitatæ ſunt, ſignificantes, quòd oportet hæreticos & poſt mortem anathematizari*. Ea teſtimonia adduxit in Synodo Sextilianus Tunienſis in Africa Epiſcopus, Primaſii novi Carthaginenſis Antiſtitis in locum Reparati exulis ordinati Legatus, quæ lecta grandi præconio excepit Benignus Heracleæ Pelagoniæ in Macedonia Epiſcopus,

ac

Digitized by Google

SÆC. VI. VIGILIUS.

ac Vicarius Eliæ Metropolitæ Theſſalonicenſis, addens hanc eſſe perpetuam Eccleſiæ traditionem.

LV. Capitulum de Theodoreto expenditur.

In eadem quinta Collatione factus eſt poſtea tranſitus ad examen alterius Capituli, Scriptorum ſcilicet Theodoreti, multaque ex ejus Operibus contra Sanctum Cyrillum deflorata. Recenſitæ ejuſdem Epiſtolæ ad Andream Samoſatenum, ad Neſtorium poſt initam pacem inter Orientales & Sanctum Cyrillum. Ac denique ejus Epiſtola ad Joannem Antiochenum poſt mortem Cyrilli, qua ſuam de ejus obitu ſignificabat lætitiam, multiſque ipſum onerabat maledictis. Baronius & poſt eum multi alii Viri docti exiſtimantes illam Epiſtolam Theodoreto ſuppoſitam, Quintæ Synodi Patres errore facti deceptos eſſe ſcripſerunt. Verùm Garnerius in Auctario ad librum Epiſtolarum Theodoreti pag. 99 oſtendit eam Epiſtolam, non ad Joannem, ſed ad Domnum Antiochenum Joannis ſucceſſorem datam, verum eſſe fœtum Theodoreti. Ejus argumenta apud eum & apud auctorem Criticæ Baronianæ ad annum 444 num. 7 & ſeqq. legenda, ex qua anno 553 expungenda illa verba, quæ in numerum XIII, memoriæ lapſu irrepſerunt: *Verùm Patres Synodi* & reliqua uſque ad finem numeri; & eorum loco hæc ſubſtituenda: *Verùm Patres Synodi errore facti decepti non ſunt, ut vult Baronius, cùm Epiſtola illa ad Joannem Antiochenum, ſeu potius ad Domnum Joannis ſucceſſorem à Theodoreto ſcripta, ſuppoſititia non ſit, ut ſuo loco oſtendimus.* Quod obiter notatum ſit. Synodus diſcuſſis Theodoreti dogmatibus, dixit: *Ex his, quæ Theodoretus impiè conſcripſit miranda eſt ſubtilitas Sancti Calchedonenſis Concilii. Sciens enim ejus blaſphemias, prius quidem multis ſæpius uſa eſt contra eum exclamationibus: poſtea verò non aliter eum ſuſcepiſſet, niſi prius anathematizaſſet Neſtorium, & ejus blaſphemias, pro quibus antea ſcripſit, defendens eas.*

LVI. Vigilii ſententia de Theodoro in ſuo Conſtituto prolata.

Vigilius die decima quarta Maii inter quartam, & quintam Collationes Conſtitutum ſuum emiſit. In eo queritur Pontifex Synodum contra pactas conditiones coactam. Tum aggreditur diſputationem de Tribus Capitulis, & LX ſententias, quæ Theodori Mopſueſteni eſſe dicebantur, ab Imperatore per Benignum Epiſcopum Heracleæ Macedoniæ ad ſe tranſmiſſas damnat, Theodori verò perſonam ac nomen damnari non poſſe multis argumentis probat. Ex quibus de Theodoro Mopſueſteno ſic colligit: *Eum noſtra non audemus damnare ſententia, ſed nec ab alio quopiam damnari concedimus.* Subdit tamen ſe omnia capita & ſcripta Evangelicis & Apoſtolicis, ac ſanctarum quatuor Synodorum & Apoſtolicæ Sedis non congruentia doctrinis, non ſolùm ſenſu, ſed vel etiam aure admittere nuſquam velle.

LVII. Item de Theodoreto.

Quoad Theodoretum, decernit ejus ſcripta ſpeciatim non debere damnari; cum in Synodo Calchedonenſi Neſtorio anathema dixerit, quod ſolùm ab eo poſtularunt Patres. Quamobrem indignum eſſe ait Vigilius, ut ſub ejus viri nomine aliqua Neſtoriana dogmata damnentur, qui cum Patribus ipſum Neſtorium, ejuſque dogmata damnavit, idque in injuriam cedere Calchedonenſis Concilii. Unde ita colligit: *Hac ergo rerum veritate perpenſa, ſtatuimus atque decernimus nihil in injuriam atque obtrectationem probatiſſimi in Calchedonenſi Synodo Viri, Theodoreti Epiſcopi Cyri, ſub taxatione nominis ejus, à quoquam fieri, vel proferri, ſed cuſtoditâ in omnibus perſonæ ejus reverentiâ, quæcumque ſcripta vel dogmata ejus, cujuslibet nomine prolata, ſceleratorum Neſtorii atque Eutychetis manifeſtantur erroribus conſonare, anathematizamus atque damnamus.* Ne verò Theodoretum defendendo, in hæreſeos Neſtorianæ ſuſpicionem veniret, eam quinque anathematiſmis percellit.

LVIII. Item de Ibæ Epiſtola.

Denique nec Epiſtolam Ibæ ſub ejus nomine damnandam cenſet: tum quia relectâ ea in Synodo Calchedonenſi, Orthodoxus Ibas judicatus eſt: tum quia ſubſcripſit decretis ejuſdem ſanctiſſimæ Synodi & Epiſtolæ ſancti Leonis: unde in Sedem ſuam, conſentientibus Patrum ſuffragiis, reſtitutus eſt. Nefas autem eſſe retractare quæ à Concilio Calchedonenſi erant judicata, cujus decreta ſe inconcuſſa ſemper eſſe voluiſſe probat ex Epiſtola ſua, ſive *Judicato* de Tribus Capitulis *ad Mennam*.

LIX. Vigilius Conſtitutum claudit.

His demum verbis Conſtitutum ſuum claudit: *Statuimus & decernimus nulli ad ordines & dignitates Eccleſiaſticas pertinenti licere quidquam contrarium his, quæ præſenti aſſeruimus, vel ſtatuimus Conſtituto, de ſæpè dictis Capitulis, aut conſcribere, vel proferre, aut componere, vel docere, aut aliquam poſt præſentem definitionem, movere ulterius quæſtionem. Si quid verò de iiſdem Tribus Capitulis, contra hæc, quæ hìc aſſeruimus, vel ſtatuimus, nomine cujuſcumque ad ordines & dignitates Eccleſiaſticas pertinentis, factum, dictum, atque conſcriptum eſt, vel fuerit, & à quolibet ubicunque repertum, hoc modis omnibus, ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ, cui per Dei gratiam præſidemus, refutamus.* Sexdecim Epiſcopi Vigilianum illud Conſtitutum ſubſcripſerunt, & quidem illi ferè omnes, qui ejuſdem contra Theodorum Cappadocem ſententiam ſubſignarunt, tres Diœceſis Illyricianæ, ex Græcis verò Paſtor Metropolita Iconii in Lycaonia, & Vincentius Metropolita Claudiopolitanus provinciæ Ponticæ Honoriadis.

Licèt

Digitized by Google

SÆC. VI. VIGILIUS.

Licèt autem Vigilius Conſtitutum ſuum die decima quarta Maii emiſerit, & quinta Collatio die decima ſeptima ejuſdem menſis habita fuerit, in ea tamen lectum non eſt, ſive quòd illud nondum accepiſſet Imperator, ſive quòd ſe accepiſſe diſſimularet. Imò in aliis Synodi Collationibus Conſtitutum lectum non fuiſſe rectè probat Petrus de Marca in Differt. de Vigilii decreto pro confirmatione Quintæ Synodi, ubi num. 12 refellit ſententiam Baronii ſcribentis Conſtitutum à Juſtiniano ad Synodum miſſum. Si enim illud relectum fuiſſet in Synodo, illius recitatio relata eſſet in Acta, quibus inſertæ ſunt minoris momenti relectiones. Deinde promulgatio Conſtituti aliena fuiſſet ab inſtituto & à prudentia Imperatoris, qui damnationi Trium Capitulorum, cùm totus incumberet, non debuit ſuis votis officere, Vigilii auctoritate prolata, quæ deſiderium ejus improbaret. Imò verò, ut facilius obtineret, quem ſibi propoſuerat eventum, neu quis expectaret quid Principi Vigilius reſpondiſſet, quemadmodum pollicitus erat ſe facturum, per Conſtantinum Sacri Palatii Quæſtorem Juſtinianus in Collatione VII Synodo ſuggeſſit, Vigilii mentem ſatis explicatam eſſe ex iis, quæ hac de re ſæpiùs docuerat cùm ſcriptis, tum viva voce. Plura alia hanc in rem congerit Petrus de Marca laudatus, & Baronii rationibus reſpondet, oſtenditque Juſtinianum, cùm probè ſciret primam in Synodis Oecumenicis ſemper fuiſſe ſententiam Romani Pontificis, quâ non expectata nihil decerni moris erat, ne prætermiſſa videretur hoc in negotio Vigilii auctoritas, Conſtitutum quidem ſuppreſſiſſe, ſed alias Vigilii priores ſententias, quæ annis ſuperioribus ab eo latæ erant, Synodo exhibuiſſe, ut in Actis omnia ritè & ſolemniter geſta fuiſſe viderentur. In eo tamen fallitur Marca, quòd exiſtimare videatur Judicatum Vigilii à Juſtiniano Synodo exhibitum fuiſſe, & in ea lectum; illud enim à veritate alienum eſſe mox oſtenſum eſt. Ex opinione porrò Baronii Novatores intulerunt, Pontificis Romanî ſcripta in Synodo non ſolùm diſcuti, ſed etiam refutari, & definitionem illius decretis promulgatis contrariam cum anathemate proferri. Sed ex vera rerum geſtarum narratione, hanc illationem frivolam eſſe conſtat.

LX. Conſtitutum Vigilii in Synodo lectum non eſt.

Collatio ſexta habita eſt die decima nona Maii. In ea diſcuſſum tertium Capitulum, ſcilicet Epiſtola Ibæ ad Marim Perſam. Recenſita eſt Epiſtola Procli Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Joannem Epiſcopum Antiochenum, in qua ſcripſit, apud ſe accuſatum eſſe Ibam, quòd Neſtorii dogmata diligeret, ac nonnulla ex impiis Theodori Mopſueſteni Capitulis in Syrorum linguam tranſtuliſſet, & quàcumque tranſmiſiſſet. Propterea ſæpius accuſatum, & in Synodo Berytenſi æquè purgatum. Relecta ſunt pleraque Acta Epheſinæ Synodi; Epiſtolæ S. Cyrilli ad Neſtorium, & hujus ad Cyrillum; Cœleſtini Papæ ad Neſtorium Epiſtolæ; XII Sancti Cyrilli anathematiſmi; Sancti Leonis Epiſtola ad Flavianum & Patrum Calchedonenſium ipſam approbantium ſuffragia; Symbolum Nicænum & Conſtantinopolitanum; denique Synodi Calchedonenſis definitio fidei. Cum quibus inſtrumentis collata Ibæ Epiſtola, convicta eſt erroris, & omnes Epiſcopi exclamaverunt: *Epiſtola Hæretica eſt. Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus. Iſtam omnes anathematizamus. Epiſtola aliena Synodo eſt. Epiſtola contraria definitioni eſt, tota Epiſtola hæretica eſt. Tota Epiſtola blaſphema eſt. Qui hanc non anathematizat, Hæreticus eſt. Qui eam ſuſcipit non confitetur Deum Verbum hominem factum eſſe. Qui eam ſuſcipit, Cyrillum non ſuſcipit. Anathema Theodoro, & Neſtorio, & Epiſtolæ quæ dicitur Ibæ.*

LXI. Collatio VI. Ibæ Epiſtolam diſcutit.

In collatione ſeptima, die vigeſima ſexta Maii peracta, Conſtantinus Sacri Palatii Quæſtor, cum Inſtrumentis probantibus Vigilium Tria Capitula ſemper execratum eſſe ac damnaſſe, ad Synodum miſſus eſt ab Imperatore. Recitatum itaque anathema latum à Vigilio contra Romanos Diaconos Ruſticum & Sebaſtianum *Judicati* impugnatores, & Trium Capitulorum pervicaciſſimos defenſores. Lectæ item Epiſtolæ à Vigilio hac de controverſia ſcriptæ ad Valentinianum Epiſcopum Tomitanum in Provincia Scythiæ, & ad Aurelianum Epiſcopum Arelatenſem; ex quibus omnibus liquebat, Vigilium non ſemel Tria Capitula condemnaſſe. Iis itaque omnibus in conſeſſu Patrum perlectis, ultimum de Tribus Capitulis Judicium in diem Lunæ ſequentem, Junii menſis ſecundum dilatum eſt.

LXII. In Collat. VII Vigilii Epiſtolæ leguntur.

In Collatione octava & ultima dicta die ſecunda menſis Junii celebrata, omnibus, quæ antea geſta erant compendio recenſitis, definitivam adversùs Tria Capitula ſententiam protulit Synodus, in qua hæc inter alia leguntur: *Condemnamus autem & anathematizamus unà cum omnibus aliis Hæreticis, qui condemnati & anathematizati ſunt à prædictis quatuor Conciliis, & à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, & Theodorum, qui Mopſueſtiæ Epiſcopus fuit, & impia ejus conſcripta, & quæ impiè Theodoretus conſcripſit contra rectam fidem, & contra XII Capitula ſancti Cyrilli, & contra Epheſinam I Synodum, & quæ ad defenſionem Theodori & Neſtorii ab eo ſcripta ſunt. Super hæc anathematizamus & impiam Epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam ſcripſiſſe, quæ denegat Deum Verbum de ſancta Dei Genitrice & ſemper Virgine Ma-*

LXIII. Synodus in Tria Capitula ſententiam fert.

Digitized by Google

Maria incarnatum, hominem factum eſſe; & S. memoriæ Cyrillum, qui rectè docuit, tanquam Hæreticum, & ſimiliter Apollinario ſcribentem, calumniatur: & inculpat quidem Epheſinam I Synodum, tanquam ſine examinatione & quæſtione Neſtorio ab ea depoſito: & XII S. Cyrilli Capitula impia & contraria rectæ fidei vocat: defendit autem Theodorum & Neſtorium, & impia eorum dogmata & conſcripta. Prædicta igitur Tria Capitula Anathematizamus, ideſt, Theodorum impium Mopſueſtenum, cum nefandis ejus conſcriptis: & quæ impiè Theodoretus conſcripſit: & impiam Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & defenſores eorum.*

LXIV. Anathematiſmi XIV ſententiæ ſubjicit.

Sententiæ ſubjiciuntur quatuordecim anathematiſmi, quorum tres poſtremi feriunt Tria Capitula: duodecimus non ſolùm impia Theodori ſcripta, ſed ejus etiam nomen & perſonam, defenſoreſque confligit. Decimus tertius & decimus quartus percellunt quidem Theodoreti ſcripta, & Ibæ Epiſtolam, eorumque defenſores: Theodoretum autem ipſum & Ibam Orthodoxos Antiſtites, & in pace Eccleſiæ defunctos non perſtringunt. His omnibus ſubſcripſere Eutychius Conſtantinopolitanus Patriarcha, Concilii Præſes, Apollinarius Alexandrinus, Domnus Antiochenus, & alii ſuo ordine.

LXV. Origeniſtæ Synodo V. damnati.

Non ſolùm Tria Capitula, ſed etiam Origeniſtas damnavit Quinta Synodus. Cedrenus enim ad annum Juſtiniani 26 refert literas ejuſdem Imperatoris ad Quintam Synodum, quibus Patres hortatur ad Origenem damnandum: *Vos hortamur*, ait, *o ſanctiſſimi Patres, ut in unum collecti ſubjectam expoſitionem, & ſingula ejus capita examinetis, damnetiſque cum Origene omnes, qui idem ſentiunt.* Prætereà in ſecunda profeſsione fidei, quæ habetur in libro Diurno Romanorum Pontificum, poſtquam actum eſt de quatuor prioribus Synodis Oecumenicis ſubnectitur: *Hæc igitur ſancta atque Univerſalia quatuor Concilia, etiam ſanctum Quintum Concilium venerandum aſſecutum eſt, & ſub piæ memoriæ Juſtiniano Principe apud Conſtantinopolitanam urbem eſt congregatum, &c. In hoc Origenes cum impiis diſcipulis & ſequacibus Didimo & Evagrio, & qui creatorem omnium Deum, & omnem rationalem ejus creaturam gentilibus fabulis proſecuti ſunt, æternæ ſunt condemnationi ſubmiſſi.* Ex quo & ſequitur, Origenem & ſectatores ejus, Juſtiniano imperante, non ſolùm in privato, ut ſcribit Garnerius in Diſſert. de Quinta Synodo, ſed etiam in Univerſali Concilio Conſtantinopolitano damnatos eſſe.

LXVI. Et quidem in principio Synodi.

Cæterùm cognitionem de Origene, ejuſque damnationem, Trium Capitulorum damnationem præceſſiſſe, Theophanes & Auctor Chronici Alexandrini indicant, dum ſcribunt, Synodum celebratam eſſe primò & præcipuè adversùs errores Origenis, & Evagrii, ac Didymi, ſecundo autem loco adversùs Tria Capitula. Præterea, ut inquit Cardinalis Noriſius citatus cap. 6, Synodus Canone, ſeu Anathematiſmo XI ait: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Neſtorium, Origenem cum impiis eorum ſcriptis, & omnes alios hæreticos, qui condemnati & anathematizati ſunt à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, &c. anathema ſit.* Quatuordecim Canones editi ſunt ſub Collatione VIII, quæ cùm poſtrema fuerit in cauſa Trium Capitulorum, evidens eſt antea jam Origenis cauſam cognitam fuiſſe; alioquin is indictâ causâ damnatus eſſet. Denique Theodorus Cappadox Origenis patronus probaturus poſſe Theodorum Mopſueſtenum, licèt olim mortuum, iure damnari, ita Synodum allocutus eſt Collatione V. *Et multos quidem etiam alios invenimus poſt mortem anathematizatos, necnon etiam Origenem, & ſi ad tempora Theophili ſanctæ memoriæ, vel ſuperius aliquis recurrerit, poſt mortem invenerit anathematizatum; quod nunc in ipſo fecit & Veſtra Sanctitas, & Vigilius Papa religioſiſſimus antiquioris Romæ.* Fatente ergo Origeniſtarum Principe, à Synodo Quinta & à Vigilio Papa Origenes damnatus fuit, & quidem antequam terminata eſſet Trium Capitulorum cognitio.

LXVII. Vigilius à Juſtiniano in exilium mittitur.

Vigilium ſtatim non approbaſſe Concilium, ob idque in exilium à Juſtiniano Imperatore miſſum, Baronius aliique Anaſtaſium ſecuti memoriæ prodiderunt, in quo Anaſtaſius fidem meretur; licèt enim Euſtathius in Vita Sancti Eutychii Epiſcopi Conſtantinopolitani & Victor Tununenſis in Chronico de hoc exilio ne verbum quidem habeant, non inde Anaſtaſio fides deneganda, quia argumentum negativum nullis aliis ſuffultum, valde infirmum eſt. Certè Juſtinianus Vigilium poſt Concilii Quinti celebrationem, cui ipſe refragatus eſſet, eò minus Conſtantinopoli verſari permiſiſſet, quò non ſolum alios Epiſcopos definitioni Concilii contrarios, aut in exilium miſit, aut dignitate depoſuit, ut ſcribit Liberatus in fine ſui Breviarii; ſed etiam quia in Collatione ſeptima literas miſit ad Patres, quibus prohibuit Vigilii nomen in ſacris Diptychis recitari. Eas literas refert Baluzius in nova Collectione Concil. pag. 154. Quare Juſtiniano non magis religio fuit, Vigilium in exilium mittere, quàm prohibere, ne nomen ejus in Diptychis recitaretur. Vigilii exilium diſertè etiam affirmat Continuator Marcellini mox laudandus.

LXVIII. Ex eo revocatur.

Idem Anaſtaſius tradit, Clerum Romanum Narſetem Imperatorii exercitûs in Italia ducem rogaſſe, ut unà ſecum Imperatorem deprecaretur, quò Vigilius ex exilio reverteretur, & Imperatorem, tam Nar-

Digitized by Google

Narſetis, quàm Cleri Romani relatione recepta, Vigilium & Presbyteros ejus revocaſſe ex Præconneſo, quæ Inſula eſt parva Aſiæ & Miſiæ Minoris in Proponitide, quod anno quingenteſimo quinquageſimo quarto factum docet Continuator Marcellini: *Vigilius*, inquit, *Papa tandem ab Imperatoribus Romanis & Narſete de exilio relaxatus*, ubi Librarius loco *ab Imperatore Romano*, ſcripſit, *ab Imperatoribus Romanis*.

LXIX. *Synodum V. confirmat.* Vigilium, antequam exilio ſolveretur, conſenſiſſe Synodo, eamque approbaſſe teſtatur Evagrius lib. 4 cap. 37 & Pelagius II Papa in Epiſtola prolixa ad Epiſcopos Iſtriæ, quæ extat inter fragmenta Synodi Quintæ Tom. V Concil. pag. 615. Marca in laudata Diſſert. de Epiſtola Vigilii pro confirmatione Synodi V refert Epiſtolam Vigilii *ad Eutychium Archiepiſcopum Conſtantinopoleos, & ad præjacentem Synodum*, quæ dicitur data *ante ſextum Idus Decembres, imperij Domini noſtri Juſtiniani æterni Auguſti anno 27 poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno* 12, ideoque anno 553, æxiſtimatque illam eſſe, quam Vigilius pro Synodi Quintæ confirmatione dedit. Sed hæc Epiſtola aliquibus viris doctis de ſuppoſitione ſuſpecta viſa eſt. Baluzius laudatus pag. 1551 invenit in veteri codice Bibliothecæ Colbertinæ *Conſtitutum Vigilii pro damnatione Trium Capitulorum*, datum menſe Februario anni 554, in ejus enim fine legitur: *Data VII Kalendarum Marciarum imperante Domino Juſtiniano perpetuo Auguſto anno 27, & poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno 13 Conſtantinopolim*. Quod Conſtitutum videtur eſſe germanus & genuinus libellus, quo Vigilius Synodum V confirmavit, & Conſtantinopolim tam ad Imperatorem, quàm ad Epiſcopos miſit: nihil enim in eo continetur, quod à ſtylo Vigilii diſſentiat. In eo Vigilius fusè, doctèque Tria Capitula explicat, refellit & damnat, tandemque concludit: *Prædicta igitur Tria impia Capitula anathematizamus atque damnamus, ideſt, Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ ad Marim Perſam, in qua nefandæ ſuperius deſignatæ blaſphemiæ continentur, & impium Theodorum Mopſueſtenum cum nefandis ejus conſcriptis, & quæ impiè Theodoritus conſcripſit*, &c. *Quæcumque verò ſive meo nomine, ſive quorumlibet pro defenſione memoratorum Trium Capitulorum prolata fuerint, vel ubicumque reperta, præſentis noſtri pleniſſimi Conſtituti auctoritate vacuamus*.

LXX. *In Siciliam redit.* Poſtquam Vigilius ad Synodi ſententiam acceſsit, Romam dimiſsus eſt, ſed antea menſe Auguſto cum Imperatore ſeriò egit de univerſo provinciæ, ac præſertim urbis Romanæ regimine meliorem in formam reducendo. Juſtinianus ejus petitioni morem gerens nobilem Sanctionem Conſtantinopoli edidit *Idibus Auguſti* datam, quâ Italis plurimùm indulſit, illorumque fortunas diuturno bello Gothico, quo fuerant fatigati, depreſsas erexit. In ea de Virginibus Deo dicatis hæc habet Juſtinianus: *Cum autem tyrannicæ ferocitatis præſumptionem res etiam illicitas quaſi permiſſas egiſſe ſine dubio ſit: ſancimus, ut ſi qui mulieres Deo ſacratas, vel habitum religioſum habentes ſibi conjunxiſſe inveniantur, nulla eis tenendi, vel dotes forte conſcriptas, iterum Monaſteriis, vel Eccleſiis, aut ſancto propoſito, cui dedicatæ ſunt, reſtituantur*. Hanc Sanctionem cùm Vigilius rediens in Italiam deferret, calculi dolore oppreſsus in Sicilia uſque ad mortem remanſit.

LXXI. *Synodus non eſt; æqualis auctoritatis ac quatuor priores.* Porrò, ut ad Synodum Quintam redeam, verè dixit Gregorius Magnus in Quinta Synodo non eſse actum de fide, ſed de ſolis perſonis. Deinde non Quintum, ſed ſola quatuor prima Concilia tanquam Dei Evangelia veneratur idem Gregorius. Quare licèt hujus Concilii ſumma ſit auctoritas, parem tamen cum aliis quatuor auctoritatem non habet. Hinc idem Gregorius in Epiſtola 37 lib. 3 ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem, qui conabatur Theodelimdam Longobardorum Reginam piiſsimam, à defenſoribus Trium Capitulorum ſeductam, ad communionem Eccleſiæ reducere, prudenter reſpondit: *Quod ſcripſiſtis, quia Epiſtolam meam Reginæ Theodelimdæ minimè tranſmittere voluiſtis, pro eo quòd Quinta Synodus in ea nominabatur; ſi eam exinde ſcandalizari poſſe credidiſtis, rectè factum eſt, ut minimè tranſmitteretur. Unde nunc ita facimus, ſicut Vobis placuit, ut quatuor Synodos ſolummodo laudaremus, & Quintæ Synodi nullam mentionem faceremus*. Judicavit itaque Conſtantius per pravum & erroneum de Quinta Synodo judicium non deperdi fidem, ideoque poſſe illud diſpenſatoriè ad tempus tolerari, quod Gregorius comprobavit; cùm tamen circa fidei decreta diſpenſatoriè diſſimulare non poſſit. Succeſſores tamen Vigilii & præcipuè Sanctus Gregorius Synodum Quintam approbarunt, ut ex dicendis conſtabit.

LXXII. *Vigilii PP. obitus.* Continuator Marcellini ad annum 13 poſt Conſularum Baſilii V. C. ſeu ad annum 554 ſcribit: *Cum Romam redire cæpiſſet* (Vigilius) *in Sicilia morbo calculi tactus deceſſit, moxque Romam perlatus apud Sanctum Marcellum in Via Salaria ſepultus eſt*. Anaſtaſius verò ait ad eum veniſſe *in civitatem Siracuſanam, & ex multa afflictione calculi dolorem* habentem defunctum eſſe, ejuſque corpus Romam ductum ſepultum eſſe ad Sanctum Marcellum. Annum & diem mortis ex Anaſtaſio eruere non poſſumus; cùm enim conſtet Pelagium ejus ſucceſſorem menſe

 Aprili

Digitized by Google

Sæc. VI. VIGILIUS. Aprili anni 555 ordinatum eſſe, non potuit ſcribere Anaſtaſius Vigilium ſediſſe *annos ſeptemdecim*, *menſes quinque*, *dies viginti ſex*, cùm, iſpomet Anaſtaſio teſte, anno 537, die 22 Novembris conſecratus ſit, & poſt ejus obitum Sedes vacaverit menſibus tribus, diebus quinque. Parum tamen refert illud ſcire, dummodo Pelagii primi ejus ſucceſſoris initium è tenebris educatur. *Sæc. VI.* VIGILIUS.

PELAGIUS *Pontif. LXII.*

Anno Domini DLV.

I. *Pelagius ordinatur PP.* Pelagius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus, natione Romanus, Vicariani filius, Vigilio ſucceſſor datus eſt poſt trium circiter Menſium interpontificium; conſtat enim eum ordinatum menſe Aprili ex ejus Epitaphio infrà referendo, & quidem die 11 ejuſdem menſis, quæ anno 555 Dominicalis erat. Eum conſecratum menſe Aprili anni quingenteſimi quinquageſimi quinti invictè probatur ex ejus Epiſtola VI ad Epiſcopos Tuſciæ data XV Kalend. Martii anno 15 poſt Conſulatum Baſilii V. C. qui eſt annus 556, quo ideò, ante menſem Aprilem, imò & menſe Februario, quo ea Epiſtola data, jam Pontifex Romanus erat. Dies verò ordinationis deducitur ex ejus Sedis duratione in dicto Epitaphio memorata.

II. *Ante Pontificatum ad Totilam Legatus mittitur.* Pelagius ante Pontificatum Conſtantinopoli fuerat Vigilii Papæ Apocriſarius apud Juſtinianum Imperatorem, cum quo, ut ait Procopius mox laudandus, maximam ſibi conciliaverat amicitiam. Dum eo munere fungeretur, auctor fuit Juſtiniano, ut Origeniſtas damnaret, ex dictis in Vigilio. Conſtantinopoli Romam rediit à Vigilio evocatus anno 544, antequam Imperator primum Edictum contra tria Capitula emitteret. Anno 546 ad Totilam Gothorum Regem Romam obſidentem Legatus miſſus, eum mitiorem reddidit capta Urbe, à quo quidquid voluit obtinuit. Id deſcribit Procopius lib. 3 de Bell. Goth. cap. 20. *Erat tunc quidem*, ait, *forte inter Romanos & ſacros Viros Pelagius quidam Diaconus, qui diu Byzantii commoratus, maximam ſibi cum Imperatore conciliaverat amicitiam. Unde & pecuniarum vi maxima circumfultus, Romam ſe, paulò ante quàm obſideretur, contulerat. In eaque deinde obſidione neceſſariis indigentibus ejus pecuniæ partem largiter impartitus, cum vel antehac eſſet inter Italos omnes vir probus, majorem (uti par erat) charitatis & in proximos quouſque benevolentiæ gloriam retulit. Hunc igitur cum præ fame indigna quæque Romani & difficillima paterentur, facile ſuadent, conventum ut Totilam precaretur, paucorum ſibi dierum inducias his conditionibus daret: ut ſi intra conſtitutum inter ſe tempus nemo ſibi ſuppetias ex Bizantio venerit, ſine mora ſe ipſi, Urbemque barbaris proderent. His cum mandatis ubi ad Totilam Pelagius venit, & ab eo eſt perbenignè ſuſceptus*, &c.

Totilas Urbem ingreſsus, orandi gratia Petri Apoſtoli Templum ingreditur, ſed Gothi interea, quos obvios habent obtruncant. Unde hoc pacto ex militibus quidem deſiderati viginti dumtaxat ſunt, ſexaginta è plebe homines. Ineunt itaque id Totilæ Templum, Pelagius ipſe ſe ſe obviam offert, Chriſti in manibus Evangelia geſtans, ſupplexque factus & genu procumbens: Parce, inquit, ò Princeps, tuis. Tum ille arridens & ſane profuſius ita præfatus eſt: Nunc mihi ſupplicaturus adveniſti Pelagi? Ita quidem, reſpondit, quandoquidem tuum me ſervum effecit Deus, ſed ab aliis jam abſtine manus, qui tibi in ſervitutem ceſſere. His itaque victus precibus Totilas, Gothis militibus edicto mox imperat, Romanorum de cætero ut neminem obtruncarent, & prædis abſtinerent. Deinde Pelagius Romanorum captivorum libertatem obtinuit à Totila, à quo & ad Juſtinianum cum Theodoro uno ex præcipuis Urbis Rectoribus Legatus miſſus eſt pro pace impetranda, ut habet Procopius laudatus. III. *Eum Romæ mitiorem reddit.*

Pelagius poſteà à Vigilio Papa Conſtantinopolim evocatus fuit, ut ſibi in difficili cauſa de Tribus Capitulis auxilio eſſet, ſub quo etiam conſtanter pro Tribus Capitulis decertavit. Legitur enim ſubſcriptus Conſtituto Vigiliano. Cùm nollet Synodùm Quintam ſubſcribere, in exilium miſſus eſt, reſte Victore Tununenſi mox laudando. Juſtinianus Vigilii morte intellecta Pelagium ab exilio revocavit, qui Principi morem gerens, Tria Capitula damnavit, eoque pacto ad Romanam Sedem evectus eſt. Hæc Victoris Tununenſis verba: *Pelagius Romanus Archidiaconus Trium præfatorum defenſor Capitulorum Juſtiniani Principis perſuaſione de exilio redit, & comdemnans ea, quæ dudum coſtantiſſimè defendebat, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus à prævaricatoribus ordinatur.* Ita loquitur Victor, quia Trium Capitulorum erat oſtinatiſsimus defenſor. IV. *Vigilio in perſecutione adhæſit.*

Hæc paulò fuſius narrata ſunt, ut pateat deceptum eſſe Anaſtaſium, quando ſcripſit

Digitized by Google

V. Non fuit auctor, ſed ſocius ejus perſecutionum.

ſcripſit Romanos à communione Pelagii ſe ſubtraxiſſe, quòd auctor publicaretur malorum, quæ Vigilius Conſtantinopoli perpeſſus fuerat; ſubdens Pelagium tenentem *Evangelia & Crucem Domini ſuper caput ſuum in ambonem* aſcendiſſe, *& ſic* ſatisfeciſſe *cuncto populo & plebi, quia nullum malum peregiſſet contra Vigilium.* Quomodo enim id verum eſſe poteſt, cùm conſtet Pelagium Vigilii perſecutionum ſocium fuiſſe; cum eo & pro eo ſtetiſse, ac ſubſcripſiſſe Conſtitutum ejus, quo Quinta Synodus irritabatur, indeque in exilium expulſum eſſe, & Tria Capitula, ut ait Victor in Chronico, *conſtantiſſime* defendiſſe. Quare coram populo in ambone nihil à ſe contra Vigilium tentatum jurejurando non affirmavit Pelagius, ſed quòd nihil contra Synodi Calchedonenſis fidem in Trium Capitulorum damnatione à ſe ſtatutum fuiſſet.

VI. A duobus Epiſc. & uno presbytero ordinatur.

Cùm enim Romæ innotuiſſet Pelagium Tria Capitula condemnaſſe, ſinguli quique tum ſacri, tum laici homines ab ejus communione ſe ſeparabant, neque in tota Italia tertius inveniri potuit Epiſcopus, à quo conſecraretur; illum quippe uti Calchedonenſis Synodi prævaricatorem deteſtabantur. Quare à Peruſino, & Ferentino Epiſcopis, ac Andrea Presbytero Oſtienſi conſecratus fuit, ut tradit idem Anaſtaſius. Procul ergò à vero ſunt, quæ ſcripſit populum Romanum Pelagio offenſum fuiſſe, quia auctor fuerat perſecutionum Vigilii; ſicuti & quod tradit, Vigilio in cuſtodiam detruſo, Clerum Romanum miſſum eſſe in exilium *ad diverſa metalla* incidenda; conſtat enim ex eodem Victore Tununenſi, eos qui Tria Capitula defendebant, ab Imperatore in longinqua monaſteria ablegatos. Porrò ignorantia controverſiæ de Tribus Capitulis Anaſtaſium, veterem alioqui Scriptorem, in eas fabulas impegit, quibus plures Scriptores fidem habuere, ut ait Cardinalis Noriſius in Diſſert. de Synodo Quinta cap. 9 § 1, ubi hæc obſervavit.

VII. In ejus electione novus mos inductus eſt.

Ab ordinatione Pelagii non recedendum, niſi prius obſervemus in ejus electione novum morem inductum eſſe, & Juſtinianum Imperatorem, qui jam ab annis quatuor Romà potiebatur, confirmandi Romani Pontificis auctoritatem, ſibi, ſuiſque poſteris arrogaſſe, exemplo ducto à Gothorum Regibus, qui confirmationes electionum ad ſe traxerant. Inde poſt Vigilii mortem interpontificium trimeſtre fuit, & poſt mortem ſequentium Pontificum ſolito etiam diuturnius; quia confirmatio ex Aula Imperatoris expectanda erat. Imperatores verò electionem non confirmaſſe, niſi ſoluta auri quantitate conſueta, diſcimus ex Anaſtaſio in Agathone. Tertiam hanc electionis Pontificiæ periodum his verbis explicat Mabillonius in Commentario prævio in Ordinem Romanum paragr. 17 ex opere MS. Onuphrii Panuinii *de varia creatione Romani Pontificis*. Gothis Italiæ ditione à Narſete omnino exactis, Italiaquè cum urbe Roma in Orientalis Imperii portionem redacta, inſignior fuit in electione Papæ mutatio uſque ad Carolum Magnum. Mortuo Pontifice Sedis Apoſtolicæ vacantis cura tribus præcipuis Cleri Miniſtris committebatur, ſcilicet Archipresbytero, Archidiacono, & Primicerio Notariorum. Ab his quàm primùm de morte Papæ nuncium ſignificatur Exarcho, quem, Gothis pulſis, Ravennæ inſtituit Imperator.

VIII. Imperator electionis confirmationem ſibi attribuit.

Poſt juſta defuncto perſoluta, exactumque tridui jejunium, de eligendo Pontifice tractabatur. Huic electioni intererant Clerus, Optimates, populus & milites, hoc eſt militum ſtationes, qui ad tutandam adversùs Longobardos, reliquam Italiæ partem, Romæ potiſsimùm & Ravennæ conſiſtebant. De electione mox referebatur ad Imperatorem, à quo petebatur, expectabaturque factæ electionis approbatio. De ea item ſcribebatur ad Exarchum, ad Judices, Archiepiſcopum & Apocriſarium Ravennæ, ut electioni faverent. Poſt datam ab Imperatore approbationem, electus tandem ordinabatur ad Confeſſionem Sancti Petri, ibique fidem profitebatur: moxque fidei ſuæ confeſsionem ad omnes Eccleſias dirigebat. Hæc omnia conſtant ex Libro Diurno Romanorum Pontificum, cujus formulæ ab eo tempore, ideſt, poſt electionem Pelagii, in uſu eſse cæperunt. Ita Mabillonius, cui in omnibus conſentit Auctor Criticæ Baronii, niſi in eo quod ait morem hunc usque ad Carolum Magnum perduraſſe; regnante enim Pippino Francorum Rege Eccleſiam ab illa ſervitute liberatam fuiſse, infra cum eodem Auctore videbimus, licèt Ludovico Pio imperante, mos ille in priſtinum ſtatum reſtitutus, & Pontificum Romanorum ordinatio coram Legatis Imperatoris iterùm peracta fuerit.

IX. Pelagius Tuſcos Tria Capitula defendentes increpat.

Cùm Pelagius ubique veluti Calchedonenſis Concilii proditor traduceretur, Epiſcopi Tuſciæ illius nomen, uti moris erat, inter ſacroſancta myſteria recitare recuſabant, ut ipſemet teſtatur in Epiſtola VI ad eos *data XV Kal. Martii anno XV poſt Conſulatum Baſilii*, ideoque anno 556: *Quomodo vos*, inquit, *ab univerſi orbis communione ſeparatos eſſe non creditis, ſi mei inter ſacra myſteria, ſecundùm conſuetudinem, nominis memoriam reticetis, in quo licèt indigno, Apoſtolicæ Sedis per ſucceſſionem Epiſcopatus præſenti tempore videtis conſiſtere firmitatem?* Eâ Epiſtolâ Pelagius eorum

Digitized by Google

eorum contumaciam graviter perſtrinxit. *Diviſionem veſtram*, ait, *à generali Eccleſia, quam tolerabiliter ferre non potero, vehementer ſtupeo*. Scripſit etiam Pelagius Epiſtolam Encyclicam ordine VII ad omnes Orthodoxos, & in hac ſicut in priori, ſe quatuor Conciliorum fidem tenere proteſtatus eſt. Licèt autem Synodum Quintam in ea non nominarit; tacitam tamen illius mentionem facit, dicens: *Poſſemus quidem totius cauſę rationem ad ſedandos rumores hominum, Divina nobis cooperante miſericordia, fiducialiter explicare, nihilque contra fidem Patrum, contra quatuor Synodorum firmitatem nullatenus eſſe tentandum* (legendum *tentatum*) *lucidiſſimis approbationibus demonſtrare, magiſque id actum* (in Quinta Synodo) *ut memoratarum Synodorum firmitas contra omnes inimicos immobili ſoliditate conſiſteret. Sed quia hoc his, qui lacte potius, quàm ſolido cibo nutriendi ſunt, neceſſarium eſſe non duximus*, &c.

X. *Scribit ad Childebertum Francorum Regem.*

Hoc eodem anno quingenteſimo quinquageſimo-ſexto Pelagius ſalutatoriam ad Sapaudum Arelatenſem Epiſcopum ſcripſit Epiſtolam VIII, datam *IV Nonarum Juliarum*, antequam ab eo literas acciperet. Tum Epiſtolâ IX datâ *decimo ſexto Kalendas Octobris*, modeſtè laudes rejicit, quibus illum Sapaudus in literis ſuis ornarat. Tum utrique Epiſtolæ ſubjicitur decima ad Childebertum Francorum Regem data *III Idus Decembres*. Miſerat Childebertus Rufinum Romam ad Pelagium Papam, qui ab eo poſtulavit, ut vel Childeberto ſignificaret, ſe per omnia B. Leonis ſcriptis aſſentiri, vel propriis verbis confeſſionem ſuæ fidei ad eumdem deſtinaret; cujus petitionis hæc ratio fuit. Semina ſcandalorum in provinciis Galliarum à quibuſdam ſpargebantur, quaſi quid contra fidem Catholicam in Quinta Synodo generali peractum eſſet. Quare Pelagius literis tertio Idus Decembris datis priorem petitionem implevit, & anathema dixit iis, qui de fide aliter ſentiebant, quàm in Epiſtolis Sancti Leonis, & in Concilio Calchedonenſi continebatur.

XI. *Fidei ſuæ profeſſionem ad eum mittit.*

Quoad ſecundum caput petitionis à Childeberto factæ per eumdem Rufinum, Pelagius Epiſtolâ XVI ad Childebertum, ſine die, & Conſule datâ, fidei ſuæ confeſſionem ad eum mittit, quæ Epiſtola ſine dubio ſcripta eſt Idibus Aprilis anni 557, cùm eodem die data ſit ejus Epiſtola ad Sapaudum, cui notum facit, ſe ad Childebertum Regem ſcripſiſſe, ad eumque fidei ſuæ confeſſionem miſiſſe; & à Sapaudo petit Pelagius, ut ſibi ſignificet, an ſua fidei profeſſio tàm ei, quàm Regi placuerit. Hæc profeſſio fidei, ſeu *fides Papæ Pelagii* poſt utramque Epiſtolam ſequitur in Collectione Conciliorum.

XII. *Arelatenſi Epiſc. vices ſuas committit.*

Idem Pontifex Epiſtolâ XII ad Sapaudum Arelatenſem datâ III Nonas Februarii anni 557; ipſi vices ſuas in Galliis delegat, palliique uſum impertitur, quod ſignificat Childeberto Regi Epiſtola XIII, quæ eſt ſine die & Conſule; tandemque Epiſtola XIV eumdem Regem privilegiorum Sedis Arelatenſis, & totius Eccleſiaſtici ordinis protectorem, canonumque vindicem agnovit, contra cujuſdam Epiſcopi temeritatem, qui Sapaudum ad alterius Epiſcopi tribunal vocaverat, ad ipſum ſcribens: *Pro quibus Chriſtianitatis veſtrę confidentia freti, paterno ſtudio poſtulamus, ut ſi quid tale factum eſt, congrua ſatisfactione celeriter amputetur, nec ullum ſui exemplum in perturbatione Eccleſiarum, quas Vobis Deus credidit, relinquere concedatur. Et hujuſmodi cauſis ſolicitam Vos in reliquo decet exhibere cautelam, ne quid contra Eccleſiaſticas regulas petentibus concedatur: quia quod bene cognitum eſt religioſę menti veſtræ, non aliter Deo noſtro rectè poteſt Regalis devotio famulari, niſi providentiâ ejus Eccleſiaſticorum ordinum ſervetur integritas*. Porrò Sapaudus vices Romani Pontificis non geſſit, ut deceſſores Auxanius, & Aurelianus, per eam tantùm Galliæ partem, cui Childebertus dominabatur, & per provincias in quas Epiſcopus Arelatenſis, cùm Metropolitanus eſſet primi ordinis, jus Metropolicum exercebat, ſed per univerſam Galliam, ut ex laudatis Pelagii ad Sapaudum literis liquet.

XIII. *Illyrici & Africani ad unitatem Eccleſiæ redeunt.*

In Vigilio Papa diximus Africanos & Illyricos Epiſcopos, coactis Synodis, pro Tribus Capitulis conſpiraſſe, & contra eoſdem Reſcriptum edidiſſe Juſtinianum Imperatorem conſtare ex Iſidoro lib. de Viris Illuſtribus cap. 18. Sed magnæ gloriæ vertitur Pelagio, quòd illo Pontifice, non ſolùm Africa & Illyricum, ſed & univerſa Italia præter paucos Epiſcopos Tria Capitula condemnavit. De Africanis id teſtatur Victor Tununenſis in Chronico ad annos 554 & 555; de Illyricis verò ad annum 559.

XIV. *Pelagius pro Synodo Quinta laborat.*

Univerſo itaque Catholico orbe ad Synodum Quintam accedente, ſoli Venetiarum ac Iſtrię Epiſcopi refragabantur. Pelagius ſchiſmati indignatus Epiſtolis 2, 3, 4, & 5 ad Narſetem Patricium, exercitûs Juſtiniani in Italia ducem, eumdem hortatus eſt, ut repugnantes vi cogeret ad recipiendam Synodum. At illi Narſetem ipſum, licèt Italicarum rerum ſumma cum poteſtate præfecturam gerentem, ab Eccleſiaſtica communione ſuſpenderunt: *Neque enim*, inquit Pelagius in Epiſtola IV *ſine illius providentia factum eſſe credendum eſt, ut inſenſati, & perverſi homines ad hoc uſque proſilirent, ut ſuam diviſionem Catholicam eſſe credentes Eccleſiam, à ſua Vos pollutio-*

ne

Digitized by Google

ne prohiberent. Epiſcopi illi, Paulino Aquilejenſi Metropolita incentore, adversùs Quintam Synodum, provincialem Aquilejæ Conventum habuere, in quo Tria Capitula à Calchedonenſibus Patribus non damnata, à quopiam proſcribi poſſe negarunt, in quam ſententiam, dato ſacramento, ab omnibus itum eſt. Pelagius rei indignitate commotus egit cum Narſete, ut conſtat ex ejus Epiſtola V, ut Paulinus Antiſtes Synodi obtrectator, captivus ad Juſtinianum Byzantium mitteretur, quod tamen, cùm meliora de ipſo ſperarentur, minimè factum eſt. Porrò in ea Epiſtola ordine V *Narſeti Patricio*, ut legitur in vulgatis Conciliorum editionibus, vel *Valeriano Patricio*, ut habet Collectio Romana Holſtenii, inſcripta, monet Pelagius non ſolùm Paulinum Aquilejenſem, ſed etiam Mediolanenſem Epiſcopum ad Juſtinianum ſub cuſtodia dirigendos, quia Mediolanenſis Epiſcopus Paulinum illegitimè ordinaverat, ut ex ea Epiſtola liquet.

XV. *Moritur.* Pelagium inchoaſſe ædificationem Baſilicæ Apoſtolorum Philippi & Jacobi teſtatur Anaſtaſius in ejus Vita. Quæ *dum initiaretur*, inquit, *fabricari*, *mortuus eſt*, *& ſepultus in Baſilica beati Petri Apoſtoli ſexto Nonas Martii*. Mortuus eſt itaque Pelagius anno quingenteſimo ſexageſimo, nocte inter ultimum Februarii & primum Martii diem, dieque quarta ejuſdem menſis ſepultus eſt, ut legitur in ejus epitaphio; ordinatus enim fuerat die undecima Aprilis anni 555, & ſedit juxta idem epitaphium *annos quatuor*, *menſes decem*, *dies decem & octo; Depoſitus IV Non. Martii.* Sic enim omnia cohærent. Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum à Joanne ejus ſucceſſore perfectam eſſe, in ejus Pontificatu videbimus. Dicta eſt autem Baſilica Apoſtolorum Philippi & Jacobi, quia ejus dedicatio peracta eſt die prima Maji SS. Apoſtolis Philippo & Jacobo ſacra; ædificata eſt enim in honorem duodecim Apoſtolorum, ut legitur in Bulla Joannis III Pelagii ſucceſſoris, quam refert Baronius anno 559, de qua infrà.

Una Pelagii Papę circumfertur Epiſtola ad Vigilium Epiſcopum, quam rectè obſervavit Baronius ſuſpectam eſſe, falsâ enim Conſulari notâ eſt inſignita, & ex Ithacii ſanctique Leonis Magni verbis variè depravatis contexta, ideoque eam viri omnes Eruditi ut adulterinam rejiciunt. XVI. *Ejus Epiſtola ſpuria.*

JOANNES III. *Pontif. LXIII.*

Anno Domini DLX.

I. *Joannes III creatur PP.* POſt mortem Pelagii ceſſavit Epiſcopatus menſes quatuor, dies decem & ſeptem, non verò, ut legitur in Anaſtaſio, menſes tres, dies vigintiquinque; cùm enim ex ipſomet Anaſtaſio conſtet, Joannem tertium natione Romanum Anaſtaſii viri illuſtris filium ſediſſe *annos* 12, *menſes* 11, *dies* 26, & ſepultum eſſe *in Baſilica B. Petri ſub die* 13 *menſis Julii*, conſtat pariter interpontificium in Anaſtaſio male deſcriptum eſſe, Joannemque ordinatum die decimaoctava menſis Julii, in quam anno quingenteſimo ſexageſimo Dominica incidebat. Licèt autem Joannis III Pontificatus tam diuturnus fuerit, ejus tamen geſta, deficientibus antiquis monumentis, penè ignota ſunt.

II. *Duo Epiſcopi Galli in Synodo depoſiti.* Salonius & Sagittarius fratres, à Sancto Nicetio Lugdunenſi Epiſcopo educati, ut narrat Gregorius Turonenſis lib. 5 cap. 20 ad Epiſcopatûs culmen aſcenderunt, Salonio in Epiſcopum Ebredunenſem, Sagittario verò in Epiſcopum Vapincenſem ordinato. *Sed aſſumpto Epiſcopatu in proprium relati arbitrium, cœperunt in pervaſionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diverſiſque in ſceleribus inſano furore graſſari: ita ut quodam tempore celebrante Victore Tricaſſinorum Epiſcopo ſolemnitatem Natalitii ſui, emiſſa coborte cum gladiis & ſagittis irruerent ſuper eum. Venienteſque ſciderunt veſtimenta ejus, miniſtros ceciderunt, vaſa & omnem adparatum prandii auferentes, relinquentes Epiſcopum in grandi contumelia. Quod cum Rex Guntherannus comperiſſet, congregari Synodum apud urbem Lugdunenſem juſſit; conjunctique Epiſcopi cum Patriarcha Nicetio beato, diſcuſſis cauſis, invenerunt eos de his ſceleribus, quibus accuſabantur, valde convictos, præceperuntque, ut qui talia commiſerant, Epiſcopatûs honore privarentur.* Concilium illud Lugdunenſe II ex ſolis ditionibus Guntramni Regis coactum eſt. In eo conditi canones ſex: eique ſubſcripſerunt ſuâ, vel Vicariorum manu Epiſcopi XIV. Cùm verò in vulgatis Conciliorum editionibus habitum dicatur *anno VI regni glorioſiſſimi Guntramni Regis*, ad annum 567 revocandum videtur.

At illi, ſubdit Gregorius, Salonius nempe & Sagittarius, *cum adhuc propitium ſibi Regem eſſe noſſent, ad eum accedunt, implorantes ſe injuſtè remotos: ſibique tribui licentiam, ut ad Papam urbis Romæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus* III. *Ad Joannem PP. appellant.*

bus

bus eorum, datis Epiſtolis eos abire permiſit. Qui accedentes coram Papa Joanne, exponunt ſe nullius rationis exiſtentibus cauſis dimotos. Ille verò Epiſtolas ad Regem dirigit, in quibus locis ſuis eos reſtitui jubet. Quod Rex ſine mora, caſtigatis prius illis verbis multis, implevit. Sed nulla, quod pejus eſt, fuit emendatio ſubſecuta, &c. Multa eorum ſcelera poſtea Gregorius narrat, & cap. 27 ejuſdem libri 5 Hiſtoriæ Francorum, ſcribit, anno decimo octavo Guntramni Regis, ideoque anno 579 apud Cabillonum civitatem Synodum actam eſſe ex juſſu ejuſdem Regis, in qua duo illi Epiſcopi dignitate dejecti ſunt, & in Baſilicam ſancti Marcelli ſub cuſtodia detruſi, non ſolùm propter illa crimina, ſed etiam, *quod eſſent rei Majeſtatis, & patriæ proditores*; alioſque in civitatibus eorum ſubrogatos fuiſse Epiſcopos.

IV. Joannes Synodum V. defendit & approbat.

Anno quingenteſimo ſexageſimo octavo Italicæ quieti infeſtis Numinibus, Longobardi à Narſete, ut nobiles ſcriptores prodidere, invitati, Alboino Rege ductore in Italiam deſcendentes Aquilejam, ac vicina Venetiæ oppida uno ferè impetu occuparunt. Ita illarum urbium Antiſtites, à Romano Imperio ſeparati, ſecuriùs atque inſolentiùs Synodum Quintam deinceps impugnarunt. Verùm periculoſiſſimis temporibus Joannes Papa animum non deſpondit, ſed & rei Romanæ labenti opem ab Imperatore petiit, & Synodum Quintam defendit. Etenim ii, qui urbium Antiſtites conſecrabantur, in Synodi Quintæ decreta jurabant, ac fidei datæ chirographum ad Apoſtolicam Sedem tranſmittebant, ut teſtis eſt Gregorius Magnus lib. 3 Epiſt. 2 ad Conſtantium, ex qua eruitur Joannem Papam exegiſſe tale juramentum à Laurentio electo Epiſcopo Mediolanenſi: *Et quidem*, inquit Gregorius, *ſi quid de Tribus Capitulis in quocumque vel verbo, vel ſcripto nominatum eſt, benè Fraternitas tua reminiſcitur, quamvis deceſſor Fraternitatis tuæ Laurentius diſtrictiſſimam cautionem Sedi Apoſtolicæ remiſerit, in qua viri nobiliſſimi ex legitimo numero ſubſcripſerunt, inter quos ego quoque tunc Urbanam Præturam gerens pariter ſubſcripſi*. Initium Pontificatûs Laurentii, hactenùs in tenebris ſepultum, nos docuere Mabillonius Tomo I Muſei Italici part. II, & Papebrocius in Exegeſi de Epiſcopis Mediolanenſibus præfixa Tomo 7 Sanctorum menſis Maii; incidit autem in menſem circiter Januarium anni 573, ex quo conſequens eſt Laurentium cautionem ad Joannem Papam tranſmiſiſſe, qua Tria ſe Capitula damnare jurejurando affirmabat, quam ſyngrapham ab eo Joannes Papa exegerat; cùm enim Synodum Quintam approbaſſet, Trium Capitulorum damnationem rectè factam propugnabat.

V. SS. XII Apoſtolorum Baſilicam perficit.

De Joanne III Anaſtaſius ſcribit: *Hic perfecit Eccleſiam ſanctorum Philippi & Jacobi, & dedicavit eam*. Pelagius Joannis deceſſor eam Baſilicam inchoaverat, ut diximus ex eodem Anaſtaſio. Ea nunc vocatur Baſilica duodecim Apoſtolorum; Baronius enim anno 559 refert antiquum exemplar Bullæ Joannis III è manuſcriptis, ut ait, Vaticanis excerptum, cui hujuſmodi inſcriptio præpoſita legitur: *Exemplum Bullæ Papæ Joannis tertii, ubi dicit Baſilicam duodecim Apoſtolorum initiatam per Pelagium prædeceſſorem ſuum, & morte prævento non abſolutam conſumaſſe, titulumque Cardinalem eam conſtituiſſe, & aſſignat eidem Baſilicę parochię fines, & eam diverſis donariis donat de ſuo veſtiario*. De eadem Baſilica loquitur Hadrianus Papa in Epiſtola ad Carolum Magnum de Imaginibus, dicens Pelagium & Joannem miræ magnitudinis Eccleſiam Apoſtolorum à ſolo ędificaſse, & Hiſtorias diverſas tam in muſivo, quàm in variis coloribus cum ſacris pinxiſse imaginibus, *& nunc uſque hactenus*, inquit, *à nobis venerantur*. De eadem Eccleſia vide dicta in Pelagio. Idem libri Pontificalis Auctor ſcribit Joannem III conſtituiſse, ut oblationes & Amulæ, vel luminaria in cœmeteria per omnes Dominicas miniſtrarentur. Ex quo, in Stephano Papa hujus nominis primo deduximus, non ſolùm perſecutionis tempore, ſed etiam multò poſtea ritum offerendi in cœmeteriis obtinuiſſe. De quo vide etiam dicenda in Gregorio III.

VI. Vitam cum morte commutat

Poſtquam Joannes Papa annos 12, menſes 11, dies 26 Romanam Eccleſiam gubernaſset, ut ex Anaſtaſio num. 1 diximus, vitam cum morte commutavit die decima tertia menſis Julii, eodem Anaſtaſio teſte, ideoque anno quingenteſimo ſeptuageſimo tertio. Baronius rectè monet Epiſtolam *Epiſcopis per Germaniæ & Gallię provincias conſtitutis*, quæ dicitur à Joanne Papa III ſcripta, commentitiam eſſe, & vultum exprimere Mercatoris. Sub ejuſdem Iſidori Mercatoris larva deliteſcit Auctor brevis Epiſtolæ ſub nomine etiam Joannis ad Edaldum Viennenſem Archiepiſcopum ſcriptæ à Baronio in Addendis Tomi XII ſubjectis relatæ.

BENEDICTUS *Pontif. LXIV.*

Anno Domini DLXXIV.

I. *Benedictus fit Papa.* Licèt Anaſtaſius ſcribat, poſt mortem Joannis III ceſſaſſe Epiſcopatum *menſes decem, dies tres*, ex ipſomet tamen Anaſtaſio conſtat diuturnius fuiſſe interpontificium; cùm enim tradat Benedictum ejus ſucceſſorem ſediſse *annos* 4, *menſem* 1, *dies* 28, & ſepultum eſſe *in Baſilica B. Petri Apoſtoli in Secretario, ſub die* 30 *menſis Julii*, ſi ab illo die retrocedamus, inveniemus juxta Anaſtaſium, Benedictum natione Romanum, ex patre Bonifacio, à Græcis Bonoſum nuncupatum, ordinatum fuiſſe die tertia menſis Junii anni quingenteſimi ſeptuageſimi quarti, in quam eo anno Dominica cadebat, & conſequenter ex ipſomet Anaſtaſio, poſt Joannis III mortem, ceſſaſſe Sedem menſes 10, & dies 21. Tam longi interpontificii cauſa in tumultus à Longobardis Italiam turbantibus excitatos videtur referenda. Obiit Benedictus nulla re geſta, quę ad nos pervenerit, celebris.

II. *Moritur.* Anaſtaſius in Benedicto ſcribit, ejus tempore gentem Longobardorum invaſiſſe totam Italiam, ſimulque & famem nimiam, ita ut etiam multitudo caſtrorum ſe traderet Longobardis, ut temperare poſſet inopiam famis. Subdit poſtea: *In iſtis laboribus & afflictionibus poſitus ſanctiſſimus Benedictus Papa mortuus eſt, qui ſepultus eſt in Baſilica beati Petri Apoſtoli in Secretario pridie Kalendas Auguſti*. Obiit itaque Benedictus die 30 menſis Julii anni quingenteſimi ſeptuageſimi octavi, non verò anni quingenteſimi ſeptuageſimi noni, ut vult Papebrocius, hoc enim ultimo anno, die 18 Februarii jam ſedebat Pelagius II Benedicti ſucceſſor, ut conſtat ex ejus Epiſtola eo die data, & recitata in Sinodo Gradenſi, de qua in eius Pontificatu ſermo erit.

Extat Epiſtola Benedicti Papæ nomine ſcripta *Epiſcopo David*, quæ ab aliquo impoſtore conficta eſt, qui Operis adversùs Warimandum Arianum capiti primo, variè interpolato, Philonis ſententiam & 1 ad Thim. 4 adtexuit; verſionem ex Vetere & Hieronymiana ſibi peculiarem cudit, ac Epiſtolam commentitiâ Conſulatus notâ obſignavit. III. *Epiſtola ipſi afficta.*

PELAGIUS II. *Pontif. LXV.*

Anno Domini DLXXVIII.

I. *Pelagius II ordinatur injuſſu Imperatore.* Benedicto Papa mortuo, Sedes vacavit non menſes tres, dies decem, ut legitur in Anaſtaſio, ſed menſes quatuor; quod facile eſt demonſtrare. Cùm enim conſtet Pelagium II Benedicti ſucceſſorem mortuum eſſe die octava Februarii, anni 590, poſtquam ultra annos 11, menſes 2, & dies 10 ſediſſet, ejus ordinatio neceſſariò retrahenda eſt ad diem trigeſimam Novembris anni 578 juxta noſtram opinionem, vel anni 579, juxta eos, qui volunt eum ſediſſe tantùm annos 10. Sed hoc ultimum dici non poteſt, nam in Synodo Gradenſi, de qua mox, eodem anno 579 *die III Nonarum Novembrium* celebrata, lecta eſt Epiſtola Pelagii II die decima octava Februarii data, ex quo conſequens eſt ejus ordinationem die 30 Novembris anni 578 peractam, ideoque & juxta Anaſtaſium vacationem ſedis poſt mortem Benedicti fuiſſe quatuor menſium, cùm ipſemet aſſerat Benedictum obiiſſe die 30 Julii, & Pelagium die octava Februarii. Pelagius itaque hujus nominis II, natione Romanus, ex patre Vinigildo ordinatus eſt Romanus Pontifex die trigeſima menſis Novembris ſancto Andreæ Apoſtolo ſacra, anno quingenteſimo ſeptuageſimo octavo. Ordinatus eſt autem *abſque juſſione Principis*, inquit idem Anaſtaſius, eò quòd Longobardi obſiderent civitatem Romanam, & multa *vaſtatio ab eis in Italia fieret*. Quare aliquando contigit, ut Romani Pontifices, neceſsitate urgente, non expectato Imperatoris conſenſu, aut Exarchi, conſecrati fuerint.

Univerſa Italia Synodum Quintam receperat, ſolique Tranſpadani, Iſtri, ac Veneti eidem eò ſecurius refragabantur, quò ſub Longobardorum Imperio vivebant. Quare pro Tribus Capitulis acerrimè adversùs Romanos Pontifices diù pugnarunt. Paulinus Archiepiſcopus Aquilejenſis, quem diximus Pelagium I literis ad Narſetem Patricium datis, inſecutum eſſe, captâ à Longobardis Aquileja, ſacram omnem ſupellectilem in Gradi inſula propè urbem in æſtuariis ſita, ſervandam curarat, illoque mor- II. *Aquilejenſem ſedem Gradum transfert.*

Digitized by Google

SÆC. VI. PELAGIUS II.

mortuo, atque Probino ejus ſucceſſore intra annum extincto, Helias Archiepiſcopus renunciatus fuerat. Qui cùm Aquilejæ inter Chriſtianæ rei infenſiſſimos hoſtes, haud tutò ſe degere poſſe animadverteret, Pelagium Papam rogavit, ut Metropolitana ſedes Aquilejenſis Gradum transferretur, ubi Templum Martyri Euphemiæ ædificarat. Pelagius, tum ut initio Pontificatûs ſchiſmaticorum principem, collatis beneficiis, erga Sedem Apoſtolicam reverentiorem faceret, tum quòd ſub Romano Imperio viventem ad obedientiam facilius revocari poſſe intelligeret, Heliæ precibus annuit, delegavitque Laurentium Presbyterum, cui cum literis Pontificiis Synodo provinciæ, ea de causâ celebrandæ, ſuo nomine adeſſet. Illam recitat Dandulus in Hiſtoria Veneta MS. & ex eo Ughellus Tomo V Italiæ ſacræ in Tabulis Aquilejenſium Patriarcharum, extatque MS. tam in Bibliotheca Barberina, quàm in Vaticana. Eſt porrò Gradus Urbs ſita in parvula inſula, quæ eſt in ora littorali maris Adriatici.

III. *Ea tranſlatio in Synodo Gradenſi confirmatur.*

Coacta Synodus apud Gradum die tertia Novembris anni quingenteſimi ſeptuageſimi noni, ejus enim hoc eſt initium: *Imperante Sereniſſimo Tiberio Conſtantino Auguſto, anno Imperii ejus quinto, eodem Conſule, ſub die 3 Nonarum Novembrium, indictione 13*, quæ notæ temporariæ annum 579 certò deſignant. In ea lecta eſt Epiſtola Pelagii II, cujus ſumma his verbis continetur: *Quapropter veſtro compatientes mœrori neceſſitudinem, imò etiam rabiem furentium perpendentes Longabardorum, inclinati precibus veſtris per hujus præcepti ſeriem, ſuprascriptum Caſtrum Gradenſe totius Venetiæ cum omnibus veſtræ Eccleſiæ pertinentibus etiam Iſtriæ Metropolim perpetuò confirmamus*. Dicitur Epiſtola data *XII Kalendas Martii Imperatore Tiberio II Auguſto*. Lectis literis acclamatum ab omnibus: *Exaudi Chriſte, Pelagio vitam: omnes uno conſenſu ſanctiſſimi Pelagii præceptionem & veſtram ſequimur confirmantes ſententiam*. In fine Epiphanius juſſus eſt Patrum decreta legere, ſtatimque definitio fidei Synodi Calchedonenſis lecta eſt, pro illa enim Synodo Antiſtites mordicùs ſtabant. Præter Heliam Eccleſiæ Aquilejenſis Epiſcopum, & Laurentium Presbyterum Apoſtolicæ Sedis Legatum, Synodo ſubſcripſere Epiſcopi decem & octo Aquilejenſi Metropolitæ ſubjecti, cujus ampliſſima erat juriſdictio, cùm à Pannonia ſecunda uſque ad Abduam in Inſubria extenderetur. Continebat enim Rhætiam ſecundam, cujus Metropolis Sabio: Noricum, cujus primaria urbs erat Tiburnia ad Dravum. Denique complectebatur Iſtriam, Forum-Julii ac Venetiam, quæ provinciæ uno *Iſtriæ* nomine id temporis, ac in Sexta Synodo vulgò appellabantur.

IV. *In ea Synodo Epiſcopi Iſtriæ à ſchiſmate non diſcedunt.*

Schiſmatici in hac Synodo contra Quintum Concilium iterum jurarunt, vano eo prætextu, ne Synodus Calchedonenſis læderetur. In laudata enim Danduli Hiſtoria legitur eos Epiſcopos *demonſtrata Synodo Calchedonenſi* ſubſcripſiſſe, & in Chronico Aquilejenſi à Cardinali Noriſio, ex cujus Differt. de Synodo Quinta cap. 9 § 4 hæc excerpta, laudato, habetur: *In qua Synodo quidquid de Calchedonenſi Concilio dubitabatur, pulſa dubitatione confirmatum eſt*. Quare eo beneficio ſchiſmaticis collato, nihil Pelagio collatum eſt. Ex illa autem ſedis tranſlatione factum, ut Metropolitæ promiſcuè Aquilejenſes, vel Gradenſes dicerentur. Ita Sanctus Gregorius Magnus Severum Heliæ ſucceſſorem Epiſcopum Aquilejenſem dixit lib. 1 Epiſt. 16; Gradenſem verò lib. 11 Epiſt. 38. Nulla porrò hujus Synodi Gradenſis in Collectione Conciliorum mentio.

V. *Pelagius eos à ſchiſmate reducere tentat.*

Poſthàc, Tiberio Imperatore Orthodoxo Perſico bello occupato, atque anno 582 defuncto, ſchiſmatici periculoſis temporibus in rebellione perſeverarunt. Longobardi enim in dies imperium per Italiam protendebant, Exarchis à Mauricio Imperatore, Tiberii ſucceſſore, bellum in Oriente gerente, ſuppetias non accipientibus. Sed cùm anno 586 Longobardi, Francorum Regis cum validiſſimis copiis adventum reformidantes, inducias cum Flavio Smaragdo Exarcho ſtatuiſſent, Pelagius Pontifex ſchiſmaticis ad Eccleſiam reducendis manum admovit. Redemptum itaque Epiſcopum Ferentinum, & Quodvultdeum Abbatem ad eoſdem Legatos miſit cum Epiſtola ordine V, cujus hoc eſt exordium: *Dilectiſſimis fratribus Eliæ, aliiſque Epiſcopis, univerſis filiis in Eccleſiæ Iſtriæ partibus conſtitutis*, &c. *quòd ad dilectionem veſtram, fratres, filiique chariſſimi noſtra tardius ſcripta dirigantur, non malevolæ voluntatis, aut diſſimulationis, vel negligentiæ fuiſſe credatur, ſed, ſicut noſtis, temporalis qualitas, & hoſtilis neceſſitas hactenus impedivit*, &c. *poſtea ergo quam Deus omnipotens pro felicitate Chriſtianorum Principum per labores & ſolicitudinem filii noſtri Excellentiſſimi Smaragdi Exarchi & Chartularii ſacri palatii pacem nobis interim, vel quietem donare dignatus eſt, cum omni ſolicitudine feſtinamus præſentia ad Vos ſcripta dirigere, hortantes, & obſecrantes, ne in diviſione Eccleſiæ ulterius quiſquam ſtudeat permanere*, &c. Pluribus poſtea eis inculcat in ſola unitate fidei procul à ſchiſmate homines ſalvari poſſe, tandemque ipſis aditum aperit, mediaque offert, quibus in iis ſchiſmatis vulnus ſanetur: *Si quid fortè cauſæ eſt*, inquit, *unde veſtri ſcandalizati animi vi-*

Digitized by Google

videantur, manentes in unitatis charitate, eligite de fratribus, ac filiis noſtris, quos ad nos inquirenda de quibus movemini, tranſmittere debeatis, & parati ſumus ſecundùm præceptionem Apoſtolicam, & cum charitate eos ſuſcipere, & cum humilitate ad placita ſatisfactionis reddere rationem, & ſine impedimento aliquo cum omni dilectione, quando reverti voluerint, voluntate ſinceriſſima relegare. Quo anno data ſit hæc Epiſtola, non indicatur; ſed ex induciis à Smaragdo ſtabilitis, anno 586 ſcripta intelligitur.

VI. Ipſos iterum hortatur ut ad unitatem Eccleſiæ redeant.

His literis, hacque legatione nihil promovit Pelagius. Nam ſchiſmatici ſuos quidem cum literis nuntios ad ipſum miſerunt, ſed nullam inire voluerunt de cauſa diſſidii collationem, ut teſtatur Pontifex in Epiſtola VI ad ipſos datâ, quâ, ubi expoſuit, quàm grave malum ſit ſchiſma, ipſos iterum hortatur, ut quoſdam è ſuis Romam, vel ſi eos itineris incommoda remorantur, ſaltem Ravennam mittant, ubi facta Congregatione Sacerdotum, à Legatis Pontificiis ſatisfactionem leniſsimam percipiant: ne amplius animæ ſimplices diviſæ à ſancta Eccleſia, pro ſuperfluis quæſtionibus, tam longa obſtinatione permaneant. Nihil à Schiſmaticis obtinuerunt hæ literæ charitatem Apoſtolicam ſpirantes. Sed illi prolixiori Epiſtolâ cauſam ſuam defendere ſunt aggreſsi.

VII. Tertiò ad ipſos ſcribit.

Quare Pelagius tertiò jam tandem ſchiſmaticos, prolixâ ſatis ad eoſdem datâ Epiſtolâ VII, monere non deſtitit. In ea Synodum Calchedonenſem, quod ad fidei decreta ſpectat, nihil per Concilium Quintum læſam oſtendit, idque ex Sancti Leonis Epiſtolis probat. Apoſtolicam Sedem fatetur initio per Vigilium Papam noluiſſe Tria Capitula damnare, quæ tamen, cauſâ poſtea diligenter diſcuſsâ, Vigilio eodem auctore proſcripſit; ibique Theodorum Mopſueſtenum hæreticum ex SS. Patribus oſtendit; ac Theodoreti libros contra S. Cyrillum; itemque Epiſtolam Ibæ omninò damnandam eſse demonſtrat. Illud verò quammaximè Pelagio diſplicebat, quòd Iſtri Epiſcopi ab Apoſtolicæ Sedis communione ſe ſuſpenderant, contra quam etiam *interdictum*, teſte eodem, publicarant. Quare in hiſce poſtremis literis graviſſimum eorum crimen arguens, ait: *Cur non ad memoriam pro unitate ſervanda B. Auguſtini dictum reducitur? Qui dum de unico baptiſmate loqueretur, idcircò Cyprianum Martyrem, qui de iterando baptiſmate ſcripſerat, defunctum perhibuit, quia licèt pravum quid ſenſerit, nunquam tamen ſe à totius Eccleſiæ communione ſuſpendit.* Hanc Pelagii Papæ Epiſtolam à Sancto Gregorio Magno ſcriptam fuiſſe auctor eſt Paulus Diaconus lib. 3 de Geſtis Longobardorum cap. 20.

Tam gravibus, tam eruditis, tam piis Epiſtolis fracta non eſt ſchiſmaticorum pervicacia. Quare Pelagius cum ſurdis ſe canere intelligeret, abjecto calamo, armata manu cum iis agendum ratus Smaragdum Exarchum contra eoſdem per literas concitavit, eos ut poteſtate coerceret, atque ad parendum Sedi Apoſtolicæ cogeret.

VIII. Contra eos vim adhibet, ſed fruſtra.

Smaragdus minaces ad Heliam, reliquoſque, qui ſub Imperatoris poteſtate erant, literas dedit obedientia erga Apoſtolicam Sedem imperata. At illi Oratores ad Mauricium Imperatorem miſerunt, à quo etiam, ne quid moleſtiæ ipſis inferretur, ſubdola ſtatim arte impetrarunt. Id conſtat ex libello, quem iidem ſchiſmatici ad præfatum Imperatorem miſerunt ſub S. Gregorii Pontificatu. Paulò poſt Heliam deceſſiſſe iidem affirmant, cui ſuffectus eſt Severus Trium Capitulorum æquè pertinax defenſor. Hunc Smaragdus, veritus ne & vicinas regiones ſchiſmate inficeret, in Gradenſi Eccleſia captum, vi Ravennam deduxit, ubi coram Joanne Archiepiſcopo Tria Capitula damnare coactus fuit. ſed poſt annum in Eccleſiam ſuam redux non ante à ſuis collegis receptus in communionem eſt, quàm in Synodo decem Epiſcoporum Marani congregata, rursùs Trium Capitulorum defenſionem juraſſet. Hæc ſub Pelagii II Pontificatu contigere, quæ viſum eſt hìc uno tenore referre, licèt Synodus hæc Marani ſub initium Pontificatus Sancti Gregorii celebrata fuerit.

IX. Scribit librum pro defenſione Quinti Synodi.

Ceterum Pelagius II Synodum Quintam non ſolùm decretis ſuis, & Exarchi auctoritate tutatus eſt; verùm etiam integrum pro ea volumen procudit, de quo hæc ſcribit Sanctus Gregorius libri II Epiſtola 36 indictione 10, ideoque anno 592 ad Epiſcopos Hiberniæ data: *Ut igitur*, inquit, *de Tribus Capitulis animis veſtris ablata dubietate poſſit ſatisfactio abundanter infundi, librum, quem ex hac re ſancta memoriæ deceſſor meus Pelagius Papa ſcripſerat, vobis utile judicavi tranſmittere; quem ſi poſito voluntariæ defenſionis ſtudio, puro, vigilantique corde ſæpius volueritis relegere, eum vos per omnia ſecuturos, & ad unitatem noſtram reverſuros nihilominus eſſe confido.* Liber ille Pelagii creditur eſse prolixa illa Epiſtola ad Iſtriæ Epiſcopos data, quæ extat Tomo 5 Concil. pag. 615 quamque Paulus Uvarnefridus lib. 3 de Geſtis Longobard. cap. 20 ſcriptam dicit Pelagii Papæ nomine à beato Gregorio, cùm adhuc Diaconus eſset. De ea Epiſtola mox locuti ſumus.

X. Auxilium petit contra Longobardos.

Pelagius ad Annacharium Epiſcopum Antiſiodorenſem Epiſtolam IV ſcripſit, qua Regum Francorum fide ortodoxa commendata, Annacharium hortatur, ut illis ſuadeat, ne cum Longobardis fœdus habeant, imo Italiæ & Urbi ſuccurrant. Hæc Epiſtola

Digitized by Google

SÆC. VI. PELAGIUS II.

ſtola data eſt tertio Nonas Octobris anno 581 juxta editionem Sirmondi, vel 580 juxta Vaticanam Conciliorum editionem. Epiſtola verò III ejuſdem Pontificis ad Gregorium Diaconum, poſtea Papam, tunc ſuum Conſtantinopoli Apocriſarium, qua ei dat in mandatis, ut Urbi contra Longobardos imminentes auxilium ab Imperatore impetret, *data eſt IV Nonas Octobris, indictione tertia*, ideoque anno 584.

XI. *S. Gregorium Diaconũ ordinat, & Cpolim miſit.*

Sanctum Gregorium, qui poſtea Pontifex Romanus renunciatus eſt, Diaconum ordinatum, à Pelagio II initio ſui Pontificatûs, ad Tiberium Auguſtum Apocriſarium Conſtantinopolim miſſum eſſe, non videtur ſupereſſe ambigendi locus. Gregorius ex dictis in Joanne III num. 4 ſubſcripſit anno 573 juramento à Laurentio Mediolanenſi Epiſcopo præſtito, dum Urbanam Præfecturam adhuc gereret. Non multò poſt jusjurandum illud, Gregorium ſæculo renunciaſſe & Monachum induiſſe, ex eo deducunt Bollandus ad diem 12 Martii in Commentario prævio ad ejus Vitam, Cardinalis Noriſius in Diſſert. de Synodo V cap. 9 § 3, & Mabillonius Tom. 2 Veter. Analect. in Diſſert. de Vita Monaſtica Gregorii Papæ I, quòd plures annos in monaſterio S. Andreæ à ſe in Urbe condito commoratus eſt ante ſuſceptum Diaconatûs gradum & Legationem Conſtantinopolitanam. Certè ex libris Dialogorum ejuſdem Pontificis, & ex Joanne Diacono in ejus Vita deducitur, Gregorium ante annum 579 jam vitam Monaſticam profeſſum eſſe. Cardinalis autem Noriſius loco laudato obſervat, Gregorium Tiberio imperante, Apocriſarium Sedis Apoſtolicæ apud eum egiſſe, quo tempore cum Eutychio Patriarcha Conſtantinopolitano de palpabilis carnis reſurrectione coram Imperatore litigavit. Rem ipſemet Gregorius deſcribit lib. 14 Moral. cap. 29. *Tunc itaque*, inquit Gregorius, *de hac re in longa contentione perducti, graviſſima à nobis cæpimus ſimulatione reſilire, cùm piæ memoriæ Tiberius Conſtantinus Imperator ſecretò me & illum ſuſcipiens, quid inter nos diſcordiæ verſaretur agnovit*. Cùm verò Eutychius die ſexta Aprilis anni 582, & Tiberius Auguſtus die decima quarta Auguſti ejuſdem anni, obierint, ea diſſenſio ad annum 581 ad minus retrahenda eſt, ut poſſit dici *ex longa contentione* inter utrumque ſimulatio ſuborta, ideoque jam anno eodem Gregorius Pelagii Legatus in urbe Regia verſabatur; ex quo & ſequitur ab eodem Pelagio II & Diaconum & Apocriſarium ad Tiberium, Gregorium electum eſse; Diaconi enim eo munere juxta antiquam conſuetudinem fungebantur, teſte eodem Gregorio lib. XI Epiſt. 45 ad Phocam Auguſtum.

SÆC. VI. PELAGIUS II.

XII. *S. Gregorius cum Eutychio Epiſc. CP. diſputat de carnis reſurrectione.*

Porrò cùm Eutychius Patriarcha paulò antequam in morbum incideret, Commentarium ediſſet de Reſurrectione carnis, quo cùm firmiter adverſus Gentiles & Hæreticos eam aſtrueret, ex Origenis tamen erroribus aſſereret eam fore abſque carne palpabili; Gregorius tunc Apoſtolicæ Sedis & Pelagii II Apocriſarius, ipſo convento, atque admonito, poſt multam inter eos diſputationem, interveniente Tiberio Imperatore, liber ille combuſtus eſt, & Eutychius errorem agnovit, qui & ægrotans, quandocumque noti Gregorii ad eum ſalutationis gratia pergebant, pellem manûs ſuæ tenens dicebat: *Confiteor quia omnes in hac carne reſurgemus*; quod omninò prius negare conſueverat. Refert hæc pluribus ipſe Gregorius lib. 14 Moral. cap. 29, quæ Euſtathius in Vita S. Eutychii diſſimulavit. Ceterùm haud valuit nævus iſte vel quantavis macula, quam citò abſterſit, Eutychii animæ labefactare pulchritudinem: ut non immeritò Græci eum ut ſanctum colant, anniverſariaque die ejuſdem Natalem celebrent.

XIII. *Fuit Inſtituti S. Benedicti.*

Quo in monaſterio vitæ Monaſticæ rudimenta didicerit Gregorius, docet ipſe variis in locis, nimirùm in monaſterio ſancti Andreæ, quod Romæ conſtruxerat, ut ſcribit lib. 4 Dialog. cap. 21. Benedictinam verò eo loci viguiſſe Regulam oſtendit Mabillonius in parte 2 Diſſertationis laudatæ, ex ipſius ſcilicet Regulæ obſervatione & auctoritate apud Monachos Andreanos; ex Gregorii ſingulari ſtudio in eamdem Regulam, ejuſque Auctorem; ex ipſiuſmet Regulæ propagatione per Gregorii diſcipulos facta in magna Britannia, & ex teſtimoniis Veterum, qui ab annis ferè nongentis Gregorium ſodalibus Benedictinis adnumerant. Baronius quidem, quem alii ſecuti ſunt, Gregorium non Sancti Benedicti, ſed Sancti Equitii Inſtitutum amplexum fuiſſe credidit, & ad id probandum multa congeſſit; ſed Mabillonius loco citato ad ejus argumenta reſpondet, ut ibidem videre eſt.

XIV. *Pelagius caſſat Synodũ Cpoli celebratam.*

Anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo octavo Joannes *Jejunator* dictus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Concilium Conſtantinopoli celebravit in cauſa Gregorii Epiſcopi Antiocheni, qui factione Aſterii Orientis Præfecti accuſatus ab Antiochenis de inceſto, & de crimine turbatæ pacis, ac tranquillitatis urbis Antiochiæ, ad Imperatorem & Concilium provocaverat; ſed Synodi atque Senatûs ſententiâ abſolutus liber ad civitatem ſuam reverſus eſt, ut pluribus refert lib. 6 cap. 7 Evagrius, qui tunc affuit, eidemque Gregorio adſtitit. Celebrem illam Synodum Joannes Jejunator indixit, non tam ut Gregorii Antiocheni cauſam diſcuteret, quàm ut ſibi Synodali

Digitized by Google

SÆC. VI. PELAGIUS II.

dali decreto Epiſcopi *Oecumenici*, ſeu *Univerſalis* titulum arrogaret & confirmaret, quod ex animi ſententia in eadem Synodo perfecit. Sed cùm ea Pelagius Papa accepiſſet, cuncta Synodi geſta, præter ſententiam pro Gregorio Antiocheno latam diſſolvit & caſſavit; ſuumque apud Imperatorem Conſtantinopoli agentem Apocriſarium, ne eidem Joanni in ſacris communicaret, prohibuit, ut teſtatur Sanctus Gregorius lib. 4 Epiſtola 36 ad Eulogium, Epiſt. 38 ad ipſum Joannem, & Epiſt. 70 lib. 7 ad Euſebium Theſſalonicenſem Epiſc. data: *Cognoſcat*, inquit in hac ultima, *fraternitas veſtra Joannem quondam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Antiſtitem, contra Deum, contra pacem Eccleſiæ, in omnium deſpectum & injuriam Sacerdotum, modeſtiæ ac menſuræ ſuæ terminos exceſſiſſe, & illicitè in Synodo ſuperbum ac peſtiferum Oecumenicum, ideſt univerſalis ſibi vocabulum uſurpaſſe. Quod beatæ recordationis Pelagius deceſſor noſter agnoſcens, omnia geſta ejuſdem Synodi, præter ea, quæ illic de cauſa venerandæ memoriæ Gregorii Epiſcopi Antiocheni ſunt habita, valida omninò diſtrictione caſſavit, diſtrictiſſimè illum corripiens, ut ſe à novo & temerario ſuperſtitionis nomine cohiberet, adeò ut ſuum illi Diaconum, niſi tantum nefas emendaret, procedere prohiberet.*

XV. *Eius ad Joannem Epiſcop. CP. Epiſtola rejicitur.*

Epiſtola, quam Sanctus Gregorius ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum à Pelagio II hac de re datam docet, periit; nam Epiſtola VIII, quæ extat Tomo V Conciliorum, quæ dicitur à Pelagio Papa ad dictum Joannem ſcripta, dataque *Kalendis Martii, indictione V*, ideoque anno 587, tanquam ſuppoſititia ab omnibus viris doctis hodie rejicitur: tum quia è Procli, Cœleſtini, Leonis, Innocentii, Gregorii & Martini I ſcriptis conſarcinata eſt; tum quia ſtylus à reliquis Pelagii II Epiſtolis abhorret, & pſeudo-Iſidori lineamenta refert.

XVI. *Duæ aliæ eius Epiſtolæ ſpuriæ.*

Idem judicium ferendum de Epiſtolis I Pelagii *ad Benignum Archiepiſcopū de Epiſcoporum translatione*, & II, quæ dicitur data *Epiſcopis per Campaniæ, & Italiæ provincias militantibus*, prior enim cento eſt ex variis locis Athanaſii, Zoſimi, Cœleſtini, Leonis, Socratis, Ennodii, ac Concilii X Toletani, & horridam ubique barbariem exhibet, ut jam viris doctis demonſtratum. Poſterior verò farrago eſt ex variis ſententiis Proſperi, Hilarii, Acacii, Ennodii, Conciliorumque Romani ſub Simmacho, Toletani VIII & Lateranenſis ſub Martino I, ut iidem viri eruditi obſervarunt. Eſt autem ea de accuſationibus & judiciis Epiſcoporum.

XVII. *Eius Epiſtola de Præfationibus Miſſæ ſuppoſititia.*

Suppoſititium pariter eſt Concilium Romanum anno 590 à Pelagio II habitum; ejus enim nullibi mentio reperitur, præterquam in Epiſtola IX Pelagii *ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ*, quæ à Pſeudo-Iſidori ſtylo non diſcrepat. In ea Epiſtola legitur Epiſcopos Germaniæ & Galliæ Pelagium rogaſſe, ut ordinem Præfationum Miſsæ eis mitteret, quem Sancta Romana Eccleſia tunc habebat, ipſumque reſpondiſſe eam novem tantùm Præfationes ab antiquis temporibus ſervaſſe, eaſque ipſis tenendas mandare. Verùm, ut obſervavit Cardinalis Bona lib. 2 Rer. Liturgic. cap. 10 num. 3 ſi ætate Pelagii illis tantùm novem Præfationibus, feſtis in ea Epiſtola memoratis, Romana Eccleſia tanquam dudum in ea receptis & probatis utebatur, quomodo Gregorius ejus immediatus ſucceſſor, ſacrorumque rituum tenaciſſimus cuſtos alias novas inſtituit? Suſpicionem auget Joannes Diaconus, qui cùm res à Gregorio geſtas in Vita ipſius minutiſſimè proſequatur; nullam tamen de Præfationibus ab eo contra morem diu receptum inſtitutis mentionem facit. Ipſe item Gregorius in Epiſtola 64 libri 7 *ad Joannem Siracuſanum*, in qua de additis vel immutatis in ritibus ſacrificii, propter quæ reprehenſus fuerat, rationem reddit, de Præfationibus ſilet: ſicut & de Epiſtola Pelagii II ſilent Scriptores illius & ſequentium aliquot ſæculorum. Ad hæc in libris antiquis Sacramentorum, qui Romanæ Eccleſiæ titulum præſeferunt, plures reperiuntur Præfationes, vixque ulla Miſſa eſt, cui propria & peculiaris non aſſignetur. Accedit teſtimonium Guitmundi ex Monacho Sancti Benedicti Epiſcopi Averſani, undecimo Eccleſiæ ſæculo demortui, Romanis ritibus jam ubique receptis, qui lib. 1 de Euchariſtia, refert Præfationem, quam in quadam die Dominica, *per totum penè orbem Latinum inter Epiphaniam & Septuageſimam* recitari dicit: cujus Pręfationis etiam auctoritate utitur Algerus Monachus Cluniacenſis, qui anno 1130 floruit lib. 1 de Sacram. Corporis & Sanguinis Domini cap. 5. Quare decretum illud de novem Præfationibus nullibi receptum invenitur. Denique ante Pippini & Caroli M. tempora Gallicana Eccleſia non ſuſcepit Romanæ Miſſæ ritum & ordinem, ſed propriis officiis, propriaque Miſſa uſa eſt, ut ex variis antiquitatis monumentis oſtendit idem Cardinalis Bona citatus lib. 1 cap. 12.

XVIII. *Præfationum numerus hodiernus.*

Quo tempore tot Præfationes deſierint, non liquet; niſi quòd in Miſſalibus ſcriptis poſt annum milleſimum ducenteſimum illæ novem dumtaxat reperiuntur, in prædicta Pelagio II ſuppoſita Epiſtola enumeratæ, ſunt autem, una *in Albis Paſchalibus*, alia *de Aſcenſione Domini*, tertia *de Pentecoſte*, quarta *de Natali Domini*, quinta *de Apparitione Domini*, ſexta *de Apoſtolis*, ſeptima *de Sancta Trinitate*, octava *de*

Cruce,

Digitized by Google

SÆC. VI. PELAGIUS II. Cruce, nona *in jejunio & Quadrageſima tantummodo dicenda*. His novem duæ additę ſunt, una communis antiquiſsima, quę Gelaſii, ſive Gregorii creditur eſſe, altera de beata Virgine ab Urbano II inſtituta. Et hæ undecim ſunt, quibus omnes Eccleſię ritui Romano adhęrentes hodie utuntur.

XIX. *Pelagius II moritur.* Gregorius Turonenſis lib. 10 cap. 1 poſtquam narravit inundationem Tyberis Romę menſe Novembri anni 589, ſeu, ut ipſe ait, *menſe nono* factam ſubdit: *Subſecuta eſt de veſtigio clades, quam inguinariam vocant, nam medio menſe XI adveniens, primum omnium juxta illud quod in Exechiele Propheta legitur, à* Sanctuario meo incipite, *Pelagium Papam perculit; quo defuncto magna ſtrages populi de hoc morbo facta eſt*. Lues itaque incępit menſe Januario, qui undecimus dicitur à Gregorio Turonenſi, ſicut menſis November dicitur nonus, quia in Gallia annus à Paſchate, ſeu à menſe Martio initium ſumebat, ut videre eſt in Concilio Aurelianenſi III anno 538 celebrato, in quo menſis Majus vocatur menſis tertius. Dies mortis Pelagii notatur ab Anaſtaſio: *Qui mortuus eſt*, inquit, *& ſepultus ad beatum Petrum Apoſtolum, ſexto Idus Februarias*, ſeu die octava Februarii, poſtquam ſediſſet annos 11, menſes 2, dies 10. Sola difficultas eſt de annis, qui currupti ſunt in omnibus Anaſtaſii exemplaribus, in quibus habetur eum ſediſſe annos tantùm decem; ſed Biclarienſis Abbas hujus temporis ſcriptor annos undecim Pelagio II accuratè aſſignavit, & ex dictis neceſſariò ſequitur, ideoque obiit anno 590.

XX. *Et quidem peſte inguinaria.* Pelagium peſte inguinaria obiiſſe præter Gregorium Turonenſem, qui hoc tempore vivebat, tradunt communiter Hiſtorici, & Siffridus Presbyter Miſnenſis Eccleſiæ in Saxonia lib. 1 ſuæ Epitomes refert hanc peſtem tanta ſævitia in Italia graſſatam eſſe, ut ſæpè quis ſternutando ſpiritum exhalaret: ac propterea cum aliquem ſternutantem quis audiret, ſtatim accurriſſe, & *Deus te adjuvet*, acclamaſſe, indeque ſervatam eſſe apud poſteros iſtam conſuetudinem; ut ſternutantem quis audiens, dicat ei; *Deus te adjuvet*. Subdit poſtea: *cùm aliquis oſcitabat frequenter & continuò, & ſubito ſpiritum exhalabat. Unde cùm aliquis ſe velle oſcitare ſentiebat, continuò ſignum crucis ſibi imprimere feſtinabat, & hæc conſuetudo uſque nunc ſervatur*. Claruit autem Siffridus anno 1307. Sed illum ſalutandi uſum in ſternutamento, hac occaſione introductum eſſe negat Baronius anno 590 num. 26, obſervans hujuſmodi uſum longe ante apud Gentiles inoleviſſe, teſtari Plinium Natural. Hiſt. lib. 28, accidiſſe tamen certum eſſe, ut aliter illi, quàm nos ejuſmodi ſalutationem impertirent, Deos invocando, nos Deum. SÆC. VI. PELAGIUS II.

XXI. *Ejus in pauperes & Eccleſiam beneficentia.* Beneficentiſſimus in pauperes præſertim ſenes fuit Pelagius II, quos propria domo in Xenodochium converſa excipiebat, teſte Anaſtaſio, qui addit eum inveſtiſſe corpus beati Petri Apoſtoli, ideſt confeſſionem, ubi erat corpus ejuſdem ſancti, tabulis argenteis deauratis, & ſupra corpus beati Laurentii Martyris Baſilicam à fundamentis conſtruxiſſe, & tabulis argenteis ſepulchrum ejus exornaſſe. Cùm porrò Sancti Laurentii corpus ab operariis quæreretur, miranda atque pavenda illa contigerunt, quæ S. Gregorius lib. 3 Epiſt. 30 ad Conſtantinam Auguſtam his verbis enarrat: *Subitò*, inquit, *ſepulchrum ejus apertum eſt, & ii, qui præſentes erant, atque laborabant Monachi & Manſionarii, qui corpus ejuſdem Martyris viderunt, quod quidem minimè tangere præſumpſerunt, omnes intra decem dies defuncti ſunt, ita ut nullus ſupereſſe potuiſſet, qui ſanctum juſti corpus illius viderat*.

XXII. *Subdiaconis Siciliæ continentiam indixit Pelagius II.* Quamvis Concilium Illiberitanum canone 33 Subdiaconis continentiam indixiſſet, certò tamen conſtat hanc legem nec alibi, nec in ipsa Hiſpania tunc fuiſſe receptam, ut Morinus demonſtrat p. 3 ſacr. ordin. exercit. 12 cap. 5, poſt ſextum verò ſęculum vix aliqua memoria Subdiaconorum reperitur, qui non fuerint continentiæ voto adſtricti. Et Romæ quidem jam ab his continentia ſervabatur tempore Pelagii II. Hic enim Pontifex Subdiaconis Siciliæ præcepit, ut more Romanæ Eccleſiæ nullatenus ſuis uxoribus miſcerentur, ut teſtatur Gregorius Magnus ejuſdem immediatus ſucceſſor lib. I Epiſt. XLII ad Petrum Siciliæ Subdiaconum: *Ante triennium*, inquit, *Subdiaconi omnium Eccleſiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Eccleſiæ nullatenus ſuis uxoribus miſcerentur*. Ea autem Epiſtola data anno Pontificatûs Gregorii primo, ideoque ea prohibitio à Pelagio II facta fuerat; quod expreſsè aſſerit idem Gregorius lib. 3 Epiſt. 34 ad Leonem Epiſcopum Catanenſem: *Ex auctoritate*, inquit, *noſtri deceſſoris eſt iſto modo prohibitum, ut eodem tempore hi* (nempe Subdiaconi) *quì jam uxoribus fuerant copulati, unum ex duobus eligerent, ideſt, aut à ſuis uxoribus ſe abſtinerent, aut certè nulla ratione miniſtrare præſumerent*. A Romana autem ad alias Occidentis Eccleſias eadem inſtitutio propagata eſt, qua occaſione paulatim cœpit hic ordo à minoribus ſeparari, & majoribus ac ſacris accenſeri, quod factum eſt circa finem ſæculi XII; etenim Petrus Cantor, qui obiit anno 1197, relatus à Menardo in lib. Sacram. pag. 280, ait: *De Novo inſtitutum eſt Subdiaconatum eſſe ſacrum ordinem*. De Subdiaconorum continentia legendus

Digitized by Google

gendus Lupus P. 3 Synodorum Diſſert. I procemiali cap. 3. De eorum officiis lege Bonam Cardinalem lib. 1 Rer. Liturgic. cap. 25 num. 16, ex quo hæc excerpta. Quo porrò præciſè tempore Subdiaconatus inter ſacros ordines recenſeri cœperit vide in Urbano III.

XXIII. *Primus ex Romanis Pontif. in ſuis literis indictiones uſurpavit.*

Tempora per *Indictiones* deſignandi conſuetudo obtineri cœpit in Italia regnante Theodorico Gothorum Rege; ſua enim diplomata indictionibus ſignabat, ut demonſtrant Epiſtolæ à Caſſiodoro ejus nomine ſcriptę, formulęque dignitatum ſub ejus Monarchia concedendarum: quam conſuetudinem ex Italia in Gallias eodem ſęculo ſexto derivatam exiſtimat Auctor Criticę Baronianæ. Sed nullus ex Pontificibus Romanis ante Pelagium II indictiones in ſuis Epiſtolis notavit.

S. GREGORIUS M. *Pontif. LXVI.*

Anno Domini DXC.

I. *S. Gregorius fit Pontifex.*

PElagio II ad meliorem vitam tranſlato, *ceſſavit Epiſcopatus menſes ſex, dies 25*, inquit Anaſtaſius. Quare S. Gregorius Magnus, Senatorii generis, Gordiano patre, Silvia matre fœmina ſanctiſſima progenitus, atavo Felice III Pontifice Maximo, ordinatus eſt die tertia menſis Septembris, in quam anno quingenteſimo nonageſimo Dominica cadebat. Eumdem diem ordinationi Sancti Gregorii aſſignant non tantùm Martyrologium Romanum, Uſuardus in antiquiſſimo codice MS. San-Germanenſi, & Bellinus, ſed etiam alii Martyrologi apud Bollandum ad diem 12 Martii in Vita hujus Sancti Pontificis. Quia tamen Epiſcoporum ordinationes aliis ſæpe diebus, quàm quibus contigerint, in Martyrologiis recitantur, certius argumentum ordinationis Sancti Gregorii eruitur, tum ex charactere Dominicæ, quæ, ut dixi, anno 590 in diem tertium Septembris incidit, tum ex Sedis ejus duratione. Sanctus enim Gregorius die 12 menſis Martii anni 604 ad Deum migravit, poſtquam Romanæ Eccleſiæ præfuiſſet *annis tredecim, menſibus ſex, & diebus decem*, ut non ſolùm Anaſtaſius, ſed etiam Joannes Diaconus in ejus Vita, & cæteri communi conſenſu tradunt: quamobrem die tertia Septembris anni 590 ordinatus fuerat. Gregorius ante Pontificatum fuerat Præfectus Urbis, deinde factus eſt Monachus Ordinis Sancti Benedicti, ordinatus poſtmodum Diaconus à Pelagio II, Conſtantinopolim ab eodem Apocriſarius miſſus eſt, ubi cum Eutychio Patriarcha, de Reſurrectione carnis peſſimè ſentiente congreſſum, ſuperiùs in Pelagii II Pontificatu diximus.

II. *Confirmationem ſuam impedire fruſtrà tentat.*

Electus Pontifex, cùm Clero non poſſet obſiſtere, neque reſiſtere populo poſtulanti, ad unicum illud remedium confugit, ad Pontificatum declinandum, ut Mauricium Imperatorem, ad quem de electione facta mittebatur à Clero populoque Romano decretum, literis ſuis dehortaretur à ſui confirmatione. Quæ præſentiens Germanus, tunc Præfectus Urbis, occurrens malo; neſciente Gregorio, ejus ad Imperatorem literas intercepit; ipſe verò ſuas miſit, quibus eum monebat, nihil his perditiſſimis temporibus opportuniùs contingere potuiſſe, quàm, ut Gregorii, talis tantique viri electio confirmaretur. Quod & perfacile fuit Imperatori ſuadere, qui Gregorio Conſtantinopoli olim fuiſſet familiariſſimè uſus, uſque eò, ut & compatrem delegiſſet, cum genitum à ſe filium ab eo ex ſancti lavacri regeneratione ſuſcipi voluit. Narrant hæc omnia Gregorius Turonenſis lib. 10 Hiſt. Franc. cap. 1, & Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii lib. 1 cap. 39, & ſeq.

III. *Mortuo Pontifice aut nondum ordinato Eccleſia à tribus regebatur.*

Baronius exiſtimavit poſt electionem novi Pontificis curam Romanæ Eccleſiæ non electum Pontificem ſolum geſſiſſe, ſed quatuor ſimul Eccleſiæ Miniſtros ſacros; quod colligit ex Epiſtola Romani Cleri ad Scotos reddita, cùm Sedes vacaret morte Severini Pontificis, electuſque in locum ejus eſſet Joannes IV, ſed nondum conſecratus. Recitat eam Epiſtolam Beda lib. 2 Hiſt. Gentis Angl. cap. 19, ejuſque principium eſt: *Dilectiſſimis & ſanctiſſimis Thomiano*, &c. *Hilarus Archipresbyter, & ſervans locum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, Joannes Diaconus & in Dei nomine Electus; item Joannes Primicerius, & ſervans locum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ; & Joannes ſervus Dei Conſiliarius ejuſdem Apoſtolicæ Sedis.* Verùm rerum gerendarum poteſtas, vacante Sede, fuit penès Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium Notariorum, niſi contingeret, ut ex illis tribus unus eligeretur Pontifex: tunc enim quartus ſubſtituebatur; & Archipresbyter, aut Archidiaconus, qui nomine Diaconi ſæpè exprimitur, ſuum locum ſervabant, ut liquet ex laudata Epiſtola, in qua Joannes IV Diaconus ſecundo tantùm loco nominatur, licèt Pontifex electus eſ-

ſet,

Digitized by Google

ſet. Profectò ſi ſervare locum Sedis Apoſtolicæ jure electionis ei competiiſſet, primo loco nominatus fuiſſet. Electo itaque nihil fuit juris ad res gerendas, donec ordinaretur, ratione electionis ſuæ, niſi ante eam *inter ſervantes locum Sedis Apoſtolicæ* connumeratus fuiſſet.

IV. *Imò eo etiam abſente.*

Archipresbyter, Archidiaconus & Primicerius Notariorum, non tantùm vacante ſede, ſed etiam abſente Summo Pontifice, Eccleſiam Romanam adminiſtrabant. Extat in capite 2 libri diurni Romanorum Pontificum titulo 1, formula literarum ad Exarchum *de Tranſitu Pontificis* ſcribi ſolitarum, in qua hæc leguntur: *Superſcriptio: Domino Excellentiſſimo atque præcellentiſſimo, & à Deo nobis longæviter in principalibus miniſteriis feliciter conſervando III Exconſuli Patricio & Exarcho Italiæ, III Archipresbyter, III Archidiaconus, III Primicerius* Notariorum, *ſervantes locum ſanctæ Sedis Apoſtolicæ*, ubi III idem eſt quod hodie apud nos N., cùm ſcilicet locus nominis indicatur. Præterea Sanctus Martinus Papa in Epiſtola XV ad Theodorum, ait in juſsione à Calliopa Exarcha ſcriptum fuiſſe, quòd ipſe irregulariter & ſine lege Epiſcopatum ſurripuiſſet, & in Regiam urbem tranſmittendus eſſet, *ſubrogato Epiſcopo*, *quod*, inquit Sanctus Martinus, *necdum aliquando factum eſt*, *& ſpero quòd nec aliquando fieri habet*: *quia in abſentia Pontificis Archidiaconus*, *& Archipresbyter & Primicerius locum præſentant Pontificis*. Porrò animadvertit Garnerius in Notis ad citatum titulum, Archidiaconum priore loco à Martino nominatum, cùm tamen ille, tam in citata ad Scotos Epiſtola, quàm in illa formula, ſecundo tantùm loco cenſeatur.

V. *S. Gregorius proceſſiones publicas indicit.*

Peculiare itaque privilegium fuit Sancti Gregorii Magni, quòd, Clero anuuente, res adminiſtraverit, licèt nondum ordinatus eſset. In Gregorium, veluti ſi confirmatus eſset Pontifex, intenti oculi omnium erant, ut ab eo in tanta, in qua ob peſtem ingruentem calamitate erant, remedii aliquid acciperent. Quamobrem, in tanta rerum, & temporis neceſsitate, Gregorius ſe pro Pontifice geſsit, in his dumtaxat, quæ ad expiationem Urbis ſpectarent, ad luem videlicet avertendam, de qua in morte Pelagii locuti ſumus. Litanias itaque generales indixit, atque proceſsiones publicas tam Cleri, quàm populi omnis ordinis ac ſexûs. Cujuſmodi Litaniæ, *ſeptiformis* dictæ, ordo ſic deſcribitur in Sermone, quem tunc Gregorius ad populum habuit, qui extat lib. XI Regiſtri Gregoriani Epiſt. 2, ut per diverſarum perſonarum varias claſſes, ſigillatim ex diverſis ipſis aſsignatis Eccleſiis procederent ſeorſùm Clerici, Viri Laici, Monachi, Ancillæ Dei, Fœminæ conjugatæ, Viduæ, Pauperes & Infantes. Præter has Litanias, ſeu proceſſiones, aliæ ſunt Litaniæ, quibus Sanctorum invocatio continetur, quarum uſum multò ante Gregorii Magni tempora viguiſſe, probat Nicolaus Serarius lib. 1 de Litaniis cap. 4. Nullus tamen certus auctor proferri poteſt, qui Sanctorum Litanias primus invenerit; quamvis ſpeciales quaſdam, nempe Majores, quas vocant, in die ſancti Marci recitari ſolitas, à Gregorio Magno; ſicut Triduanas Rogationes ante Dominicam Aſcenſionem à ſancto Mamerto Epiſcopo Viennenſi circa annum 452 inſtitutas, non cotemnendi Auctores affirment. De utraque inſtitutione legendus Serarius lib. 2 de Proceſſionibus cap. 7 & 8. De Litaniarum autem uſu & efficacia Cardinalis Bona in Tractatu de Divina Pſalmodia cap. 14 § 4.

VI. *Conatur ſuam ordinationem impedire.*

Cùm autem paucis poſt hæc diebus, * Imperatoris literæ de Gregorii electi confirmatione in Urbem delatæ fuiſſent, ipſe latibula captans, & quia palam egredi portas civitatis non poterat, diſsimulato habitu negotiationibus quibuſdam ſe immiſcens, in cavernis delituit. Sed diligenter à Romanis quæſitus, indicio columbæ fulgidæ ſuper ipſum jugiter è Cœlo dependentis inventus eſt; captuſque ad Sancti Petri Baſilicam tractus, & in ſummum Pontificem eſt conſecratus, & quidem die tertia Septembris, ut num. 1 dictum eſt. Quàm ægrè curæ paſtoralis opus ſuſceperit, teſtatur ipſe lib. 1 Epiſt. 5 ad Thoctiſtam Imperatoris Mauricii ſororem & alibi. Narrat hæc Joannes Diaconus in ejus Vita, necnon Gregorius Turonenſis laudatus ex relatione cujuſdam ſui Diaconi, quem tunc iis omnibus Romæ intereſſe contigit, cùm miſſus ab eo fuiſſet ad petendas ſacras reliquias. Quę & eadem ex ipſius Gregorii Papæ ſcriptis fidem ſibi vendicant.

VII. *Paſtoralem librum elucubrat.*

Sed cùm inter hęc, non ſolùm peſtis reliquię Urbem vexarent, verùm etiam ventorum vehementiâ eadem conquaſſata eſſet, ac Longobardorum infeſtationibus incurſaretur, diraque premeretur fame, ipſe Gregorius, quò magis increbreſcere vidit mala, eò fortiùs ad ea ſuperanda animi virtute ſurgens; hoc ipſo Pontificatûs ſui exordio, pręclariſsimum *de Paſtorali cura* Commentarium elucubravit, occaſione accepta literarum Ravennatenſis Epiſcopi, quibus ab eo redargutus fuerat, quòd paſtoralem curam deliteſcendo fugere voluiſſet. Tanti habitus fuit in Galliis Paſtoralis ille Sancti Gregorii liber, ut pleraque Gallię Concilia, eum legere Epiſcopis juſſerint, ejus monitis inſiſtere, & pręcepta exequi, ut Turonenſe canone III, Cabilonenſe II can. IV anno 813, & Aquiſgranenſe can. 4 anno 836 celebrata. Imo Hincmarus Rhemenſis Ar-

Digitized by Google

Archiepiſcopus in Præfatione Opuſculi LV teſtatur, ſua ætate in more poſitum fuiſſe, ut Paſtorale S. Gregorii M. unà cum libro ſacrorum canonum in manus Epiſcopi qui ordinabatur, traderetur in ipſa ordinatione à Metropolitano, obteſtante illum, ut ita ſervaret in vivendo, docendo & judicando, ſicut ibi erat ſcriptum, quod & Epiſcopus ipſe ſpondebat. Hoc libro docet Gregorius quantum ſit officii paſtoralis pondus, quàm ægrè ſuſcipiendum, & quâ exequendum curâ. Quatuor in partes hunc librum diſtribuit. In prima explicat qualis ad Epiſcopatûs culmen venire quis debeat. In ſecunda docet qualem ſe in ipſo regimine Paſtor debeat exhibere. In tertia explicat quo modo Paſtor docere debeat. In quarta denique docet Paſtorem, qui ſuo tam ſanctè munere fungitur, ad ſemetipſum redire debere, *nec rectâ reſpicere quæ egit, ſed quæ agere neglexit*; tandemque librum ſic concludit: *Ecce, bone vir, reprehenſionis meæ neceſſitate compulſus, dum monſtrare qualis debeat eſſe Paſtor invigilo, pulchrum depinxi hominem pictor fœdus, alioſque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus verſor. Sed in hujus quæſo vitæ naufragio orationis tuæ me tabulâ ſuſtine, ut quia pondus proprium deprimit, tui meriti me manus levet*. Ita Sanctus Pontifex humilitate maximus. Liber ille S. Gregorii ab Anaſtaſio Antiocheno non multò poſt in Græcum ſermonem verſus, ſed verſio interiit. Saxonicè etiam nono ſæculo eumdem vertit Alfredus, ſeu Aelfridus, ſeu Aluredus Occidentalium Saxonum Rex.

VIII. *Synodalem Epiſt. ad Patriarchas Eccl. ſiæ Orientalis mittit.*

Aliquanto tempore poſt ſuam ordinationem, nempe menſe Februario anni quingenteſimi nonageſimi primi, Gregorius Synodicam ad omnes Eccleſiæ Orienralis Patriarchas dedit, cui fidei ſuæ profeſſionem intexuit; conteſtatuſque eſt ita ſe quatuor Concilia Oecumenica, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum & Calchedonenſe, ſicut ſancti Evangelii quatuor Libros ſuſcipere; & Quintum pariter Concilium, in quo Tria damnata ſunt Capitula, venerari. Etenim hic in Eccleſia mos id temporis vigebat, *ut quoties*, verba ſunt Gregorii, *in quatuor præcipuis ſedibus Antiſtites* ordinabantur, *Synodales ſibi Epiſtolas vicissim* mitterent, *in quibus ſe ſanctam Calchedonenſem Synodum, cum aliis generalibus Synodis cuſtodire* fatebantur. Extat ea Epiſtola libro primo Regiſtri Gregoriani numero 24. Hic porrò obſervandum, in eodem libro primò contineri ſolas Epiſtolas datas indictione IX, ſeu primo anno Pontificatûs Sancti Gregorii, qui cum ea indictione menſe Septembri incipit anno 590; ita tamen ut anni Pontificatûs non per libros, ſed per indictiones diſtinguantur; quandoque enim idem liber, verbi gratiâ ſecundus, in duas partes dividitur quarum prior continet Epiſtolas datas anno ſecundo Pontificatûs indictione X; ſecunda verò pars Epiſtolas datas anno tertio Pontificatûs indictione XI, ideoque anni Pontificatûs non per libros Regiſtri, ſed per indictiones diſtinguendi ſunt, incipiendo ab indictione nona, cum qua primus annus Pontificatûs S. Gregorii initium ſumpſit menſe Septembri anni 590. Negari tamen non poteſt, Collectores ordinem temporis, quo datæ ſunt Epiſtolæ, non ſemper repræſentaſſe. Unde Sermo S. Gregorii dictus ab eo antequam ordinaretur Pontifex, extra locum ſuum poſitus eſt, nempe poſt Epiſtolam primam libri undecimi.

IX. *Synodum Romæ celebrat pro receptione Quintæ Synodi.*

Sancto Gregorio maximæ curæ fuit Synodum quintam ubique recipi, quam in rem toto ferè ſui Pontificatûs tempore incubuit. Initio ſtatim Severum Epiſcopum Aquilejenſem datæ fidei prævaricatorem (nam ut in Pelagio II diximus, Ravennæ Tribus Capitulis damnatis coram Joanne Archiepiſcopo, ad Eccleſiam Romanam acceſſerat) Romam unà cum cæteris Epiſcopis ſchiſmaticis evocavit; & quò metum illis inferret, à Mauricio Imperatore contra eoſdem decretum obtinuit, quo Severo ac collegis idem injungebatur. Id conſtat ex Epiſtola XVI libri primi, à S. Gregorio ad Severum Aquilejenſem datâ menſe Decembri anni 590, qua Severo mandabat: *Imminente latore præſentium juxta Chriſtianiſſimi & Sereniſſimi rerum Domini juſſionem ad beati Petri Apoſtoli cum tuis ſequacibus venire te volumus, ut auctore Deo aggregata Synodo de ea, quæ inter vos vertitur, dubietate, quod juſtum fuerit judicetur*. Eſt hæc prima Synodus Romana ſub Gregorio, cujus nullibi præterquam in dicta Gregorii Epiſtola, & in libello ſchiſmaticorum ad Mauricium Imp. mentio reperitur.

X. *Schiſmatici ad eam accedere recuſant.*

Verùm Severus illicò literas ad Collegas dedit, qui *Marani*, ſeu, ut ſcribit Paulus Diaconus lib. 3 cap. 27, *Mariani*, Conventiculo congregato decrevere, ne ullus Romam ad Synodum proficiſceretur, interimque literas ad Mauricium Imperatorem miſere, quibus facti rationem reddebant, ut liquet ex ſupplici libello Schiſmaticorum ad Imperatorem, quem Appendici Tomi noni Baronius inſeruit. Huic Pſeudo-Synodo non interfuit Severus, nec quiſquam alius ex Iſtria Epiſcopus, quia horum urbes maritimę in Imperatoris poteſtate perſeverabant, & Longobardi ęgrè ferebant, ſuarum urbium Epiſcopos cum iis, qui ſubjectas Imperatori urbes regebant, convenire. Eſt porrò *Maranum*, ſeu *Marianum*, vulgo hodie *Marano*, munitiſſimum Venetorum oppidum ſtagnis Adriatici maris ferè circumdatum in Forojulienſi littore ad Celinam, ſeu, ut incolæ vocant,

Aa Ze-

Digitized by Google

Zelinam. Conteſtabantur in literis ſuis ad Mauricium Epiſcopi, ſe Pontificem Romanum agnoſcere Judicem non poſſe, cum quo ipſis cauſa erat, & cujus communionem vitabant: *Quod etiam*, inquiunt, *ſacratiſſimis legibus veſtris ſtatutum eſt, nullum poſſe Judicem eſſe in cauſa, qua adverſarius comprobatur*. Huic Pſeudo-Synodo interfuerunt Epiſcopi decem.

XI. *Imperator vim Schiſmaticis inferri vetat.*

Interea Severus Aquilejenſis, jam Gradenſis, quia uti Hellas deceſſor, ob metum Longobardorum, apud Gradum degebat, alteram Synodum cum Epiſcopis Iſtriæ indixit, in qua ſtatutum, ut à Pontifice Romano ad Mauricium Imperatorem appellarent. Mauricius Imperator timens ne ſi vim adhiberet, Iſtros ad Longobardos proniores faceret, ſub quorum dominio liberè poterant in ſchiſmate perdurare, ſancto Gregorio prohibuit, ne ullam ipſis ob ſchiſma inferret moleſtiam. Cùm Imperatoris juſſionem accepiſſet Gregorius, ad Joannem Ravennatenſem Epiſcopum anno 592 dedit Epiſtolam XXXII libri ſecundi, in qua ait: *Scitote quia de eadem re Sereniſſimis Dominis cum ſummo zelo Dei & libertate reſcribere non ceſſabo*.

XII. *Gregorius ſcribit ad Hibernos de Tribus Capitulis.*

Eodem anno quingenteſimo nonageſimo ſecundo Gregorius ſcripſit Epiſtolam XXXVI ejuſdem libri ſecundi, quæ in editione Conciliorum dicitur data *ad Epiſcopos Hiberniæ*, quòd nulla veriſimilitudine niti credidit Cardinalis Noriſius. Nam cùm in ea agatur de Tribus Capitulis, & nullos hac tempeſtate in Hibernia pro illis tumultus excitatos exiſtimet, nulla enim id Veterum monumenta prodidere, eam ad Epiſcopos Iſtriæ idem Cardinalis in Differt. de Synodo V cap. 9 § 5 ſcriptam contendit, cùm Epiſcopi, ad quos Gregorius ſcribit, ſignificaſſent, gravem ſe pati perſecutionem, gloriari tamen quòd pro fide tot moleſtias ſubirent: addentes quòd à recepta Quinta Synodo inter alias provincias maximè flagellaretur Italia, quæ certè, inquit Noriſius, Hibernis Epiſcopis convenire non poſſunt, optimè verò Epiſcopis Schiſmaticis Iſtriæ, qui à Longobardis vexabantur. Sed Patricius Flamingus in Collectaneis Operum ſancti Columbani, refert Epiſtolam ejuſdem ſancti ad Bonifacium IV Papam, circa annum 612 ſcriptam, ex qua conſtat Hibernos in ſchiſma defenſorum Trium Capitulorum lapſos eſſe, cùm in ea Sanctus Columbanus ſe & ſuos Hibernos Trium Capitulorum defenſores prodat, & queratur quòd ipſemet Bonifacius Synodum Quintam admiſerit. Certè in pluribus codicibus MSS. & in omnibus editis, ut habet Guſſanvilleus in Notis, legitur eam datam eſſe *univerſis Epiſcopis per Hiberniam*. Profectò ad alios, quàm ad Iſtriæ Epiſcopos hæc Epiſtola ſcripta; cùm enim in ea dicat Gregorius, ſe ad eos mittere librum, quem de Tribus Capitulis Pelagius Papa ſcripſerat, ad alios, quàm ad Iſtros, ſcribebat Gregorius, ad quos hunc librum non miſiſſet, quippe qui nihil aliud erat, quàm Epiſtola illa prolixa, ab ipſo Gregorio adhuc Diacono, nomine Pelagii Papæ, ad Iſtriæ Epiſcopos ſcripta, ut habet Paulus Vuarnefridus lib. 3 de geſtis Longobard. cap. 20; abſurdum autem fuiſſet, eam Epiſtolam ad eos rurſum tranſmittere, quàm non ita pridem à Pelagio miſſam recepiſſent. Porrò hæc S. Columbani Epiſtola tranſlata eſt cum aliis ejus Epiſtolis in Tomũ XII Veterum Patrum editionis Lugdunenſis.

XIII. *Scribit ad Theodelindam Reginam Lógobard. de eadem re.*

Cùm accepiſſet Gregorius, Theodelindam Agilulphi Longobardorum Regis uxorem, à Conſtantii Epiſcopi Mediolanenſis communione ſe ſuſpendiſse, quòd ille Tria Capitula, dato ſacramento, damnaſse dicebatur, literas eidem deſtinavit lib. 3 Epiſt. 4, in quibus Synodum Quintam laudat, ac defendit. Cùm verò Gregorius à Conſtantio intellexiſset, illis literis, in quibus Synodi Quintæ mentio erat, poſse Reginam offendi, ut conſtat ex Epiſtola 37 ejuſdem libri III ad Conſtantium data, iterum ad eamdem reſcripſit Epiſtolam 33, in qua profeſſus eſt ſe quatuor Synodos recipere, addens ſe anathema dicere illi, *qui earumdem quatuor Synodorum, maximè autem Calchedonenſis, de qua quibuſdam imperitis hominibus nata eſt ſuperſtitionis occaſio, fidei addere, vel demere præſumit*. De Synodo autem Quinta nihil eſt interlocutus. Epiſtola IV ad Theodelindam data eſt menſe Septembri anni 593, Epiſtolæ XXXIII ad eamdem, & XXXVII ad Conſtantium, menſe Junio anni 594. Depoſuit tandem errorem Theodelinda Regina, cùm intellexiſſet Synodum Quintam Calchedonenſis Concilii fidem nullatenus cõvellere. Cùm enim Secundini Abbatis adverſùs illam Synodum objectiones ad S. Gregorium miſiſſet, illas ut dilueret, & S. Gregorius podagræ laboribus tunc afflictus, prolixiorem Epiſtolam reſcribere non potuiſſet; Quintæ Synodi Acta ad illam miſit cum Secundino communicanda; ut ex ipſorum lectione cognoſceret falſitatem eorum, quæ contra præfatam Synodum, & Sedem Apoſtolicam effutiebant Schiſmatici. Id conſtat ex Epiſtola VII libri XII datâ indictione ſeptima, menſe Septembri anni 603 inchoata.

XIV. *Schiſma quo anno extinctum.*

Schiſmatis porrò Aquilejenſis terminum omnes ponunt Sergio Pontifice, qui anno 687 Romæ ſedit. Verùm longè antea Aquilejenſes Epiſcopos Synodum Quintam, damnato ſchiſmate, recepiſſe contendit Cardinalis Noriſius laudatus § VI ex Synodo Lateranenſi ſub S. Martino Papa anno 649 celebrata, in qua Maximus Archiepiſcopus Aquilejenſis Secretario primo

mo

Digitized by Google

mo hæc pronunciavit: *Contra Theodorum autem & Origenem in Sancta Quinta Synodo accuſator quidem nullus, ſed tantummodo eorum conſcripta ad accuſationem ipſorum, & reprehenſionem ſuffeciſſe noſcuntur.* Id etiam probat ex eo, quòd Agatho Epiſcopus Aquilejenſis ſubſcripſerit Synodo ſub Agathone Papa Romæ celebratæ. Sed ex iis non ſequitur aliquos in illo Patriarchatu in eum errorem non recidiſſe. Unde Beda in lib. de VI Ætatibus teſtatur, Tiberio Apſimaro imperante, & Sergio Papa ſedente Concilium Aquilejæ celebratum eſſe adversùs eos, qui Tria Capitula tuebantur; & hanc Synodum *ſalutaribus B. Papæ Sergii monitis* inſtructam, Synodum Quintam recepiſse. Idem habent Paulus Diaconus lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 14, & Anaſtaſius in Vita Sergii Papæ; cùm autem Tiberius Apſimarus anno 698 imperium invaſerit, ſchiſma Aquilejenſe ante ſeptimi ſæculi finem non omnino extinctum. Vide dicenda in Sergio.

XV. *S. Gregorius permittit Hiſpanis unica merſione baptizare.*

Cùm Ariani in Hiſpania, quò tres naturas Divinas in tribus perſonis eſse demonſtrarent, trina merſione in baptiſmo uterentur; & quidam ex Catholicis Sacerdotibus trinam, quidam verò alii unicam merſionem facerent, ſanctus Leander Epiſcopus Hiſpalenſis Sanctum Gregorium Papam, quid de hac diverſitate faciendum eſset, conſuluit. Hic Sanctus Pontifex Epiſtolam 41 libri primi anno 591 ſcripſit *ad Leandrum*, in qua quidem unam vel trinam merſionem probavit, *quia*, inquit, *in una fide nihil officit Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa. Nos autem quòd tertiò mergimus triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus, ut dum tertiò infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd ſi quis fortè etiam pro ſummæ Trinitatis veneratione æſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit, baptizando ſemel in aquis mergere: quia dum in tribus perſonis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate in aquam vel ter, vel ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt divinitatis ſingularitas deſignari. Sed quia nunc uſque ab Hæreticis infans in baptiſmate tertiò mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo: ne dum merſiones enumerant, Divinitatem dividant: dumque quod faciebant, faciunt, ſe morem noſtrum viciſſe glorientur.*

XVI. *Perperàm de hoc dubitavit Alcuinus.*

Alcuinus anno ſeptingenteſimo nonageſimo octavo, Epiſtolam ordine LXIX Monachis Lugdunenſibus ſcripſit, in qua triplicis erroris Hiſpanos redarguit, quorum unus eſt, quòd contra univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem in Baptiſmo ſub invocatione Sanctæ Trinitatis unam merſionem agendam affirmarent. In Epiſtola itidem LXX, quæ ſuperioris membrum eſſe videtur, ſermonem etiam de trina merſione facit, quam omninò adhibendam eſſe cenſet. Non diffitetur quidem objectioni locum eſſe ex quibuſdam Gregorii Magni literis, ſed ad eam his verbis reſpondet: *Epiſtolam verò, quam à B. Gregorio de ſimpla merſione dicunt eſſe conſcriptam, in Epiſtolari ſuo libro, qui de Roma nobis allatus eſt, non invenimus; alias verò omnes perſpeximus in libro, quem ad Occidentalium partium Eccleſias, Pontifices, vel Reges ſcripſerat; ideo dubii ſumus, an illius ſit, an ab aliquo hujus ſectæ auctore ejus ſub nomine ſcripta ſit.* Verùm Menardus in Obſerv. ad librum Sacramentorum Sancti Gregorii, Mabillonius Sæc. I Benedictino in Elogio Hiſtorico Sancti Leandri Metropolitæ Hiſpalenſis, & Cointius in Annal. Eccleſiaſt. Francorum anno 798 num. 27, & ſeqq. hanc opinionem Alcuini validis argumentis jam refutarunt. Licet enim illa Gregorii Epiſtola deeſſet in exemplari Alcuino Româ allato, ejus tamen meminit Iſidorus Hiſpalenſis in lib. de Script. Eccleſiaſt. cap. 27. Concilium Toletanum IV anno 533 celebratum canone VI, & Joannes Diaconus in Vita Gregorii M. non longè poſt Alcuini mortem ab eo ſcripta. Quare perperam Alcuinus Gregorio M. abjudicat Epiſtolam, quâ Hiſpani innixi ſimplicem in baptiſmo merſionem tuebantur, conſtanter adhærentes & reſponſo tanti Pontificis, & Toletanæ Synodo IV, quæ canonem VI ex iiſdem Gregorii literis concinnatum promulgarat.

XVII. *Gregorius Subdiaconos ad continentiam adſtringit.*

Eodem anno quingenteſimo nonageſimo primo Gregorius dedit Epiſtolam XLII libri primi ad Petrum in Sicilia Subdiaconum, qua prohibuit ne impoſterum quis Subdiaconus ordinaretur, niſi continentiam ſervare Epiſcopo ſpopondiſſet: conjunctos verò ita manere monuit, ut nulla eis ſpes eſset ad ſuperiorem ordinem aſcendendi, niſi ab ea, quam acceperant, uxore ſe penitùs ſeparaſſent; in quo mitigavit decretum Pelagii II, qui conjunctos ſeparari volebat. Eadem Gregorius repetit in Epiſtola XXXIV libri tertii ad Leonem Epiſcopum Catanenſem anno 594 data. In Concilio Romano II anno 595 celebrato canonem ſtatuit, ut ſi quis Presbyter aut Diaconus uxorem duceret, anathema eſſet. Pluribus inſuper aliis Epiſtolis uſque ad finem ferè Pontificatùs, prohibuit Clericos habitare cum fœminis, niſi quas canon concedit ſanguine proximas. Ex quibus refellitur commentum illud, quod Centuriatores ex conficta S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi ad Nicolaum Papam Epiſtola depromſerunt; nimirum cùm aliquando Gregorius juſsiſſet ex piſcina ſua piſces aliquot capi, piſcatores ſex millia capitum infantium ſuffocatorum reperiſſe; & cùm eam cædem in-

Digitized by Google

intelligeret Pontifex ex occultis fornicationibus Sacerdotum natam eſſe, continuò illud decretum ſuum revocaſſe. Id enim non ſolùm ex dictis corruit; ſed etiam ex eo, quòd hæc Sancti Udalrici ad Nicolaum Papam Epiſtola conficta ex eo convincitur, quòd cùm hic Sanctus, teſte Gerardo Presbytero ejus familiari in ejus Vita Sæculo V Benedictino recitata, obierit anno *CMLXXIII*, *ætatis LXXXIII*, *ordinationis autem L*, eum natum eſſe oportet anno DCCCXC, cùm tamen Nicolaus Papa longe ante obierit, ſcilicet anno DCCCLXVII.

XVIII. *Judæos vi ad fidem compelli vetat.*

Cùm accepiſſet Gregorius Judæos in Galliis violentiâ compelli ad fidem, ne id penitus fieret, prohibuit, ſcribens ad Virgilium Arelatenſem & Theodorum Maſſilienſem Epiſcopos Epiſtolam XLV libri primi, menſe Junio anni 791 data. De iiſdem rursùs Judæis non perſequendis, ſed benignitate ad fidem alliciendis, dedit eodem anno idem Gregorius Epiſtolam 34 ejuſdem libri primi ad Petrum Epiſcopum Terracinenſem. Sed & poſtea anno 597 eâdem de causâ dedit Epiſtolam V libri VII, indictione ſecunda, ad Januarium Calaguritanum Epiſcopum.

XIX. *Probibet Epiſcopum Donatiſtam dici Primatem in Numidia.*

Vetus illa in Numidia vigebat conſuetudo, ut Epiſcopus ordinatione antiquior Primas diceretur; cùm autem Epiſcopus quidam ſectæ Donatiſtarum, hoc tempore cæteris ſede antiquior reperiretur, ipſe ſibi Primatum vindicabat. Id autem ne ullo modo fieret Sanctus Gregorius interceſſit, ſcribens ad Gennadium Patricium & Exarchum in Africa, Epiſtolam LXXII libri primi, necnon ad Catholicos Epiſcoſcopos Numidiæ Epiſtolam LXXV eodem anno 591 datas.

XX. *Donatiſtas in Africa invaleſcentes reprimit.*

Anno quingenteſimo nonageſimo ſecundo Legatos ex Numidia recepit, qui nunciarunt Donatiſtas pecuniâ datâ, ab Epiſcopo quodam Catholico impetraſſe, ut in ipſius civitate ſineretur pariter eſſe Epiſcopus Donatiſta, (quod quidem aliquando bono pacis permiſſum, poſtea ſublatum fuerat) eique concederetur iterum baptizare Catholicos. Ad quæ enormia corrigenda, Gregorius in Numidiam proficiſci juſſit Hilarium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Chartularium Carthagine degentem, ut coacto Concilio, Epiſcopus ille, qui talia permiſiſſet, deponeretur. Hæc conſtant ex ejus Epiſtolâ XXXIII libri ſecundi ad Columbum in Numidia Epiſcopum, menſe Auguſto, indictione X datâ.

XXI. *Thebanum Epiſcopum reſtituit.*

Hadrianus Thebanæ Civitatis in Bæotia Epiſcopus, damnatus à Coepiſcopis ſuæ provinciæ Romam confugit, Apoſtolicam Sedem appellans. Gregorius cognitis iis, quæ contra eumdem Hadrianum allata eſſent, eum ut innocentem abſolvit: Archiepiſcopum verò Primæ Juſtinianæ, qui eum damnaverat, ad certum tempus communione privavit: *Caſſatis*, inquit Gregorius in Epiſtola VI libri ſecundi, indictione undecima, ad Joannem Epiſcopum Primæ Juſtinianæ, menſe Octobri anni 592 data, *prius atque ad nihilum redactis prædictæ ſententiæ tuæ decretis: ex beati Petri Principis Apoſtolorum auctoritate decernimus, triginta dierum ſpatio te ſacra communione privatum*, & infra: *Præfatum verò Hadrianum fratrem & Coepiſcopum noſtrum ex tua ſententia* (*ut diximus*) *nequaquam canonibus, neque legibus exiſtente damnatum, in ſuum locum atque ordinem reverti, Chriſto comitante diſponimus*. Eodem quoque argumento ſcripſit ad Joannem Epiſcopum Lariſsæ, quem conſentientem in Hadriani damnatione aliis pœnis affecit Epiſtolâ VII ejuſdem libri, indictione XI menſe Octobri.

XXII. *Salonitanum in Dalmatia Epiſc. corripit.*

Ad Gregorium pariter eodem anno Romam allata eſt cauſa Natalis Epiſcopi Salonitani, qui Honoratum Archidiaconum ſuum loco ſummoverat, alio in ejus locum ſubſtituto, qui ſuis moribus obtemperaret; cùm præfatus Honoratus in nulla re ei diſplicuiſſet, niſi quòd vaſa ſacra & velamina Natalem ſuis parentibus dare prohibuiſſet. Quare Gregorius Epiſtolâ XIV libri ſecundi indictione X ad Natalem ſcripta decernit, ut eumdem Honoratum reſtituat in priſtinum locum; quod niſi obtemperet, uſu Pallii eum privat; &, ſi retardet, adhuc excommunicatum denunciat: & de Epiſcopatu, an ipſum retinere debeat, alia ſententia definiendum relinquit. Scripſit eadem de re ad omnes Epiſcopos in Dalmatiam conſtitutos Epiſtolam XV eadem indictione X. Honoratum Archidiaconum poſt hæc reſtitutum eſſe, & Natalem Epiſcopum ad meliorem frugem fuiſſe converſum, conſtat ex Epiſtolis XXXII ad Joannem Ravennatem Epiſcopum, & XXXVII ad eumdem Natalem Salonitanum, eadem indictione X Gregorio datis.

XXIII. *Homilias in Evangelia abſolvit.*

Gregorius Homilias XL in Evangelia, quarum nonnullas à ſe dictatas, aſſiſtenti plebi per Notarium recitari juſſerat, quaſdam verò ipſe pronunciaverat, emendatas miſit *ad Secundinum Tauromenitanum Epiſcopum*. In earum Præfatione ita habet: *Inter Sacra Miſſarum ſolemnia, ex his quæ diebus certis in hac Eccleſia legi ex more ſolent, Sancti Evangelii quadraginta lectiones expoſui. Et quarumdam quidem dictata expoſitio, aſſiſtenti plebi eſt per Notarium recitata; quarumdam verò explanationem coram populo ipſe locutus ſum, atque ita ut loquebar ita excepta eſt*. Hoc autem anno 592 Gregorius abſolvit conciones omnes illas quadraginta, cùm trigeſima octava in Baſilica

ſilica Sancti Clementis hoc eodem anno dicta eſſe noſcatur, dum à tempore illo ingruentis in Urbe peſtilentiæ biennium ibi numeret, cùm res tunc geſtas recenſet. Quare cùm peſtilentia anno 590 in Urbe ſævierit, hæc Homilia XXXVIII, anno 592 certò habita eſt.

XXIV. *Tunicam S. Joannis Ev. Romam deferri curat.*

Hoc eodem anno quingenteſimo nonageſimo ſecundo felix illud ac fauſtum accidit, ut reperta tunica Sancti Joannis Evangeliſtæ Romam deferretur. Cùm enim Gregorio innotuiſſet, eam tunicam apud quemdam Epiſcopum aſſervari, Epiſcopum illum cum ea Romam venire præcepit, ut conſtat ex Epiſtola ejus tertia libri ſecundi ad Joannem Abbatem data menſe Septembri, indictione undecima. Perlatam quidem eam fuiſſe Romam, & collocatam ſub Altare Sancti Joannis in Baſilica Conſtantiniana teſtatur Joannes Diaconus in Vita Sancti Gregorii lib 3 cap. 59, qui tradit eamdem conſueviſſe coruſcare miraculis: *Quæ quidem veſtes*, inquit, *hactenus tantis miraculis coruſcare probantur, ut ſiccitatis tempore foras excuſſæ pluviam conferant, inundationis verò ſerenitatem reducant*. Recenſet & alia miracula apud ipſum legenda. Mirum autem non eſt ſi in tunica Joannis ederentur divinitus ſigna, cùm & in ſudariis ac ſemicinctiis Pauli miracula fierent.

XXV. *Cpolitanum & Tarentinum Epiſc. redarguit.*

Anno quingenteſimo nonageſimo tertio Gregorius Conſtantinopolim miſit Sabinianum Diaconum Apocriſarium, illum ipſum, qui eidem poſtea in Pontificatu ſucceſſit. Ei proficiſcenti Epiſtolam LII libri ſecundi dedit ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quem auctoritate Apoſtolica redarguit, & quòd alium Joannem Presbyterum, qui injuriam ab ipſo paſſus Apoſtolicam ſedem appellaverat, adhuc inquietaret; & quòd reprehenſionem ab eodem Gregorio ipſi factam de Anaſtaſio item Presbytero, ac Monacho, quem Joannes fuſtibus puniri juſſiſſet, non eo quo ſcripta fuerat animo ſuſcepiſſet. Eodem pariter tempore Andream Epiſcopum Tarentinum duobus menſibus à celebratione Miſſarum ſuſpendit, quòd mulierem quamdam fuſtibus ſubjeciſſet; privat verò Sacerdotio, ſi, ut ferebatur, concubinæ eſſet conſortio maculatus. Vetitum enim erat aliquem fuſtibus cædi; licèt virgis reum ſubjicere ex pluribus ejuſdem Gregorii Epiſtolis conceſſum fuiſſe conſtet.

XXVI. *Caſſat Acta Concilii in Numidia habiti.*

Scripſerat Gregorius ad Columbum Epiſcopum Numidiæ Epiſtolam XLVII libri ſecundi, & Epiſtolam XLVIII ad Adeodatum Numidiæ Primatem; priori etiam pro benedictione claves Sancti Petri cum ramentis de catena ejuſdem Apoſtoli incluſis tranſmiſerat, ut Concilium celebrarent. Hi dum ad Concilium celebrandum cum reliquis Epiſcopis Numidiæ conveniſſent, præter jus faſque aliqua contra canones Eccleſiaſticos ſtatuiſſent, Gregorius ſacrorum canonum rigidus obſervator, illa nullius auctoritatis eſſe voluit, ut conſtat ex ejus Epiſtola VII libri tertii ad Gennadium Patricium & Exarchum Africæ menſe Septembri ejuſdem anni 593, indictione XI data.

XXVII. *Dialogorum libros ſcribit.*

Inter hæc autem idem Sanctiſſimus Pontifex laboribus & anguſtiis fatigatus ad modicum temporis ſpatium ſolitudinem repetiit. Cùm enim collegiſſet res præclarè geſtas ſanctiſſimorum virorum Italiæ, eorum potiſſimùm, qui ſua ætate vixerunt, quas vel ipſe probè ſciret, vel à viris fide digniſſimis accepiſſet, diligentiſſimam in his curam impendens, eaſdem per Dialogiſmum proſecutus eſt, interlocutorem adhibens Petrum Diaconum, virum à pueritia ſibi uſu amicitiæ intimum, quem in ſolitudinem ſecum duxerat. Quæ omnia ipſe in exordio Operis pluribus aperit. Eos verò quatuor Dialogorum libros elaboratos anno 593, ſui Pontificatûs quarto, ejuſdem Gregorii ſæpè in eodem Opere teſtificatione certum redditur; dum de peſte agens, quæ Urbem vexavit eo anno, quo ipſe Pontifex creatus eſt, ante triennium accidiſſe affirmat lib 4 Dialog. capp. 16, 36 & alibi. Iidem Dialogorum libri poſtea à Zacharia Papa è Latino in Græcum converſi ſunt, ut tradunt Anaſtaſius in ejus Vita, & Photius in ſua Biblioth. cod. 252. Saxonicè verò iidem libri verſi ſunt ab Alfredo Saxonum Occidentalium Rege, ſed hæc verſio interiit.

XXVIII. *II libri non ſunt à Gregorio II ſcripti.*

Nonnulli Auctores non ſolùm Heterodoxi, ſed etiam Catholici libros Dialogorum Sancti Gregorii Magni eſſe negarunt, Gregorio II, qui propterea *Dialogus* à Græcis appellatus ſit, hoc opus tribuentes. Verùm hi refelluntur ipſius Gregorii Magni Epiſtola L libri ſecundi, indictione XI ad Maximianum Syracuſanum Epiſcopum, & ex initio libri ſecundi Dialogorum, ubi ſcripturus Vitam Sancti Benedicti, ait accepiſſe ſe quæ de eo dicturus eſt, à quatuor ejuſdem Sancti diſcipulis, quorum adhuc duo in vivis erant; quæ certè dicere non potuit Gregorius II centum quinquaginta annis junior. His accedunt Auctorum, qui poſt Sanctum Gregorium vixerunt, teſtimonia, qui ſummo conſenſu Dialogos illi tribuerunt. Ii autem ſunt S. Paterius ipſius diſcipulus in teſtimoniorum libro ex omnibus S. Gregorii Operibus collecto: Tajus Cæſarauguſtanus Epiſcopus, qui florebat anno 630, in Collectaneo ex Operibus S. Gregorii, quinque in libros diviſo: S. Ildefonſus Toletanus Archiepiſcopus lib. de Script. Eccleſ. cap. 1. Julianus ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus in Prognoſtico futuri ſæculi: Beda lib.

Digitized by Google

lib. 2 Hiſt. cap. 1: Paulus Diaconus, & Joannes Diaconus in Vita Sancti Gregorii, & alii quamplures à Natali Alexandro Sec. VI cap. 3 art. 16 laudati, ubi & omnes adverſariorum objectiones ſolvit. Quare Gregorius II perperam à quibuſdam Græcis, *Dialogus* dictus eſt, hoc enim nomen Sancto Gregorio M. proprium eſſe ob editos Dialogorum libros perſpicuum eſt.

XXIX. *Quo tempore lucubrati.*

Ante ſeceſsionem Gregorius univerſalis Eccleſiæ curam gerens, quàm plurimas ad diverſos variis de rebus Epiſtolas dedit. Epiſtola XXXIX libri ſecundi ad Petrum Subdiaconum Campaniæ, puellam ſervituti obnoxiam, monaſticam vitam amplecti cupientem redimi Eccleſiæ pecuniâ voluit, ut voti compos effici poſſet. Epiſtolâ IX libri tertii ad Januarium Epiſcopum Calaritanum adversùs Judæos decernit, ne eorum ancillæ vel ſervi ad Eccleſiam confugientes illis redderentur: & Epiſtolâ 37 libri ſecundi ad Libertinum Præfectum Siciliæ mancipia Chriſtiana à Naſate Judæo empta reddi libertati mandat, ipſumque puniri, quòd lucri cauſa captandi, Eliæ Prophetæ nomine erexiſſet Altare, invitans Chriſtianos ad ejus cultum. Cùmque audiſſet in angulo quodam Siciliæ adhuc reperiri quoſdam idololatras, & Angelorum cultores (quæ Judæorum hæreſis erat) loci Epiſcopum Eutychium admonuit pro eorum converſione ſtrenuè laborare, Epiſtolâ 60 libri ſecundi ad ipſum data. Denique tot ſe occupationibus & tribulationibus detentum fuiſſe anno 593 Epiſtolâ 64 libri ſecundi ad Narſetem Patricium, menſe Auguſto indictione XI data ſignificat, ut, quod ipſe ait, neque legere, neque per Epiſtolas multa loqui liceret; oblitumque ſe eſſe manducare panem ſuum à voce gemitûs ſui. Quæ videntur in cauſa fuiſſe cur ſeceſſum quæſierit, illæ enim omnes Epiſtolæ datæ ſunt ante menſem Septembrem, ſola excepta Epiſtola IX libri tertii, quæ data eſt menſe Septembri, quo quartus ejus Pontificatûs annus incepit, & quo ſe in ſeceſſu Dialogorum libros ſcripſiſſe teſtatur. Unde conjicio Gregorium in ſolitudinem ſeceſsiſſe, & libros Dialogorum ſcribere cæpiſſe circa finem Septembris ejuſdem anni 593, cùm menſibus Octobris, Novembris & Decembris nullæ in ejus Regiſtro Epiſtolæ datæ reperiantur, non quòd aliquas ex eo ſeceſſu non ſcripſerit, ſed, ut conjectura eſt, admodum paucas, quæ ad nos non pervenerunt. In eodem Regiſtro ante menſem Majum anni 594, tres tantùm extant ejus Epiſtolæ, quarum duæ datæ ſunt menſe Januario, & una menſe Aprili, quod me movet ſuſpicari non tam brevem fuiſſe ejus ſeceſſionem, ut exiſtimat Baronius.

XXX. *Gregorii privilegium Sueſſionenſi S. Medardi monaſterio conceſſum.*

In eodem libro ſecundo Regiſtri Gregoriani, indictione XI poſt Epiſtolam 38 recitatur privilegium, quod datum dicitur à Sancto Gregorio monaſterio Sancti Medardi Sueſſionenſi in Gallia, quo illud conſtituit caput monaſteriorum totius Galliæ, & nullius vult ditioni ſubjici, præterquam Sedis Apoſtolicæ. Dicitur illud datum indictione XI, menſe Majo, anno Incarnationis 594, regnante in Gallia Theodorico. Sed cùm indictio XI non incidat in annum 594, ſed in annum 593; Sanctus Gregorius annos Incarnationis in ſuis Epiſtolis nunquam adhibeat, & Theodoricus ante annum 596 in Gallia non regnaverit, Joannes Launojus in Diſſertatione ſingulari, quam de eo privilegio edidit, & Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum illud privilegium ſuppoſititium eſſe contendunt. Adversùs Launojum ſcripſit Robertus Quatremarius Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri, & prædictum privilegium omiſſis ſubſcriptionibus publicavit. Legi poſſunt quæ in utramque partem hac de re edita ſunt.

XXXI. *Legis Imperatoris primam partem laudat Gregorius.*

Mauricius Imperator anno 592 lege lata prohibuit, ne Curiales, ſive publicis rationibus obnoxii, in Clerum vel in Monaſteria reciperentur, & ne milites ad Monaſticam admitterentur profeſsionem. Ea Lege ad Sanctum Gregorium miſſa, hic Sanctus Pontifex Epiſtolâ LXII libri ſecundi, indictione XI, menſe Auguſto, ideoque anno 593 ad Mauricium Auguſtum data, primum caput Imperatoriæ legis laudavit, ita enim ſcribit: *Legem ſuſcepi, in qua Dominorum pietas ſanxit, ut quiſquis publicis adminiſtrationibus fuerit implicitus, ei ad Eccleſiaſticum officium venire non liceat, quod valde laudavi, evidentiſſimè ſciens, quia qui ſæcularem habitum deferens ad Eccleſiaſtica officia venire feſtinat, mutare vult ſæculum, non relinquere.*

XXXII. *Secundam partem poſſe temperari cenſet.*

Secundum verò caput dictæ legis ita poſſe temperari cenſuit in eadem Epiſtola, ut in monaſteriis ſuſcipi non poſſent, qui publicis rationibus erant obnoxii, niſi monaſterium eorum rationes redderet, ac debita ſolveret. Immediatè enim ſubjungit Gregorius: *Quod verò in eadem lege dicitur, ut ei in monaſterio converti non liceat, omninò miratus ſum, dum & rationes ejus poſſint per monaſterium fieri, & agi poteſt, ut ab eo loco, in quo ſuſcipitur, ejus quoque debita ſolvantur.*

XXXIII. *Tertiam partem improbat.*

Eamdem legem, quoad tertium caput, quo militum converſioni & ſaluti Mauricius Imperator impedimentum apponebat, Gregorius improbavit, ac de illius rigore apud Principem expoſtulavit, rogavitque ut ipſam temperaret, ita in dicta Epiſtola ſcribens: *In qua lege ſubjunctum eſt, ut nulli, qui in manu ſignatus eſt* (id eſt nulli militi)

Digitized by Google

militi) *converti liceat. Quam Conſtitutionem ego fateor Dominis meis, vehementer expavi; quia per eam Cœlorum via multis clauditur, & quòd nunc uſque licuit, ne liceat prohibetur. Multi enim ſunt qui poſſunt religioſam vitam etiam cum ſeculari habitu ducere. Et plerique ſunt, qui niſi omnia reliquerint, ſalvari apud Deum nullatenus poſſunt. Ego verò hæc Dominis meis loquens, quid ſum niſi pulvis & vermis? Sed tamen quia contra auctorem omnium Deum hanc intendere Conſtitutionem ſentio, Dominis tacere non poſſum. Ad hoc enim poteſtas Dominorum meorum pietati cœlitus data eſt ſuper omnes homines, ut, qui bona appetunt, adjuventur, ut Cœlorum via largius pateat, ut terreſtre regnum cœleſti regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur, ut ei qui ſemel de terrena militia ſignatus fuerit, niſi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulſus, Domino noſtro Jeſu Chriſto militare non liceat*, &c. In Epiſtola verò LXV ejuſdem libri ad Theodorum Medicum ait Gregorius: *Quam legem primùm, ſicut ii dicunt, qui leges veteres noverunt, Julianus* (Imperator, Apoſtata dictus) *protulit, de quo ſcimus omnes quantùm Deo adverſus fuerit.*

XXXIV. *Imperatorem rogat, ut eam vel immutet, vel temperet.*

In fine dictę Epiſtolę LXII Gregorius Imperatorem rogat, ut hanc legem temperet, vel immutet: *Unde per eumdem tremendum Judicem deprecor, ne illæ tantæ lachrymæ, tantæ orationes, tanta jejunia, tantæque eleemoſinæ Domini mei ex qualibet occaſione apud Omnipotentis Dei oculos fuſcentur, ſed aut temperando Pietas veſtra, aut immutando rigorem ejuſdem legis inflectat; quia tantò magis Dominorum exercitus contra hoſtes creſcit, quantò Dei exercitus ad orationem creverit.* In Epiſtola autem 65 laudata Theodorum hortatur, ut id ſuggerat Imperatori: *Tu quidem, glorioſe fili*, inquit, *pro Chriſto loquere. Si auditus fueris, lucrum operatus es animæ prædicti Domini tui, & tuæ: ſi verò auditus non fueris, lucrum ſolummodo tuæ feciſti.*

XXXV. *Eam mittit in provincias & nonnihil temperat.*

Imperatoris tamen legem in provincias miſit Sanctus Gregorius: *Ego quidem*, inquit in eadem ad Mauricium Imp. Epiſtolâ, *juſſioni ſubjectus, eamdem legem per diverſas terrarum partes tranſmitti feci; & quia lex ipſa Omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam Sereniſſimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo, quæ debui, exſolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui; & pro Deo, quod ſenſi, minimè tacui.* Sed eam legem, conſentiente, ut videtur, Imperatore, nonnihil temperavit Sanctus Gregorius quoad ſecundam & tertiam partem; nam primam laudavit, ut mox dictum eſt; de ſecunda verò ita ſcribit ad Metropolitanos Epiſtola XI libri VII: *Quod ſi etiam tales* (ſc. rationibus publicis obligati) *quoque monaſterium petant, ſuſcipiendi nullo modo ſunt, niſi prius à rationibus publicis abſoluti fuerint.* De tertia verò parte ejuſdem legis ſubdit in eadem Epiſtola idem Sanctiſſimus Pontifex: *Si qui verò ex militaribus viris in monaſteriis converti feſtinant, non ſunt temerè ſuſcipiendi, niſi eorum vita fuerit fideliter inquiſita. Et juxta Normam Regularem, debent in ſuo habitu per triennium probari, & tunc Monachicum habitum Deo auctore ſuſcipere. Qua de re etiam Sereniſſimus, & Chriſtianiſſimus Imperator, mihi credite, omninò placatur & libenter eorum converſionem ſuſcipit, quos in rationibus publicis implicatos non eſſe cognoſcit.* Quæ verba, *qua de re.... Imperator, mihi credite, omninò placatur*, ita de illo temperamento inter Gregorium & Mauricium conveniſſe non obſcurè judicant, cui acquievit Imperator juxtà monita Sancti Gregorii. Fruſtrà itaque Petrus de Marca recurrit ad Novellam CLII Juſtiniani Imp., qua facultas fiebat præfectis Prætorio leges de rebus ſæcularibus, & eorum exemplo, ut ipſe ſine teſte ſcribit, Patriarchis leges de rebus Eccleſiaſticis ad ſe miſſas in aliquo temperare. Porrò hæc ad Metropolitanos Epiſtola data eſt indictione prima, anno ordinationis S. Gregorii octavo, ideoque poſt initium Septembris anni 597, & ante menſem Decembrem, ad quem ſequens Epiſtola pertinet.

XXXVI. *Incumbit converſioni Barbaricinorum Gentilium.*

Cùm Vandali Africam occupaſſent, Gentiles quidam barbari ab iis ad Auraſium montem omnium altiſſimum abacti ſunt, ne eos paterentur infenſos. Hi procedente tempore, montes qui in Sardinia ſunt prope Calarim occupavere: *ut primò quidem clanculùm latrocinia in vicinos exercentes, poſtea verò non minus quàm ad tria millia crevere, & manifeſtò excurſiones facientes, minimè latere curaverunt, ac omnem circa oram depopulati ſunt; quamobrem Barbaricini à vicinis appellati ſunt*, inquit Procopius lib. 1 de Bello Vandal. Iiſdem Juſtinianus lege 2 de officio Præfecti Prætorio Africæ Ducem habere permiſit. Tempore autem Sancti Gregorii licèt Dux Barbaricinorum eſſet Chriſtianus, Barbaricini tamen omnes adhuc erant Gentiles; quare Sanctus hic Pontifex maximè dolens locorum Epiſcopos nullam curam adhibere, ut eos redderent Chriſtianos; Felicem Epiſcopum & Cyriacum Abbatem in Sardiniam miſit, qui ipſorum converſioni incumberent, datis ea de re Epiſtolis libri tertii, XXV ad Zabardam Ducem Sardiniæ, & XXVII ad Hoſpitonem Ducem Barbaricinorum. Felix & Cyriacus invenientes Calaritanam Eccleſiam Paſtoris negligentiâ incultam, & colonos agrorum Eccleſię Barbaricinos ęquè ut alios perſeverare in-

Digitized by Google

SÆC. VII. S. GREGORIUS M.

infideles, de his monuerunt S. Gregorium, qui Epiſtolâ XXVI ejuſdem libri ad Januarium Calaritanum Epiſcopum data, eum graviter redarguit, & admonuit ut per omnia in eorum converſionem vigilaret. Epiſtolæ illæ datæ ſunt menſe Majo indictione duodecima, ideoque anno 594. Barbaricinos porrò paulatim ad Chriſtianam fidem converſos, conſtat ex ejuſdem Gregorii Epiſtola XVII libri IX ad Speſindeo Præſidem Sardiniæ, data indictione IV, quæ cum menſe Septembri anni 60 initium ſumpſit.

XXXVII. Caput S. Pauli Augustæ denegat.

Auguſta Conſtantina Mauricii Imperatoris conjux in ſuo Palatio Eccleſiam in memoriam ſancti Pauli Apoſtoli ædificavit, & à Gregorio Papa expetiit, ut Conſtatinopolim mitteret caput ejuſdem Sancti, ſive partem aliquam corporis; ſed Pontifex ſibi id minimè licere multipliciter excuſavit, nonnullis additis miraculorum exemplis, quæ edi conſueviſſent, cùm quid ex ſacris Reliquiis tranſmutare Romæ quis auderet, quorum unum retulimus in Pelagio II num. 21. Id conſtat ex Epiſtola 30 libri tertii ad Conſtantinam Auguſtam menſe Junio anni 594 data, in qua ſubdit: *Sudarium verò, quod ſimiliter transmitti juſſiſtis, cum corpore ejus* (nempe ſancti Pauli) *eſt; quod ita tangi non poteſt, ſicut nec ad corpus illius accedi: Sed quia Sereniſſimæ Dominæ tam religioſum deſiderium eſſe vacuum non debet, de catenis, quas ipſe ſanctus Paulus Apoſtolus in collo & in manibus geſtavit, ex quibus multa miracula in populo demonſtrantur, partem aliquam vobis tranſmittere feſtinabo, ſi tamen hæc tollere limando prævaluero. Quia dum frequenter ex catenis eiſdem multi venientes benedictionem petunt, ut parum quid ex limatura accipiant, aſſiſtit Sacerdos cum lima: & aliquibus petentibus ita concitè aliquid de catenis ipſis excutitur, ut mora nulla ſit: quibusdam verò petentibus, diu per catenas ipſas ducitur lima, & tamen ut aliquid exinde exeat, non obtinetur.*

XXXVIII. Solicitus eſt pro Eccleſia Salonitana in Dalmatia.

Cùm Natalis Salonitanus Epiſcopus obiiſſet initio anni 593, ut conſtat ex Epiſtola 22 libri ſecundi menſe Martio data, & de procuranda ſucceſſoris electione, ipſe Gregorius haud mediocriter ſolicitus eſſet; electo prius ab ejuſdem Eccleſiæ Clero, Honorato Diacono, quem de criminibus objectis Gregorium ipſum innocentem abſolviſſe conſtat ex Epiſtola 32 ejuſdem libri menſe Maio data, iidem Dalmatiæ Epiſcopi Maximum quemdam pravum hominem, ejuſdem Eccleſiæ deligere ſtuduerunt Metropolitanum Epiſcopum. Quæ audiens Gregorius, Apoſtolica fultus auctoritate, non ſolùm Maximum rejecit, ſed & ne inconſulta Apoſtolica Sede alium quemvis eligerent, eiſdem præcepit Epiſtolâ 15 libri tertii, indictione 12 data ad Epiſcopos Dalmatiæ: *Quòd ſi contra hæc quippiam*, inquit, *vel ſponte veſtra, vel à quolibet coacti præſumpſeritis vel tentaveritis agere: decernimus vos à Dominici corporis & ſanguinis participatione privatos.* Quare cùm non obſtante illa prohibitione, Dalmatæ Epiſcopi in electione Maximi, quaſi Imperatoris juſsione prætenſa, perſiſterent, eumdemque animo obſtinato conſecraſsent, omnes à communione ſuſpendit Epiſtolâ 20 libri tertii indictione XII, menſe Aprili, ideoque anno 594 data. Hæc cauſa cæpta indictione XI, finem non accepit ante indictionem ſecundam, ſeu annum 599, quo Gregorius conceſsit, ut cùm Maximus Romam venire nollet, ſaltem Ravennam ſe conferret, ubi delegatum à Sede Apoſtolica haberet judicem Marinianum Epiſcopum, ſub quo cauſam diceret. Præſtitit hoc Maximus, Ravennamque ſe contulit, ubi & juramento ſe purgavit ſupra corpus ſancti Apollinaris, ſe nimirum à Simoniaca labe integrum atque immunem eſse: acceptaque pœnitentia de inobedientia & contumacia, qua in Apoſtolicam Sedem peccaſſet, ad Salonitanam eſt miſsus, conſentiente Gregorio, Eccleſiam, ut legitimus illic ſederet Sacerdos; cui & expetenti idem Pontifex pallium dedit. Hæc conſtant ex Epiſtolis 80, 81, & 82 libri ſeptimi indictione ſecunda, menſe Julio datis, ideoque anno 599.

SÆC. VI. S. GREGORIUS M.

XXXIX. Sacramenti Confirmationis adminiſtrationem Presbyteris permittit.

Licèt juxtà Concilium Tridentinum ſeſsione 7 can. 3 de fide ſit Epiſcopum eſſe ſolum miniſtrum ordinarium ſacramenti Confirmationis, ex eo tamen deducitur, Presbyterum poſse etiam ex diſpenſatione eſſe miniſtrum extraordinarium ejuſdem ſacramenti, quod Theologi ex ſancto Gregorio probant. Cùm enim hic ſanctus Pontifex Epiſtolâ IX libri tertii ad Januarium Epiſcopum Calaritanum datâ prohibuiſſe ne *Presbyteri baptizatos infantes ſignare in fronte chriſmate* præſumerent, ſed Presbyteros, baptizatos infantes ungere debere in pectore, *ut Epiſcopi poſtmodum ungere debeant in fronte*: Presbyteris tamen Sardiniæ poſtea conceſsit Epiſtolâ 26 ejuſdem libri ad eumdem Epiſcopum data menſe Majo, indictione duodecima, anno 594 currente, ut cùm Epiſcopi deeſsent, Confirmationis adminiſtrare poſsent ſacramentum. *Pervenit ad nos*, inquit, *quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quòd Presbyteros chriſmate tangere eos qui baptizati ſunt prohibuimus: & nos quidem ſecundùm uſum noſtræ Eccleſiæ fecimus: ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tingere debeant, concedimus.* Hanc Gregorii diſpenſationem ſpectavit Eugenius quartus Papa in decreto unionis Armenorum cum Eccleſia Latina, ubi Miniſtrum con-

Digitized by Google

Confirmationis cùm aſsignaſſet Epiſcopum, addit: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, & urgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe chriſmatis ſacramentum*. Quæ contra hæc à Proteſtantibus, imò & à quibuſdam Catholicis objiciuntur, refellit Natalis Alexander Sæculo II Diſſert. X.

XL. Donatiſtas in Africa reprimit.

Hoc eodem anno 594 adversùs Donatiſtas in Africa invaleſcentes, Gregorius Epiſcopos Catholicos Epiſtolâ 35 libri tertii negligentes incitavit, & Epiſtola 32 ejuſdem libri, Pantaleonem Africæ Præfectum excitat contra eoſdem Donatiſtas, qui Catholicos iterum rebaptizare tentabant. Hæ duæ Epiſtolæ datæ ſunt menſe Junio. Ex alia verò parte, cùm accepiſſet Dominicum Carthaginenſem Epiſcopum in Concilio contra Donatiſtas ſanxiſſe, ut Epiſcopi, qui hæreticos non inquirerent & expellerent, dignitate ac bonis privarentur, eum à nimio hoc impetu revocavit Epiſtolâ tertiâ libri quarti, menſe Septembri datâ, quòd majores videret id concitaturum inter ipſos Epiſcopos Catholicos diſcordias. De convertendis pariter Judæis ſolicitus, eos non violentia, ſed ſpe præmii allici debere monuit Epiſtolâ tertiâ libri tertii, & Epiſtolâ ſextâ libri quarti.

XLI. Homilias in Exechielem Prophetam componit.

Annus quingenteſimus nonageſimus quintus toti Italiæ calamitoſus fuit, cùm Longobardorum Rex Agilulphus, non ſolùm civitates ſibi per Romanum Ravennatenſem Exarchum ereptas, furore percitus iterum cepit, ſed & ipſum agrum Romanum maxima depopulatione vaſtavit, ut conſtat ex Paulo Diacono lib. 4 cap. 7. Nihilominus Gregorius Papa hoc eodem tempore, flagitante populo, difficillimas Exechielis Prophetias pro concione interpretabatur. Quod quidem admiratione dignum viſum eſt, ut videlicet potuerit in tanto Urbis diſcrimine in his philoſophari; & populus in eodem periculo conſtitutus conciones tales ab eo exigere. Sanctus Gregorius tamen vix tunc à cœptis eſt violenter abſtractus, ubi vallata Urbe, vulnera civium, vincula atque cædes eſt oculis contemplatus. Has in Exechielem Prophetam Homilias, à Notariis, dum eas coram populo diceret, exceptas, poſtea idem Pontifex emendavit, & ad Marinianum Epiſcopum miſit.

XLII. Increpat Joannem Epiſc. CP. ob uſurpatum Univerſalis nomen.

Cùm Joannes Presbyter Calchedonenſis Eccleſiæ à Joanne Jejunatore Epiſcopo Conſtantinopolitano hæreſis injuſtè damnatus fuiſſet, ad Sedem Apoſtolicam appellavit; ideoque idem Joannes Jejunator Acta in ea cauſa ad Gregorium Papam tranſmiſit, in quibus per omnem penè verſum Oecumenicum Patriarcham ſe nominabat, ut conſtat ex Epiſtola 39 libri quarti Regiſtri Gregoriani ad Sabinianum Diaconum, Conſtantinopoli Sedis Apoſtolicæ Apocriſarium, ante menſem Julium anno 595 data. Quare Gregorius, qui hactenus Joannis ſuperbiam ſumma toleraverat patientia, in ipſum mox excitatus, tùm literis ſuis corripuit, Sabinianumque admonuit, ne ullo modo cum illo communicaret, ne ejus videretur favere ſuperbiæ; tum ad Mauritium Imperatorem, Conſtantinam Auguſtam, Eulogium Epiſcopum Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum, aliosque adversùs eum literas dedit. Recitantur illæ omnes lib. IV Regiſtri, ſuntque 32, 34, 36, 38, & 39, quibus omnibus cùm plura inculcet in deteſtationem ſuperbi illius nominis *Patriarchæ univerſalis*, demum in Epiſtola 39 addit, ei conſentire nihil aliud eſſe, quàm fidem perdere.

XLIII. Servum Servorum Dei ſe inſcribit.

Poſt inſolentem illam Joannis Conſtantinopolitani arrogantiam, Gregorius ſe ſemper *Servus Servorum Dei* inſcripſit teſte Joanne Diacono in ejus Vita lib. 4 cap. 58. Unde Epiſtolæ, prima libri VIII & prima libri IX ita inſcriptæ ſunt: *Gregorius ſervus ſervorum Dei Romano defenſori Siciliæ*, &, *Gregorius ſervus ſervorum Dei Innocentio Africæ Præfecto*. Ad hæc Beda lib. 1 Hiſt. Gentis Angl. plures Epiſtolas refert, quibus Gregorius Laurentium Presbyterum, & Monachos in Angliam proficiſcentes commendat, in quibus ſe ſervum ſervorum Dei inſcribit. Cap. enim 28 ejuſdem libri unam adducit inſcriptam Virgilio Epiſcopo Arelatenſi cum hoc titulo: *Reverendiſſimo & ſanctiſſimo viro fratri Virgilio Epiſcopo Gregorius ſervus ſervorum Dei*. Hæc Epiſtola eſt LXIII libri noni Regiſtri Gregoriani, in quo ſine illa inſcriptione refertur, ſicut & quædam aliæ à Beda recitatæ. Guſſanvillæus quidem in Notis ad primam Epiſtolam libri VIII ejuſdem Regiſtri, Romano defenſori Sicilię inſcriptam, dicit ſe dubitare an nuncupatio illa, *ſervus ſervorum Dei*, à Gregorio ibi uſurpata fuerit. Sed ut obſervat Garnerius in Appendice ad Notas Capitis I libri de Ordine Romano, nulla eſt in toto Gregorii Regiſtro Epiſtola, quæ non ſit à Collectore, ſuis, quas haberet, ſolemnibus formulis ſpoliata: habuiſſe tamen omnes, vel ex eo uno apertum eſt, quòd ad ſæculares viros, fœminaſque multæ datæ ſint, nec ulla tamen domini, dominæque nomen in epigraphe præferat, quamvis id nunquam omiſſum Joannes Diaconus in ejus Vita tradat. Porrò Beda laudatus cap. 29 refert Epiſtolam ejuſdem Gregorii ad Auguſtinum Cantuarienſem Epiſcopum, quæ in Regiſtro Gregoriano eſt 15 libri 12, & cap. 30; Epiſtolam ad Mellitum, quæ in eodem Regiſtro eſt 71 libri 9, in quibus etiam Gregorius *ſervus ſervorum Dei* ſe inſcribit, licèt in eo Regiſtro

Digitized by Google

hac formulâ ſint ſpoliatæ.

XLIV. Cognoſcit de Judicio Joannis Epiſc. CP. in Synodo Rom. II.

Sed quod ſpectat ad dictum Joannem Presbyterum Calchedonenſis Eccleſiæ, qui ad ſedem Apoſtolicam appellaverat, Gregorius Concilium in ea cauſa Romæ celebravit die quinta Julii ejuſdem anni 595, indictione decima tertia, anno tertio decimo Mauricii Imperatoris, ut legitur in geſtis Concilii à Sancto Gregorio Epiſtola 44 Libri IV, indictione XIII relatis. In eo Concilio, retractato Conſtantinopolitano Synodali Judicio, Joannes Presbyter abſolutus eſt, ut teſtatur idem Gregorius lib. 5 Epiſtolâ 15 ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, Epiſtolâ 16 ad Mauricium Imperatorem, & Epiſtolâ 17 ad Theoctiſtam cognatam Imperatoris. Sunt præterea in eo Concilio ſex canones ſtatuti, ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentes; quibus Epiſcopi viginti duo, Presbyteri S. Romanæ Eccleſiæ triginta quatuor ſubſcripſerunt. Inter canones autem quartus eſt, ut corpora Romanorum Pontificum ſine tegmine deferrentur ad ſepulturam: ea nimirùm occaſione, quòd cùm, ut ait, dalmaticis tegerentur, ipſas poſtea populus inter ſe partitus, loco ſacrarum Reliquiarum aſſervarent; quem monuit, ut è corporibus potius Apoſtolorum, ac Martyrum velamina acciperent. Ita namque ſibi Gregorius vivens conſultum volebat, ne poſt mortem coleretur ut Sanctus. Denique in ſcripto codice Sublacenſi reperiſſe ſe dicit Baronius, in hoc Concilio Romano eumdem Pontificem probaſſe & confirmaſſe Regulam Sancti Benedicti.

XLV. Pro ordinationibus, & pro pallio aliquid accipi vetat.

In eodem Concilio Romano pecuniam recipi vetuit Gregorius, non ſolùm pro ordinationibus, ſed etiam pro pallio, pro literis & pro convivio die ordinationis præbendo, ut conſtat ex canone quinto, & ex laudata libri 4 Epiſtola 44, in qua ait: *Antiquam patrum regulam ſequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum eſſe conſtituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem ſimulatio invenit, appellatione paſtelli. Quia enim ordinando Epiſcopo Pontifex manum imponit, Evangelicam verò lectionem Miniſter legit, confirmationis autem ejus Epiſtolam Notarius ſcribit; ſicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere; ita Miniſter vel Notarius non debet in ordinatione ejus vocem ſuam, vel calamum venundare. Pro ordinatione verò, vel pallio, ſeu chartis atque paſtello, eumdem qui ordinandus, vel ordinatus eſt, omninò aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus, ſi quis hinc aliquid commodi appellatione exigere, vel deferre fortè præſumpſerit, in diſtricto Dei omnipotentis examine reatui ſubjacebit.*

XLVI. Arelatenſi Epiſcopo vices ſuas in Galliis committit.

Hoc eodem anno 595 S. Gregorius menſe Auguſto dignitatem Vicarii in ditionibus Childeberti Francorum Regis, à quo rogatus fuerat, Virgilio Arelatenſi Epiſcopo, de ſuorum prædeceſſorum more conceſſit, data illi poteſtate convocandi concilia, in quibus Eccleſiaſticæ controverſiæ terminarentur. Quod ſi cauſa fidei illic ageretur, aut negotia inciderent, quæ dubia eſſent, aut ejus momenti, ut in provinciis decidi nequeant, jubet, ut ad Sedem Apoſtolicam referatur. Præterea illi hoc tribuit, ut perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ extra Gallias proficiſci volent, teneantur ab eo accipere literas communicatorias. Tandem pallium ipſi tranſmittit, quo intra Eccleſiam ad ſola Miſſarum ſolemnia utatur. Hæc conſtant ex Epiſtolis L libri quarti ad Virgilium, LII ad Epiſcopos Galliæ, & LIII ad Childebertum Regem menſe Auguſto, indictione XIII datis. Quare Virgilius per totam Auſtriam & Burgundiam Apoſtolicæ Sedis Vicarius fuit, Neuſtria enim erat penès Clotarium II ejuſdem Childeberti patruelem, & Gregorius vices ſuas Virgilio per regnum Childeberti duntaxat conceſſit, ut disertè in ejus Epiſtola exprimitur.

XLVII. In quo conſiſteret Vicaria illa poteſtas.

Attamen licèt Epiſcopi Arelatenſes Vicariatum Apoſtolicæ Sedis accepiſſent ab hinc centum circiter annis cum auctoritate convocandorum Conciliorum, certum eſt, inquit Marca lib. 7 de concordia cap. 19 n. 12 eos nullam Synodum congregaſſe, ſi Synodos provinciæ Arelatenſis excipias. Contrà, ex Regum juſſu convocatæ fuerunt, & judicia in illis lata ſunt adversùs Epiſcopos, nulla mentione facta Epiſcopi Arelatenſis, ut plurimùm à Concilio abſentis. Nihil igitur Virgilio ſupererat præter honorem & amplitudinem Vicarii, & quandam velut generalem præfecturam in Eccleſia Gallicana, de cujus negotiis referebatur ad Summum Pontificem, quo cum particularem communicationem habebat. Certè, ut jam dixerat Marca lib. 6 cap. 19 num. 9 facile eſt cognoſcere integram convocandorum Conciliorum auctoritatem non fuiſſe penès Virgilium, quandoquidem ei S. Gregorius duodecim alios Epiſcopos adjunxit, & à Francorum Regibus poſtulavit, ut Synodum intra Gallias haberi juberent. Extincto Virgilio, extinctus quoque Vicariatus Epiſcopatûs Arelatenſis, cùm nullus eorum, qui poſt Virgilium cathedram illam tenuere, Apoſtolicæ Sedis Vicarius appellatus reperiatur. Quare perſonalia fuere tam Virgilii, quàm anteceſſorum, putà Cæſarii, Auxanii, Aureliani & Sapaudi privilegia, cum conſtet eam delegationem à Romanis Pontificibus poſtulaſſe.

XLVIII. Pallium nonniſi poſtulantibus dari ſolitum.

Cùm enim dignitas Vicarii Apoſtolicæ Sedis tùm conjuncta eſſet cum pallio, & iſtud

Digitized by Google

illud non daretur niſi poſtulanti, ita nec Vicariatus Apoſtolicę Sedis. Dignitatem Vicarii conjunctam fuiſſe cum pallio, ex eo conſtat, quòd Gregorius ad interrogationem Auguſtini Cantuarienſis Epiſcopi, qualiter deberet cum Galliarum & Britanniarum Epiſcopis agere, ita reſpondit apud Bedam lib. 1 cap. 27. *In Galliarum Epiſcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædeceſſorum meorum temporibus, pallium Arelatenſis Epiſcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minimè debemus.* Ex quo ſequitur dignitatem Vicarii Apoſtolicæ Sedis cum pallio fuiſſe conjunctam: pallium autem non conceſſum niſi petenti, disertè teſtatur idem Sanctus Gregorius; cùm enim Brunichildis Francorum Regina illud pro Syagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo petiiſſet, diſtulit tantiſper hanc gratiam Gregorius, donec Syagrius ipſe illam poſtularet: *Quia*, inquit in Epiſtola V Libri VII ad Brunichildem Reginam menſe Octobri anni 597 data, *priſca conſuetudo obtinuit, ut honor pallii, niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulanti dari non debeat.* Poſtea tamen Gregorius Papa hujus nominis III Sancto Bonifacio, *quæ minimè petiit, Archiepiſcopatus pallium direxit*, ut ſcribit Othlonus in ejuſdem Bonifacii Vita lib. 1 cap. 26 apud Mabillonium Sæc. 3 Benedict. part. 2.

XLIX. *Gregorius regnum & Reges Franc. laudibus extollit.*

In laudatis ſuperius Epiſtolis L & LII libri quarti ad Virgilium Arelatenſem, & ad Epiſcopos Galliæ datis, Gregorius monet corrigenda eſſe nonnulla, quæ adverſùs ſacros canones in Galliis agerentur; & ut id omnino perfici poſſet, Regias manus in auxilium petens, de iiſdem ad Childebertum Francorum Regem dedit prædictam Epiſtolam LIII ejuſdem libri quarti: qua potiſſimùm illud admonuit, ne laici ſtatim tonſo capite raperentur ad Epiſcopatum, ſeu potius raperent ipſi Epiſcopatum: hoc ſuadens exemplo, quòd ſicut non ante exercitui Dux præponeretur, niſi labor ejus fideſque probata conſtaret, ita nec Dux animarum conſtitui deberet, niſi quem anteactę vitæ virtus & ſolicitudo aptum eſſe monſtraret. Scripſit & ad matrem Regis Brunichildem Reginam Epiſtolam V libri V indictione 14, ubi inter alia de ipſo Francorum regno atque Rege hæc habet: *Non immeritò contigit, ut cuncta gentium regna præcelleret; quippe earumdem gentium creatorem & purè colit, & veraciter confitetur.* Et rursùm poſtea ſcribens ad Childebertum Epiſtolam VI ejuſdem libri V ait: *Quantò cæteros homines Regia dignitas antecedit, tantò cæterarum gentium regna, regni veſtri profectò culmen excellit. Eſſe autem Regem, quia ſunt & alii, non mirum eſt: ſed eſſe Catholicum, quod alii non merentur, hoc ſatis eſt. Sicut enim magnæ lampadis ſplendor in tetræ noctis obſcuritate luminis ſui claritate fulgeſcit, ita fidei veſtræ claritas inter aliarum gentium obſcuram perfidiam rutilat, ac coruſcat. Quidquid autem Reges ſe cæteri gloriantur habere, habetis. Sed ipſi in hac re vehementius ſuperantur, quoniam hoc principale bonum non habent quod habetis.* Dedit verò Gregorius has literas Candido Presbytero, quem ad curandum patrimonium S. Petri, quod habebat in Galliis, miſit ad eumdem Regem; & unà cum literis munus dedit Rege Chriſtianiſſimo dignum; videlicet claves S. Petri, in quibus de limatura catenarum ejus aliquid incluſum eſſet, quæ, ut ait, collo ejus ſuſpenſæ, à malis eum omnibus tuerentur.

L. *Dolet pueros Anglos venales eſſe.*

Beda lib. 2 Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gentis Anglorum cap. 1 narrat, cùm quadam die Sanctus Gregorius nondum Pontifex in forum Romanum veniſſet, & *tres pueros venales*, candidi corporis, ac venuſti vultûs aſpexiſset, & Anglos eſse accepiſset, *bene*, inquit, *nam Angelicam habent formam*, & à Romano Pontifice petiit, ut genti Anglorum aliquos Dei miniſtros mitteret, & ſeipſum in hoc opus paratum exhibuit, ſed cives Romani non permiſere, ut tam longe ab Urbe recederet. Benedicto Papa Eccleſiam Romanam regente illud contigiſse aſſerunt Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii lib. 1 cap. 21, & Malmesburienſis lib. 1 de Reg. Angl. cap. 3. Parkerus verò in Antiq. Britann. pag. 34 in Eccleſiæ Romanæ odium ſcribit, hæc fabuloſa eſse, hanc nempe fuiſse occaſionem mittendi in Angliam S. Auguſtinum. Sed pravam hanc conſuetudinem in Anglia inolevisſe pueros vendendi, ut conſtantem veritatem agnoſcit Seldenus & alii Proteſtantes Parkero moderatiores. Certè Malmesburienſis loco laudato ſcribit, Allæ Regis tempore, qui per annos 31 Northumbriam rexit, & obiit anno 589, *familiari & pene ingenita nationi illi conſuetudine* venales fuiſse è Northumbria pueros. Hunc quidem barbarum morem conati ſunt Reges antiquare, & inter alios Inas Occidentalium Saxonum Rex, qui obiit circa annum 726; ſed non obſtantibus ejus & aliorum Regum legibus, ille mos adeò invaluerat, gentis vitio, ut uſque ad Henrici II Angliç Regis tempora, ideſt ad medium uſque ſæculum duodecimum perdurarit. Eccleſiarum Prçlati hunc morem exoſi lege lata hujuſmodi etiam mercimonia, naturæ gratiæque contraria ſæpè vetuerant, uti in Concilio Londinenſi ſub Anſelmo Cantuarienſi anno 1102, & priùs in Enhamenſi anno 1008 indicto, ut videre eſt apud Spelmannum, & apud Alfordum in Annal. Anglic. ad annum 588, qui plura hac de re habet.

LI. *Anglos operâ S. Auguſtini convertit.*

In Eleuthero Papa diximus ex Anaſtaſio, & ex Beda lib. 1 cap. 4 Hiſt. Eccleſ. An-

Digitized by Google

Anglorum, Evangelium à Britannis publicè ſuſceptum fuiſſe ſub Lucio eorum Rege. Sed cùm medio ſæculo quinto Britanni ab Anglis & Saxonibus ex inſula expulſi fuiſſent, ea ad idolorum cultum iterum rediit. Quare Gregorius, qui, ut mox diximus, ante Pontificatum de Anglorum converſione cogitaverat, anno 596 eam aggreſſus eſt, Auguſtino monaſterii S. Andreæ in Urbe à ſe præfecto, cum ſociis in Angliam miſſo, eumque multiplicibus literis ad Reges Francorum & diverſos Galliarum Epiſcopos datis commendavit. Extant eę lib. 5 Regiſtri Gregoriani ab Epiſtola 52 ad 59. Auguſtinus anno 597 à Virgilio Arelatenſi Epiſcopo ordinatus eſt Epiſcopus, indeque in Britanniam reverſus, Ethelbertum Cantii Regem baptizavit, & in die Nativitatis Domini, indictione prima, anno 597 Kalendis Septembris inchoata, pluſquam decem millia Anglorum baptizati ſunt, ut ſcribit Gregorius in Epiſtola 30 libri 7 ad Eulogium Alexandrinum Epiſcopum menſe Junio ſequenti data. Cùm poſtea Auguſtinus Sancto Gregorio ſuggeſſiſſet, multam quidem eſſe meſſem in Anglia, operarios verò paucos, miſit idem Pontifex *plures cooperatores, ac verbi miniſtros, in quibus primi & præcipui erant Mellitus, Juſtus, Paulinus, Rufinianus; & per eos generaliter univerſa quæ ad cultum erant, ac miniſterium Eccleſiæ neceſſaria, vaſa videlicet ſacra, & veſtimenta altarium, ornamenta quoque Eccleſiarum, & Sacerdotalia, vel Clericalia indumenta; ſanctorum etiam Apoſtolorum, ac Martyrum reliquias, & codices plurimos*, inquit Beda laudatus cap. 29, ubi & refert Epiſtolam à Gregorio ad Auguſtinum tunc Cantuarienſem Epiſcopum ſcriptam, datamque die decima Kalendarum Juliarum, indictione quarta, anno 601 currente, qua ſignificat ſe ei pallium dirigere, cujus uſum ei concedit, *ad ſola Miſſarum ſolemnia agenda*, ſimul & inſinuat qualiter Epiſcopos in Britannia conſtituere debeat.

LII. *Auguſtinum Vicarium Sedis Apoſt. conſtituit.*

In decretali Epiſtola à Sancto Gregorio ad Auguſtinum; qui eum de nonnullis conſuluerat, quæ extat etiam apud Bedam laudatum cap. 27, & in Regiſtro Gregorii eſt 31 libri 12, mentio eſt Vicariatûs Apoſtolici Auguſtino conceſſi, non quidem conceptis verbis, ſed ex conſequentia, ut colligitur ex ſeptimo Gregorii reſponſo ad Interrogationem Auguſtini, qui ab ipſo petierat, qualiter deberet cum Galliarum & Britanniarum Epiſcopis agere. Reſpondit Gregorius: *In Galliarum Epiſcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus; quia ab antiquis prædeceſſorum meorum temporibus, pallium Arelatenſis Epiſcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minimè debemus.* Cum pallio igitur conjuncta erat dignitas Vicarii Sedis Apoſtolicæ, quam adimere Arelatenſi Epiſcopo noluit Gregorius. Porro privilegium illud perſonale tantum fuit, non verò perpetuum, ut manifeſte colligitur ex Epiſtola Gregorii ad Auguſtinum numero ſuperiori laudata; cùm prętereа conſtet Cantuarienſes Archiepiſcopos, nonniſi diù poſt iſta tempora factos fuiſse Vicarios Romani Pontificis, ita ut Eccleſię illius Epiſcopus diceretur Legatus natus Sedis Apoſtolicę. Ita Baluzius in ſupplemento lib. 5 de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 42 num. 9 juxta ea quæ habet Marca lib 6 cap. 7 num. 3, ubi ait, ævo divi Gregorii invaluiſſe uſum, ut Romanus Pontifex pallio ornaret Metropolitanos, quibus vices ſuas in provinciis committebat, uti Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, & Juſtinianæ Primæ ſive Bulgariæ Metropolitam; & in Galliis, Arelatenſem. Verùm de uſu pallii, temporibus in quibus verſamur, non eſt una conſtanſque omnium ſententia, ut videre eſt apud Garnerium in appendice ad Notas capitis 4 libri de Ordine Romano. Sufficiat hic obſervare Epiſcopos Britannię Auguſtino Cantuarienſi à Gregorio ſubjici, his verbis quæ leguntur in fine ſeptimi reſponſi: *Britanniarum verò omnes Epiſcopos tuæ fraternitati committimus.*

LIII. *Miſſa in domibus privatis.*

Eodem anno 596 Gregorius omnium ex officio curam gerens, illud Epiſcopos magnoperè admonuit, ne lites haberent & contentiones cum provinciarum Pręſidibus, ſed eos officiis promereri ſtuderent; ad quod valde conduceret, ſi cum ſęcularibus miniſtris Epiſcopi concordaſſent. Eſt de his elegans ejus Epiſtola 43 libri 5 indictione 14 ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum, quem admonet, ut omni ſtudio in gratiam redire conaretur cum Venantio Pręfecturam illic gerente; & ſi opus ſit, etiam Miſſas in ejus domo celebrari permittat, imo & ipſemet celebret. Caſſium Narnienſem Epiſcopum aliquando etiam *in Epiſcopii oratorio Miſſas* feciſſe ſcribit idem S. Gregorius Homilia 37 in Evangelium. Joannes item Epiſcopus Alexandrinus cognomento Eleemoſinarius, ſuam plebem alloquens, *poteram*, inquit, *facere mihimet Miſſas in Epiſcopio*, ut teſtatur Leontius in ejus Vita cap. 41. Ex quibus intelligitur in domibus etiam privatis conſueviſſe dici Miſſas, qui uſus poſtea vetitus, de quo lege Edmundum Martene lib. 1 de Antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 3 art. 5.

LIV. *Plura Altaria in eadem Eccleſia.*

Sed nec inuſitatum fuit, quod objiciunt Novatores, ut in una Eccleſia plura eſſent Altaria. Id enim nos etiam docet Epiſtola L libri 5 Gregorii ad Palladium Epiſcopum Santonenſem, cùm petitas ad eum mittens ſacras reliquias eum ſic alloquitur: *Veniens lator præſentium inſinuavit*

nobis

Digitized by Google

nobis fraternitatem veſtram Eccleſiam conſtruxiſſe, atque illic tredecim altaria collocaſſe. Græci tamen, ut obſervat Cardinalis Bona lib. 1 Rer. Liturgic. cap. 14 num. 3 antiquum morem retinuerunt & hactenus retinent, unicum enim altare in ſingulis Eccleſiis habent, nec fas eſſe putant intra ſepta ejuſdem templi ſacrum eadem die iterare, cujus unitatis analogiam inde accipi ferunt, quia unus eſt Chriſtus, una Eccleſia, unum ſacrificium, plura tamen ipſi Eccleſiæ proxima, muroque disjuncta, habent ſacella, ſive oratoria, quæ *parecclesiæ* ab illis vocantur. Idem de Moſcovitis narrat Sigiſmundus Liber in commentario rerum Moſcovitarum.

LV. *Presbyteri unà cum Epiſcopo concelebrantes.*

Hìc autem obſervandum venit, quòd cùm unicum olim in Eccleſiis eſſet Altare, & presbyteris in eo altari, in quo Epiſcopus ſacrum fecerat, eadem die celebrare eſſet illicitum, ne presbyteri omninò à ſacrificio abſtinerent, eos unà cum Epiſcopo concelebrare haud infrequens fuiſſe, ut oſtendit Edmundus Martene laudatus art. 8. Hanc tempore Sancti Gregorii conſuetudinem adhuc viguiſſe conſtat ex ejus Epiſtola 31 libri 6 ad Eulogium Alexandrinum & Anaſtaſium Antiochenum Epiſcopos de Legatis Conſtantinopoli Romani miſſis, in qua ſcribit: *Eoſdem verò Reſponſales, quia hoc omninò humiliter precabantur, Miſſarum ſolemnia mecum celebrare feci*. Idem etiam habet in Epiſtola 30 ad Mauricium Imperatorem. Hunc ritum, qui apud Græcos hactenus ſervatur, quique apud Latinos in ſolis Epiſcoporum & Presbyterorum ordinationibus permanſit, per mille & trecentos annos in Orientali, & Occidentali Eccleſia communem extitiſse, oſtendit idem Martene laudatus.

LVI. *Gregorius inſurgit in Cyriacum Epiſt. CP. Univerſalis nomen affectantem.*

Joanne Jejunatore Epiſcopo Conſtantinopolitano anno 595 vita functo, & quidem die ſecunda Septembris, ut habetur in Menologio Baſilii Imperatoris ad eamdem diem, in ejus locum ſubſtitutus eſt Cyriacus optimi vir nominis, qui ſimul ac thronum conſcendit, Legatos ad Gregorium unà cum literis & fidei profeſſione Romam miſit. Sed licèt ad eum reſcripſerit Gregorius, reciprocamque miſerit Catholicæ fidei regulam, ac pariter alias literas reddiderit de ejus electione gratulatorias ad Mauricium Imperatorem, & Epiſcopos qui eum ordinarant, quæ ſunt 4, 5, 6, & 7 libri ſexti, indictione 15, ideoque poſt menſem Auguſtum anni 596 datas; nihilominus tamen dedit Sabiniano Apocriſario ſuo in mandatis, ne aſſiſteret eidem Cyriaco Miſſarum ſolemnia celebranti, niſi uſurpatum à Joanne prędeceſſore illicitum *Oecumenici* nomen penitùs dimitteret. Id conſtat ex Epiſtola 31 ejuſdem libri ſexti ad Eulogium Alexandrinum & Anaſtaſium Antiochenum Patriarchas anno 597 datâ. Cùmque eodem anno, Sabiniano revocato, Gregorius Anatolium Apocriſarium ad Imperatorem miſiſſet, Cyriacum Epiſtola 28 monuit, fieri minimè poſſe, ut concordia mutua intercederet, niſi ſuperbum nomen aboleretur. Quo etiam argumento ad Imperatorem, alioſque quam plurimos ſcripſit Epiſtolas, ſcilicet 22 & ſequentes uſque ad 30, cùm ab iis per Sabinianum Romam redeuntem literas accepiſſet. Cyriacum tamen non deſtitiſſe affectare *Oecumenici* nomen, colligitur ex Epiſtola 70 libr. 7 indictione ſecunda, menſe Septembri anni 598 inchoata, ad Euſebium Theſſalonicenſem, & ad Epiſcopos Orientis data, qua eos monet, ut ſi Cyriacus in Synodo, quam Conſtantinopoli indixerat, de nomine *Oecumenici* Conſtantinopolitano Epiſcopo attribuendo, vel quid ſimile canonibus contrarium decernendum attentaret, fortiter omnes illi reſiſterent. Hujus porrò Synodi Conſtantinopolitanæ memoria duntaxat reperitur in dicta Epiſtola 70 libri ſeptimi Regiſtri Gregoriani.

LVII. *Judæos poſt jejunium dierum 40 baptizari permittit.*

Licèt leges Eccleſiaſticæ Cathecumenos, inquit Edmundus Martene lib. 1 de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 1 art. 8, nonniſi diu multùmque probatos ſacræ regenerationis gratia donari permitterent, prudentiæ tamen ac diſcretioni Epiſcoporum, aut Presbyterorum relinquebatur, quamdiu duraret illa probatio, ut conſtat ex canone 7 Concilii Conſtantinopolitani primi. Concilium Illiberitanum biennii aliquibus, aliis triennii probationem præſcribit. Concilium verò Agathenſe anno 506 celebratū canone 34 decernit, ut *Judæi, quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, ſi ad legem Catholicam venire voluerint, octo menſes inter Catechumenos Eccleſiæ limen introëant. Et ſi pura fide noſcuntur venire; tum demum baptiſmi gratiam mereantur*. Sed legibus non ita adſtricta erat Eccleſia, quaſi ab iis diſpenſare, cùm ſic videret expedire, ac tempus præſtitutum abbreviare non poſset. Unde Sanctus Gregorius lib. 7 Epiſtolâ 24 ad Fauſtinum Eccleſiæ defenſorem, cuidam Epiſcopo permiſit, ut Judæos in agro Agrigentino baptizari cupientes, poſt indictum qadraginta dierum jejunium, ſacris undis immergeret, ita ad Fauſtinum ſcribens: *Cum Epiſcopo loci illius loquere, ut pœnitentia & abſtinentia quadraginta dierum indicta, aut die Dominico, aut ſi celeberrima feſtivitas fortaſſè occurrerit, eos omnipotentis Dei miſericordia protegente baptizet*. De adminiſtratione baptiſmatis in ſolemnitatibus Paſchæ & Pentecoſtes lege dicta in Sancto Leone.

LVIII. *Romæ tertiam Synodum celebrat.*

Menſe Novembri anni Chriſti 600, ut probat Auctor Criticæ Baronianæ, Gregorius Concilium Romanum tertium celebra-

vit

Digitized by Google

vit, in quo Andreas Græcus homo, ſub Monachali habitu degens apud Baſilicam Sancti Pauli, damnatus, quòd detectus eſſet impoſtor, atque falſarius, ut liquet ex Epiſtola 69 libri 9 Regiſtri, indictione 4 ad Euſebium Theſſalonicenſem data: ac præterea conceſſa eſt teſtandi facultas Probo Abbati Monaſterii S. Andreæ, à divo Gregorio Papa conſtructi, quod nunc à Monachis Camaldulenſibus inhabitatur. Hujus Concilii Acta ad nos non pervenerunt, ſed qui errores in eo damnati fuerint, intelligi poſſe ait idem Criticæ auctor, ex Bibliotheca Photii cod. 162, cujus titulus eſt: *Euſebii Epiſcopi contra Andream quemdam libri X*; Ex quibus conſtat quatuor errores prædicti Andreæ fuiſſe. I, corruptionis vocabulum ſoli peccato congruere. II, corpus Chriſti ex ipſa cum Verbo conjunctione immortale, impatibile, & incorruptibile factum eſſe. III, Adami corpus ante lapſum non fuiſſe natura mortale & corruptibile. IV, mundum incorruptibilem eſſe, & interitûs expertem. Erat conſequenter Andreas unus ex incorruptionis aſſertoribus, quorum ſecta, *Incorrupticularum* dicta, ſicut & oppoſita *Corrupticularum*, exorta eſt circa annum 530. Quæ quidem quæſtio non ad mortalitatem vel immortalitatem, neque ad reſolutionem in elementa, vel contrariam ſubſtantiam pertinebat, cùm & ipſi Eutychiani Chriſti corpus hujuſmodi corruptioni non fuiſſe obnoxium faterentur: ſed in controverſia erat an Chriſti corpus perinde ac noſtrum detrimenta pateretur, propter quæ reparanda opus haberet cibo, potu & requie ad reficiendas vires: an verò ſpecie tenùs affectiones iſtas pateretur, ſolaque œconomia, quemadmodum poſt reſurrectionem, ut explicat Nicephorus lib. 17 cap. 29. Refert prætereà Photius Andream multa Sanctorum Patrum dicta adulterata, vi in ſuam detorſiſſe ſententiam, erroremque ſuum ex illis, *ut ſibi quidem perſuaſit* confirmaſſe; ac denique hæreticorum dicta quædam compilaſſe, eaque Sanctis Patribus attribuere auſum eſſe. Sed Euſebium Theſſalonicenſem Epiſcopum libris illis decem Andream confutaſſe, & controverſiam de *Corruptibili*, & *Incorruptibili* egregiè explicaſſe.

LIX. *Reſpondet ad Hibernos de rebaptizatione hæreticorum.*

Epiſcopi Hiberniæ Gregorium Papam conſuluerant de hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium rebaptizatione, & de quibuſdam aliis dubiis, quæ Sanctus Pontifex ſolvit Epiſtolâ LXI libri IX *Quirino Epiſcopo, & ceteris in Hibernia Catholicis* data. Non me latet Petrum de Marca in Appendice ad Concilium Claromontanum ſub Urbano II contendere eam Epiſtolam, non ad Epiſcopos Hiberniæ, ſed Hiberiæ, ſeu Iberiæ in Ponto ſcriptam eſſe. Sed ratio quam ex ipſa Epiſtola deducit, rem minimè evincit, & licèt quidam codices MSS. habeant *Hiberiæ*, ſeu *Iberiæ*, hoc etiam nihil officit, quia ut annotavit Auctor Criticæ Baronii, tempore divi Gregorii *Hiberni* vocabantur etiam *Hiberi*, ſeu *Iberi*. Non diſſimilem quæſtionem agitatam ſeculo decimo ſexto refert Maldonatus Diſp. de Baptiſmo quæſt. 4. *Meritò diſputatum eſt*, inquit, *à viris doctis de baptiſmo Calviniſtarum, nec deſunt, qui putant non eſſe verum baptiſmum*. Tum utriuſque partis argumenta refert. Pro validitate tamen talis baptiſmi pronuntiavit S. Pius V, ut notat Guſſanvillæus in Notis ad eam Gregorii Epiſtolam. Poſt Pium V Synodus Ebroicenſis anno 1576, quæ refertur inter decreta Eccleſiæ Gallicanæ per Ludovicum Bochellum collecta, Concilia Rotomagenſe anno 1581. & Aquenſe anno 1585 idem declararunt. Porrò Gregorius ſcribit eos, qui apud hæreticos in Trinitatis nomine baptizati ſunt, non eſſe rebaptizandos, ſed aut unctione chriſmatis, aut impoſitione manûs, aut ſola profeſſione fidei ad ſinum matris Eccleſiæ revocandos eſſe. Eos autem qui in Trinitatis nomine baptizati non ſunt, ut ſunt Bonoſiani, & Cataphrygæ, baptizandos eſſe; nec tamen ipſorum baptiſma dici poſſe iteratum, quia in Trinitatis nomine non erat datum.

LX. *Quartam Romæ Synodum cogit.*

Cùm ſanctus Gregorius probè per experientiam cognoſceret, quantas interdum moleſtias Monachi ab Epiſcopis pati ſolerent, eorum quieti & indemnitati conſulere voluit. Quare nonis Aprilis anni 601 quartam Romæ Synodum celebravit Epiſcoporum viginti, ac Romanæ Eccleſiæ Presbyterorum quatuordecim & Diaconorum quatuor; in qua decretum edidit, quod *Conſtitutum* appellari conſuevit, ne ab Epiſcopis ullas impoſterum moleſtias paterentur, ſive in bonis, ſive in Abbatum electionibus, aut Monachorum, invitis Abbatibus, ordinationibus.

LXI. *Mauricii Imp. ſororem ab hæreſi revocat.*

Literis Theoctiſtæ Patriciæ Mauricii Imperatoris ſororis Conſtantinopoli ſcribentis, certior factus Gregorius, ipſam in ſuſpicionem adductam eſſe quarumdam hæreticarum opinionum, quibus aſſereret; obtentu religionis conjugia ſolvi poſſe; Baptiſma haud penitus peccata auferre; Si quis de peccatis ſuis in triennium pœnitentiam ageret, poſtmodum ei perversè licere vivere; ac denique: Si quis neceſſitate compulſus aliquid de quo reprenderetur, anathematizare ſe diceret, anathematis vinculo ipſum non teneri: de his ad eamdem Theoctiſtam reſcribens Epiſtolam 39 libri 9 indictione IV Gregorius, quamvis ipſam paſſam eſſe calumniam exiſtimare ſe dicat, admonet tamen eos errores anathematizare, atque ſe juramento purgare

Digitized by Google

gare, & quatuor ſupradicta capita, quibus ea affirmabatur obnoxia, confutat.

LXII. *Ad eum plures appellationes deferuntur.*

Plura Epiſcoporum judicia ad Sedem Apoſtolicam delata fuerant, quæ Gregorius anno 602 aliis cognoſcenda remiſit. Judicium enim Clementii Primatis Byzacenæ provinciæ gravium criminum rei, demandavit Concilio Epiſcoporum, quod in eadem provincia celebrari voluit Epiſtola 35 libri 10, indictione quinta. Cauſam Paulini Regenſis in Numidia Epiſcopi de Simonia accuſati, ac Donadei Diaconi ab Epiſcopo ſuo depoſiti, cognoſci pariter voluit Epiſtolis 8 & 32 ejuſdem libri 10, in alio Concilio, in eadem Numidia celebrando. Denique cauſam Pauli Docleatinæ civitatis Epiſcopi committit Joanni Epiſcopo primæ Juſtinianę Epiſtolâ 34 ejuſdem libri 10, quâ ei mandat Gregorius, ut cogat Paulum ob corporale crimen jam dignitate depoſitum, reſtituere Eccleſiæ, quæ dicebatur abſtuliſſe. Doclea porrò erat urbs Illyrici, cujus populi vocabantur *Docleatæ*, ut docet Ptolemæus lib. 2 Geogr. cap. 17, & quidem Epiſcopalis, quibuſdam *Antivari*, aliis *Cataro* ad Rhyzonicum ſinum. Ex quibus videre eſt bella non impediiſſe quominùs, tam ab Oriente, quàm ab Occidente ex Tranſmarinis Eccleſiis appellationes & alia judicia deferrentur ad Sedem Apoſtolicam.

LXIII. *Gregorius Miſſarum ordinem digeſſit, & quædam canoni addidit.*

Explicanda reſtant quædam Gregorii geſta, quæ nullo certo anno definiri poſſunt. Et primò quidem Gregorius antiquum Miſſale Gelaſianum, ſeu codicem de Miſſa recognovit. Nam Joannes Diaconus in ejus Vita à Mabillonio Sęculo 1 Benedictino recitata hæc ſcribit lib. 2 cap. 2. *Sed & Gelaſianum codicem de Miſſarum ſolemniis, multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens, pro exponendis Evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit*. Tam Gelaſii, quàm Gregorii Miſſalia in Abbatia Centulenſi, ſive ſancti Richerii anno 831 extaſſe, diximus in Gelaſio. Ex libro Pontificali, & ex Beda lib. 2 Hiſt. Eccleſ. cap. 1 addidit Canoni Miſſæ hæc verba: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari*, quod idem ſcribit Joannes Diaconus in ejus Vita. In Miſſa orationi pro defunctis alia ſubnectitur incipiens, *Nobis quoque peccatoribus*. In hac autem aliquot ſancti recenſentur, quorum in priore parte Canonis mentio facta non eſt. Ii ſunt ex diverſis ordinibus ſelecti, ex Diaconis Stephanus, ex Apoſtolis Mathias, ex Diſcipulis Barnabas, ex Epiſcopis Ignatius, ex Summis Pontificibus Alexander, ex Presbyteris Marcellinus, ex Clericis minorum ordinum Petrus, ex conjugatis Felicitas, & Perpetua; cumque nullæ eſſent ex Virginibus, Gregorius Agatham, Luciam, Agnetem, Cæciliam & Anaſtaſiam huic parti Canonis adjunxit, ut ſcribit Aldelmus Epiſcopus lib. de Virginitate cap. 25.

LXIV. *Quædam alia conſtituit, & quædam illi falsò tributa.*

Symmachus Papa ex libro Pontificali inſtituerat, ut omni die Dominico, vel Natalitiis Martyrum Hymnus *Gloria in excelſis Deo* diceretur. Illud decretum, quod omnes Presbyteros reſpicere videtur, reſtrinxit Gregorius ad ſolos Epiſcopos, ut patet ex ejus verbis initio libri Sacramentorum, quæ in Symmacho retulimus. Conſtituit prætereà Gregorius juxta antiquam Eccleſię conſuetudinem, Subdiaconos albis tantùm amictos in ſacrificio Altaris miniſtrare, ut liquet ex ejus Epiſtolâ 64 libri 7 ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum: *Subdiaconos autem, ut ſpoliatos procedere facerem, antiqua conſuetudo Eccleſiæ fuit*. Sed errant qui putant Gregorium orationem Dominicam poſt Canonem recitari juſsiſse; veterem quippe & Apoſtolicam conſuetudinem eſse ipſemet teſtatur in dicta Epiſtolâ 64 dicens: *Orationem Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut &c.* Non inſtituit etiam ut *Kyrie eleiſon* cantaretur, & *Alleluya* diceretur extra tempus Paſchale, ut de Alleluya in Damaſo Papa diximus; De Kyrie verò ipſemet Gregorius aſserit in laudata Epiſtola. Vigebat enim ille mos cantandi Kyrie eleiſon in Romana, imò & in tota Occidentali Eccleſia longè ante Gregorium, ut ex Concilio Vaſenſi canone 3 ſub Felice IV, anno 529 celebrato, conſtat. Dum perlecta Epiſtolâ, præparat ſe Diaconus ad legendum Evangelium, Chorus Reſponſorium concinit, quod vocatur Graduale, non à gradibus Altaris, ut quidam recentiores ſcribunt, ſed quia pſallitur in gradibus ambonis ſive pulpiti, cùm cætera *ubicumque voluerit Clerus* pſallantur, ut aſſerit Caſſander in Liturgicis cap. 21. Sunt qui Gregorium eorum Gradualium, ſive Reſponſoriorum auctorem faciunt. Et Gregorius quidem ea in ſuo Antiphonario per ordinem digeſsit, quæ in ſingulis Miſſis per annum cantari debent: at uſum pſallendi, vel aliquot pſalmi verſiculos, vel totum pſalmum inter Epiſtolam & Evangelium, multò antiquiorem fuiſſe Gregorio, ſaltem in Africa, ex Auguſtino probat Cardinalis Bona lib. 2 rerum Liturgic. cap. 6 num. 4.

LXV. *Quaſdam Urbis Eccleſias ſtationibus aſſignavit.*

Chriſtianos olim diebus jejuniorum tota nocte in Eccleſia vigilaſſe, & die ſequenti uſque ad Nonam, & in Quadrageſima uſque ad Veſperas in eadem Eccleſia ſine cibo & potu perſeveraſſe orantes & pſallentes, hincque Vigiliarum & Stationum nomen apud Eccleſiaſticos emanaſſe, oſtendit idem Cardinalis cap. 3 de Divina Pſalmodia § 4 nu. 3; ex Iſidoro lib. 6; Orig. & Rabano Mauro lib. 2 de Jejuniis cap. 10, & ali-

Digitized by Google

& alibi, apud quem ſolvere ſtationem idem eſt, ac ſolvere jejunium, qua loquendi formula utitur etiam Caſsianus Collat. 21 cap. 29. Sanctus autem Gregorius certas Urbis Eccleſias Stationibus aſsignavit, & diebus quoque ſolemnioribus Stationes fieri uſque ad Sextam juſsit; atque ad has Eccleſias iſtis etiam temporibus ſtatis diebus fidelium concurſus fieri ſolet: quamvis nocturnæ vigilantium excubiæ, & diurnæ Stationes, refrigeſcente charitate, ſublatæ nunc ſint, ſola jejunii abſtinentia permanente. De illis jejuniis & ſtationibus legendi Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis in ſuis Obſervationibus de veteribus Eccleſiæ ritibus lib. 1 Obſervat. 16, & Dionyſius Petavius in Notis ad Epiphanium, ubi de veteribus Eccleſiæ ritibus, ad expoſitionem fidei pag. 356.

LXVI. *Sacramentarium compoſuit.*

In Gelaſio Papa diximus Collectarum, quibus nunc in Miſsa utimur, eum primum fuiſse auctorem. Sed Gregorium Magnum meliores, & emendatiores in ordinem redegiſse, & ex iis librum compoſuiſse, quem Sacramentarium inſcripſit, teſtatur non ſolùm Joannes Diaconus in ejus Vita lib. 2 cap. 17, ſed etiam Valafridus Strabo in lib. 2 de Divinis officiis cap. 22. *Curavit*, inquit, *B. Gregorius rationabilia quæque coadunare, & ſecluſis iis, quæ vel nimia, vel inconcinna videbantur, compoſuit librum, qui dicitur Sacramentorum*. Librum illum Sacramentorum, ſeu Sacramentarium ediderunt Pamelius Tom. 2 Liturgic. Angelus Rocca ex MSS. Vaticanis, & anno 1642 Hugo Menardus Benedictinus ex venerandæ antiquitatis codice MS. Sancti Eligii Bibliothecæ Corbejenſis cum notis Paris. in 4°.

LXVII. *Item Antiphonarium.*

Antiphonarium Sancto Gregorio pariter tribuit Joannes Diaconus in ejus Vita lib. 2 cap. 6, quod non ita intelligendum eſt, quaſi *Antiphona* compoſuerit omnia, quæ in eo leguntur, ſed quòd ea recenſuerit, diſtinxerit, ordinaverit, novaque veteribus addiderit.

LXVIII. *Cantum adinvenit, & Cantores inſtituit.*

Licèt ab initio Eccleſiæ uſus canendi Romæ fuerit, neſcimus tamen quales ante Gregorium fuerint Eccleſiaſticæ modulationes, quæ canentium diſciplina. Joannes Diaconus in ejuſdem Gregorii Vita lib. 2 cap. 6 ſcribit eum conſtituiſſe ſcholam Cantorum, & ei cum nonnullis prædiis duo habitacula fabricaſſe, unum ſub gradibus Baſilicæ B. Petri Apoſtoli, alterum ſub domibus Patriarchii Lateranenſis. Cantum autem Eccleſiaſticum in meliorem formam licèt inſtaurarit, non omnem tamen cantum, ſed planum & uniſonum adinvenit, quem ab ipſo Gregorianum nuncupamus, progredientem per certos limites, & terminos tonorum, quos modos, ſeu tropos vocant muſici, & octonario numero definiunt, ſecundùm naturalem generis diatonici diſpoſitionem. Eo cantu deinceps ſemper uſa eſt Eccleſia latina. Porro Diaconos cantores eligi prohibuit canone I Concilii Romani II, anno 595 celebrati: Subdiaconis verò & inferioribus Clericis id munus demandari decrevit, qua de re legenda Epiſtola 44 libri 4, ejus Concilii Romani geſta continens.

LXIX. *Ejus Moralia in Job.*

Sanctus Gregorius *Moralia in Job*, de quibus nondum locuti ſumus, rogante ſancto Leandro, viriſque religioſis, quibuſcum Conſtantinopoli convivebat, dum Sedis Apoſtolicæ Apocriſarium apud Tiberium Imperatorem ageret, concepit, perfectumque opus eidem Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo nuncupavit. Opus illud Moralis Evangelicæ promptuarium eſt, Concionatoribus & animarum Curatoribus ac directoribus diligenter & aſsiduè legendum. De eo lege dicenda in Martino Papa.

LXX. *Ad Deum tranſit.*

Tandem ſanctus Gregorius immenſis pro Eccleſia perfunctus, confectuſque laboribus, ad Chriſtianam inſtitutionem & ædificationē perpetuam libris editis, mala valetudine diu afflictus, gravi diuturnaque vexatus podagra, ad immortalem vitam tranſiit, & *ſepultus eſt in Baſilica beati Petri Apoſtoli die 12 menſis Martii*, inquit Anaſtaſius. Quare durationem ejus Pontificatûs accuratè conſignavit, cùm ſcripſit eum ſediſſe *annos tredecim, menſes ſex, dies decem*. Obiit itaque ſanctiſsimus hic Pontifex die 12 Martii anni 604, quo die ejus memoria feſtivis honoribus celebratur. Epitaphium ipſi poſitum Venerabilis Beda exhibet lib. 2 Hiſt. Eccleſ. Gentis Anglor. cap. 1, ubi & ejus vitam compendio deſcribit. Columba in capite ad aurem ejus pingi conſuevit, quia ut ſcribit Joannes Diaconus in ejus Vita lib. 4 cap 69, cùm quid de ſacris literis ſcribere vellet, viſa eſt à Petro Diacono ejus familiari columba deſuper lapſa, quæ in cauſa fuit, quòd à Divino Spiritu, cujus columba ſymbolum tenet, quæcunque ab ipſo ſcripta ſunt, ipſi eſse ſuggeſta, conſtans opinio fuerit. De corporis ejus Translatione, quam Anaſtaſius & Joannes Diaconus laudatus cap. 80 libri 4 à Gregorio IV Papa factam ſcribunt, contentio eſt inter Romanos, & Francos, his contendentibus, ſancti hujus Pontificis corpus anno 826 ad Sueſſionenſe ſancti Medardi monaſterium cum Reliquiis ſancti Sebaſtiani Martyris translatum fuiſſe, & tamen Gregorius IV ordinatus eſt Pontifex Romanus ſub finem duntaxat anni 827. Hæc lis ita componi poſſe videtur, non totum ſcilicet corpus ſancti Gregorii, ſed ejus tantùm partem in Galliam translatam eſſe; quod idem fatetur Baronius de corpore ſancti Sebaſtiani Martyris. Franci enim innituntur Auctoribus coævis, ut legere eſt Tom. 3 Criticæ Baronianæ.

Digitized by Google

SÆC. VI. S. GREGORIUS M.

LXXI. Trajanum ab inferis non liberavit.

Joannes Diaconus lib. 2 cap. 44 Vitæ Sancti Gregorii ſcribit Trajano Imperatori ad bellum feſtinanti, viduam quamdam obviam proceſsiſſe flebiliter dicentem: filius meus innocens, te regnante, peremptus eſt: obſecro, ut quia mihi eum reddere non vales, ſanguinem ejus legaliter vindicare digneris. Cumque Trajanus, ſi ſanus reverteretur à prælio, hunc ſe vindicaturum reſponderet; vidua dixit: Si tu in prælio mortuus fueris, quis mihi præſtabit? Trajanus dixit: ille qui poſt me imperabit. Vidua dixit: & tibi quid proderit, ſi alter mihi juſtitiam fecerit? Trajanus reſpondit; utique nihil. Et vidua, nonne, inquit, melius tibi eſt, ut tu juſtitiam mihi facias, & pro hac mercedem tuam recipias, quàm alteri hanc tranſmittas? Tunc Trajanus ratione pariter, pietateque commotus, equo deſcendit, nec ante diſceſſit, quàm judicium viduæ per ſemet imminens profligaret. Hujus ergo manſuetudinem Judicis, aſſerunt Gregorium recordatum, ad Sancti Petri Baſilicam perveniſſe, ibique tandiu ſuper errore clementiſſimi Principis deflevifſe, quo uſque reſponſum ſequenti nocte accepiſſet, ſe pro Trajano fuiſſe exauditum, pro nullo ulterius pagano preces funderet. Hæc Joannes Diaconus. Alii rem aliter, aliiſque figmentis hanc narrationem adornant, ſed eam ut fabuloſam rejecit Baronius anno 604, & nuper Natalis Alexander Sæculo 2 Diſſert. 1, ubi fusè oſtendit Trajani Imperatoris ex inferis liberationem Sancti Gregorii precibus, commentitiam prorſus eſſe, nec à Theologo veritatis amante aſſerendam; quod pluribus probat, & ad adverſariorum objecta reſpondet.

LXXII. Non eſt Auctor expoſitionis in pſalmos pœnitentiales.

Agendum nobis ſupereſt de Operibus Sancto Gregorio ſuppoſitis. Et primò quidem, Expoſitio in ſeptem pſalmos pœnitentiales non eſt fœtus S. Gregorii, nec alicujus Auctoris ei æqualis, & ex modo loquendi de Regia & Imperiali auctoritate in eo uſurpato, apparet illum Commentarium editum Gregorio VII ſedente, & Henrico IV imperante, cui meliùs quàm Mauricio aut Phocæ attribui poſſunt, quæ Auctor Imperatori exprobrat, quòd nempe ſchiſmate Eccleſiam ſciderit, & Simoniâ pacem Eccleſiæ turbarit. Non deſunt tamen qui cenſent eam Septem pſalmorum pœnitentialium expoſitionem Gregorio VII adjudicandam eſſe, uti notavit Petrus Guſſanvilla in ultima editione operum Sancti Gregorii Magni.

LXXIII. Neque commentarii in libros Regum.

Commentarius in libros Regum videtur etiam ſuppoſitus S Gregorio, nam Paterio Romanæ Eccleſiæ Notario, Sanctique Gregorii diſcipulo, omnibuſque Antiquis, qui vel teſtimonia ex S. Gregorii operibus collegerunt, vel ea commemorarunt, vel eorum teſtimonia laudare ſolent, fuit incognitus. Deinde Auctor hujuſce Commentarii vulgata Scripturæ ſacræ verſione utitur: Sanctus autem Gregorius Italica & Hieronymiana, & multa loca non eo modo affert, quo ſolet Sanctus Gregorius, ut oſtendit laudatus Operum ipſius editor in Præfatione Tom. 3. Prætereà ſtylus à Gregoriano diſcrepat. Denique S. Gregorius de libris quidem Regum ſermones habuit ad populum, ſed illos ſcripto tradere præ infirmitate non potuit. Excepti autem ſunt à quodam Abbate Claudio, ſed non juxta mentem Sancti Doctoris, ut ipſe quæritur Epiſtola 22 lib. 10.

LXXIII. Neque commentarii in cantica canticorum.

Commentarius in Cantica Canticorum non eſt etiam fœtus S. Gregorii, non enim extat in codicibus MSS. melioris notæ. De inde Sancto Paterio ignotus fuit, cujus ſilentium eloquentius eſt, ut perſuadeat hunc non eſſe S. Gregorii genuinum fœtum, quàm S. Ildefonſi teſtimonium, ut illi tribuendum probetur hoc opus.

SABINIANUS *Pontifex LXVII.*

Anno Domini DCIV.

SÆC. VII. I. Sabinianus fit Papa.

POſt Sancti Gregorii mortem, interpontificium fuiſſe menſium ſex, & unius diei, colligitur ex iis, quæ Anaſtaſius ſcribit de duratione ſedis Sabiniani ejus ſucceſſoris, & ſequentium Pontificum: quo pacto dicendum eſt Sabinianum, natione Tuſcum, patriâ, ut vult Baronius, Volaterranum, Boni filium, ordinatum fuiſſe Romanum Pontificem die 13 menſis Septembris, in quam anno ſexcenteſimo quarto Dominica cadebat.

SÆC. VII. II. Pontifices Rom. ex ordine diaconorum ſæpè aſſumpti.

Fuerat Sabinianus Sancti Gregorii Diaconus & Apocriſarius apud Mauricium Imperatorem, ut in geſtis Gregorii ad annum 593 diximus, quo in munere perſeveravit uſque ad annum 597, quo Romam revocatus eſt. Mos autem erat, ut ex Veterum monumentis eò pertinentibus manifeſtum eſt, Diaconos potiùs, quàm Presbyteros eligere in Summos Pontifices, quia Diaconi Eccleſiæ res non temporales tantùm, ſed etiam ſpirituales penitiùs noverant; cumque omnia in poteſtate haberent, reliquorum animos ſibi facile devinciebant, ut in Sancto Leone diximus. Sed hìc dubium eſſe poteſt, an quando Romanus Pon-

tifex ex Diaconis creabatur, prætermiſſo Presbyteri gradu, Pontifex ordinaretur. Affirmativam partem tuetur Joannes Mabillonius in commentario prævio in Ordinem Romanum § 18 innixus ſecundo libello ordinis Romani, in quo, ubi de Pontificis Romani electione mentio fit, hæc leguntur: *Eligitur unus de Cardinalibus, de qualicumque titulo fuerit: tantùm ut à prædeceſſore ſit Pontifice ordinatus, aut Presbyter, aut Diaconus. Nam Epiſcopus eſſe non poterit.* At verò in ejuſdem Electi conſecratione, nullum eſt diſcrimen electi Diaconi, aut Presbyteri, ſed una eademque pro utroque præſcribitur ordinatio.

III. *Per ſaltum ordinari ſolite.* Hanc conjecturam roborat Mabillonius exemplis Valentini & Nicolai I, quorum ille ex Archidiacono, hic ex Diacono electus, abſque alia ordinatione Pontifices creati ſunt, quod ex Anaſtaſio manifeſtum eſt. Valentinus quippe *ſtatim à ſua electione* (verba ſunt Anaſtaſii) *condignis gloriæ laudibus ad Lateranenſe Patriarchium deductus, & in Pontificali eſt poſitus throno. Deinde ejus conſecrationis die illuceſcente, eumdem ad Beati Petri Eccleſiam omnes pariter Romani à Palatio deducentes, in alto throno Summum conſecravere Pontificem, qui mox culmina ſcandens beati Petri, ſacrificiis piè oblatis, ad Palatium remeavit.* Nicolaus verò, ubi apud Lateranenſem Baſilicam *Apoſtolico ſolio* impoſitus fuit; *poſtmodum in Baſilicam beati Petri deductus, præſente Cæſare conſecratus eſt, Apoſtolicaque ſublimatus in Sede factus eſt Pontifex, & Miſſarum ſolemnia ſuper ſacratiſſimum corpus Apoſtoli celebravit.* Vides utrobique nullam collati Presbyteratus mentionem factam. Nec mirum; cùm Diaconi ad Epiſcopatum electi per ſaltum apud Romanos ordinarentur, ut adſtruere videtur prior libellus Ordinis Romani. Eadem enim qui ex Diacono, atque illius, qui ex Presbytero ordinatur, conſecratio. Nimirum fortaſſe quia, ut ſentit Hieronymus Epiſtola 85, in Epiſcopo & Presbyter continetur.

IV. *Id Latinis Photius exprobrat.* Hanc ſententiam confirmat iſta Photii adversùs Romanos objectio, cur Levitæ Epiſcopi fierent. Presbyteri gradu non priùs accepto? Iſtam quidem objectionem ex calumnia dicit oriri Ratramnus, eamque retorquet in adverſarios, qui *ex laicis ſubitò tonſis faciebant Epiſcopos contra regulas Eccleſiaſticas.* At Æneas Pariſienſis Epiſcopus facti veritatem non diffitetur, reſpondetque, *quòd fortè illi, qui iſtiuſce ordinationi aſſentiunt, hoc intelligi velint, quia qui benedictione Pontificali perfungitur, reliquarum benedictionum honore decoretur; & quòd in ſublimitate majoris Pontificis conſiſtat etiam honor minoris Sacerdotis.* Tum ſubdit: *Forſitan autem illi, qui de Diacono ordinant Epiſcopum prætermiſſa benedictione Presbyterali, aſſertioni beati Hieronymi loquentis ad Titum, ex parte concredere videntur, qui officium Presbyteri in aliquo comparticipari affirmat miniſterio Epiſcopali.* Ex quibus liquet Æneam admiſiſſe id quod Photius objiciebat, nempe quòd *tunc apud Romam plerumque Diaconus quodam ſaltu, non percepta Presbyterali benedictione, in Epiſcopum ſubitò conſecraretur.* Quæ erat ſeptima objectio Photiana.

V. *Quo tempore mos ille deſierit.* Hæc ex Mabillonio citato tranſlata ſunt in Criticam Baronii, in qua Auctor addit ſe ſuo loco dicturum, quandonam mos iſte ordinandi per ſaltum deſierit, quod tamen, memoriæ lapſu, non præſtitit. Hoc detegere conatus ſum, & in eadem Critica ad annum 1073 num. 4 inveni Gregorium VII, qui ante ſuam electionem erat tantùm Archidiaconus, priùs fuiſſe ordinatum Presbyterum, & altera die Pontificem. Unde ſola reſtat difficultas de iis Diaconis, qui poſt Nicolaum primum, & ante Gregorium ſeptimum Pontificatum adepti ſunt, qui pauci numero reperiuntur, ſcilicet Joannes VIII, & Marinus, ſeu Martinus II, de quibus nihil inveni. Benedictus V, de quo Petrus Bibliothecarius apud Papebrocium in Conatu Chronico Hiſtorico pag. 161 ait, Romani *eumdem Benedictum Diaconum in Romanum Pontificem* ordinaverunt, nulla Presbyteratûs mentione facta. Continuator Reginonis ad annum 964 aſſerit Leonem VIII Benedictum V è Pontificatu deturbaſſe, & tamen *ad preces Imperatoris, Diaconatûs ei tantùm gradu uti* conceſsiſse; ex quo conjectandi locus videretur, eum omiſſo Presbyteratu fuiſſe in Romanum Pontificem conſecratum, niſi aliquo modo obſtaret Luitprandus Ticinenſis in Hiſtoria ſui temporis lib. 6 cap. 2, ubi poſtquam retulit depoſitionem Benedicti V à Leone VIII factam, hunc ita loquentem inducit: *Benedictum Sanctæ & Apoſtolicæ Sedis invaſorem omni Pontificatûs & Presbyteratûs honore privamus.* Supereſt tandem Bonifacius VII, de quo nihil huc uſque reperire potui. Vide dicenda in Conſtantino Pſeudo-Papa. Edmundus Martene lib. 1 de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 8 art. 3 num. 9 & 10, ubi agit de ordinationibus per ſaltum, nulla Valentini & Nicolai mentione facta ſcribit Paulum & Hadrianum utrumque primum, videri etiam ex libro Pontificali ordinatos per ſaltum, fuerant enim antea tantùm Diaconi, & ante Gregorium VII unicum exemplum adducit, quo conſtat eam conſuetudinem jam abrogatam fuiſſe; obſervat enim ex Leone Marſicano in Chronici Caſinenſis lib. 2 cap. 98, Stephanum Papam IX, Alphonſum Salernitanæ Sedis electum ordinaturum, *in jejuniis* Mar-

Digitized by Google

SÆC. VII. SABINIANUS. *Martii primò presbyterum, deinde ſequenti Dominica Archiepiſcopum* conſecraſſe, ac *cum honore Salernum* remiſiſſe. Stephanus autem IX dictus eſt Pontifex anno 1057, ideoque non multò ante Gregorium VII, qui primus ex Diaconis videtur eſſe, qui prius Presbyter & poſtea Romanus Pontifex conſecratus eſt.

VI. Sabiniani PP. virtutes. Laudat Sabinianum Anaſtaſius, quòd *Eccleſiam de Clero implevit*; quòd *in Eccleſia B. Petri Apoſtoli luminaria dedit*; quòd cùm *eſſet in civitate Romana fames gravis, facta pace cum gente Longobardorum juſſit aperire horrea Eccleſiæ, & venundari frumentum populo pro ſolido uno modios tritici triginta*. Denique ut ex Manlio in Epitaphiis Vaticanis refert Aringus Romæ ſubterraneæ lib. 2 cap. 8.

Hic hominum vitia blando ſermone removit;
Nec culpis Judex, ſed medicina fuit.

VII. Figmento inde obſcurata. Verùm, inquit Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico, quia nonnulla exemplaria Anaſtaſii videntur de pretio frumenti habuiſſe, quòd Sabinianus pro modio frumenti ſolidos triginta exigeret, fabulam quis excogitavit, quâ propter tenacitatem à ſuo deceſſore S. Gregorio per noctem apparente increpitus, percuſſuſque in capite, non multò poſt obiiſſe fingitur. Sed nihil tale quiſpiam Antiquorum de vita & miraculis S. Gregorii ſcribentium, nequidem Joannes Diaconus, qui tamen finem libri 4 ejuſmodi vindictæ exemplis, per duodecim capita deductis, implevit. Mirum proinde eſt, ſubdit Papebrocius, fabulæ iſti, à Sigeberto temerè relatæ, fidem adhibuiſſe Baronium: qui etiam eo trahit, quòd Sabiniano *defuncto*, ut ait Anaſtaſius, *funus ejus evectum eſt per portam S. Joannis, & ductum eſt foras muros civitatis per pontem Milvium*, ad Eccleſiam Vaticanam: quod ille præter morem factum eſſe putat, ad avertendam à corpore injuriam, ab irato populo metuendam, ſi per mediam urbem funus duceretur: cùm aliæ multæ cauſæ hujus novitatis, eæque cùm aliqua Sabiniani laude conjunctæ, poſſent à benigno conjectatore excogitari.

VIII. Sabinianus non eſt inventor campanarum. Campanas ſæculo nono in Eccleſia Occidentali uſui fuiſſe, ex eo convincitur, quod refert Baronius ex Venetæ Hiſtoriæ Scriptoribus aſſerentibus Urſum Patritiacum Venetiarum Ducem anno 865 primum omnium dono miſiſſe Michaeli Imperatori Orientis duodecim campanas mirificæ artis & valde ſonoras. Jamdudum itaque in Occidentali Eccleſia receptæ erant; ſed à quo primùm inventæ, cujuſque operâ, vel auctoritate in Eccleſiam introductæ ſint, incompertum eſt. SÆC. VII. SABINIANUS. Polydorus Virgilius lib. 6 de Inventoribus rerum cap. 12, & Onuphrius Panuinius in Epitome Romanorum Pontificum, cujus ſententiam ſequitur Ciaconius, id Sabiniano Pontifici adſcribunt. Sed cùm Anaſtaſius in ejus Vita nihil de campanis ab eo inventis dicat, dicere debuerant Polydorus & Onuphrius à quo id didicerint. Alii paſsim campanas à Paulino Nolano Epiſcopo, qui initio quinti ſæculi floruit, adinventas tradunt; alii verò earum uſum à gentilibus acceptum ad Eccleſiam ab eo translatum autumant, ſed nemo veterum Patrum, qui res Paulini accuratiſsimè proſecuti ſunt, hanc memorabilem ejus inventionem laudat, vel attingit. Cardinalis Bona lib. 1 Rer. Liturgic. cap. 22, plura lectu digna habet de campanæ nomine & etymologia, deque Veterum tintinnabulis; ſed ei aſſentiri non poſſum in eo quod conjicere ſe ait, nomen campanæ grandioribus tintinnabulis impoſitum circa finem ſæculi ſeptimi, & octavo ac nono apud omnes diffuſum eſſe. Nam Mabillonius Sæc. I Benedict. edidit Vitam S. Columbę primi Abbatis Hyenſis in Britannia, ſcriptam à Cummeneo Albo dicto, qui anno 657 dictus eſt pariter Abbas Hyenſis, obiitque anno 669 juxta Guillelmum Cave in Hiſtoria Literaria; in ea autem vita Cummeneus cap. 22 ſcribit S. Columbam, qui ex Annotatore Baronii obiit anno 599, *media nocte pulſante campana* ad Eccleſiam perrexiſſe, & cap. 25 hunc ſanctum *quadam die miniſtro ſuo campanam ſubito pulſare* præcepiſſe, *cujus ſonitu fratres excitati, Eccleſiam protinus ſunt ingreſſi*, ideoque ante ſęculum ſextum abſolutum fideles ad Divina officia campanarum ſonitu convocabantur. id etiam pluribus probat Edmundus Martene in Tractatu de Antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis officiis celebrandis cap. 2 num 11 ex Gregorio Turonenſi. De campanarum benedictione vide dicenda in Joanne XIII.

De geſtis à Sabiniano nihil aliud ad *IX. Sabiniani PP. obitus* nos pervenit, prętер ea quæ ex Anaſtaſio mox retulimus, qui ſubdit eum ſediſſe *annum unum, menſes quinque, dies novem*, & ſepultum eſſe *in Eccleſia beati Petri Apoſtoli die 22 menſis Februarii*. Quare cum Regino in Catalogo Pontificum Romanorum, Hermannus Contractus in Chronico, Ordericus lib 2, & Honorius Auguſtodunenſis, annum etiam unum, menſes quinque & dies novem Pontificatui Sabiniani aſsignent, ex ipſo Anaſtaſio colligitur ejus ordinationem peractam eſſe die 13 Septembris anni 604, & ejus mortem contigiſſe die 22 Februarii anni 606.

Digitized by Google

SÆC. VII. BONIFACIUS III.

BONIFACIUS III *Pontif. LXVIII.*

Anno Domini DCVII.

I. *Bonifacius III ordinatur.* SAbiniano Papa mortuo ſedem vacaſſe menſes undecim, dies viginti ſex ſcribit Anaſtaſius, ex quo ſequitur, Bonifacium III Romanum, ex Patre Joanne Cataaudioce, S. Romanæ Eccleſiæ Diaconum, qui anno 603 Conſtantinopolim à S. Gregorio Apocriſarius Apoſtolicæ Sedis ad Phocam Imperatorem miſſus fuerat, ordinatum eſſe anno ſexcenteſimo ſeptimo, die decimanona Februarii, in Dominica, & Anaſtaſium diem minus unum, quàm par erat, in interpontificio numeraſſe, & nihilominùs diem mortis Sabiniani ab eo excluſiſſe.

II. *Synodum Romæ celebrat.* Ubi primùm Sedem Pontificiam adeptus eſt Bonifacius, in Baſilica Vaticana Synodum ſeptuaginta duorum Epiſcoporum convocavit, in qua ad reformandos pravos electionis Pontificiæ mores, ſub pœna anathematis conſtitutum fuit, ut non prius de eligendo ſucceſſore Pontificis agatur, quàm defunctus Pontifex triduo ſepultus fuerit. Acta Concilii nullibi extant, ſed ea ſummatim recenſentur ab Anaſtaſio, qui in Vita Bonifacii III ſcribit: *Hic fecit conſtitutum* (ideſt decretum) *in Eccleſia Beati Petri, in qua ſederunt Epiſcopi ſeptuaginta duo, Presbyteri Romani triginta quatuor, Diaconi & omnis Clerus, ſub anathemate, ut nullus Pontifice vivente, aut Epiſcopo civitatis ſuæ, præſumat loqui de ſucceſſore, aut partes ſibi facere, niſi tertio die depoſitionis ejus, adunato Clero & filiis Eccleſiæ tunc electio fiat, & quem quiſque voluerit habebit licentiam eligendi ſibi Sacerdotem.*

III. *Obtinet decretum à Phoca Imp. contra Epiſcopum Cpolitanum.* Hic Pontifex obtinuit à Phoca Imperatore, quòd Pelagius II & Gregorius impetrare non potuerant, ut Conſtantinopolitanus Epiſcopus Oecumenici nomen non amplius uſurparet. Hic enim Imperator, petente Bonifacio, qui eumdem ſibi demeruerat, dum eſſet Conſtantinopoli Apoſtolicæ Sedis Apocriſarius, profeſſus eſt ſolum Romanum Pontificem eſſe dicendum Oecumenicum, ſeu univerſalem Epiſcopum, quod diſertis verbis teſtatur Anaſtaſius: *Hic obtinuit*, inquit, *apud Phocam Principem, ut Sedes Apoſtolica Beati Petri Apoſtoli caput eſſet omnium Eccleſiarum*, *ideſt, Eccleſia Romana, quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat.* Hujus Phocæ Imperatoris decreti meminit etiam Paulus Diaconus totidem ferè verbis lib. 4 cap. 11 de geſtis Longobard. Baronius, Binius & alii volunt Phocam edictum illud edidiſſe in odium Cyriaci Epiſcopi Conſtantinopolitani, in quem exarcebatus erat. Sed hæc conjectura non videtur admittenda, cùm Cyriacus obierit menſe Octobri anni 606, & Thomas magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus die 23 Januarii anni 607 ei ſuffectus fuerit, antequam Bonifacius ordinaretur Romanus Pontifex. Quare cùm nullibi conſtet illud decretum in ejus odium editum eſſe, quid vetat dicere Phocam, cum bene noſceret Eccleſiam Romanam, jure Divino Primatum ſemper tenuiſſe ſuper omnes totius orbis Eccleſias, ex æquitate cauſam illam dijudicaſſe; cùm præſertim conſtet, eum erga Romanos Pontifices propenſum fuiſſe, ut videbitur in Bonifacio IV. Ex quibus corruit, quod Baronius ait, Cyriacum mœrore conſumptum, quòd Phocas id decretum edidiſſet, diem ſuum obiiſſe.

IV. *S. Mauri Vitam à Fauſto ſcriptam approbat.* Fauſtus Sancti Mauri, à Sancto Benedicto in Gallias miſſi, ſocius, cùm Bonifacio III ſedente Romam rediiſſet, ejuſdem Sancti Mauri Vitam literis mandavit, quam idem Bonifacius approbavit. Leo enim Oſtienſis in Chronico Caſinenſi lib. 1 cap. 3 ait: *Tertio interea Bonifacio Apoſtolicæ Sedi præſidente, memoratus Fauſtus, qui cum beato Mauro ad Gallias perrexerat, ad prædictum Lateranenſe cœnobium rediit, atque à Beato Theodoro [qui tunc poſt ſanctæ memoriæ Valentinianum tertius eamdem Congregationem regebat] rogatus atque compulſus, Hiſtoriam de vita beati Mauri ſignata veritate conſcripſit, quam idem Papa Bonifacius approbans, ſua auctoritate roboravit.* Extat ea Vita Sæculo primo Benedictino, ſed ut oſtendit Auctor Criticæ Baronii ad annum 543 ab Odone Abbate Glannafolienſi ſæculo nono interpolata. Porrò Petrus Diaconus in libro de Ortu & Vita Juſtorum ſacri cœnobii Caſinenſis, Fauſtum Romæ ſepultum tradit in monaſterio Lateranenſi, ad quod Monachi Caſinenſes ſe receperant, eorum monaſterio jam pridem à Longobardis everſo quando Fauſtus è Gallia rediit. Nullam aliam Fauſti lucubrationem recenſet Petrus Diaconus præter Sancti Mauri Vitam.

V. *Moritur.* Cùm ex Epitaphio Bonifacii III, quod extat in Codice MS. Virdunenſis cœnobii Sancti Vitoni, in quo poſt Damaſi verſus referuntur quædam epithaphia Romanorum Pontificum, conſtet hunc Pontifiem obiiſse die decima Novembris anni 607, dicendum eſt Anaſtaſium quando dicit eum ſepultum *in Eccleſia B. Petri Apoſtoli die duodecima*

menſis

menſis Novembris, interpretandum eſse non de die mortis, ſed de die quo terræ mandatus eſt, ideoque Bonifacium ſediſse menſes octo, dies viginti duos, ut teſtantur tria exemplaria MSS. Anaſtaſii, unum Colbertinum, & duo Freheriana, poſterior catalogus Corbejenſis, Ordericus lib. 2, Luitprandus, Abbo, & Hermannus Contractus.

S. BONIFACIUS IV *Pontif. LXIX.*

Anno Domini DCVIII.

I. *Bonifacius creatur Papa.*

BOnifacius IV, natione Marſorum de civitate Valeria, ex patre Joanne Medico, ordinatus eſt Romanus Pontifex die vigeſima quinta Auguſti anni ſexcenteſimi octavi, poſtquam Sedes vacaſſet menſes decem, dies duodecim, non verò dies ſex, ut per errorem Librariorum in Anaſtaſio legitur. Id ex ſedis ejus duratione fusè probat Auctor Criticæ Baronii ad annum 614, quo Baronius eum mortuum exiſtimavit. *Hic domum ſuam monaſterium fecit, quod & ditavit*, inquit idem Anaſtaſius.

II. *Pantheon in Eccleſiam S. Mariæ convertit.*

Cùm Bonifacius videret Phocam Imperatorem propenſo animo eſſe erga Romanos Pontifices, ab ipſo dari ſibi petiit Pantheon nobile Romæ delubrum, tot antiquorum Scriptorum præconiis celebratum, à Marco Agrippa ter Conſule tempore Auguſti erectum, Jovique vindici conſecratum; quod adhuc intactum remanſerat à demolientibus Dœmonum ſedes Romanis Chriſtianis. Cùmque illud obtinuiſſet, expurgatum ab antiquę ſordibus idololatriæ, in honorem Dei Genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum Martyrum (quorum plurimorum reliquiæ ex cœmeteriis extra Urbem poſitis eò translatæ ſunt) conſecravit. Hæc narrant Anaſtaſius & Beda lib. 2 Hiſt. Eccleſ. cap. 4. Hæc Eccleſia etiamnum Romæ viſitur, diciturque *S. Maria Rotunda*, ob ædificii formam. Ejus dedicatio inſcripta eſt Martyrologio Romano ad diem 13 menſis Maii, ubi appellatur *dedicatio Eccleſiæ ſanctæ Mariæ ad Martyres*. Eam dedicationem Sigebertus in Chronico alligat anno primo Bonifacii, quem ait, *in Kalendis Novembris ibi* inſtituiſse *ſolemnitatem omnium Martyrum, quæ poſtea, creſcente religione Chriſtiana, decreta eſt fieri in honore omnium Sanctorum*. De hac legendus Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die decimatertia Maii & prima Novembris, quem tamen latuit Gregorium Papam tertium hanc ſolemnitatem ſanctis Martyribus conſecratam, poſtmodum in honorem Sanctorum omnium ab omni Eccleſia obſervari decreviſse, ut habet Uſuardus in ſuo Martyrologio. Vide etiam dicenda in Gregorio quarto.

III. *Synodum Romæ celebrat.*

Ethelbertus Canthiorum Rex à Sancto Auguſtino ad Chriſti fidem converſus, ut dictum eſt in Pontificatu Sancti Gregorii, monaſterium fundavit extra muros Londinenſes in honorem beati Petri, qui, ut legitur in Vita Sancti Eduardi Anglorum Regis apud Bollandum ad diem 5 menſis Januarii, apparens cuidam piſcatori, eidem dixit ſe Epiſcopalem benedictionem præveniſse. Idem teſtatur Villelmus Malmesburienſis lib. 2 de Pontif. Angl. ubi ait Mellitum Epiſcopum Londinenſem *ipſius Apoſtoli nuncio* admonitum, ſe Monaſterium dedicaſse, quod etiam legitur apud Sulcardum Monachum Weſtmonaſterienſem in Chronico, apud Nicolaum Papam II in literis ad eumdem Eduardum Regem datis, aliosque, ut videre eſt Tomo 1 Monaſtici Anglicani pag. 55. Cùm autem Beda lib. 2 cap. 4 referat Mellitum Romam ſe contuliſse *de neceſſariis Eccleſiæ Anglorum cauſis cum Apoſtolico Papa Bonifacio* tractaturum, ipſumque in Synodo Romana anno 610 habita inter Italiæ Epiſcopos aſsediſse, putavit Baronius Mellitum Romam profectum eſse, ut ſciret utrum conſecratio Eccleſiæ illius monaſterii hoc modo peracta, rata haberi deberet, eaque da cauſa Synodum à Bonifacio IV celebratam exiſtimat.

IV. *Pro Monachis Angliæ & Monaſterio Cantuarienſi.*

Verùm Holſtenius in Collectione Romana pag. 242 publicavit Bonifacii Papæ decretum, in hoc Concilio Romano promulgatum, quo diſcimus qua de cauſa celebratum fuerit. Erant quidam, qui in Anglia aſserebant *Monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, Sacerdotalis officii potentia indignos, neque pœnitentiam, neque Chriſtianitatem largiri, neque abſolvere poſſe per Sacerdotali officio divinitùs injunctam poteſtatem*, ut legitur in eo decreto, in quo ſubjungit Bonifacius: *Credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi ſolvendique officium Deo imperante haud indignè adminiſtrari, ſi eos dignè contigerit ad hoc miniſterium ſublimari*; tandemque concludit: *Decertantes igitur Monachicæ Profeſſionis Presbyteros arcere officio omnimodò præcipimus*. Recitat ibidem Holſtenius ejuſdem Bonifacii IV Epiſtolam ad Ethelbertum Regem ex eo Concilio datam, in qua Pontifex inquit: *Quod ab Apoſtolica Sede per Coëpiſcopum noſtrum Mellitum poſtulaſtis*,

Digitized by Google

ſtis, libenti animo concedimus: ideſt, ut veſtra Benignitas in Monaſterio in Dorovernenſi civitate conſtituto, quod ſanctus doctor veſter Auguſtinus, beatæ memoriæ Gregorii diſcipulus, ſancti Salvatoris nomini conſecravit, cui ad præſens præeſſe dignoſcitur dilectiſſimus frater noſter Laurentius, licenter per omnia Monachorum regulariter viventium habitationem ſtatuat. Quare hæc duo tantùm in Anglorum favorem eo in Concilio peracta, repreſſi nempe qui Monachis adverſabantur, & confirmata fundatio monaſterii Dorovernenſis, ſeu Cantuarienſis. Monaſterium illud maximis opibus ab Ethelberto Rege locupletatum, ſitum erat in ſuburbio Cantuariæ, duravitque uſque ad Henricum VIII Anglorum Regem, qui inde Monachos expulit. Nunc ejus maxima pars ruinis involuta, reliqua in ædem Regiam converſa.

V. *Non verò pro monaſterio Weſtmonaſterienſi.* Monaſterium verò, de quo numero III locuti ſumus, vocatum eſt poſtea *Weſtmonaſterium*, quia ſitum ad Occidentalem Londini plagam. Celeberrimum illud fuit, cùm Regum Angliæ inauguratione & coronatione, tum etiam ſepultura, ita ut à Lelando *Orbis miraculum* appelletur. Verùm regnante in Anglia Eliſabetha, ejecti & variè divexati Monachi, & Eccleſia in Collegiatam Heterodoxorum converſa, ut videre eſt apud Cambdenum in deſcriptione Britanniæ, aliosque. De hoc tamen monaſterio in Concilio Romano ſub Bonifacio IV anno 610, *octavo imperii Phocatis Principis, indictione XIII, tertia die Kalendarum Martiarum*, ut habet Beda laudatus, celebrato, nullatenùs actum eſt, ut ex dictis conſtat.

VI. *In Domino obdormit.* Cùm juxta Anaſtaſium, Ordericum lib. 2, Abbonem, Hermannum Contractum in Chronico, & plures catalogos Bonifacius ſederit *annos ſex, menſes octo, dies tredecim*, ad Deum migravit die ſeptima Maii anni Chriſti ſexcenteſimi decimi quinti. Baronius refert ex monumentis Vaticanæ Baſilicæ à Manlio collectis ejus ſepulchro inſcriptum ejus epitaphium, in cujus fine legitur: *Hìc requieſcit Bonifacius junior, qui ſedit annos ſex, menſes VIII, dies XII; depoſitus eſt VIII Idus Maii, imperante Domino Heraclio, anno ejus V*, ubi tantùm dies duodecim ſupra menſes octo numerantur, quia dies ſeptima Maii, quæ eſt emortualis, excluditur. Ex quibus & conſequens eſt ejus ordinationem diei 25 Auguſti à nobis rectè affixam fuiſſe, & vacationem Sedis poſt mortem Bonifacii III, in Anaſtaſio malè deſcriptam eſſe. Colitur Sanctus Bonifacius IV die 25 Maii, quo & Papebrocius in Actis Sanctorum vitam ejus refert.

S. DEUSDEDIT *Pontif. LXX.*

Anno Domini DCXV.

I. *S. Deuſdedit dicitur Pontifex.* POſt mortem Bonifacii IV Sedes vacavit menſes quinque, & dies duodecim, quod deducitur ex duratione Sedis, & ex die mortis ejus ſucceſſoris, quæ oſtendunt Sanctum Deusdedit, natione Romanum, filium Stephani Subdiaconi, ordinatum eſſe anno ſexcenteſimo decimo quinto, die decima nona menſis Octobris, in quam Dominica cadebat, ideoque & in Anaſtaſio vulgato, omnibuſque ejus codicibus MSS. interpontificium à Librariis malè deſcriptum fuiſſe.

II. *Subdiaconi aliquando Pontifices Romani electi.* In exemplari Anaſtaſii, quo Baronius uſus eſt, legebatur: *Deusdedit filius Stephani, ex Subdiacono ſedit annos tres.* Ad quæ verba ita ſcribit: *Ut autem Subdiaconus Romanus Pontifex crearetur, nunc primùm accidit, abſque majorum exemplo, ut plane in Clero magnas fluctuationes concitatas eſſe, ſit argumento. Sed, ut, omiſſis aliis, Deusdedit eligeretur, egregia id ejus ſanctitas præſtitit, qua mirificè inter tot tenebras illuſtratus emicuit.* Cùm huc uſque viris doctis perſuaſum fuerit Subdiaconos in Romanos Pontifices nunquam fuiſſe electos, ex editione Regia Anaſtaſii, variiſque ejus codicibus MSS. prædictus locus in hunc modum reſtitutus eſt, *Deusdedit ex patre Stephano ſubdiacono*, itaut Deusdedit non fuerit Subdiaconus, ſed Subdiaconi filius. Verùm, cùm ex Liberati Diaconi Breviarii cap. 22 conſtet, Silverium *ex ſubdiacono* Romanum Pontificem dictum eſſe, & Liberatus eodem tempore, quo Silverius electus vixerit, incertum remanet, quænam ex illis duabus lectionibus ſit præferenda, cùm correctio prioris falso fundamento nitatur. Subdiaconos porrò potuiſſe eligi exiſtimo uſque ad tempora Stephani III, aliis IV, in cujus Synodo Romana anno 769 celebrata, ſub anathemate interdictum eſt, *ne ullus unquam præſumat laicorum, neque ex alio ordine niſi per diſtinctos gradus aſcendens diaconus aut presbyter Cardinalis factus fuerit ad ſacrum Pontificatûs honorem poſſe promoveri*; ex his enim verbis mihi erui poſſe videtur tunc tantùm Subdiaconos à Pontificatu excluſos, cùm ex Liberato laudato habeamus Silverium ex eo ordine ad Pontificatum aſſumptum, nemine hanc ei

inca-

Digitized by Google

incapacitatem objiciente, & ex Anaſtaſio incertum remaneat, an ipſe etiam Deuſdedit fuerit ante ſuam electionem ſolùm Subdiaconus, quod probabilius videtur, nam poſterior lectio habet quidem eum fuiſſe Subdiaconi filium, ſed non negat ipſum etiam fuiſſe Subdiaconum, quod prior diſertè habet.

III. *S. Deuſdedit leproſum curat.* Eximiam Deuſdedit ſanctitatem probat, quod de eo narrat Baronius ex Martyrologio, ut ipſe ait, Romano: ſcilicet quòd cùm anno 615 Urbi, afflictatæ ob terræ motus vehementiſsimos, & ob eam, quæ eos ſubſecuta eſt, luem elephantiæ, proſpiceret, præſenſque viſitaret ægrotos, miſeratione commotus unum ex illis exoſculatus, Divino miraculo ab eodem morbo reddiderit mundum; illudque miraculum publicè decantari ſcribit in ejus Natali die, nempe octava menſis Novembris, qua fieri ipſius ſolet in Eccleſia commemoratio anniverſaria.

IV. *Ejus conſtitutum.* Ejus in Clerum amorem & beneficentiam libri Pontificalis Auctor commendat, qui & ſcribit: *Hic conſtituit ſecundam Miſſam in Clero.* Ad quæ verba Petrus Urbevetanus in Scholiis apud Cardinalem Bonam lib. 1 cap. 14 num. 4 de rebus Liturgicis, ait: *Quia tunc forſitan ad inſtar Græcorum non cantabatur in Eccleſia niſi una Miſſa, quòd magis ædificabat ſecundùm Antiquos.* Verùm multò ante Deuſdedit in Romanam Eccleſiam introductum fuiſſe morem iterandi ſacrificii, conſtat ex Leone Magno in Epiſtola 81 ad Dioſcorum Alexandrinum, qua mandat iterari ſacrificium, cùm fidelium multitudo tanta eſt, ut omnes ſimul Baſilica recipere non poſsit; ex hoc enim ſequeretur, quòd una pars populi ſua devotione privaretur, ſi unius tantùm Miſsæ mos ſervandus eſſet. Tum ait plenum pietatis ac rationis eſſe, ut quoties Baſilicam præſentia novæ plebis impleverit, toties ſacrificium ſubſequens offeratur. Quam ſacrificii iterationem S. Pontifex præcepit, ex more qui tunc Romæ vigebat; *ut in omnibus*, inquit, *obſervantia noſtra concordet.* Et infra: *Ut quòd noſtræ conſuetudini ex forma paternæ traditionis inſedit, tua quoque cura non negligat.* De iis plura habet idem Cardinalis Bona laudatus. Quid verò per hæc verba intelligat Anaſtaſius, aliis examinandum relinquo.

V. *Epiſtola ad Hiſpalenſem Epiſc. ei ſuppoſita.* Rectè ſcribit Baronius planè dolendum eſſe tanti Pontificis facta, Scriptorum inopià adeo obſcura eſſe relicta. Sed deceptus eſt, cùm exiſtimavit Epiſtolam, quæ dicitur à Deuſdedit ſcripta, ad Gordianum Epiſcopum Hiſpalenſem, genuinum eſſe hujus Pontificis fœtum; eam enim ſuppoſititiam eſſe multa probant. Primùm, quòd inſcribatur Gordiano Hiſpalenſi Epiſcopo; & tamen conſtat S. Iſidorum ab anno Chriſti 600 ad 636, quo, teſte Redempto ejus Clerico, ſive Archidiacono, obiit, Hiſpalenſem Eccleſiam rexiſse, ideoque nullum, ſedente Deuſdedit, Gordianum extitiſse Pontificem in ea Eccleſia. Secundò, Auctor Epiſtolæ Iſauriam, Orientis provinciam, cujus olim Metropolis fuit Saleucia, civitatem abſurdiſſimè vocat. Tertiò, Julii, Innocentii & Cœleſtini decreta comminiſcitur, quibus conjuges, qui proprios filios ex baptiſmo ſuſcepiſſent, ſeparandos edixerant, eorumque ſolutum pronunciaverant matrimonium. At nihil fuiſſe à laudatis Pontificibus ſtatutum; imò nec ſpiritalem cognationem impedimentum fuiſſe matrimonii circa medium octavi ſæculi, colligitur ex Epiſtolis S. Bonifacii Moguntini Archiepiſcopi 11, 15, & 22. Denique cùm hæc Epiſtola uxoribus, quæ filios ex baptiſmo ſuſcepere permittat, ut expleto anno dotales tabulas recipiant, novumque matrimonium contrahant, Chriſti legi adverſatur, conjuges, quos Deus conjunxit, ſeparare prohibentis, ſive matrimonii vinculum dirimere. Certè Deuſdedit S. Gregorii deceſsoris ſui ſententiam non ignoraſset, Epiſtola 39 libri 9 ad Theoctiſtam cap. 2 ſcribentis: *Si enim dicunt religionis causâ conjugia debere diſſolvi, ſciendum eſt, quia etſi hoc lex humana conceſſit, lex divina tamen prohibuit. Per ſe enim veritas dicit:* Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet. *Quæ etiam ait:* Non licet dimittere uxorem excepta cauſa fornicationis. *Quis ergo huic cœleſti Legiſlatori contradicat?*

VI. *Ejus obitus.* Anaſtaſius de hoc Sancto Pontifice ſcribit: *qui defunctus & ſepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum, die octava menſis Novembris*, quod & Marianus Scotus in Chronico habet. Parte alia cum Gotfridus Viterbienſis, Martinus Polonus in Chronico, Auctor faſciculi Temporum, & plures Catalogi Pontificum Rom. habeant Deuſdedit ſediſse *annos tres & dies viginti*, conſequens eſt ordinationem ejus à nobis rectè alligatam cum die 19 Octobris anni 615., eumque obiiſse die octava Novembris anni ſexcenteſimi decimi octavi. Ejus nomen in Martyrologio Galeſinii & in antiquioribus non legitur quidem, ſed Baronius ob præclaras ejus virtutes, illud martyrologio Romano à ſe auctoritate Apoſtolica emendato ad diem 8 Novembris inſcripſit.

BO-

Digitized by Google

BONIFACIUS V *Pontif. LXXI.*

Anno Domini DCXIX.

I. *Bonifacius V. Eccleſiæ Rom. præficitur.*

BEda lib. 2 cap. 7 Hiſt. Eccleſ. Gentis Angl. ſecundùm editionem Chifletianam & Cantabrigenſem omnium optimam ſcribit, poſt Deuſdedit Bonifacium V Eccleſiæ præfuiſse *anno Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimo nono decimo.* Reſtat itaque inveſtigandum quibus menſe & die ordinatus fuerit. Auctor Criticæ Baronii rectè aſserit interpontificium poſt mortem Deuſdedit, fuiſſe anni unius, menſis unius & dierum ſedecim, quod colligit ex duratione ſedis ejus, & ex initio Pontificatûs Honorii ejus ſucceſſoris, quem conſtat jam fuiſſe Pontificem anno 625 die 10 Decembris, ex quo ſequitur ſedis vacationem pluſquam annuam fuiſſe, cùm Bonifacius ſederit annos quinque & menſes decem, ut in ejus morte dicetur, obieritque, juxta Anaſtaſium, circà finem menſis Octobris; ex quibus conjicere eſt Bonifacium V, natione Campanum, de civitate Neapoli, Joannis filium, Archipresbyterum in titulo S. Sixti, ordinatum eſſe menſe Decembri anni ſexcenteſimi decimi noni, & quidem die vigeſima tertia ejuſdem menſis, in quam Dominica cadebat. Quod hic explicandum fuit contra eos Scriptores, qui eum vel anno 618, vel anno 620 ordinatum putant. Ex hoc enim Pontificum antecedentium Chronologia confirmatur.

II. *Ad Epiſcopos Angliæ ſcribit.*

Cùm Mellitus Cantuarienſis Archiepiſcopus & Juſtus Rhofenſis Epiſcopus *magna Eccleſiam Anglorum cura, ac labore gubernarent, ſuſceperunt ſcripta exhortatoria à Pontifice Romanæ & Apoſtolicæ Sedis Bonifacio, qui poſt Deuſdedit Eccleſiæ præfuit anno Incarnationis Dominicæ 619* inquit Beda loco laudato; ſed illa Bonifacii ſcripta, ſeu Epiſtolæ ad nos non pervenerunt. At initio Pontificatûs Bonifacii V. eas ſcriptas eſſe Bedæ verba ſatis manifeſtè inſinuant.

III. *Pallium mittit Juſto Cantuarienſi Epiſc.*

Mellito Cantharienſi anno ſexcenteſimo vigeſimo quarto mortuo, Juſtus Rhofenſis ei in Archiepiſcopatum Cantuarienſem ſucceſſit. Cùm autem hic multam operam poſuiſſet in erudiendo Eadbaldo Cantii Rege, ſancti Ethelberti filio & ſucceſſore, *Romanum* pro ſe Epiſcopum Rhofenſem conſecravit, *data ſibi ordinandi Epiſcopos auctoritate à Pontifice Bonifacio, quem ſucceſſorem fuiſſe Deuſdedit ſuprà meminimus; cujus auctoritatis iſta eſt forma: Dilectiſſimo fratri Juſto, Bonifacius. Quam devotè*, &c., inquit Beda laudatus capite 8, in quo Bonifacii Epiſtolam recitat, in qua narrat Pontifex accepiſse ſe ab Eadbaldo Rege, *quanta ſacri eloquii eruditione, ejus animum ad vera converſionis & indubitatæ fidei credulitatem* Juſtus perduxerit. Ait Bonifacius ſe ei Pallium direxiſſe, ac concedere etiam ordinationes Epiſcoporum. Hæc Epiſtola data eſt anno 624, non multò poſt mortem Melliti, qui ex eodem Beda obiit octavo Kalendarum Majarum ejuſdem anni.

IV. *Ad Regem & Reginam Northumbriæ ſcribit.*

Anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto, ut refert idem Beda citatus cap. 9, gens Nordanhumbrorum, hoc eſt, ea natio Anglorum, quæ ad Aquilonarem Humbræ fluminis plagam habitabat, cum Rege ſuo Eduino, qui in Eboracenſi civitate morabatur, fidei Chriſtianæ ſuſcipiendæ ſpem dedit, accepta ab Eduino Rege in conjugem Edilburga, filia Sancti Ethelberi Regis & ſororis Eadbaldi tunc in Cantia regnantis. Miſsus itaque cum ea *Paulinus*, qui ideo *ordinatus eſt Epiſcopus*, ſcilicet Eboracenſis, *à Juſto Archiepiſcopo*, nempe Cantuarienſi, *ſub die duodecima Kalendarum Auguſtarum anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo vigeſimo quinto*, inquit Beda. Ubi Bonifacius Papa hoc conjugium accepit, literas ad Eduinum Regem miſit, quibus eum ad fidem hortatus eſt, aliaſque ad conjugem ejus fœminam piiſſimam, quibus illam monuit, ut ſalutis Eduini Regis ſedulam curam ageret. Refertur utraque Epiſtola à Beda capp. 10, & 11, & Tom. V Conciliorum. Porrò Eduinus Rex Chriſti fidem poſtea ſuſcepit & baptizatus eſt, ex eodem Beda cap. 14 anno 627 in die Sancto Paſchæ. Ad Paulinum verò Eboracenſem Pallium miſit Honorius Papa, ut infra videbitur.

V. *Xenia eis mittit.*

Cùm ſupradictis literis Bonifacius Papa ad Eduinum Regem nondum Chriſtianum munera miſit, ait enim in prædicta ad eum Epiſtola: *Præterea benedictionem protectoris veſtri Beati Petri Apoſtolorum Principis Vobis direximus; ideſt camiſiam cum ornamento in auro unam, & lanam anciriànam unam: quod petimus, ut eo benignitatis animo gloria veſtra ſuſcipiat, quo à nobis noſcitur deſtinatum.* Ad Edilburgam verò Reginam: *Prætereà benedictionem protectoris veſtri Beati Petri Apoſtolorum Principis Vobis direximus; ideſt ſpeculum argenteum & pectinem eboreum inauratum: quod petimus, ut eo benignitatis animo gloria veſtra ſuſcipiat, quo à nobis noſcitur deſtinatum.*

IV. *Moritur.*

Poſtquam eas in Angliam literas miſit Bonifacius, diù ſuperſtes non fuit, eodem enim

Digitized by Google

SÆC. VII. BONIFACIUS V.

enim anno ſexcenteſimo vigeſimò quinto, die vigeſima ſecunda Octobris ſupremum diem obiit, &, ut habet Anaſtaſius, *ſepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum die vigeſimo quinto menſis Octobris*, poſtquam ſediſset *annos quinque, menſes decem*, ut habent Gotfridus Viterbienſis in Chronico, Luitprandus, Catalogus nominum Apoſtolicorum, codex MS. Anaſtaſii Colbertinus, & quatuor ex Catalogis Criticæ Baronianæ præfixis, quòd rem extra dubium ponit ejus epitaphium à Baronio recitatum, quod duobus his verſibus clauditur:

Culmen Apoſtolicum quinque & bis menſibus, annis
Rexit, & ad magni culmen honoris abit.

Verum itaque eſt, quod initio diximus, Bonifacium ſcilicet die 23 menſis Decembris anni 619 conſecratum eſſe Romanum Pontificem, & immeritò Ciaconium ab Oldoino reprehendi, quòd ſcripſerit, Bonifacium annos quinque, menſes decem ſediſse, quod enim ait, communiter omnes affirmare eum ſediſſe annos circiter octo, adverſatur omnibus Antiquis, & ex dictis omninò corruit.

VII. *Quædam ab eo decreta.*

Hæc à Bonifacio conſtituta refert Anaſtaſius, ſive Auctor libri Pontificalis. Teſtamenta rata eſſe juſſit, ſecundùm leges Principum. Jus aſylorum ſacrorum, ſeu immunitatem Eccleſiis conceſſit, aliquem ex eis vi abſtrahi prohibens, qui ad eas confugiſſet. Acolythis prohibuit, ne Reliquias Martyrum levarent, ſoliſque id permiſit Presbyteris. Ut in Lateranis Acolythus non baptizaret cum Diacono, ſed Subdiaconi ſubſequentes: quia ſcilicet licitum non erat inferioribus Clericis, præſentibus ſuperioribus Baptiſmum miniſtrare; licèt jus illud primò Epiſcoporum, poſtea presbyteris, deinde Diaconis, & ipſis etiam laicis in neceſſitate conceſſum fuiſset. Subdit tandem Anaſtaſius Bonifacium cœmeterium Sancti Nicomedis perfeciſse & dedicaſse; mitiſsimum ſuper omnes homines & miſericordem fuiſſe, Clerum maximè dilexiſſe, in quem unicè liberalis, & munificus fuit.

HONORIUS *Pontif. LXXII.*

Anno Domini DCXXV.

I. *Honorius Bonifacio V ſuccedit.*

Lucas Holſtenius in Collectione Romana publicavit Honorii Papæ Epiſtolam ad Epiſcopos Epiri directam, quæ dicitur data *Idus Decembris, indictione XIV*, ideoque anno 625. Ex ea conſtat, Honorii electionem differri non poſſe in annum 626, & conſequenter durationem vacationis Sedis poſt Bonifacii V mortem; non ſolùm in vulgatis, ſed & in MSS. Anaſtaſii codicibus, ubi dicitur fuiſſe menſium ſex, & dierum decem & octo, mendosè deſcriptam eſſe. Honorius itaque, natione Campanus, ex Patre Petronio viro Conſulari, ordinatus eſt Pontifex anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto, & quidem die vigeſima ſeptima menſis Octobris in Dominica, poſtquam Sedes vacaſſet dies tantùm quinque, cùm Anaſtaſius tradat eum mortuum, & ſepultum eſſe in Baſilica B. Petri Apoſtoli *ſub die quarto Idus Octobris*, poſtquam ſediſſet *annos duodecim, menſes undecim, dies ſeptemdecim*, qui dies, menſes & anni præcisè inveniuntur computando diem 12 Octobris, quo ſepultus eſt, in ejus Pontificatu, ut ſæpè fit. Mortuus eſt enim in omnium ſententia anno 638.

II. *Pontificis Rom. confirmatio Exarcho commiſſa.*

Dicet forſan aliquis intra quinque dies confirmationem Imperatoris, ſed nec Iſaaci Exarchi Ravennæ exiſtentis obtineri non potuiſse, ut ordinaretur quinta die poſt Bonifacii mortem. Sed cùm tam Bonifacii obitus, quàm Honorii ordinatio invictè à nobis probentur ex ipſomet Anaſtaſio, dicendum eſt cum Auctore Criticæ Baronii confirmationem non ab Heraclio Imperatore, qui à triennio in Oriente, non Conſtantinopoli agebat, ſed ab Exarcha Ravennatenſi, propter rationes nobis ignotas Romæ tum agente, obtentam fuiſse; & Heraclium, quando Iſaacum Conſtantinopoli Exarchum in Italiam miſit, hanc auctoritatem ei largitum eſse, ne Eccleſia Romana, ſuæ abſentiæ occaſione, vacante Sede, incommodum pateretur. Hanc facultatem Exarchis ab Imperatoribus collatam tandem fuiſse, aliqui viri docti jam obſervarunt, & in libro diurno Romanorum Pontificum, quadraginta poſt Joannis Papæ Pontificatum annis ſcripto, nonniſi obſcuram Imperatoris mentionem fieri; ac decretum de electo Pontifice, cum libello precum pro conſenſione ita delatum fuiſse ad Exarchum, ac ſi tota in ipſum Imperialis poteſtas traducta eſset. Rogantur etiam Archiepiſcopus Ravennas, Judices, & Apocriſarius Pontificis, Ravennæ velut in Aula ipſa Imperiali reſidens, ut operam ſuam, non apud Imperatorem, ſed apud Exar-

chum interponant pro negotii celeri expeditione.

III. *Et quidem in electione Honorii.*

Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico exiſtimat, hunc novum morem anno 640 in creatione Joannis IV inductum fuiſſe. Sed Auctor Criticæ laudatus ſcribit breviſſimum interpontificium, quod mortem Bonifacii V ſecutum eſt, hunc morem in creatione Honorii cœptum demonſtrare; quod eò magis exiſtimandum, quòd longum diuturnumque interpontificium, quod poſt mortem Deuſdedit, Bonifacii V deceſſoris fuit, & damna inde ſecuta movere potuerint Clerum Romanum, ut Imperatorem rogaret, quò eam poteſtatem in Exarchum Ravennatenſem transferret. Addit aliquando contigiſſe, ut Pontifex electus, non expectata confirmatione, neque Imperatoris neque Exarchi, conſecraretur, ut in Pelagio II Gregorii Magni deceſſore oſtenſum eſt.

IV. *Laborat pro reſtitutione Regis Longobard. Catholici.*

Cùm Adaloaldus, ſeu Adalwaldus Longobardorum Rex Catholicus, anno 626 de Regno ejectus fuiſſet, & Arioaldus Arianus regnum ejus invaſiſſet, eo prætextu quòd Adaloaldus everſa mente inſaniret, Honorius Pontifex ſciens, favore Epiſcoporum Ciſalpinorum, Arioaldum Arianæ hæreſis ſordibus labefactatum, in Regis Catholici locum fuiſſe ſubrogatum, nihil prætermiſit, ut eos puniret, literaſque de his dedit ad Iſaacum Exarchum Ravennatenſem, ut qui ejectus fuerat Adaloaldus in regnum reſtitueretur, & Epiſcopi illi Romam mitterentur, ne ſcelus hujuſmodi impunitum relinqueretur. Ex his autem literis rectè colligit Baronius, Adaloaldum rationis uſum omninò non amiſiſſe; cùm alioquin Honorius Pontifex, pro eo reſtituendo operam ſuam non contuliſſet. Quid contra Epiſcopos illos Honorius egerit haud compertum habetur.

V. *Epiſcopis Cantuariæ & Eboraci pallia mittit.*

Eduinus Nordanhymbrorum, ſeu Anglorum ad Aquilonarem Humbræ fluminis plagam habitantium Rex, anno 627, Honorii Papæ ſecundo, *Eboraci die Sancto Paſchæ pridie Iduum Aprilium*, ut ſcribit Beda lib. 2 cap. 14, baptiſmum ſuſcepit, & in eadem civitate, *Doctori atque Antiſtiti ſuo Paulino ſedem Epiſcopalem donavit*. Subdit poſtea Beda cap. 17. *Quo tempore Præſulatum Sedis Apoſtolicæ Honorius Bonifacii ſucceſſor habebat, qui ubi gentem Nordanhymbrorum cum ſuo Rege ad fidem confeſſionemque Chriſti, Paulino evangelizante converſam eſſe didicit, miſit eidem Paulino Pallium, miſit & Regi Eduino literas exhortatorias, paterna illum charitate accendens, ut in fide veritatis, quam acceperant, perſiſtere ſemper ac proficere curarent*. Recitat poſtea illam Epiſtolam, quâ Honorius Eduino ſignificat, ſe *duo Pallia utrorumque Metropolitanorum, id eſt Honorii, & Paulini* direxiſſe. Erat Honorius Metropolita Cantuarienſis, Paulinus Eboracenſis. Honorius ſucceſſerat Juſto, cujus mortem recitat Beda cap. 18, recitatque ejuſdem Honorii Papæ alias literas ad Honorium Cantuarienſem datas, in quibus ait, ſe ei Pallium mittere, *tam juxta veſtram petitionem*, inquit, *quàm filiorum noſtrorum Regum*, Eduini ſcilicet & Eadbaldi. Duæ illæ Epiſtolæ datæ ſunt anno 634, ut legere eſt in Critica Baroniana. De Eduino Rege, & Paulino Epiſcopo vide dicta in Bonifacio V Honorii deceſſore.

VI. *Angli Orient. Chriſti fidem ſuſcipiunt.*

Ad Honorii Papæ Pontificatum pariter pertinet converſio Anglorum Orientalium, quam anno ſexcenteſimo vigeſimo nono contigiſſe inſinuat Beda lib. 2 cap. 15, eamque ſic deſcribit. Sigbertus frater Carpualdi Orientalium Anglorum Regis, *vivente adhuc fratre, cùm exularet in Gallia, fidei ſacramentis imbutus eſt, quorum participem mox ubi regnare cœpit totam ſuam provinciam facere curavit*. Sigbertus autem anno 629 regnare cœpit, cujus ſtudiis Felix Epiſcopus, qui de Burgundionum partibus, ubi ortus & ordinatus eſt, cùm veniſſet ad Honorium Archiepiſcopum Cantuarienſem ſeu Dorobernenſem, ab eo miſſus eſt ad prædicandum verbum vitæ provinciæ Orientalium Anglorum, quam totam ad fidem perduxit, *accepitque Sedem Epiſcopatus in civitate Dumnoc; & cum ſeptemdecim annis eidem provinciæ Pontificali regimine præfuiſſet, ibidem in pace vitam finivit*. Dumnoc hodie *Dumnicus* eſt, & fuit olim Emporium nobile; ſed quia locus mari contermінus, undarum vitio, vix habet oppidi veteris reliquias. Porrò Orientalium Anglorum Regnum complectebatur provincias Norfolciam, Suthfolciam & Cantabrigiam cum inſula Elii, ut notavit Spelmannus in Prolegomenis ad Tom. I Concil. Britanniæ. Quæ ſuperiùs diximus de converſione Nordanhymbrorum; & quæ ſtatim dicam de converſione Occidentalium Saxonum mihi perſuadent, Honorii Papæ cura & ſtudio, hanc etiam Anglorum Orientalium converſionem factam eſſe.

VII. *Honorius Saxonum Occident. converſioni operam dat.*

Anno enim 635 miſit Honorius Papa Birinum Epiſcopum nulli Sedi adſtrictum ad prædicandum verbum Dei Saxonibus Occidentalibus, ut ſcribit Beda lib. 3 cap. 7. *Eo tempore*, inquit, *gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitùs Geniſſæ vocabantur, regnante Cynigilſo, fidem Chriſti ſuſcepit, prædicante illis verbum Birino Epiſcopo, qui cum conſilio Papæ Honorii venerat Britanniam*. Baptizatum Cynigilſum à Birino Epiſcopo, ſuſcepit è fonte exeuntem Oſualdus Northumbriæ Rex, qui ejus filiam in conjugem accepit: *donaverunt autem ambo Reges eidem Epiſcopo* (Birino) *civitatem*,

quæ

Digitized by Google

SÆC.VII. HONORIUS.

quæ vocatur Dorcic, ad faciendam inibi ſedem Epiſcopalem, inquit Beda citatus, qui addit & ibidem Birinum obiiſse. Urbs illa hodie Dorceſtria vocatur, eſtque in Dobunis & Oxonienſi comitatu.

VIII. *Scoti de errore Paſchatis celebrandi admoniti.* Hermannus Contractus in Chronico ad annum 630 habet: *His temporibus hæreſis de Paſcha, & Pelagiana Britanniam turbat.* Beda verò lib. de ſex ætatibus, narrata Eduini Nordanhymbrorum Regis, de quo mox locuti ſumus, pietate & imperio, ſcribit: *Eo tempore exortum apud Scotos, de obſervatione Paſchæ errorem Quartodecimanorum Honorius Papa per Epiſtolam redarguit, ſed & Joannes, &c.* Hæc controverſia de Paſchate, anno 630 exorta, cauſam dedit Epiſtolæ ab Honorio Papa ad Scotos miſsæ, de qua hæc Beda lib. 2 cap. 19 Hiſt. Eccleſ. *Miſit idem Papa Honorius*, inquit, *literas etiam Genti Scotorum, quos in obſervatione ſancti Paſchæ errare compererat, juxta quod ſupra docuimus: ſolerter exhortans ne paucitatem ſuam in extremis terræ finibus conſtitutam, ſapientiorem antiquis ſive modernis, quæ per orbem erant, Chriſti Eccleſiis æſtimarent; neve contra Paſchales computos, & decreta Synodalium totius orbis Pontificum, aliud Paſcha celebrarent.* Hunc errorem Beda *Quarto decimanorum* appellat, non quòd Scoti, aut Hiberni Judæorum more ſemper Paſcha celebraverint, ſed quòd Dominicâ aliquando in decimamquartam Lunam cadente, non expectaverint ſequentem, uti Nicæni Patres ſanciverant.

IX. *Romanum morem anno 631 Scoti non obſervarunt.* Hic error dicitur exortus anno 630, licèt Columba, aut certè diſcipuli ejus jam pridem ita Paſcha celebraverint; quia Scoti collegerunt eo anno Synodum, ibique alienum ritum ſtabiliviſse putantur. Hæc Synodus habita eſt in campo Leniæ, unde Lenienſis Synodus appellata; de ea agunt Uſserius in Antiquit. Britann. Eccleſ. pag. 482, & ſeqq. & Alfordus in Annalibus Eccleſiæ Anglo-Saxonicæ ad annum 630. Veroſimile autem eſt in ea ſtatutum eſse Paſcha alieno ritu à Romano celebrandum, nam anno 631 proximo poſt Synodum illam, Hiberni, Scotique in Britannia Paſcha celebrarunt à Romano more differenter, ut obſervavit Uſſerius ibidem, Scoti ſcilicet die 21 Aprilis, Romani verò die 24 Martii.

X. *Honorii monita non fuere irrita.* Sanctior tamen Scotorum pars Romanorum morem diligentiùs explorari voluit. Unde Cummianus, qui hoc tempore vivebat in Hibernia, in Epiſtola ad Segenium, meminit aliquorum in Romanam urbem Legatorum, qui inde redeuntes retulerunt *per totum orbem terrarum* Paſcha anno 631 celebratum eſſe die 24 Martii. Unde Uſſerius laudatus pag. 934 de laudata Honorii Papæ Epiſtola, quæ anno 634 data eſt, loquens, ait: *Quæ quidem monita* (Honorii ſcilicet) *irrita non fuiſſe, partim ex Beda colligo, qui gentes Anglorum, quæ in Auſtralibus Hiberniæ inſulis morabantur, ad admonitionem Apoſtolicæ Sedis Antiſtitis, Paſcha canonico ritu obſervare didiciſſe narrat, partim ex Cummiano, qui eo ipſo tempore vixit; & in Epiſtola ad Segenium Hyenſis cœnobii Abbatem de Alexandrinorum magno XXVIII Enneadecateridum, ſive DXXXII annorum cyclo, in Hibernia primùm admiſſo, ita ſcripſit, &c.*

Anno ſexcenteſimo trigeſimo Honorius Papa, dejecto Fortunato Gradenſi Patriarcha, Reipublicæ proditore, Primogenium Subdiaconum Regionarium Eccleſię Romanæ in ejus locum ſubſtituit & conſecravit. De quibus extant in Chronico MS. Andreæ Danduli Ducis Venetiarum, ipſius Honorii Papæ literæ ad univerſos Epiſcopos per Venetiam & Iſtriam conſtitutos, quas refert Baronius eodem anno. XI. *Honorius Gradenſem Patriarcham conſecrat.*

Initium hæreſis Monothelitarum.

Duæ Honorii Papæ Epiſtolæ anno 634 ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcriptæ, uberem inſigni controverſiæ præbuerunt materiam de orthodoxia ſeu illibata fide Honorii, vel de Monotheliſmo ejus: præſertim quòd anathemathe implicatus reperiatur in Actis Sextæ Synodi generalis, qualia nunc habentur. Quæ controverſia ut explicetur, quædam hic de hæreſi Monothelitarum pręmittenda ſunt. Palmaris eorum error in eo poſitus fuit, quòd unicam in Chriſto operationem, adeoque unicam voluntatem propugnarent. Contendebant namque naturam humanam ita eſſe unitam Verbo, ut licèt mente aliiſque facultatibus, quæ naturæ ſunt appendices, prædita eſſet, ipſa tamen propriam non exerceret actionem; ſed unica eſſet actio, profecta quidem à Verbo, ut à cauſa principali, ab humanitate verò, ut à cauſa inſtrumentaria. Id conſtat ex Epiſtola Cyri Alexandrini Monothelitarum Patriarchæ, ad Sergium Conſtantinopolitanum Patriarcham Monothelitarum principem, quâ in Epiſtolâ eam à Sergio ſe accepiſſe ſententiam profitetur. Plura alia in ejuſdem rei probationem adducit Monothelitarum teſtimonia Natalis Alexander Sæculo VII cap. 2 § 1, ubi etiam ex teſtimonio Sancti Maximi in diſputatione cum Pyrrho, oſtendit quanta fuerit Monothelitarum in exponendo, vel propugnando errore ſuo inconſtans levitas. XII. *Monothelitarum palmaris error.*

Hujus hęreſis varia aſſignantur initia. Auctor Criticæ Baronii eam circa annum 616 pullulare cæpiſſe, ex eo probat, quòd XIII. *Eorum hæreſis initia.*

Digitized by Google

SÆC. VII. HONORIUS.

idem Sanctus Maximus in dicta diſputatione cum Pyrrho, Sergii in Sede Conſtantinopolitana proximo ſucceſſore, Sophronii Jeroſolymorum Patriarchæ, de hujus mali origine à dicto Pyrrho accuſati, innocentiam tueri volens, reſpondet: *Ubi erat Sophronius quando ad Georgium cognomento Arſam Paulianiſtam ſcripſit Sergius, rogans ut mitteret ſibi auctoritates de una operatione; inſeruitque Epiſtolæ facere etiam ſe his auctoritatibus unionem Eccleſiæ cum eis? Hanc autem Epiſtolam B. Joannes Papa Alexandrinus manu ab Arſa abſtulit. Unde cùm vellet eum ob ipſam deponere, impeditus tunc fuit ab incurſu à Perſis in Ægyptum facto.* Quare cùm anno 615 & ſequenti Perſæ Ægyptum afflixerint, & S. Joannes Eleemoſynarius, Patriarcha Alexandrinus menſe Novembri anni 616 obierit, Monothelitarum exordium ultra illum annum differri non poteſt.

XIV. Heraclius Imp. ab ipſis deceptus.

Communiter tamen Monotheliſmi initium Scriptores cum anno 622 conjungunt, quo ipſi obſtetricatus eſt Heraclius Imperator imprudens, in eo congreſſu quem habuit in Armenia cum Paulo Monoculo Severi hæretici ſectatore, cujus meminit Sergius in Epiſtola ad Honorium Papam, quæ extat Actione 13 Sextæ Synodi. Imò alii ejus initium ducunt ab anno 629, quo juxta Theophanem in Chronico, Heraclius alium congreſſum habuit apud Hierapolim non multum ab Edeſſa diſtantem, cum Athanaſio Jacobitarum Patriarcha. In utroque enim congreſſu, dogma de unâ in Chriſto voluntate & operatione propinavit Imperator. Sed quidquid ſit de hoc ſecundo congreſſu, certum eſt Heraclium anno 622 à dicto Paulo Severiano deceptum, conſuluiſſe tum Sergium Conſtantinopolitanum Patriarcham, tum Cyrum Epiſcopum Phaſidis, poſtea ad Archiepiſcopatum Alexandrinum tranſlatum, utrum ſcilicet in Chriſto duplex eſſet voluntas, an unica: à quibus illud habuit reſponſum, unam prorsùs in Chriſto dicendam eſſe voluntatem & operationem. Neque admodum Sergio hujus ſectæ patrono laborandum fuit, ut ad ſua pertraheret Heraclium ſpecioſo unionis titulo, Oriente tunc varias in ſectas miſerandum in modum diviſo; ſed tantùm abeſt, ut ejus ſpei ac expectationi exitus reſponderit, ut teſtatur Sanctus Maximus in Epiſtola ad Petrum Illuſtrem, quòd *Eccleſia Catholica concordia frueretur, & unanimitate, necnon pacifica atque fide tranquilla, priuſquam caliginoſam nubem & ſtridentem fluctum maris ipſe Dæmon turbationis amicus concitaret per miniſtros ſuos Monothelitas.*

XV. Sergius Epiſcop. CP. Pſeudo Synodum celebrat pro ea hæreſi.

Monothelitarum itaque parens fuit Sergius, Syrus genere, parentibus Jacobitis natus, qui ex Diacono Magni Templi Conſtantinopolitanus Epiſcopus dictus eſt anno 610, poſt obitum S. Thomæ ejuſdem Eccleſiæ Patriarchę. De eo legitur in libello Synodico: *Heraclius bello contra Perſas divinitùs ſuſcepto, Phaſidem fluvium in poteſtatem redegit, ubi quidam Acephalorum* (Paulus nempe Monoculus, de quo numero ſuperiori) *quæſtionem de voluntatibus & operationibus ei ſuggeſſit. Quam quidem quæſtionem magis cum Cyro Phaſidis Epiſcopo communicaſſet, & uterque dubitaret, Sergio Conſtantinopolitano iſtæc renunciarunt. Ille verò hæretico inſtituto Synedrio, & Acta Menæ particulatim conſiderans, unam voluntatem in Chriſto Deo & Servatore noſtro eſſe, Imperatori Heraclio reſcripſit.* Pſeudo-Synodus illa Conſtantinopolitana habita eſt anno 626. Hæc verò ita inter Cyrum & Sergium acta eſſe tradit ipſemet Sergius in Epiſtola ad Honorium Papam, quam recitat Baronius anno 633.

XVI. Cyrus Epiſc. Alex. pro eadem Conciliabulum cogit.

Cyrus Phaſidis Epiſcopus ad Alexandrinum Epiſcopatum evectus eſt. Cùm autem Heraclius Imperator Juſsionem adversùs Paulum Severianum promulgaſset, quâ, inter alia, duplicem dici in Chriſto operationem prohibebat, eamque ad illuſtriores Epiſcopos miſiſset, ad Sergium imprimis Conſtantinopolitanum, & Cyrum Alexandrinum; hæſitavit primùm Cyrus, his verbis S. Leonis ad ſuſpendendum inductus aſſenſum: *operatur utraque forma, cum alterius communione, quod ſuum eſt.* Sed Sergii ſuggeſtione in errore confirmatus, ſcrupulum omnem excuſſit, ut diſcimus ex Epiſtola ipſius ad Sergium, qui pravum dogma, quod Heraclium Imperatorem docuerat, ejus Juſſione ſtabiliri vehementer gaviſus eſt, illamque Juſſionem approbavit. Tenues hæ videri poterant ſcintillæ erroris, quæ in magnum eruperunt incendium, cùm Cyrus Alexandrinus anno 633, ſpecie unionis Acephalorum cum Eccleſia, Conciliabulum Alexandriæ coegit, in quo novem edidit Capitula, quorum ſeptimo aſſeruit, *Eumdem unum Chriſtum & filium operari Deo decibilia & humana, unâ Deivirili operatione, ſecundùm S. Dionyſium.* Sed Cyrus S. Dionyſii textum interpolavit, & pro *nova Deivirili operatione*, ſubſtituit, unam, quam fraudem alii Monothelitæ ſecuti ſunt. Celebrata illa Pſeudo-Synodo Cyrus ſcripſit ad Sergium, Epiſtolæque ſuæ novem illa capitula Alexandrię fabricata & promulgata adnexuit. Gratulatoriam reſcripſit ad Cyrum Epiſtolam Sergius, inſertam Synodo Lateranenſi ſub S. Martino, Secretario III, quâ ejus Capitula palam approbavit, immenſiſque laudibus proſecutus eſt, aſſeruitque, *Eumdem unum Chriſtum operari Deo decibilia, & humana, unâ operatione: quia omnis Divina, & humana operatio, ex uno eodemque incarnato Deo Verbo procedebat.*

So-

Digitized by Google

XVII. *Sophronius Monachus ei adverſatur.*

Sophronius adhuc Monachus, non multò poſt Jeroſolymorum Patriarcha, ad eam Pſeudo-Synodum Alexandrinam venit; ſanctus enim Maximus in Epiſtolam ad Petrum Illuſtrem, ait: *Divinus ergo, magnuſque Sophronius tunc Alexandriam veniens, mox ex prima lectione [dederat enim etiam ipſi Cyrus ad retractandum illa novem impietatis Capitula] lugubre quiddam & ingens vociferatus, fontes emittebat lacbrimarum, illum fervidè obſecrans, ſupplicans, expoſtulans, in pavimento ipſius veſtigiis pro volutus, quò nihil horum ſuper ambonem contra Catholicam Dei Eccleſiam prædicaret: quippe cùm hæc liquidò impii eſſent Apollinaris dogmata.* Cùm Cyrum inter & Sophronium conveniri non poſſet, hic Conſtantinopolim profectus eſt, apud Sergium coram acturus cauſam, & ad ſolicitandam ſeptimi Capituli abrogationem, in quo una tantùm Deivirilis voluntas decerneretur. Sed nihil à Sergio obtinere potuit.

XVIII. *Fit Epiſc. Jeroſolymorum & Synodum celebrat.*

Conſtantinopoli in Palæſtinam redux Sophronius, ſub finem anni 633, vel initio ſequentis ſubrogatus eſt in locum Modeſti Jeroſolymorum Patriarchæ demortui, ſtatimque Concilium habuit Antiſtitum Palæſtinæ, in quo compoſuit ſacram illam Encyclicam mittendam de more ad Patriarchas, recitatam in Sexta Synodo Actione 11, in qua diſertiſsimis ſanctorum Patrum auctoritatibus abundè prædicavit duplicem dari in Chriſto voluntatem & operationem: *Actaque ſua Synodica Honorio Papæ Romano, & Sergio Conſtantinopolitano miſit*, ut legitur in libello Synodico.

XIX. *Sergius Epiſc. Cp. ſcribit ad Honorium PP.*

Antequam Sergius Synodicam illam Sophronii reciperet, Romanum Pontificem per literas adiit, remque totam ad eum, tanquam primæ Sedis Epiſcopum, ac ſupremum fidei Judicem retulit. Hac in Epiſtola, inſerta Actioni 12 Sextæ Synodi, Sergius œconomiæ ſive diſpenſationi pernicioſæ viam aperuit, ut ſcilicet, neque una, neque duæ in Chriſto operationes deinceps dicerentur, ob emergens ex illarum vocum uſu ſcandalum: ſed unus idemque filius unigenitus verus Deus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, diceretur operatus tam divinam quàm humanam, & omnem Deo decibilem & homine dignam operationem.

XX. *Honorius ad Sergium reſpondet.*

Literas viciſſim ad Sergium dedit Honorius, quibus laudavit ipſum vocabuli novitatem auferentem, quod ſcandalum ſimplicibus parere poſſet, ſicque prolixam Epiſtolam concluſit: *Hæc nobiſcum fraternitas veſtra prædicet, ſicut & ea nos vobiſcum unanimiter prædicamus, hortantes vos ut unius, vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiſcum Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei vivi, Deum veriſſimum, in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus, fide orthodoxa, & unitate Catholica prædicetis.* Hanc ergo ſilendi diſpenſationem, quam fruſtra conatus erat Sergius perſuadere Sophronio, facile Honorio perſuaſit, eumque ex hac parte, non ſine fidei detrimento, ad ſuas attraxit. Hæc prima Honorii ad Sergium Epiſtola extat in Actione 12 Sextæ Synodi.

XXI. *Sophronius ad Honorium PP. Legatos mittit.*

Rebus tamen nondum ita ad extrema verſis, ut ſpes aliqua conciliationis non appareret, Sophronius ab œconomia Honorii non abhorruit; ſive quia adhuc Sergium agnoſcebat Regiæ urbis Epiſcopum, cum quo blandiùs agendum erat, ne offenſione læſus animus, magis à fide redderetur alienus; ſive quia illud obſequium univerſali Eccleſiæ Paſtori debitum cenſebat, à quo imprimis pro Apoſtolicæ Sedis privilegio, Sergii correctio expectanda eſſet. Sed cùm vidit non ceſſare Cyrum unam in Chriſto voluntatem prædicare, hanc temeritatem coercendam judicavit, incumbendumque, ut hæreſis unius voluntatis tolleretur è medio. Quamobrem Stephanum Eccleſiæ Dorenſis Metropolitam ad Honorium Papam miſit, ut legitur in Concilio Lateranenſi ſub Martino primo, in quo Stephanus dicit, id per ſe præſtare Sophronium non potuiſſe propter emerſam incurſionem Saracenorum. Addit poſtea *ſupplicatione omnium penè habitantium Orientalem tractum Reverendiſſimorum Epiſcoporum, & Chriſtianorum populorum*, ſe etiam ad hanc legationem invitatum fuiſſe, & ſæpè ſacris viris Romæ conſiſtentibus, omnia quæ in Oriente mota eſſent, ſecundùm veritatem expoſuiſſe.

XXII. *Honorius ſecundò ſcribit ad Sergium.*

Nihilominus Honorius de his edoctus ſecundam ad Sergium ſcripſit Epiſtolam, eodem quo prima argumento. Impoſuit ſilentium Cyro Alexandrino unam voluntatem & operationem in Chriſto prædicanti, ſcripſitque etiam ad Sergium, ut Cyrum de ſervanda jam ſtabilita œconomia admoneret. Literæ Honorii ad Cyrum non extant, ſed earum mentio eſt in literis Honorii ad Sergium datis, quarum fragmentum recitatum eſt in Actione 13 Sextæ Synodi. In ea igitur ad Sergium ſecunda Epiſtola decernit Honorius, *ut unius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum à prædicatione eximeretur, quia unius operationis vel duarum eſſe, vel fuiſſe Mediatorem Dei & hominum Dominum Jeſum Chriſtum, ſentire & promere ſatis ineptum eſt.*

XXIII. *Honorius PP. à Monothelitis immunis.*

His ſuppoſitis examinanda eſt Honorii Papæ fides, vox enim una ſingulis hæreticis eſt, eum in hæreſim lapſum eſſe, quod etiam quibuſdam Catholicis viſum, dicentibus indulgendum non eſſe humanis hac in parte conjecturis, ſed Sextæ Oecumenicæ Synodi judicio ſtandum, in cujus Actis, ut initio diximus, anathemate implicatus repe-

SÆC. VII. HONORIUS.

reperitur. Baronius viam antea intentatam iniit, exiſtimavitque Acta Sextæ Synodi non haberi ſincera, hancque ad muniendam Honorii defendendi rationem unicam valere credidit. Verùm cùm antiquis Scriptoribus numquam in mentem venerit arguere vitii, imo nec in dubium revocare Acta Sextæ Synodi, multò minus alia publicæ fidei inſtrumenta ſuppoſitionis damnare, aliam defenſionem Honorii molitus eſt Petrus de Marca, ut videre eſt in ejus Vita à Baluzio ſcripta, & libris ejus de Concordia Sacerdotii & imperii præfixa. Baluzius igitur numero 70 ait, Marcam, dum viveret, promiſiſſe ſe ſcripturum Epiſtolam ad Philippum Labbeum, in qua Honorium à labe Monothelitiſmi prorſus immunem reddidiſſet, oſtendiſſetque nihil in eo damnatum eſſe in Sexta Synodo præter negligentiam, & quia variè ſe geſſerat. Primum probare decreverat evidentiſſimis argumentis germana eſſe Acta illius Concilii, neque à Græcis corrupta, & Honorium illic fuiſſe damnatum, non quia Concilium putarit illum docuiſſe hæreſim; ſed quia Sergii Conſtantinopolitani, & Cyri Alexandrini Patriarcharum conſultationem ambiguis reſponſis eluſerat, neque ſtatim damnaverat hæreſim tunc recèns emergentem.

XXIV. *Deceptus à Monothelitis.*

Hinc enim data populis Orientis occaſio credendi Monothelitarum opinionem non eſſe hæreticam, quandoquidem eam prima Sedes non feriebat anathemate. Scilicet Honorius, ut autumavit Marca, eo deceptus eſt, quòd Patriarchæ illi pollicerentur Orientem univerſum, ubi Neſtorii & Eutychetis errores vigebant, ad unitatem Eccleſiæ Catholicæ rediturum, Conciliique Calchedonenſis decretum de duabus naturis in Chriſto unitis amplexurum, ſi concedi aliquo modo poſſet unicam in Chriſto voluntatem fuiſſe. Et cùm nova hæc opinio interpretationi tum obnoxia eſſet, quando videlicet nondum damnata erat ab Eccleſia, Honorius, quò facilius Orientem à vetuſtis erroribus revocaret, per Oeconomiam ac per diſpenſationem, à ſummo jure receſſit. Hæc tamen diſpenſatio infeliciter illi ceſſit. Hinc enim factum, ut damnationis ſententiam in eum pronuntiaverit Sexta Synodus, perſuaſumque fuerit orbi univerſo illum inſanam unius voluntatis opinionem foviſſe, quam incipientem extinguere debuerat.

XXV. *Incipientem Monotheliſmum non extinxit.*

Eam ob rem Leo ſecundus Pontifex Romanus de Honorio in Sexta Synodo damnato loquens, hæc ad Hiſpanos Epiſcopos ſcribit: *Qui flammam hæretici dogmatis, non, ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit.* Sui ſimilis eſt idem Leo in Epiſtola ad Imperatorem Conſtantinum Pogonatum, cujus verba in contextu quidem latino ſubobſcura ſunt, ſed in græco mirè conveniunt cum verbis Epiſtolæ ad Hiſpanos juxta accuratam Marcæ verſionem: *Qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non eſt conatus luſtrare doctrina Apoſtolicæ traditionis, ſed profana proditione puram maculari permiſit.* Imperator verò Conſtantinus manifeſtè docet, Honorium in hac fidei cauſa ſe variè geſsiſse: *Ad hæc & Honorius*, inquit Imperator in Edicto ſuo, *qui fuit antiquæ Romæ Papa, hujuſmodi hæreſeos confirmator, qui etiam ſui extitit oppugnator.* Significat, inquit Marca, pugnantia inter ſe ſcripſiſse Honorium, atque hoc pacto hæreſeos fuiſse confirmatorem, quæ in eamdem cum Leone ſententiam recidunt. His addebat Marca locum deductum ex ſecunda profeſsione fidei à Pontificibus Romanis poſt Sextam Synodum fieri ſolita, quæ legitur in libro diurno Romanorum Pontificum pag. 32, in qua Pontifex dicit ſe damnare *Auctores novi hæretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum & Petrum Conſtantinopolitanos, unà cum Honorio, qui pravis eorum aſſertionibus fomentum impendit.*

XXVI. *Negligens fuit in cauſa fidei.*

Dicebat enim Marca negligentiam Epiſcopi in cauſa fidei crimen eſse, quod depoſitionis pœnâ plecti deberet. In cujus ſententiæ probationem afferebat reſcriptum Imperatorum Honorii & Theodoſii ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem, datum V Idus Junias Ravennæ, Monaxio & Plinta Coſſ. comminatur enim Princeps ſecundùm canones, ut Marca ſcribit, Epiſcopatûs amiſsionem iis, qui ſegniter ſe geſſerint adverſùs Pelagianos, & præter expulſionem à civitatibus, quæ pœna ſæcularis eſt, interdictam quoque in perpetuum communionem. Addunt Imperatores: *Una enim eademque culpa eſt eorum, qui aut diſſimulando convenientiam, aut non damnando favorem noxium præſtiterint.* Id ipſum docent Leo primus & Innocentius tertius in Concilio Lateranenſi. Unde colligebat ipſe potuiſse Honorium à Sexta Synodo damnari, non quòd docuiſset hereſim, aut quòd Monothelitis conſenſiſset; ſed ob negligentiam in damnando eorum errore; cùm eadem ſit culpa, ut inquiunt Imperatores, eorum, qui, aut diſsimulando convenientiam, aut, non damnando, favorem noxium præſtiterint. Nam *inferiorum ordinum culpæ*, ut ait S. Leo in Epiſtola 3 juxta veterem ordinem, *ad nullos magis referendæ ſunt, quàm ad deſides negligenteſque Rectores, qui multam ſæpè nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam.*

XXVII. *Ejus Oeconomia Monothelitis favebat.*

Honorii ſilentium, aut, ut Auguſti loquuntur, diſsimulatio, ex Epiſtolis Papæ Leonis II deprehenditur, qui eum redarguit quòd Monothelitarum hæreſim negligendo

gendo confoverit, & quòd proditione ſua Apoſtolicam Eccleſiam, quæ pura erat, maculari permiſerit. Eædem Leonis Epiſtolæ docent eum favorem noxium præſtitiſse huic peſtiferæ doctrinæ, quam non, ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit. Conſtantinus quin etiam Imperator hoc ſenſu dixit Honorium fuiſse hæreſeos confirmatorem. Sed prætereà extant ipſæ Honorii Epiſtolæ ad Sergium Patriarcham ſcriptæ & in Synodo Sexta recitatæ, ob quas Synodus illa, cùm agnoviſset eum aliquo modo tergiverſatum eſse in cauſa fidei, ſententiam damnationis in eum protulit ut negligentem; quòd negligentia Epiſcopi in cauſa fidei crimen ſit atrociſsimum, cui omnem veniæ ſpem præcidunt iidem Auguſti. Ita mentem Marcæ in ejus Vita exponit Baluzius.

XXVIII. *Ob id non propter hæreſim à Sexta Synodo damnatus eſt.*

Hanc poſtea opinionem magis explicarunt Garnerius in Appendice ad Notas capitis 2 libri diurni Romanorum Pontificum paragr. 6, & Tamagninus Auctor Hiſtoriæ Monothelitarum anno 1678 Pariſiis ſine Auctoris nomine editæ, qui fusè demonſtrant juſtè damnatum fuiſse Honorium, non quòd unius in Chriſto voluntatis aſsertor fuiſset, aut unicam in Chriſto voluntatem docuiſset, ſed tantùm quòd docentibus faverit, docendique opportunitatem ſuppeditaverit. Neque enim aliud fuit objectum Honorio, quàm quòd Sergio conſentiret, atque adeo foveret hæreſim. Conſenſit verò tantùm, qua parte Sergius, ficto pacis nomine, diſſimulandum cenſebat; quare uterque concordiæ ſtudio fovit hæreſim: ſed Honorius alienam, quia non peremit; ſuam Sergius quia diſsimulavit. Subſcripſit uterque ſimilia reprobatis duorum ſcriptis Imperatorum: ſed Honorius Typo Conſtantis, (de quo agemus in Theodoro Papa) quo nihil imperabatur præter ſilentium; Sergius Heraclii Ectheſi, (de qua in Joanne IV Papa) qua præter ſilentii indictionem continebatur unius voluntatis profeſsio. Peccavit itaque Honorius ſua illa œconomia, quâ voluit, de una vel gemina operatione taceri, cùm tamen religionis cauſa exigeret, apertè geminam defendere: ne ſcilicet ab Eutychianorum reliquiis fides de duabus naturis inconfuſis, impermixtis, & indiſtinctis, quæ obliquè petebatur, nutaret. Nullum verò peccatum eſt quod fidei Catholicæ noceat, quin ab Eccleſia meritò vindicari queat; nequit autem ſi exemptus ſit è vivis, qui peccavit, niſi eraſo de ſacris Tabulis nomine, infamatâ memoriâ, & combuſtis libris, quæ tria Sexta Synodus adverſus Honorium exercuit: eradi porro nomen de ſacris Diptychis id ipſum eſt, ſi agitur de mortuis, quòd ab Eccleſia projici; infamari memoriam, nihil aliud quàm propter nocumentum illatum fidei, damnari; comburi libros eſt indignos dici, qui legantur.

XXIX. *Duæ Honorii PP. Epiſtolæ examinantur.*

Aſserit Honorius in ſuis Epiſtolis neminem ex Patribus geminas in Chriſto voluntates apertè prædicare, ſed ſolùm quodadmodo balbutiendo id eſse profeſsos. Poſtquam enim expoſuit controverſiam de una, vel duplici in Chriſto volũtate & operatione, inquit: *Niſi fortaſſis, ſicut præfati ſumus, quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condeſcendentes ad informandas mentes atque intelligentias parvulorum, quæ ad Eccleſiaſtica dogmata trahi non debent.* Indeque rurſus infert, voces geminæ voluntatis & operationis, utpote *novas*, & *recenter inductas*, Eccleſiæ ſcandala minari, nec eſse inter fideles introducendas. Et tamen certum eſt, Sanctos Patres, non *balbutiendo*, ſed apertè definiendo, nec *ad informandas mentes parvulorum*, ſed ad erudiendos ſapientum intellectus, geminas in Chriſto prædicaſse cum voluntatibus operationes, & conſequenter hujuſmodi voces, nec eſse *novas*, nec *recenter* in Eccleſiam *inductas*, ſed cum ipſis Eccleſiæ Patribus antiquiſsimis ortas eſse. Certè unus Sophronius ſexcentas protulit Patrum ſententias, & tam Concilium Lateranenſe ſub Martino primo, quàm Sextum Concilium generale plurimas etiam repræſentant. Nimio etiam contemptu proceſsiſse videtur Honorius in hac graviſsima controverſia, ex quâ pendebat firmitas Concilii Calchedonenſis & everſio Apollinariſtarum, Eutychianorum & aliorum hæreticorum, qui tunc in Oriente Eccleſiam lacerabant: manſiſse enim in Chriſto poſt unionem duas voluntates & operationes appellat *leve*, *ineptum*, *otioſum* & *grammaticale*. Hæc ejus verba jam ſupra recitata: *Unius operationis, vel duarum eſſe, vel fuiſſe Mediatorem Dei & hominum Dominum Jeſum Chriſtum, ſentire ac promere ſatis ineptum eſt.* Et rursùs: *Utrum præter opera divinitatis & humanitatis geminæ operationes debeant derivatè dici vel intelligi, ad nos iſta pervenire non debent, relinquentes ea grammaticis, qui ſolent parvulis exquiſita derivando nomina vendicare.* Atque demum veritatem indagantes de una vel gemina in Chriſto voluntate, *vanos* appellat *naturarum ponderatores*, *otioſè negotiatores*, &c.

XXX. *Nimia fuit Honorii PP. levitas.*

Neque etiam *ineptum* dici poteſt, quod omnes Sancti Patres docent, & Orthodoxis prædicant ubique prædicandum: & prætereà Sophronius, Joannes, Martinus, Maximus, Agatho, aliique ſexcenti Orthodoxi Sacerdotes, tot labores, ac tot perſecutiones fruſtra pertuliſsent; cùm ſatis eſset *ineptum* & *leve* ex Honorii calculo id *ſentire* & *promere*, ob quod unicè tot ipſi labores obiere. Rurſus *grammaticale* dici non debuit, illud apertè profiteri, quod erat unicè

unicè

SÆC. VII. HONORIUS.

unicè neceſſarium ad defenſionem Concilii Calchedonenſis, & Epiſtolarum Sancti Leonis, atque ad auferendum probrum Eccleſię illatum per Conciliabulum Alexandrinum, de quo gloriabantur omnes hęretici. Demùm *otioſi negotiatores* nuncupandi non erant, qui tot incommoda laboreſque pertulere, ut innumeras emerent animas Chriſtianorum, quas Sergii, Cyri & aliorum hęreticorum tyrannica calliditas rapiebat. Multòque minus, ut *vanus* haberi debet *naturarum ponderator*, qui ad defenſionem Conciliorum & fidei exactam inſtituit Chriſti naturarum conſiderationem.

XXXI. *Nimia item ejus facilitas.*

Tandem nimia fuit Honorii facilitas, quam in ſuis Epiſtolis præfert, in aſſentiendo conſiliis Sergii, & in credendis calumniis multis, quas is in ſuis Epiſtolis confinxerat. Scribit Sergius extitiſse Sophronium omnium diſſenſionum auctorem: id Honorius non ſolùm non arguit, ſed ulterius videtur comprobare. Confinxit Sergius in eadem ad Honorium Epiſtola, libellos quoſdam Mennę ad Vigilium Papam, in quibus una prędicabatur in Chriſto voluntas & operatio, quos etiam ubique locorum promulgavit, uti S. Maximus aperuit in Dialogo cum Pyrrho. Et tamen Honorius neque impoſturam detexit, neque abſtulit hujuſmodi probrum, quâ Vigilio, quâ Sedi Romanę inflictum. Imò altum de hoc ſilentium in Honorianis Epiſtolis: unde quod ſcribendo retundere tenebatur ex officio, viſus eſt comprobare ſilendo. His adde facilitatem, quâ ſimilem Sergii calumniam in Sophronium adinventam deglutivit, quòd ſcilicet Sophronius, etiam rogatus, nec unum exhibere potuerit Patrum teſtimonium pro gemina in Chriſto voluntate; cùm hoc non ſolùm falſum eſſet, ſed prorſus improbabile, ut nempe ſimplex Monachus Patriarchis & Epiſcopis, nullo munitus aut ſacræ Scripturæ, aut Patrum teſtimonio acriter obniteretur. Quid plura? Affirmat Sergius neminem ex Patribus prædicaſſe duas in Chriſto voluntates: id & Honorius affirmat. Aſſumit ille quod ex determinatione hujus controverſiæ naſcerentur ſcandala: hoc & aſſumit Honorius. Inculcat Sergius ut aptam ſilendi œconomiam: hanc ut optimam confirmat Honorius. Illam Sergius ſtudet perſuadere Sophronio: hanc eamdem conatur Honorius Sophronii Legatis perſuadere. Miſcet ille in ſuis Epiſtolis multa fidei contraria: hæc nullatenus impugnat Honorius. Rapit Sergius, ut hęreſis fautorem ſanctiſſimum Leonem: hoc Honorius nullatenus arguit. Movet Sergius bella in Orthodoxos: Sergium laudat Honorius. Quid inde mirabimur, ſi Patres Sextæ Synodi aſſerunt, quòd Honorius eadem ſenſerit quod Sergius; & Leo ſecundus affirmavit, quòd flammam hæretici dogmatis negligendo confoverit, ut inquit Auctor Anonymus Hiſtoriæ Monothelitarum Scrutinio 8, qui tamen Scrutinio quinto vindicat à quacumque hæreſeos ſuſpicione Honorianam Epiſtolam, quæ legitur damnata in Sexta Synodo Actione 12, necnon fragmenta alterius, quæ pariter afferuntur Actione 13 ejuſdem Synodi, oſtenditque Honorii doctrinam Catholicam eſſe, longeque alienam à Monotheliticis deliramentis, hoc eſt, ut loquitur Sanctus Maximus in Epiſtola ad Marinum, *Honorium Romanum Papam non diffiteri naturaliter in Chriſto voluntatum dualitatem, ſed hanc potius conſtabilire.* Is enim offenſionis & ſcandali lapis eſt, in quem impingunt quotidie unà cum hæreticis haud ignobiles Catholici; cùm tamen numquam Honorius Monothelitis conſenſerit, ſed tantùm hæreſeos fotæ, & inconſultæ diſſimulationis reus fuerit. De ejus Oeconomia vide dicenda in Theodoro Papa, ubi & de Typo Conſtantis Imp.

XXXII. *Maronitis conſecrat Patriarcham Monothelitis adverſantem.*

Luculentum rectiſſimæ fidei Honorii Papæ teſtimonium exhibet Fauſtus Naironus in Diſſert. de Origine ac Religione Maronitarum num. 14, & ſeqq. Cùm Maronitę petiiſſent à Romano Pontifice, ut eis proprium præficeret Patriarcham, ut in fine Pontificatûs Siricii diximus, Pontifex Joannem Monachum Monaſterii Sancti Maronis, qui ob egregia in hæreticos facinora dictus eſt alter *Maro*, Patriarchali dignitate inſignivit. Hæc autem contigiſse Honorio primo Eccleſiam regente legitur in Hiſtoria Arabica, quam latinè refert Quareſmius lib. Dilucidationis Terrę Sanctę cap. 35. *Et profectus* (ſcilicet prędictus Joannes dictus Maro) *Tripolim Syriæ Civitatem, ibi offendit Nuncium Papæ Honorii; cumque Nuncius adventum Maronis intellexiſſet, illum accerſivit, ut de illius fide periculum faceret, ad quem cùm acceſſiſſet, & propoſitis appoſitè reſpondiſſet, in fide & profeſſione ſua apprimè verſatum inventum, ſecum Romam duxit. Romam cùm perveniſſet, propter Maronem fuit ibi Concilium congregatum, in quo Maronis fide examinata, vera inventa fuit; tunc Pontifex illum Antiochiæ Patriarcham* (nempe Maronitarum) *ordinavit, mitram in capite ejus poſuit, in manu paſtorale, & in digito annulum, habitu Patriarchali indutus venit Antiochiam, ibique hæreſes à Macario diſſeminatas avulſit, & illi adhæſerunt Jacobitæ ibidem exiſtentes, qui confeſſi ſunt in Chriſto duas naturas, ac duas voluntates.* Confirmatur hęc hiſtoria ex alio codice MS. à Fauſto Nairono in Syria lecto, qui latinè redditus habet: *Profectus eſt cum Legato Papæ Romam* (ſcilicet Joannes Maro) *illumque excepit Pontifex, qui erat Honorius, & propter ejus fidem orthodoxam, illum An-*

Digitized by Google

Antiochiæ Patriarcham creavit, eumque miſit in Syriam, quem gaudio magno populi Montis Libani exceperunt, & Antiochiæ & Tripolis Syriæ aliqui ex Jacobitis eum ſecuti ſunt, ac in Chriſto Domino noſtro Jeſu Chriſto duas naturas, ac duas voluntates profeſſi ſunt. Cùm itaque Honorius non ante conſecraverit Joannem Maronem Patriarcham Maronitarum, quàm hic profeſsionem fidei emiſerit, in qua non ſolùm duas naturas, ſed etiam duas voluntates in Chriſto faſsus eſt, nihil clarius adduci poteſt ad probandam Honorii orthodoxiam, & rectam fidem. Plura hac de re idem Naironus, & ex eo Auctor Criticæ Baronii ad annum 635, ubi & num. 13 ait, à tempore Innocentii III Moronitarum Patriarcham in Bullis Apoſtolicis appellatum reperiri *Patriarcham Antiochenum Maronitarum.*

XXXIII. *Moritur.* Obiit tandem Honorius Papa die duodecima menſis Octobris anni ſexcenteſimi trigeſimi octavi poſtquàm, ut habet Anaſtaſius, ſediſset *annos duodecim, menſes undecim, dies ſeptemdecim*, tam dię ordinationis, quàm mortis, aut ſepulturæ, ut ſæpè fit, in ſummam collato, ex quo manifeſtum fit nos juxta mentem Anaſtaſii ordinationem ejus rectè conjunxiſse cum die 27 Octobris anni 625, cùm, eodem teſte, obierit & ſepultus ſit in Baſilica B. Petri Apoſtoli *ſub die quarto Idus Octobris.*

XXXIV. *Ejus in Eccleſiam munificentia.* De Honorii erga divinum cultum reverentia in diſponendis rebus Eccleſiaſticis, atque munificentiâ in ædificandis, ornandis, dotandiſque Eccleſiis multa admiranda apud Anaſtaſium inveniuntur. Omnem enim propè Clerum renovavit, Baſilicam B. Petri tegulis æneis, ex Jove Capitolino ſumptis, cooperuit, Altareque S. Petro argento incruſtavit, multis aliis additis ornamentis. Ædem S. Agnetis martyris à ſolo refecit. Ædem S. Pancratii Viâ Aureliâ reſtituit: Templum quoque Anaſtaſii ad Aquas Salvias: Templum Quatuor Coronatorum Martyrum: Templum S. Severini, apud urbem Tiburtinam magnificentiſsimi operis ædificavit, & argento, auro, porphyreticis & marmoreis lapidibus incruſtatione parietum, opere tectorio, vermiculatoque exornavit. Reſtituit etiam cœmeterium SS. Marcellini & Petri: multas alias Eccleſias reſtituit, & multas de novo conſtruxit, primuſque inſtituit, ut unoquoque ſabbato à S. Apollinari ad S. Petrum iretur cum Litaniis. Sed mirabilius planè eſt, quòd ejus Epitaphium & vetus alia inſcriptio à Caniſio Tomo 6 Antiq. Lect. relata teſtantur, ipſum nempe extinxiſſe ſchiſma Iſtriæ de Tribus Capitulis, quæ laus non eſt minima. Sed cùm in S. Gregorio probaverimus ſchiſma illud duraſſe uſque ad Sergium Papam, vel ſub Honorio omninò ſopitum non eſt, vel ſchiſmatici iterum poſt Honorii mortem lapſi ſunt.

XXXV. *Ejus Opuſcula.* Extat Tom. 8 Bibliothecæ Patrum Epigramma *de Apoſtolis in Chriſti ad Cœlos Aſcenſione obſtupeſcentibus*, ipſi tributum, niſi quis, inquit Baronius, fortè illud magis tribuendum putaverit Venantio Fortunato, qui & Honorius dictus reperitur. Honorii Papæ Opuſcula promiſerat Joſephus Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis, cum Vita & Vindiciis ex Apibus Urbanis Leonis Allatii, ut refert Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia, ſed utrum ea in lucem emiſerit, mihi incompertum.

SEVERINUS *Pontif. LXXIII.*

Anno Domini DCXL.

I. *Severinus poſt longum interpontificium ordinatur.* MOrtuo Honorio Papa *ceſſavit Epiſcopatus annum unum, menſes ſeptem, dies decem & ſeptem*, inquit Anaſtaſius. Severinus itaque natione Romanus, ex patre Labieno conſecratus eſt Pontifex Romanus anno ſexcenteſimo quadrageſimo, & quidem die vigeſima octava menſis Maii, in quam Dominica cadebat. Tandiu dilatæ ordinationis cauſam reiicit Baronius in negatam confirmationem ab Exarcha Ravennatenſi, & ab Imperatore, donec Electus *Ecthesim*, de qua mox, approbaſſet. Id colligit Baronius ex Epiſtola Cyri Alexandrini Epiſcopi ad Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quâ ſignificatur Imperatoris Ecthesis, per Iſaacum Patricium & Exarcham Italiæ deſtinata, *quam profiteri deberet*, inquit Cyrus; *communis frater noſter Severinus Sanctiſſimus, Deo adjuvante, qui creatur Romæ*, ubi non dicit *qui creatus eſt* ſed *qui creatur*, nondum ſcilicet confirmata electione, ſed veluti ſuſpenſa ſub nutu Imperatoris. Extat ea Epiſtola in Concilio Lateranenſi ſub Martino Papa Secretario III.

II. *Cauſa tam longi interpontificii.* Certa videtur hæc Baronii conjectura. Sirmondus enim ſæculo ſuperiori, poſt mortem Baronii, Collectanea Anaſtaſii Bibliothecarii publicavit, in quibus recitatur Epiſtola Sancti Maximi Abbatis ad Abbatem Thalaſsium, ex qua diſcimus, Severino in Pontificem Romanum electo, Conſtantinopolim miſsos eſse *in cauſa promotionis Papæ cum delatis decretis Apocriſarios*, & Clerum Conſtantinopolitanum eiſdem ſignificaſse, illos confirmationem, quam

 pete-

Digitized by Google

SÆC. VII. SEVERINUS. petebant, non obtenturos, niſi promitterent Clerum Romanum Ectheſi ſubſcripturum: *Protulerunt eis* (idelt Eccleſiaſtici Conſtantinopolitani) *dogmaticam chartam nunc ab eis expoſitam, aſſerentes non aliter vobis in Capitulo, pro quo tantùm tranſigentes navigium huc veniſtis, favorem præſtavimus, niſi prius vos ſuaſuros ei, qui ſacroſanctus eſt, profiteamini, huic chartæ ſubſcribere, & dogmatibus, quæ in ea continentur, exceptis dilationibus conſentire.* *Addit* Sanctus Maximus in eadem Epiſtola, Legatos commento Græcos eluſiſse, ac promiſiſse, delaturos ſe ad Electum Pontificem *Ectheſim*, & rogaturos, ut ei ſubſcriberet: quo pacto juſsionem, quam petebant Apocriſarii, obtinuerunt ab Imperatore.

III. Expilatur Patriarchium Lateranenſe. Durante interpontificio Iſaacus Patricius & Exarcha Italiæ, & Mauricius Chartularius conſilio inito cum quibuſdam perverſis hominibus Patriarchium Lateranenſe expilarunt, incitantes, inquit Anaſtaſius, *exercitum Romanum, & dicentes: Quia nihil prodeſt quòd tantæ pecuniæ congregatæ ſunt in Epiſcopio Lateranenſi ab Honorio Papa, & miles iſte nihil exinde ſubventus habet, dum & rogæ veſtræ, quas Domnus Imperator vobis per vices mandavit, ibi ſunt à ſancto viro reconditæ.* Quo prætextu uſi ſunt ad incitandos milites ad deprædationem. Licèt autem idem Anaſtaſius aſserat Iſaacum *ex parte ex ipſa ſubſtantia in civitatem Regiam ad Heraclium Imperatorem* miſiſse, nihilominus Combefiſius in Hiſtoria Hereſis Monothelitarum Diſput. 1 paragr. 11, & 12 autumat hanc Lateranenſis Patriarchii expilationem Heraclio Imperatori attribuendam non eſse; cùm vix poſsit intelligi, ut vel Sergius, vel Heraclius, qui Catholicorum ambirent nomen, ac Catholici hactenus habiti eſsent, multâque reverentiâ in Honorio habuiſsent Romanam Sedem, ſic malè de ea in Severino mereri voluerint.

IV. Ectheſis Heraclii Imp. promulgatur. Paucis nunc aperiendum in quo conſiſteret Imperatoris Ectheſis, à quo, & quo anno compoſita, & publicata. Sergius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ad hæreſim Monothelitarum latiùs evulgandam compoſuit *Ectheſim*, ſeu fidei formulam & expoſitionem, in qua dici prohibebatur impoſterum cùm una, tum duplex in Chriſti diſpenſatione operatio, licèt interim in ea diſertè aſseratur in Chriſto una tantùm voluntas, tanquam doctrina ſanctorum omnium Patrum. Extat ea in Concilio Lateranenſi ſub Martino Papa Secretario 3, & apud Baronium anno 639. Eam Sergius non ſuo, ſed Heraclii nomine vulgandam curavit, ut majores hac arte tumultus in Eccleſia excitaret, majorem hoc nomine ipſi conciliando apud Palatinos Clericos, & apud populos auctoritatem. Ectheſi enim nomen Heraclii præfixiſse Sergium docet idem Martinus Papa loco laudato. Verùm Ectheſim, non anno 639, ut hactenus ab omnibus creditum fuerat, ſed anno 638 publicatam, & quidem *indictione duodecima*, ut S. Martinus Secretario primo Concilii Lateranenſis ait, quæ eo anno Kalendis Septembris inchoata erat, ex eo probat Auctor Baronianæ Criticæ, quòd Sergius pſeudo-Synodum Conſtantinopoli coegerit ad eam confirmandam, & tamen mortuus eſt menſe Decembri anni 638, ut idem Auctor fusè probat ad annum 639 num 8. De illo Conciliabulo, ſicuti & de altero à Pyrrho ejus ſucceſſore celebrato, mox agemus ad ſubſequentium clariorem notitiam.

V. Damnatur à Severino PP. Impia itaque illa Ectheſis ad Severinum Romanum Pontificem electum miſſa fuerat, ut ei ſubſcriberet. Verùm ſpe ſua ceciderunt Monothelitæ; non ſolùm enim Severinus ei non ſubſcripſit, verùm etiam eam reprobavit, ut colligitur ex teſtimonio Martini I in eodem Concilio Lateranenſi Secretario 3, & liquet ex libro diurno Romanorum Pontificum, in quo cap. 3 tit. 6 recitatur profeſſio fidei, quæ à Romano Pontifice emitti ſolita erat ante Sextam Synodum generalem. In ea enim fidei profeſſione dicitur: *Profitemur etiam cuncta decreta Pontificum Apoſtolicæ Sedis, ideſt, ſanctæ recordationis Severini, Joannis, Theodori, atque Martini cuſtodire; qui adversùs novas quæſtiones in urbe Regia exortas, & pro propria doctrin. uncta zizaniorum ſcandala amputaſſe noſcuntur, profitentes, juxta duarum naturarum motum, ita & duas naturales operationes, & quæcumque damnaverunt, ſub anathemate damnamus: quæque ſuſceperunt, ſuſcipimus, & tota fidei integritate veneramur.*

VI. Et quidem in Synodo. Baronius, Combefiſius laudatus, & alii exiſtimant Severinum non congregaſse Synodum adversùs Monothelitas, quòd breviori tempore ab adepto Pontificatu vixerit, ideòque Joannem IV proſcriptæ & reprobatæ Synodicè hujus hæreſeos gloriam primum retuliſſe. Verùm non viderant illi citam fidei profeſſionem, ex qua Synodum à Severino, ut jure publico in Ectheſim decerneret coactam eſſe colligitur. Cùm enim promitterent Pontifices Romani ſe decreta a Severino, Joanne, ac Theodoro adversùs Monothelitas edita ſervaturos, manifeſtum eſt ea in aliquo Concilio condita fuiſſe. Neque obſtat breve temporis intervallum, quo Severinus ſedit, cùm Joannes IV ejus ſucceſſor, qui die 24 Decembris anni 640 Pontifex Romanus creatus eſt, ante mortem Heraclii, quæ die 11 Februarii anni 641 contigit, Monothelitas Synodicè confoderit. Joannes quidem Garnerius

Digitized by Google

nerius in Notis ad laudatam fidei profeſſionem autumat Severinum decretum ediſſe, quo eam hæreſim condemnaret, & anathematizaret; Joannem verò Theodorum, atque Martinum Conventus Epiſcoporum adversùs eamdem coegiſse. Verùm fruſtra recurritur ad diſtinctionem, ubi nulla in fidei profeſſione exprimitur. Ac denique fruſtra dicitur Theophanem meminiſſe tantùm Synodorum à Joanne, Theodoro & Martino Romanis Pontificibus convocatarum; cùm Anaſtaſius Synodi à Joanne IV celebratæ nullam mentionem faciat, & argumentum negativum nullo alio ſuffultum nullius ſit ponderis, ut ait Criticæ Auctor laudatus num. 4 & ſeq.

VII. *Confirmatur in duabus Pſeudo-Synodis Conſtantinop.* Porrò Sergius hanc Ecthesim in Conciliabulo Conſtantinopolitano, anno, ut diximus, 638, quo mortuus eſt, congregato, confirmavit, & ſub anathemate ſuſcipiendam ſanxit. Pyrrhus Chryſopolitanus Monachus & Presbyter, ejuſdem aſſertor & defenſor hæreſeos in Sergii locum ſubſtitutus eſt menſe Januario anni 639. Is, ubi Epiſcopatum adeptus eſt, Conciliabulum etiam Conſtantinopoli collegit, & *ea quæ à Sergio, & Cyro Phaſiano decreta fuerant, corroboravit*, inquit Auctor libelli Synodici. Ipſemet Pyrrhus in fine Dialogi cum Sancto Maximo habiti innuit, ſe ad confirmandam Ecthesim Synodum illam hæreticam celebraſse. Cùm enim Maximus conſuluiſset, ut anathemate percuterentur Monothelitica dogmata, reſpondit Pyrrhus: *At ſi hoc fiat, reperientur cum his ſimul ejecti Sergius & Synodus, me Patriarchâ, habita*. Max. *Subit me admiratio, quomodo Synodum vocas, quę non eſt habita, ut leges & canones Synodici, & jura Eccleſiaſtica jubent: nec enim Epiſtola Encyclica ex conſenſu Patriarcharum edita eſt, neque locus, neque dies conveniendi decretus*. Quæ de Synodo Pyrrhi, non verò Sergii ſunt intelligenda. *Hujus* Conciliabuli Pyrrhi quædam fragmenta exhibet Concilium Lateranenſe Secretario 3, ubi inter alia hæc referuntur à Pyrrho ſcripta: *Curavimus, Deo donante, & ad eos, qui abſentes ſunt, apud nos geſta cum Encyclica deſtinare Epiſtola, quatenus & eorum unuſquiſque per ſuam ſimiliter ſubſcriptionem eidem Orthodoxæ prædicationi* (ſcilicet Ecthesi confirmationi) *conſentiat, & ſuam per ſubſcriptionem præcedentibus conjungat mentem*. Referuntur etiàm ibidem Secretario IV, quæ Pyrrhus pro Cyro excuſans ſcripſiſſet, & poſtea ſubditur: *Ergo hanc Ecthesim Sergius & Pyrrhus per propria monumenta confirmantes, quatenus multò amplius dogmatum ſuorum viciſſim oſtendant ubique omnibus deſtructionem, ut noſtris, hæc allocuti ſunt* & reliqua Tom. 6 Concil. editionis Labbei pag. 214 & ſeq. legenda.

VIII. *Severinus PP. mortalitatem explet.* Severinus poſt damnatam in Synodo Ecthesim non diù ſupervixit, nam cùm ſediſſet, ut ſcribit Anaſtaſius, *menſes duos, dies quatuor*, ſepultus eſt, Pontifex ſingulari pietate, & religione, benignitate & munificentia in pauperes commendatiſsimus, *ſub die quarto Nonas Auguſti*. Eamdem illi Sedis durationem attribuunt omnia exemplaria Anaſtaſii tam vulgata, quàm MSS. Hermannus Contractus, Regino, Luitprandus, Abbo & Honorius Auguſtodunenſis. Cùm itaque die vigeſima octava Maii anni ſexcenteſimi quadrageſimi ordinatus fuerit, obiit eodem anno die prima menſis Auguſti, poſtridie ſepultus.

JOANNES IV *Pontifex LXXIV.*

Anno Domini DCXL.

I. *Joannes IV ſuccedit Severino.* JOannem IV, natione Dalmatam, ex patre Venantio Scholaſtico, S. R. Eccleſiæ Diaconum, ordinatum eſſe Romanum Pontificem die 24 Decembris in Dominica anno ſexcenteſimo quadrageſimo conſtat ex Anaſtaſio, qui ſcribit eum ſediſſe *annum unum, menſes novem, dies decem & octo*, ac ſepultum eſſe *ad B. Petrum Apoſtolum ſub die 4 Idus Octobris*. Obiit itaque die 11 Octobris, cùm poſtridie ſepultus ſit; ſi autem retrocedas ab eo die ad 24 Decembris invenies *menſes novem, dies* 18. Ex quo ſequitur interpontificium poſt mortem Severini non fuiſſe menſium quatuor & dierum viginti novem, ut per errorem librariorum in Anaſtaſio legitur, ſed menſium quatuor & dierum viginti quatuor, ut legitur in Orderico lib. 2, & in duobus exemplaribus MSS. Anaſtaſii.

II. *Ante ordinationem ſcribit ad Scotos de Paſchate.* Cùm recepiſset Joannes IV, antequàm ordinaretur, Epiſtolam Scotorum ad Severinum ſcriptam, ad eos reſcripſit. Epiſtolam, quam refert Beda lib. 2 Hiſt. Eccleſ. Gentis Anglorum cap. 19, cujus hoc eſt exordium: *Scripta, quæ perlatores ad Sanctæ memoriæ Severinum Papam adduxerunt, eo de hac luce migrante, reciproca reſponſa, ad ea quæ poſtulata fuerant, ſiluerunt. Quibus reſeratis, ne diù tantæ quæſtionis caligo indiſcuſſa remaneret, reperimus quoſdam provinciæ veſtræ contra Orthodoxam fidem, nova ex veteri hæreſim renovare conantes: Paſcha noſtrum, in quo immolatus eſt Chriſtus, nebuloſa caligine refutan-*

tes, & quartâ decimâ Luna cum Habreis celebrare nitentes. Poſtquam illud literarum exordium retulit Beda, ſubdit: *Quo Epiſtolæ principio manifeſtè declaratur, & nuperrimè temporibus illis hanc apud eos hæreſim coortam, & non totam eorum gentem, ſed quoſdam in eis hac fuiſſe implicitos*.

III. *Britanni fidem è Græcia non receperunt.* Ex hac Epiſtola conſtat valde deceptos eſſe illos Angliæ Proteſtantes, qui Britannorum fidei prima rudimenta è Græcia, Aſiaque petiverunt, non alio argumento, quàm quia Britanni Aſiatico more Paſcha coluerunt, ab exordio naſcentis Eccleſiæ. Cùm enim anno 640, quo ea Epiſtola ſcripta, error ille novus apud Scotos à Romana Sede vocetur, & ab ipſo etiam Beda his temporibus exortus; conſtetque Britannos, poſt Scotos, hac in re erraſſe; planè falſum eſt, Britannos eo modo ſemper Paſcha celebraſſe. Deinde cùm Scoti ipſi Severinum Papam per literas monuerint, vitium illud in eorum Eccleſiam irrepere, ideòque ordinata legatione antidotum quæſierint, evidens eſt ſaniorem, meliorem, majoremque partem Scotorum, integram ſtetiſſe, ac in Romanæ Eccleſiæ unione, ut inquit Alfordus in Annalibus Eccleſiæ Anglo Saxonicæ ad annum 640.

IV. *Joannes ad Scotos etiam ſcribit de hæreſi Pelagiana.* Non ſolùm de Paſchate more Catholico celebrando, ſed etiam de reviviſcente Pelagiana apud eos hæreſi diligenter cavenda, in ea Epiſtola ſcripſit Joannes Papa ad Epiſcopos & Presbyteros Scotiæ; ait enim ibidem Beda: *Necnon & pro Pelagiana hæreſi [quam apud eos reviviſcere didicerat] cavenda ac repellenda, in eadem illa Epiſtola admonere curavit*. Et infra: *Expoſita autem ratione Paſchalis obſervantiæ, ita de Pelagianis in eadem Epiſtola ſubdunt: Et hoc quoque cognovimus, quòd virus Pelagianæ hæreſeos apud vos denuò reviviſcit: quod omnino hortamur, ut à veſtris mentibus hujuſmodi venenatum ſuperſtitionis facinus auferatur*, & cætera apud Bedam legenda. Epiſtola ſcripta eſt ab Hilaro Archipresbytero & ſervante locum ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Joanne Diacono & in Dei nomine Electo: item Joanne Primicerio, & ſervante locum ſanctæ Sedis Apoſtolicæ; & Joanne ſervo Dei, Conſiliario ejuſdem Apoſtolicæ Sedis, qui omnes vacante Sede Eccleſiam Romanam regebant, ut dictum eſt in S. Gregorio num. 3 & ſeq.

V. *Ecthesim in Synodo damnat.* Joannes Papa, ſtatim ac Pontifex ordinatus fuit, Concilium Romæ coegit, in quo Monothelitarum hæreſim & Heraclii Ecthesim proſcripſit. *Hujus* Concilii meminit Theophanes ad annum Heraclii 20; quædam etiam ejus videtur eſſe mentio in Actis S. Maximi apud Baronium anno 640 num. 7. Sed Joannem Synodum iſtam congregaſſe, certò oſtendit profeſſio fidei, quæ à ſucceſſoribus ejus fieri ſolita erat, cujus verba in Severino num. 5 retulimus. In ea autem Synodo non videtur, Joannes Sergium, aut aliquem in particulari damnaſſe, ſed tantummodo dogmata. In Epiſtola enim, quam ſcripſit ad Conſtantinum Heraclii filium, appellat Sergium *reverendæ memoriæ Epiſcopum*, quod non dixiſſet, ſi memoriam ejus anathemate proſcripſiſſet, vel ſi ſemel animo damnationem illius concepiſſet. Id etiam colligitur ex Dialogo Sancti Maximi cum Pyrrho, ubi Sanctiſſimus Abbas, hæretico Patriarchæ medium quærenti, quo poſſet emendare errorem, & anteceſſorum famæ conſulere, reſpondit: *Alius non eſt modus, quàm taceri perſonas, & anathemate affici talia dogmata*. Joannes itaque IV perſonis anathema non dixerat.

VI. *De hac damnatione ſcribit ad Pyrrhum CP. Epiſc.* Synodus hæc ipſo anni 641 initio coacta eſt; poſtquam enim in ea Joannes damnavit Ecthesim, ea de re ſcripſit ad Pyrrhum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ut conſtat ex Epiſtola, quam Heraclius ante mortem ſuam, quæ die 11 Februarii ejuſdem anni contigit, ad Joannem Papam ſcripſit. Cùm enim Sergius Ecthesim non ſuo, ſed Heraclii Imp. nomine vulgaſſet, hic ſentiens, quòd in vituperium ejus in Occidente quidam prorumperent, per Epiſtolam ad Joannem Papam liberum ſe fecit ab Eccleſiæ querimonia, ſcribens: *Ecthesis*, inquit, *non eſt mea: neque enim ego vel dictavi, vel juſſi ut fieret. Sed cùm hanc Sergius Patriarcha compoſuiſſet ante quinque annos, priuſquam ab Oriente repedaſſem, deprecatus eſt me, cùm ad hanc felicem pervenissem urbem, ut nomine meo proponeretur cum ſubſcriptione: & ſuſcepi deprecationem illius. Nunc verò cognoſcens, quòd quidam ſuper ea altercarentur, cunctis facio manifeſtum, quia non eſt mea. Hanc fecit juſſionem ad Beatum Joannem Papam condemnantem Ecthesim in his, quæ ſcripſerat tunc ad Pyrrhum*. Ex quo & conſtat Joannem Papam ipſo ſui Pontificatûs initio ad Pyrrhum ſcripſiſſe de damnata à ſe in Synodo Ecthesi, alioquin Joannis Epiſtola ad Pyrrhum non perveniſſet ante Heraclii mortem.

VII. *Pro Honorio PP. Apologiam ſcribit.* Scripſit & Joannes Papa ad Conſtantinum, qui Heraclio Patri in Imperium ſucceſſerat, Epiſtolam, ſeu potius Apologiam pro Honorio Papa, recitatam in Collectaneis Anaſtaſii, in qua ait: *Quantum ex diverſis ſuggeſtionibus, quæ ad nos catervatim venerunt, quin imo & ex ipſo quoque auditu didicimus, omnes Occidentales partes ſcandalizatæ turbantur, fratre noſtro Pyrrho Patriarcha per literas ſuas huc atque illuc tranſmiſſas, nova quadam & præter regulam fidei prædicante, & ad proprium ſenſum, quaſi Sanctæ memoriæ Honorium Papam deceſſorem noſtrum attrahere feſtinante, quod à mente Catholici Patris erat penitus alienum*. Et poſtquam Honorii doctrinam or-

Digitized by Google

orthodoxam fuiſſe oſtendit, invehitur in Ecthesim & imperatorem rogat, ut eam è locis publicis, in quibus eſt ſuſpenſa, depoſitam ſcindi jubeat.

VIII. *Ad ejus petitionem Conſtans Imp. Ectheſim comburi jubet.*

Quid reſponſum fuerit huic Epiſtolæ, & quid de Ectheſi factitatum fuerit, nos edocent Annales Eutychii Patriarchæ Alexandrini Oxoniæ à non multis annis publicati, ubi Eutychius Tom. 2 pag. 335 integram Conſtantis Imperatoris, Conſtantino patre ejus jam mortuo, Epiſtolam ad Joannem, vel ſaltem ſummam Epiſtolæ refert, cujus initium eſt: *Accepimus ſancte, excellens mandatum tuum*, &c. Quod voluerat Joannes IV deturbari è valvis Ectheſim & dilacerari, mandatum executioni ſcribit Conſtans: *Atque illud*, inquit, *quòd de charta comburenda, in qua calumniæ eſſent in Leonem Patriarcham Romanum ſanctum, & in Concilium Calchedonenſe, ratum habuimus, ſipſamque igni tradidimus*. Scripſerat enim Joannes ſubſcribentes huic chartæ ſive Ectheſi, ſubſcribere *contra Tomum B. memoriæ Papæ Leonis & Calchedonenſem Synodum*, quia nempe per eam Monothelitæ Synodum Calchedonenſem deſtruere volebant. Verum quidem eſt, Eutychium hanc ad Joannem Epiſtolam, non Conſtanti ſed Conſtantino Pogonato ejus filio attribuere; ſed refellitur ex Epiſtola Theodori Papæ ad Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum recitata in Collectaneis Anaſtaſii pag. 50, ubi ait: *Cùm ea, quæ à Pyrrho adverſùs Apoſtolicam fidem noſtram ad ſubverſionem Synodalium decretorum prolata ſunt, tam per dogma Sedis Apoſtolicæ, quod expoſitum eſt à prædeceſſore noſtro, quàm per juſſionem filii noſtri manſuetiſſimi Principis deſtructa ſunt: quam ob rem fraternitas tua à publicis locis chartam, quæ ſuſpenſa pridemque caſſata fuerat, non abſtulit*. Quæ verba Conſtanti conveniunt, non verò Conſtantino Pogonato, qui longe poſt mortem Theodori dictus eſt Imperator.

IX. *Joannes diſſidium inter Clericos, & Monachos dirimit.*

Cùm diſſidium ortum eſſet inter Clericos & Monachos, Clericis ægrè ferentibus Eccleſias Monachis ab Epiſcopis conceſſas, per Presbyteros ab ipſis Monachis inſtitutos & præpoſitos regi, Joannes Papa diſſidium illud ſedavit, & ſecundùm Monachos judicavit, datâ ad Iſaac Syracuſanum Epiſcopum Epiſtolâ, cujus hæc verba notanda ſunt: *Conſilio multorum fratrum diligentiſſimè exquiſito decernimus, ut amodò Eccleſiæ Monachis traditæ per ſuos Sacerdotes inſtituantur. Divinæ enim leges habent, & ſæculares, ut cujus eſt poſſeſſio, ejus fiat inſtitutio. Etſi in dando quod majus eſt, facilis fuit charitas, ſit facilior in concedendo quod minus eſt ſancta largitas. Majus enim fuit poſſeſſionem dare, quàm ſit veſtituram concedere. Quomodo autem poſſeſſoris jura cognoſcentur, & ſuorum ſibi tributa reddentur, ubi quod ſuum eſt per alterum datur, & cum voluerit aufertur!*

X. *Captivos redimit, & SS. Reliquias Romam transferri curat.*

Joannes Papa, teſte Anaſtaſio, per omnem Dalmatiam ſeu Iſtriam multas pecunias, ex theſauris, quos Iſaacus Exarchus, ut in Severino diximus, dilapidaverat, reliquas, per fideliſſimum & ſanctiſſimum Martinum Abbatem miſit, propter redemptionem captivorum, quos deprædati erant Gentiles. Timens autem, ne Sanctorum Reliquiæ in Dalmatia patria ſua, à barbaris hoſtibus incumbentibus diſſiparentur, Sanctorum Martyrum Venantii, Anaſtaſii & Mauri Reliquias de Dalmatia & Iſtria adduci præcepit, teſte eodem Anaſtaſio, & recondidit eas in Eccleſia Lateranenſi, in peculiari Oratorio, quod in ipſorum honorem conſtruxit juxta baptiſterium Conſtantini, quod hactenus integrum perſeverat, quodque ab anno 1575 Virginis matris imagine miraculis ibi coruſcante, vulgo poſtmodum dictum eſt *la Madonna di S. Giovanni*, ut ſcribit Octavius Pancirolus apud Auguſtinum Oldoinum in Joanne IV.

XI. *Ad Deum tranſit.*

Tandem Joannes Papa cùm ſediſſet *annum unum, menſes novem, dies* 18, ut ſcribit Anaſtaſius, in Domino obdormivit die undecima menſis Octobris anni ſexcenteſimi quadrageſimi ſecundi, & *ſepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum ſub die 4 Idus Octobris*, ſeu die duodecima ejuſdem menſis. In duratione Sedis ejus Anaſtaſii textum purum eſſe ex eo deducitur, quòd Regino, Luitprandus, Ordericus lib. 2, & Catalogus Vaticano-Palatinus eamdem anni unius, menſium novem, & dierum decem & octo Sedis durationem ei aſſignent.

THEODORVS *Pontif. LXXV.*

Anno Domini DCXLII.

I. *Theodorus fit Papa.*

THeodorus, natione Græcus, ex patre Theodoro Epiſcopo, de civitate Jeroſolymitana, conſecratus eſt Papa die vigeſima quarta menſis Novembris in Dominica, anno ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, poſtquam ex Anaſtaſio, ceſſaſſet *Epiſcopatus menſem unum, dies* 13. Is ab Exarcha Ravennatenſi eò citius confirmatus eſt, quò Græcus natione erat; neque enim intra menſem unum, & dies tredecim, quibus ſedes vacavit, Conſtantinopolim de electione facta nuncium mitti

ti potuit, indeque Romam confirmatio.

II. *Pyrrho ſubrogatur Paulus in Sedem C'politanam.*

Pyrrhus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui, ut in Severino Papa diximus, anno 639, menſe Januarii in Sergii demortui locum ſubſtitutus fuerat, mortuo Heraclio Imp. & Conſtantino ejus filio ac ſucceſſore poſt quatuor imperii menſes eodem anno 641, Martinæ novercæ inſidiis ſublato, earum particeps exiſtimatus eſt teſte Zonara. Quare cùm imperium Conſtanti alteri Heraclii filio delatum eſſet, populus in Pyrrhum Patriarcham, gravi ſuſpicione conſpirationis in Conſtantinum cum Martina Auguſta initæ laborantem, commotus in ſacrarium irrupit. Quo tumultu perterritus Pyrrhus, pejoraque metuens, ſequenti nocte Templum ingreſſus eſt: ubi ſacra omnia exoſculatus, detractoque Pallio & in ſacra menſa depoſito, *non Sacerdotio*, inquit, *me abdico*, *ſed contumaci populo abrenuntio*. Id teſtatur S. Nicephorus in Chronographia. Inde opportunitatem nactus, navigavit Calchedonem, indeque trajecit in Africam. Id accidit *Menſe Octobri*, *indictione decima quinta*, ut ſcribit Nicephorus in Hiſtoria, ideoque anno 641, quo ideo eodem menſe Octobri, *Paulus majoris Eccleſiæ Oeconomus Patriarcha Conſtantinopolitanus eligitur Octobri menſe indictionis decimæ quintæ*.

III. *Synodicam ſuam ad Theodorum PP. mittit.*

Paulus, ubi Theodori Papæ electionem accepit, ita callidè ſe geſſit in texenda Synodica, quam ad eum ſcripſit, ut laudes ab eo fraudulenter extorſerit in Epiſtola, quam ad eum reſcripſit, quæ extat in Collectaneis Anaſtaſii, in qua Theodorus ait: *Quoniam fide hominum corda purgantur, lecti apices dilectionis veſtræ limpida fidei fluenta vos de fontibus Salvatoris hauſiſſe, & ſicut prædicamus prædicare, & quemadmodum credimus credere, & ſicut docemus indiminutè docere manifeſtarunt.* Videtur tamen Theodorus de Pauli fide dubitaſſe, eo quòd Ectheſim Heraclii, Monotheliſmi confirmatricem, à publicis locis non abſtuliſſet, ſubdit enim: *Quam ob rem fraternitas tua à publicis locis chartam, quæ ſuſpenſa pridemque caſſata fuerat, non abſtulit?* Qua de re gravem etiam ad eundem Paulum Epiſtolam ſcripſerunt Africani Epiſcopi, quæ refertur in Concilio Lateranenſi ſub Martino Papa Secretario II. Ægrè etiam tulit Theodorus Paulum ſubſtitutum Pyrrho canonicè non depoſito, & cui ſeditio popularis jus Sedis non abſtulerat, de quo graviter conqueſtus eſt, tum in dicta ad Paulum Epiſtola, tum altera ad ejus ordinatores data, quæ etiam extat in Collectaneis Anaſtaſii, in qua ait, ſe gaviſum quidem eſſe ſuper Pauli ordinatione, ſed debuiſſe Pyrrhum, qui ſanctis Dei Eccleſiis ſcandalum ſeminavit, canonicè prius animadverſioni ſummitti. Unde in priori Epiſtola ad Paulum Theodorus ait, ſe ab Imperatore per literas enixius popoſciſſe, *ut ſcilicet ſupradictum Pyrrhum ad hanc Romanam urbem jubeat mitti, quatenus Conventu Synodico à nobis effecto pro ſua temeritate judicetur.*

IV. *Pyrrhus à S. Maximo convictus hæreſim abjurat & Romam petit.*

Pyrrhus interim in Africa degens, famoſam illam anno 645 de fide Catholica diſputationem habuit cum Maximo Conſtantinopolitano Abbate Orthodoxo, in Africa tunc exiſtente. Cùm enim Pyrrhus hæreſim ſuam ubique diſſeminaret, adverſantem ſibi maximè habuit prædictum Maximum. Unde exigentibus Epiſcopis Africanis, ipſoque provinciæ Præfecto Gregorio Patricio, conventum eſt, ut iiſdem præſentibus, publica fieret inter eos de publicis controverſiis diſputatio, quam anno 645 contigiſſe, ipſe titulus Diſputationi præfixus nos edocet, dum dicitur acta *menſe Julio Indictione tertia*. Eam græcè & latinè refert Baronius in Appendice ad Tomum 8, eamque ex Theophane & Anaſtaſio fusè proſequitur ad eum annum. Finis autem Diſputationis fuit, ut Pyrrhus erroris ſui convictus, pœnitens recantarit palinodiam, Romamque accedens, oblato fidei libello Theodoro Papæ, quo abjurabat errorem, & fidem Catholicam profitebatur, receptus ſit unà cum titulo Patriarchatûs in Eccleſiam Catholicam, eidemque omnia neceſſaria Eccleſiæ Romanæ ſumptibus honorificè ſubminiſtrata, ut non ex Teophane tantùm & Anaſtaſio, ſed & ex Actis ipſius Diſputationis conſtat.

V. *Cyprii Epiſcopi Monotheliſmũ damnant.*

Paulus Conſtantinopolitanæ Sedis invaſor potuit ſanè brevi temporis intervallo venenum ebibitum comprimere pharmaco ſimulationis, verùm tumeſcente in dies conſcientia illud tandem vel invitus evomuit. Primi ejus accuſatores fuerunt Cyprii Epiſcopi cum Sergio eorum Archiepiſcopo, qui anno 643 in Concilio Congregati Synodalem Epiſtolam ad Theodorum Papam (quem *Patrem Patrum*, & *univerſalem Papam* nominant) de Monothelitarum hæreſi ab ipſis damnata ſcripſerunt. Hæc Epiſtola extat Secretario 2 Concilii Lateranenſis.

VI. *Stephanus Dorenſis fit Vicarius S. Sedis in Paleſtina à Theodoro PP.*

Eodem circiter tempore Stephanus Dorenſis Epiſcopus, à Catholicis Paleſtinæ Antiſtibus delegatus, Romam ſe contulit pro Eccleſia Jeroſolymitana, quam invaſerant pſeudo-Epiſcopi, iidemque conjuncti Paulo Conſtantinopolitano Monothelitarum acerrimo fautori. Qui quidem Stephanus à Theodoro Papa conſecutus eſt Apoſtolicæ Sedis in illis partibus Vicariam Præfecturam, quâ illorum omnium caput Sergium Joppenſem Epiſcopum Monothelitam intruſum in Sedem Jeroſolymitanam condemnaret & ab eo ordinatos Epiſco-

pos

Digitized by Google

pos gradu depoſitos in ordinem redigeret. Hæc conſtant ex ejuſdem Stephani libello oblato Martino Papæ in Concilio Lateranenſi.

VII. African. ad Theodorum PP. ſcribunt contra Paulum CP. Epiſcopum.

Ex alia parte quatuor Primates Africani, in ſingulis ſibi ſubjectis provinciis, nempe Byzacena, Numidia, Mauritania, & Proconſulari Synodos anno 646 convocarunt, ad confirmanda Catholica dogmata, quæ vidiſſent tam validè anno ſuperiori à Maximo Abbate contra Pyrrhum propugnata. Eorum Conciliorum monumenta recitata ſunt in Lateranenſi ſub Martino Papa Secretario 2, videlicet Synodalis Epiſtola à tribus ſimul ipſorum nempe Byzaceno, Numidico & Mauritano ad Theodorum Romanum Pontificem, ſcripta ea occaſione, quòd cùm iidem Patres Africani Conſtantinopolim eſſent Legationem ad Paulum ejus civitatis Epiſcopum Monothelitarum Principem commonendum miſſuri, de ea re prius ipſum Theodorum certiorem reddere voluerant, literiſque ſuis ad eum datis petierunt, ut ſua ad Paulum ſcripta per Apoſtolicæ Sedis Reſponſales ei redderentur, rogaruntque inſuper, ut niſi Paulus emendaret errorem, ab ipſo Romano Pontifice excommunicationis ſententiâ damnaretur. Non extant ipſæ Africanorum literæ ad Paulum ſcriptæ; ſed tantùm eæ, quas ſeparatim Patres Concilii Carthaginenſis Proconſularis provinciæ ad ipſum miſerunt, unà cum aliis Synodi Byzacenæ, eodem tempore ad Imperatorem ea de re ſcriptis, quæ legi poſſunt eodem Secretario 2 Concilii Lateranenſis.

VIII. Summa Apoſtolicæ Sedis auctoritas.

Porrò in dicta Patrum Africanorum ad Theodorum Papam Synodica dicunt Patres, ſe de ſua ad Paulum legatione Pontificem certiorem reddere voluiſſe, quod *antiquis regulis ſancitum eſſet, ut quicquid quamvis in remotis vel in longinquis poſitis ageretur provinciis, non prius tractandum eſſet, niſi ad notitiam almæ Sedis Apoſtolicæ fuiſſet deductum, ut ejus auctoritate juſta quæ fuiſſet pronunciatio firmaretur; indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diverſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manarent fidei ſacramenta ſalutis*.

IX. Theodorus PP. Paulum monet de hæreſi ejuranda.

Cernens igitur Theodorus Papa in unam eamdemque ſententiam univerſam Eccleſiam Africanam convenire, omneſque una voce in Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, tanquam in Monothelitam conclamare, mittit Apocriſarios Conſtantinopolim ad eumdem Paulum cum acerrimis literis, quæ, ut notat Baronius, ad nos non pervenerunt. Ita tamen factum fuiſſe literæ à Paulo ad Theodorum redditæ, à Baronio anno 646 recitatæ, teſtantur. Paulus in iis reſpondens Theodoro, eo ferè modo Monotheliſmum expoſuit, quo Sergius in Ecthesi, una disertè aſſerta voluntate, ad excludendam voluntatum in Chriſto contrarietatem, quòd unum erat velamen tacentium quidem unam expreſsè operationem, poſtquam Honorius unam dici vetuerat, unam verò profitentium voluntatem. In ea Epiſtola Paulus profitetur ſe ſequi Sergium, & Honorium, ac univerſum Sanctorum ac Doctorum cætum. Eâ acceptâ Theodorus de ſententia depoſitionis adversùs eum proferenda cogitavit, quam Africani Epiſcopi, ægrè ferentes Pauli in Eccleſiam molitiones, ſolicitabant.

X. Paulus Typum promulgat.

Sed Paulus, ut fidem inſidiosè vulneraret, ſibique jam Catholicis exoſo conſuleret, *Typum* quendam, ſeu fidei formulam & expoſitionem compoſuit, & ſub Conſtantis Imp. nomine promulgavit, quâ, ſimulato pacis atque unionis prætextu, ſilentium imponebatur, quâ Catholicis, quâ Hæreticis; ne ſcilicet impoſterum quis auderet, de una vel duplici in Chriſto, tum voluntate, tum operatione ſermones inſtituere. Duxit inſuper opportunum vir ſubdolus, Ecthesim ab Eccleſiæ valvis deponere, ut liquet ex his Typi verbis: *Ad perfectam unitatem ſanctarum Dei Eccleſiarum & communem concordiam, & ut nulla occaſio relinquatur iis, qui ſine fine volunt contendere, & chartas quæ poſitæ fuerant in narthica ſanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ hujus à Deo conſervandæ Regiæ noſtræ urbis, quæ continent prædictas quæſtiones, juſſimus levari*. Typum anno 548 promulgatum, conſtat ex Theophylacto Primicerio Notariorum Sedis Apoſtolicæ, qui in Concilio Lateranenſi Secretario 4 ita habet: *Secundùm juſſionem Beatitudinis veſtræ, Epiſtolam Pauli, & exemplar Typi, nuper, ideſt, tranſacto anno, per ſuſſionem ejuſdem Pauli expoſiti, præ manibus habeo*. Concilium autem Lateranenſe, ineunte Octobri anno 649 celebratum eſt. Conſtat etiam ex Relatione *motionis factæ inter Domnum Abbatem Maximum, & ſocium ejus, atque Principes in Secretario*, ex qua hunc locum refert Baronius: *Et per Typum, qui nuper, ideſt, per ſextam indictionem promulgatus eſt*, quæ indictio in curſu fuit uſque ad Kalendas Septembris anni 648.

XI. Typus Catholicis & quibuſdam Monothelitis invisus.

Conatum hunc à Paulo per Typum expreſſum, cæteris præcedentibus longè nequiorem agnoſcit Sanctus Martinus Papa in Epiſtola ad Sanctum Amandum tunc Trajectenſem Epiſcopum. Nec ſolis Catholicis hic ſenſus de Typo fuit: ſicut enim Ecthesis à Sergio compoſita, *non Orthodoxis tantùm*, ut loquitur Zonaras agens de Heraclio, *ſed Severi etiam ſectatoribus ridicula viſa eſt*; ita etiam Typus à Paulo conflatus, non tantùm Catholicis, verùm etiam à quibuſdam Monothelitis odio habitus. Unde Theodoſius Cæſarienſis in Collatione

cum

cum Maximo, *per Deum*, ait, *qui me judicaturus eſt, & quando factus eſt, dixi, & nunc id ipſum dico, quia malè & ad læſionem multorum factus eſt Typus*.

XII. *Omne Typi ſcelus in Paulum refunditur.*

Hæc autem impietatis conſilia non ita fidenter expoſuiſſet Paulus, niſi ſocium habuiſset Conſtantem Imperatorem, qui nihil non molitus eſt, quò Monotheliſmus undique vulgaretur. Hunc ergo Paulus nactus ſceleris ſocium, Typum expoſuit & Conſtantis nomine promulgavit, quemadmodum Sergius Ectheſin ediderat, Heraclii auctoritate & nomine firmatam. Non tamen abs re Patres Orthodoxi crimen omne in Typo expreſsum in Paulum refundebant, ne ſcilicet Conſtantis Imperatoris animus laceſsitus contumeliis, licèt ab ipſo meritis, pejora mala pareret Eccleſiæ. Unde Martinus Papa in Epiſtola ad eum data, appellat eum, *piiſſimum Dominum, diligentem Deum, ſincerum Chriſti Miniſtrum, optimum Imperatorem*. Quo pariter conſilio in Sexta Synodo idem Conſtans dicitur, *ſanctæ memoriæ Imperator*, ne videlicet Conſtantinus Pogonatus ejus filius, ob opprobria in parentem contorta, ſuſceptam fidei defenſionem deponeret, & fieret hoſtis Eccleſiæ, quem illa patronum prædicabat, & pacis Eccleſiaſticæ reparatorem.

XIII. *Honorii œconomia ſimilis œconomiæ Typi.*

Hic porrò ſe offert occaſio examinandi cum nupero Auctore Anonymo Hiſtoriæ hæreſis Monothelitarum, Honorianam ſilendi Oeconomiam, quæ ei ſimilis eſt, quæ præfertur in Typo. Ex Scrutinio itaque 7 hujus Auctoris pauca quædam hic ſelegi. Approbat Honorius & commendat in utriſque ſuis Epiſtolis conſilium Sergii de Silentio, quà Catholicis, quà Hæreticis adhibendo, cùm circa unam, tum geminas in Chriſto voluntates & operationes; quod etiam conatus eſt Sophronio perſuadere, ut apparet ex fragmentis ſuæ ſecundæ Epiſtolæ. Hanc ſilendi Oeconomiam quanto odio fuerint proſecuti in omni prorſus circumſtantia Patres Orthodoxi, qui viriliter obſtiterunt Monothelitis, argumento eſt damnatio Typi, in quo nihil invenies damnabile, ſi ſilendi diſpenſationem dempſeris: in hanc enim præciſè tendunt omnia fulmina contorta à Patribus in Typum, quem ea de cauſa præſertim anathematizarunt, quod *cum perfidis Hæreticis, & Orthodoxos Patres abjiceret, & cum ſceleroſum virorum vocibus, hoc eſt, una voluntate & operatione, pariter denegari faceret Orthodoxorum doctrinas, id eſt, duas ejuſdem Chriſti voluntates & operationes*, ut inquit S. Martinus in Concil. Later. Secret. 5, qui non minus abſonum arbitrabatur ſilentium in hoc puncto diſpenſare, quàm unam & duplicem à Chriſto expungere voluntatem & operationem. Non abſimili de cauſa S. Maximus in Collatione cum Theodoſio Epiſcopo Ceſareæ, ſilendi Oecconomiam in Typo expreſſam, Honorianæ ſimilem his verbis confodit: *Quis fidelis ſuſcipit diſpenſationem taceri facientem voces, quas dici per Apoſtolos & Prophetas atque Doctores Deus omnium diſpenſavit*. Unde ipſe etiam Typus ab eodem Theodoſio, licèt Monothelita, odio habitus eſt, ut num. 11 diximus.

XIV. *Duplex œconomiæ genus.*

Diſtinguendum autem eſt inter diſpenſationes & Oeconomias, quæ poſsunt in negotiis fidei adhiberi. Vel enim eæ cadunt ſupra perſonas, de quibus urget hæreſis ſuſpicio, vel ſupra fidei doctrinas. Et quidem, ſi de perſonis occurrat diſsenſio, non ita præcipitanter proſcribendus eſt ut hæreticus, qui apud Sedem Apoſtolicam, ut talis defertur: ac proinde prudentiſsimè poteſt ingeri diſpenſatio quædam & Oeconomia, qua protrahatur illius damnatio, donec intimius res eluceſcat. Quam diſpenſationem prudenter adhibuerunt Patres, qui Monotheliſmo naſcenti obſtiterunt: licèt enim erumpentem hæreſim illicò damnarint, perſonas incolumes ſervarunt ab anathemate, donec tandem ad acriora remedia deventum eſt, & per Martinum Papam Synodicè damnati ſunt Monotheliſmi fautores, Cyrus, Theodorus, Sergius, reliquique. Si verò de fidei doctrinis occurrat diſsenſio, longe aliter res procedit, quippe ſi veritas aliqua impugnetur, quæ apertè contineatur in omnibus ſanctis Patribus; quæque è ſacrarum Scripturarum, & ſanctorum Conciliorum fontibus ſatis effluat abundè, nulla tunc opus eſt Oeconomia, aut ſilendi diſpenſatione; ſed ſtatim per quos ſpectat eſt manifeſte definienda: niſi fortè à deceſſoribus definita reperiatur, quando præſertim liquet, his fraudibus Hæreticorum, præcipites agi in foveas eorum complures ex Orthodoxis. Hoc Pacto proceſſere veteres Patres, quando novæ hæreſes obortæ ſunt: quòd pluribus exemplis patefieri poſſet.

XV. *Excuſatio pro Honorii œconomia rejicitur.*

Nec juvat dicere ad excuſandam Honorii Oeconomiam, eam potuiſse laudabiliter ab Honorio induci, utpote in re adhuc indifferenti, cùm nulla tunc fuiſſet definitio Conciliorum, nullum Pontificum decretum, ſtatuens apertè duplicem in Chriſto reperiri voluntatem & operationem: quòd de Typo dici non poteſt, cùm ad illum præceſsiſſet Concilium Joannis IV hanc veritatem clarè definiens. Hoc, inquam, nihil juvat, quia nullibi Patres Monotheliſmi profligatores, ac præſertim Martinus Papa & Abbas Maximus Typi Oeconomiam ex eo impugnarunt, quòd per ipſam everteretur Concilium Joannis IV, ſed quia deſtrueretur doctrina S. Leonis Concilii Calchedonenſis, totius Scripturæ, atque omnium Patrum: quæ ratio militat etiam contra

tra

tra Honorii diſpenſationem; cùm & hæc ſubſequens fuerit ad Concilium Calchedonenſe & Epiſtolas Sancti Leonis; ac proinde in eaſdem labitur cenſuras, in quas impingit Oeconomia ſeu Typus Conſtantis Imperatoris.

XVI. Iterum fellitur. re- Deinde Typi Oeconomia ideo mordicus impugnabatur à Patribus, quòd ſilentium, unius aut duplicis voluntatis videbatur negatio: ſicque unanimiter exiſtimabant, tum Martinus, tum Maximus, tum reliqui Monothelitarum hoſtes, idem prorsùs eſſe definire, ne una vel duplex in Christo diceretur voluntas aut operatio, ac omnem penitus à Chriſto negare voluntatem aut operationem; quod abſurdum non magis præſumi debet ex Oeconomia Conſtantis, quàm ex Honorii diſpenſatione: quam ob rem, vel utræque abſolvendæ, vel ambæ erant damnandæ. Tertiò tandem non minus per Oeconomias Honorii, quàm per Typi diſpenſationes enervatur doctrina veterum Patrum, qui unanimiter & apertè aſſerunt, duas eſſe in Chriſto voluntates & operationes. Unde ſi Patrum auctoritates vehementer impulerunt Martinum Papam, & Maximum Abbatem, ut Oeconomiam Typi acerrimè inſequerentur, cur eædem Patrum auctoritates ſatis eſſe non potuerint, ut Honorianam Oeconomiam hæreticis, fomentum præbentem, ejecerint præſules Sextæ Synodi? Alias in favorem Honorianæ Oeconomiæ excuſationes refert & refellit idem Auctor Anonymus laudatus, quas hic repetere non vacat; eædem enim rationes quæ afferuntur ad excuſandam Honorii diſpenſationem, adduci etiam poſſunt ad defendendum Typum. Unde hæc ſatis ſint de Oeconomiis & diſpenſationibus, de quibus plura ibidem legi poſſunt.

XVII. Theodorus PP. Pyrrhum in Synodo Rom. damnat. Pyrrhus Conſtantinopolitanus olim Patriarcha, qui Romæ hæreſim ficté abjuraverat, ut Orthodoxæ fidei ſimulatione Theodorum Papam & Occidentales Epiſcopos ſibi conciliaret, eorumque operâ & auctoritate poſſet reſtitui, ad publicam hæreſeos profeſſionem rediit, cùm ipſi per Platonem Italiæ Exarcham patefacta eſſet via unionis cum Orientalibus, ut teſtantur Theophanes ad annum 20 Heraclii & Auctor libelli Synodici. *Pyrrhus*, inquit Theophanes, *cùm Româ diſceſſiſſet, & Ravennam perveniſſet, ut canis ad vomitum ſuum reverſus eſt. Quo Papa Theodorus comperto, convocato Eccleſiæ cœtu, ad Sepulchrum Principis Apoſtolorum acceſſit, & divino calice expoſtulato, ex vivifico ſanguine in atramentum ſtillavit, & ita propria manu depoſitionem Pyrrhi, ac ei communicantium fecit.* Iiſdem ferè verbis utuntur tam Paulus Diaconus Aquilegienſis in Hiſt. cap. 18, quàm Auctor libelli Synodici, & ſanguinis Chriſti ex calice in atramentum ſtillati meminere. Certum eſt itaque Pyrrhum in Synodo Romana anno 648 à Theodoro Papa congregata anathematis & depoſitionis ſententiâ percuſſum eſſe, Theophane, Paulo Diacono, & Auctore libelli Synodici teſtibus.

XVIII. Subſcribit damnationi calamo ſanguini Domini tincto. Hic ritus ſubſcribendi calamo in calice tincto ſanguine Domini loco atramenti, peculiaris fuit Græcorum, à Theodoro tamen Papa, licèt hujus facti Anaſtaſius mentionem non fecerit, in damnatione Pyrrhi uſurpatus. Idem narrat Baronius ex Niceta in Vita S. Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui de damnatione Photii in Conſtantinopolitano Concilio loquens, ait apud Baronium anno 869: *Subſcribunt autem hujuſmodi damnationi non ſimplici atramento facto Chirographo, ſed horrendum dictu (ut ab iis, qui id norunt, accepi) ipſo videlicet Salvatoris ſanguine calamum tingentes ita damnarunt Photium.* Combefiſius in Hiſtoria hæreſis Monothelitarum Diſput. 1 Parag. 13 ſcribit, nihil eâ velut Dominici ſanguinis abuſione, irreverentiâ gravius peccatum à prefatis Theodoro, Patribuſque Conſtantinopolitanis fuiſſe, uti nec à Baſilio, cum voluit ſecum Domini corporis particulam ſepeliri, ut ibidem legere eſt. Porrò S. Baſilii factum extat apud Amphilochium, cujus fragmentum citat Æneas Pariſienſis Epiſcopus in libro adverſus Græcos Spicilegii Tom. 7, pag. 81. Idem narrat S. Gregorius lib. 2 cap. 24 Dialog. feciſſe ſanctum Benedictum, qui adoleſcentem Monachum poſito cum reverentia ſuper ejus pectore corpore Domini ſepeliri juſſit. Obſervat etiam Edmundus Martene lib. 1 de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 5 art. 4 in ſolemni Eccleſiarum dedicatione tres portiones ex Dominico corpore detractas Altari cum calce & Smalta incluſas fuiſſe; id quod in Majoris-Monaſterii Baſilicæ dedicatione præſtitiſſe Urbanum Papam ſecundum narrat Auctor Anonymus de Geſtis Abbatum Majoris-Monaſterii. Oſtendit poſtea Martene nihil exinde honoris Chriſto debiti detractum cenſuiſſe antiquos.

XIX. Typum non damnavit. Baronius exiſtimavit Typum à Theodoro Papa in eadem Synodo damnatum, cum Paulo Epiſcopo Conſtantinopolitano. Verùm Typum nec in hac Synodo, nec poſt eam à Theodoro damnatum colligitur ex Anaſtaſio, Theophane & Auctore libelli Synodici, qui ſoli ex Antiquis de hac Synodo Romana locuti ſunt, quique ne verbum quidem habent vel de Typo, vel de Paulo in ea damnatis, ſed tantùm de Pyrrho. Cùmque nullibi legatur, Theodorum poſt eam Synodum, Typum damnaſſe, concludendum eſt cum Combefiſio laudato primam Typi damnationem Martino Papæ deberi. Certè ſi Theodorus Typum damnaſſet,

SÆC. VII. THEODORUS.

ſet, Imperator, ubi Martini creationem accepit, hunc non ſolicitaſſet ut Typo conſentiret, ſed ut decretum adverſùs Typum latum reſcinderet, poſtulaſſet. Forſan etiam tempore iſtius Synodi Romanę adhuc ignorabatur Typi promulgatio, quæ peracta eſt indictione ſexta, ideoque ante Kalendas Septembris anni 648, quo eodem anno hæc Synodus Romana à Theodoro celebrata.

XX. *Paulus Epiſc. CP. depoſitus, ſed extra Synodum.*

Quoad Paulum Conſtantinopolitanum Patriarcham, cùm Theodorus poſt amantiſsimas commonitiones, & conteſtationes ardentiſſimas per ſuas Epiſtolas, ſuoſque Apocriſarios expoſitas, accepiſſet vulnus Pauli jam deſperatum, neque amplius lenociniis, ſed ferro & igne anathematum curandum; ſententiam excommunicationis & depoſitionis in eum tulit ſub finem ſui Pontificatûs, ſeu anno 648 exeunte, aut 649 ante menſem Majum, quo obiit, ſed extra Synodum. Eum à Theodoro depoſitum conſtat ex teſtimonio Abbatum & Monachorum Græcorum in libello oblato Synodo Lateranenſi & Secretario II recitato, in quo ajunt: *Cum quibus juſtè & Typum, qui nunc contra Orthodoxã fidem factus eſt ex ſubreptione, non ex ſtudio aut mente piiſſimi noſtri Imperatoris, ſed ſuaſione importuna & falſiloquio Pauli depoſiti à prædeceſſore Veſtræ Sanctitatis Theodoro, ſanctiſſimæ recordationis Papa Veſtræ Apoſtolicæ Sedis, eidem anathemati ſubmittimus.* Ipſum autem extra Synodum damnatum ex Anaſtaſio deducitur, qui poſtquam de Synodo, in qua Pyrrhus damnatus eſt, ſermonem habuit, narrat Translationem SS. Martyrum Primi & Feliciani, aliaque à Theodoro Papa geſta, & poſtea ſubdit: *Sanctiſſimus Theodorus Papa ſcripſit Paulo Patriarchæ Regiæ civitatis, tam rogans, quàm regulariter increpans, necnon per Apocriſarios per hoc maximè deſtinatos præſentialiter admonens & conteſtans, quatenus proprium emendaret commentum, atque ad Orthodoxam fidem Catholicæ Eccleſiæ remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum à ſuo conamine quoquo modo revocare. Propter quod ab Apoſtolica Sede, ipſe depoſitionis ultione perculſus eſt*, ubi nulla alicujus alterius Synodi à Theodoro celebratę, mentio eſt.

XXI. *Ejuſdem Pauli furor in Apoſtolicæ Sedis Apocriſarios.*

Quod attinet ad perſecutionem à Paulo in Apocriſarios Apoſtolicę Sedis excitatam, de qua loquuntur Martinus Papa Secretario IV Concilii Lateranenſis, & Anaſtaſius in eodem Martino, videtur ea Theodori tempore contigiſſe, ut Baronius anno 648 probat. Paulus quidem primò Altare & Oratorium, quod erat in ædibus, in quibus Apocriſarii Romanæ Sedis habitare conſueviſsent, diripuit; deinde adverſùs eoſdem Apocriſarios, Conſtantinopoli tunc exiſtentes, necnon ceteros orthodoxos ipſis inhærentes perſecutionem movens, quoſdam carceri tradidit, alios in exilium miſit, rurſùmque alios verberibus ſubmiſit. Quod Martini Papæ Apocriſarios paſsos dici non poſſe videtur, cùm ipſemet Martinus in literis adverſùs Paulum Epiſcopum Theſſalonicenſem ſcriptis, doleat ſuos Apocriſarios ſeductos fuiſſe.

XXII. *Theodorus PP. Eccleſias, & cœmeteria ædificavit.*

Theodorus Papa ſanctorum Martyrum Primi, & Feliciani corpora, quę erant in Arenario Via Nomentana ſepulta, in urbem Romanam deferri curavit; eaque recondidit in Baſilica beati Stephani ProtoMartyris, ubi & plura dona obtulit. Fecit etiam Eccleſiam à ſolo, beato Valentino Viâ Flaminiâ juxta Pontem Milvium, quam & ipſe dedicavit, multaque ei pariter dona obtulit. Fecit etiam duo Oratoria, unum beato Sebaſtiano, intra Epiſcopium Lateranenſe, alterum beato Euplo Martyri, foras portam beati Pauli Apoſtoli, quæ omnia referuntur ab Anaſtaſio.

XXIII. *Sanctè moritur.*

His omnibus ita conſtanter, ſanctèque peractis, poſtquam, eodem Anaſtaſio teſte, ſediſſet *annos ſex*, *menſes quinque*, *dies* 18 humanis ereptus eſt die decima tertia Maii anni 649, *ſepultus ad beatum Petrum Apoſtolum* die decimâ quarta ejuſdem menſis, ſeu *die ſecundo idus Maii*. Unde cùm conſecratus fuerit die 24 Novembris anni 642, dicendum cum quibuſdam exemplaribus MSS. Anaſtaſii & quibuſdam Catalogis, eum ultra annos & menſes ſediſſe dies 19. Ejus nomen die decima quarta Maii inſcriptum eſt aliquibus Martyrologiis, ut videre eſt in Actis Sanctorum Bollandianis ad eum diem. De libris Moralium S. Gregorii Papæ, qui Romæ ſub ejus Pontificatu revelatione inventi ſunt, vide dicta in Martino.

S. MAR-

S. MARTINUS Pontif. LXXVI.

Anno Domini DCXLIX.

I. *S. Martinus Eccleſiæ Rom. præficitur.*

ANaſtaſii omnia exemplaria, tam excuſa, quàm manuſcripta habent poſt Theodori Papæ mortem ceſſaſſe Epiſcopatum *dies quinquaginta duos*, quod idem etiam legitur in Martino Polono. Quapropter ſanctus *Martinus*, Fabritii filius, *de civitate Tudertina*, *in provincia Tuſciæ*, nunc vulgò *Todi*, ordinatus eſt Romanus Pontifex die quinta menſis Julii, in quam eo anno, ſexcenteſimo quadrageſimo nono, Dominica cadebat; numerando enim à die 14 Maii, quo Theodorus ſepultus eſt, & excludendo, ut ſæpè fit, diem ejus mortis ab interpontificio ad diem quintam Julii, intercurrunt dies quinquaginta duo.

II. *Fruſtrà tentatur ab Imperatore pro Typi confirmatione.*

Poſtquam Conſtans Imperator, pro more illius temporis electioni S. Martini conſenſiſſet, nihil prætermiſit, ut Typi confirmationem ab eo extorqueret. Sed Sanctus Pontifex facinus execratus tantùm abfuit, ut Conſtanti præberet aſſenſum, quin potius convocavit Synodum Lateranenſem, quæ cæpta fuit die quinta menſis Octobris ejuſdem anni 649, & Vigilia omnium Sanctorum abſoluta, ut conſtat ex titulis primi & quinti, ſeu ultimi Secretarii. A' tam ſancto propoſito non ſolùm deterreri non potuit Martinus literis Imperatoris, ſed nec ipſius Olympii Exarchi præſentia; qui in Italiam ad promulgandum Typum miſſus, Romam veniens eo ipſo tempore, quo Synodus habebatur, primò ſeditionem per exercitum movere tentavit; & cum fruſtrà id fieri videret, Spatharium ſuum impulit, ut dum ipſe Exarchus in Miſſarum ſolemniis ab eodem Pontifice communionem acciperet, eum interimeret: ſed excæcato divinitùs Spathario, ab iſto quoque imminenti periculo liberatus eſt Pontifex, ipſeque ei Olympius poſtea reconciliatus, ut tradit Anaſtaſius, quod in cauſa fuit cur in Epiſtola ad Conſtantem Imperatotem Martinus Papa hujus violentiæ mentionem non fecerit.

III. *Lateranenſe Concilium celebrat.*

His igitur nullo modo perterritus Martinus Synodum, ut diximus, celebravit. Ei interfuerunt centum & quinque Epiſcopi. In ea primò auditæ ſunt variæ legationes, ac lectæ literæ tam Orientalium, quàm Occidentalium Antiſtitum adversùs Monothelitarum hæreſim, ejuſque ſectatores: deinde producta quæcumque ab ejuſmodi hæreticis contra Catholicam fidem ſcripta eſſe reperirentur, unà cum Ecthesi Heraclii & Typo Conſtantis Auguſtorum nomine promulgatis. Lecta ſunt præcipuè ſcripta Theodori, Epiſcopi Pharanitani, erroris Monothelitarum Principis habiti, quòd ex ejus ſcriptis omnes qui hæreſim promulgarunt, acceperint. His à Synodo exactè diſcuſſis ad veram de Verbi Incarnatione doctrinam declarandam, & ad confutandas cunctas hæreſes, viginti ex doctrina Sanctorum Patrum ſanciti ſunt canones, cum totidem additis anathematiſmis adversùs eos, qui ſecus ſentirent: damnatique tum omnes antiqui *Hæreſiarchæ*, tum Monothelitarum impietatis auctores, fautoreſque præcipui, Theodorus Pharanita, Cyrus Alexandrinus, & Sergius, Pyrrhus, ac Paulus Conſtantinopolitani Epiſcopi, unà cum impiis ipſorum ſcriptis, necnon Ecthesi Heraclii & Typo Conſtantis, ac denique omnia firmata ſunt cunctorum Epiſcoporum ſubſcriptionibus. Prudenti æconomia erga Heraclium & Conſtantem Imperatores ſe geſſit Synodus: Ecthesim namque & Typum ſub eorum nomine damnare noluit nec Anathemate ferire Principes ne ſchiſma faceret Conſtans, ne hæreſim promoveret audacius, ne perſecutionem inferret Eccleſię, ne denique ſpes omnis alienationis ipſius ab Hæreticis eo ſuccideretur anathemate, quo fuiſſet ab Eccleſia præciſus.

IV. *Hujus Concilii magna fuit auctoritas.*

Conſtat ſynodus quinque Secretariis, ſeu Conſultationibus, ſeu Seſſionibus, totidem diebus confectis. Porrò Secretarium erat ædicula ſeu camera vice exedræ templo ſeu ædi ſacræ adjuncta, in qua Eccleſiæ miniſteria recondebantur, & Sacerdotes ac Clerici priuſquam ad ſacra procederent, veſtes Eccleſiaſticas induebant. In iis Secretariis Synodos ſępe habitas fuiſſe, ex earum Actis diſcimus. Ex hac Lateranenſi ſcripta eſt à Martino Pontifice & ab univerſis Patribus Synodalls Epiſtola circularis ad omnes ubique fideles, de iis quæ ibi geſta eſſent, quæ extat, ex Sacris Scripturis magnâ induſtriâ concinnata, dignaque plane tanto Pontifice, tantoque Epiſcoporum Cœtu. Tanta fuit hujus Synodi auctoritas, ut poſt quinque Synodos generales in profeſſionibus fidei à Romanis Pontificibus olim fieri ſolitis, memoraretur. Hinc in libro diurno Romanorum Pontificum cap. 2 tit. 9 formulæ tres earundem profeſſionum recitantur, & in tertia, quæ poſt ordinationem à Pontifice Romano fiebat, non ſolùm confitetur Pontifex ſe quinque Synodos generales, ac prętereà *Sextam nuper*, ut ibi

dicitur,

Digitized by Google

dicitur congregatam cuſtodire; ſed etiam cuncta decreta Pontificum Apoſtolicę Sedis, *præſertim quæ à ſanctæ memoriæ Martino univerſali Papa, ad confirmationem prędictarum quinque Synodorum definita ſunt atque decreta*. Quare uſus adjiciendi confeſſionem Synodi Lateranenſis ſub Martino, poſt aſſertionem quinque univerſalium Synodorum, etiam poſt Sextam Synodum œcumenicam promulgatam, duravit.

V. *Acta Synodi in Africam, Aſiam & Galliam mittit S. Martinus.*

Acta Synodalia in Africam tranſmiſit Martinus, ut conſtat ex Epiſtola, quam ad Eccleſiam Carthaginenſem & ad Epiſcopos ei ſubjectos ſcripſit. Miſit & in Aſiam ad Joannem Epiſcopum Philadelphiæ, ut fidem faciunt aliæ ejus literæ ad ipſum, alioſque Orientales datę. Miſit & in Gallias ad Clodovæum Neuſtriæ & Burgundię Regem cum Legatis, per quos ab eo petiit, ut præcipuos Romam mitteret Gallicanos Epiſcopos, quibus Apoſtolica legatio credi poſſet, qua apud Imperatorem in Oriente fungerentur, & quæ ſtatuta fuerant in Concilio Lateranenſi cum aliis Synodalibus apicibus Conſtanti Auguſto præſentarent, ut conſtat ex ipſius Papę literis ad ſanctum Amandum Trajectenſem Epiſcopum datis; ex quibus & liquet, eum etiam miſiſſe Acta Synodalia ad Sigibertum Auſtraſiæ Regem, ad quem civitas Trajectenſis pertinebat. Hæc etiam teſtatur Audoenus in Vita S. Eligii, qui & ſcribit Legationem illam ad Francorum Regem miſſam, Concilio jam habito, non verò ante Concilium, ut habet Fridegodus in S. Audoeni Rotomagenſis Epiſcopi Vita, major enim fides Audoeno, quàm Fridegodo hac in re habenda.

VI. *Joannem Epiſc. Philadelphiæ Vicarium S. Sedis inſtituit.*

Literis ad Joannem Epiſcopum Philadelphiæ mox memoratis, Martinus ipſum creavit in Oriente Vicarium Apoſtolicæ Sedis, ut Jeroſolymitanæ, Antiochenę, aliiſque earum partium Eccleſiis, Paſtoribus deſtitutis, vel ab hereticis labefactatis ſuccurreret: unde ad alios quoſdam Epiſcopos, Archimandritas & Viros illuſtres, alias literas dedit, ut preſtò eidem Joanni Vicario eſſent, eidemque morem gererent. Epiſtolam pariter dedit ad Eccleſiam Jeroſolymitanam & Antiochenam, qua nunciat, Monothelitarum hęreſim in Concilio fuiſse damnatam, ordinationeſque Macedonii Antiochię, & Petri Alexandriæ, qui abſque ulla electione canonica Sedes illas invaſerant, perperam factas eſſe.

VII. *Scribit unà cum Synodo ad Imp. Conſtantem.*

Non ad Epiſcopos, & Viros illuſtres tantùm, ſed ad ipſum etiam Conſtantem Imperatorem unà cum Synodo Epiſtolam ſcripſit, ſed eà moderatione, ut nequaquam ei crimini daret Typi editionem, ſed Paulo Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui ſuaſerat; verumtamen eum monuit, unà cum Orthodoxa fide bene cuſtodita creſcere Reipublicæ ſtatum, minui verò cùm Imperatores & Reges pro adverſariis fidei pugnant. Epiſtolæ inſcriptio ſic ſe habet: *Domino piiſſimo & Sereniſſimo, victori, triumphatori, filio diligenti Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Conſtanti Auguſto: Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei & univerſa Synodus in hac urbe Roma congregata*, ex quo patet jure merito à nobis dictum Martinum & Synodum prudenti Oeconomia erga Conſtantem ſe geſsiſſe.

VIII *Paulum Theſſalonicenſem Epiſc. deponit.*

Cùm Paulus Theſsalonicenſis Epiſcopus ad Martinum recèns creatum Pontificem miſiſset Apocriſarios unà cum fidei confeſsione; eà perlectâ, & hæretica inventa, à Martino rejecta eſt. Sed excuſaverunt eum Apocriſarij, pollicitique ſunt eum accepturum fidei Catholicę confeſsionem, quam ipſe Martinus mitteret: qua accepta Theſsalonicam reverſi ſunt. Sed tantùm abeſt, ut Paulus errorem correxerit, ut potiùs Sedis Apoſtolicæ Apocriſarios in eum traxerit, & inſuper corruperit literas Apoſtolicas, quibus Martinus ipſe rectæ fidei confeſsionem conſcripſit. Quare Martinus juſtè in eum infenſus, eum anathemate confodit, & ſede depoſuit, ut conſtat ex ejus Epiſtola 12, & de cauſis ejus damnationis ad Theſsalonicenſem Eccleſiam ſcripſit Epiſtolam ordine 13.

IX. *Scribit ad S. Amandum Trajectenſem Epiſc.*

Sanctus Amandus Trajectenſis Epiſcopus ad Martinum Papam ſcripſerat, Presbyteros ſeu Diaconos ſuæ diœceſeos poſt ſuas ordinationes in lapſum inquinari, ideoque velle ſe paſtorale obſequium pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab Epiſcopatûs laboribus eligere. Sed Martinus ad Amandum reſpondet, petitionem ejus denegans, eumque monet, ut Presbyteros, & alios Eccleſiaſtici officii Miniſtros, quos poſt ordinationem apoſtatas fieri contigerit, à gradu deponat, & priſtinę dignitatis recuperandę ſpe penitùs ablata, eos remittat ad laicam communionem, juxta canones pridem conſtitutos, qualis eſt nonus primę Synodi Aurelianenſis, quo ſtatuitur, *ut ſi Diaconus, aut Presbyter crimen capitale commiſerit, ſimul & officio & communione pellatur*. Epiſcopatum tamen, quem *coactus à Rege ac Sacerdotibus*, ut ait Baudemundus in ejus Vita Sęculo 2 Benedictino recitata, Amandus ſuſceperat anno 648, abdicavit anno 650, ut legere eſt in Critica Baronii, nam, ut Milo in ſupplemento ejus Vitę ſcribit, *augeſcentibus in deterius ſceleratorum actuum incorrigibilibus exceſſibus, ſicut librum Vitæ ejus legentibus liquet, etiam cathedram Epiſcopii ſibi commiſſi deſeruit*.

X. *Libri Moralium S. Gregorii Romæ revelatione inventi.*

In Appendice ad Concilium Toletanum VII, anno, ut creditur, 646 celebratum, ab Auctore Anonymo conſcriptâ legitur, Chintaſvintum Hiſpaniarum Regem

in

in Toletana urbe Synodum celebrari juſſiſſe, ex qua miſſus eſt Romam Tajo Cæſaraugustanus Epiſcopus ad obtinendos à Pontifice Romano libros Moralium S.Gregorii Magni, qui in *Hiſpaniis* non reperiebantur. Cùmque à Summo Pontifice de die in diem differretur, quaſi in Bibliotheca non poſſent reperiri, pius Epiſcopus, ut ibidem legitur, in Baſilica SS. Petri, & Pauli noctem unam in orationibus traduxit inſomnem, ac circa medium noctis eorumdem Apoſtolorum viſione locus, in quo libri illi delitescebant, ei revelatus eſt. Requiſitus Tajo à Martino Papa, quomodo locus ille eidem fuiſset oſtenſus, eam revelationem ei declaravit. Ex hoc Baronius & alii deducunt eam inventionem factam ſub Martino. Sed cùm Chintaſvintus ante Pontificatum S.Martini obierit, ut videre eſt Tom. 3 Criticæ Baronii, antea inventi erant illi libri. Hinc in omnibus editionibus eorumdem librorum, ea res narratur ſuppreſſo Romani Pontificis nomine. Unde cùm Tajo à Concilio Toletano 7 Legatus Romam fuerit, videtur id contigiſse ſub Theodoro Papa, quod etiam cenſent Rodericus, Vaſæus & Mariana Scriptores *Hiſpani*, qui & aſſerunt in omnibus monumentis à ſe viſis Romani Pontificis nomen taceri. Libros autem Moralium S. Gregorii, qui in Hiſpania deſiderarentur, fuiſse tertiam & quartam partem eorumdem Moralium, intelligi poteſt ex ejuſdem S. Gregorii Epiſtola 46 lib. 4 Indict. 13 ad ſanctum Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum, ad quem opus integrum inſcripſerat, in qua ait: *Tuæ quidem charitati in eo opere* (ſc. Moralium in Job) *tertiæ & quartæ partis codices non tranſmiſi; quia eos ſolummodo invenio, quos ex eiſdem partibus codices jam monaſteriis dedi, &c.*

XI. *Martinus PP. Romæ violenter abducitur juſſu Conſtantis Imp.*

Cùm Conſtans Imperator accepiſſet, Monothelitas & Typum in Synodo Romana à Martino Papa damnatos, eum Urbe pellere ſtatuit; ſed ne tyrannus in toto orbe Chriſtiano audiret, & perſecutoris nomen conſequeretur, alias in eum damnationis cauſas confinxit, quibus ejus exilio & neci ſpecioſum colorem inderet. Tria igitur conductis teſtibus ipſi objecit crimina: Quòd mutaſset traditam à Majoribus fidem; quòd adversùs Romanum Imperium aliquid molitus eſset cum Saracenis; quòd contra Genitricis Dei Mariæ cultum neſcio quid eſset locutus; ac denique quòd irregulariter contra canones in Pontificiam Sedem intruſus fuiſſet. His adversùs eum criminibus confictis, Calliopas Italiæ Exarchus anno 653, ut voluntatem Imperatoris exequeretur, Romam cum Theodoro Cubiculario venit, & cum militari manu Lateranenſem Baſilicam, ac Palatium ingreſſus eſt: nihilque veritus loci ſanctitatem, ſed nec Cleri Romani magnitudinem animi pro ſui defenſione Pontificis diro anathemate præſentes ferientis adverſarios, ac clamantis: *Anathema habeat quiſquis dixerit, vel crediderit, quia Martinus uſque ad unum apicem fidem mutavit, aut mutaturus eſt: & anathema habeant, qui in orthodoxa fide ſua uſque ad mortem non permanſerint*: nihil, inquam, hæc veritus Calliopas ſanctum Pontificem, haud renuentem, imò & rem armis à ſuis agi omninò prohibentem, ab eadem Eccleſia exturbavit, & corpore licèt ægrum, podagræque doloribus afflictatum, *nocte quæ illuceſcit in feria quarta, quæ erat decimo tertio Kal. Julias, circa horam quaſi ſextam noctis*, ut ipſemet Martinus in Epiſtola ordine 15 ad Theodorum ſcribit, de palatio eductum ad portum Romanum duxit.

XII. *Perducitur ad inſulam Naxon.*

Anno itaque 653, die decimo nono menſis Junii, qui in feriam quartam conveniebat, ſanctus Pontifex navi impoſitus eſt. *Et pervenimus*, inquit in dicta ad Theodorum Epiſtola, *Kalend. Julias Meſenam* (ſcilicet Meſſinam) *in qua erat navis, ideſt, carcer meus. Non autem M ſenæ tantùm, ſed & in Calabria: & non tantùm in Calabria, quæ ſubdita eſt magnæ Urbi Romanorum, ſed & in plurimis inſularum, in quibus nos vel tribus menſibus peccata impedierunt, nullam compaſſionem adeptus ſum: excepto dumtaxat in Inſula Naxia, quoniam ibi annum fecimus.* Eſt Naxos ſeu Naxus una ex inſulis Cycladibus in Mari Ægæo poſitis. In ea manſit ſanctus Martinus uſque ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum quartum.

XIII. *Conſtantinopolim ducitur.*

Cùm tandem, ut legitur in Relatione cujuſdam ex ejus diſcipulis, *perveniſſet Byzantium beatus ille ſeptimo decimo die Septembris, in portum juxta Eupbemiam propè Arcadianon, reliquerunt eum à mane miniſtri uſque in horam decimam recubantem in grabato navis*. Inde ductus in carcerem, fuit ibi *clauſus, & ſine participatione penitus ſermonis alicujus, nonaginta tres dies. In ipſa verò nonageſima tertia die, quæ eſt dies Paraſceve, mane tulerunt eum de cuſtodia, conſtituendum in cella Sacellarii*, ſeu Procuratoris Fiſci, quæ dignitas magna fuit in Eccleſia Conſtantinopolitana, ut oſtendit Ducangius in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis. In carcere itaque fuit ſanctus Martinus à die decima octava menſis Septembris anni 654 uſque ad diem 19 Decembris ejuſdem anni, quo conſtitutus eſt in cella Sacellarii & ab eo coram accuſatoribus interrogatus.

XIV. *Coram Judice ſiſtitur & indignè habetur.*

Eadem die 19 Decembris, feriâ ſextâ, judicio ſiſti juſſus eſt. Multis illum calumniis falſi teſtes oppreſsere, agente Imperatore & proceribus, ut Majeſtatis reus conſtitueretur, atque ita in diſcrimen capitis, nullo reclamante, veniret. Ipſum accuſa-

Digitized by Google

cuſarunt initæ cum Olympio, Ravennæ nuper Exarcho, contra Imperatorem conſpirationis. Dorotheus Siciliæ Patricius, inter falſos teſtes inſignis, dixit: *Quinquaginta capita ſi haberet, non oporteret eum vivere, eò quòd ſolus ſubvertit & perdidit univerſum Occidentem & delevit: & revera unius conſilii fuit cum Olympio, & inimicus homicida Imperatoris, & Romanæ urbanitatis.* Poſt interrogationes Sacellarius, ut legitur in Collectaneis Anaſtaſii, *præcepit ſine mora ipſi auferri pſachnion ſummi & Apoſtolici, atque præcipui Paſtoris omnium Chriſtianorum, &c. Cum ergo incidiſſet pſachnion Beati viri excubitor, & corrigiam campagiorum ejus, ſtatim tradidit eum Sacellarius Præfecto Urbis, dicens: Tolle eum, Domine Præfecte, & continuè membratim incide illum.* Pſachnion erat veſtis Summorum Pontificum, ut habet Ducangius laudatus in ea voce; Campagius verò erat genus calceamenti, quo iidem Pontifices utebantur, unde in Hypomneſtico dicitur, Anaſtaſium Apocriſarium à ſancto Martino donatum fuiſse *uno ex campagiis ejus, idest, caligis, quas nullus alius inter homines* portat, niſi ſanctus Papa Romanus.

XV. *In Diomedis cuſtodia ſtruditur.*

Poſtea carnifices circumpoſuerunt ferrea vincula in ſanctam ejus cervicem, & conjecerunt eum in unum carcerem cum homicidis, indeque *transpoſuerunt in eam, quæ dicitur Diomedis cuſtodia in Prætorio Præfecti. Fecit Reverendiſſimus Papa in eodem Diomedis ergaſtulo octoginta quinque dies poſt primas nonaginta tres, hoc eſt omne ſimul 178*, inquit citatus Auctor Relationis, ideoque in eo carcere permanſit uſque ad diem decimum tertium menſis Martii anni ſexcenteſimi quinquageſimi quinti. Inde, ut ibidem legitur, translatus eſt in domum Sigolabæ Scribę, poſt duos dies deportandus in exilium in Cherſoneſam. In eam porrò Diomedis cuſtodiam tanta vi translatus eſt, ut crura ejus dilaniarentur & ſanguis efflueret.

XVI. *Opera Pauli Cpolitani Epiſc. morti eripitur.*

De ſancto Pontifice jam tunc actum erat, niſi Paulus Conſtantinopolitanus Patriarcha hæreticus gladium ab ejus cervicibus, conſcientia ſtimulante, depuliſſet. Res ita accidiſſe narratur in Relatione laudata, ab uno ex comitibus ſancti Martini facta, in qua, poſtquam narratum eſt, ſanctum Pontificem translatum eſſe in carcerem Diomedis, dicitur Imperatorem inviſiſſe Paulum Patriarcham, *proximus enim*, inquit, *erat morti*, eique narraſse *quæ conſummata erant in Sanctiſſimum virum*, & Paulum *attentiùs* adjuraſse *Imperatorem, ſufficere ei in his, quæ paſſus eſt* Martinus, *nihilque amplius ſuſtinere*; indignum ſcilicet reputans, Paulus vel perduellionis reum, ut Martinum eſſe Imperator perſuadere volebat, eum talia pati. Ingemiſcens enim Paulus in has voces erupit: *Hei mihi! & hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum eſt. Numquidnam, Domine, non eſt miſerabile talia pati Pontificem?* Sic Paulus Imperatorem adduxit, ut ejus ſanguini parceret.

XVII. *Obitus Pauli & Pyrrhi Patriarcharum CP.*

Inter hæc, defunctum eſſe Paulum refert ejuſdem Relationis Auctor, ideoque mors ejus accidit inter diem decimum nonum menſis Decembris anni ſexcenteſimi quinquageſimi quarti, quo in carcerem Diomedis translatus eſt ſanctus Martinus, & diem decimum tertium Martii anni ſexcenteſimi quinquageſimi quinti, quo ex ea eductus in Cherſoneſam relegatus eſt. Conſtans Imperator in locum Pauli ſubrogavit Pyrrhum Expatriarcham, de quo in Theodoro Papa locuti ſumus. Sed non ante eum ſubrogavit, quàm ubi relatione ipſius Martini, necnon Platonis antea Italiæ Exarchi, cùm Romæ Pyrrhus anno 645 dedit libellum, cognoviſſet, id eum ſpontè feciſſe, ac cum ſua voluntate abjuraturum Monotheliſmum Romam profectum eſse; quod teſtatur Appendix Actorum S. Martini in Collectaneis Anaſtaſii à Sirmondo publicatis. Ideo autem ita ſe geſſit Imperator, quia hæreticum animum celans, videri nolebat exors fidei Romanæ Eccleſię, ac antiquæ diſciplinæ. Et parte alia ut tyranni notam elueret, oſtenderetque ſe minimè perſequi Eccleſiam Romanam, in Martinum ſæviit, tanquam in reum majeſtatis, ut in laudata Relatione legitur. Sed Deus quantocyùs Pyrrhi crimen morte immiſſa ultus eſt, obiit enim eodem anno 655, in ejuſque locum ſubſtitutus eſt Petrus eadem hæreſi infectus.

XVIII. *Regimen Eccleſiæ quibus commiſſum, dum S. Martinus eſſet in exilio.*

S. Martino die decima nona Junii anni ſexcenteſimi quinquageſimi tertii captivo in Græciam deportato, Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius Notariorum Eccleſiam Romanam rexere, ut conſtat ex ejuſdem Sancti Pontificis laudata Epiſtola 15 ad Theodorum ex urbe Conſtantinopolitana ſcripta, in qua ait: *Juſſio à Calliopa porrecta eſt Presbyteris & Diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio continebatur, quòd irregulariter & ſine lege Epiſcopatum ſubripuiſſem, & non eſſem in Apoſtolica Sede dignus inſtitui, ſed omnimodis in hanc Regiam urbem tranſmitti, ſubrogato in loco meo Epiſcopo, quod nec dum aliquando factum eſt, & ſpero quòd nec aliquando fieri habet: quia in abſentia Pontificis Archidiaconus & Archipresbyter, & Primicerius locum præſentant Pontificis.* Hæc Epiſtola poſt diem 17 Septembris anni 654 ſcripta, eo enim tantùm die Sanctus Martinus Conſtantinopolim appulit. Quo tempore adhuc eum latebat Eugenii in Romanum Pontificem electio, alioquin non diceret, nunquam accidiſſe, ut in abſentia Pontificis alter eligeretur,

Digitized by Google

SÆC. VII. S. MARTINUS. gereretur, & ſperare ſe nunquam id peractum iri. De hoc vide dicta in S. Gregorio num. 3, & in Joanne 4 num. 4.

XIX. Electioni Eugenii S. Martinus conſenſit. Verùm Eugenius die octava menſis Septembris ejuſdem anni 654 ordinatus fuerat Pontifex. Clerus enim Romanus timens, ne daretur invitis ab Imperatore Romanus Epiſcopus, qui ejuſdem cum ipſo eſſet hæreſis propagator, alium Pontificem eligendum duxit, inſcio quidem, ſed poſtea conſentiente Martino; poſtquam enim, quæ geſta fuerant à Clero Romano ad præcavendas Imperatoris inſidias, accepit Martinus, eam electionem ſibi gratam fuiſſe teſtatus eſt, in Epiſtola à ſe Cherſona ad quemdam ſibi cariſſimum ſcripta, in qua ait: *Veruntamen Deus per interceſſionem Sancti Petri ſtabiliat corda eorum in Orthodoxa fide, & confirmet contra omnem hæreticorum & adverſariorum Eccleſiæ noſtræ perſonam, & immobiles cuſtodiat, præcipuè PASTOREM, quem eis NUNC PRÆESSE monſtratur.* Hæc Epiſtola ſcripta poſt Paſcha anni 655, quo tempore S. Martinus Cherſonam pervenit.

XX. Cherſonam deportatur, ibique Martyr moritur. Hujus Epiſtolæ titulus hic eſt: *Ad quemdam ſibi cariſſimum de exilii ſui calamitate.* In ea autem ait: *Navigantes ſancta quinta feria Cœnæ Domini* [quæ anno 655 in diem 26 menſis Martii incidebat] *pertranſivimus Pharum, per diverſa loca tranſmeantes Idibus Maii, & Cherſonam pervenimus.* In ea inſula ſanctus hic Pontifex ærumnis & inediâ confectus, Martyrum coronas percepturus migravit in Cœlum die decima ſexta menſis Septemb. ejuſdem anni 655; in fine enim ejus Actorum, quæ extant in Collectaneis Anaſtaſii, legitur: *Obiit autem idem Sanctiſſimus ter beatus Apoſtolicus Martinus Papa recens revera Confeſſor & Martyr Chriſti Dei noſtri in eadem exulatione Cherſoneſæ, juxta ejuſdem ad Dominum Deum petitionem, quam obtulit ei cum lachrymis, exiens de navi & calcans terram illam, id eſt, ut in ea finiret vitam, bonum certamen certans, curſum Martyrii conſummans, & bonam fidem ſervans, menſe Septembrio, die ſexta decima, in qua feliciſſimæ Martyris & fidem cuſtodientis orthodoxam Euphemiæ, pretioſiſſima & beatiſſima ſecundùm anni circulum celebratur memoria, indictione quarta decima*, quæ die prima Septembris anni 655 incepit. Eoſdem anni, menſis, diei & indictionis characteres exhibet Hypomneſticon de Anaſtaſio Apocriſario pag. 262. SÆC. VII. S. MARTINUS.

XXI. Ibidem ſepelitur, & Romam poſtea transfertur. *Poſitus eſt autem*, proſequuntur Acta, *in tumulis ſanctorum extra muros Cherſonitarum civitatis quaſi ſtadio uno, in pretioſiſſimo & reverentiſſimo Templo ſanctiſſimæ & præ omnibus ſanctis colendæ, caſtiſſimæ & immaculatæ, perbenedictæque, glorioſiſſimæ & excellentiſſimæ omnium creaturarum, gratia pleniſſimæ, gaudium facientis & tribuentis Dominæ noſtræ, propriâ naturâ & veritate ſolius Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, quæ cognominatur Blachernes.* Colitur à Græcis S. Martinus ipſo quo obiit die, ſolemniùs tamen in Aprili die 13 aut 14. Ejuſdem relatio Conſtantinopolim & depoſitio in Blachernis commemoratur die 20 Septembris; Romæ autem, quò poſtea delatum eſt ejus corpus ad Eccleſiam ſui nominis, SS. Silveſtri & Martini in Montibus dictam, die 12 Novembris. Anaſtaſius à Baronio, & Ciaconius ab Oldoino perperam reprehenduntur, quòd ſcripſerint duas ordinationes à Martino per menſem Decembrem factas eſſe: duas enim, inquit Oldoinus, menſe Decembri minimè habere potuit, ſi primo tantùm anno Sedis ſuæ menſe Decembri Romæ vixit. Sed cùm ex dictis manifeſtum ſit, eum quatuor Pontificatûs ſui prioribus annis Romæ menſem Decembrem tranſegiſſe, in hoc ab Anaſtaſio non diſcedendum. De duratione Sedis ejus in Eugenio verba faciemus. Ejus Martyrium celebrat S. Audoenus Rotomagenſis Epiſcopus, in Vita S. Eligii, nec minorem ejus gloriam eſſe ſcribit, quàm eorum, qui paganorum perſecutione ſublati ſunt, addens eum in exilio *ſola oratione* meruiſſe *cœco lumina reddere.*

S. EUGENIUS *Pontifex LXXVII.*

Anno Domini DCLIV.

I. S. Eugenius fit Papa. SAncto Martino Papa anno ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, die decima nona menſis Junii captivo in Græciam ducto, Archidiaconus, Archipresbyter & Primicerius Notariorum, ut in ejus Pontificatu diximus, Eccleſiam Romanam rexerunt, uſque ad diem octavum menſis Septembris anni 654, quo die Eugenius, natione Romanus, ex patre Ruffiniano, de regione prima Aventina, *Clericus à cunabulis*, ut ait Anaſtaſius, ordinatus eſt Pontifex Romanus, poſtquam ob abſentiam Martini Sedes vacaſſet *annum unum, menſes duos, dies viginti*, ut legitur in quibuſdam exemplaribus Anaſtaſii MSS. in fine Regiæ editionis citatis, inſcio quidem, ſed poſtea conſentiente S. Martino, ut num. 19 ejus Pontificatus probavimus. Ex quo

ruit

Digitized by Google

SÆC. VII. S. EUGENIUS. ruit eorum opinio, qui volunt Eugenium ante Martini mortem, hujus tantùm Vicarium fuiſse, cùm mortuo vel abſente Pontifice Vicarius Eccleſiæ non præficeretur, ſed ea à tribus mox memoratis regeretur. Ruit pariter quod ait Baronius, Eugenium uſque ad mortem Martini, per imaginem ſediſse, & accedente rursùs ſimul antea lato conſenſu, legitimè ſedere cœpiſſe; cùm legitimus Pontifex cenſeri debeat Eugenius à die ſuæ ordinationis, utpote quæ ſancto Martino grata fuerit. Tandem dicendum eſt mendum eſſe in Anaſtaſio, ubi dicitur Martinum ſediſſe *annos ſex*, *menſem unum*, *dies viginti ſex*; nam præterquamquòd hoc pacto ſediſset tantùm uſque ad 31 menſis Auguſti anni 655, quod ex ejus mortis die falſum eſse conſtat; nec Anaſtaſius, nec Catalogorum Auctores ſoliti ſunt Pontificibus attribuere tempora, quæ poſt eorum abdicationem aut depoſitionem fluxerunt, ut viſum eſt in Silverio & Vigilio, ſed ea tribuunt ſucceſsoribus quomodocumque ordinatis.

II. *Synodicam Petri Cpolitani Episc. explodit.* Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus, quem in Martino diximus ſubrogatum eſſe anno 655 in locum Pyrrhi defuncti, cùm eſſet hæreticus Monothelita, tamen ut faciem ſaltem Catholici hominis oſtenderet, ſicque ab Eugenio in communionem recipi mereretur, literas Romam ad eum miſit ambagibus involutas atque perplexas, quæ prohibente Clero, atque populo, minimè receptæ fuerunt. De his enim iſta habet Anaſtaſius: *Hujus Eugenii temporibus Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus direxit Synodicam ad Sedem Apoſtolicam, juxta conſuetudinem priorē omnino obſcuriſſimam & ultra regulam, non autem declarans operationes, aut voluntates in Domino noſtro Jeſu Chriſto. Et accenſus populus & Clerus, eò quòd talem Synodicam direxiſſet, minimè eſt ſuſcepta, ſed cum majori ſtrepitu eſt à ſancta Dei Eccleſia projecta: ut etiam nec eundem Papam dimitteret populus vel Clerus Miſſas celebrare in Baſilica Sanctæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ, quæ appellatur ad Præſepe, niſi promiſiſſet iis ipſe Pontifex minimè eam aliquando ſuſcipere.*

III. *Apocriſarios cum ſua Synodica ad Conſtantem Imp. mittit.* Eugenius de morte deceſſorum ſuorum, Apocriſarios ad Conſtantem Imp. miſit cum Synodica, & ordinationem ſuam ſignificavit. Anaſtaſius quidem de hac legatione tacet; verùm eam nos edocet Sanctus Maximus in Relatione *Motionis factæ inter Dominum Abbatem Maximum & ſocium ejus, atque Principes in Secretario*, recitata in Collectaneis Anaſtaſii, quæ habita eſt anno 655 aut tardiùs anno 656, cùm in iiſdem Collectaneis præponatur diſputationi inter ſanctum Maximum & Theodoſium Cæſareæ Bithyniæ Epiſcopum, quæ tamen eodem anno 656 habita eſt, ut rectè Baronius vidit.

Ex eâ enim relatione intelligimus Petrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum volentem & Catholicis & *Hæreticis* aſsentiri, triplicem in Chriſto voluntatem prædicaſſe; unam ſcilicet ſubſiſtentialem cum Monothelitis; duas verò naturales cum orthodoxis; & Romani Pontificis Apocriſarios à Petro illectos in novum illud erroris portentum conſenſiſſe. *Hujus* Relationis verba legi poſſunt apud Baronium anno 657 num. 15. *SÆC. VII. S. EUGENIUS.*

IV. *Non autem ad Petrum Episc. CP.* Id etiam conſtat ex Epiſtola Anaſtaſii Monachi diſcipuli Sancti Maximi, *Ad commune Monachorum apud Calarim conſtitutorum Collegium*, ex qua conſtat, Apocriſarios Romani Pontificis errori Petri, duas & unam ſuper duas operationes ac voluntates dicenti, aſsenſiſse: *Quibus, ut dictum eſt, ſuum corrigere nolentes ſermonem, adhuc & ſenioris Romæ propriæ conſentire ſectæ coegerunt Apocriſarios. Unam ſuper duas, ideſt, tres ſecum prædicandi in eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto voluntates & operationes: ſimilem ſcientiæ ligno guſtum comminiſcentes, quemadmodum & iſti fidem ex bono & malo proferunt, affectantibus.* Illi autem Apocriſarii non poſsunt eſse illi, quos Vitalianus Papa Conſtantinopolim miſit, ut vult Combefiſius in Hiſt. *Hæreſis* Monothelitarum Diſput. 1 paragrapho 15, quia Vitalianus dictus eſt Pontifex menſe Julio anni 657, & dicta diſputatio S. Maximi cum Principibus in Secretario pertinet ad annum 655, vel ad ſummum 656. Mentio igitur eſt ibi de Apocriſariis ab Eugenio Papa miſſis. Porrò dubitandum non eſt, quin Eugenius, qui Petri Conſtantinopolitani Epiſcopi Synodicam exploſit, exploſerit etiam quod prævaricatores Apocriſarii egiſsent ejuſdem Petri ſuaſu, ad quem dicti Apocriſarii nullam detulerant Eugenii Epiſtolam; ex quo S. Maximus, cujus verba Baronius loco laudato recitat, infert, quòd ſi cum Petro communicarent, nullum fieret Romanæ Sedi præjudicium: *Hi, qui venerunt*, inquit, *præjudicium quoquo modo Romanæ Sedi, quamvis communicent [eò quòd Epiſtolam non detulerunt ad Patriarcham] facturi non ſunt.*

V. *Ad Deum tranſit.* Poſtquam Eugenius Epiſcopos 22 creaſset, & ſediſset *annos duos, menſes octo, dies viginti quatuor*, ut legitur in Anaſtaſio, obiit die prima menſis Junii anni 657, ſepultus *ſub die 4 Nonas Junii*, ſeu die ſecunda ejuſdem menſis; ex quo patet, Anaſtaſium Pontificatûs ejus initium deſumpſiſse, non à morte Sancti Martini, ſed à die 8 menſis Septembris anni 654, qua, vivente S. Martino ordinatus eſt, deducere, ideoque non immeritò à nobis dictum eſse, mendum ſubeſſe in Anaſtaſio, ubi dicitur Martinum ſediſse *annos ſex, menſem unum, dies viginti ſex*, ut num. 1 oſtendimus.

Platina

Digitized by Google

VI. *Ejus virtutes.*

Platina Eugenium virum miræ pietatis, religionis, manſuetudinis, & munificentiæ appellat: Anaſtaſius benignum, mitem, manſuetum, omnibus affabilem & ſanctitate præclarum. Nomen ejus inſcriptum eſt Martyrologio Romano ad diem ſecundam menſis Junii, & Baronius in notis eum non tantùm ſedis, ſed & ſanctitatis ſancti Martini ſucceſſorem extitiſse ſcribit.

VII. *Diſciplina Arcani ſub Eugenio adhuc in Oriente vigebat.*

In Innocentii Papæ hujus nominis primi Pontificatu egimus de *Arcani Diſciplina* prioribus Eccleſiæ ſæculis uſurpata, nunc quo tempore ea deſierit, inveſtigandum: licèt enim ejus diſciplinæ finis tempus, quemadmodum & plurium aliorum antiquorum morum, certò definiri nequeat; aliqua tamen lux his tenebris affundi poteſt. Schelſtratius quidem in Diſſertatione Apologetica pro ea diſciplina cap. 6 exiſtimat eam in Oriente circa finem quinti ſæculi in deſuetudinem abiiſſe. Verùm Tentzelius in parte 2 Exercitationum Selectarum ſectione 6 num. 10 ex S. Maximo Abbate, qui ſub Vitaliano Papa maximè floruit, eam in Orientali Eccleſia eo Pontifice ſedente adhuc viguiſſe oſtendit. Hic enim Sanctus Abbas in Miſtagogia cap. 14 diſertè ſcribit: *Poſt divinam Sancti Evangelii lectionem, & Cathecumenorum & reliquorum, qui divinâ oſtendendorum Sacramentorum contemplatione indigni ſunt, fit per ſacros miniſtros dimiſſio & ejectio.* Prætereà idem Sanctus Maximus in primo Dialogo colloquentes introducit Anomœum Hæreticum, & Orthodoxum, & in ipſo ſtatim exordio Arcani Diſciplinam ſervat. Hæc ejus verba: Anomœus. *An Chriſtianus es?* Orthodoxus. *Sanè quidem.* A. *Quid eſt Chriſtianiſmus?* O. *At quidem illud dicere neceſſe fuit, quod ſim Chriſti ſervus: dicere verò quid ſit Chriſtianiſmus, tutum non fuerit, niſi cognovero quiſnam ille ſit, qui hoc percontatur: nè fortè comperiar canibus res ſanctas & porcis margaritas projicere. Etenim ſi quid ex me quæras, & fueris ex fidelium numero, qui myſteriis initiantur, promptè id quod ego ſum tibi dixero, nè fortè ſis Judæus, qui me interrogas.* Orthodoxus iſte de Symbolo fidei, tanquam Baptiſmi & Chriſtianiſmi teſsera loquitur, quòd non initiatis prodere, ex Diſciplinæ Arcani præſcripto nefas habebatur. Utraque itaque Diſciplinæ Arcani pars, quæ tam in reticentia myſteriorum, quàm in dimiſsione non initiatorum conſiſtebat, in Oriente adhuc hoc tempore vigebat.

VIII. *In Occidente quoad reticentiam myſteriorum ſæculo VII non ampliùs ſervata.*

Sed quod ſpectat ad Occidentem, convenit quidem inter Schelſtratium & Tentzelium eam diſciplinam poſt ſextum ſæculum obſervatam non fuiſse quoad reticentiam myſteriorum; quia cùm poſt ſextum ſæculum rariores eſsent in Eccleſiæ Catholicæ regionibus, qui myſteria profanarent, vix ullus Scriptor Chriſtianus reperitur, qui profanationis metu, à clara, & perſpicua de myſteriis noſtris doctrina abſtinuerit. Sed inter eos non convenit de tempore ceſsantis in Occidente dimiſsionis Cathecumenorum, ſeu non initiatorum, quæ altera erat ex partibus Diſciplinæ Arcani. Schelſtratius enim arbitratus eſt eam ſæculo ſexto in Africa & Gallia adhuc obtinuiſse; in Italia quinto ſæculo nondum deſiiſse, ejuſque mentionem occurrere in Ordine Romano, quem aliqui octavo ſæculo compoſitum volunt; in Germania autem & Gallia nono ſæculo adhuc receptam; imò in Eccleſia Latina uſque ad duodecimum ſæculum obſervatam fuiſse.

IX. *Sicut nec quoad dimiſsionem Cathecumenorum.*

Verùm Tentzelius laudatus eam Cathecumenorum dimiſsionem in Occidente ſæculo ſeptimo etiam abolitam eſse cenſet poſt Cardinalem Bonam, qui lib. 1 Rerum Liturgic. cap. 16 num. 6 ſcribit: *Iſtius dimiſſionis nulla fit mentio in antiquis Miſſalibus & Ritualibus: nec ullum ejus veſtigium extat apud Veteres officiorum Expoſitores, Strabonem, Micrologum, Rabanum, Amalarium, Alcuinum: licèt alios quoſcumque ritus minutiſſimè ſoleant explicare. Patres etiam & Concilia poſt annum 700 nihil prorsùs de hac re agunt, quamvis nonnunquam de Miſſa Cathecumenorum atque fidelium ex priſco uſu ſermonem habeant.* Id confirmat Tentzelius hoc argumento. Poſito, inquit, quod fatetur Schelſtratius, Doctores Eccleſiæ ſeptimi, ſequentiumque ſæculorum, in Tractatibus ſuis nihil occultaſse, ſed ſymbola rituſque myſteriorum ſinè ullis involucris, præſentibus quoque Cathecumenis, evulgaſse, cui bono dimiſsionem eorum ſcrupuloſius obſervaſsent? Cùm ſublato uno, alterum nulli foret uſui, nec quicquam impediebat, ut quod auribus Cathecumenorum non amplius occultabatur, oculis eorum pariter exponeretur. Huc etiam refert Tentzelius locum ſancti Rhemberti Hamburgenſis Archiepiſcopi in Vita Sancti Anſcharii deceſsoris ſui, qui obiit anno octingenteſimo ſexageſimo quinto recitata parte 2 ſæculi quarti Benedictini, capite enim 21, laudatâ Anſcharii in convertendis Nordarbilgenſibus Paganis induſtria, ſubjicit: *Et cùm multi inibi baptizati ſupervixerint, innumerabiles tamen albatorum multitudo exindè ad regna conſcendit Cœlorum. Quia libenter quidem ſignaculum crucis recipiebant, ut Cathecumeni fierent, quò eis Eccleſiam ingredi, & ſacris Officiis intereſſe liceret; Baptiſmi tamen perceptionem differebant, hoc ſibi bonum dijudicantes, ut in fine vitæ ſuæ baptizarentur, quatenus purificati lavacro ſalutari, puri & immaculati vitæ æternæ januas abſque ulla retardatione intrarent.* Ex quo perſpicuum eſt ſæculo 9 Cathecume-

 nos

nos à conſpectu myſteriorum amplius prohibitos non fuiſſe, ideoque jam ante ſæculo ſeptimo conſuetudinem dimittendi non initiatos abrogatam fuiſſe. Quæ in contrarium Schelſtratius attulit, expendit, ſolvitque Tentzelius laudatus.

S. VITALIANUS *Pontif. LXXVIII.*

Anno Domini DCLVII.

I. *S. Vitalianus Eugenio ſuccedit.*

Cùm, poſt Sancti Eugenii mortem Anaſtaſius aſſerat, ceſsaſse Epiſcopatum *menſem unum*, *dies 29*, patet Vitalianum, Anaſtaſii filium, natione Signienſem provinciæ Campaniæ, ordinatum eſse il locum Eugenii die trigeſima Julii, quæ anno ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo cum Dominica coincidebat, maléque Oldoinum ſcripſiſse, quòd ſi ſequenda eſset ſententia Anaſtaſii dicentis ſedem vacaſse menſem unum dies viginti novem, referre opus eſset Vitaliani ordinationem ad diem ultimam menſis Auguſti, cùm ipſemet Oldoinus fateatur Eugenium ejus deceſſorem obiiſſe die ſecunda menſis Junii.

II. *Apocriſarios cum Synodica ad Imperatorem mittit.*

Vitalianus ſtatim poſt ſuam ordinationem *direxit Reſponſales ſuos*, ſeu Apocriſarios, *cum Synodica juxta conſuetudinem in Regiam urbem ad piiſſimos Principes*, nempe Conſtantem & Conſtantinum ejus filium, jam ab anno 654 Auguſtum à patre renunciatum, *ſignificans de ordinatione ſua*, inquit Anaſtaſius. Cùm literis ad utrumque Imperatorem attulerunt Apocriſarii Vitaliani Epiſtolam hortatoriam, quam is dedit ad Petrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quæ quidem non extat, ſed cujus mentio eſt in Petri reſponſo ad Vitalianum, quod recitatum eſt in decima tertia Actione Sextæ Synodi generalis, ex qua conſtat Petrum, Patrum teſtimonia haud fideliter, ſed mutatis verbis ſuæ Epiſtolæ adnexuiſſe, quia oſtendere volebat ſuam ſuper unam voluntatem & operationem intentionem, quæ fraus in eadem Actione detecta eſt, tum à Græcis, tum à Latinis. Quæ fuerit Petri ſententia circa Chriſti voluntates & operationes lege dicta in Eugenio num. 3 & ſeq.

III. *Conatur eum trahere ad partes Catholicorum.*

Vitalianus itaque ad utrumque Imperatorem, non verò ad Petrum, Synodicam ſuam direxit; tum quòd Imperatores ex importuna ſuggeſtione impiorum Patriarcharum in Catholicos, potiùs quàm ex oſtinata perfidia in fidem Catholicam, Viſi eſsent egiſse quæcumque in S. Martinum, aliosque Orthodoxos fuerant executi: tum quòd ſaltem in hanc partem benignè traherentur à Vitaliano in utilitatem Eccleſiæ. Quo pariter conſilio in Synodo Lateranenſi Martinus ipſe, Patreſque alii eundem Conſtantem, licèt fidei hoſtem infenſiſsimum, honorantes, in Patriarchas invecti ſunt; non verò in Heraclium aut Conſtantem, licèt ille hæreſis Monotheliticæ ex Auctoribus unus fuerit, alter verò propugnator acerrimus. Præterea, ut mox dicetur, Conſtans munera ad Vitalianum miſit, quæ Pontifex ex officio accipere debuit, ne eum in Eccleſiam animaret. Si enim uſque adeò humaniter in Conſtantem egerunt Martinus & Eugenius, dum ille furens in fidem bacchabatur, inquit Auctor Anonymus Hiſtoriæ Monothelitarum Scrutinio 3, cur adeo rigidè ſe gerere debuiſſet Vitalianus, Imperatoris munera contemnendo; cum aliqua jam pœnitentiæ crepuſcula, adeo fidei ſalubria, in Conſtante eluceſcerent? Res quidem admirabilis hæc fuit, ſed omninò vera. Continuere ſe Martinus, Eugenius & Vitalianus à damnatione Conſtantis, licèt hic in Eccleſiam quæcumque peſſima fuiſſet aggreſſus. Quænam enim adeò ſceleſta & ſacrilega poſſunt excogitari cum iis conferenda, quæ Conſtans operatus eſt in fidem, & in ejus ſuprema capita, Romanos inquam Pontifices? Et tamen non ſolùm ab infligendo anathemate ſe continuerunt Martinus, Eugenius, & Vitalianus; verùm etiam illum laudantes, omne genus urbanitatis exercuerunt, ut ejuſdem animum demererentur, & ad bonam frugem reducerent. Quam etiam ob cauſam cùm Romam Conſtans venit, quælibet benignitatis argumenta à Vitaliano ſuſcepit, ut num. poſt ſequentem videbimus.

IV. *Munera B. Petro à Conſtante Imp. oblata recipit.*

Miſsi, ſeu Apocriſarii Vitaliani Papæ Conſtantinopoli reverſi ſunt Romam cum muneribus à Conſtante Imperatore ad Sanctum Petrum miſsis, ſcilicet Evangeliorum codice aureis literis ſcripto, & pretioſis gemmis ornato, ut teſtatur Anaſtaſius his verbis: *Per eoſdem Miſſos direxit Conſtans Imperator B. Petro & Evangelia aurea cum gemmis albis miræ magnitudinis ornata in circuitu*; quod munus, ut mox dictum eſt, reſpuere non debuit Vitalianus, ne eum in Eccleſiam magis animaret. Nam quod ait Baronius Conſtantem hæreſim abjuraſse ſtatim poſt initum à Vitaliano Pontificatum, qui alioquin miſsam *per Reſponſales non accepiſſet oblationem*, nullo teſtimonio nititur; nulla enim apud Anaſtaſium, nec quemquam ex Veteribus de illa hæreſeos per Conſtantem abjuratione, mentio.

Idem

Digitized by Google

SÆC.VII. S.VITALIANUS.

V. Conſtanti Romam venienti obviam procedit.

Idem Anaſtaſius narrat poſtea Conſtantem Imperatorem, anno 663, Romam veniſſe, eique Vitalianum Papam obviam proceſsiſſe. *Hujus temporibus*, inquit in Vitaliano, *venit Conſtans Auguſtus de Regia urbe per litoraria Athenas, exinde Tarentum, inde Beneventum & Neapolim per indictionem ſextam* (ideoque anno 663). *Poſtmodum venit Romam, id eſt, quinta die menſis Julii, indictione ſupraſcripta. Et occurrit ei Apoſtolicus cum Clero ſuo milliario ſexto ab urbe Roma, & ſuſcepit eum. Et ipſa die ambulavit Imperator ad ſanctum Petrum ad orationem, & donum ei obtulit: die ſabbati ad ſanctam Mariam venit, itemque donum obtulit. Dominico die proceſsit ad S. Petrum cum exercitu ſuo: omnes cum cereis exierunt obviam ei; & obtulit ſuper Altare illius pallium auro textum, & celebratæ ſunt Miſſæ. Item ſabbati die venit Imperator ad Lateranas ædes; & lavit ſe, & ibidem pranſus eſt in Baſilica Julii.* Quemadmodum itaque S. Martinus Papa in Concilio Lateranenſi, ut jam diximus, œconomia erga Conſtantem uſus eſt; ita & Vitalianus quando Conſtans Romam venit. Inde enim Imperatore, ſaltem apparenter Catholico, & urbanè agente cum Catholicis, facilis fuit Eccleſiarum pax, & fidei tranquillitas, & Conſtantinus Pogonatus Conſtantis filius, planè Catholicus, optimè affectus Vitaliano Papæ, ſextam Synodum generalem procuravit.

VI. Conſtans Romam & alia Italiæ loca expilat.

Per duodecim dies Romæ manſit Conſtans, ſed licèt nullam religionis cauſam prætexeret, imò amicè agere videretur cum Vitaliano Papa, pretioſa quæque tum in Urbe, tum locis aliis in Italia expilavit, nec ſacris ædibus, eorumque ſacris vaſis ac cimeliis parcens, ut in eodem Vitaliano ſubjungit Anaſtaſius: *Item Dominico die*, inquit, *fuit ſtatio ad ſanctum Petrum, & poſt Miſſas celebratas, vale fecerunt ſibi invicem Imperator & Pontifex. Duodecim dies in civitate Romana perſeverans, omnia quæ erant in ære ad ornatum civitatis depoſuit. Sed & Eccleſiam ſanctæ Mariæ ad Martyres, quæ tecta tegulis æreis erat, diſcooperuit & in Regiam urbem cum aliis diverſis rebus, quas depoſuerat, direxit. Et poſtmodum ſecunda feria egreſſus de civitate Romana, reverſus* Neapolim, *inde terreno itinere pergens Rhegium, ingreſſus eſt Siciliam per indictionem ſeptimam, & habitavit in civitate Syracuſana, & talem afflictionem poſuit in populo ſeu habitatoribus vel poſſeſſoribus provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ per diagrapha ſeu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales à ſæculo nunquam fuerant: ſed & alia multa inaudita perpeſſi ſunt, ut aliqua ſpes vitæ non remaneret: ſed & ſacra vaſa vel cimelia ſanctarum Dei Eccleſiarum auferens, nihil dimiſit.* Manſit Conſtans in Sicilia uſque ad annum 668, quo poſt diem 16 menſis Septembris iniquitatum ſuarum pœnas luit; eo enim anno interfectus eſt.

SÆC.VII. S.VITALIANUS.

VII. Legatio Regum Anglorum ad Vitalianum PP.

Mortuo anno 664 Deuſdedit Archiepiſcopo Dorovernenſi ſeu Cantuarienſi, Egbertus Cantii, & Oſwius Northumbriæ Reges Romam miſerunt Wigardum Presbyterum, ut in locum Deuſdedit ordinaretur: *Qui ubi Romam pervenit*, inquit Beda lib. 4 cap. 1 Hiſt. Eccleſ. *cui Sedi Apoſtolicæ tempore illo, Vitalianus præerat, poſtquam itineris ſui cauſam, præfato Papæ Apoſtolico patefecit, non multò poſt & ipſe, & omnes penè, qui cum eo advenerant ſocii, peſtilentia ſuperveniente, deleti ſunt.* Quare Vitalianus Papa noluit, inconſultis Regibus, alium tam citò ſubſtituere, ideoque ſcripſit ad Oſwium Northumbriæ Regem, & tam Wigardi mortem, quàm rei difficultatem aperuit in ſucceſſore deligendo. Vitaliani Papæ literas recitat Beda lib. 3 cap. 29, in quibus inter alia refert miſiſſe ſe conjugi ejus Eanfledæ, ſuæ ſpiritali filiæ, per illius Legatos *Crucem, clavem auream habentem de ſacratiſſimis vinculis beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli.* Regi Oſwio per eoſdem Legatos miſit Vitalianus, *Reliquias* eorumdem *Apoſtolorum, & ſanctorum Martyrum Laurentii, Joannis & Pauli, & Gregorii atque Pancratii.* Iiſdem literis gratulatus eſt ipſi fidem, eumque ad curandam in Inſula Paſchatis celebrationem legitimo tempore, ſecundùm Apoſtolicam traditionem hortatus eſt. Verùm hanc Legationem & Wigardi mortem Wigornienſis in annum 667 confert, quod confirmat ordinatio Theodori.

VIII. Vitalianus pro Anglis Archiep. ordinat.

Nam Vitalianus quæſivit, quem in Angliam mitteret idoneum, ad munus ſubeundum, Epiſcopum, & nactus eſt Theodorum Monachum Græcum Tarſenſem, probum moribus, ætate venerandum, ſæculari & divinâ literaturâ græcè & latinè inſtructum, quem anno 668 Archiepiſcopum Anglis ordinavit teſte Beda lib. 4 cap. 1. *Ordinatus eſt*, inquit, *à Vitaliano Papa anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo ſexageſimo octavo, ſub die ſeptima Kalendarum Aprilium, Dominica. Et ita unà cum Hadriano* (Monacho) *ſexto Kalendas Junias Britanniam miſſus eſt.* Sed Arelate ſubſiſtit, quo uſque Eborinus Major Domus Clotarii III Neuſtriæ & Burgundiæ Regis, copiam pergendi quoquò vellet, ei tribuit, ut inquit ibidem Beda.

IX. Privilegium ei concedit.

Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus ordinatus, dum adhuc in Galliis eſſet, ageretque cum Agilberto Pariſiorum Epiſcopo, didicit ab eo inter alia, Gregorium Magnum Auguſtino Cantuarienſium primo Antiſtiti plurima indulſiſſe Pontificiæ auctoritatis privilegia, quibus illi, in omnes

SÆC. VII. S. VITALIANUS.

Britanniæ Eccleſias juriſdictio conceſſa eſt: quam, quia recens ubique erat Eccleſia, exercere haud quaquam potuit. Scripſit inde Romam Theodorus, priuſquam in Angliam pergeret, & Vitalianum Papam humiliter rogavit, ea omnia ſibi concedi, quæ & totius Inſulæ, & Anglo-Saxonum præſertim Eccleſiæ bona eſſent. Reſcripſit Vitalianus Papa, eique petita conceſſit, ut legere eſt in literis, quas Malmeſburienſis lib. 1 de Pontif. recitat, deſunt enim in editionibus Conciliorum. Illo Apoſtolicæ Sedis privilegio munitus Theodorus, ſuam auctoritatem in omnes Anglo-Saxonum Eccleſias explicavit, ut videre eſt in Scriptoribus rerum Anglicarum.

X. *Creta Epiſc. ad Sedem Apoſt. appellantem reſtituit.*

Eodem anno 667 Joannes Epiſcopus Lappæ in Creta, injuſtitiam paſſus à Paulo Archiepiſcopo Cretenſi Metropolitano, à quo in Synodo provinciæ depoſitus fuerat, Romanum Pontificem appellavit, menſeque Decembri Romam venit, & cauſa cognitâ in ſedem à Vitaliano reſtitutus eſt, qui etiam Paulum Metropolitanum increpuit ob violatos canones, & quòd Epiſcopo Romam appellanti, facultatem illuc ſe conferendi non dediſſet. Quæ conſtant ex quatuor ejuſdem Papæ Epiſtolis hac de re ſcriptis.

XI. *Ravenna Epiſcopum excommunicat.*

Hieronymus Rubeus lib. 4 Hiſtoriæ Ravennatenſis prodit ex Eccleſiæ illius monumentis, à Vitaliano Papa excommunicatum fuiſſe Maurum tunc Epiſcopum Ravennatem; quòd ab ipſo Romam vocatus, cauſam dicturus, adeſſe contempſerit. Qui quidem Exarchi fretus potentiâ & amicitiâ, eò veſaniæ progreſſus eſt, ut in Vitalianum eamdem anathematis ſententiam reciprocaret. Eo verò portentoſo facinore perculſi omnes Italię Epiſcopi, unà cum Vitaliano coeuntes eumdem Maurum ut indignum penitùs Sacerdotio exuerunt. At ille in furore ſuo perſiſtens, etiam in ipſo ſui tranſitu conteſtatus eſt omnes Ravennatis Eccleſiæ Clericos, ne unquam ſubjicerent ſe Romano Pontifici: qua de re ab omni prorsùs Eccleſiaſtica communione, ſuffragiis ſcilicet pro defunctis exhiberi ſolitis, & commemoratione è ſacris Diptychis interdictus eſt à ſucceſſore Vitaliani Adeodato. De Reparato Mauri ſucceſſore vide dicenda in Dono Papa,

XII. *Ad immortalem vitam tranſit.*

Vitalianus, poſtquam ſediſſet *annos quatuordecim*, *menſes ſex*, ut habent Anaſtaſius, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Luitprandus, Abbo, Ordericus lib. 2, Honorius Auguſtodunenſis & plures Catalogi, ad immortalem vitam tranſiit, die 27 menſis Januarii anni ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſecundi; quo die dicitur ſepultus ab Anaſtaſio & ab Hermanno Contracto ex editione Caniſiana, ubi & dicitur *indictione* 15 demortuus, ideoque anno 672. Bollandus ad eum diem in ejus Vita, dicit eo die legi ejus nomen in quibuſdam Martyrologiis, ſed iis non valde antiquis; additque, ſi literis eſſent hujus Sancti Pontificis geſta commendata, parem illum clariſſimis Pontificibus meritò habitum iri, cujus & in propaganda Catholica religione ſtudium, & animi magnitudo variis exercita caſibus eluxit.

SÆC. VII. S. VITALIANUS.

XIII. *Ejus nomen è Diptychis expungi petunt Monothelitæ.*

Petro Conſtantinopolitano Patriarcha hæretico, quem in Eugenio diximus Pyrrho ſucceſſiſſe, anno 666 demortuo, Thomas ei ſubrogatus eſt, & huic anno 668 aut in ſequenti Joannes: quo, anno 674 vita functo, Conſtantinus Patriarcha dictus eſt. Tres autem iſti Patriarchæ fuere Orthodoxi, ſcilicet Thomas, Joannes & Conſtantinus, unde jure merito in Actione 14 ſextę Synodi dicuntur *in omnibus immaculati & irreprehenſibiles circa rectam Chriſtianorum fidem*; licèt enim fuiſſent ab hæreticis ordinati, non propterea reprobati ſunt, ut ait Sanctus Taraſius Actione 2 ejuſdem Synodi. Quæ omnia ab Auctore Criticæ Baronii ſuis annis probata ſunt. Sedente Joanne Sanctus Vitalianus ad Deum migravit. Joannes ejus nomen inter ſacra Diptycha repoſuit, ita ut ipſe ſolus poſt Honorium Papam in iis honorificè legeretur, expunctis unanimiter aliorum Pontificum Romanorum nominibus. Sed Conſtantino, anno 676 defuncto, Theodorus Presbyter Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Syncellus & vaſorum cuſtos, ejus ſucceſſor, nequiſſimus Monothelita extitit. Hic Macario Antiocheno pariter hæretico junctus apud Conſtantinum Imperatorem omnem operam adhibuit, ut Vitaliani nomen è Diptychis eraderetur, donec per Concilium generale, decretum ſuper hoc fieret inviolabile. Id conſtat ex Epiſtola Conſtantini Imperatoris ad Donum Papam, in qua ait: *Multam nobis inſtantiam fecerunt tam hic ſanctiſſimus Patriarcha, quàm Macarius ſanctiſſimus Patriarcha Theopoleos, ut ejiceretur Vitalianus beatiſſimus è Dipthychis, aſſerentes Honorium memorari in Diptychis propter honorem Apoſtolicæ Sedis antiquæ noſtræ Romæ. Nam non acquievere, ut memorarentur Patriarchæ, qui poſtmodum fuere in prædicta ſancta Romana Eccleſia, donec conquiſitio & ſatisfactio proveniat verborum, de quibus contenditur inter utraſque Sedes,&c. Sed ad hoc nos non acquievimus, ideſt, ut ejiceretur idem Vitalianus è Diptychis, hoc quidem, utpote omnem æqualitatem ſervantes, & utroſque Orthodoxos habentes.*

XIV. *Acquieſcit tandem Imperator.*

Quamvis autem, ut ex his Conſtantini verbis eruitur, is initio reluctarit, ne Vitaliani nomen è Diptychis expungeretur; libellis tamen iterum, atque iterum, ſuper hac Vitaliani nominis controverſia porrectis, viſus eſt tandem Imperator acquie-

viſſe

viſſe, ne iterum ſciſſuras Eccleſia pateretur, dum futuræ pacis atque unionis ſpes non modica irradiabat. Certum eſt enim Vitaliani nomen è Diptychis expunctum, ut oſtendit Actio octava Sextæ Synodi, in qua Georgius Epiſcopus Conſtantinopolitanus petiit, ut reſtitueretur, ut videbimus de ea Synodo loquentes, cujus juſſu in ea reſtitutum eſt. An autem ea expunctio facta fuerit, Imperatore Inſcio, vel invito, non conſtat, ſed verba in Actione ſextæ Synodi relata Imperatoris ſaltem conniventiam probabiliter evincunt.

XV. Vitaliani Epiſtola ad Monachos Siculos conficta. Suppoſititia eſt, quæ ſub nomine Vitaliani circumfertur Epiſtola ad Monachos Siculos, ipſo Baronio judice; ob id potiſſimum quòd nonaginta octo civitates & caſtra plurima tunc in Sicilia poſsediſse Monachi Benedictini in illa dicuntur, quod veriſimile non eſt, cum nec Imperator ipſe Inſulæ dominus tot illic civitates haberet.

XVI. Eo permittente organa in Eccleſia audiri cœpta. Organa audiri cœpiſſe in Eccleſia permittente Damaſo Pontifice quidam ajunt apud Creſolium in Myſtagogo cap. 27. Sed, ut ſcribit Cardinalis Bona cap. 17 paragrapho 2 Divinæ Pſalmodiæ, verior & communior ſententia Platinæ eſt aſſerentis, eorum uſum tempore Vitaliani Papæ in Eccleſiis incœpiſſe. Quando cœperit Organorum uſus, inquirit idem Bona lib. 1 Rerum Liturgicarum cap. 25 num. 19.

XVII. Monachi confeſſionibus audiendis idonei. Monachos ab Epiſcopis in ſortem miniſterii ſui in Pœnitentiæ munere adſcitos eſſe, certum eſt. Cùm autem quidam ægrè ferrent id munus Monachis committi, eorum ora obturavit Bonifacius IV ſuo Synodali decreto, de quo in ejus Pontificatu egimus. Quantum autem à tempore Vitaliani Papæ eſſet Anglorum in deponendis apud Monachos peccatis ſtudium diſcimus ex Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi Dialogo, in quo ait: *A temporibus Vitaliani Papæ & Theodori Dorobernenſis Epiſcopi inolevit in Eccleſia Anglorum conſuetudo, & quaſi legitima tenebatur, ut non ſolùm Clerici in Monaſteriis, ſed etiam laici cum conjugibus, & familiis ſuis ad Confeſſores ſuos pervenirent*, ut purgati à peccatis ad communionem ſeſe præpararent. Plura hac de re Edmundus Mortene lib. 1 de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 6 art. 6 num. 3.

ADEODATUS *Pontif. LXXIX.*

Anno Domini DCLXXII.

I. Adeodatus creatur Papa. ADeodatum, natione Romanum, Joviani filium, ex Monacho Pontificem Romanum ordinatum eſſe eodem anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, & quidem die vigeſima ſecunda menſis Aprilis in Dominica, poſtquam Sedes Pontificia ceſſaſſet non *menſes duos*, *dies tredecim*, ut ex ſcriptorum vitio in Anaſtaſio legitur, ſed *menſes duos*, *dies viginti quinque*, ex ipſo Anaſtaſio demonſtratur; ſubdit enim eum ſediſſe *annos quatuor*, *menſes duos*, *dies quinque*, & obiiſse, vel ſepultum eſse *ad Beatum Petrum Apoſtolum ſub die 6 Kalend. Julias*, ſeu die vigeſimaſexta menſis Junii, à quo die anni ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſexti quo mortuus eſt, ſi per annos 4, menſes 2, dies 5 retrocedas, pervenies ad diem 22 menſis Aprilis anni 672, quo ideo die ordinatus eſt ſecundùm Anaſtaſium, qui conſequenter ſcribere non potuit, poſt Vitaliani mortem Sedem vacaſse menſes duos, dies tredecim, cùm ipſemet aſserat Vitalianum obiiſse die 27 menſis Januarii.

II. Privilegium monaſterii S. Martini Turonenſis confirmat. De geſtis ab hoc Pontifice nihil ſupereſt, præter diplòma, quo confirmat privilegium, quod Crotbertus Turonenſis Epiſcopus monaſterio S. Martini conceſserat. Illud in eo totum conſiſtit, ut Epiſcopus Turonenſis, in cujus diœceſi Monaſterium Sancti Martini ſitum, nullam in eo poteſtatem habeat, niſi quòd Monachis & ſacros conferat Ordines, & ſanctum Chriſma concedat. Joannes quidem Launojus in *Aſſertione Inquiſitionis in privilegium San-Medardenſe*, de quo dictum eſt in Gregorio Papa, duodecim argumentis iſtud impugnavit. Verùm Radulphus Monsnyerus, in libro de Juribus Eccleſiæ Sancti Martini Turonenſis, ea vàna & futilia eſse oſtendit, & Carolus Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum ad annum 676, ubi utriuſque rationes expendit, & inter ſe confert, rectè concludit, in illo privilegio nihil occurrere, quòd formulæ privilegii à Marculfo lib. 1 cap. 1 exhibitæ, refragetur, ideoque perperàm Launojum illud ſuppoſititium & ſubreptitium fuiſse exiſtimaſse.

III. Ejus privilegii veritas oſtenditur. Certè his temporibus plurima monaſteria Gallicana privilegio gaudebant ab Epiſcopis diœceſanis conceſso, & Lirinenſe privilegium, in Actis Synodi Arelatenſis 3 ſub Sancto Leone Papa, & Ravennio Epiſcopo Arelatenſi habitæ memoratum, nihil complectitur, quod à Turonico diſsentaneum ſit. Idem ſanè privilegium Epiſcopi Africani numero 217 in Concilio ſub Joanne II Papa congregati omnibus Africæ monaſteriis conceſserunt anno 535, ut ibidem diximus. Occaſionem fortè his

pri-

Digitized by Google

SÆC. VII. ADEODATUS.

privilegiis dedit Epiſcoporum, circa monaſteriorum bona aut incuria, aut aliquando ea ſibi vindicandi, zelus & cupido, de qua Concilium Toletanum III ſub Pelagio II Papa celebratum canone 20 ait: *Cognovimus Epiſcopos per parochias ſuas, non Sacerdotaliter, ſed crudeliter deſævire*. Unde Sanctus Gregorius in Conſtituto quod fecit in Synodo Romana 4, anno 601, *Quia in plurimis monaſteriis*, inquit, *multa à Præſulibus præjudicia atque gravamina Monachos pertuliſſe cognoſcimus*, &c. *Probibemus, ut nullus Epiſcoporum*, &c. Patres Concilii Toletani 4 ſub Honorio Papa celebrati canone 51 loquentes de vexationibus, quas in multis Monachi ſuſtinebant, Epiſcoporum avaritia factum dicunt, *ut illuſtris portio Chriſti ad ignominiam ſervitutemque perveniat*. Legenda etiam Epiſtola 69 libri 2 Gregorii VII ad Cunibertum Epiſcopum Taurinenſem, quà eum arguit, quòd moleſtiis afficiat Monachos Sancti Michaelis.

IV. Adeodati PP. mors.

Anaſtaſius in Adeodato tradit hunc Pontificem ſediſse *annos quatuor, menſes duos, dies quinque*, quod etiam legitur in duobus codicibus MSS. Anaſtaſii Colbertinis, in Luitprando, Orderico lib. 2, Reginone, Hermanno Contracto, Catalogo Vaticano-Palatino, aliiſque; ac ſepultum eſſe ad B. Petrum Apoſtolum die 26 menſis Junii, ex quibus deduximus eum ordinatum die 22 Aprilis anni 672, & obiiſſe die 26 menſis Junii anni 676, ut numeranti patet.

V. Ejus virtutes.

Subdit poſtea idem Anaſtaſius: *Hic Eccleſiam beati Petri, quæ eſt in Portuenſi juxta Campum Meruli, reparavit, atque dedicavit. Sed & Monaſterium Sancti Eraſmi ſitum in Cœlio monte, in quo conveniſſe viſus eſt prædictus ſanctiſſimus vir, multa nova ædificia coagmentavit, ſed & caſalia conquiſivit, ſed & in vita ſua Abbatem & Congregationem ibi conſtituit*. Ejus etiam affabilitatem ſingularem, & beneficentiam erga peregrinos commendat, ac inſuper addit eum ordinatione una per menſem Decembrem creaſſe Presbyteros 14, & Diaconos 2, Epiſcopos verò per diverſa loca quadraginta ſex.

DONUS *Pontifex LXXX.*

Anno Domini DCLXXVI.

I. Donus fit Papa.

Poſt menſium quatuor, & dierum quinque interpontificium Donus, aliis Domnus, aliis Domnio, natione Romanus, Mauritii filius, Romanam Sedem conſcendit, conſecratus anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto, & quidem die prima Novembris Feſto omnium Sanctorum ſacra. Error enim irrepſit in Anaſtaſium, ubi dicitur Sedem vacaſſe menſes quatuor, dies quindecim; ut ex dicendis in Doni morte manifeſtum fiet.

II. Eccleſia Ravenn. Pontifici Rom. ſe ſubjicit.

Cùm Maurus Epiſcopus Ravennatenſis, de quo in Vitaliano locuti ſumus, extra Eccleſiæ communionem obiiſset, ut ſcribit Rubeus lib 4 Hiſt. Ravennat. in ejus locum ſubrogatus eſt Reparatus, qui & ipſe refractarius Apoſtolicę Sedi, laboravit perficere per Imperatoris reſcriptum, ne Ravennatenſis Eccleſia Romanæ ſubjaceret. In fine tamen vitæ facti pœnitens, Dono Papæ ſe ſubjecit, & ſub eo obiit ex Anaſtaſio. Huic ſucceſſit Theodorus, Eccleſiæ Romanæ obſequentiſſimus, qui & interfuiſse reperitur Synodo Romanæ ſub Agathone: imò & non ob aliam cauſam veniſſe tunc Romam, niſi ut ſe Pontifici ſubjiceret, teſtatur idem Anaſtaſius in Agathone. Poſtea tamen Felix Ravennæ itidem Epiſcopus ſub Conſtantino Papa ſe ſe ab obedientia Romani Pontificis ſchiſmate ſeparavit; ſed quo exitu, ibidem dicetur.

III. Theodorus Epiſc. CP. Synodicam ad Donum mittere renuit.

Ubi Conſtantinopoli innotuit Donum Rome creatum eſſe Pontificem, Theodorus, quem in Vitaliano Papa diximus anno 675, eodem ſcilicet anno, quo Donus dictus eſt Papa, Conſtantino in Patriarchatum Conſtantinopolitanum ſucceſsiſse, nequaquam ex more Synodalem ad Donum Epiſtolam dedit, cùm probè ſciret minimè ab eo fore recipiendam, quòd hæreſis nomine à Romanæ Sedis Pontifice haberetur extorris: verùm hortatoriam ad eum Epiſtolam miſit, ut aliquando tandem inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam concordia ſanciretur. Hæc conſtant ex Epiſtola Conſtantini Pogonati Imperatoris ad Donum Papam, de qua mox, ex qua & liquet Theodorum ab eodem Imperatore admonitum ut Synodicam ſcriberet, parere renuiſse. Quid ad Theodorum Donus reſcripſerit, ignoratur.

IV. Studium Imperatoris pro Eccleſiarum pace.

Sed Pace, anno 678 Romanos inter & Saracenos conſtituta, Imperator id præ cæteris ſummo ſtudio procuravit, *ut ſanctæ Dei Eccleſiæ diſſidium ubique pace à temporibus Heraclii Imperatoris proavi ſui, & veſani Sergii, & Pyrrhi, qui Conſtantinopolitano throno indignè præfecti unam voluntatem, unamque item actionem in Domino Deo Salvatore noſtro Jeſu Chriſto docebant, in unionem atque concordiam revocaret*, inquit Theophanes. Quare ut ex dicta ad Donum Epiſtola liquet, pius Princeps quęſivit à Theodoro Conſtantinopolitano & Macacario

Digitized by Google

cario Antiocheno Patriarchis, quænam controverſia inter Apoſtolicam Sedem & Conſtantinopolitanam de fide verteretur. Qui reſponderunt, verba quædam novitatis introducta fuiſſe à nonnullis ex imperitia, ab aliis ex temeritate: & ex hoc tempore convenire non potuiſſe utramque Eccleſiam.

V. *Imp. ſcribit ad Donum PP. pro Concilii generalis convocatione.*

His permotus Imperator, Concilium convocavit Conſtantinopolim, ac de ea re ſcripſit ad Donum Pontificem Maximum, ad quem etiam miſit Epiphanium Virum Illuſtrem, qui erat ipſi à ſecretis, acturum cum illo, ut Legatos tum Sedis Apoſtolicæ, cùm Occidentalis Synodi, ad Concilium œcumenicum mitteret, cum libris, ex quibus dirimi poſſet controverſia. Id conſtat ex ſacra juſſione Conſtantini Imperatoris, quæ legitur in limine Sextæ Synodi. Eam Epiſtolam ſeu Juſſionem Conſtantinus Imperator videtur ſcripſiſſe annò 678, cùm ea Romam non pervenerit, niſi poſt mortem Doni, quę eodem anno, die undecima Aprilis contigit. Cùmque Agathoni ejus ſucceſſori reddita fuerit, quæ poſtea ſecuta ſunt, in ejus Pontificatu narrabimus.

VI. *Theodorum à Sede CP. dejicit, & ei Georgium ſubſtituit.*

Sed hîc prætermittere non debemus, eodem anno Conſtantinum Imperatorem, Theodorum Patriarcham Conſtantinopolitanum, incertum qua de cauſa è ſede dejeciſſe, & Georgium in ejus locum ſubrogatum eſſe; ſed hæc poſtquam Conſtantinus ad Donum Papam ſcripſit. Baronius quidem contendit Theodorum causâ fidei fuiſſe depoſitum. Verùm Conſtantinus ea œconomia uſus eſt, ut Monothelitas omnes bene habuerit, donec per Concilium generale proſcriptus eſt Monotheliſmus. Neque credibile videtur Theodorum ob hæreſis cauſam fuiſſe Patriarchatu ſpoliatum, ſimulque in ejus locum ſubrogatum Georgium, ipſum quoque Monothelitam; qui per Concilium correptus eſt. Nec etiam credibile eſt eum fuiſſe depoſitum ob expunctionem Vitaliani Pontificis Romani à ſacris Dipcychis, inſcio, vel invito Conſtantino, quia, ut ſupra in Vitaliano dixi eodem Imperatore connivente, id factum videtur. Tum etiam quia ſi Conſtantinus in pœnam temeritatis Theodorum Patriarcham ſpoliavit, cur inde Macarium Antiochenum ſocium Theodori in expunctione Vitaliani, atque illo deteriorem, nedum non depoſuit, verùm etiam honorificè habuit, ſpecioſiſque titulis inſignivit, donec de ejuſdem pertinacia in hæreſi tuenda conſtitit? Cùm itaque poſt celebratam Sextam Synodum, Georgio mortuo, iterum Theodorus Conſtantinopolitanum thronum aſcenderit, conjicere licet eum ab hereſi reſipuiſse, & Georgium, qui à Concilio correctus eſt, hæreſim abjuraſse.

VII. *Quædam Doni PP. geſta recenſentur.*

Donus Papa ex Anaſtaſio *atrium beati Apoſtoli ſuperius, quod eſt ante Eccleſiam in quadriporticum magnis marmoribus ſtravit*, beneficii memoriam etiam nobis conſervavit Paulus Diaconus lib. 5. de Geſtis Longobardorum his verbis: *His diebus Donus Papa Romanæ Eccleſiæ locum, qui Paradiſus dicitur, ante Baſilicam beati Apoſtoli Petri candidis & magnis marmoribus mirificè ſtravit*. Tradit inſuper Anaſtaſius eum inſtauraſse & dedicaſse Eccleſias Apoſtolorum Via Oſtienſi, & Eccleſiam divæ Euphemiæ Via Appia ſitam. Me autem latet an ea ſanctæ Euphemiæ Eccleſia eadem ſit, cum eâ quam Oldoinus, neſcio quo Auctore, dicit ab Adeodato Papa Doni deceſsore, extructam fuiſse ad Exquilini montis radices, quam vetuſtate jam fatiſcentem Sixtus V ad Urbis ornatum ſolo æquavit. Tandem Donus reperit in urbe Roma, in monaſterio, quod appellatur Boëtianum, Neſtorianos Monachos Syros, quos teſte eodem Anaſtaſio in varia monaſtèria diviſit, ad pœnitentiam ſcilicet & Boëtianum monaſterium Romanis incolendum tradidit. Ordinationem unam habuit Presbyterorum decem, Diaconorum quinque, Epiſcopos verò ſex per diverſa loca ordinavit.

VIII. *Doni PP. obitus.*

Anaſtaſio ſcribenti Donum Papam ſediſse *annum unum, menſes quinque, dies decem* ſuffragantur Luitprandus, Ordericus lib. 2, Regino, Honorius Auguſtodunenſis, Hermannus Contractus, Catalogus Vaticano-Palatinus, aliique. Obiit itaque Donus die undecima menſis Aprilis anni ſexcenteſimi ſeptuageſimi octavi, quo die etiam illum ſepultum aſserit idem Anaſtaſius, *ad Beatum Petrum Apoſtolum ſub die 3 Idus Aprilis*. Ex quo & conſequens eſt ejus ordinationem diei primæ Novembris anni ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſexti rectè à nobis fuiſse affixam, & errorem irrepſiſſe in Anaſtaſium, ubi legitur, poſt Adeodati mortem, Sedem vacaſſe *menſes quatuor, dies quindecim*, vacavit enim tantùm menſes quatuor, dies quinque, ut ſuperiùs diximus.

S.AGA-

Digitized by Google

S. AGATHO Pontif. LXXXI.

Anno Domini DCLXXVIII.

I. *S. Agatho Dono ſuccedit.*

S. Agatho, natione Siculus eodem anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo Pontificiam dignitatem adeptus eſt, conſecratus die vigeſima ſeptima menſis Junii, in quam Dominica cadebat, poſtquam, ut ſcribit Anaſtaſius, ceſsaſset Pontificatus *menſes duos*, *dies* 15: diem enim emortualem Doni Anaſtaſius, ut alibi ſæpe, ab interpontificio excludit. Doni mortem, & Agathonis ordinationem Hermannus Contractus juxta editionem Caniſii cum anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo recte connectit.

II. *S. Wilfridum Epiſc. Eborac. in Sedem reſtituit in prima Synodo Romana.*

S. Wilfridus Eboracenſis Epiſcopus, anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo ab Egfrido Northumbriæ Rege Epiſcopatu pulſus, Apoſtolicam Sedem appellavit, & ſequenti Romam ad Agathonem Papam perrexit. Pontifex congregato multorum Epiſcoporum Concilio *menſe Octobri*, *indictione ſeptima*, ut habet Eddius in Vita S. Wilfridi à Mabillonio Sæc. 4 Benedictino relata cap. 28, ideoque anno 678, Wilfridi cauſam agitavit, decretumque, ut is Epiſcopatum reciperet. Eddius laudatus ſcribit, Concilium celebratum eſse in Baſilica *Salvatoris Domini noſtri J. C. quæ appellatur Conſtantiniana*, eique adfuiſse Epiſcopos & Presbyteros *pluſquam quinquaginta*, inter quos nominatur Deodatus Tullenſis Epiſcopus, quem cum Wilfrido Romam miſerat Dagobertus II Franciæ Rex, ut ei dux eſset in itinere ex eodem Eddio cap. 27. De eodem Concilio loquitur Beda lib. 5 cap. 20, ubi ait: *Ubi cauſa ejus ventilata eſt* (ſcilicet Romæ) *præſente Agathone Papa*, *& pluribus Epiſcopis univerſorum judicio abſque crimine accuſatus fuiſſe*, *& Epiſcopatu eſſe dignus inventus eſt*. Annum porrò dejectionis Wilfridi ab Epiſcopatu, cauſam diſsidii inter eum & Egfridum Regem, & illud Concilium Romanum, in quo abſolutus eſt, fusè in Critica Baronii referuntur & elucidantur.

Concilium Cpolitanum III. Generale ſextum.

III. *Alteram Romæ Synodum contra Monothelitas celebrat.*

Cùm inter Conſtantinum Auguſtum, & Agathonem Papam, de cogenda Synodo Univerſali actum eſset, hic anno 679 alterum Concilium Romæ 125 Epiſcoporum coegit contra Monothelitas, in quo facta eſt electio Legatorum, qui Conſtantinopolim ad Concilium generale mittendi erant. Hujus Concilii paucula hodie ſuperſunt apud Eddium in Vita S. Wilfridi. Nam cap. 50 loquens de Synodo Romana ſedente Joanne Papa VI habita, in qua rursùs Wilfridus abſolutus eſt, ait: *Per IV menſes & LXX Conciliabula ſanctiſſimæ Sedis*, *de fornace ignis examinandus*, *Apoſtolica poteſtate hoc modo auxiliante purificatus* (*ut dicam*) *evaſit*. [*recitatumque*] *breviter*, *quia in Sancto Paſcha*, *feria die*, *ter beatiſſimi Agathonis Synodus adversùs pravitates hæreticorum cum CXXV Orthodoxis Epiſcopis conſtituta eſt*; *ex quibus unuſquiſque pro ſua provincia & civitate veram fidem confeſſus eſt*, *& ſubſcriptione ſua confirmavit*. *Hæc coram omni populo more Romanorum clara voce legebatur*, *in qua ſcriptura inventum erat inter cætera*: *Wilfridus Deo amabilis Epiſcopus Eboricæ civitatis*, *Apoſtolicam Sedem de ſua cauſa appellans*, *& ab hac poteſtate de certis incertiſque rebus abſolutus*, *& cum aliis CXXV Coepiſcopis in Synodo judicii ſede conſtitutus pro omni Aquilonali parte Britanniæ & Hiberniæ Inſulis*, *quæ ab Anglorum & Brittonum*, *necnon Scottorum & Pictorum gentibus colebantur*, *veram & Catholicam fidem confeſſus eſt*, *& cum ſubſcriptione ſua corroboravit*. Wilfridus enim Romæ poſt primum Concilium reſidere juſsus eſt, ut intereſset huic Concilio contra Monothelitas, cujus etiam meminit Beda loco laudato his verbis: *Quo in tempore idem Papa Agatho cùm Synodum congregaret Romæ centum viginti quinque Epiſcoporum*, *adversùs eos*, *qui unam in Domino Salvatore voluntatem atque operationem dogmatizabant*, *vocari juſſit & Wilfridum*, &c.

IV. *Ex ea mittit Legatos ad Synodum œcumenicam.*

Et recitatis Eddii verbis, habemus diem celebrati Concilii, hactenus nobis ignotum, feriam ſcilicet tertiam Paſchatis, quę anno 679 cum die quinto menſis Aprilis concurrebat. In eo Concilio, Agatho Apoſtolicæ Sedis Legationem, Theodoro & Georgio Presbyteris & Joanni Diacono impoſuit. Legationem verò Synodi Occidentalis Joanni Portuenſi, Joanni Regii, & Abundantio Paternenſi Epiſcopis. Id conſtat ex Epiſtola Conſtantini Imperatoris data ad Georgium, qui, ut diximus in Dono, ejecto Theodoro anno 678 inauguratus erat Regiæ civitatis Antiſtes. Ex eo pariter Concilio Epiſtolam dedit Agatho ad Conſtantinum Imperatorem & fratres ejus de fide Catholica contrà Monothelitas

tas

Digitized by Google

tas, ac inſuper aliam ad eoſdem nomine totius Synodi de fide Catholica conſervanda, quę recitata eſt in Sexta Synodo generali Act. 4. Utraſque recitat Baronius anno 680.

V. Legati Agathonis PP. diverſi à Legatis Concilii Rom. & quare.

Porrò licet ad alias Synodos Generales Orientis miſſi tantùm fuiſſent Legati Sedis Apoſtolicæ, qui vicem Romani Pontificis gererent, & per conſequentiam Concilii quoque Romani, in quo eorum legatio decreta erat; Agatho tamen Papa Legatos miſit ad Synodum ſextam cum diſtinctione, ſcilicet Theodorum & Georgium Presbyteros, ac Joannem Diaconum, qui vicem ſuam implerent; ac præterea tres ſupradictos Epiſcopos vice totius Concilii Occidentalis, cum aliquot Clericis & Monachis, ut docet Conſtantinus Imperator in Epiſtola ad Georgium Conſtantinopolitanum Patriarcham. Quare antiquus legationis ordo immutatus fuerit habemus ex Marca lib. 5 de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 6 num. 4, & ſeq. Conſtantinus Imperator petiit à Pontifice ut ad Synodum dirigeret non ſolùm ſuæ perſonæ Vicarios, tres numero, vel amplius ſi ipſi videretur, ſed etiam ſeorſim Concilii Romani Legatos, uſque ad duodecim Metropolitas & Epiſcopos ac Abbates quatuor. Hujus autem petitionis novæ rationem fuiſſe putat Marca, quòd Romana ſedes invidia laboraret apud Orientales, ob damnatos in Synodo Martini Papæ, propter novam hæreſim, Patriarchas Orientis. Itaque ut major fides Legatis Apoſtolicæ Sedis adhiberetur, Conſtantinus prudenter exegit, ut Legati quoque Concilii Occidentalis veritatem fidei aſſererent; præſertim cùm Synodus Apoſtolicæ Sedis non ex ſolis Italiæ provinciis conſtaret, ſed etiam ex variis Conciliis provinciarum, quæ ſitæ erant in regnis ab Imperio alienis, Francorum ſcilicet, Britannorum, Gothorum & Longobardorum. Denique idem Marca notat horum Legatorum diſtinctionem obſervatam eſſe in ſubſcriptionibus Concilii, in quibus primus honor delatus eſt Legatis, qui Agathonis vices gerebant; primo enim loco ſubſcripſerunt Theodorus, & Georgius Presbyteri Eccleſiæ Romanæ, & Joannes Diaconus *locum tenentes* Agathonis Papæ; ſecundo loco Patriarchæ Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Jeroſolymitanus vel eorum Vicarii; deinde tres Metropolitæ Theſſalonicæ, Cypri & Ravennæ, poſt hos ſubſcribit Joannes Portuenſis Epiſcopus *Legatus totius Concilii Apoſtolicæ Sedis Romæ*: poſt hunc Baſilius Cortynæ Epiſcopus, qui eodem ſe titulo Legati Concilii ornat, quem Abundantius & Joannes Legati ſequuntur.

VI. Gallicana & Mediolanenſis Synodi juſſu Agathonis celebratæ.

Non ſolùm Romæ Concilium celebravit Agatho contra Monothelitas, ſed & juſſit, ut in variis regionibus Synodi congregarentur, quibus Monothelitarum hæreſis damnata eſt in Italia, Galliis & Anglia, ut ex literis mox laudatis ejuſdem Agathonis ad Imperatorem datis conſtat. Romanam Synodum præceſſerunt Gallicana, & Mediolanenſis. In priori electi ſunt Felix Arelatenſis, Adeodatus, ſeu Deodatus Tullenſis, ſeu Leucorum, de quo mox locuti ſumus, Epiſcopi, & Taurinus Diaconus Eccleſiæ Telonenſis, qui intereſſent Synodo Romanæ, in qua fides Orthodoxa confirmanda, Monothelitarum hæreſis damnanda, & Legatio Conſtantinopolitana ad Synodum Oecumenicam decernenda erat. Synodo Mediolanenſi, eodem circiter, quo Gallicana, tempore, coactæ præfuit ſanctus Manſuetus Mediolanenſis Epiſcopus, & ex ea idem Manſuetus ad Synodum Romanam delegatus eſt, cum Anaſtaſio Epiſcopo Ticinenſi. Hęc etiam Synodus ſcripſit Epiſtolam Synodalem miſſam ad Imperatorem, quæ extat Tom. 6 Concil. pag. 631, quæque, ut ait Paulus Diaconus lib. 6 cap. 4 de Geſtis Longobard. in Synodo Romana Agathonis, *non mediocre ſuffragium tulit*.

VII. Item Anglicana.

Quod ſpectat ad Concilium Anglicanum, à Theodoro Archiepiſcopo Cantuarienſi indictum, ut quod alibi in Gallia, Italiaque adversùs Monothelitas decretum fuerat, in Anglia etiam ſtatueretur, pertinet ad annum Chriſti 680, quo Beda in Recapitulatione hæc habet: *Anno 680 facta eſt Synodus in Campo Hedfelda de fide Catholica, præſidente Archiepiſcopo Theodoro, in qua adfuit Joannes Abba Romanus*. Verum quidem eſt Bedam lib. 4 cap. 17 ſcribere hoc Concilium celebratum *ſub die 15 Kalendas Octobres, indictione octava*, quod decepit Baronium, alioſque, quia cùm indictio octava incipiat Kalendis Septembris anni 679, crediderunt illud Concilium die 17 Septembris ejusdem anni celebratum, ſed Beda ibi uſurpans indictionem Conſtantinianam, quæ die vigeſima quarta Septembris exorditur, confirmat quod ſcripſit in Recapitulatione, coactum nempe illud eſſe anno 680, & quidem die 17 Septembris. Ex eo, ut inquit Beda laudatus cap. 18, *exemplum Catholicæ fidei Anglorum Romam perlatum eſt, atque ab Apoſtolico Papa, omnibuſque qui audiere vel legere, gratantiſſimè ſuſceptum*.

VIII. Legati Apoſtolici Cpolim ingrediuntur.

In Anaſtaſio mendosè legitur, Legatos Agathonis Papæ & Apoſtolicæ Sedis Conſtantinopolim ingreſſos eſſe *die 10 menſis Novembris indictione 9*, anno ſcilicet 680, quo incepta eſt prima Actio die ſeptima menſis Novembris, indictione nona, præſentibus Legatis Agathonis Papæ; quod fieri non potuiſset, ſi Legati die tantùm decima ejuſdem menſis Regiam urbem introiſſent. Apud Anaſtaſium itaque loco 10

Hh *menſis*

Digitized by Google

menſis Novembris, legendum, 10 *menſis Septembris*. Poſtea ſubdit Anaſtaſius: *Et dans* (nempe Imperator) *inducias ad retractanda ſcripta, tribuit eis omnia, quæ ad ſuſtentationem ſufficiebant in eorum expenſas in domo, quæ appellatur Placidia, die 18 menſis ſupraſcripti* (ſcilicet Septembris). *Die Dominico advocati ſunt in proceſſione ad ſanctam Dei Genitricem in Blachernas in tanta honorificentia, ut etiam de palatio caballos ſtratos dirigeret cum obſequio pietas Imperialis, & ſic eos ſuſciperet*. Adventarunt itaque Legati die 10 Septembris; die 18 ejuſdem menſis Imperator tribuit eis omnia, quæ ad ſuſtentationem ſufficiebant. Die verò Dominica adveniente, ſcilicet vigeſimâ tertia Septembris advocati ſunt in proceſſione.

IX. *Epiſcopi vocantur ad Synodum generalem.*

Eodem die quo Legati advenerunt ac Miſſi à Synodo Occidentali, Imperator novam direxit ſacram Divalem Georgio Conſtantinopolitano Patriarchæ, pro diſponendis rebus Synodi, ac convocandis ad eam ſubjectis Throno Conſtantinopolitano Epiſcopis, data enim dicitur *quarto Idus Septembris*. Corrigendum & aliud mendum in Anaſtaſio, qui ait: *die viceſima ſecunda Novembris* in Baſilica ſuſceptos eſſe Miſſos Sedis Apoſtolicæ. Cùm enim Acta Synodalia habeant, primam Actionem præſentibus Apoſtolicis Legatis, die ſeptima menſis Novembris incœptam, illud verum eſſe non poteſt. Textum verò Anaſtaſii, non ipſa Acta, vitiatum eſſe ex notis temporariis priorum Actionum elicit Auctor Criticæ Baronii. Nam ſecunda Actio, inquit, die 10 Novembris; tertia, die 13; quarta, die 15 ejuſdem menſis; quinta denique, die ſeptima Decembris celebrata, ut in Actis legitur. Quare mendum in Anaſtaſio reſidet, alioquin omnes illi numeri priorum Actionum depravati eſſent, quod incredibile eſt, cùm ſine fundamento afferatur.

X. *De numero Epiſcoporum Synodi.*

Adfuere Synodo præter Legatos Apoſtolicæ Sedis & Agathonis, qui ei præfuerunt, ac Miſſos Synodi Occidentalis, duo Orientis Patriarchę, Georgius Conſtantinopolitanus, Macarius Antiochenus, Petrus Alexandrini Patriarchæ Vicarius, Georgius item Presbyter Jeroſolymitanæ Eccleſiæ nomine, & cum his Epiſcopi quamplurimi Orientis, de quorum numero non ſatis convenit inter Scriptores. Photius in libello de Synodis centum & ſeptuaginta; Theophanes & Cedrenus ducentos octoginta novem numerant, ſed poſtremæ Synodali Actioni centum tantùm ſexaginta ſex ſubſcripti reperiuntur. Interfuit etiam Conſtantinus Pogonatus Imperator, & aliqui Magiſtratus ab ipſo delecti. Unde dicitur Concilium celebratum *præſidente piiſſimo & Chriſto amabili magno Imperatore Conſtantino:* licèt enim ei præfuerint Apoſtolici Legati, quodam tamen ſenſu dici poteſt præfuiſſe Religioſiſſimum Principem, ut Defenſorem fidei, & Ordinis Judiciorum cuſtodem, non verò ut Judicem controverſiarum fidei. Magiſtratus verò qui paſſim in Synodo nominantur glorioſiſſimi Judices, adfuerunt, ut conſervatores eſſent Synodi, ac libertatis partium.

XI. *Synodus inchoatur.*

Cœpta eſt itaque œcumenica Synodus Sexta Conſtantinopoli die ſeptima menſis Novembris anno ſexcenteſimo octogeſimo, Agathonis Papæ tertio, Conſtantini Pogonati Imperatoris anno vigeſimo ſeptimo, poſt Conſulatum ejus decimo tertio, in Trullo, ſeu in Palatii vel Baſilicæ Secretario, cui *Trullo* nomen erat. Quid eſſet Trullus explicat Ducangius in Conſtantinopoli Chriſtiana paragr. 32 & ſeq. libri tertii dum deſcribit ædem S. Sophiæ. In eo ędificio habita Synodus, quod Anaſtaſius in Agathone *Baſilicam*, & in Leone II *Palatium* appellat. Sedebant à ſiniſtris Imperatoris Romani Pontificis Legati, a dextris Macarius Antiochenus & Georgius Conſtantinopolitanus. In quo ſeſſionis ordine nihil præter morem Eccleſiaſticum commiſſum eſt: nam & in Concilio Nicęno Euſtathius Antiochenus Epiſcopus primus ad dextram ſedebat; Oſio, aliiſque S. Silveſtri Legatis ſedentibus ad ſiniſtram. Et in Concilio Calchedonenſi Legati S. Leonis ad lęvam ſedebant, Dioſcorus vero Alexandrinus Patriarcha ad dexteram propoſitis in medio Evangeliis. Nec mirum, cùm ſiniſtra in Eccleſia honoratior ſit dextera, ut de Concilio Nicæno loquentes obſervavimus.

XII. *Acta in tribus prioribus Actionibus.*

Loco autem medio Synodi, ex antiqua conſuetudine, ſacroſanctis Dei Evangeliis ſuper ſedem ornatam poſitis, Chriſtum ipſum repræſentantibus dato, Apoſtolicæ Sedis Legati aggreſſi loqui, ſui adventus cauſam edocuerunt; queſtique ſunt, de eo quòd quatuor Conſtantinopolitanæ Sedis Epiſcopi, nempe Sergius, Pyrrhus, Paulus & Petrus, itemque Cyrus Alexandrinus, atque Theodorus Epiſcopus Pharanitanus novam induxiſſent hæreſim in Eccleſiam de una in Chriſto voluntate & operatione. Itaque jubente Imperatore, cauſam ab adverſa parte reddit Apoſtolicæ Sedis Legatis, coriphæus ejus ſectæ Macarius Antiochenus Epiſcopus, & cum eo alii pro Sede Conſtantinopolitana cauſam agentes, reſponderunt nullam à ſe novitatem introductam, ſed ea potius prolata eſſe, quæ à ſacris Synodis & Sanctis Patribus eſſent accepta. Quibus auditis Imperator, cùm dixiſſet non paſſurum ſe in Synodo reſidere, niſi quæ propoſuiſſent omnia probarent, id Macarius pollicitus eſt præſtare. Itaque tam in hac prima, quàm in duabus ſequentibus Actionibus nihil aliud actum eſt, niſi

quòd

Digitized by Google

SEC. VII. S. AGATHO.

quòd lecta ſunt trium Oecumenicarum Synodorum Acta, videlicet Epheſinę, Calchedonenſis & Quintæ.

XIII. Actiones quarta, quinta & ſexta. Actione quarta lectæ ſunt Epiſtolæ duæ dogmaticæ, una Agathonis, altera Synodi Occidentalis ad Conſtantinum Imperatorem, quibus geminæ in Chriſto voluntatis & operationis Catholicum dogma ex fidei regulis demonſtratur. Actionibus V & VI, quarum ultima habita eſt die 12 Februarii anni ſequentis, ſeu Chriſti 681, Macarius Antiochenus Patriarcha, Monothelita pervicaciſsimus, urgente Imperatore protulit teſtimonia ſanctorum Patrum, quibus una Chriſti voluntas aſſeri videbatur. Hæc verò teſtimonia truncata eſse à Macario & ejus Symmiſtis, exceperunt Sedis Apoſtolicæ Legati, & quæ Patres de voluntate divina manifeſtè dixerunt, ab iis ad voluntatem Chriſti per Incarnationem fraudulenter fuiſſe tranſlata.

XIV. Actio ſeptima. Actione VII, die decima tertia Februarii habita, Legati recitarunt teſtimonia Sanctorum Patrum, qui duas voluntates, & operationes predicabant. Interrogati verò ab Imperatore Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus & Macarius Antiochenus, an definitioni Agathonis Papæ conſentirent, petierunt exemplar definitionis, & inducias, ut laudata ſanctorum Patrum loca cum codicibus Eccleſię Conſtantinopolitanæ conferre poſsent.

XV. In octava Georgius Cpolitanus fidem orthodoxam profitetur. Actione VIII die ſeptima Martii celebrata idem Georgius Cpolitanus ab Imperatore interrogatus, reſpondit ſe diligenti codicum collatione facta cum authenticis exemplaribus, cognoviſse, recenſita in Relationibus Agathonis teſtimonia SS. Patribus conſona eſse; ideoque ſe Relationes Agathonis Papæ & Occidentalis Synodi amplecti profeſsus eſt, eamdemque fidem ſectari. Egregium Orthodoxiæ ſpecimen dedit Georgius in eadem ſeſsione, cùm Vitaliani Pontificis nomen ſacris Diptychis reſtitui poſtulavit, quod malis artibus Macarii Antiocheni fuerat expunctum, quod obtinuit ab Imperatore. Ejus fidem feſtivâ acclamatione commendavit Synodus: *Georgio orthodoxo Patriarchæ multos annos*. Omnes Epiſcopi Conſtantinopolitanę Sedi ſubditi, cum Georgio ſe ſentire, Agathonis Epiſtolam ſuſcipere, fidem profiteri, hæreſim anathematizare conteſtati ſunt.

XVI. In nona Macarius Antiochenus deponitur. In eadem octava Actione Macarius Antiochenus cum Stephano Abbate peſsimo Monothelita, non ſolùm in errore obſtinatè perſtitit, ſed etiam procaciter conteſtatus eſt, ſe ab eo non diſceſsurum, nec ſi membratim præcideretur & abjiceretur in mare: quin imò impudenter nimis jactare non erubuit, ſe, ut hæreſim ſuam ſtabiliret, Patrum ſcripta corrupiſse. Itaque univerſa Synodus in has voces erupit: *Hæreticum ſe ipſum manifeſtè demonſtravit. Novo Dioſcoro anathema. Hujuſmodi deponatur. Novum Dioſcorum foras mitte. Novo Apollinario malos annos. Meritò ab Epiſcopatu alienetur. Nudetur circumpoſito et pallio.* Tandemque Actione nona, die ſequenti, octava nempe Martii habita, ſententia depoſitionis tam in Macarium, quàm in dictum Stephanum Abbatem prolata eſt. Epiſcopis & Clericis, qui errorem abjuraverant, ſervata eſt dignitas, eâ lege, ut fidei libellos cum jurejurando Synodo offerrent. Porrò poſt Synodum Imperator Macarium Antiochenum, Stephanum Abbatem, Polychronium, de quo infra, Anaſtaſium Monothelitam, alioſque Macarii diſcipulos Romam in exilium miſit, ut auctor eſt Anaſtaſius, qua de re vide dicenda in Leone II.

XVII. Acta in Actionibus 10, 11, & 12. Actionibus 10, 11 & 12, eodem menſe Martio celebratis, recepti ſunt libelli quorundam palinodiam recantantium: lectaque & approbata eſt Epiſtola Sophronii olim Epiſcopi Jeroſolymitani ad Sergium Conſtantinopolitanum: atque item lecta, ſed damnata Macarii, aliorumque hæreticorum ſcripta. Quærentibus verò Proceribus, ſeu Magiſtratibus, an Macarius in ſedem reſtituendus eſſet, ſi fortè revocaret errorem, ſancta Synodus dixit: Nullatenus divinam regulam pati, ut in ſede Doctoris ulteriùs reſideret. Lectæ ſunt preterea Sergii Monothelitarum Principis ad Cyrum, & ad Honorium, necnon Honorii Pontificis Romani Epiſtola prima ad Sergium.

XVIII. In Actione 13 damnantur Monothelitæ. Actione decimatertia, die vigeſima octava ejuſdem menſis Martii habita, lata eſt ſententia in hæreticos Monothelitas; nominatimque adverſùs Sergium, Pyrrhum, Petrum & Paulum Epiſcopos olim Conſtantinopolitanos, necnon contra Cyrum Alexandrinum & Theodorum Epiſcopum Pharanitanum. Cum iis damnatus eſt & Honorius Papa, non quidem ut hæreticus, ſed ut hæreticorum fautor, ut in ejus Pontificatu oſtendimus. In hac eadem Actione, lecta eſt ſecunda Honorii Papæ ad Sergium Epiſtola. Lecta pariter Epiſtola Pyrrhi Conſtantinopolitani ad Joannem Quartum Pontificem Maximum, quæ viſæ ſunt in impietatem Monothelitarum concurrere, & ideo igni coram Synodo traditæ ſunt. Relectę pariter Epiſtolę Synodales Thomæ, Joannis & Conſtantini olim Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, qui Petro Monothelitę ſucceſſerant, in quibus nihil inventum eſt Orthodoxę fidei contrarium; quare ſancta Synodus edixit, *Hos ſanctæ memoriæ tres viros, id eſt Thomam, Joannem & Conſtantinum in unitate manere, atque in ſacris Diptychis ſanctarum Eccleſiarum recitari, utpote qui in omnibus imma-*

Hh 2 culati

Digitized by Google

culati atque irreprehenſibiles inventi eſſent circa rectam noſtram Chriſtianorum fidem.

XIX. *In Actione 14 Vigilii Epiſtola falſata reperiuntur.*

Actione 14, die ſecunda menſis Aprilis celebrata, lecti ſunt libelli Mennę Patriarchæ quondam Cpolitani ad Vigilium Papam, & Vigilii ad Juſtinianum Imperatorem & Theodoram Auguſtam Epiſtolę: quas Apoſtolicæ Sedis Legati exclamaverunt non eſſe Vigilii, & falſatum eſſe librum geſtorum Quintę Synodi. Quare cùm examinarentur codices ejuſdem Quintæ Synodi, in quibus Epiſtolę illę Vigilii extabant, conſtitit illas olim deſideratas fuiſſe in antiquis, additoſque non ita multò ante fuiſse tres quaterniones novos in initio Synodi: in ſeptima verò Actione, in qua continentur duæ illę Vigilii Epiſtolę, mutatum fuiſſe quintum decimum quaternionem, adjectum eſse quadrifolium non ſuperſcriptum ante decimum ſextum quaternionem, in quo feruntur duo libelli ſeu Epiſtolę Vigilii. Quamobrem Patres decrevere, chartaceum volumen, quod falſatum erat, caſſari in locis, in quibus adjectiones erant factæ, & anathema dixerunt libellis, qui dicuntur ſcripti fuiſſe à Vigilio ad Juſtinianum & Theodoram. Verùm, ut inquit Baluzius in novâ Collectione Conciliorum Tomo 1, in Præfatione ad Acta Quintæ Synodi, hęc Epiſtolis illis Vigilii auctoritatem non abjudicant; non enim falſæ illę dicuntur, ſed falsatę & corruptę ab iis, qui teſtimoniis illarum abuti volebant ad confirmandam opinionem ſuam de una in Chriſto voluntate & operatione. Et hæc eſt ratio, cur fuerint falſitatis accuſatę, quòd ſcilicet ea pars, in qua de una Chriſti operatione agebatur, à Monotheliris addita erat. Plura hac de re Baluzius laudatus.

XX. *In Actione 15 Polychronius impoſtor damnatur.*

Actione 15, habita die vigeſima ſexta ejuſdem menſis Aprilis, Polychronius Preſbyter & Monachus, Macarii Antiocheni & Stephani Abbatis diſcipulus, in conſeſſum vocatus, & interrogatus de fide, non ſolùm ſe Monothelitam, ſed & præſtigiatorem prodidit, & publicum impoſtorem. Is enim chartulam, in qua ſcripta erat hæc propoſitio: *Qui non confitetur unam voluntatem, & unam Deivirilem operationem, non eſt Chriſtianus*, ſuper mortuum poni poſtulavit, ſpondens illum ſe ſuſcitaturum, ut fidei ſuæ veritatem comprobaret, quam cœleſtibus viſionibus jam confirmatam mentiebatur. Cùm autem ejuſmodi miraculi pollicitatione magnam populi multitudinem poſt ſe traxiſſet Polychronius, coacta eſt Synodus, ne fidei ſacramentum leviſſimi hominis petulantiâ in diſcrimen adduceretur, eam indignam licèt conditionem ſubire. Præſentibus itaque Patribus, necnon Imperatore, atque univerſo populo appoſitum eſt coram Polychronio defuncti recens hominis cadaver. Pluribus horis perſonam egit perfidi impoſtoris Polychronius, defuncto in aures inſuſurrans; ſuamque tandem impotentiam profeſsus eſt. Tunc populus exclamavit: *Novo Simoni anathema: Polychronio ſeductori populi anathema*. Poſt hæc in locum Synodi redactus, cùm nollet hæreſim abjurare, tanquam ſeductor populi & manifeſtus hæreticus, omni Sacerdotali ordine & officio denudatus eſt, & anathematis vinculo ſuppoſitus.

XXI. *In Actione 16 alius impoſtor exploditur.*

Actione decima ſexta, quæ habita reperitur die nona Auguſti, alius hęreticus nomine Conſtantinus, Eccleſiæ Apameenſis Presbyter, accepta licentia dicendi, ad docendam Synodum ſe veniſse profeſſus, temperamentum quoddam propoſuit, quo concordari poſſent Monothelitę, atque Catholici; hac nimirum ratione, ut dicerentur in Chriſto duę operationes, voluntas verò una; ita videlicet, ut Chriſtus aſſereretur humanam voluntatem deſeruiſſe cum carne & ſanguine crucis tempore. Sed exploſâ à Synodo atque damnatâ ejuſmodi aſsertione tanquam Manichæorum, ipſe Conſtantinus parem cum ea damnationis ſententiam accepit. In eadem Actione petens Georgius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ut, ſi fieri poſſet, nominatim non anathematizarentur Sergii, Pyrrhi, Pauli & Petri deceſsorum ſuorum perſonę, rejectus eſt à Synodo. Georgius Synodo conſenſit. Secutæ ſunt acclamationes: *Conſtantino Imperatori Orthodoxo, pacifico, novo Theodoſio, novo Marciano, novo Juſtiniano; conſervatori rectæ fidei, multos annos, Agathoni Papæ Romano multos annos*; &c. Adjuncta ſunt anathemata in ſingulos nominatim hæreticos & eorum fautores, nempe *in Theodorum Pharanitanum, Sergium, Cyrum, Honorium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Macarium, Stephanum, Polychronium, Aſpergium* Pergenſem Pamphiliorum Metropolitam; omnes denique hæreticos, & qui hæreticis ſuffragantur.

XXII. *In Actionibus 17 & 18 editur & ſubſcribitur fidei definitio.*

Actionibus 17 & 18, celebratis die undecima, & decima ſexta menſis Septembris, edita eſt, & promulgata fidei definitio, quę omnium Patrum ſubſcriptionibus munita eſt. Poſt hæc Imperator ſciſcitatus eſt, an cum omnium Epiſcoporum ſubſcriptione promulgata eſſet? Qui ad unum exclamarunt: *Omnes ita credimus, una fides. Omnes id ipſum ſentimus. Omnes conſentientes & amplectentes ſubſcripſimus: Orthodoxè omnes credimus. Hæc eſt fides Apoſtolorum, hæc eſt fides Patrum, hæc eſt fides Orthodoxorum*. Tunc iteratæ ſunt acclamationes, & ingeminatum anathema *in Theodorum Pharanitam, Sergium & Honorium, Pyrrhum & Paulum, Cyrum & Petrum, Macarium, Stephanum & Polychronium*, & omnes qui prędicaverunt, vel prædicant & docent ac doctu-

ri

Digitized by Google

ri ſunt unam voluntatem & unam operationem in diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei noſtri. Gratias deinde cùm egiſset Imperator Sanctę Synodo ob extinctam hereſim, ſermo acclamatorius Ipſius Majeſtati compoſitus palam recitatus eſt, quo ipſum etiam rogabant Patres, ut Edicto Concilium firmaret, quatenus his, quę geſta erant, nullus contradiceret, aut novam quęſtionem moliretur.

XXIII. *Patres Synodi confirmationem ab Agathone PP. petunt.*

Unanimi etiam conſenſu ſcripſerunt Patres Synodicam Relationem ad Agathonem Pontificem Maximum, quam cum Actis Synodi tranſmiſerunt per Legatos, ab eo poſtulantes, ut Synodum, ejuſque canonicas ſanctiones Apoſtolica auctoritate confirmaret, his verbis: *Orthodoxæ autem fidei ſplendidam lucem vobiſcum clarè prædicavimus: quam ut iterum per honorabilia veſtra Reſcripta confirmetis, veſtram oramus Paternam Sanctitatem.* Sed priuſquam ſive Imperatoris & Synodi Epiſtolæ, ſive ipſa Synodus ad Urbem perferrentur, ſuum jam diem Agatho Pontifex obierat; unde de ejus confirmatione loquemur in Leone II ejus ſucceſsore. De hæreſi Monothelitarum, vide dicta in Honorio Papa num. 12 & ſeqq.

XXIV. *Acta Synodi non fuere interpolata.*

Nunc ex Criticæ Baronianæ Auctore oſtendendum eſt, Acta Sextæ Synodi, qualia nunc habentur, interpolata non eſſe, contra quod cenſuit Baronius, qui videns ſanctum Maximum Martyrem, alioſque magnæ pietatis & auctoritatis viros hæreſeos labem ab Honorio abſterſiſſe, huncque tamen in actis hujus Concilii anathemate implicatum reperiri, opinatus eſt ea ſincera ad nos non perveniſse; quam opinionem pluribus viris doctis perſuaſit. Verùm, ut inquit idem Criticæ Auctor, Sextæ Synodi Acta, quæ habentur, ſincera eſſe, noſtra ætate non videtur in dubium revocari poſſe, ut oſtendunt Combefiſius in Hiſtoria Monothelitarum Diſſert. Apologet. pro Actis Sextæ Synodi, Lupus in Diſſert. de Sexta Synodo generali ad Actionem 18, nuperus Auctor Anonymus Hiſtoriæ Monothelitarum Scrutin. 6, Natalis Alexander in Diſſert. 2 Sæculi ſeptimi, Garnerius in Appendice ad Notas capitis 2 libri diurni Romanorum Pontificum, aliique. Ait Baronius, nullam fuiſſe cauſam ex parte Honorii cur damnaretur, cùm duæ ejus Epiſtolæ nihil contineant, quod Catholicum non ſit. Verùm in ejus Pontificatu oſtendimus, eum erroris quidem purum fuiſſe, nihilominus tamen in Sexta Synodo damnatum, quòd peccaſſet ſuâ illâ Oeconomiâ, quâ voluit de una vel gemina operatione taceri; cùm tamen religionis cauſa tunc exigeret apertè geminam defendere.

XXV. *Honorius PP. nonniſi primæ Sedis auctoritate damnatus in 6 Synodo.*

Dicit ſecundò Baronius, poteſtatem Synodum non habuiſse, quâ primam Sedem judicaret. At Hadrianus ſecundus, qui Pontificatum iniit anno 867, atque adeo profeſſionem fidei emiſit, quæ extat in libro diurno Romanorum Pontificum cap. 2 tit. 9 (ubi Honorius damnatur) cùm primùm ſedere cœpit, ita de Honorio loquitur in Synodo Romana, quæ refertur in Octavò Concilio Generali Actione 7: *Intolerabilis eſt iſta præſumptio, & hanc aures præcordiorum, fateor, ſuſtinere non poſſunt. Quis autem veſtrûm tale quid, precor, audivit, vel quis hujuſmodi temeritatis, ſaltem lectione, immenſitatem invenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus, de eo verò quemquam judicaſſe non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt, quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus Majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus liberè reſpuendi, quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi ſententiam, niſi ejuſdem primæ Sedis præceſſiſſet auctoritas;* quia ſcilicet, ut notat Lupus laudatus cap. 7 Legatis in privatis inſtructionibus ab Agathone Papa datis mandabatur, ut ſi Orthodoxi Græcorum Epiſcopi Honorium in profanis hereticorum Diptychis ubique radiantem vellent damnatum, aliàs in Eccleſiarum pacem non conſenſuri, eum diſpenſatoriè damnari, & pro plurimorum ſalute immolari, utpote, quia aliquid cauſę dederat, permitteret.

XXVI. *Legatis datum in mandatis, ut ejus damnationi non obſtarent.*

Dicit tertiò Baronius, non fuiſſe tacituros, qui aderant, Sedis Apoſtolicę Legatos, ſi quid ejuſmodi attentatum fuiſſet. Verùm non deſunt qui Legatos timiditatis accuſent, ut qui meticuloſè ceſſerint Orientalibus, Sergii ſui, quem mirificè colerent, nec ſubducere poſſent anathemati, dedecus communione damnationis cum Romano Pontifice minuere volentibus. Deinde ſunt qui prudentem Oeconomiam laudident, ſiquidem communem univerſę Eccleſię pacem unius hominis honori pretulerint. Tertiò nihil aliud forſan in Concilio factum Honorio, quàm quod in Synodo Romana, & in Agathonis literis; niſi quod Conſtantinopoli patentiùs & expreſsiùs actum, quod in Synodo Romana actum, ipſiſque Agathonis literis implicitè & ſubobſcurè. Verùm, ut ex teſtimonio Hadriani Papę mox in medium adducto liquet, id Legatis Apoſtolicis in mandatis datum fuit. Hęc enim ratio veroſimilior.

XXVII. *Theodorus Cp. Expatriarcha Acta corrumpere non potuit.*

Dicit denique Baronius, neque adulteratorem, neque adulterandi cauſas latere. At, ut inquit Garnerius laudatus, quod dicitur de Theodoro Patriarcha Conſtantinopolitano Actorum corruptore, fidem ferè omnem omni ex parte ſuperat.

Nam

Digitized by Google

Nam etſi ficte profeſſus dicatur Catholicam fidem cupiditate Sedis recuperandæ, etſi retinuerit animo non tantùm errorem, ſed etiam odium in Sedem Apoſtolicam, qua ratione tandem potuit, quamvis maximè tentaverit, toties acta vitiare, quoties Honorii mentio facta eſt? Quomodo licuit homini uni, fidei profeſſionem Epiſcoporum manibus ſubſcriptam, ipſaſque Conſtantini Imperatoris literas adulterare? An non erat fides ſigillis obſignata? An non ſuas literas Conſtantinus apprimè Catholicus manu ſua ſubſcripſit? An præcipiti imprudentia, & non matura potius, ut in re tanti momenti par erat, lectione recognovit, quod ſubſcriberet? An ipſe etiam Imperator, quem Conſtantino Magno Synodus parem dixit, venit in ſocietatem facinoris cum Theodoro? Quis ſibi, quis aliis perſuadeat, id tentatum à Principe tam pio, tamque ardenter Catholico, ut ipſiuſmet parentis Typum, avique Ecthesim proſcripſerit?

XXVIII *Joannes Legatus Acta corrupta non attuliſſe.*

Joannes V, qui duodecimus ab Honorio Pontificatum geſſit, unuſque Legatorum fuit Agathonis ad Sextam Synodum, cùm Romam Conſtantinopoli reverteretur, attulit Acta Synodi, quæ cum literis Imperatoris deferenda Romam accepit. Qualia verò accepit? Integra, an vitiata? Si integra, cur revocantur in dubium, quæ ſcripſit Leo II integris Actis de Honorio conſona? Si vitiata, quomodo facinus non agnovit, cùm rerum pars magna fuerit? Si agnovit, quomodo non admonuit Summum Pontificem, queſtuſque eſt de nefario ſcelere? Quomodo Summus ipſe Pontifex in re tam infanda conticuit? Quomodo corruptorem non poſtulavit nefandi ſceleris apud Imperatorem? Quomodo conſentanea Actis & Imperator ſcripſit, & ipſe Pontifex reſcripſit? Quo crimine vir ſanctiſsimus Leo II Acta vitiata, Sedi Apoſtolicæ injurioſa, plenaque calumniis in Honorium, non approbavit tantum, ſed etiam retento vitio, Latina fecit, Hiſpaniſque recipienda pariter ac Gallis miſit? Quomodo vitium illud in profeſsionem fidei à Summis Pontificibus emittendam induxit? Si hæc incredibilia non ſunt, qualia tandem ſunt?

XXIX. *Acta corrupta incredibile eſt.*

Jam verò quid faciemus aliis aliarum Sedium magnarum Legatis? Retuleruntne & ipſi ſuas in provincias Acta vitiata, an integra? Si integra, quomodo ex iis emendata non ſunt, quæ vitium paſſa erant, maximè cum Septima & Octava Synodi cogerentur ex Orbe toto? Si vitiata, qui fieri potuit, ut de vitio nullus ex ſeptuaginta quinque ſupra centum Epiſcopis, nullus è Presbyterorum infinita penè multitudine verbum diceret, ſcriberetque? An totus orbis eâ tempeſtate obſtupuerat eo uſque, ut & vitium & facinus agnoſcere non poſſet, tot Epiſcopis, totque Clericis Actorum Synodi conſciis, & accuſare volentibus; vel ſi agnoſceret, uni homini, neque potentiſsimo, neque optimæ famæ, neque gratioſiſsimo Principibus adularetur? Quid plura? Quid conſequentium ſeculorum, quid Summorum Pontificum, Conciliorum generalium, illuſtrium ſcriptorum de corruptione Actorum ſilentium? Quid Eccleſiæ ipſiuſmet Romanæ diuturnam in officio Sancti Leonis II confeſsionem, quòd in Sexta Synodo condemnati ſunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus &c.? Quid infinita ejuſmodi argumenta? Omitto dicere de Sancto Leone II, qui Synodum, etiam qua parte accuſatur Honorius, Latinis & legendam & recipiendam exhibuit; ſed etiam de Gallicanis, Hiſpaniſque Præſulibus, qui exhibitam recepere, imo & de Collectoribus Canonum doctiſſimis, Ivone, Anſelmo, Deuſdedit & Gratiano, qui Sextam Synodum accenſuerunt aliis, ſine exceptione ulla, aut animadverſione. An non erat utrâque maximè opus, ſi vel ſpuria ſit Sexta Synodus, vel erroris, uſurpatæque auctoritatis rea? Ita Garnerius citatus.

XXX. *Honorius ut hæreticorum fautor damnatus eſt.*

His addi poteſt, quod ait teſtis oculatus & integerrimæ fidei, Agatho Diaconus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ & Scriniorum ejuſdem Theſaurarius, qui in Sexta Synodo Notarii munere fungebatur; in Peroratione enim publicata à Combefiſio in Hiſtoria Monothelitarum pag. 199 ait: *Omnes Tomos Actorum præfatæ Synodi, mundo codice, propria ipſe manu, Eccleſiaſticis literis conſignavi: qui etſi ſub ſignaculis, unà cum fidei definitione, quam ſancta Synodus palam edidiſſet, Patrum ſubſcriptione munita, in Imperatoris palatio fuerint repoſiti, ac tutò ſervati: quin & quinque Patriarchalibus ſedibus tradita definitionis ejuſdem, eâdem Patrum ſubſcriptione munita exemplaria eodem conſcripſi modo, ita jubente piæ recordationis Imperatore Conſtantino, ac ſic fieri præcipiente, quò fidei Orthodoxæ ſinceritas atque veritas nullis pateret inſidiis.* Aſſerit poſtea Agatho Diaconus, Honorium cum Sergio & cæteris Monothelitis fuiſſe anathemare damnatum, & ex ſacris Diptychis expunctum; ſed ejus & aliorum proſcripta nomina Bardanem tyrannum, Synodi ſextæ hoſtem infenſiſſimum, reſtituiſſe & imagines erexiſſe. Ex quibus omnibus concludendum eſt, de Actorum integritate & ſinceritate dubitandi locum non eſſe, & ex conſequenti Honorium à Synodo anathemate perculſum eſſe; non quidem propterea quod unicam in Chriſto voluntatem docuiſſet, aut de ejus Orthodoxia dubitaretur, ſed tantùm quòd unicam in Chriſto voluntatem docentibus fa-

verit,

Digitized by Google

SÆC. VII. S. AGATHO.

verit, docendique opportunitatem ſuppeditaverit, ut in ejus Pontificatu oſtenſum eſt.

XXXI. *Unus ex Legatis Cpoli miſſam latinè celebrat.*

Antequam Sextę Synodi hiſtoriæ finis imponatur, hic obſervandum Synodum Apoſtolicæ Sedis Legatis permiſiſſe Miſſam latino idiomate publicè celebrare, teſtante id imprimis Anaſtaſio in Vita Agathonis his verbis: *Tanta autem gratia divina Omnipotentis conceſſa eſt Miſſis Sedis Apoſtolicæ, ut, ad lætitiam populi vel Sancti Concilii, qui in urbe Regia erant, Joannes Epiſcopus Portuenſis Dominicorum die octavarum Paſcha in Eccleſia B. Sophiæ Miſſas publicas latinè celebraret coram Principe & Patriarcha, ut omnes unanimiter in laudes & victorias piiſſimorum Imperatorum eo die latinis vocibus acclamarent.* Idem habet Hilario Monachus Oratione Dialectica de pane Græcorum myſtico & azymo Latinorum, ubi ait: *De Sexta Synodo apud Patres legi, poſtquam Monothelitarum hæreſis condemnata fuiſset, in Octava Paſchæ Conſtantinopoli in Templo Sanctæ Sophiæ Deo gratias latinè celebraſse Græcis omnibus modum latini ſacrificii collaudantibus.* Ibidem Hilario legatum in azymo celebraſſe ſupponit; ſed cùm Anaſtaſius nihil dicat de azymis, & Hilario tardius vixerit, medio nempe ſæculo decimoquinto, ex ejus auctoritate, nihil pro azymis certi ſtatui poteſt. Vide dicta in Joanne III.

XXXII. *Agatho decretum obtinet pro ordinatione Pontif. Rom.*

Idem Anaſtaſius de Agathone Papa ſcribit: *Hic ſuſcepit divalem juſſionem ſecundùm ſuam poſtulationem, ut ſuggeſſit, per quam relevata eſt quantitas, quæ ſolita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda. Sic tamen ut ſi contigerit poſt ejus tranſitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, niſi prius decretum generale introducatur in Regiam urbem ſecundùm antiquam conſuetudinem, & cum eorum conſcientia, & juſſione debeat ordinatio provenire.* Conſtantinus itaque Pogonatus ad Agathonis Papæ poſtulationem Romanam Eccleſiam liberavit ab illa pecunię penſitatione, quam Gothorum Reges Ariani perſolvendam Romanis Pontificibus indixerant, antequam ordinarentur. Retinere tamen voluit jus confirmationis, quod à ſuis deceſſoribus, Exarchis Ravennatenſibus conceſſum, ademit, & ad ſe retraxit. Illud tamen poſtea ante mortem penitùs dimiſit, ut in Benedicto II videbimus.

XXXIII. *Hominem exuit.*

Poſtquam ſanctus Agatho *annos trex, menſes ſex, dies quatuordecim* ſediſset, ad cœleſtem patriam tranſiit die decima menſis Januarii anni ſexcenteſimi octogeſimi ſecundi, conſecratus enim fuerat die 27 menſis Junii anni 678, ut initio ejus Pontificatûs ex ipſomet Anaſtaſio probavimus, qui cùm etiam ſcribat eum ſepultum *ſub die 4 Idus Januarii*, manifeſtè indicat eum defunctum anno 682, ideoque in ejus exemplaribus, ubi dicitur ſediſſe tantùm *annos duos, menſes ſex, dies tres*, errorem cubare, alioquin juxta ejus calculum die 29 Decembris anni 680 hominem exuiſſet, cùm ex ipſomet Anaſtaſio conſtet, Agathonem mortuum eſſe poſt abſolutam Sextam Synodum, cujus ultima Actio die decima ſexta menſis Septembris anni 681 habita eſt. In Anaſtaſio itaque legendum Agathonem ſediſſe *annos tres, menſes ſex, dies quatuordecim.* Sic enim Anaſtaſius ſibi ipſi non contradicit. Id ex electione Leonis II ejus ſucceſſoris magis innoteſcet.

XXXIV. *Epiſtola ei falsò adſcripta.*

Extat Epiſtola ejuſdem Agathonis *ad Edictum Viennenſem Epiſcopum pridie Kal. Martii* anni 682 data, quam ex Bibliotheca Floriacenſi Joannes à Boſco in lucem eruit, quâ ſignificat, ſe poſt reditum Legatorum à Synodo œcumenica, Romæ Concilium celebraſse centum circiter Epiſcoporum, cui Donatus *Edicti* Diaconus interfuerit. Sed hæc Epiſtola ſuppoſititia eſt, nullus enim Edictus per hæc tempora Viennæ ſedit, ut videre eſt apud San-Marthanos in Gallia Chriſtiana, & apud Cointium in Annal. Eccleſiaſt. Franc. indeque ea Epiſtola non memoratur a Labbeo in noviſsima editione Conciliorum, ſicuti nec Synodus Romana, cujus in ea mentio.

XXXV. *Ejus virtutes.*

Tantæ ſanctitatis fuit Agatho Papa, ut leproſum obviam factum, oſculo ſuo ſtatim liberaſse dicatur; tantę prętereà manſuetudinis & humanitatis, ut neminem à ſe unquam triſtem dimiſerit. Ordinationem unam fecit Presbyterorum 10 & Diaconorum 3. Epiſcopos pręterea 18 per diverſa loca ordinavit. Sepultus eſt ad Sanctum Petrum. Nomen ejus inſcriptum eſt Martyrologio Romano ad diem 10 Januarii. Galeſinius de eo agit eodem die, & die 21 Februarii à Gręcis coli aſserit, eorum tamen Menea eum memorant die 20 Februarii. Eo jubente miſsi ſunt ex Urbe in Angliam Cantores, qui populum Cantum Romanum docerent, de qua miſsione agit Beda lib. 4, cap. 18.

S. LEO

Digitized by Google

S. LEO II Pontif. LXXXII.

Anno Domini DCLXXXII.

I. Leo II. Eccleſiæ Rom. præficitur. AGathone Papa mortuo, legimus in Anaſtaſio ceſſaſſe Epiſcopatum *annum unum, menſes ſeptem, dies quinque*, ſed illud interpontificium in Anaſtaſio depravatum eſſe, ex ipſomet Anaſtaſio demonſtratur, qui de S. Leone II Agathonis ſucceſsore ſcribit: *Hujus temporibus die decima ſexta menſis Aprilis indictione undecima, Luna eclypſim pertulit: Poſt Cœnam Domini nocte penè tota in ſanguineo vultu elaboravit, & niſi poſt galli cantum cæpit paulatim delimpidare, & in ſuum reverti reſpectum.* Hæc eclypſis, juxta Calviſium in Opere Chronologico, contigit die 16 Aprilis, quæ anno 683 coincidebat cum Cœna Domini, quia Paſcha eo anno celebratum eſt die 19 Aprilis, quare cùm acciderit ex Anaſtaſio temporibus Leonis II, neceſſariò ſequitur hunc jam Pontificem fuiſſe die 16 Aprilis anni 683, ideoque & interpontificium fuiſſe tantùm menſium ſeptem, ut poſt Martinum Polonum in libello *de Mirabilibus Romæ*, ſcripſit Onuphrius Panuinius in Chronico Eccleſiaſtico, & conſequenter S. Leonem ordinatum fuiſse die decima ſeptima menſis Auguſti ejuſdem anni 682, poſtquam Sedes menſes ſeptem, dies ſeptem vacaſset; quod in ejus morte certiùs conſtabit. Erat Leo Pauli filius, natione Siculus.

II. Pontifices Rom. à tribus Epiſc. ſemper ordinati. Leonem II à tribus Epiſcopis ordinatum eſse ſcribit idem Anaſtaſius: *Qui ſupraſcriptus*, inquit, *ſanctiſſimus vir, ordinatus eſt à tribus Epiſcopis, ideſt, Andrea Oſtienſi, Joanne Portuenſi, & Placentino Veliternenſi, pro eo quòd Albanenſis Eccleſia Epiſcopum minimè habuit.* Ex quo corruit Sigonii opinio, qui in Hiſtoria de regno Italiæ ad annum 682 ait, ante Leonem II ſoli Epiſcopo Oſtienſi tributum fuiſse, ut ſeclutis aliis Epiſcopis Pontificem Romanum conſecraret. Nam cùm Anaſtaſius rationem reddat, quòd pro Albanenſi Epiſcopo, cujus Sedes vacabat, ſuffectus ſit Veliternenſis; id argumento eſt morem antea fuiſſe, ut cum Oſtienſi & Portuenſi Epiſcopis, Albanenſis etiam ordinationi Romani Pontificis miniſtraret. Id confirmat Mabillonius, ſcilicet Romanos Pontifices à tribus Epiſcopis ordinari ſolitos, in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, ex altero ex duobus libellis *de Ordinatione* à ſe publicatis: in eo enim, uti in Ordine Romano, trium Epiſcoporum mentio in Pontificis ordinatione habetur, qui libellus haud dubiè ſcriptus eſt ante Pontificatum Leonis II. Certè etiam ante Concilium Nicenum, ordinationes Epiſcoporum à tribus Epiſcopis Romæ factas fuiſse, colligitur ex facto Novati, qui accitos Romam tres Epiſcopos temulentos, horâ decimâ incluſos, adumbrata quadam & inani manuum impoſitione, Epiſcopatum ſibi tradere coegit, ſcribente Cornelio Papa in Epiſtola ad Fabianum Antiochenum apud Euſebium lib. 6 cap. 43, unico contentus quidem futurus, ſi unus ad conſecrandum Romanum Antiſtitem tum ſuffeciſſet. Ita Mabillonius laudatus. Quod etiam poſtea ita peractum eſſe conſtat ex Anaſtaſio, qui in Pelagio primo ſcribit, in tota Italia tertium inveniri non potuiſſe Epiſcopum, à quo conſecraretur, ideoque à Peruſino & Ferentino Epiſcopis, ac Andrea Presbytero Oſtienſi conſecratum fuiſſe; ex eo enim conſtat ordinationem Romani Pontificis à tribus Epiſcopis fieri ſolitam ſemper fuiſſe. Vide dicta in Marco.

Ex laudatis Anaſtaſii verbis conſtat, III.
Legatos Agathonis Papæ & Synodi Occi- Leo PP.
dentalis, qui Synodo Sextæ præfuere, Con- Acta Synodi
ſtantinopoli Romam rediiſſe ante Leonis à Sexta
II ordinationem, contra quod cenſuit Ba- recipit.
ronius, cùm Joannes Epiſcopus Portuenſis, unus ex Legatis, unus etiam ex ordinatoribus Leonis II extiterit. Unde ipſemet Leo, in Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, quam ſcripſit poſt menſem Auguſtum anni 682, ait: *Legatos hujus Apoſtolicæ Sedis unà cum perſonis, quæ cum eis profectæ fuerant, per nuper elapſam decimam indictionem* (quæ in curſu fuit uſque ad Kalend. Septembris ejuſdem anni 682) *menſe Julio cum Divalibus Clementiæ Veſtræ apicibus & Synodalibus geſtis, cum magno jucunditatis gaudio in Domino exultantes ſuſcepimus.* Legati itaque Pontificii hyemarunt Conſtantinopoli, ſolicitantes pro felici ſtatu Eccleſiæ Romanæ, aut ob alias cauſas nobis ignotas, ſed cùm accepiſsent Agathonis mortem & Leonis II electionem, quam ipſemet Leo Imperatori per literas ſignificavit, profecti ſunt Conſtantinopoli, deferentes Acta Synodalia, & Epiſtolam Imperatoris ad Leonem, & menſe Julio indictionis 10, ideoque anno 682, Romam pervenere, ubi Joannes Portuenſis cum duobus aliis Epiſcopis eumdem Leonem, die 17 menſis Auguſti Pontificem conſecravit. Unde in titulo Epiſtolæ Imperatoris ad Leonem, quam Baronius anno 683 refert, corrigendum eſt illud quod dicitur miſsa ad

Leonem

Digitized by Google

Leonem *menſis Decembris decimo tertio indictione decima*, tunc enim Agatho nondum mortuus erat, legendumque, vel *menſis Maij*, vel *menſis Junii decimo tertio*, &c.

IV. *Ea confirmat.* Pontifex, acceptis Synodalibus geſtis & Imperatoris Epiſtolâ, ad ipſum direxit Epiſtolam Synodi Sextę confirmatricem, quæ dicitur data *Nonis Maij indictione X*, ſed hæc temporis obſignatio deſideratur in textu Græco, ideoque addititia eſt, & flocci facienda; ex laudatis quippe Leonis verbis conſtat eam ſcriptam eſſe poſt indictionem decimam, ideoque poſt menſem Auguſtum. Sextam autem Synodum his verbis confirmavit Leo Pontifex: *Sancta igitur univerſalis, & magna Sexta Synodus, quam nutu Dei Veſtra Clementia & ſedulò convocavit, & cui pro Dei miniſterio præfuit, Apoſtolicam in omnibus Regulam, & probabilem Patrum doctrinam ſecuta eſt. Et quia definitionem rectæ fidei prædicavit, quam & Apoſtolica Sedes Beati Petri Apoſtoli (cujus licèt impares miniſterio fungimur) veneranter ſuſcepit; idcirco & nos, & per noſtrum officium hæc veneranda Sedes Apoſtolica, concorditer ac unanimiter his, quæ definita ſunt ab ea, conſentit, & Beati Petri auctoritate confirmat, ſicut ſupra ſolidam Petram, qui Chriſtus eſt, ab ipſo Domino adeptis firmitatem: propterea ſicut ſuſcepimus atque firmiter prædicamus ſancta quinque univerſalia Concilia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum I, Calchedonenſe & Conſtantinopolitanum, quæ & omnis Chriſti Eccleſia approbat & ſequitur: ita & quod nuper in Regia urbe, pio veſtræ Serenitatis anniſu, celebratum eſt Sanctum Sextum Concilium, ut eorum pediſſequum, & in ea interpretans, pari veneratione atque cenſurâ ſuſcipimus, & hoc cum eis dignè connumerari, tanquam unâ & æquali Dei gratiâ congregatum decernimus: & qui in eo fideliter convenerunt, Chriſti Eccleſiæ Sacerdotes, inter ſanctos Eccleſiæ Patres atque Doctores adſcribendos æquè cenſemus.*

V. *Ea in Hiſpaniam miſit.* Poſt hæc ſanctus Leo Acta Synodalia in Hiſpaniam miſit, ut Epiſcoporum Hiſpaniæ aſſenſu rata eſſent. Qua de re ſcripſit ad Ervigium Hiſpaniarum Regem, ad Epiſcopos ejuſdem Regni, ad Quiricum Epiſcopum, & ad Simplicium Comitem, omnes Epiſtolas ejuſdem argumenti, nimirum quòd abſoluta œcumenica Synodo ipſe in Hiſpaniam mittat per Petrum Notarium Regionarium ejuſdem fidei definitionem, acclamatorium inſuper ſermonem Synodi ad Imperatorem, necnon ejuſdem Imperatoris Edictum: quò ipſorum omnium Epiſcoporum ſubſcriptionibus munirentur, quæ in Oecumenico Concilio ſtatuta fuiſſent. Eas Epiſtolas Baronius ſuppoſititias credidit, quòd eæ damnatum à Synodo Sexta, ac ipſo Leone Honorium Papam teſtentur. Verùm Sanctus Leo non hæreſeos, ſed tantùm negligentiæ & culpabilis conniventiæ Honorium perſtringit. In Epiſtolâ enim ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ait: *Æterna damnatione mulctati ſunt Theodorus, Cyrus, cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit.* In Epiſtolâ verò ad Ervigium Regem eadem inculcans, *de Catholicæ*, inquit, *Eccleſiæ adunatione privati ſunt Theodorus Pharanitanus*, &c. *& unà cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam traditionis regulam, quam à prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſit.* Alia ſuppoſitionis argumenta & ad ea reſponſiones legi poſſunt in Critica Baroniana. De Concilio Toletano, in quo Acta Synodi Sextæ recepta ſunt, in Benedicto II Leonis ſucceſſore agemus.

VI. *Presbyterum & Diaconum Eccleſiæ CP. lapſos communioni reſtituit.* Agathone Papa ſedente, Macarium Antiochenum Epiſcopum, Stephanum Abbatem, alioſque Monothelitas in Synodo Sexta damnatos & depoſitos, Romam in exilium miſſos eſſe ex Anaſtaſio ibidem diximus; de iiſdem hæreticis idem Anaſtaſius in Leone II ſcribit: *Verumtamen ſupraſcriptos defenſores malorum hæreticos, Macarium, Stephanum, Polychronium, & Anaſtaſium, dum nollent à ſuo recedere propoſito, per diverſa Monaſteria Leo retruſit. Qui prædictus Sanctiſſimus Leo abſolvit duos viros in percipienda communione, qui de Regia urbe cum prædicto Macario, & cæteris in Romanam directi ſunt civitatem nec dum à Synodo anathematizatos, id eſt, Anaſtaſium Presbyterum, ac Leontium Diaconum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in die ſancto Theophaniæ, exponentes videlicet per propria ſcripta fidem ſuam, juxta quod & ſancta Synodus determinavit, anathematizantes videlicet omnes hæreticos, ſed & ſupraſcriptos viros complices, quos Sancta Synodus, vel Sedes Apoſtolica anathematizavit.*

VII. *Epiſtola Imp. ad Leonem II germana eſt.* Baronius laudatam num. 3 Imperatoris ad Leonem II Papam Epiſtolam ſuppoſitionis arguit, quòd in conſignatione temporis error inſit; ſed, ut diximus, error ille Librariis attribuendus. Deinde ait in ea Conſtantinum aſſerere miſſas fuiſſe literas pro cogenda Synodo univerſali ad Agathonem Papam, quas liquet miſſas eſſe Dono deceſſori ejus. Quæ ratio nihil urget; loquitur enim Imperator compendio Hiſtorico, quia nempe Agatho literas, quas Imperator Dono miſerat, ipſemet poſt mortem Doni accepit, iiſque fecit ſatis. Nam inde haud abſonè Conſtantinus ſcribit ad Leonem II, miſiſſe ſe literas ad Agathonem.

VIII. *Macarius Epiſc. Antioch. Romam in exilium miſſus.* Sed ponamus eam Epiſtolam ſuppoſititiam eſſe, qua ratione Baronius anno 681 ex eamendaciis arguit Anaſtaſium Bibliothecarium ſcribentem Macarium Antiochenum Epiſcopum à Sexta Synodo depoſitum cum ſuis ſe-

Digitized by Google

SEC. VII. S. LEO II.

ſequacibus Romam in exilium ab Imperatore directum eſſe, maximè cum ipſemet Baronius anno 685 referat, in Actione prima Concilii Niceni II Petrum Presbyterum & Apoſtolicę Sedis Hadriani Papę Vicarium dixiſſe: *Romæ quidem extorris erat Macarius à Sancta Synodo Sexta damnatus*, & cætera à nobis in Benedicto II num. IX recitata. Nec eſt quod dicat, nullum exemplum extare, ut exilio damnatis, pro exilij loco decreta fuerit Romana Urbs; cùm Callinicus Patriarcha Cpolitanus, ipſo fatente Baronio ad annum 703 num. 2, à Juſtiniano Imperatore oculis orbatus fuerit, & Romam in exilium miſsus, quod confirmatur ex Vita ejuſdem Callinici græcè ſcripta, quam Lambecius Tomo 8 Bibliothecæ Cęſareæ pag. 210 ait in ea Bibliotheca aſservari, ejuſque titulum eſse: *Commemoratio Callinici Patriarchæ CP. qui, effoſſis oculis Romam miſſus eſt in exilium, ubi in aliquo muro incluſus, miſerè obiit*. Denique quod ex eâ Epiſtolâ deducit Baronius, ideo Macarium & ſectatores Romam miſſos, quia ad Sedem Apoſtolicam appellaverant, eſt omninò incredibile, cùm Sexta Synodus, quæ eum Sede dejecerat, in ultima Seſſione profeſſa ſit, ſe in definitione Catholici dogmatis ſequi Agathonis Epiſtolam & Synodales literas Romani Concilii, ideoque Macarium ad Apoſtolicam Sedem appellaſſe nulla veriſimilitudine dici poteſt. Illud ergo tantùm ex dictâ Epiſtolâ deduci mihi poſſe videtur, Macarium videntem Imperatorem decreviſſe, ipſum in exilium mittere, petiiſſe Romam mitti, quod non diſplicuit Imperatori, qui Pontificis Romani arbitrio ipſum reliquit in Sedem reſtituere, ſi reſipiſceret: *Ipſi autem*, inquit, *ſcriptis precibus Serenitatem noſtram omnes communiter deprecati ſunt, ut ſe ad Veſtram Beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eoſque ad Vos miſimus, veſtro paterno judicio omnem ipſorum cauſam permittentes*. Et in Epiſto â ejuſdem Imperatoris ad Romanam Synodum, quæ reperitur in fine ultimæ Actionis Sextæ Synodi: *Univerſalis contentionis communi ſententia, de Sacerdotali dignitate repulſi ſunt* (Macarius & ſectatores) *& probationi Sanctiſſimi Papæ traditi ſunt*. Unde poſtea Benedictus II Macarium in Sedem reſtituere volebat, ut in ejus Pontificatu dicemus.

IX. *Leo obtinet ab Imp. ut Epiſc. Ravenn. ordinatio Romæ fiat.*

Obtinuit Leo ab Imperatore Conſtantino Divales Juſſiones, quibus Ravennatenſis Eccleſia reſtituta eſt ſub ordinatione Sedis Apoſtolicæ; juſſit enim Imperator, ut Ravennatenſi Archiepiſcopo defuncto, qui in ejus locum eligeretur, juxta antiquam conſuetudinem Romam veniret ordinandus. Ita Anaſtaſius, qui addit, Leonem feciſſe Conſtitutum, ut Archiepiſcopi nihil pro uſu pallii aut diverſis officiis Eccleſiæ ſolvere deberent, quod olim S. Gregorium ſtatuiſſe in Synodo Romana II in ejus Pontificatu diximus. Vetuit inſuper, ne Mauri quondàm Ravennatenſis Epiſcopi in ſchiſmate contra Romanam Eccleſiam defuncti, de quo in Vitaliano Papa locuti ſumus, anniverſaria, aut agenda celebraretur.

X. *Ad cœleſtem patriam migrat.*

Leonem Papam ſediſſe *menſes decem, dies ſeptem & decem*, ſcribit Anaſtaſius, ac ſepultum eſſe *ad Beatum Petrum Apoſtolum ſub die quinto Nonas Julias*. Quo etiam die eum obiiſse Ordericus lib. 2, & Marianus Scotus in Chronico produnt. Eamdem Sedis durationem ei aſſignant idem Ordericus, Hermannus Contractus, Abbo, Luitprandus, Honorius Auguſtodunenſis, & varii Catalogi; nec ullus in tota antiquitate diuturniorem ſedem ei adſcripſit. Obiit itaque die tertia Julii anni ſexcenteſimi octogeſimi tertii, cùm probaverimus argumento ineluctabili, eum jam ſediſſe die decima ſexta menſis Aprilis ejuſdem anni, ex quo & ſequitur neceſſariò, ordinationem ejus rectè à nobis affixam fuiſſe diei decimæ ſeptimæ Auguſti anni ſexcenteſimi octogeſimi ſecundi, & inſuper tam diuturnum non fuiſſe interpontificium poſt Agathonis mortem, ſicut per errorem in Anaſtaſio legitur. Porrò annum 683 fuiſſe Leonis emortualem ſcribit Hermannus Contractus ex editione Caniſii.

XI. *Ejus doctrina & pietas.*

De Leonis doctrina atque moribus, & pietate hæc habet idem Anaſtaſius: *Leo natione Siculus, ex patre Paulo, vir eloquentiſſimus, in divinis ſcripturis ſufficienter inſtructus, Græca, Latinaque lingua eruditus, cantilena & pſalmodia præcipuus, & in eorum ſenſibus ſubtiliſſima exercitatione limatus, lingua quoque ſcholaſticus eloquendi majori lectione polita, exhortator omnium bonorum operum plebique florentiſſimam ingerens ſcientiam, paupertatis amator, & erga inopum proviſionem, non ſolùm mentis pietate, ſed & ſtudii ſui labore ſolicitus*. Synodum Oecumenicam Sextam è Greco in Latinum vertit, Trithemio & Binio teſtibus. *Hic fecit Eccleſiam in urbe Roma*, ut poſtea ſubdit Anaſtaſius, *juxta ſanctam Bibianam, ubi & corpora Sanctorum Simplicii, Fauſtini & Beatricis, atque aliorum Martyrum recondidit, & ad nomen beati Pauli Apoſtoli dedicavit ſub die vigeſima ſecunda menſis Februarii, ubi & dona obtulit*. Ex quibus ultimis verbis conjectat Auctor Criticæ Baronii, die 22 Februarii anni 683, Leonem ſediſse, quia dies 22 Februarii eo anno concurrebat cum Dominica, qua die Eccleſiæ dedicari ſolitæ erant.

XII. *Dies ejus cultus.*

Sed ut ad diem mortis ejus redeam, non obſtat noſtræ Chronologiæ, quòd nomen Leonis II in nullis Martyrologiis die tertia Julii, qua obiiſse diximus, memoretur; cùm Sanctus Leo Magnus hujus nomi-

Digitized by Google

SÆC.VII. S. LEO II.

nominis primus, die, quo è vivis exceſsit, nulli Martyrologio inſcribatur. Nam Leo magnus Feſto annuo, Miſſa & Officio celebratus eſt die 28 Junii uſque ad Pontificatum Gregorii 13, quo Galeſinius Protonotarius Apoſtolicus ejus mandato Romanum Martyrologium condens, feſtum ejus diei 11 Aprilis affixit, & diei 28 Junii feſtum S. Leonis II, aſſerens in Notis, ſe hac in re ſecutum eſſe auctoritatem Platinæ & Onuphrii, qui prioris Leonis mortem cum die 11 menſis Aprilis copularunt, poſterioris verò cum die 28 menſis Junii. Certè Leonem Magnum in antiquis Eccleſiæ monumentis die 28 Junii cultum fuiſſe, pluribus oſtendit Queſnellus Tomo II ejus Operum Diſſert. de Vita & rebus geſtis ejus ad annum 461. Baronius etiam Martyrologium Romanum poſt Galeſinium recognoſcens, nihil in ea parte mutavit, quia Sanctos diebus memoriæ eorum ſacris obiiſſe communis ſententia ferebat; ſed fundamento illo innumeris certiſſimiſque exemplis nunc everſo, conſtat utrumque Sanctum Pontificem, aliis diebus, quàm quibus eorum nomina in Breviariis, Miſſalibus & ſacris Faſtis coluntur, ſpiritum Deo reddidiſſe. Sed Eccleſia eos dies cultui utriuſque aſſignavit, quia *non tam conſtringitur lege temporum, quàm vices ad ſuum cohibet nutum*, ut ait S. Petrus Damiani cap. 15 Opuſculi, cui titulum fecit, *Dominus Vobiſcum*. Plura hac de re Auctor Criticæ Baronii tam anno 67, quàm annis 461 & 684. De utriuſque Sancti Leonis Translatione facta à Paulo V lege dicta in S. Leone primo.

XIII. *Pontifices Rom. in ordinum collatione regulis communibus non adſtricti.*

Leonis II Vitam his verbis terminat Anaſtaſius: *Hic fecit ordinationem unam per menſem Junii die vigeſima ſeptima, Presbyteros novem, Diaconos tres, Epiſcopos per diverſa loca numero viginti tres*. Qui locus virorum Eruditorum ingenia valde torſit, qui reſpicientes ab ſabbatum Quatuor Temporum proximum poſt Pentecoſten, quod non poteſt convenire cum die 27 Junii, quocumque anno ponatur Pontificatus Leonis; alii legerunt 27 Maii, ſed illi decepti ſunt, illud enim ſabatum non reperitur etiam menſe Majo; alii legerunt quidem menſem Junium, ſed loco *die* 27, poſuerunt die 4, quo, anno 684, ſabbatum quatuor Temporum poſt Pentecoſten incidit. Sed præterquamquod probavimus Leonem obiiſſe anno 683, Criticæ Baronii Auctor rectiùs, meo quidem judicio ſcribit, Anaſtaſii textum non eſſe ſolicitandum, ac Leonem eam ordinationem peregiſſe die 27 Junii in ſabbato, licèt non eſſet quatuor Temporum, quia ſicuti Pontifici Romano ob principem dignitatem id privilegii conceſſum eſt, ut ſolus abſque aliis Epiſcopis conſecraret Epiſcopos; ita & propter eamdem rationem, ut ſingulis ſabbatis Diaconos, Presbyteros & Epiſcopos ordinaret. Pontifices enim Romanos, in conferendis ordinibus, regulis communibus adſtrictos non fuiſſe oſtendit Alexander III, dum Batonienſi Epiſcopo ſcribens, ait: *Subdiaconos nulli niſi Romano Pontifici, licet diebus Dominicis ordinare*: quod confirmat in literis ad Herefordenſem Epiſcopum: *Ad Subdiaconatum niſi in Quatuor Temporibus, aut in ſabbato ſancto, vel in ſabbato ante Dominicam de Paſſione, nulli Epiſcoporum, præterquam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare*.

XIV. *Ordinationes generales eorum à particularibus diſtinguendæ.*

Cæterùm, proſequitur idem Auctor, exiſtimandum non eſt Leonem II unica ordinatione feciſſe Presbyteros 9, Diaconos 3, Epiſcopos 23; Anaſtaſius enim ſignificat eum, durante ſuo Pontificatu, feciſſe ordinationem generalem, & quandiù in Pontificatu vixit, Presbyteros 9, Diaconos 3, & Epiſcopos 23, ſed diverſis diebus ordinaſſe. Hanc eſſe genuinam Anaſtaſii mentem tam in hoc, quàm in cæteris Pontificibus, ipſemet innuit; nam in Joanne VI ait: *Hic fecit ordinationem Presbyterorum, ſeu Diaconorum unam, ideſt, Presbyteros novem, Diaconos duos. Fecit autem & per diverſa loca Epiſcopos quindecim*; ubi vox *ordinatio*, ad Presbyteros tantùm & Diaconos, non verò ad Epiſcopos referri poteſt. Idem confirmat Anaſtaſius in Vita Sergii primi: *Hic ordinavit per diverſas provincias Epiſcopos nonaginta ſeptem. Fecit autem & ordinationes duas per menſem Martii, Presbyteros 18, Diaconos quatuor*; ubi vox, *ordinatio*, & menſis Martius ad Presbyteros, & Diaconos tantùm, non verò ad Epiſcopos refertur. Hinc in Vitis Pontificum, in quibus nulla mentio ordinationis Presbyterorum, & Diaconorum, nunquam legitur, *fecit ordinationem*, &c. *per menſem*, &c. *in Quadrageſima*, &c. quia ſcilicet tempus, & menſis reſpiciebant tantùm ordinationes generales, in quibus Presbyteri & Diaconi conſecrabantur. In Vita Joannis primi habetur tantùm: *Hic ordinavit Epiſcopos per diverſa loca num.* 13. In Vita Sabiniani: *Hic Eccleſiam de Clero implevit. Hic Epiſcopos fecit per diverſa loca numero ſex & viginti*. Idem habetur in Vita Eugenii I, Benedicti II, Joannis V & Cononis. Verum eſt in Vita Anteri legi: *Hic fecit ordinationem unam per menſem Decembris, Epiſcopum unum*. Sed præterquam quòd Anterus ibi præponitur Pontiano, locus ille corruptus eſt, legendumque cum uno MS. Freheriano: *Hic fecit unum Epiſcopum in civitate Fundis Campaniæ, per menſem Decembrem*.

XVI. *Hæc ordinationum diſtinctio explicatur.*

Ad hæc Pontifices Romani ordinare tenebantur omnes Suburbicariarum provinciarum Epiſcopos à Clero & populo canonicè electos, abſque eo quòd eorum conſecrationes

crationes diù differri poſſent, ne Eccleſiæ paſtoribus viduatæ remanerent. Quòd ſi Epiſcopi à Pontificibus Romanis, nonniſi diebus ordinationum generalium, quibus Presbyteri ordinabantur, conſecrati fuiſſent, quale eſſet noſtrum judicium de Gregorio II, qui intra annos ſedecim, quibus ſedit, ſemel Epiſcopos conſecraſſet, & quidem 150 uno eodemque die? Quale de Hadriano primo, qui intra annos 24, quibus Eccleſiam Romanam rexit, bis tantùm Epiſcopos ordinaſſet, & intra duos dies 185? Hæc omnia profectò abſurda. Quare omninò dicendum Pontifices Romanos, non ſolùm Dominicis, & Sabbatis Quatuor Temporum; ſed etiam omnibus aliis diebus Dominicis, ubi opus erat, Epiſcopos conſecraſſe, neque eos ſeſe adſtrictos crediditſe communi legi, quæ ſacras ordinationes Sabbatis Quatuor Temporum affigit. Ita rectè Annotator Baronii.

XVI. *Pontifices Rom. in collatione ordinum non fuiſſe regulis communibus adſtrictos probatur.*

Ad ea objici forſan poſſet prædictis in literis Alexandri III ad Batonienſem & Herefordenſem Epiſcopos, agi tantùm de Subdiaconis, quorum ordo nondum inter ſacros accenſebatur, ideoque potuiſſe quidem Pontifices Romanos, quolibet ſabbato aut die Dominica minores Ordines conferre, ſed non majores. Id enim ex eo refellitur, quòd cùm Subdiaconatus inter majores ordines relatus eſt, & nonnulli adhuc Epiſcopi diebus quibuſve Dominicis, illum indifferenter conferrent, Concilium Dalmaticum annno 1191 celebratum canone 2 ita ſtatuit: *Prohibemus etiam ne aliquis Epiſcopus niſi in Quatuor Temporibus, juxta Sanctorum Patrum conſtitutionem, aliquem ad ſacros ordines promovere præſumat. Solus enim Romanus Pontifex Dominicis diebus Subdiaconos ordinare poteſt.* Ex quo & ſequitur tunc Subdiaconatum fuiſſe numeratum inter ordines ſacros. Licèt autem Concilium de ſolis Subdiaconis loquatur, non inde tamen, Romanæ Sedis privilegium, de Diaconis & Presbyteris quocumque ſabbato aut Dominica ordinandis, deſtruitur; cùm exempla nobis ante illud ſuppetant, quibus evincitur Romanos Pontifices etiam Diaconos & Epiſcopos ordinaſse extra quatuor Tempora. De Epiſcopis jam ſupra dictum eſt in Simplicio Papa, ubi numero ultimo obſervavimus Agapetum Papam, Mennam Cpolitanum Patriarcham ordinaſſe die 13 Martii anni 536 feria quinta. De Diaconis & conſequenter de Presbyteris exemplum habemus in Gelaſio II, qui die Dominica poſt ſabbatum quatuor Temporum Martii, decima nempe die ejuſdem menſis anno 118 conſecratus Pontifex Romanus eodem ſuæ conſecrationis die, *Petrum Rufum Diaconum Cardinalem*, inquit Pandulphus in ejus Vita à Papebrocio in Conatu Chronico-Hiſtorico relata, *Baronem Subdiaconum, & me Pandulphum Oſtiarium, qui hæc ſcripſi, in Lectorem, & Exorciſtam promovit, & plures alios in minoribus gradibus ordinavit.* Unde Innocentius III apud Edmundum Martene de Antiquis Eccleſiæ Ritibus Tom. II pag. 283 ſcribit: *Solus Pontifex Romanus, qui ante hymnum Evangelicum conſecratur, & poſtmodum ipſe Miſſarum ſolemnia incipit, & perficit conſecratus, in die conſecrationis ſuæ valet ordines celebrare.* Ex quibus habemus Diaconos & Presbyteros conſecrandi quocumque ſabbato, vel die Dominica, imò & in die conſecrationis ſuæ, licèt non eſset Dominicalis, poteſtatem Romano Pontifici, & quidem ſoli reſervatam fuiſse. Ideo porrò Concilium Dalmaticum de ſolis Subdiaconis loquitur, quia tunc de illis ſolis agebatur; ut enim dixi, plures Epiſcopi ſibi licitum eſse arbitrabantur qualibet die Dominica Subdiaconatum conferre, ut licitum fuerat antequam hic ordo inter majores recenſeretur, quod Concilium prohibet, hanc poteſtatem ſoli Romano Pontifici reſervatam declarans.

XVII. *Pontifex Rom. abſque aliorum Epiſc. miniſterio poteſt Epiſcopos ordinare.*

In hujus Pontificis Vita num. 13 dixi Epiſcopum Romanum ſolum & abſque aliis Epiſcopis Epiſcopos ordinaſse, nulla hujus privilegii probatione adducta. Quare ea difficultas hic paucis excutienda, præcipuè ex Breviario Canonum Ferrandi Diaconi in cap. 6, ubi ex Concilio Teleptenſi, ſeu Zellenſi refert decretum Siricii Papæ, *ut unus Epiſcopus Epiſcopum non ordinet, exceptâ Eccleſiâ Romanâ*, hac enim exceptione peculiarem Romani Pontificis fuiſse prærogativam ordinandi Epiſcopum abſque ſociis Epiſcopis, nemo eſt qui non videat. Paſchaſius Queſnellus ea verba, *exceptâ Eccleſiâ Romanâ*, ab aliquo impoſtore addita eſse exiſtimat, quòd in nullo Epiſtolæ Siricii exemplari reperiantur, & probabile non ſit addita fuiſse à Ferrando viro erudito & rei canonicæ peritiſsimo; cùm præſertim exiſtimari non poſsit, Eccleſiam Africanam, quæ Romanæ erat celſitudinis æmula, hanc prærogativam Epiſcopo Romano concedere illa tempeſtate voluiſse. Joannes Cotelerius in Notis ad Conſtitutiones Apoſtolicas pag. 217 cenſuit decreta Siricii perturbata olim fuiſse non culpâ Ferrandi, ſed fraude cujuſdam recentioris, ideoque & ea verba addititia eſſe. Verùm licèt ea clauſula de prærogativa Romani Pontificis non reperiatur in Epiſtola Siricii, Mabillonius tamen Tomo 2 Muſei Italici in Commentario prævio ad Ordinem Romanum cap. 16 rectè, meo quidem judicio, ſcribit, eam appoſitam à Ferrando fuiſſe, habita nimirum ab eo ratione temporum quibus ſcribebat, quia, inquit, extat *antiquiſſimus codex Corbejenſis ante annos mille ſcriptus continens varia Concilia cum Ferrandi Breviatione, in quo*

Digitized by Google

totidem verbis, ut in editis hic locus reperitur. Refert ibidem Mabillonius Ordinem Romanum 9, in quo, poſtquam actum eſt de benedictione Clericorum, Subdiaconorum, Diaconorum & Presbiterorum, quæ fiebat à Pontifice Romano, num. 4 pag. 91, agitur de conſecratione Epiſcoporum, qui *omni tempore benedicuntur* à Romano Pontifice; & poſtquam Auctor dixit, Pontificem egredi de Eccleſia S. Petri & aſcendere cum Clero monaſterium S. Martini ad benedictionem Epiſcopi, tandem ſubdit: *Et canunt letanias. Et tunc accedit* electus *proprius ad Altare ſubnixo capite. Pontifex verò ponet mantum ſuper caput ejus, & dicit unam orationem in modum collectæ, alteram eo modulamine quo ſolet conteſtata* (ſeu conteſtatio, quo nomine præfatio Miſſæ olim ſignificabatur, maximè apud Gallos) *cantari, & ſedet Pontifex in ſella ſua. Ipſe verò* electus *oſculatur pedem ejus, & ſuſcipitur ad pacem, & ſic conſummatur conſecratio*. Eadem legi obſervat Mabillonius in Ordine vulgato pag. 97. Cùm itaque in illis ordinibus altum ſit ſilentium de aliis Epiſcopis, qui conſecrationi cooperentur, jure meritò dicitur, unum Pontificem Romanum, abſque aliorum Epiſcoporum miniſterio, ordinationem Epiſcopalem tunc perfeciſſe.

XVIII. *Poteſt & ab uno tantùm Epiſcopo ordinari.*

Stephanus Baluzius in Diſſert. de Concilio Taleptenſi, ſeu Zellenſi ſubjuncta editioni anni 1705 Marcæ de Concordia Sacerdotii & Imperii, ſuſpicatur hæc verba Ferrandi Diaconi, *exceptâ Eccleſiâ Romanâ*, referri ad ordinationem Romani Pontificis, ita ut Ferrandus dicere voluerit, tres quidem Epiſcopos neceſſariò adhibendos in conſecratione cæterorum Epiſcoporum, ſed ad eam neceſſitatem non adſtringi Romanum, cujus ea prærogativa eſt, ut ab uno poſſit ordinari. Verùm hęc conjectura non videtur admittenda; cùm enim in ejuſdem Leonis II Vita num. 2 oſtenderim Epiſcopos Romanos etiam ante Concilium Nicænum, à tribus Epiſcopis fuiſſe ordinatos, non videtur Ferrandus ad eam pęrogativam reſpexiſſe, qua nunquam uſi ſunt Romani Pontifices, licèt eos illa fuiſſe potitos magna mihi ſuſpicio ſit. Si enim Pelagius Primus, & poſt eum multi ex ejus ſucceſſoribus, à duobus tantùm Epiſcopis & ab Archipresbytero Oſtienſi conſecrati ſunt, non video negari poſſe, licitum etiam eis fuiſſe ab uno Epiſcopo conſecrari, quia non minus repugnat canoni Nicæno Epiſcopum à duobus tantùm Epiſcopis ordinari, quàm ab unico, & tamen nemo objecit Pelagio, quòd à duobus tantùm Epiſcopis fuiſſet conſecratus contra canonem Concilii Nicęni, licèt ab ejus communione ſe ſubtraxiſſent Romani, quòd crederetur Concilium Quintum approbando, eum ſentire contra fidem Concilii Calchedonenſis; unde Childebertus Francorum Rex ab eo petiit, ut vel ſibi ſignificaret, ſe per omnia Sancti Leonis ſcriptis aſſentiri, vel propriis verbis ſuæ fidei confeſſionem ad ſe mitteret, quod & fecit. Jam tamen ſęculo integro ante Pelagium Primum hæc canonis Nicæni ſubverſio objecta fuerat Armentario Ebredunenſi Archiepiſcopo, qui anno 439 à Concilio Regienſi dignitate depoſitus fuit, quòd conſecrationem Epiſcopalem à duobus tantùm Epiſcopis accepiſſet. Certè fuiſſe etiam prærogativam Romani Pontificis poſſe ab uno Epiſcopo ordinari, innuere videtur S. Auguſtinus, dum in Breviculo Collationis contra Donatiſtas ſcribit, moris eſſe, ut Romanum Pontificem ordinet *non aliquis Epiſcopus Metropolitanus, ſed de proximo Oſtienſis Epiſcopus*. Denique Romanum Pontificem non tantùm Epiſcopos ordinaſſe abſque aliorum Epiſcoporum miniſterio, ſed & ipſum conſequenter ab uno tantùm Epiſcopo conſecrari potuiſſe, ex eo conſtat quòd diſpenſet aliquando, ut Epiſcopus ab unico tantùm Epiſcopo cum aſſiſtentia duorum Abbatum conſecretur, ſi verum ſit, cùm de facto non multis ab hinc annis, ſcilicet circa annum 1691 permiſiſſe, ut Epiſcopus Lauſannenſis in Helvetia Friburgi reſidens, ab uno tantùm Epiſcopo, cui aſſiſterent Abbates Altæripę & Belleii in eadem Helvetia conſecraretur, quod mihi compertum eſt ex literis hac de re Friburgo die 19 Septembris currentis anni 1717 ſcriptis. Si ergo Romanus Pontifex poteſt conſecrationem Epiſcopi uni ſoli permittere, quo pacto negari poteſt, & ipſum ab uno tantùm Epiſcopo conſecrari potuiſſe, & Epiſcopos abſque aliorum miniſterio conſecraſſe? Vide dicta in Præfatione Tomo primo hujus Operis præfixa numero nono & ſequenti, & in Pelagio primo.

Digitized by Google

S. BENEDICTUS II Pontif. LXXXIII.

Anno Domini DCLXXXIV.

I. *S. Leoni II. ſufficitur S. Benedictus II.*

CUm ex dictis S. Leo hujus nominis II, die tertia menſis Julii anni ſexcenteſimi octogeſimi tertii obierit, & , ut ſcribit Anaſtaſius, ceſſarit *Epiſcopatus menſes* 11 , *dies* 22 , S. Benedictus hujus nominis II, natione Romanus ex patre Joanne ordinatus eſt die 26 menſis Junii anni ſexcenteſimi octogeſimi quarti, in quam Dominica cadebat . In editione quidem Anaſtaſii , qua Baronius uſus eſt , legebatur , ut ipſe aſſerit , poſt Leonis mortem Sedem vacaſſe menſem unum, & dies viginti duos ; ſed ea editio ſine dubio corrupta ; aliæ enim omnes, ſicuti & codices MSS. habent menſes undecim & dies viginti duos, quod maximè advertendum , quia ex initio Benedicti II rectè conſignato , Leonis II & ſucceſſorum Benedicti II Chronotaxis pendet.

II. *Scribit in Hiſpaniam pro receptione Actorum Synodi ſextæ.*

Leo II Petrum Regionarium in Hiſpaniam miſerat pro ſignificanda ſextæ Synodi definitione, ut dictum eſt in ejus Pontificatu ; ſed cum Epiſcopi Hiſpani , in Toletano Concilio 13 , poſt diem quartum Novembris anni 683 congregati , abſoluto jam Concilio , Leonis Epiſtolam & Geſta Concilii accepiſſent , non potuere iterum aggregari , tum quia jam ad propria redierant , tum propter proceloſi temporis adveritatem , quia ſcilicet *tellus omnis hiemali ſtricta gelu , glaciali nivium immenſitate duruerat* , ut teſtantur Patres Concilii Toletani 14 canone 2 , & 3 , ſub finem anni 684 congregati . Benedictus Pontifex electus ſcripſit ad Petrum Regionarium in Hiſpania agentem , Epiſtolam, cujus titulus : *Benedictus Presbyter & in Dei nomine electus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ , Petro Notario Regionario* . Eâ monet Petrum , ut commiſſum miniſterium peragat , & ſubſcriptiones Epiſcoporum poſt definitionem Synodicam Sexti Concilii procuret ſubjungi . Quare Patres dicti Concilii Toletani 14 , mox dictis ex canonibus 2 & 3 addunt , ſe ſparſis ſedibus atque locis approbaſſe quæ geſta fuerant in Sexta Synodo, & in canone 4 ſubjungunt : *Placuit proinde illo tunc tempore Apologeticæ defenſionis noſtræ reſponſis ſatisfacientes , Romano Pontifici , eq ipſa geſta firmare* . Hæc Apologia adversùs hæreticos ad Romanum Pontificem miſſa , in qua Catholicę Religionis ſummá capita continebantur, Juliani Toletani Epiſcopi opus erat.

III. *Hæc Epiſtola non eſt ſpuria.*

Baronius hanc Benedicti ad Petrum Regionarium Epiſtolam ſuppoſititiam contenuit, & vim facit, in eo quod ex alia ejuſdem Benedicti ad Ervigium Hiſpaniarum Regem Epiſtola , cujus initium : *Cùm unus extet rerum omnium Deus* , &c. dicat Benedictus , ſe miſiſſe Acta Synodalia ad Epiſcopos Hiſpaniæ per Petrum Regionarium , cùm tamen conſtet , ea à Leone per eumdem Petrum miſſa . Sed ea ad Ervigium Regem Epiſtola Benedicto II à Librariis perperam attributa , quod decepit Baronium , quibuſdam exemplaribus Leonis , quibuſdam verò Benedicti nomen præferentibus , licèt ea à ſolo Leone ſcripta fuerit. Veriſimile tamen eſt Benedictum II , alias ad Hiſpaniæ Epiſcopos literas ſcripſiſſe, quibus explicarit cauſam miſſionis ejuſmodi Epiſtolarum Leonis ; ſed eę non extant, ſicuti neque eę , quibus juſſit explicari ſcripta à Juliano Epiſcopo Toletano *de Tribus ſubſtantiis* , ut habetur in Concilio Toletano 15 , de quibus ſtatim agemus . Qua de re plura Combefiſius in Hiſt. Monothel. in Diſſert. Apologet. pro Actis Sextæ Synodi cap. 2.

IV. *Scribit ad Epiſc. Hiſp. quædam improbans in eorum Apologetico.*

Cùm Apologeticum Hiſpaniæ Epiſcoporum, de quo ſuperius , accepiſſet Benedictus II, nonnulla in eo improbavit, atque in his quod de ſanctiſſima Trinitate diſſerens Julianus Toletanus Apologetici auctor dixiſſet : *Sapientiam ex ſapientia , voluntatem ex voluntate procedere* ; & quòd *Chriſtum Dominum ex tribus ſubſtantiis conflatum* affirmaſſet. Quare Benedictus ſcripſit ad Hiſpaniarum Epiſcopos, monuitque , ut corrigerent , quæ legiſſet in ſcriptis ab ipſis literis , quibus, quę decreta erant in Sexta Synodo , probabantur. Hę quidem , ut dixi , Benedicti Literæ non extant , ſed earum mentio in Concilio Toletano 15 , die 11 menſis Maii anni 688 celebrato. Quare Julianus Toletanus altero Apologetico ſatisfecit , ut videre eſt in Actis ejuſdem Concilii Toletani 15. Primæ Reſponſionis , ſeu primi Apologetici meminit Felix Epiſcopus Toletanus in Vita S. Juliani apud Bollandum ad diem 8 menſis Martii , ubi ſcriptorum ejus catalogum texens ſecundo loco nominat *Apologeticum fidei, quod Benedicto Romanæ urbis Papæ directum eſt* . Memorat ibidem ſecundum Apologeticum his verbis : *Item aliud Apologeticum de Tribus Capitulis , de quibus Romanæ urbis Præſul fruſtrà viſus eſt dubitaſſe* . Plura hac de re Bollandus & Baronius .

V. *Novus mos in Eccleſia regimine vacante ſede.*

Sed ut ad dictam Benedicti Papæ ad Petrum Regionarium Epiſtolam redeam, ex ea intelligimus , vel in ejus electione , vel paulò

Digitized by Google

11.3.12

paulò ante deſiiſſe morem illum, quem in S. Gregorio, in Joanne IV, & in S. Martino obſervavimus, vacante nempe Sede Apoſtolica, vel abſente Pontifice, Eccleſię regimen fuiſſe penes Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium Notariorum. Cùm enim tunc, ſoli illi tres in inſcriptionibus Epiſtolarum nominarentur, & adderetur nomen Pontificis Electi, ſi unus ex illis tribus eligeretur, in hac Epiſtola ſolus Benedictus Electus nominatur, quod certè clarè manifeſtat regimen Eccleſiæ non penès alios, ſed penes ipſum ſolum reſediſſe, licèt nondum eſſet ordinatus, & conſequenter morem illum, vel in ejus electione, vel paulò antea deſiiſſe. Benedictum in favorem S. Wilfridi Eboracenſis Epiſcopi decretum edidiſſe, tum cùm adhuc eſſet Romanus Pontifex electus, aſſerit Joannes VI in decreto abſolutionis ejus, de quo in ejus Pontificatu num. 7, & Wilfridus ipſe coram Synodo Romæ coacta apud Eddium ibidem laudatum cap. 48, *ut omnia*, inquit, *rectitudinis pietatiſque, quæ à beatiſſimis anteceſſoribus veſtris Dominis Apoſtolicis, Sancto Agathone, & Electo Benedicto, & beato Sergio unanimiter erga meam parvitatem decreta ſunt, vos largiflua pietatis benevolentia confirmare dignemini*.

VI. Benedictus Rom. Eccleſiam in libertatem reſtitui obtinet.

Diximus in Agathone Conſtantinum Imperatorem poteſtatem confirmandi Electos Romanos Pontifices Exarchis Ravennatenſibus abſtuliſe, & ad ſe retraxiſſe. Sed eam ſubjectionem ſub Benedicto Papa penitus dimiſit idem Conſtantinus, teſte Anaſtaſio in Benedicto, ubi ait: *Hic ſuſcepit divales juſſiones clementiſſimi Conſtantini magni Principis ad venerabilem Clerum, & populum, atque feliciſſimum exercitum Romanæ civitatis, per quas conceſſit, ut perſona, qui electus fuerit ad Sedem Apoſtolicam, è veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinetur*. Juſtinianus tamen II Conſtantini Pogonati filius, ac ſucceſſor, videtur nullam habuiſſe rationem hujus juſſionis, cùm ſub Conone Papa neceſſaria iterum fuerit Exarchi confirmatio, ut ibidem videbitur.

VII. Imperatoris filii dantur ei in filios.

Idem Conſtantinus Imperator filios ſuos Juſtinianum & Heraclium Benedicto II in filios dedit, quod his verbis denotat Anaſtaſius: *Hic* (nempe Benedictus) *und cum Clero & exercitu ſuſcepit mallones capillorum dominorum Juſtiniani, & Heraclii filiorum clementiſſimi Principis, ſimul & ejus juſſionem, per quam ſignificabat eoſdem capillos direxiſſe*. Ea enim hoc tempore vigebat conſuetudo, ut per hujuſmodi exhibitionem capillorum, quis alicui offerretur in filium; quod diſcimus ex Paulo Diacono lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 53, ubi ait: *Carolus Princeps Francorum Pippinum filium ſuum ad Luitprandum* (Longobardorum Regem) *direxit, ut ejus, juxta morem, capillum ſuſciperet. Qui ejus cæſariem incidens, ei pater effectus eſt, multiſque eum ditatum Regiis muneribus genitori remiſit*. Sic igitur pius Imperator voluit, ut filii ſui ſcirent ſe Romanum Pontificem peculiarem habere patrem, cujus monitis impenſius parere deberent, eumdemque ut patrem diligere ac revereri.

VII. Mos tondendi pueros apud Europaeos.

Porrò per *Mallones* intelliguntur cirri, cincinni, ſeu implexi crines; mallo enim eſt *lana*, *vellus*, ſeu coma demiſsa, ut videre eſt in Gloſſario mediæ, & infimæ latinitatis, in voce *mallones*. Obſervat autem Mabillonius in Præfatione ad primam partem Sæculi tertii Benedictini num. 17, laicorum tonſuram penès Europæos, aliam puerorum fuiſse, aliam adultorum. Pueri capillum intonſum aliquandiu gerebant; poſtea cincinnos à capite eorum demetebat Epiſcopus, aut certè is, qui *pater ſpiritalis* ob hoc dicebatur, ut conſtat ex mox laudatis Anaſtaſii & Pauli Diaconi verbis. Ab eo tempore videntur Reges Francorum capillos in orbem compoſitos geſtaſse: „ nam antea, ut habet Agathias, „ qui ſæculo ſexto vixit, ſolemne erat „ Francorum Regibus intonſam habere co„ mam à pueris, involitantibus utrimque in „ humeros capillorum cirris, anterioribus ca„ pillis à fronte diſcriminatis. Quippe in Cereis Regum Carlovingorum iconibus, capilli in orbem æquati ad humeros uſque apparent. Ritus ille tondendi pueros profectus videtur à Paganis, qui plerique primum puerorum capillum, alicui Deorum ſuorum deciſum offerebant. An mos iſte à pueris ab initio Chriſtianæ religionis frequentatus ſit, incertum, cùm nulla ferè illius rei exempla legantur ante ſæculum octavum, quo id *ex more* factum dicitur. Extant in Ordine Romano plures Orationes ad capillaturam incidendam, & *ad puerum tonſurandum*, aliæ ab eis, quæ *ad Clericum* faciendum aſsignantur. Priores videntur uſurpatæ fuiſſe in ſolemni iſto ritu, quo pueri primùm tondebantur extra ordinem Clericorum, qui à pueris illis corona ſecernebantur. Hæc Mabillonius laudatus.

IX. Benedictus Macarium olim Epiſc. Antioch. ab hæreſi revocare tentat.

Macarius Antiochenus quondam Patriarcha, à Sexta Synodo, Sede ob hæreſim deturbatus, Romę hoc tempore in exilio agebat. Hunc, mortuo anno 685 Theophane ejus in locum ſuffecto, in priſtinam dignitatem reſtituere volebat Benedictus, ſi damnata hęreſi ad Eccleſiæ Catholicæ communionem redire vellet; ſed cervicoſus homo Sancti Pontificis monita contempſit. Id conſtat ex Actis Synodalibus Nicæni Concilij ſecundi Act. 1, quę ſic habent: *Petrus ſtudioſiſſimus Presbyter, & Apoſtolicæ Sedis Hadriani Papæ Vicarius dixit: Et Romæ quoque extorris erat Macarius à Sancta Synodo Sexta damnatus: verùm piæ memorationis pater*

ter

ter noſter Benedictus deliberandi ſpatium per triginta dies illi conceſſit: & quodam tempore Bonifacium Conſiliarium ad eum miſit, quò verbis admonitione plenis ex ſacra Scriptura illum inſtrueret: verùm ad meliorem mentem haudquaquam perduci potuit. Id autem pater beatus ob id egit, quò illum rursùs in priſtinum ſtatum reciperet.

X. *Ad vitam immortalem tranſit.*

Anaſtaſio ſcribenti Benedictum II Papam ſediſse *menſes decem*, *dies duodecim*, ſuffragantur Ordericus lib. 2, Regino, Luitprandus, Abbo, Hermannus Contractus, Catalogus Vaticano-Palatinus, aliique. Quare cùm die vigeſima ſexta menſis Junii anni ſexcenteſimi octogeſimi quarti ordinatus fuerit, ſupremum vitæ ſuæ diem confecit, die ſeptima Maij anni ſexcenteſimi octogeſimi quinti, & die octava ejuſdem menſis, ſeu *ſub die* 8 *Idus Maij*, ut prodit idem Anaſtaſius, ſepultus eſt: indeque Officio Eccleſiaſtico in Baſilica Vaticana Sancti Petri Apoſtoli die ſeptima Maii celebratur, quo etiam die ejus memoria ſacra eſt in hodierno Martyrologio Romano, apud Notkerum, Molanum in prima editione Additionum ad Uſuardum, Galeſinium, Caniſium, Gninium in Natalibus Sanctorum Canonicorum, alioſque Martyrologos à Papebrocio ad diem 7 menſis Maii in Elogio de S. Benedicto II memoratos, qui & teſtatur, poſtridie, ſive die octava menſis Maij memorari à Greveno in Additionibus ad Uſuardum, & à Maurolyco, ac Felicio, & hoc juxta regulam ab Auctore Criticæ Baronii ſtatutam, Martirologos ſcilicet uno tantùm die, in alicujus Pontificis depoſitione conſignanda, inter ſe diſcrepantes, ſic conciliandos eſſe, ut alii ad diem eorum obitualem, alii ad diem, quo ſepulti ſunt, reſpexerint.

XI. *Ejus in Eccleſiam, Clerum, & monaſteria munificentia.*

De cæteris Benedicti II geſtis hæc Anaſtaſius habet: *Hic Eccleſiam beati Petri Apoſtoli, ſed & beati Laurentii Martyris, quæ appellatur Lucinæ reſtauravit. Itemque in Eccleſia beati Valentini Viâ Flaminiâ fecit coopertorium ſuper Altare cum clavis & faſtellis, & in circuitu palergium chryſoclavum pretioſiſſimum: ſimiliter & in Eccleſia beatæ Mariæ ad Martyres alium coopertorium porphyreticum fecit cum Cruce ex gemmulis*, &c. *Fecit autem calices aureos miniſteriales duos penſantes ſingulos libras ſingulas*, &c. *Clerum diverſis ordinibus in die Sancto Paſchæ honoribus ampliavit*, &c. *Dimiſit omni Clero, Monaſteriis, Diaconiis & Manſionariis auri libras triginta. Fecit autem Epiſcopos per diverſa loca numero duodecim.*

XII. *Ejus pietas & doctrina.*

Ejus tandem virtutum ſplendorem & divinarum Scripturarum ſcientiam commendat idem Anaſtaſius: *Ab ineunte ætate ſua*, inquit, *Eccleſiæ militavit, atque ſe ſic in Divinis Scripturis & cantilena à puerili ætate & in Presbyteri dignitate exhibuit, ut decet virum ſuo nomine dignum, in quo verè ſupernæ benedictionis gratia redundavit, ut nomine pariter & operibus dignus ad Pontificii regimen perveniret, paupertatis amator, humilis, manſuetus, patientiam habens, atque manu largiſſimus.*

JOANNES V *Pontif. LXXXIV.*

Anno Domini DCLXXXV.

I. *Joannes V fit Papa.*

Poſt Sancti Benedicti II obitum, vacaſſe Sedem *menſes duos*, *dies quindecim* ſcribit Anaſtaſius, & ex eo Ordericus lib. 2, ex quo ſequitur Joannem hujus nominis V, natione Syrum, patria Antiochenum, ex patre Cyriaco, ordinatum fuiſse die vigeſima tertia menſis Julii anni ſexcenteſimi octogeſimi quinti, in quam Dominica cadebat. Non advertens autem Baronius Anaſtaſium ex interpontificio excludere diem ſeptimam Maii, Benedicti II emortualem, & ordinationes Romanorum Pontificum diebus Dominicis fieri ſolitas eſse, Joannis V ordinationem cum die vigeſima ſecunda menſis Julii connexuit.

II. *Præfuerat Synodo VI ut Legatus Agathonis.*

Hic Pontifex *conſecratus eſt à tribus Epiſcopis, Oſtienſe, Portuenſe, Veliternenſe, ſicut prædeceſſor ejus Leo Papa*, inquit Anaſtaſius, ex quo inferendum eſt Sedem Albanenſem adhuc vacaſſe tempore ordinationis Joannis V, ſicut vacabat tempore Leonis II, ut elicitur ex Anaſtaſio, qui dicit ideo Epiſcopum Veliternenſē fuiſſe unum ex ordinatoribus Leonis II, quia tunc Albanenſis Sedes vacua erat. Joannes V ante Pontificatum erat Diaconus Eccleſiæ Romanæ, fuitque unus ex Legatis Agathonis Papę ad Sextam Synodum generalem, cui cum aliis præfuit, ex qua rediens *detulit præter alia etiam divales juſſiones, relevantes annonæ capita patrimoniorum Siciliæ, & Calabriæ non pauca, ſed & præceptum frumentum ſimiliter, vel alia diverſa, quę Eccleſia Romana annuè minime ſufficiebat perſolvere*, ex eodem Anaſtaſio.

III. *Juſtiniani Imp. divalis ad Cononem, non ad Joannem directa.*

Extat Tomo 6 Conciliorum Divalis Juſſio Juſtiniani Imperatoris directa ad Joannem Papam in confirmationem Sextæ Synodi, quâ Imperator Pontifici ſignificat, quòd cùm cognoviſſet Acta Synodalia in Regia urbe apud quoſdam Judices remanſiſſe, ſe adduxiſſe *ſanctiſſimos, ac beatiſſ. Patriarchas*,

cum

Digitized by Google

cum ſuæ Beatitudinis Apocriſario , &c. & juſſiſſe *præfatas Synodalium geſtorum chartas in medium adduci* , *& coram ſupradictis omnibus lectionem eorum fieri* , *omneſque diligenter audientes ſignare eas feciſſe* , *ut non ſit licentia in quolibet tempore his* , *qui timorem Dei nolunt habere* , *aliquid corrumpere aut ſubmutare ab his quæ inſerta ſunt prænominatis Synodalibus geſtis* . Sed hanc Divalem Juſsionem ad Cononem , non ad Joannem directam , magna mihi ſuſpicio eſt . Id certè innuit Anaſtaſius , qui in Conone ſcribit : *Hic ſuſcepit Divalem Juſſionem Domini Juſtiniani Principis* , *per quam ſignificat reperiſſe Acta Sanctæ Sextæ Synodi* , *& apud ſe habere* , *quam piæ memoriæ Domnus Conſtantinus genitor ejus Deo auxiliante fecerat* . Nec eſt quod dicatur Divalem illam directam eſſe ad Joannem , & poſt ejus mortem à Conone ſuſceptam , nam prætérquamquod id nullibi ſcriptum reperitur, invictè refellitur ex ejuſdem Divalis ſubſcriptione ; *data* enim dicitur *decimo tertio Kalendas Martias Conſtantinopoli in Imperiali domo* , *piiſſimoque & perpetuo Auguſto Juſtiniano Imperatore* , *anno ſecundo* , *& poſt Conſulatum ejus anno ſecundo* , *indictione decima quinta*, qui characteres conveniunt certò in menſem Februarium anni ſexcenteſimi octogeſimi ſeptimi , quo ſedebat Conon, & Joannes à ſeptem circiter menſibus obierat , quod Imperatorem latere non poterat . Exiſtimo itaque in prædicta Divali intruſum eſse à Librariis Joannis nomen , & conſequenter nomen Cononis reſtituendum eſse .

IV. *Turritanam Eccleſ. Sedis Apoſt ditioni redintegrat.*

Joannis Pontificatum , quòd , ut ait Anaſtaſius, *diuturna infirmitate detentus* fuerit , nulla res memorabilis inſignivit . Unde id tantùm de eo hæc habet : Joannes *poſt multorum annorum curricula propter tranſgreſſionem ordinationis Eccleſiæ Turritanæ in Sardinia* , *quam ſine auctoritate Pontificis fecerat Citonatus Archiepiſcopus Calaritanus* , *pro eo quòd antiquitus ordinatio fuit Sedis Apoſtolicæ* , *& ad tempus conceſſa fuerat ipſius ordinatio eidem Eccleſiæ* , *poſtmodum protervia faciente Archiepiſcoporum* , *præcepto Pontificum ab eadem ordinatione ſuſpenſi ſunt* , *juxta determinationem Sanctæ memoriæ Martini Papæ* ; *& facto Concilio Sacerdotum* , *novellum Epiſcopum* , *qui ab eodem Archiepiſcopo ordinatus fuerat* , *ſub ditione Sedis Apoſtolicæ redintegravit atque firmavit* ; *quorum chirographus archivo Eccleſiæ retinetur* .

V. *Moritur.*

Sic tandem Joannis Pontificatum claudit Anaſtaſius : *Qui ſanctiſſimus vir diutina infirmitate detentus eſt* , *ut etiam vix ordinationem Sacerdotum explere potuiſſet* . *Hic dimiſit omni Clero* , *Minaſteriis & Diaconiis & Manſionariis ſolidos mille nongentos* . *Fecit autem Eiſcopos per diverſa loca numero tredecim* : *qui etiam ſepultus eſt ad beatum Petrum Apoſtolum ſub die ſecunda menſis Auguſti* . Obiit itaque Joannes V die prima Auguſti anni ſexcenteſimi octogeſimi ſexti , & die ſecunda ejuſdem menſis ſepultus eſt ; ſicque rectè idem Anaſtaſius jam ſcripſerat , eum ſediſſe *annum unum* , *dies novem* , quod & Ordericus lib. 2 , Regino, Hermannus Contractus , variique Pontificum catalogi etiam habent , ex qua dierum ſedis ejus enumeratione excludunt diem primam Auguſti , qua mortuus eſt .

VI. *Moritur & Theodorus Patriarcha Cpolitanus.*

Joanne ſedente Theodorus ille Patriarcha Conſtantinopolitanus , qui ante Sextam Synodum Sede deturbatus , in eam poſtea anno 683 , mortuo Georgio , reſtitutus fuerat , ſupremum diem obiit , poſtquam , ut ait Theophanes , poſt ſuam reſtitutiouem annos tres ſediſſet , ex quo ſequitur ejus mortem anno 686 aſſignendam eſſe . Hæc ex Critica Baronii ; indeque ruunt omnes conjecturę doctiſſimi Cardinalis , quibus probatum exiſtimat , Theodorum Acta Sextæ Synodi falſaſſe ; & cùm in eis nomen ejus inter damnatos hæreticos legeretur , nomen Honorii in ſui locum ſubrogaſſe , ac Acta vitiata Legatis Romanis , antequam ex urbe Regia recederent , tradidiſſe , cùm ea in poteſtate habuerit . Conjecturę , inquam , illæ evaneſcunt , cùm Theodorus anno tantùm 683 in ſedem & in benevolentiam Conſtantini Pogonati redierit , & Legati Apoſtolicæ Sedis Romę à Sancto Leone Papa ſuſcepti fuerint , menſe Julio anni 682 . Theodoro ſucceſſit in ſedem Conſtantinopolitanam *Paulus ex laico à ſecretis* , inquit Theophanes .

CONON *Pontif. LXXXV.*

Anno Domini DCLXXXVI.

I. *Conon eligitur Pont. Rom.*

JOanne V Papa mortuo , civitas in duas partes ſciſſa eſt , Clerus enim Petro Archipresbytero ſuffragabatur ; Judices verò & exercitus Theodoro Presbytero favebant . Tandem Clerus communi conſilio in electionem tertii conſpiravit , ſcilicet Cononis genere Thracis , qui educatus apud Siciliam , & poſtmodum Romam veniens ad Presbyterii honorem devenerat . Hunc veneranda canities , ſimplex animus , quieti mores , religioſa vita, ſacra eruditio hoc præſtabant loco digniſſi-

 mum,

Digitized by Google

SÆC. VII. CONON.

mum, ut ſcribit Anaſtaſius, qui ſubdit: *Poſt aliquot dies & ipſi flexi ſunt* (Judices ſcilicet & Primates exercitûs) *& conſenſerunt in perſona prædicti ſanctiſſimi viri* (nempe Cononis) *atque in ejus decreta devota mente ſubſcripſerunt, & Miſſos pariter unà cum Clericis & ex populo ad excellentiſſimum Theodorum Exarchum, ut mos eſt, direxerunt.* Ex his patet verum eſſe, quod in Benedicto II obſervavimus, Juſtinianum Imperatorem Conſtantini Pogonati filium & ſucceſſorem, juxta morem antea uſitatum ſtatuiſſe, ut conſecratio Romani Pontificis abſque confirmatione Exarchi Ravennatenſis non perageretur. Remanſerunt itaque Romani liberati ab onere mittendi decreti electionis Conſtantinopolim, ſed obnoxii remanſerunt Exarchorum examini, donec ipſi ſæculo ſequenti defecere, ut notat Marca lib. 8 de Concordia cap. 9, num. 10.

II. Dies ordinationis ejus.

Conon itaque Pontifex conſecratus eſt die vigeſima prima menſis Octobris anni ſexcenteſimi octogeſimi ſexti, in quam Dominica incidebat. Verum quidem eſt in Anaſtaſio legi ceſſaſſe Epiſcopatum poſt Joannis V mortem, *menſes duos, dies* 18; ſed vel Anaſtaſius hac in parte corruptus, & legendum dies 19, vel tam diem mortis, quam diem ſepulturæ excluſit ab interpontificio, quod neceſſariò dicendum eſt, ut Cononis ordinatio dicatur facta in die Dominica. Sed quidquid ſit, in ejus morte conſtabit, vel in tempus ſedis Joannis V, vel in tempus interpontificii poſt ejus mortem, unius ſaltem diei errorem irrepſiſſe, quod Chronologiæ noſtræ non officit, dummodo Cononis ordinatio diei Dominicæ affigatur.

III. Ritus in ejus conſecratione ſervatus.

Ritum in creatione Cononis ſervatum, antequam conſecraretur, habemus ex citatis Anaſtaſii verbis, ante quæ jam dixerat: Cononem *Sacerdotes, & Clerus* unanimiter apud Lateranum elegerunt. Mox *omnes Judices unà cum Primatibus exercitûs ad ejus ſalutationem venientes, in ejus laudes acclamaverunt. Videns exercitus unanimitatem Cleri, & populi*, electioni factæ *conſenſerunt, atque in ejus decreto* cum eiſdem *ſubſcripſerunt*. Demum iidem unà cum Clero & populo, *Miſſos ſuos ad Exarchum, ut mos* erat, *direxerunt*. Electio itaque primò fiebat per Clerum; deinde ſalutatio & acclamatio per Judices, & Primates. Sequebatur conſenſus exercitûs: omnium denique ſubſcriptio in decreto, quod ad Exarchum, & aliquando etiam ad Imperatorem mittebatur. Ex quibus & aliis, quæ idem Auctor narrat in Valentino Papa, Mabillonius in Commentario ad Ordinem Romanum paragrapho 18 explicat ritum ante ſæculum 11 in conſecratione Romani Pontificis ſervari ſolitum. Electioni enim Pontificis ſuccedebat ejuſdem inſtitutio duabus rebus, peracta ordinatione ſcilicet, ac inthronizatione. Ordinatio in Vaticana Sancti Petri Baſilica, inthronizatio in Lateranenſi fieri conſueverat. In his non conſtans ordo: nam etſi inthronizationem conſecratio præcedere ſolebat, nonnunquam tamen inthronizatio præmittebatur, ut in Conone factum vidimus, idemque in Valentini electione contigiſse infra narrabimus.

SÆC. VII. CONON.

IV. Juſtinianus Jun. Imp. à fide non defecit.

De Conone ſcribit Anaſtaſius: *Hic ſuſcepit Divalem Juſſionem Domini Juſtiniani Principis, per quam ſignificat reperiſſe Acta Sextæ Synodi & apud ſe habere, quam piæ memoriæ Domnus Conſtantinus pater ejus fecerat, & promiſit ejus pietas illibatam & inconcuſſam perenniter cuſtodire & conſervare.* „Hæc cùm dicat Anaſtaſius, inquit Baro„nius ad annum 685, ex literis tamen Ni„colai Pontificis ad Michaelem Imperato„rem conſtat, haud ſanæ fidei extitiſse, „ſed & adverſatum fuiſse eumdem Impe„ratorem Juſtinianum ipſi Cononi, cùm „Legatos ejus Conſtantinopolim miſſos „prævaricari coegiſset; ſed Nicolai verba „accipe dum invehitur in improbos Impe„ratores de Eccleſia Romana male meren„tes: *Tantæ*, inquit, *ſalutis oblatæ mini„ſtros duplici modo interemiſtis: quoniam „aut participes illos ſui erroris effectos ſpi„ritualiter occiderunt, ſicut tempore reve„rendæ memoriæ Cononis contigit*, &c. Arguunt quidem iſta diverſæ fidei eſse cœpiſse Juſtinianum à Romano Pontifice, ob idque conſtat ſenſiſse numen iratum, &c. Ita Baronius. Sed cùm de illo facinore, neque Anaſtaſius, neque alii Hiſtorici mentionem faciant; & parte alia nullus literis mandarit Juſtinianum ſenſiſse numen iratum, & è ſolio dejectum, quia à fide defecerat, imò Agatho Diaconus Eccleſiæ Cpolitanæ in Peroratione, cujus titulus eſt: *Peroratio ſcribæ Actorum Sextæ Synodi: ubi etiam traduntur, quæ tyrannus, & inſipiens Bardanes adversùs eamdem ſanctam & œcumenicam Sextam Synodum temerè molitus eſt;* cùm, inquam, Agatho dicat mala illa contigiſse *ob peſſimam à principio, ſanguinariamque ejus* (Juſtiniani) *voluntatem*, in ſupradicta Nicolai Papæ Epiſt. 8, ubi legitur, *reverendæ memoriæ Cononis*, legendum videtur *reverendæ memoriæ Conſtantini*, ſub cujus, non ſub Cononis Pontificatu, Bardanes tyrannus, qui ſub Philippici nomine Imperium invaſerat, Orthodoxis, qui libello, quem pro abroganda Sexta Synodo dictaverat, ſubſcibere noluerunt, perſecutionem intulit, ut ibidem dicemus. Quo pacto non Cononis, ſed Conſtantini Papæ Legati prævaricari coacti ſunt à Philippico, non à Juſtiniano, qui, teſte Anaſtaſio, Cononi permiſit illibatam & inconcuſsam perenniter cuſtodire Sextam Synodum, quam

Digitized by Google

SÆC. VII. CONON. quam Conſtantinus pater coegerat. Vide dicta in Conſtantino Papa.

V. Conon PP. Franconiorum converſionem procurat. Conon ſanctiſsimum Hiberniæ Monachum Kilianum Apoſtolica donatum miſsione, & Epiſcopali dignitate auctum, ad Franconiorum converſionem deſtinavit, ut legitur in ejus Vita interpolata, quam publicavit Henricus Caniſius Tom. 4 Antiq. Lection. Legitur enim & alia brevior optimæ notæ Seculo 2 Benedictino, in qua legitur Kilianum in Scotia, ut tunc Hibernia vocabatur, natum, cum aliquot ſociis veniſſe in Franciam Orientalem ad urbem Herbipolenſem, vulgò *Wirzburg*, indeque cum ſociis, ut ibi prędicaret nomen Chriſti ad Joannem Papam Romam ſe contuliſſe, ubi à Conone Papa honorificè ſuſcepti ſunt, quia Joannes V è vivis exceſſerat, & Conon Pontificatum Romanum regebat. *Sed illuc venientes & Apoſtolicum virum* (Joannem) *non invenientes, quia à Sancto Papa Canone* (legendum Conone) *prædictus Pontifex Kilianus amabiliter & honorabiliter ſuſceptus eſt. Cùm autem beatus Papa Canon* [Conon] *vidit unde venerat, & ad quem locum exinde prompta voluntate iturus fuerat; audita illius fide pariter & doctrina, ideo dedit illi ex S. Principe Apoſtolorum licentiam & poteſtatem prædicandi & docendi.* In vita interpolata hęc verba adduntur: *Itaque conſenſu totius Urbis beatiſsimum virum in Præſulatûs officio conſtituit, quo & chriſma conficere, & Eccleſias dedicare, & ſacros ordines conferre irreprehenſibiliter valeret.* S. itaque Kilianus Epiſcopus ordinatus eſt à Conone, nulli ſedi adſtrictus, ſed tantùm, ut quòcumque vellet Evangelium Gentibus prædicaret.

VI. Opera S. Kiliani. Refert poſtea Auctor Vitæ non interpolatę, Kilianum Epiſcopum Apoſtolicum cum Kolomanno Presbytero & Totmanno, ſeu Totnano Diacono, ſociis ſuis, Herbipolim rediiſſe, ibique Chriſtum annunciaſſe, atque Gozbertum Franconiæ Ducem baptizaſſe. Sed cùm poſtea Kilianus eum admonuiſſet, non licere ſibi conjugio frui uxoris fratris ſui, quæ Geilana vocabatur, hęc duorum miniſtrorum ſuæ crudelitatis operâ eoſdem interfici curavit. Hoc Martyrium anno 689 contigiſſe, certum faciunt verſus, qui in epitaphio S. Kiliani leguntur, eo anno à Baronio recitati. Cùm verò poſtea Kiliani & ſociorum corpora in ſumma veneratione eſsent, & ad eorum ſepulchra multa fierent miracula, *cum conſilio & præcepto Zachariæ Papæ, mediante Bonifacio Archiepiſcopo, de tumulo honorificè ſublevati ſunt, regnante Pippino primo Orientalium Francorum Rege.* Quare facta hæc Translatio anno 752 à Sancto Burchardo Epiſcopo Wirziburgenſi primo, ut refert Anonymus Auctor ejuſdem S. Burchardi Vitæ, à Mabillonio Sæc. 3 Benedictino part. 1 recitatæ. *SÆC. VII. CONON*

VII. Eccleſ. Antioch. Epiſcopum ordinat. Si Cononis nomen S. Kiliani Apoſtolatus illuſtravit, ſcriptores hanc ei notam inuſſerunt, quòd cùm, morte Theophanis, vacaret Eccleſia Antiochena Paſtore, ut dictum eſt in Benedicto II, quorundam Eccleſiaſticorum perſuaſione, inconſulto Romanæ Eccleſiæ Clero, ordinarit Conſtantinum Diaconum Eccleſiæ Syracuſanæ, Rectorem tunc patrimonii Romanæ Eccleſiæ in Sicilia, eique pallium ex more conceſſerit. Sed factum eſt, ut cùm qualis ille eſſet, detectus fuiſſet, nempe factioſus homo, & ad conflandas diſcordias natus, ejus rei gratia arcta cuſtodia eſſervari juſſus fuerit ab Imperatoris Magiſtratibus, qui Siciliam adminiſtrabant. Id, ut dictum eſt, alicujus imprudentiæ notam Cononi inuſſit, qui hujuſmodi hominem, Antiochenę Sedis Epiſcopum ordinaſſet, minimè conſulto Romano Clero, quod *præter morem* Anaſtaſius ab eo factum ſcribit. Tanti periculi eſt Pontifices, & Epiſcopos, abſque conſilio, homines haud ſatis probatos ad Eccleſiaſticas dignitates & miniſteria promovere.

VIII. Vitam cum morte commutat. Conon adverſa per totum Pontificatum valetudine conflictatus, cùm ſe morti propinquum videret, Clero & Monaſteriis eam auri quantitatem, quam Papa Benedictus reliquerat, legavit, Paſchalis Archidiaconi & theſauri Pontificii diſpenſatoris arbitrio diſtribuendam, qui regnandi cupidus eam Exarcho Ravennatenſi obtulit, ut in Sergio Papa dicetur. Cùmque Epiſcopos per diverſa loca numero ſexdecim ordinaſset, & menſes undecim ſediſset, ut habent Ordericus lib. 2, Honorius Auguſtodunenſis, Regino, Hermannus Contractus, Luitprandus, Abbo, duo exemplaria MSS. Anaſtaſii, unum Colbertinum, alterumque Thuaneum, omneſque fermè veterum Pontificum catalogi, è vivis exceſsit die vigeſima prima menſis Septembris, ut ſcribit Marianus Scotus, quo die Anaſtaſius tradit eum ſepultum eſse ad B. Petrum Apoſtolum. Quare error irrepſit in Anaſtaſium vulgatum, in quo legitur eum ſediſſe *menſes undecim, & dies viginti tres*, illi enim dies abundant, ut ex ipſius Anaſtaſii dictis in ſuperioribus Pontificibus conſtat. Annum autem ſexcenteſimum octogeſimum ſeptimum ei fuiſse emortualem, ſuperius dicta in ejus ordinatione, nos dubitare minimè patiuntur.

Digitized by Google

SÆC. VII. S. SERGIUS.

S. SERGIUS *Pontif. LXXXVI.*

Anno Domini DCLXXXVII.

I. *Schiſma poſt Cononis mortem.*

PAſchalis Eccleſiæ Romanæ Diaconus, quò facilius poſt Cononis mortem, Pontificatum adipiſceretur, literas ad Joannem novum Exarcham Ravennatenſem miſit, eique eam auri quantitatem, quam Benedictus Papa reliquerat, quamque tum Clero, tum Monaſteriis Conon diſtribui juſſerat, obtulit, ſi ejus operâ ad Pontificatum eligeretur. Poſt ſeptem dies à defuncto beatæ memoriæ Conone, ut fieri mos erat, de ſucceſſoris electione agi cœptum. Populo duas in factiones diviſo, ſchiſma factum eſt. Pars una Theodoro Archipresbytero, Paſchali Archidiacono favebat altera. Una elegit Theodorum, altera Paſchalem. Theodorus cum populo, qui ei favebat, interiorem partem Patriarchii tenuit: Paſchalis exteriorem partem ab Oratorio S. Silveſtri & Baſilica domus Juliæ, quę ſuper campum reſpicit, occupavit. Cùmque unus alteri locum cedere nollet, Primates Judicum & exercitûs Romanæ militiæ, & Cleri plurima pars & prꝗſertim Sacerdotum, ad ſacrum palatium perrexere, & diu quid agendum eſſet, pertractantes: Deo annuente, ſummo conſenſu tertium elegerunt, Sergium ſcilicet S. R. E. Presbyterum natione Syrum, patriâ Antiochenum, Tiberii filium, Panormi in Sicilia educatum, quem Adeodatus Pontifex in Romanum Clerum adoptaverat, & Leo II Presbyterum ordinarat. Eum itaque de medio populi tollentes in Oraculum B. Cęſarii Martyris Chriſti, quod eſt intra palatium introduxerunt, & exinde in Lateranenſe Epiſcopium cum laudum acclamatione deduxerunt.

II. *Sergius legitimus Pontifex agnoſcitur & ſchiſma ſedatur.*

Sergio legitimo Pontifici ſponte ceſſit Theodorus, Paſchalis in ſchiſmate pertinax, coactus ipſum ſalutavit, ſed ſuę factionis hominibus Ravennam miſſis dictum Joannem cognomento Platyn Exarchum Romam advocavit, qui ipſi Pontificium nomen ac dignitatem aſſereret: Exarchus, cùm Sergium legitimis ſuffragiis, ex communi conſenſu vidiſſet in Sede S. Petri collocatum, Paſchali ſuffragari non valuit: ſed à Sergio exegit centum auri libras, quas ipſi promiſerat Paſchalis. Quas cùm ſe nec promiſiſſe conteſtaretur Sergius, nec illis ſolvendis Eccleſiam ſatis eſſe, & ad flectendum Exarchum cantharos & coronas, quæ ante ſacrum Altare, & confeſſionem B. Petri ex antiquo pendebant, deponi juſſiſſet, & in pignus tradi, nihilo magis commotus eſt homo pecuniæ avidus, nec Eccleſiæ moleſtus eſſe deſiit, donec centum auri libras accepiſſet: Non multò poſt magiæ convictus Paſchalis, Pontificis ſententia ab Archidiaconatûs officio dejectus eſt, & in Monaſterium detruſus, ubi poſt quinquennium impœnitens obiit. Hæc conſtant ex Anaſtaſio.

III. *Ordinatio.*

Sergium porrò die decima quinta menſis Decembris, in quam anno ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo Dominica cadebat, ordinatum eſſe, ex eo convincitur, quòd idem Anaſtaſius tradat, Conone mortuo, Sedem vacaſſe *menſes duos*, *dies* 23, excludendo diem emortualem Cononis ab interpontificio; vel dies 24, ut habent tres codices MSS. Anaſtaſii eum diem includentes. Abbo tamen, & Ordericus lib. 2 habent etiam dies 23. Papebrocius quidem in Conatu Chronico-Hiſtorico differt Cononis ordinationem in diem 22 Novembris anni ſexcenteſimi octogeſimi octavi: ſed hæc opinio ſuſtineri non poteſt, cùm ex epitaphio Ceduallæ Saxonum Occidentalium Regis, qui anno 689 Romæ obiit, conſtet Sergium eo anno, die 16 menſis Aprilis ſecundum ſui Pontificatûs annum numeraſſe. Quare vel ex hoc ſolo epitaphio, de quo mox, à Beda lib. 5 cap. 7 relato, Chronologia noſtra, à Leone II ad mortem Sergii & duorum ejus ſucceſſorum, certa & indubitata redditur.

IV. *Corpus S. Leonis M. transfertur.*

Sanctus hic Pontifex proximo à ſua ordinatione anno, nempe 688, die vigeſima octava menſis Junii, corpus Sancti Leonis Papæ hujus nominis primi, quod in abdito inferioris Secretarii Baſilicæ Sancti Petri poſitum fuerat, in decentiorem locum tranſtulit, ut partim ex Anaſtaſio, partim ex ejuſdem Sancti Leonis Epitaphio probat Auctor Criticæ Baronii ad annos 461, & 688, & ex eo in ejus Pontificatu retulimus.

V. *Probat Acta Concilii Toletani 15.*

Eodem anno ſexcenteſimo octogeſimo octavo, Idibus Maij celebratum eſt Concilium Toletanum decimum quintum, cui præfuit Sanctus Julianus Antiſtes Toletanus, in quo agitata quæſtio non parum obſcura circa propoſitiones quaſdam ab Epiſcopis Hiſpaniæ prolatas, & Benedicto II Papę ſuſpectas, de quibus in eodem Benedicto locuti ſumus. In eo Concilio ſecundus Juliani Apologeticus probatus Patrum auctoritate, ſancitumque nihil eum videri adverſùs Chriſtianam pietatem committere, qui in Deo voluntatem ex voluntate procedere affirmarit, treſque ſubſtantias in Chriſto Dei filio eſſe: quod Concilium multipliciter expoſuit, & quomodo Catholico

ſenſu

ſenſu, & abſque ullo errore dictum ſit, oſtendit: ſubſtantiæ nempe nomen in naturæ eſſentiæque ſignificatione uſurpari conſueviſſe, & voces abſtractas, nempe formam ſignificantes, ſæpe pro concretis Veterum Scriptorum abuſu ſumi. Poſt Concilium Julianus Presbyterum, Diaconum & Subdiaconum viros eruditiſſimos Romam ad Sergium Papam miſit, qui eidem factam in Synodo expoſitionem obtulerunt, quam Summus Pontifex probavit, ut prodit Rodericus Archiepiſcopus Toletanus in Hiſt. Hiſp. à Baronio laudatus. Annò poſtea *693* in Concilio Toletano 16, eam locutionem circa divinas perſonas, in hoc Concilio 15 jam diſcuſſam, iterum explicarunt; cùm enim dictum eſſet, voluntas de voluntate, eſſentia de eſſentia, id ita explicarunt tanquam ſenſus eſſet: pater voluntas genuit filium voluntatem; ſicut Catholicè dicitur Deus de Deo, lumen de lumine: ideſt, Deus pater genuit filium: Deus pater, qui eſt lumen, genuit filium, qui pariter eſt lumen, &c.

VI. *Ceduallam Saxonum Regem baptizat.*

Cedualla Occidentalium Saxonum Rex, cùm genti ſuæ duobus annis ſtrenuiſſimè præfuiſſet, relicto imperio propter Dominum, regnumque perpetuum, anno *688* Romam venit, quò baptizaretur à Sergio Pada, ut ſcribit Beda tàm in Epitome, quàm in Hiſtoria lib. 5, cap. 7, ubi addit: *Ceduallа illò* (ſc. Romam) *perveniens, Pontificatum agente Sergio Papa, baptizatus eſt die ſancto ſabbati Paſchalis, anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo octuageſimo nono, & in albis adhuc poſitus, languore correptus, duodecimo Kalendarum Majarum die ſolutus eſt à carne, & beatorum eſt regno ſociatus in Cœlis. Cui etiam tempore baptiſmatis Papa memoratus Petri nomen impoſuerat, ut beatiſſimo Apoſtolorum Principi* (*ad cujus ſacratiſſimum corpus à finibus terræ pio ductus amore venerat*) *etiam nominis ipſius conſortio jungeretur: qui in ejus quoque Eccleſia ſepultus eſt, & jubente Pontifice epitaphium in ejus monumentum ſcriptum*, &c. Illud poſtea recitat Beda, hiſque verbis clauditur: *Hìc depoſitus eſt* Cedual, *qui & Petrus, Rex Saxonum, ſub die duodecimo Kalendarum Majarum, indictione ſecunda: qui vixit annos plus minus triginta, Imperante Domino Juſtiniano piiſſimo Auguſto, anno ejus Conſulatûs quarto, Pontificante Apoſtolico viro Domino Sergio Papa anno ſecundo.* Ex hoc porrò Epithaphio conſtat, ut jam dictum eſt, Sergii Papæ ordinationem copulari non poſſe cum die 22 Novembris anni *683*; ſic enim Ceduallа, non ſecundo, ſed primo ejus Pontificatûs anno depoſitus fuiſſet.

VII. *Synodus Trullana ſeu quiniſexta.*

Cùm in Synodis generalibus Quinta & Sexta, nulli canones editi eſſent, ad diſciplinæ reſtaurationem & reformationem morum, Juſtinianus Imperator Trullanam Synodum congregavit, ad ſupplendas Quintam & Sextam Synodos. Hanc Synodi cauſam indicant, qui ad illam convenere Epiſcopi, in ſua ad Imperatorem allocutione. *Quoniam autem*, inquiunt, *ſanctæ et univerſales duæ Synodi* (V nimirum & VI) *ſacros Canones nequaquam conſcripſerunt, ſicut reliquæ quatuor univerſales Synodi.... propterea ergo tuæ pietatis juſſu in hac Dei obſervatrice & imperante urbe congreſſi, ſacros Canones ſcripſimus.* Hinc *Quini-Sexta* hæc Synodus appellata, quòd velut ad ſupplementum utriuſque facta ſit; quam & *Erraticam* alii appellavere. *Trullana* etiam dicta, quia habita in Trullo magni palatii, ut habet Balſamon. De Trullo vide dicta in Agathone. Verùm unde habuere Græci non poſſe celebrari Synodum Oecumenicam abſque Canonum editione; cùm eæ, ut Leo Papa docet, ad extinguendam hæreſim, & fidem Catholicam confirmandam celebrentur.

VIII. *Prima de ejus epocha opinio refellitur.*

Tres ſunt, de anno celebrationis hujus Synodi, opiniones. Aliqui cum Taraſio Epiſcopo, Conſtantinopoli tempore Septimæ Synodi generalis ſedente, volunt eam celebratam, quatuor aut quinque annis poſt Sextam Synodum Oecumenicam, ideoque anno ſexcenteſimo octogeſimo ſexto. Sed hæc opinio ſuſtineri non poteſt; in Canone enim tertio dicitur eam celebratam currente indictione quinta, anno autem *686* currebat indictio decima quarta. Præterea ex dicendis manifeſtum fiet, ejus epocham figendam eſſe ſub Pontificatu Sergii; qui menſe tantùm Decembri anni *687* ordinatus eſt Pontifex. Tandem deceptum eſſe Taraſium, patet ex eo quòd etiam aſſerat, qui ſubſcripſere ſub Conſtantino Pogonato Sextæ Synodo, eoſdem & ſub Juſtiniano præſenti Synodo ſubſcripſiſſe. Huic enim ſubſcripſit Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Sextæ Synodo Georgius; Huic Petrus Epiſcopus Alexandrinus, Sextæ idem Petrus adhuc Presbyter Alexandrini Patriarchæ Vicarius; Huic Anaſtaſius Epiſcopus Jeroſolymitanus, Sextę Georgius Presbyter Jeroſolymitanæ Eccleſiæ nomine; tandem, ut de aliis taceam, huic Synodo ſubſcripſit Georgius Epiſcopus Antiochiæ, Sextæ adfuit Macarius ejuſdem Eccleſiæ Patriarcha, & depoſitionis ſententiam tulit.

IX. *Refellitur ſecunda.*

Secunda opinio eſt Theophanis ſcribentis, hanc Synodum habitam anno Incarnationis ſecundùm Alexandrinos *699*, qui inchoatur Kalendis Septembris anni Æræ noſtræ ſeptingenteſimi ſexti, à quibus ideo & infra Synodum inchoatam exiſtimat, unde addit à Sexta Synodo ad Trullanam fluxiſſe annos viginti ſeptem, & eos nugari *qui ſcriptis ſuis celebrationem Sexti Concilii Capitulares*

tulares typos, *exactis poſtmodum annis quatuor*, *editos affirmant*; ubi Taraſium indicat, ejuſque opinionem ſugillat. Sed ea, quam proponit, longè improbabilior eſt; cùm Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui huic Synodo præfuit, anno ſexcenteſimo nonageſimo tertio obierit, & Callinico vacuam ſedem, reliquerit, ipſo etiam Theophane teſte. Secundò, Auctor libelli Synodici, poſtquam locutus eſt de Synodo Trullana, ait: *Cùm autem Leontius Imperium invaſiſſet*, *& Juſtinianum abſciſſis naribus Cherſonem relegaſſet*, *Artemius*, *qui & Anaſtaſius dicitur*, *Leontio ſucceſſit*, quare non anno Chriſti DCCVII, ſed ante annum 695, quo Juſtinianus depoſitus eſt à Leontio, Trullana Synodus congregata. Tertiò, Anaſtaſius diſertis verbis aſſerit hanc Synodum coactam, Sergio primo Eccleſiam Romanam adminiſtrante, eique tutò fides adhiberi debet; in Vita enim ejus ita accuratè narrat, quæ Juſtiniano Auguſto primùm imperante Romæ geſta ſunt, quò Quini-Sextæ Synodi decretis Sergius ſubſcribere compelleretur, ut eum de hujus Synodi tempore probè edoctum fuiſſe, certum videatur; cùm inſuper Beda, qui hac ætate vivebat, lib. de Sex ætatibus, & Paulus Diaconus, qui ſæculo ſequenti floruit, lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 11 Auctores Theophane antiquiores eidem Anaſtaſio ſuffragentur.

X. *Vera ejus epocha ſtabilitur.*

Cùm itaque in laudato tertio Synodi Trullanæ Canone dicatur, eam celebratam preterito *anno ſexies milleſimo centeſimo nono*, & utriuſque opinionis defenſores fatentur, hunc locum corruptum eſſe, & ex Theophane ad annum Incarnationis ſecundùm Alexandrinos 677 corrigendum, legendumque, *anno ſexies milleſimo centeſimo nonageſimo nono*; ille autem annus mundi, ſecundùm Eram Conſtatinopolitanam, deſinat cum menſe Auguſto anni ſexcenteſimi nonageſimi primi, eo pariter anno congregata eſt Synodus Trullana; Kalendis enim Septembris illius anni inchoatus eſt annus 6200, & indictio quinta, quibus obtinentibus Synodus habita eſt, & laudatus Canon ante initium menſis Februarii anni 692 conditus eſt. Plura hac de re Auctor Criticæ Baronii, qui in Diſſertatione de Periodo Græco-Romana Tomo primo præfixa, Eram illam mundi Conſtantinopolitanam, aliaſque Eras Græcorum tam mundi, quam Incarnationis fuſè explicat.

XI. *Ejus Præſes & numerus Epiſcoporum.*

Matthæus Blaſtares in Procemio ſui Nomocanonis de Synodo Trullana ſcribit: *Principes ejus Synodi celebrabantur Paulus Conſtantinopolitanus*, *Paulus*(legendum Petrus) *Alexandriæ*, *Georgius Antiochiæ*, *Anaſtaſius Jeroſolymorum*, *Joannes Novæ Juſtinianopoleos*, *Baſilius Gortinæ Metropoleos Cretes Inſulæ*, *ac totius Synodi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vices gerens*. *Ita namque poſt Imperatoris ſubſcriptionem*, *Patriarcharum*, *& Metropolitarum ſinguli proprium nomen*, *ac dignitatem veteribus in libris ſignaverunt*. Anaſtaſius tamen Bibliothecarius in Synodi 7 ad Joannem VIII Papam Præfatione, aſſerit Patriarchas nequidem per Legatos ei adfuiſſe. Auctor libelli Synodici, Epiſcopos 240, Balſamon & Zonaras 217 huic Synodo interfuiſse ſcribunt; in hodiernis tamen exemplaribus ſubſcripti tantùm reperiuntur 211, inter quos extitere, quos probitas, doctrina, & ſanctitas commendabiles reddebat. Baronius, & Binius, imò & nuperus Auctor Anonymus delectus Actorum Eccleſiæ univerſalis ſeu Novæ Summæ Conciliorum ſcribunt, Callinicium Pauli Conſtantinopolitani Patriarchæ ſucceſſorem, hujus Synodi Auctorem, & Præſidem fuiſse; ſed illud dicitur contrà manifeſtam ſubſcriptionum fidem, contra Balſamonis citati teſtimonium, contra Nicephorum in Chronico, & Theophanem, qui Pauli mortem cum anno 693, & Callinici initium conjungunt. Eam tamen Baronii ſententiam ſecutus eſt Lupus in Diſsert. de Synodi Trullanæ cauſa, & tempore, ubi addit: *Ejus* (nempe Callinici) *ut viri infamis*, *nomen exiſtimem eraſum à poſterioribus Synodi patronis*, *ac intruſum nomen Pauli*. At Callinicum nullus Antiquorum alicujus criminis reum facit, & gratis dicitur nomen Pauli in locum nominis Callinici ſubrogatum fuiſse. De Gallinico infra ſermo erit.

XII. *Apoſtolica Legatio ei adfuit.*

Apoſtolicam Legationem huic Synodo adfuiſse, diſertè teſtatur Anaſtaſius in Vita Sergii Papę, in qua ſcribit: *Hujus Pontificis temporibus Juſtinianus Imperator Concilium in Regia urbe fieri juſſit*, *quò & Legati Sedis Apoſtolicæ convenerant*, *& decepti ſubſcripſerant*. Hanc Legationem variè explicant recentes Hiſtorici, inter quos Marca lib. 5 de Concordia cap. 18 rem exactius expoſuiſse videtur. Obſervat enim, Romanos Pontifices ſolitos fuiſse Legatos ad Imperatores Chriſtianos mittere, pro negotiis Eccleſiæ univerſalis procurandis. Hi Legati, qui Apocriſarii, & Reſponſales dicebantur, aſsidui erant in Comitatu Principis, & proprias Eccleſiæ Romanę cauſas apud eum proſequebantur, ac pro negotiis fidei, & diſciplinæ excuſabant; juriſdictionis tamen nullam partem attingebant, niſi ex delegatione ſpeciali. Quæ cautio non inutilis erat ad vitandas Patriarcharum Cpolitanorum machinationes; qui ſuæ Sedis amplificationi ſemper intenti, terrore, & minis Principis, aſsenſum Legati ad res novas conſtituendas extorquere potuiſsent, ut ſaltem non incolorata videri poſset immutatio, quæ Apoſtolicæ Sedis auctoritate aliqua muniretur. Attamen prudentiâ ſua obtinere Pontifices Romani non potuerunt

runt

runt, quin in eos laqueos inciderent, à quibus tam ſtudioſè ſibi cavebant. Etenim in hac Synodo Trullana, ut color aliquis novis decretis, quæ in ea condita ſunt, quæſitus videretur, illa Oecumenicæ titulum aſſumpſit ob Romanæ Sedis auctoritatem adhibitam. Legati enim, ſeu Apocriſarii vel Reſponſales Apoſtolicę Sedis, qui munere ſuggeſtionis apud Principem Juſtinianum fungebantur, huic Synodo interfuere. Certè Sergius Papa Legatos mandatis ſuis inſtructos, ad eum Conventum non miſerat, eum quippe damnavit ut illicitum, ut mox videbitur. Baſilius Epiſcopus Gortinę provinciæ Cretæ Metropolitanus, eam Legationem tunc ſolus obibat, unde in calce Canonum Synodi, ſe inſcribit Legatum totius Synodi Eccleſiæ Romanę, exemplo trium Legatorum Agathonis & Synodi Occidentalis, qui in Sexta Synodo hoc nomen aſſumpſerant.

XIII. Ex canonibus in ea conditis qui improbati.

Centum & duo Canones in hac Synodo editi ſunt, ut teſtantur ſanctus Taraſius, Septima Synodus in Refutatione Conventûs Iconoclaſtici, Photius in Nomocanone, & Auctor libelli Synodici. Ex illis plures ſunt optimi, & qui antiquam Eccleſiæ diſciplinam ut plurimum redolent. Unde cùm plurimi ſint laudati jureque laudandi, non ſunt omnes ab Eccleſia Romana rejecti, ſed tantùm quinque, nempe Canon 2, quo octoginta quinque Apoſtolorum Canones & Conſtitutiones decernuntur admittendę, ſicuti & Canon 13, quo Lex Eccleſiaſtici cælibatus concutitur, & caſtiſſima Romanæ Eccleſiæ reprehenditur diſciplina, quâ ſacris miniſtris uſus conjugii interdicitur. Quin etiam eos qui Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis conjunctionem & conſuetudinem cum legitima uxore prohibuerint anathemate ferit iſte Canon. Non eſt etiam approbatus Canon 55, quo jejunium ſabbati in Eccleſia Romana celeberrimum damnatur. Nec etiam Canon 67, abſtinentiam à ſanguine & ſuffocato Clericis, ſub depoſitionis pœna, laicis ſub pœna excommunicationis prohibens, eamque abſtinentiam velut ex divinæ Scripturæ mandato etiamnum obligante imponens. Nec omni ex parte approbatus eſt Canon 82, quo prohibetur, ne Chriſtus Salvator depingatur in imagine agni, ſicut oſtenſus eſt Patribus in figura, ſed in imagine hominis, qua demum omnes ſunt adimpletæ figuræ.

XIV. Ex iis plures optimi.

Alii Canones, quos jure laudandos diximus, ut ex eorum lectione & examine cuilibet patebit, non ſunt ab Eccleſia Romana rejecti. Ut enim hic de primo & ultimo tantùm loquar, primus fidem à ſex Conciliis Oecumenicis confirmatam, & ab Apoſtolicis traditam inviolabiliter ſervandam eſse docet. Ultimus verò præſtantiſsimas pro excipienda Confeſsione leges & præcepta continet, & quàm prudenter erga pœnitentes Sacerdos ſe gerere debeat. Ipſum nempe conſiderare debere peccati qualitatem, peccatoris pro converſione æſtuans deſiderium, & morbo convenientem medicinam. Debere examinare, an malum oriatur ex habitu, an ex infirmitate, an ex prava affectione. Denique Paſtoralis ipſius eſſe officii errantem ovem reducere, ideoque *neque per deſperationis præcipitia impellat* peccatorem, *nec ad vitæ diſſolutionem, & contemptum fræna relaxet*. De his omnibus Trullanæ Synodi Canonibus tam approbatis, quàm reprobatis legendus Lupus in Notis & Scholiis ad Canones Concilii Trullani.

XV. Cur ſubſcribere recuſat Sergius P.

Omnia in Synodo acta *in Romanam urbem ad confirmandum, vel in ſuperiori loco ſubſcribendum Sergio Pontifici, utpote capiti Sacerdotum omnium* Juſtinianum Imperatorem direxiſse ſcribit Anaſtaſius; cùm enim Juſtinianus geſta hujus Synodi ſex tomis cōprehenſa ab Epiſcopis ſubſcripta, & Imperiali manu confirmata, ad Sergium Papam miſit, charta pura in codice Concilii relicta eſt ante cæteros Patriarchas, poſt Juſtinianum Imperatorem, ut eam ſubſcriptione ſua repleret. Eodem planè modo charta pura relicta eſt Epiſcopis abſentibus Theſsalonicenſi, Ravennæ, Sardiniæ & Heracleæ, ut ſaltem poſt ſolutam Synodum Actis ſubſcriberent; quod iiſdem verbis in codice adnotatum eſt *locus Theſſalonicenſis*, *locus Ravennatis*, & cæterorum. Sed Sergius Acta confirmare recuſavit: *Compellebatur autem & ipſe*, inquit Anaſtaſius, *ſubſcribere, ſed nullatenus acquievit. Pro eo quòd quædam capitula extra ritum Eccleſiaſticum fuerant in eo annexa, quæ & quaſi Synodaliter definita, & in ſex tomis deſcripta*, &c. *Qui beatiſſimus Pontifex penitus eidem Juſtiniano Auguſto non acquievit, nec eoſdem Tomos ſuſcipere, aut lectioni pandere paſſus eſt. Porrò eos ut invalidos reſpuit, atque rejecit, eligens magis mori, quam novitatum erroribus conſentire*. De iis Canonibus in Joanne VII rurſus ſermo redibit.

XVI. Liberatur à furore Imp. opera militiæ Ravenn.

Cùm itaque Sergius, Juſtiniani Imperatoris precibus haud quaquam fractus, Quini-Sextæ Synodi Canones rejeciſset, Imperator Zachariam Protoſpatarium ſuum Romam miſit, qui Pontificem Conſtantinopolim deportaret. Sed militia Ravennæ, vicinarumque partium juſsa Principis nefanda contemnens, non permiſit ea executioni mandari. Quare cùm omni ex parte multitudo militiæ conveniret, Zacharias Protoſpatarius, in timorem propriæ ſalutis adductus, ad Pontificem protinus ſe recepit, atque ad pedes proſtratus veniam ſupplex oravit, & ne furori militum ſe dederet, obſecravit. Pontifex bonum ipſi animum habere

Digitized by Google

SÆC. VII. S. SERGIUS.

habere juſſit, inde ad placandum profectus exercitum, pro Baſilica Theodori Pontificis, patefactis valvis aſſedit, ac militibus, & populo ſedatis, quòd pro ſalute ſua tanta alacritate arma ſumpſiſſent, gratias egit. Nec tamen ante milites Urbe excedere voluerunt, quàm onuſtum contumeliis, & metu perterritum inde Zachariam exegiſſent. Hæc conſtant ex Anaſtaſio in Vita Sergii, Bedâ lib. de ſex ætatibus, & ex Paulo Diacono lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 11.

XVII. *Regibus & Epiſc. Angliæ Brituvaldum Primatem commendat.*

Anno ſexcenteſimo nonageſimo tertio, vel nonageſimo quarto Sergius Papa ad Saxonum Reges ſcripſit, & Brituvaldum Cantuarienſem Præſulem, totiusque Britanniæ primum Pontificem illis commendavit. Literas unus Malmesburienſis lib. 1 de Pontificibus pag. 209 recitat, harumque hæc eſt ſubſcriptio. *Sergius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ethelredo, Alfrido, Adulpho, Regibus Anglorum*, quorum Regum, nomina tantùm nobis innoteſcunt. Scripſit idem Papa alias literas omnibus Britanniæ Epiſcopis, quibus eos hortatus eſt, ut Brituvaldo Primatum gerenti, morem gererent, eas Malmesburienſis ibidem recitat.

XVIII. *S. Willibrordum Trajecti ad Rhenum primum Epiſcopum ordinat.*

S. Willibrordus Presbyter cum duodecim ſociis anno circiter ſexcenteſimo nonageſimo primo ex Hibernia in Friſiam venit, ubi acceptâ à Pippino Majore domûs Franciæ licentiâ ibidem prædicandi, *acceleravit venire Romam, cujus Sedi Apoſtolicæ tunc Sergius Papa præerat, ut cum ejus licentia & benedictione deſideratum evangelizandi gentibus opus iniret, ſimul & Reliquias beatorum Apoſtolorum ac Martyrum Chriſti ab eo ſe ſperans accipere*, inquit Beda lib. 5 cap. 14. Inde in Friſiam remeavit, ubi *poſtquam per annos aliquot*, ſubdit ibidem Beda, *in Freſia, qui advenerunt, docuerant, miſit Pippinus, favente omnium conſenſu, virum venerabilem Wilbrordum Romam, cujus adhuc Pontificatum Sergius habebat, poſtulans, ut eidem Freſonum genti Archiepiſcopus ordinaretur. Quod ab eo, ut petierat, impletum eſt anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo nonageſimo ſexto. Ordinatus eſt autem in Eccleſia ſanctæ Martyris Cæciliæ die Natalis ejus, impoſito ſibi à Papa memorato nomine Clementis*. Willibrordus Romà reverſus *cum ſumma honoris magnificentia* receptus eſt à Pippino, qui ex eodem Beda *donavit ei locum Cathedræ Epiſcopalis in Caſtello ſuo inluſtri ..... quod linguâ Gallicâ* Trajectum *vocatur*; in quo ædificata Eccleſia, verbum Dei prædicans, multoſque ab errore revocans, plures per illas regiones Eccleſias, ſed & monaſteria nonnulla conſtruxit; & ut docet S. Bonifacius Epiſcopus Moguntinus in Epiſt. 97 ad Stephanum Papam, Sedis Trajectenſis ad Rhenum auctor ac primus Epiſcopus fuit, quam Sedem Paulus IV anno 1560 in Archiepiſcopalem erexit. Sancti Willebrordi Vitam ab Alcuino ſcriptam Caroli Magni Principatu refert Mabillonius Sæculo tertio Benedictino parte prima.

XIX. *Aquileienſis Eccleſiæ ſchiſma extinguit.*

Anno circiter ſexcenteſimo nonageſimo octavo, Tiberio Apſimaro imperante, & Sergio Papa Romæ ſedente, finem accepit ſchiſma Eccleſiæ Aquilejenſis de Tribus Capitulis. Paulus enim Diaconus libro ſexto de Geſtis Longobard. cap. 14, poſtquam Tiberium Imperium invaſiſſe narravit, quod contigit anno 698, ſcribit: *Hoc tempore Synodus Aquilejæ facta, ob imperitiam fidei, Quintum univerſale Concilium ſuſcipere diffidit, donec ſalutaribus B. Papæ Sergii monitis inſtructa, & ipſa cum ceteris Chriſti Eccleſiis annuere conſentit.* Eadem ferè verba habet in Sergio Auctor libri Pontificalis, errore vulgari Anaſtaſio attributi, qui hoc ipſo tempore vivebat. Paulus verò Diaconus non multò poſt hoc tempus vixit. Cardinalis quidem Noriſius in Diſſertat. de Quinta Synodo cap. 9, § 1 contendit ex loco Bedæ in lib. de Sex ætatibus, Synodum illam Aquilejenſem, eſſe Synodum à Paulino Aquilejenſi Patriarcha contra quintam Synodum ſæculo ſuperiori coactam: *Synodus*, inquit Beda, *Aquilejæ facta, ob imperitiam fidei, Quintum univerſale Concilium ſuſcipere diffidit, donec ſalutaribus B. Papæ Sergii monitis inſtructa, & ipſa huic cum cæteris Chriſti Eccleſiis adnuere conſenſit*, quo ex adverbio, *donec*, Cardinalis doctiſſimus non obſcurè colligit, Bedam loqui de Concilio ante Sergium congregato. Sed preterquamquod veriſimile non eſt, Paulum Diaconum in Bedæ ſenſum non penetraſſe, etiamſi hoc concederetur, non tamen inde ſequeretur ſchiſma Aquilejenſis Eccleſiæ ante Sergium penitus extinctum eſſe, cùm ibidem Beda aſſerat illam Eccleſiam *ſalutaribus B. Papæ Sergii monitis* inſtructam Quinto Concilio *cum cæteris Chriſti Eccleſiis adnuere* conſenſiſſe. Ad rationes ejuſdem Cardinalis reſpondimus in Pontificatu S. Gregorii.

XX. *A calumnia liberatur.*

Acta Sancti Aldhelmi Abbatis Malmesburienſis in Anglia, quę extant apud Surium ad diem 25 Maii, produnt Sergium Papam calumniam paſſum, quaſi ſtupri reus eſſet, quòd nempe pater eſſet pueri recens nati, quem cùm Aldhelmus Romæ exiſtens baptizaret, coram adſtantibus ei præcepit edicere, ſi pater ejus eſſet is, qui vulgo dicebatur. Puerum verò reſpondiſſe, *non ſe eſſe genitum illius opere, quem vanus in hoc referebat populus*, ſicque Pontificem ab infamia liberatum. Sed hęc narratio jure merito à Baronio in dubium vocatur; revera enim non habetur in Sancti Aldhelmi vita, à Willelmo Malmesburienſi elucubrata, licèt legatur in alia Vita S. Aldhelmi, ſcripta ab Auctore Ano-

nymo

Digitized by Google

SEC. VIII. S. SERGIUS.

nymo Monacho Malmeſburienſi, qui paulò ante Willelmum Malmeſburienſem vixit, ut oſtendit Henſchenius, qui eam publicavit, ad diem 25 Maii. Aldhelmi Vitam à Willelmo Malmeſburienſi ſcriptam recitat Mabillonius parte I Sæc. 4 Benedictini.

XXI. Non conſecravit S. Hubertum Leodienſem Epiſc.

Baronius ex Molano in Indice Sanctorum Belgicorum refert, Sergium Papam divina admonitione prævia, ſanctum Hubertum Leodienſem Epiſcopum, dignum ſancti Lamberti Martyris in Epiſcopatum ſucceſſorem ordinaſse. Qui S. Hubertus, ut ſuos Leodienſes in Romanæ Eccleſiæ fide, communione & obſervantia firmiùs contineret, & poſteros eodem vinculo obligaret, publicum ſigillum urbi tradidiſſe memoratur, in quo ſancti Lamberti Martyris imago erat cum hac inſcriptione: *Sancta Legia Romanæ Eccleſiæ filia*. Sed cùm ſanctus Lambertus, anno tantùm ſeptingenteſimo ſeptimo, martyrio coronatus fuerit, ut oſtendit Criticæ Baronianæ Auctor, & S. Sergius Papa anno ſeptingenteſimo primo ad Deum migrarit, S. Hubertus ab eo conſecrari non potuit. Porrò S. Lambertus Trajectenſis ad Moſam Epiſcopus erat, ſed Sanctus Hubertus Trajecto Leodium non reliquias tantùm S. Lamberti, ſed & Cathedram Pontificalem tranſtulit, ac deinceps Epiſcopi dicti ſunt Legienſes, ſeu Leodienſes, qui antiquiſsimè à Tungris Tungrenſes, & poſtea à ſuperiori Trajecto Trajectenſes appellabantur. Legia, qui vicus erat perexiguus, crevit temporibus S. Lamberti, poſtquam ibi Sanctum Theodardum deceſſorem ſuum ſepulturæ donavit: ſed poſtquam S. Hubertus S. Lamberti corpus & Sedem Epiſcopalem Legiam tranſtulit, ea in urbem celeberrimam evaſit.

XXII. Venerabilem Bedam Romam non vocavit.

Willelmus Malmeſburienſis lib. 1 de Regib. Ang. cap. 3 refert literas Sergii Papæ ad Ceolfridum Abbatem Anglicani monaſterii, in quo Beda Domino ſerviebat, quibus jubet, ut Venerabilem Presbyterum Bedam Romam mittat, *quia exortis*, inquit Sergius, *quibuſdam Eccleſiaſticarum cauſarum capitulis non ſine examinatione longiùs innoteſcendis, opus nobis ſunt ad conferendum arte literaturæ imbuti*. Exclamat hoc loco Malmeſburienſis: Ita jam celebris erat Bedæ fama, ut in quæſtionibus enodandis indigeret eo ſublimitas Romana. Baronius tamen obſervat Bedam Romam ſe non contuliſse, cùm in fine ſuæ Epitome *cunctum ab infantia tempus vitæ ſuæ in ſui monaſterii habitatione peractum* à ſe affirmet. Mabillonius in Elogio Hiſtorico Bedæ part. 1 Sæc. 3 Benedict. ait, nonnihil ſuſpicionis eſſe in ea Epiſtola, quòd vix Beda Presbyter ordinatus ſit ante mortem Sergii, & quia libris ſcribendis vacare cœpit, à tempore ſuſcepti Presbyteratûs, quibus factum eſt, ut fama ipſius ad poſteros ſpargeretur. Henſchenius verò ad diem 27 menſis Maij in Vita venerabilis Bedæ dicit, totam illam Epiſtolam ſibi ſuppoſititiam apparere. Verùm rectiùs, meo quidem judicio, exiſtimat Auctor Criticæ Baronii, eam ab aliquo Papæ Sergii ſucceſſore datam, qui cùm, paulò poſt eam ſcriptam, mortuus fuerit, Ceolfridus Abbas Bedam Romam mittendum eſſe non judicavit.

XXIII. Agnus Dei &c. in Miſſa cantari ſtatuit.

Sergius Papa *ſtatuit, ut tempore confractionis Dominici corporis*, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis, *à Clero, & populo decantetur*, inquit Auctor libri Pontificalis. Et Sergius quidem inſtituit, ter dici *miſerere nobis*; ſed multis poſtea ingruentibus Eccleſiæ adverſitatibus, ut ait Innocentius III lib. 6 de Myſteriis Miſsæ cap. 6, ſive ad tollendum ſchiſma, ut alii ſcribunt, ſtatutum fuit, ut in tertio diceretur, *dona nobis pacem*: qui ritus ubique receptus eſt, excepta Baſilica Lateranenſi, in qua adhuc ſervatur mos antiquus dicendi ter, *miſerere nobis*, quia, ut obſervat Joannes Diaconus in libro de Eccleſia Lateranenſi cap. 6, hæc cœleſtis Eccleſiæ typum gerit; *In ea*, inquit, *non cantatur ad Miſſas* Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem, *quoniam ibi ſumma pax juſtorum ipſe Chriſtus erit*. A' quo Pontifice facta ſit hæc mutatio, cantandi *dona nobis pacem*, Cardinalis Bona lib 2 Rer. Liturgic. cap. 16 nu. 5 nuſquam ſe legiſse fatetur. At ſi verax eſt, inquit Bona, Robertus Abbas Montenſis, in ſupplemento Chronici Sigeberti, hanc pacis poſtulationem attulit è Cœlo B. Virgo. Apparuit enim, ut Robertus refert anno 1183, cuidam fabro lignario opus facienti in ſylva, deditque illi ſigillum cum imagine ſua & filij ſui cum hac inſcriptione, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*: juſsitque ut ferret ad Epiſcopum, atque ei diceret, ut qui vellent pacem Eccleſiæ, facerent hujuſmodi ſigilla, & portarent in ſignum pacis.

XXIV. Altaria adolendi uſus antiquiſſimus.

Idem libri Pontificalis Auctor ſcribit Sergium feciſse *thimiamaterium*, ſeu ſuffitorium, vel thuribulum *aureum majus cum columnis, & cooperculo, quod ſuſpendit ante imagines tres aureas B. Petri Apoſtoli, in quo incenſum & odor ſuavitatis Feſtis diebus, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, Omnipotenti Deo opulentius mittitur*. Uſum porrò eorum, vel ſimilium vaſorum, in quibus thura & varii odores incenduntur in ſolemni oblatione, ex Apoſtolica traditione & Moſaicę legis exemplo profluxiſſe, oſtendit Cardinalis Bona lib. 1 Rer. Liturgic. cap. 25 num. 9, ſolemne enim fuit omni nationi, quantumvis barbarę, & veræ religionis experti, ut nullum ſacrificium ritè peragi poſse crediderint ſine incenſo,

Digitized by Google

vel aliquo ſaltem odorifero ſuffimento. Magi thure Chriſtum Deum venerati & profeſsi ſunt; ſimili modo Poëtæ à divinitatis proteſtatione thuris oblationem inſeparabilem eſſe putabant. *Templa tibi ſtatuam*, ait Ovidius, *reddam tibi thuris honorem.* Conſtantinus Magnus, referente eodem Auctore libri Pontificalis in Silveſtro, obtulit thimiamateria duo ex auro puriſsimo. Uſum verò adolendi Altaria intra ſolemnia divini officii vetuſtiſſimum eſſe indicat Ambroſius ad cap. 1 Lucæ dicens: *atque utinam nobis quoque adolentibus Altaria ſacrificium deferentibus aſſiſtat Angelus*. Plura hac de re Bona laudatus.

XXV. Sergius in purificatione & aliis feſtis litanias recitari conſtituit.

Quibus ornamentis Baſilicas Sanctorum Petri & Pauli, aliaſque Urbis exornaverit, narrat Anaſtaſius, qui & ſcribit ipſum conſtituiſſe ut Litaniæ à Sancto Hadriano quotannis dicerentur diebus Annunciationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ, ac ſancti Simeonis, quam Hypapantem Græci, Latini Purificationem appellant. Quod idem habet Albinus Flaccus lib. de Divin. Offic. Dominicæ Crucis partem in capſula argentea, reconditiori loco abſconditam, honeſtiori, ac celebriori loco repoſuit. Ordinavit per diverſas provincias Epiſcopos nonaginta ſeptem. Fecit autem ordinationes duas per menſem Martium, ordinavitque Presbyteros decem & octo, Diaconos quatuor.

XXVI. Aſſumptionis feſtum quo tempore ad 15 Auguſti diem translatum.

Ex his Anaſtaſii verbis refellitur eorum opinio, qui aſſerunt feſtum Dormitionis, ſeu Aſſumptionis Beatæ Virginis Sæculo tantùm octavo celebrari cœpiſſe; ut enim obſervat Franciſcus Maria Florentinius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum, ad diem 18 menſis Januarii, ante Mauricii Imperatoris tempora, ideoque ante ſexti ſæculi finem Aſſumptionis feſtum celebrabatur, & quidem die decima octava Januarii. Id autem probat tum ex eodem Martyrologio ſancto Hjeronymo attributo, & à ſe edito, tum ex aliis quæ laudat. Fusè enim de ejus feſti inſtitutione diſſerit, autumatque illud à menſis Januarii die decimo octavo, ad decimum quintum menſis Auguſti à Mauricio Imperatore translatum fuiſſe. His addit Joannes Mabillonius in Liturgiæ Gallicanæ lib. 2 pag. 118 duo Kalendaria, Corbejenſe nempe, quod vix amplius uno poſt Mauricium ſæculo exaratum dicit, in quo ad 15 Kalendas Februarii legitur depoſitio S. Mariæ Virginis; & ex alio perantiquo Floriacenſi, in quo, eodem die ea depoſitio annotatur. Feſtum autem illud à Mauricio Imperatore ad diem 15 Auguſti translatum eſſe probat Florentinius laudatus ex Nicephori Calliſti lib. 17 cap. 28, ubi ſcribit: *Idem Imperator* (nempe Juſtinianus) *tum primùm Servatoris Exceptionem* (ideſt occurſum, ſeu Hypapantem, quam Purificationem Virginis dicimus) *toto orbe terrarum feſto die honorare inſtituit, ſicut Juſtinus de Sancta Chriſti Nativitate fecit. Atque non ita longo poſt tempore Mauricius Sacroſanctæ Dei Genitricis Dormitionem quindecimo Auguſti menſis die celebrari præcepit*. Quibus ex verbis infert Florentinius, quod cum Nicephorus, in Juſtiniani & Juſtini ſanctionibus, nihil de conſtituto die addiderit; de feſto verò Dormitionis in Mauricii Conſtitutione diem 15 Auguſti præcisè ſignaverit, eum non obſcurè indicare, feſtum hoc in illum diem Auguſti menſis translatum potius fuiſse, quàm recenter inſtitutum: Sed ſi vera ſcribit Nicephorus de Mauricio, mihi tamen videtur falli in eo quod ait, Juſtinum Imperatorem conſtituiſse ut feſtum Natalis Chriſti per totum orbem terrarum celebraretur; in Julio enim Papa oſtendimus, longè ante Juſtinum, feſtum Natalis Chriſti tum in Occidente, tum in Oriente vel die 25 Decembris, vel die ſexta Januarii ſolemne fuiſſe; & Juſtinianum anno 551, non Juſtinum, lata lege ſtatuiſse, ut die 25 Decembris coleretur; quod idem antea præceperat de feſto Purificationis, quod diei ſecundæ Februarii affixit, ut conſtat ex his Theophanis lib. 16 Hiſt. & Landulphi Sagacis in Vita Juſtiniani verbis: *Anno quinto decimo imperii Juſtiniani menſe Octobri, facta eſt mortalitas Byzantii, & eodem anno Hypapante ſumpſit initium, ut celebraretur apud Byzantium die ſecunda Februarii*. De Juſtini Conſtitutione nihil alibi ſcriptum inveni; quæ ſi vera ſit, dici poſſet, eam à Juſtiniano Imperatore innovatam fuiſſe, eo quòd non obſervaretur. De feſto Purificationis, lege Criticam Baronii ad annum 542; de utroque verò feſto lege eumdem Mabillonium laudatum & Edmundum Martene Tom. 4 de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina in divinis celebrandis officiis. De feſto tandem Nativitatis B. Mariæ lege dicenda in Innocentio IV.

XXVII. Sergius PP. ad Deum tranſit.

Poſtquam Sergius ex Anaſtaſio, *annos tredecim, menſes octo, dies* 23 ſediſset, ad immortalem gloriam tranſiit, die 7 Septemb. & ſepultus eſt *ad Beatum Petrum Apoſtolum 6 Idus Septembris*, ſeu die octava ejuſdem menſis, *indictione* 15, *Tiberio Auguſto*, qui caracteres certò indicant annum Chriſti ſeptingenteſimum primum, quo indictio 15 Kalendis Septembris ab Anaſtaſio inchoatur, non verò die 24 ejuſdem menſis, ut ſcribit Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico; nam Anaſtaſium numerare indictiones à Kalendis Septembris, mors Conſtantini Pogonati nos dubitare non ſinit; ait enim in Joanne V, hunc Imperatorem obiiſse *initio menſis Septembris indictione*

Digitized by Google

SÆC.VII. S. SERGIUS.

dictione 14, qui in omnium ſententia mortuus eſt anno 685; aliter dicendum eſſet Anaſtaſium Conſtantini mortem connectere cum anno 686. Colitur Sergius in Martyrologio Romano die 9 Septembris. Quod ſpectat ad Sergii epitaphium à Baronio relatum, referendum eſt ad Sergium III, ut ibidem dicetur.

JOANNES VI *Pontif. LXXXVII.*

Anno Domini DCCI.

SÆC.VIII.

I. Joannes VI Sergio ſuccedit.

NOn ex Anaſtaſio tantùm, tam edito, quàm MS. ſed & ex omnibus ferè Catalogis Pontificum Romanorum, ac ex Orderico lib. 2 habemus, poſt Sergii mortem Sedem vacaſse *menſem unum, dies viginti*, vel *dies quinquaginta*, quod unum & idem eſt. Joannes itaque hujus nominis VI, natione Græcus, Sergii ſucceſſor ordinatus eſt die vigeſima octava menſis Octobris, Feſto ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ ſacra, ejuſdem anni ſeptingenteſimi primi; Anaſtaſius enim diem mortis Sergii ab interpontificio excludit.

II. Eximitur à furore Exarchi.

Statim ac Conſtantinopoli innotuit, Joannem creatum eſse Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Pontificem, Tiberius Imperator Theophylactum Cubicularium Patricium & Exarchum Romam miſit, ut ei incertum qua de causâ, negotium faceſseret. Sed ille ab exercitu, qui ex univerſa Italia ad tuendum Pontificem Romam convenerat, repreſsus eſt; opuſque fuit, ut ipſemet Pontifex, ne Theophylacti affligeretur perſona, ſeſe medium daret, portas civitatis claudi juberet, & Sacerdotes ad caſtra mitteret, militumque ſeditionem ſedaret, qui Exarchum erant oppreſsuri. Hæc conſtant ex Anaſtaſio Bibliothecario in Joannis VI Vita.

III. Captivos redimit.

Anno ſeptingenteſimo ſecundo Giſulphus Beneventanus Dux Romanorum ditiones prædabundus incurſavit, multamque inde prædam colligens, domum reverſus eſt. Antequam reverteretur, cùm captivos plurimos cepiſset, Joannes Pontifex charitatem Apoſtolicam commendavit, miſſis enim ad eum in caſtris degentem Sacerdotibus cum Apoſtolicis donariis, univerſos captivos de ejus manibus redemit, & illum cum ſuo exercitu ad propria repedare fecit, ut tradunt Anaſtaſius in ejus Vita, & Paulus Diaconus lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 27.

IV. S. VVilfridus Epiſcopatu Eborac. deturbatus ad Sedem Apoſt. appellat.

Anno ſeptingenteſimo tertio, Joannes Papa Synodum hac occaſione Romæ celebravit. Sanctus Wilfridus Epiſcopus Eboracenſis, de quo in Agathone Papa locuti ſumus, exulabat à ſua ſede jam ab anno 692, & dudum Sergius Papa eum reſtituendum decreverat: ſed Alfridus Northumbriæ Rex & Brituvaldus Cantuariæ Archiepiſcopus hactenus moras nectendo, Pontificis juſsa ſuſpenderant. Anno verò ſeptingenteſimo ſecundo, pietatis ſpeciem præferentes, Epiſcoporum Concilium cogunt: eò Wilfridum vocant, conanturque eum, quem vi expulerant, vel blandimentis ad libitum ſuum inflectere, vel ſi non conſentiret opprimere, ut narrat Eddius in ejus Vita cap. 44. Quare hic ſanctus Præſul ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Anno itaque ſeptingenteſimo tertio, ut idem Eddius cap. 47, & ſeqq. cujus verba in ſummam contraho, ſcribit, Romam pervenit.

V. Romam pergit.

Ubi Romam advenit Wilfridus, Joannis Papæ pedibus provolutus, dixit ſe ad Sedem Apoſtolicam, *quaſi ad matris gremium* confugiſse, quem cum ejus Presbyteris Pontifex benigna pietate ſuſcepit. *Interim quoque Legati à Sancto Archiepiſcopo Bertualdo cum ſuis ſcriptis accuſationis ad Apoſtolicam Sedem directis, ſupplices petentes ſibi præberi à glorioſiſſima Sede auditum Legationis ſuæ, qua fungebantur, ſimul pervenerunt.* Tunc Joannes Papa ad Synodalem locum venit, cui Wilfridus petitionis ſuæ chartulam coram omni Conventu obtulit. In ea continebatur, ut quod ab Agathone Papa decretum fuit, ejus pia auctoritas confirmare dignaretur: ſe ejus Sanctitatem humiliter deprecari, ut eadem auctoritatis inſtantia, Ethelredo Regi Merciorum de Vitæ ejus ſolatio imperare velit, ut ipſa Monaſteria, cum cæteris ad ea pertinentibus, quæ ſibi ab ipſo Rege Ethelredo, vel aliis perdonata ſunt, nemo auferre & invadere, contra Sanctitatis ſuæ ſtatuta, atque ſupradicti Regis voluntatem præſumat. Petiit etiam, ut monitis obſecret Regem Alfridum, quò omnia, quæ Agatho & Sergius Papæ decreverant, adimpleat. Tum Wilfridus pro bono pacis offert ceſſionem Epiſcopatûs Eboracenſis, & quamplurimorum monaſteriorum, excepto Rypenſe & Haguſtaldenſi, quæ ſibi omninò reſtitui volebat.

VI. Auditur in Synodo coram Joanne PP.

Introductis quoque viris à Berthualdo Archiepiſcopo ad Apoſtolicam Sedem directis, Romanus Pontifex dixit examinanda eſſe ſcripta ex utraque parte ad Apoſtolicam Sedem olim miſſa, quod univerſæ Synodo placuit. Tum quadam die vocati in Synodum accuſatores, qui dixerunt, Wilfridum illic præſentem judicia Berthualdi

Cantuariorum Epiſcopi, ab Apoſtolica Sede miſsi, ſtatuta coram Synodo contumaciter contempſiſſe. Wilfridus ſtans dixit, dum eſſet in Concilio, miſſum ad ſe unum ex numero Epiſcoporum illic congregatorum, interrogantem an paratus eſſet Archiepiſcopi judicio conſentire, an non, & quamvis nunquam antea factum eſſet, ut aliquis juramento ſe obſtringeret ſervare decretum, cujus vim non noſſet, ſpopondiſſe tamen, ſe in cunctis Archiepiſcopi judicio ſubjacere paratum eſſe, dummodo non diſcreparet à Sancti Agathonis Synodo, cæterorumque Orthodoxorum ejus ſucceſſorum. Poſtea *ſe ad aliarum dierum conflictum præparantes ad manſiones ſuas redierunt*. Et ſic utraque pars, anno, ut videtur, ſeptingenteſimo tertio, dimiſſa, ut cætera capitula alio tempore examinarentur.

VII. *Proviſorio decreto abſolvitur.*

Anno itaque ſeptingenteſimo quarto, eadem cauſa, coram Joanne Pontifice, iterum examinata, accuſationum capita excuſſa, & Wilfridus innocens pronunciatus. *Per plura ſpatia dierum & menſium*, inquit Eddius cap. 50, *ab omni piaculo ſcelere degradandi purè perfectèque excuſatus probabilis ſanctus Pontifex noſter apparuit. Nam per quatuor menſes & 70 Conciliabula* (ideſt Seſſiones, ſeu, ut hodie loquimur, Congregationes) *ſanctiſſimæ Sedis de fornace ignis examinandus Apoſtolica Auctoritate hoc modo auxiliante purificatus* (ut dicam) *evaſit*. Narrat poſteà Eddius, recitatum eſſe in hac Synodo, quod de Wilfrido ſtatutum fuerat in ſecunda Synodo Romana ſub Agathone, & nonnullos dixiſſe accuſatores ejus dignos eſſe *pœnas luere in ima carceris anguſtia, uſque ad finem mortis* incarceratos; tandemque refert ſententiam abſolutionis Wilfridi à Joanne ſexto prolatam: *Beatus Wilfridus Deo amabilis Epiſcopus, in quo nullam criminis per tot Conciliabula noſtra examinando tam diligenter objectionem invenimus, beati Petri Apoſtoli & Apoſtolorum Principis auctoritate, qui habet poteſtatem ſolvendi ligandique ab occultis delictis, exſolutus ſit: & quod beatus Agatho, & electus Benedictus, ſanctuſque Sergius Apoſtolici Præſules, de eo cenſuerunt, noſtræ quoque parvitatis humilitas, cum totius Synodi conſenſu, Regibus & Archiepiſcopis ſcripta judicia per manum beati Wilfridi Epiſcopi ad eos emiſſa affirmare decrevit hoc modo dicens*.

VIII. *Joannis PP. decretum pro Wilfrido ad Angliæ Reges miſſum.*

Recitat deinde Eddius cap. 51 Epiſtolam ſeu decretum Joannis Papæ ad Ethelredum Regem Merciorum, & Alfridum Deirorum & Berniciorum, ideſt, Northumbriæ Regem, qua eoſdem monet Wilfridum fuiſſe abſolutum, ſaltem proviſoriè: *Donec*, inquit, *principales perſonæ, de quibus contentio exorta eſt, præſentes affuerint, quos neceſſe erat, ut contentio omnis finem accipiat, advenire, & conſedere. Et idcirco admonemus Berthualdum Præſulem ſanctæ Cantuariorum Eccleſiæ, quem auctoritate Principis Apoſtolorum Archiepiſcopum ibidem confirmavimus reverentiſſimum fratrem noſtrum, ut Synodum convocet unà cum Wilfrido Epiſcopo: & Concilio regulariter celebrato Bozam, atque Joannem Epiſcopos in Synodum faciat advenire, voceſque partium audiat, & conſideret quid ſibi invicem partes valeant approbare: & ſiquidem eo ſuffragante apud Synodum hoc reguraliter determinare valuerit, gratum nobis & partibus expedit: ſin aliter acciderit, illos Synodaliter moneat, ut commonitionibus ſuis quæque prodeſſe ſuis partibus (poſſunt) unaqueque conſideret, & ad hanc Sedem Apoſtolicam ſimul occurrant, ut ampliori Concilio flagitetur* [legendum agitetur] *ac decidatur, quod hactenus non valuit terminari*. Erat Boza Epiſcopus Eboracenſis in locum Wilfridi ordinatus, Joannes verò Epiſcopus Haguſtaldenſis.

IX. *Synodi illius epocha ſtabilitur.*

Hanc porrò Synodum anno 703, inchoatam, anno 704, ideoque ſub Joanne VI, non verò ſub Joanne VII, ut quidam volunt, finem accepiſſe, ex eo deducitur, quòd Malmeſburienſis lib. 3 de Geſt. Pontif. Angl. pag. 266 ſcribit, Wilfridum mare tranſiiſſe, Romamque introiiſſe, *jam ſeptuagenarium*, ex Eddio autem, & ex Eadmero in ejus Vita colligitur, eum natum anno ſexcenteſimo trigeſimo quarto. Certius argumentum epochæ hujus Synodi deducit Auctor Criticæ Baronii, ex mox laudata Joannis Papæ ad Ethelredum Merciorum Regem Epiſtola de abſolutione Wilfridi, & de iis quæ agenda reſtarent; dictus enim Rex, ut ex Beda & aliis Auctoribus Anglicis, quos citat, certò conſtat, *anno ſeptingenteſimo quarto, Monachus factus Coenredo regnum dedit*, ideoque ad Coenredum, non ad Ethelredum Pontifex ſcripſiſſet, ſi Synodum poſt annum 704 abſolviſſet. Quid poſtea de hac controverſia acciderit apud Auctores Anglos legere eſt; hic tamen monendum Wilfridum, a Coenredo, & Ethelredo jam Monacho optimè ſuſceptum fuiſſe; ſed durè habitum ab Alfrido, quo non poſt multum temporis defuncto, Ofredus filius ejus ſententiam Joannis Papę executioni mandari permiſit, cùm Synodo facta juxta fluvium Nidd, partes conveniſſent; ſanctus tamen Wilfridus Eboracenſem Sedem non recuperavit, ſed Boza mortuo Joannes Haguſtaldenſis, conſentiente eo, dictus eſt Eboracenſis Epiſcopus, & ipſe Haguſtaldenſi Eccleſiâ, tranſlatione Joannis vacua, & ſuis monaſteriis contentus fuit, vixitque uſque ad annum 709, quo ſanctiſſimè obiit, quæ omnia

dictæ

Digitized by Google

dictæ Criticæ Auctori obſervata.

X. *Joannis VI vitam cum morte commutat.*

Joannis VI Pontificatum his verbis claudit Anaſtaſius: *Hic fecit in Baſilica Beati Andreæ Apoſtoli, quæ ponitur infra Eccleſiam Beati Petri Principis Apoſtolorum, ambonem novum. Hic ſuper Altare Eccleſiæ ſancti Marci coopertorium fecit, & in Baſilica Beati Pauli Apoſtoli inter columnas Altaris dextrâ lævâque vela alba. Hic fecit ordinationem Presbyterorum & Diaconorum unam, id eſt Presbyteros novem, Diaconos duos: fecit autem per diverſa loca Epiſcopos quindecim. Qui etiam ſepultus eſt ad beatum Petrum Apoſtolum*, ubi Anaſtaſius diem ſepulturæ præter morem omiſit; ſed cùm jam dixiſſet, Joannem ſediſſe *annos tres, menſes duos, dies duodecim*, ut legitur in omnibus ejus codicibus tam vulgatis, quàm MSS. & in Luitprando, Orderico lib. 2, Regione, Catalogo Vaticano-Palatino, aliiſque, dicendum eſt eum obiiſse die nona Januarii anni ſeptingenteſimi quinti, ordinatus quippe fuerat die vigeſima octava menſis Octobris anni ſeptingenteſimi primi. Certè Joannem obiiſse anno 705 duratio ſedis ejus demonſtrat, & confirmat Marianus Scotus in Chronico, ubi ait: *Joannes Papa obiit indictione 3 ſecundùm geſta Pontificum*, ſeu ſecundùm librum Pontificalem, qui ejus tempore nondum tribuebatur Anaſtaſio Bibliothecario, in quo conſequenter reperiebatur etiam indictio illa tertia, quę & modò reperitur in uno manuſcripto Anaſtaſii Freheriano.

XI. *Epiſcoporũ CP. per hæc tempora chronotaxis.*

Non multò poſt mortem Joannis VI, certè eo anno quo obiit, ſcilicet ſeptingenteſimo quinto in finem vergente, Juſtinianus in Imperium reſtitutus eſt. Eo dejectus fuerat à Leontio, qui Imperium invaſit anno ſexcenteſimo nonageſimo quinto: quo, anno ſexcenteſimo nonageſimo octavo, in monaſterium detruſo, Tiberius Apſimarus Imperium invaſit, quod tenuit uſque ad annum ſeptingenteſimum quintum, quo Juſtinianus, operâ Trebellii Bulgarorum Regis, Conſtantinopolim clàm ingreſsus, tam Leontius, quàm Tiberius capite truncati ſunt. Juſtiniano imperante Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus dictus fuerat, ut in fine Pontificatûs Joannis V dictum eſt. Paulo, anno ſexcenteſimo nonageſimo tertio, defuncto, ſucceſsit Callinicus, qui Leontio adhęſerat, quando Juſtinianum è ſolio dejecit, & Cherſonam relegavit. Quare Juſtinianus recuperato anno 705 Imperio Callinicum oculis orbatum, Romam in exilium miſit, ubi carceri incluſus miſerè obiit. Colitur in Mençis die 23 menſis Auguſti, ex quibus patet deceptos eſse Baronium & Bollandum ad diem 8 Januarii in Vita Cyri Patriarchę CP. ejus ſucceſsoris, qui exiſtimantes eum præfuiſse Quini-Sextæ Synodo, de illo tanquam de novatore, & viro factioſo loquuntur. In Callinici locum ſubſtitutus eſt Cyrus quidam, in Amaſtris inſula Monachus incluſus. Sed hic à Philippico, qui anno 711, occiſo Juſtiniano, Imperator dictus eſt, è Patriarchali ſede dejectus, ejuſque loco ordinatus Joannes, de quo in Conſtantino Papa neceſsariò nobis agendum eſt: unde tam ad dictorum, quàm dicendorum intelligentiam, hæc Patriarcharum Conſtantinopolitanorum Chronotaxis ex Critica Baronii ſtabilienda erat.

JOANNES VII *Pontif. LXXXVIII.*

Anno Domini DCCV.

I. *Joannes VII dicitur Papa.*

JOannem VII, natione Græcum, ex patre Platone genitum, die prima Martii in Dominica eodem anno ſeptingenteſimo quinto conſecratum eſse Romanum Pontificem ex Anaſtaſio deducitur, qui ſcribit eum ſediſse *annos duos, menſes ſeptem, dies ſeptemdecim*, ac ſepultum eſse *ad B. Petrum Apoſtolum, ſub die 15 Kalendas Novembris indictione ſexta, Juſtiniano Romanam Rempublicam gubernante*, qui characteres conveniunt anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptimo, quo ideo, die 17 Octobris obiit, poſtridie ſepultus. Si autem ab eo die retrocedas, pervenies ad diem primam menſis Martii anni 705, quibus ideo anno, & die ordinatus eſt Papa, poſtquam Sedes vacaſset menſem unum, dies 19, vel dies 20 non verò 28, ut per errorem Librariorum in eodem Anaſtaſio legitur.

II. *Synodi Trullanæ canones confirmare recuſat.*

Hic Auctor loquens de reſtitutione Juſtiniani in Imperium, quæ, ut mox dictum eſt, circa finem ejuſdem anni 705 contigit, ſcribit: *Illicò ut palatium ingreſſus eſt, promptumque adeptus Imperium, Tomos, quos antea ſub Domino Sergio Apoſtolicæ memoriæ Pontifice Romam direxerat, in quibus diverſa Capitula Romanæ Eccleſiæ contraria, ſcripta inerant, per duos Metropolitanos Epiſcopos demandavit, dirigens per eos & ſacram, per quam Joannem VII Pontificem conjuravit, ac adhortatus eſt, ut Apoſtolicæ Eccleſiæ Concilium aggregaret, & quæ ei viſa eſſent, ſtabiliret, & quæ adverſa renuendo excluderet.* Juſtinianus itaque non ſolùm à Sergio Papa, ut ſuperiùs dictum eſt, confirmationem Synodi Quini-Sextæ poſtulavit, & repulſam tulit; ſed eam etiam petiit à Joanne VII, qui, ut ſubdit Anaſtaſius, *huma-*

Digitized by Google

humana fragilitate timidus hos nequaquam Tomos emendans per ſupraſatos Metropolitas direxit ad Principem, poſt quæ non diu in hac vitâ duravit. Joannem itaque VII arguit Anaſtaſius, quòd noluerit cribrare Canones Synodi Quini-Sextæ, & triticum à palea ſeparare. Nec ſine fundamento, inquit Lupus in Notis & Scholiis ad Canones Concilii Trullani, verè enim de hac Synodo ait libellus Synodicus, *Omiſſos in Quinta & Sexta Synodo Canones edidit, & ab omni Græca*, ideſt Gentili, *atque Judaica, quin & hæretica traditione Eccleſias purgavit*. Habet hæc Synodus bona malis mixta, & inutile ab inutili non vitiatur; quare potuerat ſeparari, inquit idem Lupus.

III. *Eo ſedente Alpes Cottia Eccleſiæ Rom. reſtituuntur.* Joanne ſeptimo ſedente, Aribertus, ſeu Aripertus hujus nominis II, Rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quæ ad jus Romanæ Eccleſiæ pertinuerant, ſed à Longobardis multo tempore fuerant ablatę, reſtituit, & hanc donationem aureis exaratam literis Romam direxit, ut teſtis eſt Paulus Diaconus lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 28, qui & cap. 43 ejuſdem libri ſcribit, Luitprandum Anſprandi filium & ſucceſsorem, reſtitutionem illam Romanæ Eccleſię factam confirmaſse. Anaſtaſius quidem id factum dicit ſedente Joanne VI; ſed Hermannus Contractus in Caniſiana Chronici ſui editione eam donationem conjungit cum anno 707, quo Joannes VII adhuc ſedebat; ad eum enim annum ſcribit: *Anno 707. Hoc tempore Haribertus Rex Longobardorum poſſeſſionem Alpium Cottiarum, dudum à Longobardis captam atque detentam, per privilegium aureis literis ſcriptum S. Petro, Joannique Papæ reddidit.* Porrò Alpium Cottiarum, ſic à Rege Cottio, qui eas perdomuit, dictarum initium Ammianus Marcellinus lib. 15 cap. 10 ſumit à Seguſione oppido; in Itinerario verò Burdigalenſi earum initium ſumitur ab Ebreduno oppido in Delphinatu hodierno; ſic enim in eo legitur: *Manſio Hebriduno M. 16. Inde incipiunt Alpes Cotticæ*, & infra: *Civitas Secuſſione M. 16 Inde incipit Italia.* Sed Paulus Diaconus laudatus lib. 2 cap. 16 enumerans Italiæ provincias ſcribit Alpes Cottias, *ſic à Cottio Rege, qui Neronis tempore fuit*, appellatas, à Liguria in Eurum verſùs, uſque ad mare Tyrrhenum extendi, ab occiduo verò Gallorum finibus copulari: in eaque provincia, quam quintam Italiæ numerat, dicit haberi Dertonam & Monaſterium Bobium, Genuam quoque & Saonam civitates. Sed quod ſpectat ad Regem Cottium Paulus Diaconus fallitur, quando dicit eum fuiſſe Neronis tempore; Ammianus enim loco laudato, aſſerit eum *in amicitiam Octaviani Principis*, ſcilicet Auguſti, fuiſſe receptum. Dicit deinde cap. 18: Paulus Diaconus nonam Italiæ provinciam eſſe in Apenninis Alpibus, *quæ inde originem capiunt, ubi Cottiarum Alpes finiuntur*, tandemque concludit: *Sunt qui Alpes Cottias & Apenninas, unam dicunt eſſe provinciam: ſed hos Victorini revincit Hiſtoria, quæ Alpes Cottias per ſe provinciam appellat.*

IV. *Joannes PP. moritur.* Joannes Papa in Baſilica Sancti Petri Oratorium in honorem Dei Genitricis ſtruxit, cujus parietes vermiculato opere intecti, dexterâ, lævâque quorumdam Patrum vultus oſtendebant. Baſilicam præterea ſanctæ Eugeniæ vetuſtate collapſam reſtituit. Cœmeteria quoque Sanctorum Marcellini, Marci, Damaſique Pontificis exornavit. Fecit verò & diverſas imagines per diverſas Eccleſias, quas quicumque noſſe deſiderabat, in eis vultum ejus depictum reperiebat, teſte Anaſtaſio, qui ſubdit eum feciſſe *Epiſcopos per diverſa loca numero decem & octo*, ſepultumque eſſe *ad beatum Petrum Apoſtolum ante Altare Oratorii ſanctæ Dei Genitricis, quod ipſe conſtruxit, ſub die decimoquinto Kalend. Novembris indictione ſexta, Juſtiniano Romanam Rempublicam gubernante*, ideoque, ut numero primo dictum eſt, obiit die decima ſeptima Octobris anni ſeptigenteſimi ſeptimi.

SISINNIUS *Pontif. LXXXIX.*

Anno Domini DCCVIII.

I. *Siſinnius fit Papa, & moritur.* Siſinnius, natione Syrus, Joannis filius, poſt trium menſium interpontificium, ad ſummum totius Eccleſiæ Paſtoris gradum evectus eſt, & conſecratus die decima octava menſis Januarii, Cathedræ S. Petri ſacra, anno ſeptingenteſimo octavo. Hic Pontifex adeò podagra laboravit, ut cibum propriis manibus capere non poſſet: erat tamen conſtans animo, & curam gerens pro habitatoribus civitatis: qui & calcarias pro reſtauratione murorum juſsit decoquere: cumque jam omnem materiam paraſset, qua & mœnia Urbis & Templa vetuſtate collapſa, in meliorem formam reſtitueret, celebrioraque redderet, morte repentina ſublatus eſt, poſt vigeſimum à ſua creatione diem, ideoque die ſexta Februarii ejuſdem anni 708, ſepultuſque eſt teſte Anaſt. *ad B. Petr. Apoſt. die 7 Feb. indict. 6*, poſtquam feciſset *in Eccleſia Corſica Epiſcopum unum*.

CON-

Digitized by Google

CONSTANTINUS *Pontif. XC.*

Anno Domini DCCVIII.

I. *Conſtantinus Siſinnio ſuccedit.*

Romana Eccleſia, morte Siſinnii, ſupremo Paſtore vacua fuit per menſem unum & dies 19, non verò 29, ut mendosè legitur in Anaſtaſio, cujus exemplaria MSS. Regium, Mazarinum, & Thuanum habent tantùm dies 19, quibus conſonat Ordericus lib. 2 ſcribens, Sedem vacaſſe menſem unum, dies 18, quia diem emortualem Siſinnii ab interpontificio excludit, quo pacto Conſtantinus, natione pariter Syrus, Joannis filius ordinatus eſt eodem anno ſeptingenteſimo octavo, & quidem die vigeſima quinta menſis Martii, in quam Dominica & feſtum Annunciationis B. Mariæ incidére.

II. *Ravennatenſes dant pœnas de ſchiſmate contra Eccleſiam Romanam.*

Ipſi Conſtantini Papæ exordio, Damiano Ravennatenſi Epiſcopo mortuo, Felix in ejus locum ſubrogatus eſt; qui Romam licèt reluctans, ex more ſe conferens, ut conſecrationem à Pontifice acciperet, profeſsionem fidei edidit, & obedientiæ ſponſionem. Sed Ravennam rediens, civium inſtigatione, eam violavit, & à Sede Apoſtolica ſeſe ſchiſmate iterum diviſit: cujus rei gratiâ in ipſum concitatus Juſtinianus Imperator, Theodorum Patricium cum exercitu Ravennam miſit, qui capta civitate rebelles bonis ſpoliavit, ac vinctos Conſtantinopolim miſit; ubi morte puniti ſunt, ipſeque Felix Archiepiſcopus oculis privatus, ac in Pontum exilio deportatus eſt. Ita Anaſtaſius, qui tamen in Conſtantino Papa addit, occiſo Juſtiniano, Felicem liberatum eſse exilio, &, licèt cæcum, Eccleſię ſuæ reſtitutum, poſt præſtitam Romano Pontifici ſolitam obedientiam. Imo eum egregia claruiſse ſanctitate, ac miraculis etiam coruſcaſse, Auctor eſt Hieronymus Rubeus in Hiſtoria Revennatenſi. Ex quo tempore Præſules ejuſdem civitatis in omnibus ſe obedientiſsimos Eccleſiæ Romanæ Pontificibus exhibuerunt uſque ad ſæculum undecimum ineuntem, ut in Paſchali II videbimus.

III. *Merciorum & Saxonum Orient. Reges Romam pergunt.*

Secundum Conſtantini Papæ Pontificatus annum maximè illuſtrem reddidit abdicatio Coënredi Merciorum, & Offæ Orientalium Saxonum Regum, qui Regnis relictis propter Chriſtum, anno ſeptingenteſimo nono Romam perrexerunt, ubi Monachicum habitum induerunt, quos ad Apoſtolorum limina venientes humaniſsimè ſuſcepit Conſtantinus Papa, gaudens eos terrenis abdicatis regnis Petro Piſcatori inſervire. Hæc conſtant ex Beda, tam in Epitome, quàm in Hiſtoria lib. 5 cap. 20. *Anno* 709 ſcribit in Epitome, *Coënred Rex Merciorum, poſtquam quinque annis regnabat, Romam pergit.* In Hiſtoria verò: *Anno imperii Oſredi* (Northumbriæ Regis) *quarto* (qui abſolvitur anno 709) *Coinred, qui regno Merciorum, nobiliſsimè tempore aliquanto præfuerat, nobilius multò ſceptra regni reliquit. Nam venit Romam, ibique attonſus, Pontificatum habente Conſtantino, ac Monachus factus, ad limina Apoſtolorum in precibus, jejuniis & eleemoſynis uſque ad diem permanſit ultimum, ſuccedente in regnum Ceolredo filio Edilredi, qui ante ipſum Coinredum idem regnum tenebat. Venit autem cum illo & filius Sigberti Regis Orientalium Saxonum, vocabulo Offa, juvenis amantiſſimæ ætatis & venuſtatis, totæque ſuæ genti ad tenenda ſervandaque regni ſceptra exoptatiſſimus, qui pari ductus devotione mentis, reliquit uxorem, agros, cognatos & patriam propter Chriſtum & propter Evangelium, ut in hac vita centuplum acciperet, & in ſæculo venturo vitam ęternam. Et ipſe ergo, ubi ad loca ſancta Romam pervenerunt, attonſus, & in Monachico habitu vitam complens, ad viſionem Beatorum Apoſtolorum in Cœlis diu deſideratam pervenit.*

IV. *Conſtantinus PP. Cpolim vocatur ab Imp.*

Anno ſeptingenteſimo decimo Juſtinianus Auguſtus ad Conſtantinum Pontificem Sacram miſit, qua eum Conſtantinopolim accerſivit, ut finem aliquem imponeret controverſiæ natæ ob Canones Trullanæ Synodi. Conſtantinus *egreſſus eſt à portu Romano, die quarta menſis Octobris, indictione* 9, ut tradunt Anaſtaſius, Abbo Floriacenſis, & Marianus Scotus in Chronicis, ideoque anno 710 Româ Neapolim, indeque in Siciliam perrexit. Inde egrediens per Regium & Cortonam transfretavit Galliopolim. Dum verò Hydrunti moras faceret, eo quòd hiems erat, illic ſuſcepit ſigillum Imperiale per Theophanium Regionarium, continens, *ut ubi denominatum contingeret adeſſe Pontificem, omnes Judices ita eum honorificè ſuſciperent, quaſi ipſum præſentialiter Imperatorem viderent*, inquit Anaſtaſius, qui ſubdit eum inde egreſſum, parteſque Græciæ contingentem, in inſula quæ dicitur Cæa, cum ſummo honore ſuſceptum fuiſse a Theophilo Patricio & Stratego, ſeu duce Caravilianorum.

V. *Ab eo cum honore & humilitate recipitur.*

Ab eo loco navigans à ſeptimo milliario Conſtantinopolim venit, unde egreſſus Tiberius Imperator Juſtiniani Auguſti filius cum Patriciis & omni Senatu & Cyrus Patriarcha cum Clero & populi multitu-

titudine, omnes lætantes, & diem feſtum agentes, ei obviam proceſſerunt. *Pontifex autem & ejus Primates cum ſellaribus Imperialibus, ſellis & frænis inauratis, ſimul & mappulis, ingreſſi ſunt civitatem. Apoſtolicus Pontifex cum caumelaco, ut eſt ſolitus Romæ procedere, à Palatio* Septimi *egreſſus in Placidias uſque, ubi hoſpitaturus erat, properavit. Domnus autem Juſtinianus Imperator*, Proſequitur Anaſtaſius, *audiens ejus adventum, magno repletus gaudio, à Nicæa Bithyniæ miſit Sacram gratiarum actione plenam, & ut debuiſſet Pontifex occurrere Nicomediam, & ipſe venire à Nicæa, quod & factum eſt. In die autem, qua ſe vicisſim viderunt, Auguſtus Chriſtianisſimus cum regno in capite ſe proſtravit, pedes oſculans Pontificis. Deinde in amplexum mutuum corruerunt, & facta eſt lætitia magna in populo, omnibus aſpicientibus tantam humilitatem boni Principis. Die verò Dominico Miſſas Imperatori fecit, & communicans Princeps ab ejus manibus, proque ſuis delictis ut deprecaretur, Pontificem poſtulans, omnia privilegia Eccleſiæ renovavit, atque ſanctiſſimum Papam ad propria reverti abſolvit*. Conſtantinopolim itaque adventavit Conſtantinus ineunte vere anni 711, cùm, ex dictis numero ſuperiori, Hydrunti, vulgò *Ottranto*, quæ urbs eſt in ora maris Adriatici poſita, hiemaverit.

VI. *Confirmat Canones Trullanos decretis Eccleſiæ Rom. non contrarios.*

Quid Conſtantinus Papa Conſtantinopoli egerit, Scriptorum inopia & ſilentio latet, ſed agitatam ibi fuiſſe tunc controverſiam de Canonibus Trullanæ Synodi deducit Baronius, ex eo quòd, cùm nulla his temporibus alia verteretur quæſtio inter Orientales, & Occidentales, idem tamen Anaſtaſius in Vita Gregorii II ſcribit: *Gregorius* (Romanæ tum Eccleſiæ Diaconus) *cum Viro ſancto Conſtantino Pontifice ad Regiam profectus eſt urbem, atque à Juſtiniano Principe inquiſitus de quibuſdam Capitulis, optima reſponſione unamquamque ſolvit quæſtionem*, quam reſponſionem aut latére aut periiſse dolendum eſt. Chriſtianus verò Lupus in Scholiis & Notis ad Canones Trullanos pag. 1078 ex ſuperius laudatis Anaſtaſii verbis colligit, Conſtantinum primum fuiſse è Pontificibus Romanis, qui Canones Synodi Trullanæ, Eccleſiæ Romanæ decretis non adverſantes probarit; & Juſtinianum, quod à Joanne VII poſtularat, à Conſtantino obtinuiſse, ideoque omnia Romanæ Eccleſiæ privilegia Juſtinianum novis edictis confirmaſse. Nam & antea, ut numero ſecundo dixi, reſtituerat Eccleſiam Romanam adversùs repullulantem autocephaliam ac rebellionem Archiepiſcoporum Ravennatenſium. Quæ Apoſtolica confirmatio Trullanorum Canonum Hadriano I Pontifici Romano, & ſancto Taraſio Epiſcopo Conſtantinopolitano fundamentum dedit, illuſtre de iis Canonibus teſtimonium ferendi. Sed Hadrianus I ſolos Synodi Trullanæ Canones probávit, qui jure & orthodoxè promulgati ſunt, inquit idem Lupus, qui addit valde falli eos, qui exiſtimant, authenticam eſse confirmationem dictorum Canonum factam à Septima Synodo in primo ſuo Canone; cùm & Septimæ Synodi Canones omnes Romana Eccleſia nunquam confirmarit. Hinc Canonum Trullanorum per Conſtantinum Papam confirmatio manſit incognita, non ſolùm apud Romanam, ſed & apud ceteras, Conſtantinopolitanâ exceptâ, Patriarchales Eccleſias, ideoque per Joannem VIII opus habuit innovari, ut in ejus Vita videbimus.

VII. *Romam revertitur.*

Poſtquam Conſtantinus Papa menſes aliquot Conſtantinopoli moratus eſt, Romam rediit eodem anno ſeptingenteſimo undecimo, ut ſcribit Anaſtaſius: *Egreſſus igitur à Nicomedia civitate, crebris valetudinibus Pontifex attritus, tandem ſoſpitatem Domino tribuente, incolumis ad portum Cajetæ pervenit, ubi Sacerdotes & maximam populi Romani reperit multitudinem: ac vigeſima quarta die menſis Octobris, indictione decima Romam ingreſſus eſt, & omnis populus exultavit, atque lætatus eſt. Hic fecit ordinationes Epiſcoporum in eundo, & redeundo per diverſa loca Epiſcopos duodecim.* Romam itaque introiit die 24 Octobris anni 711, quo indictio decima in curſu erat à Kalendis Septembris.

VIII. *Juſtiniano occiſo Philippicus fit Imperator.*

Poſt menſes tres ab ingreſſu Conſtantini Papæ in Romanam urbem, nunciatum eſt Juſtinianum Imperatorem Orthodoxum à Bardane trucidatum eſse; qui Imperator dictus, mutato nomine *Philippicus* appellatus eſt. Hic ſine pugna Conſtantinopolim ingreſſus, Tiberium Juſtiniani filium occidit, paulò poſt Juſtiniano caput amputari, ac in Occidentem conſpiciendum traduci juſſit. Philippicus hæreticus Monothelita, ſtatim ac dictus eſt Imperator, *Sextæ Synodi imaginem, ab annis jam aliquot, prope, ac inter quartam, ſextamque ſcholam, in Imperialis Palatii veſtibulo, expoſitam dejici juſſit; alioquin, inquiens, non ſuſtinens ingredi in Regiam non ſuam, niſi ita prius res habuiſſet. Id præterea auctoritate decernens, ut Sergii, Honoriique ab eadem ſancta ac œcumenica Synodo ejectorum, ac anathemati ſubjectorum, nomina, in ſacra ſanctiſſimarum Eccleſiarum Diptyca præconio publico referrentur, eorumque per loca imagines erigerentur*, inquit Agatho Diaconus in Peroratione laudata in Agathone num. 29, & in Conone num. 4.

IX. *Sextam Synodum abolere tentat.*

Pergit Agatho Diaconus: *Sed & brevi poſtmodùm præfatos quoque ſanctæ ejuſdem ac œcumenicæ Sextæ Synodi, cum mea ipſius manu conſcriptos inveniſſet Actorum Tomos,*

educens

educens publicanſque igni in ſecreto Palatii tradidit, ac abolevit; Piis plurimis, ac Orthodoxis perſecutionem inferens, eorumque nonnullos exilio relegans; eos maximè, qui libello, juxta quod ipſe juſſiſſet, compoſito ac dictato, de fide ſcilicet, ac velut pro ſancta ipſa, ac œcumenica Sexta Synodo abroganda, haud quaquam ſubſcribere voluiſſent. Ad hanc ſine dubio perſecutionem referendum quod ex Nicolai Papæ Epiſtola VIII in Vita Cononis retulimus cum Baronio, Imperatorem nempe coegiſſe Legatos Apoſtolicæ Sedis prævaricari, &, ut loquitur Nicolaus, *participes illos ſui erroris effectos, ſpiritualiter* occidiſſe; nihil quippe ſimile à Juſtiniano tentatum produnt antiqui Scriptores, quod tamen rectè dici poteſt contigiſſe tempore Philippici, qui Agathone Diacono, Theophane & Nicephoro teſtibus perſecutionem in Orthodoxos excitavit, ut Sextam œcumenicam Synodum abrogaret.

X. *Ejus profeſſionem hæreticam reſpuit Conſtantinus PP.*

Philippicus, ubi creatus eſt Imperator, ad Conſtantinum Romanum Pontificem profeſsionem fidei execratione dignam miſit, quam ipſe Conſtantinus reſpuit, ut teſtatur Anaſtaſius: *Ejus* (nempe Philippici) *& Sacram cum pravi dogmatis execratione Conſtantinus ſuſcepit, ſed cum Apoſtolicæ Sedis conſilio reſpuit. Hujus rei cauſa zelo fidei accenſus omnis cœtus Romanæ urbis, imaginem, quam Græci pancaream vocant, ſex continentem ſanctas ac univerſales Synodos in Eccleſia Beati Petri erexerunt.* Imò cùm nec Imperatoris effigies in Eccleſiam introducta eſſet, nec ejus nomen ad Miſſarum ſolemnia proferretur, contigit ut cùm Petrus quidam hæreticus ab Imperatore Romano Ducatui præfectus fuiſſet, magna pars populi Romani ſtatuerunt nullo modo hunc Ducem ſuſcipere. Unde inter dictum Petrum, & Chriſtophorum, qui antea erat eidem Ducatui præfectus, bellum exortum eſt, ita ut ante Palatium ſeſe commiſerint, & ex utraque parte amplius quàm viginti quinque viri aut plagis affecti fuerint, aut interierint. Quod bellum ut ſedaret Conſtantinus Papa, Sacerdotes cum Evangeliis & Crucibus miſit, & ad ejus juſſum pars Chriſtophori, quæ *Chriſtiana* vocabatur, receſſit, ut refert idem Anaſtaſius. Eadem de nomine Imperatoris exoſo & execrabili facto tradunt Paulus Diaconus lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 33, & Ado Viennenſis in Chronico.

XI. *Pſeudo Synodum Cpoli cogi curat Cyro Patriarcha depoſito.*

His non contentus Philippicus Cyrum Patriarcham Conſtantinopolitanum ſede dejecit, & Joannem Diaconum, & Chartularium œconomii in ejus locum promovit, primoque imperii ſui anno, ſeu anno 712 *inſanum Conciliabulum adverſùs ſanctum œcumenicum Concilium* celebrari curavit, cui Joannes Conſtantinopolitanus Patriarcha, *Andreas Metropolitanus Cretæ, ac Germanus Cyzici Metropolita propalam ſubſcripſerunt, ac anathemate damnarunt, cum omnibus collegis, præfatam in Monothelitas celebratam ſanctam œcumenicam Synodum*, inquit Theophanes in Chronico, cui conſentit Nicephorus in Hiſtoria pag. 31. Verùm Joannes Conſtantinopolitanus Patriarcha in Epiſtola, quam ad Conſtantinum Papam ſcripſit, poſt Philippici mortem, quæ menſe Junio anni ſeptingenteſimi decimi tertii ineunte contigit, quæ extat Tom. 6 Concil. pag. 1409, excuſat ſilendi œconomiam, quam Philippico Tyranno indulſerat, & conatur oſtendere quoſdam ex antiquis Patribus, ac inter eos Magnum Baſilium diſpenſationes laudabiliter invexiſse: *Nos parum aliquid*, inquit, *quod ait Magnus Baſilius viri moribus cedendum duximus, ut confeſſio fidei in iis, quæ momentum haberent, ſin vocibus, & ſenſibus ſaltem ac intelligentia, incommutabilis firmaque ſervaretur.* In fine petit à Pontifice Romano, ut ſibi iterum univerſam Dei Eccleſiam videre liceat, oſtenditque, lapſos in Latrocinio Epheſino facile receptos, idque longe antea præſtitiſse S. Cyrillum cum eis, qui ſibi, ac ſuæ Synodo anathema dixerant. Ea œconomia non fuit tantùm Joannis Cpolitani, ſed & S. Germani tunc Epiſcopi Cyzici, poſtmodùm verò Patriarchæ Cpolitani, & Andreæ Cretenſis Epiſcopi; quos ſancti Nicephorus, & Theophanes laudati nominant velut primarios in ea Joannis cooperatores, aliorumque ferè per Orientem Epiſcoporum.

XII. *Joannes CP. Patriarcha ſuam apud Conſtantinum PP. excuſat.*

Verùm, ut obſervat Combefiſius in Notis ad eam Joannis Epiſtolam, ad Conſtantinum Papam Tomo II Supplem Biblioth. Patrum, licèt ex Epiſcopis Orientalibus multi Sextæ Synodi damnationi, imò & Calchedonenſis ſubſcripſerint, ſociique acceſſerint Philippico, hique rei proditæ fidei fuerint: alii tamen ex animo Orthodoxi, ac omninò caventes, ne tam grave damnum per collegarum, vel malitiam vel ignaviam, publicæ nimirùm Sextæ Synodi, ac SS. Patrum anathematizationis, Orientalis Eccleſia ſubiret, medium hoc invenerunt, ut ederent fidei formulam ſenſu Catholico, qua tamen ſupprimerentur voces nuper definitæ à Sexta Synodo, geminæ in Chriſto operationis & voluntatis Philippico duriores, ac invidioſæ. Nec alia fuit Joannis Oeconomia, ut ipſemet in ſua Synodica affirmat, non alia Germani tunc Epiſcopi Cyzici, non alia Andreæ Cretenſis. Qua in re non ſolùm non peccarunt; ſed & rem dignam laude egiſſe videntur, majori ſcilicet depulſo malo ab Eccleſia, ac minori permiſſo potius quàm acto. Qua de re plura Combefiſius laudatus. Certè Agatho Diaconus laudatus in Peroratione

Digitized by Google

plures, contra quod ſcribit Theophanes pro ſana doctrina ſtetiſſe, manifeſtè oſtendit, dicens Philippicum pios plurimos perſecutum eſſe, eorumque nonnullos in exilium miſiſſe; & poſtquam retulit Anaſtaſium Virum Pium & Orthodoxum, dictum eſſe Imperatorem in locum Philippici, & à Joanne Patriarcha coronatum, ſubdit: *Sic verò paulò poſt, ipſo pariter probante ac annuente* (nempe Anaſtaſio Imp.) *conſequenter etiam congruè excuſando Epiſtolæ datæ ſunt ab hujus urbis ſanctiſſimo Epiſcopo Joanne, ad Conſtantinum ſanctiſſimum ac beatiſſimum Papam Veteris Romæ; quæ & unà cum conſuetis Synodicis literis miſſæ ſunt, congruam aptè univerſorum, quæ præſcripta ſunt facientes fidem*; tandemque concludit, iterum depictam eſſe imaginem Sextæ Synodi in loco, è quo à Philippico eraſa fuerat, & ſuę perorationi exemplar dictæ Joannis ad Conſtantinum Papam Epiſtolæ, ſubjicit, quæ manifeſtè indicant, Joannem à recta fide non defeciſſe, ſed œconomia ad majus malum ab Eccleſia avertendum uſum eſſe.

XIII. *Anaſtaſius fit Imp. & profeſſionem fidei ad Conſtantinum PP. mittit.*

Anno ſeptingenteſimo decimo tertio impius Bardanes, ſeu Philippicus, poſtquam anno uno & menſibus ſex Imperium tenuiſſet, ut tradunt Paulus Diaconus lib. 6 de Geſt. Longobard. cap. 34, & Beda lib. de Sex ætatibus, die tertia menſis Junii Imperio pulſus, dejectuſque eſt; & Philartemius, mutato nomine, Anaſtaſius appellatus, Vir Pius, ac Orthodoxus, die ſequenti in feſto Pentecoſtes in ejus locum ſubrogatus & coronatus, ad Conſtantinum Papam per Scholaſticum Cubicularium Patricium, quem in Italiam Exarchum deſtinavit, fidei ſuæ profeſſionem miſit, ut tradit Anaſtaſius in Conſtantino: *Non poſt multos autem dies ſcripta venere à Sicilienſi inſula, quæ nunciaverunt, quòd Philippicus hæreticus à principali vertice depulſus eſſet, & Anaſtaſius Orthodoxus Auguſtus ſceptra regalia gubernanda ſuſcepiſſet. Tunc Orthodoxis exultatio magna, tenebrarum autem dies cunctis hæreticis ſuperfuſa eſt. Poſt aliquod verò tempus Scholaſticus Cubicularius Patricius & Exarchus Italiæ veniens Romam, detulit ſecum Sacram Anaſtaſii Principis, per quam verè ſe Orthodoxæ fidei prædicatorem, & Sancti Sexti Concilii confeſſorem eſſe omnibus declaravit, quam & Pontifici obtulit.*

XIV. *Conſtantinus Apocriſarium Cpolim mittit.*

Cùm itaque Conſtantinus Papa audiſſet, Catholicum in Oriente regnare Imperatorem, à quo & Orthodoxam fidei profeſſionem per Exarchum miſſam accepiſſet, eumdem in Catholicam communionem acceptum, in album Orthodoxorum Imperatorum, quò pro eo univerſa Eccleſia exoraret, referri voluit: ad quem etiam ex more miſit pro reſponſis Eccleſiaſticis Michaelem Presbyterum Apocriſarium, ut refert Theophanes. Perneceſſaria ejuſmodi videbatur eſſe Legatio, ut Conſtantinopoli eſſet, qui auctoritate Apoſtolicę Sedis ipſos in perſecutione Philippici Epiſcopos pœnitentes Catholicæ conciliaret Eccleſiæ: cùm enim multi, nonniſi timore concuſsi, in Sextæ Synodi damnationem conſenſiſſent, perfacilis fuit eorum reſipiſcentia: iiſque naufragiis per ſuum Apocriſarium manum porrigens Conſtantinus Papa, quamcitiùs ſubvenire curavit: id enim ab ipſo Conſtantino, velut à *Chriſtiani Sacerdotii capite* Epiſtolâ mox laudatâ rogaverat Joannes Cpolitanus Epiſcopus.

XV. *Ticinenſis Eccleſia Sedi Apoſt. ſubjecta.*

Conſtantino Papa ſedente, quo anno incertum, lis orta eſt inter Mediolanenſem Archiepiſcopum, & Ticinenſem Epiſcopum. Archiepiſcopus adversùs receptum morem, Epiſcopi conſecrationem ad ſe traducere voluit, quod jus ad eum non pertinere Epiſcopo contendente, *Benedictus Archiepiſc. Mediolanenſis orationis voto* Romam venit, *& ſuo ſe Pontifici* præſentavit: *altercatus verò eſt pro Eccleſia Ticinenſi, ſed victus eſt, eo quòd à priſcis temporibus Sedi Apoſtolicæ ejuſdem Ticinenſis Eccleſiæ Antiſtes ad conſecrandum pertinebat, atque pertinet*, inquit Anaſtaſius. Eadem refert Paulus Diaconus lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 29, addens Benedictum fuiſse virum *egregiæ ſanctitatis, de quo per univerſam Italiam bonæ opinionis fama flagravit*. Hic Benedictus inter ſanctos reperitur relatus, ejuſque memoria ſacris Tabulis adſcripta die undecima menſis Martii, annis ſingulis in Eccleſia iteratur.

XVI. *Conſtantinus PP. ex humanis excedit.*

Cùm, ex Anaſtaſio, Conſtantinus Papa Romanam Eccleſiam rexerit per *annos ſeptem, dies quindecim*, & ſepultus ſit *ad B. Petrum Apoſtolum, 5 Idus Aprilis, Indictione 13, Anaſtaſio Auguſto*, dubitari non poteſt, quin vitam prorogarit uſque ad annum ſeptingenteſimum decimum quintum, quo, die octava menſis Aprilis obiit, die inſequenti ſepultus. Nam annos etiam ſeptem ei attribuunt Honorius Auguſtodunenſis, Luitprandus, Abbo Floriacenſis, Regino, Marianus Scotus, Catalogus Vaticano-Palatinus, aliique, ex quibus, ac ex indictione 13 in omnibus Anaſtaſii codicibus memorata, annus mortis invictè demonſtratur. Cùmque die 25 Martii anni 708 conſecratus fuerit, ejus mors diei octavæ Aprilis anni 715 affigenda eſt, ut dici poſsit ſediſſe annos ſeptem, dies quindecim.

XVIII. *Ejus virtutes.*

Magnam ex Pontificatu benè perfuncto ſibi gloriam comparavit Conſtantinus; cùm enim ceteris throno eminens eſſet, ut ait Anaſtaſius, omnium humillimus ſpiritu erat, atque mitiſsimus, ideoque omnibus Eccleſiæ ordinibus magnum ſui reliquit deſiderium

Digitized by Google

SÆC. VIII. CONSTANTINUS. ſiderium, ſed pauperibus præcipuè, in quibus, penuriæ tempore, ſublevandis, nihil officii prætermiſerat. Ordinationem unicam habuit, in qua creavit Presbyteros decem, Diaconos duos: Epiſcopos verò per diverſa loca numero ſexaginta quatuor ordinavit. SÆC. VIII. CONSTANTINUS.

S. GREGORIUS II *Pontif. XCI.*

Anno Domini DCCXV.

I. *S. Gregorius II Eccleſiæ præficitur.*

ORdericus lib. 2 & Martinus Polonus in Chron. poſt Auctorem libri Pontificalis ſcribunt, mortuo Conſtantino ceſſaſſe Epiſcopatum *dies quadraginta*, ex quo ſequitur ſanctum Gregorium hujus nominis II, natione Romanum, ex patre Marcello, anno ſeptingenteſimo decimo quinto, die decima nona menſis Maji, in quam Dominica cadebat, Summum Pontificem fuiſse ordinatum. Tot enim dies intercurrunt inter diem 8 Aprilis Conſtantini emortualem, & decimum nonum menſis Maji Gregorii Natalem, ſi, ut fieri debet, dies mortis unius, & conſecrationis alterius excludantur.

II. *Ejus primordia ante Pontificatum.*

Gregorius *à parva ætate in Patriarchio nutritus* fuerat, *ſub ſanctæ memoriæ Domno Sergio Papa Subdiaconus atque Sacellarius factus; Bibliothecæ eſt illi cura commiſſa: deinde ad Diaconatûs ordinem provectus eſt à ſancto viro vir caſtus, divinæ Scripturæ eruditus, facundus loquela, & conſtans animo, Eccleſiaſticarum rerum defenſor & contrariarum fortiſſimus impugnator*, inquit Anaſtaſius. Dum adhuc eſſet Romanæ Eccleſiæ Diaconus, in Conſtantini Papæ comitatu, Conſtantinopolim profectus, Juſtiniano Imperatori de pluribus diſciplinæ capitibus, occaſione Trullanorum Canonum quæſtionem moventi pro ſua eruditione fecit ſatis; idem enim Anaſtaſius in ejus Vita ſcribit: *Gregorius cum viro ſancto Conſtantino Pontifice, ad Regiam profectus eſt urbem, atque à Juſtiniano Principe inquiſitus de quibuſdam Capitulis, optima reſponſione unamquamque ſolvit quæſtionem*, ut in Conſtantino Papa jam dictum eſt.

III. *Joannis Patriarchæ CP. Synodicam recipit.*

Ubi Gregorii creatio Orientalibus innotuit, Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Synodalem Epiſtolam ex more ad eum ſcripſit, ut idem Anaſtaſius auctor eſt, qui ait, *Hujus temporibus Joannes Conſtantinopolitanus Antiſtes Synodicam ei miſit, atque ad eum reſcriptis idem uſus eſt Pontifex.* Aliqui cum Baronio exiſtimant, rejectam à Gregorio Synodalem Joannis Epiſtolam, huncque ab eo tanquam hæreticum habitum: ideoque Anaſtaſium Imperatorem acceptis Gregorii Papæ literis, Joannem in ordinem redegiſse, ac è throno depoſuiſse, ejuſque depoſitionis meminiſse Theophanem. Verùm non ſolùm Theophanes, ſed etiam Anaſtaſius in Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſeu in verſione Theophanis, disertè habent, Joannem Patriarcham poſt annos tres Sedis mortuum eſse; cùmque ſolus Zonaras hujus Joannis exauctorationis meminerit, longè major fides Theophani habenda. Ex iis autem, quæ in Conſtantino Papa diximus, conſtat Joannem non fuiſse Monothelitam, ideoque nec ejus Synodicam à Gregorio II rejectam, cùm ſtatim ac Philippicus tyrannus ſublatus eſt, Oeconomiam ſuam Conſtantino Papæ ſignificavit, pro ea excuſarit, ac in eadem non paucos ſocios habuerit, & inter eos Germanum ejus in Sede Conſtantinopolitana ſucceſsorem, & Andream Cretenſem magnæ virtutis viros. Quod mirum non eſt fugiſse Baronium, qui Joannis Epiſtolam ad Conſtantinum ſcriptam, & à Combefiſio publicatam non viderat.

Joanni Patriarchæ ſuccedit S. Germanus.

Hic porro Joannes, non ſolùm ex Theophane & Anaſtaſio laudatis, ſed etiam ex Nicephoro in Chronico, poſtquam tres annos ſediſset, obiit, ideoque anno ſeptingenteſimo decimo quinto, eodemque anno, die undecima menſis Auguſti, ſanctus Germanus Cyzici Metropolita ad Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ regimen translatus eſt, ut ſcribit Theophanes anno Incarnationis ſecundùm Alexandrinos 707, qui inchoatur Kalendis Septembris anni Chriſti Dionyſiani 714, quo pariter die Imperatorum annos exorditur. *Eodem ſecundo*, inquit, *Imperii Artemii, qui etiam Anaſtaſius, indictione decima tertia, menſis Auguſti die undecimo, è Cyzicena Metropoli Conſtantinopolim Germanus translatus eſt*, de quo infra non ſemel nobis ſermo habendus, quia pro ſanctarum Imaginum defenſione Imperatori reſtitit, ac in exilium miſsus eſt.

V. *Sexta Synodi imago ab Anaſtaſio Cpoli reſtituitur.*

Cùm Artemius, dictus poſtea Anaſtaſius, die quarta menſis Junii anni ſeptingenteſimi decimi tertii, ut ſuperiùs diximus, Imperator coronatus eſset, ac imperium annos duos & menſes octo tenuiſset, tumultuantibus militibus & alium ſibi Imperatorem deligentibus nomine Theodoſium, Imperio dejectus eſt, & in Monaſterium detruſus, ideoque Theodoſius circa initium anni 716 dictus eſt Imperator, qui quòd Catholicus eſset nihil antiquius habuit quàm ut quod Philippicus Imperator fuerat demolitus, ipſe reſtitueret nobile mo-

Digitized by Google

numentum, quo ſex œcumenicæ Synodi depictæ erant: qui hoc facto ita compreſſit ora hæreticorum, ut omnis de fide quæſtio in ea urbe ceſſarit. Ita Baronius ex Anaſtaſio in Gregorio II. Sed deceptum hac in re Anaſtaſium certa mihi ſtat ſententia: Anaſtaſium enim Imperatorem non verò Theodoſium Sextæ Synodi imaginem in Palatio Imperiali à Philippico eraſam reſtituiſſe, diſertè aſſerit Agatho Diaconus in Peroratione ſæpius laudata tam in Agathone, quam in Conone, cui, utpote teſti oculato, potior fides habenda, quam Anaſtaſio. In ea poſtquam dixit Anaſtaſium virum pium, ac Orthodoxum dictum eſſe Imperatorem, eoque probante ac annuente Joannem Patriarcham ad Conſtantinum Papam ſcripſiſſe, ſubdit: *Quia verò poſt ſuperius declaratam integræ Synodorum imaginis, eraſa Sextæ Synodi imagine, abolitionem, qui nefariè aboleri juſſerat miſer ac inſanus Bardanes, in dicta Melii camera, ſanctis tantùm relictis Oecumenicis Synodis, ipſe ſe, unà cum Sergio, rectum ſtantem ejus medio, in imagine depingi præceperat, neceſſariò planè ac valdè congruè, deturbatis inde ejuſmodi ambabus perſonis, ſancta eadem ac œcumenica Sexta Synodus, unà cum aliis quinque, ibidem iterum loci depicta eſt; univerſo Dei amante ſanctæ Eccleſiæ cœtu, communi tripudio ac lætitia, ſpiritalique in Chriſto exultatione, ovante pro ſanctiſſimarum Eccleſiarum conceſſa tranquillitate & pace.* Vide de hoc Bardanis ſeu Philippici Imp. facto dicta in Conſtantino Papa, quem etiam cum Baronio ex Theophane obſervavimus Conſtantinopolim miſiſſe Michaelem Romanæ Eccleſiæ Presbyterum, Apocriſarium ad Anaſtaſium Imperatorem, quem tamen hìc Baronius dicit miſſum à Gregorio II.

VI. Gregorius Cumanum caſtrum Eccleſiæ reſtitui curat.

Siſinnium Papam de reſtaurandis Romanæ urbis muris ſeriò cogitaſſe, ob idque calcarias decoquere juſſiſſe diximus. Idem initio ſui Pontificatûs tentaſſe Gregorium II, aſſerit Anaſtaſius; ſed emergentibus variis tumultibus præpeditum eſſe. Quinam autem fuerint illi tumultus, quibus a propoſito avocatus eſt, idem Auctor refert. Longobardos nempe caſtrum Romanæ Eccleſiæ ſub dolo pacis pervaſum eripuiſſe: cùmque nec ultionis divinæ metu, nec muneribus à Gregorio Papa oblatis ad illius reſtitutionem flecti poſſent, Gregorius, Ducis, populique Neapolitani auxilio illud recuperavit, ſeptuaginta auri libris, ut promiſerat, pro ejus redemptione datis. Eadem habet Paulus Diaconus lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 40, qui nos edocet caſtrum illud, quod non nominat Anaſtaſius, fuiſſe caſtrum Cumanum, quod Beneventanus Longobardorum Dux Eccleſiæ eripuerat. Idem Paulus Diaconus laudatus cap. 42 refert etiam Luitprandum Longobardorum Regem eo tempore confirmaſſe reſtitutionem Alpium Cottiarum jam Eccleſiæ factam Joanne VII ſedente, ut ibidem dictum eſt. Addit Beda lib. de Sex ætatibus Luitprandum Alpes Cottias à Romano Pontifice repetiiſſe, ſed *admonitione venerabilis Gregorii Papæ* eam Ariperti reſtitutionem confirmaſſe.

VII. S. Corbinianum poſtea Friſingenſem Epiſc. invitum ordinat.

Anno primo S. Gregorii Pontificatûs ſanctus Corbinianus Friſingenſis Epiſcopus primus, Romam veniens, Evangelium in Germania prædicandi munus accepit. Natus erat in Galliis Corbinianus, ubi cùm longè, latèque ſanctitatis ejus fama creſceret, Pippinus Major domûs unum ex chariſſimis ſibi optimatibus ad eum tranſmiſit, ſeque ejus precibus commendavit. Cùmque vir Dei crebris advenientium colloquiis occuparetur, Romam petiit, ubi Gregorius Papa Sacerdotalem ei honorem, quamvis renitenti, conferre voluit. In Galliam reducem Carolus Pippini filius etiam Major domus, ad ſe acceſſivit, ut ejus confeſſionem audiret. Hæc ex Aribone in ejus Vita à Mabillonio Sæculo 3 Benedictino parte 1 recitata, qui in eo ſolum emendandus, quòd hic loco Caroli ſcripſerit etiam, ſicuti ſuperius, Pippinum, ut viri docti animadverterunt. *Coactus ergo*, inquit, *Sacerdotalem ſuſcepit benedictionem, accepto etiam pallio cum benedictione & adjutorio beati Petri Apoſtoli, ut ubique prædicationis officium exercere in toto orbe poſſet, & tanti Patris conceſſu poteſtatem haberet.* Licèt autem generatim ad omnes Evangelium prædicandi poteſtatem à Gregorio accepiſſet, titulum tamen Friſingenſis Eccleſiæ eſt conſecutus. Verùm quia amator nimium erat ſolitudinis, atque ſecreti ſilentii, *continuis ſeptem annis*, poſt profectionem ſuam Romanam in ſeceſſu quodam, *eò advenientibus, ſecumque commorantibus verbum Dei ſedulò miniſtravit;* ubi, cùm fama ejus magis increbreſceret, ipſeque *ſupervenientium turbas ſuſtentare non* poſſet, iterum anno ſeptingenteſimo viceſimo ſecundo Romam petiit, ut Epiſcopatum abdicaret, & ſecreta monaſterii peteret; ſed cùm fruſtra Gregorium Papam rogaſſet, ut Epiſcopali munere dimiſſo monaſterium ingredi ſibi liceret, in Bajoariam, ubi Friſinga ſita, rediit, ibique anno ſeptingenteſimo trigeſimo ſpiritum Deo reddidit, juxta Annales Friſingenſes à Velſero lib. 4 Hiſt. Bojorum citatos.

VIII. Ejus hortatu monaſterium Caſinenſe reſtauratur.

Initio etiam ſui Pontificatûs Gregorius Monaſteria & Baſilicas plurimas reſtauravit, ac Monachis in iis conſtitutis divinum cultum reſtituit. Domum propriam poſt obitum *Honeſtæ* matris, in Monaſterium & Eccleſiam commutavit, quam Deo in memoriam ſanctæ Agathę Virginis & Mar-

Digitized by Google

SÆC. VIII. S. GREGORIUS II.

Martyris voluit eſſe ſacram. Hæc conſtant ex Anaſtaſio. Ex Paulo verò Diacono lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 39 habemus circa annum 718 Petronacem, Brixię in Italia nobili genere natum, Romam petiiſſe, *hortatuque tunc Gregorii Apoſtolicæ Sedis Papæ*, Caſſinum veniſſe ad inſtaurandum celeberrimum illud toto orbe monaſterium Caſſinenſe à S. Benedicto fundatum, qui ejus vaſtationem à Longobardis anno circa 580 factam prædixerat, teſte Gregorio Magno lib. 2 Dialog. cap. 17. Fuit autem Petronax ſextus ejuſdem monaſterii Abbas à B. Benedicto, vixitque uſque ad annum circiter 750. Colitur die ſexta Maji, ad quem diem de eo agit Henſchenius in Actis Sanctorum, & Mabillonius Sæc. 3 Benedict. part. 1 ejus elogium Hiſtoricum exhibet, oſtenditque eum non ſub Gregorio III, ſed ſub Gregorio II Caſſinenſe monaſterium inſtauraſſe.

IX. *Theodo II Dux Bavariæ Romam orationis gratia pergit.*

Theodonem Bajoariorum Ducem, Orationis gratia, Romam ad Beatorum Apoſtolorum limina veniſſe, ſcribit Paulus Diaconus lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 44. Id autem accidiſſe Gregorio ſecundo ſedente, & quidem anno ſeptingenteſimo decimo ſexto, ex Anaſtaſio, in ejus Vita, certâ temporis notâ eruitur: *Hujus temporis*, inquit, *ſignum in luna factum eſt Indictione* 14, *& viſa eſt cruentata uſque ad mediam noctem. Eo itaque tempore Theodo Dux gentis Bajoariorum ad Apoſtoli B. Petri limina primus de gente eadem occurrit*, *Orationis gratiâ*. Accidit hæc eclypſis Lunæ indictione 14, ideoque anno 716, dieque decima tertia menſis Januarii, feriâ ſecundâ, horis poſt meridiem ſeptem. Cœpta Luna oſcurari paucis minutis poſt horam quintam à meridie, duravitque uſque ad horam ferè nonam, ut docet Calviſius in Opere ſuo Chronologico. Eo itaque anno Theodo hujus nominis II, quem ſanctus Rudbertus Saliſburgenſis Epiſcopus ad Chriſtianam fidem convertit, Romam petiit, ut pluribus explicat Auctor Criticæ Baronii, qui & ſcribit ſanctum Rudbertum, cujus Vitam recitat Mabillonius Sæc. 3 Benedict. part. 1, ad Deum migraſſe anno ſeptingenteſimo decimo octavo. Theodonis II Romam adventum etiam commemorat Frodoardus Canonicus Remenſis in Fragmento de Romanis Pontificibus, quod recitat idem Mabillonius parte ſecunda ejuſdem Sæculi.

Primitiæ gentis Germana ab origine Princeps
Culmen Apoſtolicum petit, & ſacra limina Petri.

Ubi Frodoardus indicare videtur Theodonem fuiſſe primum Principem *germana ab origine* Chriſtianum; quia licèt Theodo hujus nominis primus Chriſtianus fuerit, ejuſque tempore S. Emmerammus Epiſcopus Evangelium in Bajoaria, ſeu Bavaria annunciarit, poſtea tamen religio Chriſtiana ea in provincia defecerat, & idololatria, variæque hereſes in eam introductæ fuerant. Unde Aribo in Vita ſancti Corbiniani mox laudata, loquens de Bajoaria tempore Theodonis II, ſcribit: *Cari ibi habebantur Sacerdotes*, *ut ſolet apud novitios*, id eſt, apud homines noviter ad fidem converſos. Dici etiam poteſt, ita locutum eſſe Frodoardum, quia Theodo II, *primus de gente* Bajoariorum, ut loquitur Anaſtaſius, Romam venit.

X. *Leo Iſaurus fit Imperator.*

Anno ſeptingenteſimo decimo ſeptimo Theodoſius Auguſtus hortantibus tum militiæ Præfectis, tum civilibus Magiſtratibus Imperio ſe abdicavit, & *tum ipſe*, *tum filius quoque Clericorum albo adſcripti*, *reliquum vitæ tempus in pace tranſegere*, inquit Theophanes pag. 327, qui pag. 346 ſcribit: *A menſis Martii die* 25 *decima quinta indictione* Leonem Iſaurum, qui ſubrogatus eſt Theodoſio, imperare cœpiſſe, quare die vigeſima quinta menſis Martii anni ſeptingenteſimi decimi ſeptimi, indictione decima quinta notati, Leo Iſaurus inauguratus eſt Imperator.

XI. *Fidei profeſſionem ad Gregorium PP. mittit.*

Leo ad Imperium evectus, ne quid prætermitteret, quod præſtare ſolerent Orthodoxi Imperatores, ſcripſit ad Gregorium Papam, de ſua promotione eumdem reddidit certiorem, fideique ſuæ orthodoxam confeſſionem adjungens, ex more communicationem Catholicam ab eo expetiit. His acceptis literis Gregorius, qui & literis Germani Patriarchæ de ſincera fide Imperatoris pariter admonitus fuerat, Apoſtolicas ad eumdem Imperatorem literas reddidit, quibus ſignificaret, ſe eum ut Eccleſię filium benignè ſuſcipere & curaturum, ut ubique in Occidente Principes Chriſtiani ipſi fœdere amicitiæ jungerentur: factumque tunc, ut miſſæ Romam imagines ejuſdem Imperatoris, quas Laurata nominare conſueverunt, à civibus magno fuerint honore ſuſceptæ, atque idipſum in provinciis preſtaretur à Principibus Chriſtianis, equè ejuſdem Gregorii operâ curatum eſt. Hæc omnia fuſiùs explicata ab ipſo Romano Pontifice, in Epiſtola dogmatica, quam ad ipſum Imperatorem, anno ſeptingenteſimo triceſimo ſcripſit, quæ extat apud Baronium anno 726, & de qua infra.

XII. *Gregorius S. Bonifacium Evangelii præconem in Germaniam mittit.*

Anno ſeptingenteſimo decimo octavo Sanctus Bonifacius, qui ex Anglia in Friſiam trajecerat, Romam ad limina Apoſtolorum perrexit, cui Gregorius Papa die trigeſima menſis Novembris Divo Andreæ Apoſtolo ſacra, viva voce poteſtatem fecit Evangelium gentibus in Germania an-

nun-

Digitized by Google

nunciandi, eumdemque Legatum ſuum declaravit, quo factum, ut tam Willibaldus in ejus Vita, quàm Othlonus, qui ejuſdem Bonifacii Vitam etiam ſcripſit, utramque à Mabillonio Sæc. 3 Benedict. part. 2 recitatam, ejus Epiſcopatûs initium ab eo die deſumant, quia Epiſcopatum pro concionandi munere impropriè uſurpant, eumque Epiſcopum dicunt, quem Gregorius II Præconem fidei, Legatumque Sedis Apoſtolicæ per Germaniam creavit. Bonifacius itaque acceptis literis Apoſtolicis ſuæ legationis, die decimaquinta Maji anni ſeptingenteſimi decimi noni datis, in Thuringiam venit, inde *in Friſiam navigavit, ibique verbi divini ſemina ſpargens, permultos ab errore idololatriæ retraxit*, ut inquit Othlonus lib. 1 cap. 10 ejus Vitæ. Ibidem per triennium permanſit, indeque in Haſſia & Thuringia feliciſſimo ſucceſſu prædicavit.

XIII. *Epiſcopum eum ordinat.*

Poſtea de proſpero ſuſceptæ prædicationis eventu Gregorium Papam per unum è ſuis certiorem fecit, ſtatimque Romam literis Apoſtolicis invitatus, eò magnis itineribus contendit, ubi pridie Kalendas Decembris ordinatus eſt Epiſcopus ab eodem Papa, & quidem anno ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, ut conſtat ex literis ejuſdem Gregorii Papæ poſtero die poſt Bonifacii ordinationem, omnibus Chriſtianis in Germania conſtitutis, inſcriptis, quas exhibet Willibaldus. Gregorius itaque Bonifacium Epiſcopum, nulli tamen ſedi affixum, conſecravit, ut Apoſtolicæ dignitatis auctoritate fulciretur, & in officio prædicandi cunctis acceptior foret. A' Bonifacio exegit Gregorius ſolemne ſacramentum de fidei integritate & unitate Eccleſiæ conſervanda, deque obedientia ſingulari Sedis Apoſtolicæ Pontificibus perpetuò præſtanda. Quod juramentum propria ſubſcriptione munitum, ſupra corpus S. Petri pro more depoſuit, ut refert Othlonus laudatus cap. 14.

XIV. *Sed nulli ſedi affixum.*

Bonifacium Epiſcopum conſecratum eſſe dixi, ſed nulli Sedi affixum, ad cujus rei intelligentiam obſervandum eſt cum Serario Not. 25 in Vitam Sancti Bonifacii, diſtinguenda eſſe duo Epiſcoporum & Archiepiſcoporum genera: „ Quibuſdam, inquit, certa Sedes, certuſque locus & fixus eſt, cujus Epiſcopi, aut Archiepiſcopi appellentur. Quibuſdam verò incerta Sedes, nulluſque certus & fixus locus; & poſterius hoc genus in iis plerumque gentibus ac provinciis invenitur, quæ ad Chriſti fidem aggregari primò incæptant. Cùm enim ii, qui Evangelium eis annunciant, huc illuc procurrere debeant, neque congregatum adhuc ovile in una quapiam aut ditione, aut urbe obtineant, Epiſcopalem quidem Presbyterorum ordinandorum, variiſque in locis collocandorum, vel Archiepiſcopalem etiam creandorum Epiſcoporum poteſtatem ab Apoſtolico accipiunt, ſed incertis interea vagantur ſedibus, & ad verum ſummumque animarum Paſtorem Chriſtum Jeſum, quotquot & undique poſſunt, oves congregant. Et hi quidem præciſè ac ſimpliciter Epiſcopi, vel generatim ejus regionis, in qua laborant, gregemque Domini conquirunt, Epiſcopi & Archiepiſcopi nuncupantur. Ita Serarius. Poſterioris generis Epiſcopum fuiſſe Sanctum Bonifacium ex duobus ejus Vitæ Auctoribus patet. Bonifacium variis literis commendatitiis ad Carolum Ducem & Majorem domûs Regiæ Francorum, ad Epiſcopos & alios omnium ordinum tum Clericos, tum laicos, ad Clerum, Optimates, & omnem populum Thuringorum & Saxonum munitum remiſit Gregorius, ut cœptum Apoſtolatûs officium obire pergeret.

XV. *Mandata quæ ipſi dedit unde deſumpta.*

Ex Epiſtola autem ejuſdem Gregorii ad Clerum & plebem, quam cum aliis quinque refert Othlonus lib. 1, conſtat Pontificem Bonifacio in mandatis dediſſe, ne ordinationes præſumeret illicitas; ne bigamum, aut qui virginem uxorem non duxiſſet, illiteratum, quavis parte corporis vitiatum, pœnitentiæ publicæ olim ſubditum, curialem, aut cuilibet conditioni obnoxium, aut aliquâ infamiæ notâ inuſtum, ad ſacros Ordines admitteret: ne Afris paſſim manus imponeret: ut ordinationes extra ſabbatum Quatuor Temporum non celebraret: ut baptiſma extra Paſcha & Pentecoſten, niſi in vitæ diſcrimine poſitis non conferret: ut Eccleſiæ miniſteria, ornamenta, patrimonia ſtuderet augere, nuſquam imminueret: ut quatuor in portiones Eccleſiaſticos redditus, & oblationes diſtribueret. Mandata illa videntur deſumpta ex Epiſtola 9 Gelaſii Papæ primi *ad Epiſcopos per Lucaniam & Bruttios & Siciliam conſtitutos* directa anno 494, de qua ibidem egimus, ut de ſingulis anno 723 num. 17 & ſeq. oſtendit Cointius in Annal. Eccleſ. Francorum. Gregorius tamen de cavendis illicitis ordinationibus ſermonem habens meminit Afrorum, de quibus ſilet Gelaſius, & hanc rationem reddit Gregorius, quòd *aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati ſæpiùs ſunt probati*. Saraceni priuſquam in Hiſpaniam tranſirent, Africam occuparunt, & extorres Africani ſeſe in Europam infundentes, victum ex ordinibus Eccleſiaſticis cœperunt quærere. Verùm quia plerique eorum agniti ſunt, vel Manichæi, vel Donatiſtæ, „ *univerſali lege*, ut Baronius eodem anno 723 ſcribit, ſancitum eſt, ne Afcicanus aliquo modo à quopiam Epiſcoporum ordinaretur. Neque dubium, quin Gregorius per Afros deſignet Dona-

tiſtas,

tiſtas, quia in magno numero fuerunt in Africa, & pertinaciter Anabaptiſmum defenderunt.

XVI. *Gregorius de variis quæſtionibus à Bonifacio conſulitur.*

Anno ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto Gregorius à Bonifacio variis de capitibus conſultus, reſpondit ad ſingula, Epiſtolâ quæ incipit: *Deſiderabilem mihi*, quæ dicitur *data* 10 *Kalendas Decemb. imperante piiſſimo Domino Auguſto Leone à Deo coronato magno Imperatore, anno* 10 *imperii ejus: ſed & Conſtantino magno Imperatore, regni ejus anno* 7, *indictione* 10, ex qua indictione currente menſe Novembri anni 726, juncta cum anno 10 Leonis Imp. apparet initium Imperii Leonis anno 717 rectè fuiſſe affixum. Multis ſæculis hæc Eccleſiæ Monaſteriorumque praxis viguit, ut pueri, ſeu infantes à parentibus oblati perpetuo adſtringerentur Monachatui, nec eis liceret hunc vitæ ſtatum ante, vel poſt pubertatis annos repudiare. Cujus praxis exempla non pauca apud Francos cis & ultra Rhenum extant. De hac praxi Gregorius à Bonifacio conſultus reſpondit in hæc verba: *Addidiſti etiam* (nempe in ſeptima conſultatione) *quòd ſi pater vel mater, filium vel filiam intra ſepta monaſterii in infantiæ annis ſub regulari tradiderint diſciplina; utrum liceat eis, poſtquam pubertatis impleverint annos, egredi & matrimonio copulari. Hoc omninò devitamus, quia nefas eſt, ut oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur.* Quod in ſecundo reſponſo permittit Gregorius, ut ſi mulier infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere, vir ſi non poſſit continere, nubat, hoc ſic accipiendum eſt, ut intelligatur de impedimento perenni, quod neſciebatur quando contraxit. Gregorii reſponſa ad alias Bonifacii conſultationes refert Natalis Alexander Sæculo VIII. Hanc Epiſtolam Gregorio III perperàm adſcripſit Gratianus. Reliqua Sancti Bonifacii Apoſtolatum reſpicientia in Gregorio III, & Zacharia examinabuntur.

XVII. *Synodum Romæ celebrat.*

Sed ut ad cetera Gregorii II geſta redeam. Hic anno ſeptingenteſimo viceſimo primo, indictione quarta, Nonis Aprilis Synodum Romæ apud Sanctum Petrum celebravit, cui interfuerunt Epiſcopi viginti duo; in qua editum eſt Conſtitutum ſive Decretum, adversùs illicita ob cognationem ſpiritualem, vel carnalem conjugia, & maximè adversùs eos, qui in uxores ducerent Monachas, ſeu etiam Preſbyteras & Diaconas; eas videlicet mulieres, quæ ex mutuo conſenſu à viris ad ejuſmodi ſacros Ordines promotis relinquebantur, quæ & ipſæ tenebantur caſtitatem ſervare. Hæ diverſæ erant à Monialibus, quæ virgines erant & perpetuam virginitatem Deo profitendo vovebant. Non ſolùm autem illos Anathemate ferit Synodus; ſed etiam illos, qui commatrem ſpiritualem, fratris uxorem, novercam, aut nurum, neptem, conſobrinam, cognatam, vel affinem uxorem duxerint. Anathema etiam ea in Synodo latum eſt in viduarum, virginumque raptores: in eos inſuper qui ariolos, aruſpices, incantatores conſuluerint aut philacteriis uſi fuerint. Excommunicatione pariter plectendos viſum & Clericos, qui comam laxarent, & à militia Clericali deficerent. Hanc porrò Synodum anno 721 celebratam demonſtrant indictio quarta in ea memorata, aliique characteres in ea expreſſi.

XVIII. *Eudoni Aquitaniæ duci ſpongiam pro benedictione exercitui mittit.*

Ex verbis Anaſtaſii in Vita Gregorii, aſſerentis Saracenos cum Eudone Aquitaniæ Duce pugnaſſe, & ex iis quæ Paulus Diaconus lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 46 de ingreſſu Saracenorum in Aquitaniam ſcribit, inter ſe collatis, Auctor Criticæ Baronii rectè deducit, prælium illud habitum eſſe anno ſeptingenteſimo viceſimo quinto, victoriamque reportatam fuiſſe ab Eudone ope ſpongiæ ſibi à Gregorio II miſſæ: *Adjiciens*, inquit Anaſtaſius de Eudonis Epiſtola ad Pontificem ſcripta loquens, *quòd anno præmiſſo in benedictionem à prædicto Viro eis directis tribus ſpongiis, quibus ad uſum menſæ Pontificis apponuntur, in hora qua bellum committebatur, idem Eudo Aquitaniæ Princeps populo ſuo per modicas partes tribuens ad ſumendum eis nec unus vulneratus eſt, nec mortuus ex his qui participati ſunt*, ubi loquitur Anaſtaſius de ſpongia, quâ menſa Pontificis tergebatur, Eudoni tranſmiſſa, & pro benedictione exercitûs diſtributa. De ea victoria ope ſpongiæ relata loquitur etiam Frodoardus lib. de Pontificibus Romanis in Gregorio II.

*Externos etiam benedictio lata * triumphos*
Concelebrat Papæ victores ſpongia Francos,
Dum reddens Agarenorum tutatur ab armis
Participes ferri, neque læſos vulnere tantum
Proſtratis tali vacuis pro tegmine paucis.

* *collata*

Quæ Frodoardi verba manifeſtè evincunt hoc prælium inter Agarenos ſeu Saracenos & Francos habitum ſub Gregorio II, diverſum eſſe ab eo, quod anno 732 ſub Gregorio III commiſſum eſt. De ſpongiis legendi Theſaurus linguæ Latinæ, & Calepinus in voce *ſpongia*, ubi invenies Antiquos ſpongias in deliciis habuiſſe, ſtrigilum vice, linteorumque illis utentes ad diſtringenda & emundanda corpora. Martialis lib. 14, 149, aſſerit morem fuiſſe iis menſas tergere: *Hæc tibi forte datur tergendis ſpongia menſis.*

XIX. *Caroli Martelli auxilium contra Longobardos implorat.*

Circa idem tempus Gregorius II à Longobardis vexatus, Caroli Martelli Majoris domûs Franciæ auxilim per literas imploravit; quod unus nos edocet Anaſtaſius in Vita

Digitized by Google

Vita Stephani II Papæ, ubi ait, hunc Pontificem, cùm nihil opis ab Imperatore elicere poſſet adversùs Aiſtulphum Longobardorum Regem, exemplo Gregorii II, Gregorii III, ac Zachariæ prædeceſſorum ſuorum, qui Caroli Martelli opem oraverant, à Pippino Rege per literas auxilium poſtulaſſe: *Et dum ab eo* (ſcilicet Aiſtulpho) *nihil hac de re obtineret* (nempe Stephanus II) *cernens præſertim & ab Imperiali potentia nullum eſſe ſubveniendi auxilium, tunc quemadmodum prædeceſſores ejus beatæ memoriæ Domnus Gregorius & Gregorius alius & Domnus Zacharias beatiſſimi Pontifices Carolo excellentiſſimæ memoriæ, Regi* (ideſt Principi) *Francorum direxerunt, petentes ſibi ſubveniri propter oppreſſiones, ac invaſiones, quas & ipſi in hac Romanorum provincia à nefanda Longobardorum gente perpeſſi ſunt. Ita modò & ipſe venerabilis pater*, &c. Quę Anaſtaſii verba Gregorium clàm ſaltem, ideſt per literas privatas, ad Carolum Martellum confugiſse nos dubitare non ſinunt.

XX. *Ina Saxonum Occidentalium Rex regnum ſuum Eccleſiæ Rom. vectigale facit.*

Hoc etiam circiter tempore, ideſt anno ſeptingenteſimo viceſimo quinto Ina Occidentalium Saxonum Rex, *cùm triginta et ſeptem annis imperium tenuiſset gentis illius*, relicto regno, *ad limina beatorum Apoſtolorum, Gregorio Pontificatum tenente, profectus eſt*, inquit Beda lib. 5 cap. 7. Regnum inierat Ina anno ſexcenteſimo octogeſimo octavo, ut in Sergio diximus; illud itaque anno circiter 725 abdicavit, Ethelburga Regina virum ad Monaſticam vitam incitante, quæ & ipſa idem vitæ genus amplexa eſt. Antequam Ina regnum deponeret, illud Romano Pontifici vectigale fecit, *ſingulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in ſingulas domos impoſitis*, inquit Polydorus Virgilius lib. 5 de eodem Ina. Ranulphus Ceſtrenſis lib. 5 cap. 24 ſcribit: *Qui primus omnium Regum denarium ex ſingulis domibus Regni ſui B. Petro fertur conceſſiſſe, quod diù ab Anglis Romeſcot, latinè verò Denarius Petri vocabatur.* Polydorus quidem Virgilius aſſerit Inam anno tantùm circiter ſeptingenteſimo quadrageſimo regnum ſuum Romano Pontifici vectigale feciſse; ſed ex dictis id ſubſiſtere non poteſt; eo enim anno Ina vel jam obierat, vel in monaſterio vitam ducebat.

XXI. *Scholam Anglorum Romæ fundat.*

Ina Romæ exiſtens à Gregorio II obtinuit, ut ſibi liceret habere domum, Scholam Anglorum appellatam, *ad quam Reges Angliæ, & genus Regium*, ut ſcribit Matthæus Weſtmonaſterienſis, *cum Epiſcopis, Presbyteris & Clericis in doctrina & fide Catholica erudiendi venirent, ne quid in Eccleſia Anglicana ſiniſtrum, aut veritati Catholicæ contrarium doceretur, & ſic in fide ſtabili roborati ad propria remearent. Fecit præterea juxta domum præfatam, Eccleſiam in honorem Beatæ Mariæ Virginis fabricari, in qua Anglis Romam advenientibus divina celebrarentur myſteria, & in qua poſſent, ſi quem ex Anglis Romæ mori contingeret, ſepeliri; & hæc omnia ut perpetuæ firmitatis robur obtinerent, ſtatutum eſt generali decreto per totum regnum Occidentalium Saxonum, in quo prædictus Ina regnabat, ut ſingulis annis de ſingulis familiis Denarius unus B. Petro, & Eccleſiæ Romanæ mitteretur, ut Angli ibidem commorantes vitale ſubſidium inde haberent.* Scholam hanc auxit poſtea Offa Merciorum Rex ſub hujus ſæculi finem, qui & ipſe eumdem S. Petri denarium regno ſuo impoſuit. Sed hæc Schola poſtea verſa eſt in Xenodochium, quod Sancti Spiritûs dicitur, quove nullum illuſtrius Europa habet, ut videbitur in Hadriani primi Pontificatu.

Initium hæreſis Iconoclaſtarum.

XXII. *Uſus Imaginum in veteri Eccleſia parum frequens.*

PRimis ab ortu Chriſtianæ Religionis temporibus, cùm adhuc gentilis in eam exardeſceret furor, & in hominum mentibus lateret adhuc idolorum ſuperſtitio, non tam frequentem fuiſſe ſacrarum uſum Imaginum, ut neque Templorum atque Baſilicarum, obſervat Dionyſius Petavius lib. 15 Theologic. Dogmatum de Incarnatione cap. 13. Cùm enim Imagines ex eorum genere, ſint, quæ ad ſalutem omnino neceſſaria non ſunt, nec ad ſubſtantiam ipſam Religionis attinent, in poteſtate Eccleſiæ eſt, ut ea vel adhibeat, vel ableget, pro eo atque ſatius eſſe decreverit, cujuſmodi *poſitivi* vulgò *juris* eſse dicuntur. Ex eo nata eſt illa infidelium exprobratio, quæ apud Minucium Felicem his verbis exprimitur pag. 25: *Cur nullas aras habent, Templa nulla, nulla nota ſimulacra?* Cui Octavius pag. 95 reſpondens: *Putatis autem nos*, inquit, *occultare quod colimus, ſi delubra & aras non habemus? Quod enim ſimulacrum Deo fingam, cum ſi rectè æſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimulacrum? Templum quod & extruam, cùm totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non poſſit: & cùm homo latiùs maneam, intra unam ędiculam vim tantę majeſtatis includam? Nonne melius in noſtra dedicandus eſt mente, in noſtro imo conſecrandus eſt pectore?* Ergo neque Templa tunc extrui Deo fas eſſe quidam opinati ſunt; quod nondum in Chriſtiano populo inſtitutum erat; necdum per rerum potientes Ethnicos licebat, nefas, & illicitum rati: & de ſacris Imaginibus, atque ab Idolis multùm diſcrepantibus non diſparem plerique ſententiam habuiſſe videntur. Quod utrumque paulatim dedo-

cti

Digitized by Google

doſti ſunt Chriſtiani, poſtquam uſu & ratione magiſtra compererunt, neutrum damnandum eſſe, ſed ad pietatem prodeſſe poſſe.

XXIII. *Ceſſante periculo idololatriæ frequentius uſurpatus.*

Quamobrem uti Baſilicas, ſive, ut appellari tandem ceperunt, Eccleſias & Altaria in Dei honorem ac cultum extruere non dubitarunt, & quidem magnificè, ac ſumptuosè, pace ac libertate reddita, nec priſtino illo uſu & antiquo more, ac magnorum etiam virorum auctoritate deterriti ſunt, quominus ita facerent; ſic Imagines Chriſti atque Sanctorum, quarum nondum hactenus percrebuerat uſus, eodem tempore uſurpavit Eccleſia; cùm jam nullum idololatriæ periculum eſset, & ad propagandam Chriſti, ac Martyrum cæterorum memoriam, & animandos ad pietatis conſtantiam, illorum exemplo, fideles, utile id eſse videretur. Atque hoc neutiquam omnibus in locis, eodem inſtituto ac tempore conſtat eſſe factum: ſed alibi citiùs, alibi tardiùs, prout nationum captus & indoles erat; & qui illis præerant expedire judicabant. Quod eò diligentiùs obſervandum, quòd ad pleraque valet interpretanda memoriæ veteris exempla & teſtimonia, quibus ad oppugnandum Eccleſiæ ritum abutuntur Proteſtantes; nimiùmque commoventur interdum repugnantes illis Catholici Theologi; cùm ſic ubi conſtet Imagines repudiatas & damnatas ab Orthodoxis fuiſſe, pro locorum ac temporum ratione iſtud commodè explicari debeat. Quare in controverſia de Imaginibus, citerioris Eccleſiæ potius exemplorum & inſtitutorum, quàm antiquioris duci rationem oportet. Cùm enim plenis adhuc velis Gentilium ſuperſtitio ferretur, multa primis illis Eccleſię ſęculis vel non inutilia per ſeſe, vel etiam commoda ſupprimi, omittique ſatius viſum eſt, dum periculum erat, ne offenſionis aliquid traheret externa quorundam rituum ſpecies, cum iis, quæ ab Ethnicis celebrabantur, ſimilitudine ipſa congruens, velut ne Imagines Chriſti atque Sanctorum, pro idolis, quibus erant aſſuefacti, à rudibus & imperitis haberentur, & ut eorum animus ab inanium ſimulacrorum conſuetudine ac memoria longiùs avocaretur. Credibile itaque eſt, parum à Chriſtianis uſurpatas fuiſſe primis ferè quatuor ſæculis; per quæ nefanda Dæmonum in idolis religio, & Chriſtiani nominis crudeliſſima vexatio curſum ſuum tenuit. Quinto demùm ſæculo, poſtquam adepta libertate lacertos quodammodo ſuos explicare cæpit Eccleſia, pleriſque locis Imagines palam haberi cœptæ, atque in Templis & Oratoriis propoſitæ ſunt; cùm hactenus, etſi in uſu eſſent aliquo, non tamen promiſcuè ac frequenter adhiberentur. Hæc & plura alia Petavius citatus de uſu Imaginum in veteri Eccleſia. Hunc uſum, cultumque Imaginum Chriſti ac Sanctorum non ſolùm cum lege Dei non pugnare, ſed religioni conſentaneum eſse, & Fidelium pietati excitandæ utilem, pluribus demonſtrat Natalis Alexander Sæculo 8 Diſſert. 6.

SÆC. VIII. S. GREGORIUS II.

XXIV. *Iconoclaſtarum hæreſis à quibus & quando exorta.*

Quo eodem ſęculo octavo ineunte exortum eſt in Oriente monſtrum horrendum, hoc eſt hæreſis Iconoclaſtarum, quæ venerandis Imaginibus bellum indixit. Ejus fuiſse præcurſores Gentiles, Judæos, Marcionitas, Manichæos, Theopaſchitas teſtatur Septima Synodus Actionibus prima & quinta. A' Judæis bellum tam impium inſtauratum eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, quo, jubente Jezido Arabum Calipha, è Chriſtianorum Templis, totius Regni ſui finibus, Chriſti & Sanctorum Imagines deturbarunt, ut eo anno refert Baronius ex Theophane, & ex Relatione Joannis Monachi, Vicarii Orientalium Epiſcorum ex eadem Septima Synodo Actione quinta, ex cujus Actione quarta conſtat, eam impietatem ab Hebræis ad Chriſtianos derivatam eſse, auctore Conſtantino Nacoliæ in Phrygia Salutari Epiſcopo, qui à ſuis Diœceſanis expulſus, in Imperatoris Leonis Iſauri aulam irrepſit, eumque in ſanctas Imagines accendit. Sed & Judæi, quibus Leo Iſaurus jurejurando ſe obſtrinſerat, conceſsurum ſe illis quidquid poſtulaſsent, cùm ad Imperium evectus eſſet, quod ipſi fuerant vaticinati, ipſum impulere, ut ſanctas Imagines, ac earum cultum, quaſi idololatriæ reliquias aboleret, ut teſtantur Cedrenus, Zonaras & Conſtantinus Manaſses Græci Hiſtorici.

XXV. *Leo Imp. ſacris Imaginibus bellum indicit.*

Sicuti ergo aliàs Imperatores Ethnici annis Decennalibus ſuis dicatis, adversùs Chriſtianos Edicta promulgabant; ſic Leo Iſaurus *decimum ſuæ tyrannidis annum*, ut loquitur Zonaras auſpicatus, ideoque annò Chriſti vigeſimo ſexto ſupra ſeptingenteſimum, adversùs Orrhodoxos perſecutionem excitavit, & bellum ſacris Imaginibus indixit. *Poſt decimum ſui Imperii annum* (ideſt jnchoatum, inquit Stephanus Diaconus Eccleſię Cpolitanæ in Vita S. Stephani Junioris Monachi & Martyris, quam ſcripſit anno circiter 808, quamque Græcè & Latinè publicavit Tomo I Analectorum Græcorum Jacobus Loppinus Monachus Benedictinus) *novus ille Baltaſſar* (Leo Iſaurus Imp.) *Manichæam hæreſim & Æphthartodocitarum, ut ita loquar, forte haud diſſimilem in Eccleſiam ſpiravit. Itaque ſubjecta ſibi plebe convocata coram omnibus leoninum rugiens inhumana hæc bellua, & Leonis nominis inſignis, ex iracundo corde, velut ex Ætna monte ignem & ſulphur miſerandam illam vocem eructavit, & protulit: Quandoquidem Imaginum fabricatio ars eſt idolica, illas adorare non oportet.* Id autem ac-

cidiſſe anno decimo Leonis tantùm inchoato, ut ſcribit Zonaras, non tranſacto, ut inſinuare videtur Stephanus Diaconus; patet etiam ex Auctore Anonymo à Combefiſio inter Scriptores Hiſtoriæ Byzantinæ, qui poſt Theophanem ſcripſere, publicato, in Invectiva edita *ad confutationem eorum, qui ſanæ fidei, Sanctorumque ac Orthodoxorum Patrum doctrinæ adverſantur*, in qua teſtatur Leonem veritati obſiſtere cœpiſſe *indictione nona*, quæ anno 726 uſque ad Kalendas Septembris concurrit cum ejus Imperii anno decimo. Hic autem Anonymus vivebat anno 770.

XXVI. *Sibi timens eas per dolum abolere tentat.*

Eam hæreſim ipſo ejus initio fuiſſe acerbiſſimam obſervat Theoſterictus Monachus & diſcipulus ſancti Nicetæ Hegumeni Medicienſis in Bithynia ſacrarum Imaginum defenſione clariſſimi, anno 824 in exilio mortui. Scripſit ille hujus Sancti vitam intra quinque priores annos ab ejus morte, recitatam à Bollando ad diem 3 Aprilis, in eaque ait: *Sed & hoc modo conſidera, alias quidem hæreſes ab Epiſcopis inferioribuſque Presbyteris ortum habuiſſe, hanc verò ab ipſis proceſſiſſe Imperatoribus (noſti autem quantum Reges inter & Sacerdotes interſit;) & illas quidem docendo & contradicendo coaluiſſe, paulatimque invaluiſſe; hanc verò ab Imperatoria poteſtate fuiſſe ab initio valentiſſimam*. Ingens tamen tumultus excitatus eſt à plebe ſtatim ac prodiit decretum Leonis Imperatoris de abolendis Imaginibus. Unde ſibi metuens Imperator ſacrilegum conſilium diſſimulavit. *Non huc*, inquit, *ſpectat mea ſententia, ut ea prorſus deleantur, ſed hoc ajo ſublimiore loco eas locandas eſſe, ne ore quiſquam eas contingat, atque ita quodammodo rebus honore dignis contumeliam inferat.* His artibus omnem imaginum venerationem abolere meditabatur.

XXVII. *Furit adverſus Gregorium PP.*

Eodem anno ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto Leonem Auguſtum ad Gregorium Papam ſcripſiſſe, ut ſi Imperialem gratiam habere vellet, Sanctorum Imagines deponeret; & viciſſim Gregorium II ad Imperatorem reſcripſiſſe, teſtantur Paulus Diaconus lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 49, Anaſtaſius, & Theophanes. Sed eæ Epiſtolæ periere. Poſtea cùm Imperator nihil à Gregorio obtinere poſſet, ſæpius per ſuos Exarchos, Duces, alioſque miniſtros inſidiatus vitæ hujus Sancti Pontificis; ſed pro illius defenſione Romani & Longobardi piè fœderati ipſum conjunctis viribus, ab eorum dolis & inſultibus incolumem ſervavere. *Unà ſe quaſi fratres catenâ fidei conſtrinxerunt Romani atque Longobardi, deſiderantes cuncti mortem pro defenſione Pontificis ſuſtinere glorioſam, nunquam illum paſſuri perferre moleſtiam, pro fide verâ & Chriſtianorum certantes ſalute*, inquit Anaſtaſius. Pontifex verò, ut idem Auctor ſubdit, *gratias voluntati populi referens pro mentis propoſito, blando omnes ſermone, ut bonis in Deum proficerent actibus, & fide perſiſterent, rogabat; & ne deſiſterent ab amore & fide Romani Imperii admonebat*. Imperator infenſus erat Gregorio II, non ſolùm ob novas opiniones, quas hic rejiciebat; ſed etiam quòd novum cenſum agi in Romana provincia non pateretur, indeque eum per Marinum Spatharium Ducem Romanorum, deinde verò per Paulum Patricium & Exarchum interfici curavit: *Paulus verò Exarchus*, inquit Anaſtaſius, *Imperatoris juſſione, eumdem Pontificem conabatur interficere, eò quòd cenſum in provincia ponere præpediebat*. Erat cenſus ille capitatio ei ſimilis, quam Siciliæ & Calabriæ indixit, de qua loquitur Theophanes.

XXVIII. *S. Germanus Epiſc. CP. Leonem ab impietate revocare tentat.*

Leonis Iſauri impietati, quâ potuit conſtantiâ, obſtitit ſanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Ipſi per quemdam ex præcipuis Eccleſiæ Miniſtris ſignificavit ab initio poſt Chriſti in Cœlos aſſumptionem Imagines expreſſas eſſe, ſe pro illis libentiſſimè moriturum; & qui Chriſti Imaginem ignominiâ afficit, in illum, quem ea exhibet, injuriam rejicere. Ipſi itaque traditionem & uſum ſanctæ Eccleſiæ objecit, honorariam Imaginum venerationem à Conciliis probatam; ſolemnia, quæ emiſerat, promiſſa de non convellendis Eccleſiæ ritibus, cùm Imperator inauguratus eſt, revocavit in memoriam; ipſum per ſacra omnia exoravit, ne ipſo imperante, ſacrarum Imaginum fieret everſio: Antichriſti præcurſorem fore adjiciens, qui facinus iſtud perpetraret. Tandem nullum non movit lapidem, ut illum à concepta revocaret impietate. Hæc conſtant ex alia ejuſdem S. Stephani Junioris Monachi & Martyris Vita, quæ à Baronio, aliiſque perperàm tribuitur Sancto Joanni Damaſceno, quòd Joannes Billius eam hujus Sancti operibus ſubjunxerit, cùm tamen hæc genuinus ſit fœtus Metaphraſtes, ut docet Allatius in Diatriba de Simeonibus pag. 126.

XXIX. *Patriarchatum abdicat & ejicitur à Patriarchio.*

Sed nihil promovit ſanctus Patriarcha; quin imò anno ſeptingenteſimo trigeſimo, *die ſeptimâ menſis Januarii, indictione decima tertia, feriâ hebdomadis tertiâ, irreligioſus Leo*, inquit Theophanes ad eum Chriſti annum, *Silentium* [ideſt Conventum Optimatum tractandis Imperii negotiis Imperatoris mandato coactum] *contra ſanctas venerandaſque Imagines in Novemdecim Accubitorum Tribunalio celebravit, Germano ſanctiſſimo Patriarcha advocato, cui perſuadendum arbitrabatur, ut ſuo de abolendis ſacris Imaginibus decreto, tandem ſubſcriberet. At fortis Chriſti ſervus abominando Leonis conſilio nequaquam cedens, imò veritatis verbum recto ſenſu diſtribuens, Epiſcopatu ſeſe abdicavit*. Tum Imperator Satrapas in Patriarchicam domum miſit: *qui-*

Digitized by Google

bus præcepit, ut cum pugnis & conviciis ſanctum Virum inde deturbarent, inquit Stephanus Diaconus in laudata Sancti Stephani Junioris Vita. Germanus Platanium in Domum gentilitiam ſeceſsit, vitam privatam acturus, ſed paulò poſt è domo ſua in monaſterium longè diſsitum, Leone jubente, deportatus eſt, ac ſtrangulatus prope centenarius, ſubdit Stephanus Diaconus.

XXX. *Ei impius Anaſtaſius ſubſtituitur.*

Eo autem ejecto & Monaſticæ vitæ participe facto, videre erat univerſam civitatem melliflua Patris doctrina orbatam, fletum & gemitum non parvum edere; ita ut dies illa, non dies, ſed tenebræ, & fletus ſuper fletum, & væ ſuper væ eſſet, ut loquitur Propheta. Iiſdem miſeris diebus impius Anaſtaſius (ipſius ſancti Germani diſcipulus & conſacellaneus) *impietatis manu Pontificatum occupavit* [ordinatus, ut ſcribunt, Anaſtaſius & Auctor Miſcellæ die viceſima ſecunda ejuſdem menſis Januarii] *vi militum non ſuffragio divinæ pietatis; qui quidem omnia ad Eccleſiam pertinentia Imperatoris ædibus tradidit*. Annum tum agebat nonageſimum quintum ſanctus Germanus, ut legitur in Epiſtola Gregorii Papæ ad Leonem eodem anno ſcripta. Varia ſcripſit Opera, quorum pleraque adhuc inedita ſunt. Colitur in Menæis Græcorum die 12 menſis Maii.

XXXI. *Leo Imp. Imaginem Chriſti deiici jubet.*

Tum Tyrannus, proſequitur idem Auctor, *libera poteſtate prodendæ hæreſis accepta, illicò ſanctam & Dominicam Chriſti Dei noſtri Imaginem, quæ ſuper Imperatoria atria collocata, ob effigiem Sancta Ænea dicebatur, dejicere & igni tradere tentavit, quod quidem peregit. Interim verò dum tollebatur, divino zelo roboratæ honorabiles mulieres fortiter irruerunt, arreptaque ſcala, Spatharium, qui imaginem amovebat, in terram projecerunt, diſtractumque morti dederunt. Poſt hæc ad Patriarchicam domum ſtatim properantes, impium Anaſtaſium lapidibus petunt, ajentes*: Impuriſſimum caput, & veritatis hoſtis, ergone, idcirco Sacerdotium invaſiſti, ut ſancta & ſacra anathemata, ſive donaria everterentur? *Hanc de ſe victoriam non ferens prophanus, à conſpectu piarum mulierum aufugit, & ad tyrannum confugiens, ei auctor fuit, ut ſanctas illas mulieres ferro interimeret. Quod quidem factum eſt, illæque pro Chriſti Imagine inito certamine, victoriæ præmium ab ipſo Chriſto receperunt, cum omnibus Sanctis victricibus in regno Cœlorum lætantes*. Harum piarum mulierum, virorumque martyrium memoratur in Menæis ad diem 9 menſis Auguſti.

XXXII. *Hæc ſacra Imago diverſimodè appellata.*

Servabatur Imago illa in ęde Deiparæ ſacra Chalcopratiana appellata, ab Urbis tractu, in quo condita fuit; inde modò dicitur Calcopratiana, modò Ærera, aut Ænea, & modò Antiphonetes, velut dicas *ſponſor ac fidejubens*. Combefiſius in Hiſtoria Hæreſis Monothelitarum pag. 613 publicavit piam narrationem *de Dominica Imagine in Chalcoprateis*, in qua origo religionis erga iſtam imaginem explicatur, & cur dicatur *Antiphonetes* aperitur. Suſpicatur ibidem Combefiſius, mulieribus conceſſum eſſe, ut in Sancta Sanctorum ac locum Altaris ingredi poſſint in Eccleſia, cùm in Eccleſiis aliis per Orientem ſoli ingrederentur miniſtri, ac Imperator cùm erat facturus oblationem, vel etiam Monachi cùm Deo conſecrabantur; ſuſpicatur, inquam, ſibi pias fœminas ſub Leone ingreſſum arrogaſse, ut ejus ſacrilegum miniſtrum ab impio conatu deterrerent, ita ſapienter judicantes, non eſſe velut pro religione ſervandum, quòd in caſu militaret contra religionem. Quare in prḙmium illius zeli liber fuit ingreſſus loci Altaris illius Eccleſiæ mulieribus, quia ipſḙ prḙiverant tanto facinori, ac ſcalam detraxerant.

XXXIII. *Provinciæ Italiæ ab Imperatore deficiunt.*

Interea Leo Imperator miſſo Edicto, quo Imagines dejici præcipiebat, Gregorio II gratiam ſuam pollicetur, ſi nefariḙ definitioni ſubſcriberet, alioquin ſuo gradu quantociùs pellendum minatur. Gregorius ſtatim ſe adversùs *hoſtilem* Principis animum parat, monetque Pentapoleos & Venetiarum exercitus, ut ab ea impietate ſibi caveant: *Igitur permoti*, inquit Anaſtaſius, *Pentapolenſium & Venetiarum exercitus juſſioni Imperatoriæ reſtiterunt, & nunquam ſe ejus Pontificis condeſcendere neci dicebant; ſed quòd pro ejus magis defenſione viriliter decertarent*. Omnium mentes ad Pontificem tuendum inclinatḙ, ab Exarchi obſequio deſciſcunt, & delectu ſuo quiſque ſibi Duces præficiunt, ut teſtatur idem Anaſtaſius: *Anathemati Paulum Exarchum, vel qui eum direxerant, ejuſque conſentaneos ſubmittunt, ſpernentes ordinationem ejus, ſibi omnes ubique in Italia Duces elegerunt, atque ſic de Pontificis, deque ſua immunitate cuncti ſtudebant*. Ex eo tempore Ducem Romana provincia, quemadmodum & ceteræ, ſuo arbitratu, ideſt Procerum delectu, habuit, qui eodem jure uteretur in adminiſtranda Republica, quo Duces ab Imperatore miſſi. Voluerunt Itali in apertam defectionem erumpere, & novum Principem creare: ſed Pontifex interceſſit, & hortatu Luitprandi Longobardorum Regis in amicitiam rediit cum Eutychio Exarcho, eique ſuam auctoritatem, teſte Anaſtaſio, reſtituit in civitate Romana: *Cognitâ*, inquit, *Imperatoris nequitiâ, omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi eligeret Imperatorem, & Conſtantinopolim duceret. Sed compeſcuit tale conſilium Pontifex ſperans converſionem Principis*. Et infrà: *Ne deſiſterent ab amore vel fide Romani Imperii admonebat*. Ex quibus liquet Theophanem, eumque ſecutos Zonaram & Cedrenum Auctores Græcos, de rebus in Occidente geſtis plerumque pa-

Digitized by Google

SÆC. VIII. S. GREGORIUS II.

rùm edoctos, perperàm ſcripſiſſe Gregorium Papam Romam atque Italiam, ceteraſque Occidentis provincias ab obedientia, Imperioque Leonis abduxiſſe, cùm præter ea, quæ ex Anaſtaſio retulimus, Paulus Diaconus lib. 6 de Geſtis Longobard. cap. 49 etiam ſcribat, eum populos in officio & in fide Imperio debita continuiſſe, qua de re mox.

XXXIV. *Gregorius PP. duas Epiſtolas dogmaticas ad Leonem Imp. ſcribit.*

Eodem anno ſeptingenteſimo trigeſimo Gregorius de hæreſi Leonis à ſancto Germano Patriarcha certior factus, cui reſpondit Epiſtolâ insertâ Actioni quartæ Septimę Synodi, & acceptis literis ipſius Leonis, duas Epiſtolas dogmaticas, Summo Pontifice dignas ad ipſum ſcripſit, de quibus loquitur Theophanes ſcribens, Gregorium *eumdem Leonem per Epiſtolas, quæ multis ſunt notæ manifeſtè* redarguiſſe. Eas Epiſtolas recitat Baronius anno 726, quo ſcriptas credit, ſed, ex mox dicendis, claré conſtabit eas anno 730 datas eſse. Cùm enim videret Leo jam Romanos, Campanos, Ravennates & Pentapolitanos à ſe defecisſe, & de Imperio ſibi abrogando agi, rursùs ad eumdem Pontificem ſcripſit, petiitque Concilium generale indici. Gregorius omne cum eo literarum commercium diſsolverat, quòd eum vitâ exuere tentaſset. Reſpondit tamen ejus literis, illumque irriſit, quòd ei inſolenter inſultaret & minas intentaret. *Scripſiſti*, inquit Gregorius in priori ſua Epiſtola, *ut Concilium univerſale cogeretur; & nobis inutilis ea res viſa eſt. Tu perſecutor es Imaginum, & hoſtis contumelioſus, & everſor. Ceſsa, & nobis hoc largire, ut taceas; tum mundus pace perfruetur, & ſcandala ceſsabunt.... Non animadvertis hunc tuum conatum, quo adverſus Imagines inſurrexiſti, facinus eſse turbulentum, & inſolens, & ſuperbum? Cùm Eccleſiæ Dei alta pace fruerentur, tu pugnas, & odia & ſcandala ſuſcitaſti. Ceſsa & quieſce, tum Synodo minimè opus erit. Scribe ad omnes & in quaſcumque regionis orbis terrarum, quibus offendiculo fuiſti, Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Gregorium Papam Romanum circa Imagines peccaſſe; & nos ab hac cauſa quietum te præſtabimus, ne peccatum aut lapſus ullus ſit tuus, utpote qui à Deo poteſtatem & cæleſtia & terrena ſolvendi accepérimus.* His præmiſerat Pontificiæ & Regię poteſtati pręſcriptos fines: *Scis*, inquit, *Imperator! Sanctæ Eccleſiæ dogmata non Imperatorum eſse, ſed Pontificum, qui tutò aſsolent dogmata tradere. Idcirco Eccleſiis præpoſiti ſunt Pontifices à Reipublicę negotiis abſtinentes, & Imperatores ergo ſimiliter ab Eccleſiaſticis abſtineant, & quæ ſibi commiſsa ſunt capeſsant.*

XXXV. *Illarum Epiſtolarum epocha.*

Illas porrò Gregorii ad Leonem Epiſtolas dogmaticas anno 730 datas eſſe conſtat; in priori enim ait: *Tu Eccleſias Dei denudaſti; quas ſancti Patres conveſtierant & ornarant, tu ſpoliaſti atque denudaſti; tametſi talem habebas Pontificem, Dominum, inquam, Germanum fratrem noſtrum & Comminiſtrum. Hujus debebas tanquam Patris ac Doctoris & tanquam Senioris, multaque rerum cùm Eccleſiaſticarum, tum civilium experientiâ pollentis, conſiliis obtemperare. Annum etenim agit hodie vir ille nonageſimum quintùm, ſingulis Patriarchis & Imperatoribus inſerviens.* Germanus itaque, quando ea Epiſtola ſcripta ad Imperatorem, Conſtantinopoli non erat & Pontificatum abdicarat, quem tamen, ipſo fatente Baronio, anno tantùm 730 abdicavit. Præterea meminit in ea Epiſtola Gregorius Imaginis Salvatoris, quę *Antiphoneter* appellatur, & necis Spathario ab Imperatore miſſæ, ut eam dejiceret, illatæ, poſtquam ter ſecuri Imaginis Salvatoris faciem percuſſiſſet: meminit inſuper martyrii Sanctarum illarum mulierum, quę illud iniquum facinus nõ ferentes, Spatharium necaverant, quod accidit poſtquam Anaſtaſius S. Germani ſedem occupavit, ut mox ex Actis Sancti Stephani Junioris demonſtratum eſt, ideoque menſe Januario anni 730, quo ideo præfatę Gregorii II Epiſtolæ ſcriptæ, poſt initium menſis Septembris, quo indictio decima quarta inchoata eſt.

XXXVI. *Gregorius Romæ Synodum celebrat.*

His non contentus Gregorius Papa, Synodum Romæ celebravit, in qua cum vicinis Epiſcopis conſidens, ac præſidens Iconomachorum damnavit hęreſim, fidemque Catholicam de ſanctis Imaginibus confirmavit. Hujus Synodi unicum extat fragmentum ab Hadriano primo Romano Pontifice recitatum in Epiſtola prima ad Carolum Magnum. Hujus etiam Synodi meminerunt Cedrenus & Zonaras, ex quibus Baronius deducit, Gregorium, cùm videret Imperatorem penitùs hæreticum, eum hac in Synodo anathemate execratum eſſe, tumque Romanos & Italos ab ejus obedientia recedere fecisſe, eique tributa ſolvere prohibuiſſe. Idem ſcribunt Bellarminus lib. 5 de Rom. Pontif. cap. 8, Sigonius lib. 3 de Regno Italiæ, aliique plures.

XXXVII. *Tributa Imp. ſolvere non prohibuit, nec eum excommunicavit.*

Verùm tantum abeſt, ut Gregorius Italos & Romanos ad defectionem impulerit, aut eos à penſione tributorum ſolvenda impedierit, ut Ravennæ & Venetiarum exercitus ad rebellionem paratos in officio continuerit. Paulus enim Diaconus lib. 6 de Geſt. Longobard. cap. 49, qui hoc ſcire melius potuit, quàm Theophanes, Cedrenus & Zonaras, de rebus in Occidente geſtis parùm inſtructi, ſcribit *Omnis Ravennæ exercitus, vel Venetiarum talibus juſſis uno animo reſtiterunt, & niſi eos prohibuiſſet Pontifex, Imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſsent aggreſſi.* Anaſtaſius prætereà Bibliothecarius in Vita Gregorii II rem

tanti

tanti momenti non omiſiſſet, qui tamen ea tradit, quæ contrarium plane inſinuant, quæque num. 33 retulimus. *Cognitâ*, inquit, *Imperatoris nequitiâ, omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi eligerent Imperatorem, & Conſtantinopolim ducerent; ſed compeſcuit tale conſilium Pontifex, ſperans converſionem Principis.* Narrat poſteà Anaſtaſius, quibus ſeſe armis munierit Pontifex contra Eutychii Exarchi perſecutionem, licèt Romanos & Longobardos contra eum ſui causâ armatos videret. *His ita ſe habentibus*, inquit, *elegit majus præſidium pater ille, diſtribuere pauperibus largiſſima manu quę reperiebat, incumbens orationibus & jejuniis, & Litaniis Deum quotidie à precabatur: & ſpe ita manebat ſemper fultus pluſquam hominum; gratias tamen voluntati populi referens pro mentis propoſito, blando omnes ſermone, ut bonis in Deum proficerent actibus, & in fide perſiſterent, rogabat; ſed ne deſiſterent ab amore vel fide Romani Imperii admonebat: ſic cunctorum corda molliebat, & dolores continuos mitigabat.*

XXXVIII. *Eum tradi Satanæ niſi reſipiſcat Deum precatur.*

Denique in neutra Gregorii II Epiſtola dogmatica ad Leonem Imperatorem ſcripta aliquod verbum habetur, ex quo conjici poſſit Pontificem aliis armis uſum eſſe, ut Imperatorem ab impietate revocaret, quàm humaniſſimis cohortationibus, & admonitionibus. Hæc tantùm leguntur in ſecunda ejus Epiſtola, ex quibus potius colligitur Gregorium non denunciaſſe Imperatorem Eccleſiaſtica communione in publico fidelium conſeſſu privatum, aut tributorum penſionem inhibere in animo non habuiſſe: *Imperatores*, inquit, *qui piè & in Chriſto vixerunt, Eccleſiarum Pontificibus obedire minimè recuſarunt, nec eos vexarunt. Tu verò, Imperator, cùm tranſgreſſus fueris, ac perverſus evaſeris, & manu propria ſubſcripſeris, te ipſum ſubjiciens, & confeſſus fueris, eum qui terminos Patrum tollit execrabilem eſſe, in hoc proprio judicio condemnatus es, ac Spiritum Sanctum à te alienaſti. Perſequeris nos, ac tyrannicè vexas militari carnalique manu. Nos inermes, ac nudi, qui terrenos & carnales exercitûs non habemus, invocamus Principem exercitûs omnis creaturæ ſedentem in Cœlis Chriſtum, qui eſt ſuper omnes exercitus Supernarum Virtutum, ut immittat tibi Dæmonem, ſicut ait Apoſtolus: Tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit.*

XXXIX. *Aliter ſe geſſit erga Anaſtaſium Patriarch. CP.*

Aliter ſe geſſit Gregorius Papa erga Anaſtaſium, quem Leo Imperator in locum S. Germani Patriarcham Conſtantinopolitanum ordinari curarat, eum enim, ejuſque Synodicam rejecit, ut in Gregorii Vita tradit Anaſtaſius: *Qui* (ſcilicet Anaſtaſius Patriarcha) *miſſa Romam Synodica, dum tali hæreſi eum conſentientem reperiret, Vir ſanctus non cenſuit eum fratrem, aut Conſacerdotem ſolitò vocari, ſed reſcriptis commonitoriis, niſi ad Catholicam converteretur fidem, etiam extorrem à Sacerdotali officio eſſe mandavit. Imperatori quoque ſuadens ſalutaria, ut à tali execrabili miſeria declinaret, ſcriptis commonuit.* Quibus ex verbis etiam liquet Pontificem erga Leonem Imperatorem ultra ſcripta non proceſſiſſe, aliterque ſe geſſiſſe erga eum, ac erga Anaſtaſium invaſorem ſedis S. Germani, quem *extorrem à Sacerdotali officio eſſe mandavit.*

XL. *Origo ſeparationis Græcorum, ac provinciis Illyrici per vim ab Eccleſia Rom. diſtractis.*

Non obſtante tanta ſancti Pontificis moderatione, Leo Imperator adeò exarſit, ut in odium vindicatarum ab eo Imaginum, patrimonia Eccleſiæ Romanæ in Calabria & Sicilia ſita in fiſcum redegerit, & diœceſes Illyricianas, Calabriam, Siciliam, & reliquas provincias uſque Thraciam à Romano Patriarchatu per ſummam tyrannidem diſtraxerit, poſtquam ſanctum Germanum è Conſtantinopolitana Sede dejecit. Id liquet ex fine Epiſtolæ Hadriani Papæ ad Carolum Magnum, quæ extat ad calcem Synodi Nicænæ II pag. 962 editionis Labbeanæ. Has provincias Pontifices Romani hoc tempore amiſere, quòd hęreſi Iconomachorum adhærere nollent, & avitam fidem fortiter defenderent; juſtiſſimarum autem expoſtulationum tam Hadriani primi, quàm Nicolai primi nullam rationem Gręci habere voluere; earum enim reſtitutionem etiam petiiſſe Nicolaum conſtat ex ejus ad Michaelem Imperatorem Epiſtolâ. Allatius lib. 2 de Eccleſię Occident. & Orient. perpetua conſenſione cap. 1 refellit Græcos ſchiſmaticos, qui aſſerunt Latinos ſe ab Orientalis Eccleſiæ communione ſubduxiſſe, & variis hæreſibus addictos fuiſſe, quorum aliqui utriuſque Eccleſiæ diviſionem ad Iconomachorum tempora referunt; tandemque cap. 3 num. 7 cauſam ſchiſmatis his verbis aperit: *Ut Græci intelligant, ſchiſma ſub Leone Iſauro, quod ferè omnes Orientis Eccleſias à ſuo capite avulſit, non ex aliqua hæreſi (licèt id, ut vidimus, invaſores prætenderent, ut ſpecioſo aliquo titulo ſeceſſionem ſuam cohoneſtarent) ſed ex contentione ob diœceſes malè uſurpatas, exortum eſſe*, quod probat teſtimoniis ex laudatis Hadriani I ad Carolum Magnum, & Nicolai ad Michaelem Imperatorem Epiſtolis, petitis.

XLI. *Gregorius jejunium & Miſſam feria quinta in Quadrageſima fieri inſtituit.*

In Melchiade Papa diximus hunc Pontificem conſtituiſſe ne Fideles die Dominicâ, aut quintâ feriâ jejunium agerent, *quia eos dies Pagani quaſi ſacrum jejunium celebrabant.* Cùm ergo in Quadrageſimo non ſolùm jejunio, ſed etiam Officio Miſſæ careret feria quinta, Gregorius II ex Anaſtaſio, *Quadrageſimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque Miſſarum celebritas fieret in Eccleſiis, quod non agebatur,* in-

Digitized by Google

SÆC. VIII. S. GREGORIUS II.

inſtituit. Walfridus tamen Strabo cap. 20 auctor eſt etiam ante Gregorium II Miſſam in feriis quintis Quadrageſimæ celebratam fuiſſe, ſed repetitam ex Dominica præcedenti. Gregorium verò II his feriis propria adjunxiſſe Officia; ſed verior videtur ſententia Anaſtaſii, quàm Strabonis, certum eſt enim in antiquis Sacramentorum libris, itemque in Lectionariis & Calendariis nullam inveniri Miſſam vel Evangelium tam in Quadrageſima, quàm extra ipſam per totum annum feriæ quintæ aſſignatum, niſi poſt Gregorium II in Quadrageſima tantùm & in Octava Paſchæ. Cujus Eccleſiaſtici ritus ex Concilio Narbonenſi, anno 589 celebrato, rationem petendam putat Joannes Fronto in prænotatis ad ſuum Calendarium § 6, in quo ſtatutum eſt, ne ullo religioſo cultu hæc dies tranſigeretur, ad tollendum abuſum, qui irrepſerat, ut multi feriâ quintâ in honore Jovis opera non facerent, ſed eum diem colerent, unde ſanctus etiam Auguſtinus in fine ſermonis 215 de tempore adversùs eos declamat. Anaſtaſii & Strabonis ſententias ſic conciliari poſſe ſcribit Cardinalis Bona lib. 1 Rer. Liturgic. cap. 18 num. 2, ſi dicatur nullum feriâ quinta coactum fuiſſe Fidelium conventum, donec Gregorius II ſtatuit ut in Quadrageſima jejunio & Miſſa, feria quinta coleretur, ſicut aliæ legitimæ feriæ: extra Quadrageſimam verò diu manſiſſe feriam quintam ſine proprio & ſolemni officio, & ſi quis privatim ſacrificare voluiſſet, præcedentis Dominicæ Miſsâ uſum eſſe. Ita Card. Bona, apud quem hac de re plura.

XLII. *Ad ſuperos evolat.*

Gregorium II ſediſſe annos 16, menſes 8, dies 20, & ſepultum eſſe ad Beatum Petrum Apoſtolum *ſub die III idus Februarii, indict.* 14, legitur in Anaſtaſio vulgato; ſed cùm oſtenderimus eum conſecratum die decima nona menſis Maii anni ſeptingenteſimi decimi quinti, quo anno juxta ipſummet Anaſtaſium Conſtantinus Papa obiit, dubitari non poteſt, quin in Gregorii Pontificatus duratione, in ipſum error irrepſerit. Cùm enim dicat, Conſtantinum Papam obiiſſe indictione 13 menſe Aprili, ſeu anno 715; & Gregorium obiiſſe menſe Februario, indictione 14, ideoque anno 731, annos tantùm XV, menſes 8, & dies 23 vel 24 ſedit; totidem enim anni, menſes & dies interjiciuntur, à die 19 Maii anni 715, quo conſecratus eſt, ad diem 11 Februarii anni 731, quo ſepulturæ mandatus eſt, & revera exemplar MS. Anaſtaſii Colbertinum, & quatuor catalogi Pontificum Romanorum præfixi Tomo I Criticæ Baronianæ, totidem annos, menſes & dies Gregorii Pontificatui adſcribunt. Annos etiam tantùm 15 exhibent Hermannus Contractus, & Abbo Floriacenſis, qui ultimus habet etiam dies 24, includendo diem 11 Februarii, & Hermannus dies 23, quia eum excludit, nam quoad menſes, omnes ferè conveniunt. Concludendum igitur eſt ſanctum hunc Pontificem juxta ipſius Anaſtaſii mentem obiiſſe die decima Februarii anni ſeptingenteſimi triceſimi primi, poſtridieque ſepultum eſſe.

SÆC. VIII. S. GREGORIUS II.

XLIII. *Inter Sanctos relatus.*

Quatuor ordinationes fecit menſe Septembri, & unam menſe Junio, quibus Presbyteros triginta quinque, & Diaconos quatuordecim creavit; Epiſcopos verò per diverſa loca centum quinquaginta inauguravit. Doctrinæ & ſanctitatis famâ enituit, & ideo inter Sanctos ab Eccleſia Catholica relatus, ejuſque Natalis dies anniverſaria commemoratione die 13 Februarii recolitur; Martyrologia verò Arnaldi Uvionis & Hugonis Menardi ſanctitatis ejus laudes celebrant die 11 Februarii. Præter Epiſtolas quas memoravimus, extat Gregorii II Capitulare datum Martiniano Epiſcopo, Georgio Presbytero, aliiſque in Bajoariam ablegatis. Liturgiam etiam compoſuiſſe fertur, quæ extabat olim Græcè Conſtantinopoli in Bibliotheca Patriarchali unà cum Liturgiis SS. Baſilii Magni & Joannis Chriſoſtomi, teſte Antonio Verdero nobili Gallo Bibliothecario, quamque ex Arabico in Latinum vertit Victorius Scialac Arculenſis Maronita; ſed an hæc Liturgia ſit Gregorii II, vel alterius, incertum eſt. A' quibuſdam Græcis Gregorius II dictus eſt Dialogus, quod nomen S. Gregorio M. proprium eſſe in ejus Pontificatu diximus.

XLIV. *Conſtantinus Copronymus fit Imperator.*

Sedente ſancto Gregorio Leoni Imperatori, anno ſeptingenteſimo decimo octavo, natus eſt filius Conſtantinus poſteà appellatus, & auctus titulo *Copronymi*, à fœdato ſacro fonte cùm infans intingeretur. Eum ſanctus Damaſcenus, ſacrarum Imaginum generoſus defenſor, in Oratione Demonſtrativa de ſacris ac venerandis Imaginibus, vocat *Cabalinum* ab equino ſtercore, cujus odore & tactu homo impuriſſimus delectabatur. Hunc Leo Imperator anno ſeptingenteſimo vigeſimo, *indictione tertia, ipſo Paſchatis die*, ut ſcribit Theophanes, conſortem imperii fecit, quare ejus anni numerantur à die 31 Martii, in quem diem illo anno Paſcha incidebat.

Digitized by Google

GREGORIUS III *Pontif. XCII.*

Anno Domini DCCXXXI.

I. *Gregorius III fit Papa.*

GRegorio ſecundo ad aliam vitam translato, Sedes vacavit *menſem unum, & dies quinque*, ut legitur in omnibus exemplaribus MSS. Anaſtaſii, vel dies 35, ut in pluribus catalogis legitur; ideòque Gregorius hujus nominis III, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter, natione Syrus ex patre Joanne ordinatus eſt Pontifex die decima octava menſis Martii, in quam anno ſeptingenteſimo trigeſimo primo Dominica cadebat.

II. *Statim poſt mortem deceſſoris.*

Gregorium Græcæ, latinęque linguæ peritia, Divinarum Scripturarum ſcientia, Pſalmorum, quos memoria complectebatur, intelligentia, facundia, fidei conſervandæ ſtudium, animi fortitudo & conſtantia, ſapientia & manſuetudo ſingularis, paupertatis amor; pro redimendis captivis, orphanis, viduis, egeniſque omnibus ſublevandis pia ſolicitudo, in Viros Religioſos propenſio, ita Summo Pontificatu dignum fecere, ut teſte Anaſtaſio, *Viri Romani, ſeu omnis populus à magno ad parvum divina inſpiratione permoti, ſubitò cùm ejus deceſſor de hoc ſæculo migraſset, dum in obſequio ſui anteceſſoris eſſet intentus, vi abſtollentes in Pontificatûs ordinem* eum elegerint. Idem ſcribit Frodoardus in Fragmento de Romanis Pontificibus:

Inſiſtens Patris exſequiis de funere raptus
Eximitur, lectuſque ad regmina ſumma vocatur.

III. *Quare dilata ejus ordinatio.*

Licèt porrò Gregorius III Pontifex electus fuerit, ſtatim ac Gregorius II mortem oppetiit, ejus tamen ordinatio dilata eſt uſque ad diem 18 menſis Martii, trigeſimum quintum à deceſſoris morte, quia ejus confirmatio petenda fuit ab Exarcho Ravennatenſi, qua ſervitute liberata eſt Eccleſia Romana poſt mortem Gregorii III, ut in Zachariæ ſucceſſoris Pontificatu videbitur. Ex his Anaſtaſii & Frodoardi verbis etiam erui mihi poſſe videtur formulam literarum, quas poſt electum Pontificem Clerus Romanus ſcribebat ad Exarchum, ad Judices, ad Archiepiſcopum & Apocriſarium Ravennæ, quibus electionem factam referebant, & confirmandam petebant, quæque extat cap. 2 libri diurni Pontificum Romanorum, ſcriptam non eſſe poſt mortem Gregorii II ad petendam ſcilicet confirmationem Gregorii III, quia hic poſt mortem deceſſoris *ſubitò, & dum in obſequio ſui anteceſſoris eſſet intentus*, ut ait Anaſtaſius, vel dum inſiſteret anteceſſoris *exſequiis*, ut ſcribit Frodoardus, electus eſt; ille verò cujus, his literis, poſtulabatur confirmatio, poſt triduum tantùm à morte deceſſoris, ut in iiſdem legitur. Præterea tempore electionis Gregorii, Sede vacante Regimen Eccleſiæ erat penès electum Pontificem, non verò penes Archipresbyterum, Archidiaconum & Primicerium Notariorum, ut in Benedicto II probavimus; ideoque hanc formulam, quam Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico in Differt. Pontificatui Gregorii II ſubjuncta, exiſtimans eandem nondum lucem vidiſse, integram recitat, longè ante Gregorium III exaratam eſſe, veriſimile crediderim.

IV. *Legationem ad Imperatorem mittit.*

Gregorius inito Pontificatu, cultum ſacrarum Imaginum, qui ab Imperatoribus Leone & Conſtantino impugnabatur, ſibi defendendum exiſtimans, literas ſubitò ad eos ſcripſit, ad tam pravam opinionem abjiciendam adhortans. Quas literas Gregorius Presbyter, qui pertulit, reddere præ metu perſecutionis, quâ his temporibus Leo Imp. multos tam Epiſcopos, quàm Patricios, omniſque generis homines in exilium expulit, vel neci tradidit, reddere non auſus, re infectâ Romam rediit, eaſque ad Pontificem integras retulit. Qua de cauſa graviſsimè à Pontifice exceptus, fuiſſet etiam in Synodo, ea de re Romę celebrata, depoſitus, niſi interceſſione Patrum ejuſdem Synodi iram Pontificis mitigaſſet: quod tamen ea conditione fecit, ut idem ipſe Gregorius Prerbyter iterum cum iiſdem literis Conſtantinopolim peteret. Verùm Imperator eum in Sicilia retineri, ſcripta auferri & in exilium amandari juſſit, quę omnia tradit Anaſtaſius.

V. *Iconomachos anathemate percellit in Rom. Synodo.*

His in Urbem delatis, ſubdit Anaſtaſius, Gregorius Pontifex Romæ apud S. Petrum Concilium nonaginta trium Epiſcoporum anno ſeptingenteſimo trigeſimo ſecundo collegit, præſente etiam reliquo Clero, atque Primoribus Urbis, & populo; primùmque omnium ad confirmandas antiquas Patrum traditiones de cultu ſacrarum Imaginum, decretum conſtituit, quod *Conſtitutum* appellant, quo, diro anathemate ferit omnes, qui eidem adverſarentur, his verbis: *Si quis deinceps antiquæ conſuetudinis, & Apoſtolicæ Eccleſiæ fidelem uſum contemnens adversùs eamdem venerationem ſacrarum Imaginum; videlicet Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Genitricis ejus*

ſemper

Digitized by Google

SEC. VIII. GREGORIUS III.

ſemper Virginis immaculatæ, atque glorioſæ Mariæ, beatorum Apoſtolorum & Sanctorum omnium depoſitor atque deſtructor & probanator vel blaſphemus extiterit, ſit extorris à corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel totius Eccleſiæ unitate atque compage.

VI. *Alium Legatum mittit, qui in carcerem truditur.*

Additum prætereà eſt, ut iterum ex Synodo literæ commonitoriæ ad Imperatorem mitterentur. *Poſt peractum igitur hoc memoratum ſuperius Synodale Conſtitutum, iterum miſit* (Gregorius) *alia ſimiliter ſcripta commonitoria pro erigendis Imaginibus ad Leonem Imperatorem per Conſtantinum defenſorem. Quæ ſimiliter, ut anteriora detenta ſunt, & portatorem eorum fortiſſima cuſtodia conſtrinxerunt ferè per integrum annum, poſtmodum auferentes ei ipſa ſcripta, comminantes ei poſt tanti temporis cuſtodiam cum injuriis remiſerunt.*

VII. *Sacras imagines ſumptuosè erigit.*

Sanctiſſimus Pontifex Gregorius, non ſolùm ſcriptis, ſed etiam factis adversùs impietatem Imperatoris obniſus eſt in cultu ſacrarum Imaginum, & veneratione ſanctarum Reliquiarum. Anaſtaſius enim ſuperius dictis addit, eum Imagines Salvatoris & Apoſtolorum ex una parte, Deiparæ & ſanctarum Virginum ex altera in Baſilica ſancti Petri magnifico opere erexiſſe: ibidemque conſtruxiſſe Oratorium, in quo ſacras Reliquias undique conquiſitas ad cultum condidit, Sanctorumque Natalitia ſacris officiis & Miſſis quotidie celebrari ſtatuit à Monachis trium Monaſteriorum illic Domino miniſtrantium: & tandem à Sacerdote, in ipſo Oratorio Miſſas agente, hanc clauſulam in Canone, poſt illa verba, *& omnium Sanctorum tuorum*, dici inſtituiſſe: *Quorum ſolemnitas hodie in conſpectu tuæ majeſtatis celebratur, Domine Deus noſter, in toto orbe terrarum*, quam inſtitutionem in eodem Oratorio in tabulis lapideis conſcribere fecit. Sed hoc ſpecialiter pro illo Oratorio inſtituit Gregorius, atque ideo, ut notat Walfridus cap. 22, non eſt Canoni qui generaliter dicitur, adnotatum. Cardinalis Bona lib. 3 Rerum Liturgic. cap. 11 num. 2 in magno illo Miſſalium MSS. quæ pervolvit numero; unum duntaxat ſe reperiſſe teſtatur, in quo hæc verba adſcripta ſint, quod extat in Bibliotheca Barberina cod. 1858. Similem tamen clauſulam exhibere codicem Colbertinum num. 2585, qui fuit olim Monaſterii S. Dionyſii in Francia, obſervat Edmundus Martene lib. 1 de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 4, art. 8, num. 16. In eo enim habetur: *Necnon & illorum Martyrum, quorum hodie ſolemnis in conſpectu gloriæ tuæ celebratur triumphus*. Cæterùm has ſimileſve additiones interrogatus ea de re à Guillelmo Abbate S. Albani, haud quaquam improbavit Innocentius III, ut ſcribit Matthæus Paris in Vitis Abbatum S. Albani. De Canone Miſsæ vide dicta in Gelaſio.

SEC. VIII. GREGORIUS III.

VIII. *Tertiò ſed fruſtrà hortatur Imperatores ut ab impietate deſiſtant.*

Cùm nihil magis cordi eſſet Gregorio, quàm ut Leonem Iſaurum Imperatorem ab hæreſi & impietate revocaret, tertiam ad eum Legationem deſtinavit, & adhortatorias iterùm literas *direxit per Petrum defenſorem apud Regiam urbem tam Anaſtaſio invaſori Sedis Conſtantinopolitanæ, quàm Principibus Leoni & Conſtantino*, inquit Anaſtaſius, qui antea ſcripſerat: *Cuncta generalitas iſtius provinciæ Italiæ ſimiliter pro erigendis Imaginibus ſupplicationes ſcriptas unanimiter ad eoſdem Principes Leonem & Conſtantinum direxere: quæ & ipſa ſimiliter ut anteriora ablata ſunt à Sergio Patricio Extratego, qui dignitate Strategi functus fuerat ipſius inſulæ Siciliæ, ac ferè per octo menſes Legati detenti, remiſſi ſunt ſimiliter cum exprobrationibus portatores*. Hæc pertinent ad annum ſeptingenteſimum trigeſimum tertium. Quid hæc conſecutum ſit non narrat Auctor; ſed nihil penitùs actum eſſe reliqua eventa declarant, cùm certum ſit Imperatores nunquam ab impietate ceſſaſſe, in Orthodoxos ſemper ſæviiſſe, rectæ fidei Confeſſores eorum errores deteſtantes exagitaſſe, inter quos reperiuntur plures ſancti Epiſcopi ea de cauſa ab ipſis è ſede abrepti, & in exilium miſſi.

IX. *Conſulitur à S. Bonifacio, cui pallium mittit.*

Cùm inaudiiſſet Sanctus Bonifacius Germanorum Apoſtolus defunctum eſſe Gregorium II, à quo Apoſtolatum acceperat, & in ejus locum ſubrogatum fuiſſe Gregorium III, ad ipſum Romam Legatos miſit, qui omnem ſubjectionem Sedi Apoſtolicæ debitam promitterent, *converſionem quoque plurimorum in Germania habitantium intimarent*, Pontificem denique nonnullis de quæſtionibus nomine ſuo conſulerent. Deſunt quidem Bonifacii literæ, quas anno ſeptingenteſimo trigeſimo primo ad Gregorium III Papam dedit, ſed ſuperius dicta diſcimus ex Othlono in ejus Vita lib. 1 cap. 26, qui addit Gregorium Bonifacio Archiepiſcopatûs pallium, quod non petebat, direxiſse, ut eo in ſolemni Miſsarum celebratione, & conſecratione Epiſcoporum uteretur. Ad illius etiam conſultationes, novem capitibus conſtantem reſponſionem miſit, quæ legi poſsunt in Collectione Conciliorum & apud Baronium etiam extant. Hæc porrò reſponſa data ſunt anno ſeptingenteſimo trigeſimo ſecundo, ut vidit Baronius.

X. *S. Bonifacium Romæ cum magno gaudio ſuſcipit.*

Anno ſeptingenteſimo triceſimo octavo S. Bonifacius tertiò Romam, *tam pro hoc ut Apoſtolici Patris, cujus faciem necdum agnoverat, ſalubri frueretur agnitione ſimul & colloquio, quàm ut ſe SS. Apoſtolorum, aliorum Sanctorum in urbe Romana quieſcentium orationibus commendaret*, inquit Othlo-

Digitized by Google

Othlonus in ejus Vita lib. 1 cap. 28, gratanter ſuſceptus eſt à Gregorio Papa Bonifacius. Poſt hæc verò cùm remeare decerneret, muneribus & reliquiis Sanctorum, pro quibuſcumque petiit datis, honorificè ditatus eſt à Præſule Apoſtolico. Eidem Româ decedenti tres Epiſtolas dedit Pontifex; primam Prælatis & Presbyteris omnium provinciarum; alteram Optimatibus ac populo Germaniæ; tertiam Epiſcopis in Alemannia & Bajoaria conſtitutis, quę extant apud eumdem Othlonum. Bonifacio adhuc Romæ exiſtente, Gregorius III Concilium ibidem celebrare ſtatuerat, cujus meminit idem Bonifacius in Epiſtola, quæ in Codice Bonifaciano eſt ordine 27: *Gratanter*, inquit, *nos cum gaudio Apoſtolicus Pontifex ſuſcepit*, &c. *Nunc autem hìc expectantes Sacerdotum Concilium, vel Synodi conſultum, adhuc ignoramus, quando hoc fieri faciet Apoſtolicus Pontifex*. Quid in ea Synodo tractandum eſſet, & an poſtea habita fuerit, nullus Veterum prodit. Eidem Bonifacio permiſit Gregorius Papa, ut Presbyterum, qui ſibi ſuccederet in Eccleſiaſticum miniſterium, eligeret, ut ipſemet Bonifacius teſtatur in Epiſtola 132 ad Zachariam Gregorii III ſucceſſorem.

XI. *Confirmat diviſionem Bavariæ in quatuor Epiſcopatus ab ipſo factam.*

Anno ſeptingenteſimo trigeſimo nono literis *dat. quarto Kalendas Novembris, indictione* 8 confirmavit diviſionem, quam Bonifacius tanquam Legatus fecit Bajoariæ in quatuor diœceſes, ſcilicet Salisburgenſem, Friſingenſem, Ratisponenſem & Pataviensem: *Provinciam Bajoariorum*, inquit Willibaldus in Vita S. Bonifacii cap. 3, *Odilone Duce conſentiente, in quatuor diviſit Parochias, quatuorque his partibus præſidere fecit Epiſcopos, quos, ordinatione ſcilicet facta, in Epiſcopatûs gradum ſublimavit*. Quatuor poſteà ſupradictos Epiſcopatus numerat, in eo tantùm ab Othlono differens, quòd civitatem, quam Willibaldus *Reginam* vocat, ipſe appellat *Ratiſponam*, quia Ratiſpona aliàs vocata fuit *Reginum* contra confluentem Regini amnis poſitum, ut notat Cluverius in Vindelicia & Norico cap. 4. Eccleſiæ Patavienſi præfectus eſt Vivilus, quem Gregorius III anno 736 Epiſcopum ordinaverat ex eodem Othlono cap. 31.

XII. *Eccleſiæ Eboracenſi Archiepiſcopatum reſtituit.*

Eccleſia Eboracenſis poſt Paulinum Archiepiſcopum, cui Honorius Papa pallium miſerat, ab Epiſcopis ſolùm adminiſtrata fuit; ſed Gregorius III anno ſeptingenteſimo trigeſimo quinto, eidem Eccleſiæ Archiepiſcopatum reſtituit, miſſo Pallio Egberto, qui anno 732, Wilfrido Juniori Epiſcopo Eboracenſi defuncto ſucceſſerat. Id conſtat ex Catalogo Præſulum Eboracenſium à Labbeo Tomo I Bibliothecæ publicato, in quo legitur: *Wilfridus peractis ſui Epiſcopatûs quindecim annis, ſucceſſorem habuit Egbertum, virum de Regio ſemine nobilem & induſtrium, qui poſt Paulinum primus ab Apoſtolica Sede accepit pallium ſeptimo anno regni Ceolvulfi Regis, centeſimo tertio anno poſt diſceſſum Paulini, hoc eſt anno Dominicæ Incarnationis 735, quo anno Venerabilis Doctor Beda obiit in Gyruum*. Hujus Anonymi verba excripſit Thomas Stubs, idemque habent Malmesburienſis lib. 3 de Pontif. & Hovedenus ad annum 735, & Continuator Epitomes Bedæ ad eumdem annum. Legenda & Baronii Critica ad annos 633 & 731. Hìc porrò obiter advertendum annum Bedæ emortualem rectè ab hoc Anonymo conſignatum, ut eodem anno 731 in eadem critica fusè probatur.

XIII. *Duas legationes ad Carolum Martellum mittit.*

Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo Luitprandus Longobardorum Rex Romam obſidione cinxit, eò quòd Traſamundus Spoletanus & Godeſcalcus Beneventanus Duces ſibi infenſi, eſsent in amicitia Romani Pontificis. Quare Gregorius anno ſeptingenteſimo quadrageſimo primo duplicem Legationem ad Carolum Martellum Majorem Domûs Regiæ Francorum cum clavibus S. Petri & particulis catenarum miſit, duplicemque ad eum ſcripſit Epiſtolam eo conſilio, *ut eos à tanta oppreſſione Longobardorum liberaret*, inquit Anaſtaſius, qui unius quidem tantùm Legationis meminit obitæ per Anaſtaſium Epiſcopum & Sergium Presbyterum. Sed duplicem Legationem ad Carolum à Gregorio miſsam habemus ex continuatore Fredegarii, qui cap. 110 ſcribit Gregorium, non ſolùm opem Caroli contra Longobardos imploraſse, ſed etiam contra Imperatorem, qui, ut ait Baronius, concitaverat Regem Longobardorum contra Eccleſiam Romanam: *Eo tempore*, inquit Continuator, *bis à Roma B. Papa Gregorius claves venerandi ſepulchri cum vinculis S. Petri & muneribus magnis & infinitis, Legationem (quod ante nullis auditis, aut viſis temporibus fuit) memorato Principi* (nempe Carolo) *deſtinavit*. Cujus duplicis Legationis hęc ratio profertur ab eodem Anonymo: *Eo pacto patrato, ut ad partes Imperatoris recederet, & Romanum Conſulatum* (ſeu Patriciatum) *præfato Principi Carolo ſanciret*.

XIV. *Pro auxilio contra Longobardos & Imperatorem.*

Gregorium non ſolùm contra Longobardos, ſed etiam contra Imperatorem auxilium poſtulaſse, expreſsè legitur in Annalibus Metenſibus, qui in Collectione Hiſtoricorum Francorum Ducheſnii extant: *Anno 741 Carolus Princeps domitis circumquaque poſitis gentibus, dum ea, quæ pacis erant, infra ſui regiminis terminos diſponeret, bis eodem anno Legationem beatiſſimi Gregorii Papæ ab Apoſtolica Sede directam ſuſcepit. Qui ſibi claves venerandi ſepulchri Principis Apoſtolorum Petri, ejuſdemque pretioſa vin-*

cula cum muneribus magnis delatis obtulerunt : quod antea nulli Francorum Principi à quolibet Præſule Romanæ urbis directum fuit. Epiſtolam quoque decreto Romanorum Principum ſibi prædictus Præſul Gregorius miſerat, quòd ſeſe populus Romanus, relicta Imperatoris dominatione, ad ſuam defenſionem & invictam clementiam convertere voluiſſet. Ex quo etiam liquet duplicem Legationem illam pertinere ad annum 741, Gregoriumque à Carolo petiiſse, ut ab Imperatoris parte recederet.

XV. *Carolus Martellus Eccleſiæ Rom. defenſionem ſuſcipit.*

Quid legationibus, literiſque Gregorii III reſponderit Carolus nullus Veterum prodidit; ſed eas Carolo gratiſsimas accidiſse, nos edocet Continuator Fredegarii, qui in ſua Appendice ſcribit: *Ipſe mirifico ac magnifico honore ipſam legationem recepit, munera pretioſa contulit, atque cum magnis præmiis cum ſuis ſodalibus miſſis Grimonem Abbatem Corbeienſis monaſterii & Sygobertum Recluſum Baſilicæ Sancti Dionyſii Martyris Romam ad limina S. Petri & S. Pauli deſtinavit*. Cùm hæc Legatio Carolo gratiſsima fuerit, non dubium quin per Miſſos, Luitprando Regi bellum denunciarit, niſi ditione Romana quamprimùm excederet, & Luitprandum ejus minis ab incœpto deterritum Papiam, unde venerat, rediiſſe, retentis tamen, ut habet Anaſtaſius, oppidis quatuor, quę occupaverat, quæ poſtea ſub Zacharia Gregorii ſucceſſore reſtituta ſunt, ut ibidem dicemus. Auxilia Pontifici promiſiſſe Carolum dubitandi etiam locus non eſt, ſed cùm eodem anno 741 obierit, ea præſtare non potuit.

XVI. *A Gregorio PP. fit Patricius Romanorum.*

Porrò ex his Continuatoris Fredegarii & Annaliſtæ Metenſis verbis deducitur Conſulatum, ſeu, ut Auctor Criticæ Baronii fusè explicat, Patriciatum Carolo Gregorium III obtuliſse; cùm poſterior dicat populum Romanum relicta Imperatoris dominatione, ad ſuam defenſionem Carolum vocaſse. Patricii enim dignitas conferebatur illis, qui ad defenſionem Eccleſiarum & inopum adversùs vim potentiorum eligebantur, ut liquet ex formula à Paulo Diacono in Hiſt. Longobard. in MS. Vaticano relata, quâ Princeps Patricium renunciabat: *Hunc honorem tibi concedimus, ut Eccleſiis Dei, & pauperibus legem facias, & inde apud Altiſſimum Judicem rationem reddas. Tunc induat eum Imperator mantum, & ponat ei in dextro indice annulum, & det ei bombacinum propria manu ſcriptum: Eſto Patricius miſericors & juſtus. Tunc ponat ei in caput aureum circulum & dimittat*. Importabat Patriciatus jus quoddam protectionis extraordinarium, ut explicat Marca lib. 1 de Concordia cap. 12 nu. 1, quod Eccleſiis ſibi non ſubditis, adversùs potentiorum vim publicam aut privatam, impertiri ſolent illi, qui aliàs ex munere ſuo ad id non obligantur; licèt enim Principes Eccleſias in regnis ſuis conſtitutas ex officio tueri teneantur; illud tamen jus protectionis ordinarium eſt, & à juriſdictione pendet. Jus illud extraordinarium protectionis concedebatur proceribus viris, qui vocabantur *Patroni*, *Defenſores*, *Protectores*, & *Advocati*, qui protectionem & defenſionem ſingularem Eccleſiis particularibus impendebant, prçter eam quæ à Regibus ex ordine diſciplinę publicæ expectabatur.

XVII. *In quo conſiſtat ille Patriciatus.*

Sed Patriciatus Eccleſię Romanæ, ſeu Patricii Romanorum nomen, duo quædam complectebatur, & juriſdictionem, quâ Reges Francorum in Urbe ex conſenſu Pontificis & populi Romani potiebantur; & protectionem, ſeu defenſionem, quam Romanæ Eccleſiæ polliciti erant, quæ defenſio pactis cum Romanis Pontificibus initis conſtituta erat. Pactorum illorum initium de protectione cum Eccleſia Romana conventorum confert Marca in hæc tempora, quibus Gregorius III, ſe, ſuamque Eccleſiam tuitioni Caroli Francorum ducis commiſit; & protectionem iſtam novis quibuſdam legibus, à Pippino Rege Francorum et Stephano II Pontifice Romano, qui Patricii dignitatem Pippino & ejus filiis attribuit, firmatam fuiſſe ſcribit. His itaque difficillimis temporibus Carolum Martellum Patricium Romanorum & Defenſorem Eccleſiæ dictum eſſe, præter Fredegarii Continuatorem laudatum, evidenter inſinuant Carolus Magnus, & Ludovicus Pius Imperatores: ille in diviſione regni ſui anno 806 inter filios facta, in qua ait: *Super omnia autem jubemus, ut ipſi tres fratres curam & defenſionem Eccleſiæ Sancti Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab avo noſtro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pippino Rege, & à nobis poſtea ſuſcepta eſt; & ut eam cum Dei adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & juſtitiam ſuam, quantum ad ipſos pertinet & ratio poſtulaverit, habere faciant*. Idem habet Ludovicus Pius in diviſione regni ſui, quam Goldaſtus Tomo 2 Imperial. Conſtitut. & Baluzius Tomo 1 Capitul. anno 837. Auctor verò Criticę Baronii rectiùs anno 835 factam exiſtimat: *Super omnia jubemus, atque præcipimus, ut ipſi tres fratres curam & defenſionem Eccleſiæ S. Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam à proavo noſtro Carolo & avo noſtro Pippino, & beatæ memoriæ Carolo genitore noſtro Imperatore, & à nobis poſtea ſuſcepta eſt*. Ex quibus concludendum eſt Carolum Martellum primum fuiſſe omnium Principum Francorum, aut cujuſque alterius gentis, qui Urbis, Eccleſiæque Romanæ patrocinium ſuſcepit. Qui plura de hac re cupit, conſulat Marcam laudatum, & Criticam Baronii ad annum 740.

Ex

Digitized by Google

XVII. Nunciorum Apoſtolicorum in Francia origo.

Ex Legatione illa Gregorii III ad Carolum Martellum, penes quem Franciæ tunc omnis adminiſtratio erat, orta videtur origo Nunciorum Apoſtolicorum in Francia. Tunc enim primùm Apocriſarii Romanæ Sedis in Francia viſi ſunt, qui bis cum Carolo Martello egerunt, ut auxilio conſilioque Romanis eſset. Qui Romanum Pontificatum poſt Gregorium III geſserunt, inquit Cointius in Annal. Eccleſiaſt. Franc. ad annum 740 num. 7, ii frequentiùs Nuncios direxerunt in Franciam, reſque eò devenit, ut præter Legatos, qui pro novis cauſis emergentibus Româ mittebantur, Apocriſarius Apoſtolicæ Sedis in Comitatu Regis aſsiduè maneret, nec rarò id muneris à Romano Pontifice collatum eſt ei, quem Rex Archieapellanum Palatii ſui cõſtituerat.

XIX. Gregorius III ſupremum vitæ diem explet.

Gregorius benè de Deo & hominibus meritus, poſtquam ſediſset *annos decem, menſes octo, & dies viginti*, ut habet Anaſtaſius, ex hac luce ſubtractus, *ſepultus eſt in cœmeterio Petri Apoſtoli quarto Kalendas Decembris indictione decima*, ideoque anno ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, quo indictio decima inchoata eſt die prima Septembris. Sed cùm ex dictis conſecratus fuerit die decima octava menſis Martii anni 731, error irrepſit in dies, quos ſupra annos & menſes ſedit, legendumque cum catalogo Reginonis, eum ſediſse annos 10, menſes 8, dies 11, quo pacto ſepultus eſt die vigeſima octava Novembris, quem etiam diem Regino in ſummam confert, & obiit die vigeſima ſeptima ejuſdem menſis. Pietatem ſuam commendavit Gregorius in pleriſque Baſilicis & monaſteriis reſtaurandis, ac ornandis, de quibus ſicuti & de ingentibus aureis, argenteis, gemmeiſque donariis, necnon redditibus eis collatis ad luminaria & oblationes, legendus Anaſtaſius Bibliothecarius in ejus Vita, qui addit eum ſcripſiſse ad Leonem Imperatorem & ad Conſtantinum Copronymum ejus filium, libros tres pro cultu Sanctarum Imaginum, & Epiſtolarum librum unum; ſed hæc monumenta ipſius etiam Anaſtaſii tempore deſiderabantur, ut ipſemet aſserit. Porrò Gregorium ſolemnitatem, quæ celebrabatur die 13 Maii in honorem S. Marię & SS. Martyrum, obſervari decreviſse in honorem omnium Sanctorum diximus in Bonifacio IV. Vide etiam dicenda de hoc feſto in Gregorio IV.

XX. Leo Iſaurus Imp. moritur.

Paulò ante Gregorium III, die decima octava menſis Junii, indictionis nonæ, ſeu anni Chriſti 741 ſimul cum animæ mortem obiit corporis Leo Iſaurus Imperator. Sed eo mortuo, extincta non eſt Iconoclaſtarum hæreſis; filium enim multò ante, à ſe in Imperii ſocietatem adſcitum reliquit impietatis ſuæ, non minùs, quàm Imperii hæredem Conſtantinum Copronymum, qui ipſo ſui Principatûs exordio Edictum contra ſacras Imagines promulgavit. Quod Regię Urbis cives indigniſſimè, & impatientiſſimè ferentes, Artabaſdum Curopalatem eodem anno 741 Imperatorem conſalutarunt. Verùm breviſſima fuit de ejus exauctoratione lætitia; coacto enim exercitu, Artabasdum fudit Copronymus, eoque cum filiis trucidato, imperio abſque æmulo potitus eſt anno ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio. Conſtantinus Leone patre tetrior ac deteſtabilior fuit, ut videre eſt in Scriptoribus Græcis; horret enim animus ea literis prodere, quæ de hujus impietate ab iis memorantur.

S. ZACHARIAS *Pontif. XCIII.*

Anno Domini DCCXLI.

I. Zacharias Gregorio III ſubrogatur.

GRegorio III, die 27 Novembris anni 741, ex rebus humanis exempto, vixque illi perſolutis extremis, quarto poſt die, nempe trigeſimo ejuſdem menſis Sancto Andreæ Apoſtolo Sacro, poſtquam, ut ſcribit Anaſtaſius, ſedes vacaſſet dies quatuor, utroque extremo incluſo, Zacharias natione Græcus, Polychronii filius, in ejus locum ordinatus eſt. Codices quidem aliqui Anaſtaſiani habent ceſſaſſe Sedem dies octo; ſed plures alii & ipſe Anaſtaſius vulgatus, habent tantùm dies quatuor, & hanc fuiſſe Anaſtaſii mentem demonſtrant, tam dies ejus mortis, quàm anni, menſes, & dies ipſi ab eodem Auctorę attributi, de quibus in morte ejus ſermo erit. Tam breve interpontificium, quod poſt mortem Gregorii III fuit, oſtendit nec petitam nec expectatam Exarchi Ravennatenſis confirmationem, præſertim cùm idem contigerit in electionibus ſucceſſorum Zachariæ, in cujus electione Eccleſia Romana ab ea ſervitute liberata eſt. Fuit porrò Zacharias vir humanitatis laude inſignis; tardus ad iram, velox ad miſericordiam, Cleri populique Romani amantiſsimus teſte Anaſtaſio.

II. Cum Luitprando Rege Longobard. pacem facit.

Sanctus hic Pontifex invenit totam Italiam Longobardorum armis turbatam, & Luitprandum eorum Regem ad bellum contra Romanum Ducatum, cui jam quatuor civitates eripuerat, nempe Hortam, Poli-

Digitized by Google

SÆC. VIII. S. ZACHARIAS.

martium, Amerlam & Bledam, ſe præparantem; quare *miſſa Legatione apud jam dictum Longobardorum Regem* (verba ſunt Anaſtaſii) *ſalutaria illi prædicavit; cujus Sancti viri admonitionibus inclinatus prænominatas quatuor, quas à Ducatu Romano abſtulerat civitates, reddere promiſit*. Sed cùm interea prędictas quatuor civitates Rex Luitprandus non reſtitueret, Zacharias eum Interamne in ditione Spoletina ſedentem, conveniendum exiſtimavit anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo. Ita univerſo Romano proſequente Clero, Urbe egreſſus, illuc iter intendit. Id poſtquam Rex accepit humanitate ſe vinci haud paſſus, Legatum ei obviam, qui Narnium uſque deduceret, miſit; ubi Duces & milites plerique eum exceperunt. Interamnam appropinquanti Rex, cum reliquo Optimatum ac militum agmine occurrit: aliquot cum eo ſpatia, jucundiſſimo ſermone illato confecit, & ad palatium ei paratum dimiſit. Poſtridie cùm iterum ad colloquium proceſſiſſent, ſanctus Pontifex ita Regis animum demulſit, ut ei quæcumque poſtulabat, indulſerit, & *prædictas quatuor civitates, quas ipſe ante biennium per obſeſſionem factam pro prædicto Traſimundo Duce Spoletino* (ideſt occaſione ipſius) *abſtulerat, eidem ſancto cum eorum habitationibus* redonaverit *viro*. *Quas & per donationem confirmavit*, inquit idem Anaſtaſius, qui addit Regem ultrò Pontifici reſtituiſſe Sabinenſe patrimonium, triginta ante annos Romanæ Eccleſiæ ereptum, atque inſuper Narnienſem, Anconitanum, Auximanum patrimonia & Vallem agri Sutrini, quæ vocatur *Magna* per donationis titulum ipſi beato Petro Apoſtolorum Principi reconceſsiſse, & pacem cum Ducatu Romano ipſum Regem in viginti annos confirmaſſe. Sed & captivos omnes, quos tenebat, prædicto Pontifici redonaſſe. Tandem quatuor civitates redditas & Pontificem Romam regreſſum eſſe.

III. *Ad eumdem Regem pergit in favorem Ravennatenſium.*

Anno poſtea ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio idem Luitprandus Rex, Exarchatum Ravennæ ſibi ſubjicere tentavit, ſeſeque ad Ravennam obſidendam parabat. Quare Pontifex, Eutichii Exarchi & Joannis Archiepiſcopi Ravennatenſis rogatu, ad eam urbem ſe contulit, Romana urbe Stephano Patricio & Duci ad gubernandum relicta. Antequam Româ diſcederet Legatos cum muneribus ad Luitprandum miſit, obſecrans, ut à propoſito recederet & caſtrum Ceſennatenſe Ravennatenſibus redderet. Sed cùm nihil obtinere potuiſset, Ravennam venit, ubi Ravennatenſes profuſis lachrymis eum ſuſceperunt clamantes & dicentes: *Venit, venit Pater noſter, qui ſuas reliquit oves, & ad nos perditos liberandos occurrit*. Ex eadem urbe miſit ad Regem, Stephanum Presbyterum, & Ambroſium Primicerium, ut ei ſuum adventum nunciarent, ipſeque fines Longobardorum ingreſſus, ſequipes factus eſt ſuis Miſſis, quos dictus Rex ſuſcipere noluit. Sed cùm Pontifex die viceſima octava Junii ad Padum conveniſſet, Rex ad eum ſuſcipiendum Optimates ſuos miſit, cum quibus Ticinum, ubi Rex reſidebat, pervenit. Ad eum Rex foras muros civitatis acceſsit, inde pro Vigiliarum beati Apoſtolorum Principis Petri celebrandis Miſsarum ſolemniis, in Baſilicam ejus, quæ vocatur ad Cœlum Aureum, perrexit: & poſt, expleta libatione, eamdem urbem ingreſsus eſt.

IV. *Obtinet quidquid ab eo petit.*

Poſtero die pro ipſius Principis Apoſtolorum Natali celebrando invitatus Zacharias Pontifex, Miſsarum ſolemnia celebravit, ibique mutuò invicem ſalutantes, pariter ſuſceperunt cibum. Sequenti die Rex eum ad Palatium ſuum invitavit, à quo honorificè ſuſceptus eum obſecravit, ne amplius Ravennatium provinciam opprimeret, ſed ablatas civitates redonaret cum finibus, ſimul & caſtrum Ceſennatenſe. Cui Rex licèt gravatè, id ſe facturum reſpondit. Decedentem inde uſque ad Padum proſecutum dimiſit, datis ex primoribus ſuis, qui Ravennatium loca, imprimiſque Ceſennam redderent. Quibus locis receptis Pontifex Urbem repetiit, ac gratiis Deo actis denuò Natale Principum Apoſtolorum Petri & Pauli celebravit. Hæc omnia conſtant ex Anaſtaſio. Ex quibus Marca lib. 3 de Concordia cap. 11 num. 5 concludit, non poſse liquidiùs demonſtrari „retentam hac tempeſtate à Summis Pontificibus Imperii curam, & Imperatorios „Magiſtratus Ravennæ & Romæ rebus adminiſtrandis pręfuiſse; ita ut ſpes omnis „conſervandę Italiæ in ſumma Pontificis „dignitate collocata eſſet. Ex his vide, inquit Baronius ad annum 743, quàm injuſtæ ſint querelæ Orientalium de Romano Pontifice, quòd exuerit Occidentali Imperio Orientales Imperatores.

V. *Confirmat tres Epiſcopatus à S. Bonifacio erectos.*

Sanctus Bonifacius Germaniæ Apoſtolus, ut in Gregorio III diximus, Bajoariam in quatuor Epiſcopatus diviſit; verùm creſcente in Eccleſiis illius regionis numero Fidelium, tres Epiſcopatus erexit, ſingulos in ſingulis provinciis; unum in Francia Orientali apud *VVirtzburg*, alterum in Haſſia apud *Buraburg*, tertium in Thuringia apud *Erpbesfurt*, ut ipſemet teſtatur in Epiſtola, quam ſcripſit exeunte anno 741, vel initio anni ſequentis ad Zachariam Papam, qua ei gratulatus eſt quòd renunciatus eſſet Pontifex Romanus. Eâ Epiſtolâ inter Bonifacianas ordine 132 petit Bonifacius à Zacharia, ut trium illorum Epiſcopatuum erectionem auctoritate ſua confirmet, & per-

Digitized by Google

permittat Synodum celebrari in ditione Carolomanni Majoris domûs. Zacharias his acceptis literis, Kalendis Aprilis anni 742 ad eum reſcripſit, confirmavitque tres Epiſcopatus ab illo inſtitutos, facultate illi facta Synodum in ditione Carolomanni celebrandi, miſitque quædam decreta, quæ in ea publicanda eſſent. Wirtzburgum ad Mœnum poſita eſt, alioque nomine Herbipolis appellatur. Buraburg ſeu Burisburg præcipuum fuit olim oppidum inter Friteslariam & Paderbonam, cujus hodie ruinæ duntaxat ſuperſunt. Erphesfurt, hodie Herphordia, Thuringiæ caput eſt ad Geram fluvium.

VI. *Reſpondet ad quaſdam ejuſdem Bonifacii interrogationes.*

Iiſdem literis Zacharias reſpondit ad quinque Interrogationes ejuſdem Bonifacii. Prima erat de Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus adulteris, concubinariis, ebrioſis, venatoribus, & qui præliis intererant, ſanguinemque hominum fundebant. Reſpondet Zacharias, ut ſi quos horum criminum reos Bonifacius repererit ante Synodum celebrandam, hos Altaribus miniſtrare vetet. Secunda Bonifacii interrogatio ſpectabat licentiam eligendi ſucceſſoris, quam Gregorius tertius conceſſerat. Hanc negat Zacharias, *contra omnem Eccleſiaſticam regulam, & inſtituta Patrum* eſſe reſpondens, ut vivente Epiſcopo ſucceſſor ipſi deſignetur. Indulget tamen diſpenſatione ſingulari, ut imminente obitu, præſentibus cunctis, ſucceſſorem eligat, qui ad Sedem Apoſtolicam accedat conſecrandus. Tertia Bonifacii interrogatio erat de laico, qui licentiam à Gregorio III ſibi indultam afferebat, ut mulierem in tertia generatione ſibi propinquam, avunculi ſui viduam, ab altero viro conſobrino ſuo adhuc ſuperſtite digreſsam, & ante matrimonium vetatam in uxorem aſsumeret. Reſpondit Zacharias veriſimile non eſſe quòd Gregorius III matrimonium hujuſmodi permiſerit: quia, inquit, *ab Apoſtolica Sede illa non diriguntur, quæ contraria eſſe Patrum ſive Canonum inſtitutis inveniuntur*. Quamobrem commonendos eſſe & increpandos, ut à ſceleſto illo matrimonio recedant. Quarta Bonifacii interrogatio erat de Kalendis Januariis, de auguriis, phylacteriis, incantationibus, & aliis obſervationibus, quas ajebant Gentili more in urbe Roma fieri. Reſpondet Zacharias, hæc omnibus Chriſtianis deteſtanda & pernicioſa eſſe: hæc à Patribus abſciſſa: & quia inſtigatione Diaboli iterum Romæ pullulabant, Gregorii III deceſſoris ſui decretis & ſuis fuiſſe radicitùs amputata. Quinta Bonifacii interrogatio erat, de Epiſcopis ac Presbyteris adulteris, & fornicatoribus, qui Romà reverſi, dicebant ſe licentiam obtinuiſſe à Papa, ut in Eccleſia ſuis muneribus fungerentur. Reſpondet Zacharias, id falſum eſſe, jubetque, ut canonica in eos vindicta exerceatur. His literis aliam communem addidit Zacharias ad tres Epiſcopos nuper à Bonifacio inſtitutos, Burchardum ſcilicet Epiſcopum Wirtzburgenſem, Wittam Buraburgenſem & Adelharium Erphesfurdienſem.

VII. *Ad eum tria pallia pro tribus Archiepiſcopis mittit.*

Cùm Bonifacius, anno ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio Liptinis, quæ domus Regiæ erant in diœceſi Cameracenſi hodierna ſitæ, Concilium celebraſset, in quo de variis rebus Eccleſiaſticis & Monaſticis conſultum, & à Zacharia eorum, quæ in eo acta eſsent, confirmationem poſtulaſſet, Pontifex ad eum ſcripſit Epiſtolam ordine 4 in ditione Conciliorum, qua teſtatur duo ſibi præcipuè ſignificata à Bonifacio. Primum, quòd non unum duntaxat Carolomannum, in cujus Majoratu Liptinæ ſitæ erant, ſed etiam Pippinum ejus fratrem in prædicatione ſocios & adjutores expertus eſset. Deinde loquitur de tribus Metropolitanis ſibi à Bonifacio commendatis, nempe Grimone Rotomagenſi, Abele Remenſi & Ardoberto, ſeu Artberto Senonenſi, pro quibus Pallia mittit: *De Epiſcopis verò Metropolitanis*, inquit Zacharias, *id eſt Grimone, quem nos jam compertum habemus, & de Aoel & Artbberto, quos per unamquamque Metropolim per provincias conſtituiſti, hoc per tuum teſtimonium confirmamus, & pallia dirigimus ad eorum firmiſſimam ſtabilitatem*. De iiſdem tribus palliis loquitur idem Pontifex in alia Epiſtola, ad eumdem Bonifacium ordine V, eaque ſibi ab eo poſtulata teſtatur. Duæ autem illæ Epiſtolæ Indictione XII datæ ſunt, ideoque poſt menſem Auguſtum anni ſeptingenteſimi quadrageſimi tertii.

VIII. *Synodum Romæ celebrat.*

Eodem anno ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio Synodum Romæ celebravit Zacharias, cui quadraginta Epiſcopi interfuerunt, & in qua quindecim decreta ſunt, ad diſciplinam Eccleſiaſticam utcunque reformandam. Omnes è Clero habitum Clericalem exuentes, ita ſæcularibus confundebantur, ut vix inter illos diſcrimen deprehenderetur; quare Concilium canone tertio ſtatuit, ut Epiſcopus, Presbyter & Diaconus tunicam Sacerdotalem, *Sotanam* vulgò nuncupant, quocumque per civitatem ierit, cum operimento ſeu pallio deferat, præterquam *ſi in itinere longo ambulaverit. Quia ſicut mulier orans in Eccleſia non velato capite, deturpat caput ſuum, juxta Apoſtoli vocem; ita Sacerdos ſine operimento deturpat ſuum Sacerdotium*. Canone decimo quarto mederi tentatum eſt abuſui, qui irrepſerat nonnullis in Eccleſiis, ubi Epiſcopus ſive Presbyter dicta collecta ab Altari recedebat, quod ſupererat Miſsæ alteri peragendum dimittens: *Ut Epiſcopus, aut Preſbyter, dum ingreſſus fuerit ad Miſſarum*

ſolemnia

Digitized by Google

ſolemnia celebranda, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio Epiſcopo aut Presbytero ſuppleantur Miſſarum ſolemnia; ſed qui initium ponit, ſuppleat uſque ad finem; quia ſcriptum eſt: qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. Si quis verò præſumpſerit præter quod poſuimus agere, à ſacro Corpore & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit ſuſpenſus. Alii canones in Tomis Conciliorum legendi. Illud porrò Concilium anno 743, indictione 12 à Kalendis Septembris inchoata coactum rectè dicit Baronius, ex literis Zachariæ eodem anno datis.

IX. *Legatos Cpolim mittit.*

Zacharias Pontifex dictus, juxta ritum Eccleſiaſticum fidei ſuæ ſponſionis orthodoxæ Synodicam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo miſit, aliamque ſuggeſtionem per Reſponſales ſuos Conſtantino Imperatori; ſed hi intra Palatium Regiæ urbis invenerunt Artabaſdum invaſorem & rebellem. Poſtquam verò tam Artabaſdo, quàm filiis ejus eruti fuerunt oculi, Conſtantinus Copronymus licèt hereticus, requirens Miſſum Apoſtolicæ Sedis eum Romam dimiſit, *& juxta quod beatiſſimus Pontifex Zacharias poſtulaverat, donationem in ſcriptis de duabus maſſis, quæ Nymphas & Nornias appellantur, juris exiſtentibus Reipublicæ, eidem ſanctiſſimo Papæ, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ jure perpetuo direxit poſſidendas*, inquit Anaſtaſius; quæ donatio contigit anno ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio, ut Artabasdi depoſitio demonſtrat. Porrò *maſſa* idem eſt ac *manſus*, vel *manſa*, deſignatque certam agri portionem, ut explicat Ducangius in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis in vòcibus, *manſus & maſſa*. Ex quo Baronii Annotator obſervat evidenter patere Gregorium II Imperii jugum non excuſsiſse, nec conſequenter Leonem Iſaurum anathemate perculiſse; Zacharias enim cum Conſtantino, Leone patre deteriori, commercium aliquod non habuiſſet, ſi hic à deceſsore ſuo excommunicatus, & tributorum ſolutione mulctatus fuiſset.

X. *Scribit ad S. Bonifacium de forma Baptiſmi.*

Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto Zacharias reſcripſit ad S. Bonifacium de formâ Baptiſmi. In Bajoaria Sacerdos quidam formâ ſolitâ, ſed vitiatâ latinitate baptizavit, dicens: *Baptizo in nomine Patria, & Filia & Spiritua Sancta.* Quos ille baptizavit, rebaptizandos eſse exiſtimavit Bonifacius, ſed interceſsere Virgilius & Sedonius, qui Evangelii propagandi causâ in Bajoariam venerant, ſeque in ipſius Bonifacii diſciplinam tradiderant: hi enim rem totam Romano Pontifici per literas referri petierunt. Reſpondit Zacharias in hæc verba: *Si ille qui baptizavit, non errorem aut hæreſim introducens, ſed pro ſola ignorantia, Romanæ latinitatis infringendo linguam, baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire, ut denuo baptizentur. Quia, quod tua benè conceptum habet Sancta Fraternitas, quicumque baptizatus fuerit ab hereticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, nullo modo rebaptizari, ſed per ſolam manus impoſitionem purgari debet.* Zachariæ Epiſtolam anno 744 ſcriptam, conſtat ex eo quòd dicitur data Kalendis Juliis Conſtantini Imperatoris anno quarto, indictione duodecima, quæ eo anno obtinuit uſque ad Kalendas Septembris, quove Conſtantinus die decima octava Junii annum imperii quartum inchoavit.

XI. *Secundam Romæ Synodum celebrat.*

Anno inſequenti, ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto, idem S. Bonifacius Apoſtolicæ Sedis in Germania Vicarius, Denéardum Presbyterum Romam miſit, qui Zachariæ ſignificaret maximum ſibi laborem eſſe contrà Aldebertum natione Gallum, & Clementem natione Scotum duos hæreticos peſſimos & blaſphemos contra Deum & Catholicam fidem, qui Germaniam ex parte & Galliam ſuis inſanis erroribus dementabant. Aldebertus ſeu Adalbertus ſub pietatis prætextu, Angelum Domini, qui ei ſacras reliquias de longe attulerat ſe vidiſſe mentiebatur; eaque ratione mulierculas & ruſticorum multitudinem ſeducebat, cruciculas diſtribuebat, Oratoria mediis in campis, in quibus Adalberti nomen invocaretur, vulgus erigebat, qui peccata, ea confiteri volentibus, etiam non audita dimittebat, in inceſſu demùm, habitu & moribus ſe Sanctum fingebat. Clemens verò nonnihil audaciùs ſe gerens, in Eccleſiæ fidem inſurrexerat, docuèratque Chriſtianum, Judæorum more, poſſe viduam fratris defuncti in uxorem accipere; Chriſtum in inferos deſcendentem inde fideles & idololatras eductos ex equo liberaſſe. De Dei itidem prædeſtinatione multa contra fidem affirmabat. Zacharias acceptis per Denéardum Bonifacii literis menſe Octobri ejuſdem anni 745 Synodum Romę coegit, cui ſubſcripſerunt Epiſcopi octo; ut & poſt eos ſeptemdecim Presbyteri ex Eccleſiarum ſuarum titulis Cardinales, quæque tribus ſecretariis, ſeu Seſſionibus acta eſt; decretumque Aldebertum, *quia ſe Apoſtolum cenſuit nominare, & capillos atque ungulas ſuas populis pro ſanctuario exhibuit, & ſub obtentu Angelorum Dæmones in ſuo auxilio invocavit*, deponendum eſſe. Si perſeveraverit, ei dictum eſt anathema, quod etiam latum eſt in Clementem niſi reſipuerit. Illam porro Synodum anno ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto celebratam, demonſtrat Auctor Criticæ Baronii ad eum Chriſti annum.

XII. *Moguntiam in Metropolim pro S. Bonifacio confirmat.*

Idem Bonifacius ad Zachariam ſcripſerat, Carolomannum & Pippinum Francorum Principes elegiſſe unam civitatem in par-

SÆC. VIII. S. ZACHARIAS. partibus Germaniarum, ut *ibi Sedem Metropolitanam perpetuo tempore habere* deberet Bonifacius. Eam civitatem Baronius & alii Moguntiam interpretantur; ſed ex ipſa Zachariæ ad Bonifacium reſponſione patet fuiſſe civitatem Colonienſem, quam his verbis Metropolitanam declarat apud Baronium anno 745 nu. 45. *De civitate namque illa, quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc verò Colonia, juxta petitionem Francorum, per noſtræ auctoritatis præceptum, nomini tuo Metropolim confirmavimus, & tuæ Sanctitati direximus, pro futuris temporibus ejuſdem Metropolitanæ Eccleſiæ ſtabilitate*. Sed cùm Sedes Moguntina vacaret, per Gervilionis Epiſcopi depoſitionem, factam in Concilio Germanico II, eodem anno 745 à S. Bonifacio coacto, ea proceribus Francorum aptior viſa eſt, quæ Sede Metropolica exornaretur. Quare eam Zachariæ propoſuere, iſque ſuis literis anno 748 datis, Moguntiam Metropolim confirmat, eique ſubjicit has quinque civitates, Tungris, Coloniam, Wormantiam, Spiram, & Trajectum ad Rhenum. Porrò eam confirmationem Metropolitanæ Sedis Moguntinæ anno ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo factam, deducitur ex eo quòd Zacharias in iiſdem literis ſcribat Bonifacio: *Elaboraſti, Deo prævio, nunc uſque per annos 25, in eadem prædicatione, ex quo Epiſcopatum ſuſcepiſti*, &c. *Et dum in his piis operibus occupata eſſet tua Fraternitas, nunc uſque Cathedralem Sedem minimè ſibi vindicavit.* Cùm itaque ex dictis, anno ſeptingenteſimo viceſimo tertio exeunte Bonifacius Epiſcopus Regionarius Romæ Ordinatus fuerit, illi anni 25 demonſtrant eam Epiſtolam anno 748 datam, & ſic eo anno Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum à Zacharia Papa dictum eſſe. Id etiam aſſerit Hincmarus in Epiſtolæ VI capite 19. Bonifacium nempe, poſtquam Epiſcopus ordinatus eſt, per annos 25 in prædicatione ſine Cardinali ſede laboraſse, donec *Zacharias Papa inter cætera in privilegio ſibi directo ſcripſit atque firmavit ad locum*, nempe ad Moguntinam Metropolim.

XIII. *Ad varia Pippini & Bonifacii capitula reſpondet.* Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Nonis Januarii idem Zacharias Papa reſpondit ad varia capitula, de quibus fuerat à Pippino Majore domûs conſultus per Ardabanium Presbyterum. Septem ac viginti capitibus conſtat hęc reſponſio pro numero Capitulorum à Pippino propoſitorum, totaque ex antiquis canonibus petita eſt, ut legenti patet. Anno verò 748 Kalendis Maii reſpondit ad capitula alia propoſita in literis, quas per ſanctum Burchardum Wirzeburgenſem Epiſcopum Bonifacius ad ipſum ſcripſerat. Quorum Capitulorum decimum eſt de fixo apud Moguntiam Bonifacii Archiepiſcopatu: *Alia denique ſcriptura tuæ Fraternitatis*, ait Zacharias, *continebat, quòd jam olim de Agrippina civitate ſcripſiſti, quòd Franci non perſeveraverunt in verbo, quod promiſerunt, & nunc moratur tua Fraternitas in civitate moguntina. Petiſti autem, ut cum noſtro conſultu, ſupervenіente tibi ſenectute & plena dierum ætate, atque imbecillitate corporis, ſi invenire potueris alium, in eamdem ſedem, in qua praes, pro tui perſona debeas collocare. Tu verò, cariſſime, Legatus & Miſſus es, ut fuiſti, Sedis Apoſtolicæ. Nos verò, adjutore Deo, conſilium præbemus tuæ reverendæ Sanctitati, ut pro ſalute animarum rationabilium, factore Chriſto, Sedem, quam obtines Sanctæ Moguntinæ Eccleſiæ, nequaquam relinquas, &c. ſin verò, ſi Dominus dederit juxta tuam petitionem hominem perfectum, qui poſſit ſolicitudinem habere & curam pro ſalute animarum, pro tui perſona illum ordinabis Epiſcopum*, &c. Tunc itaque Moguntino Epiſcopatu potiebatur Bonifacius, & poſtea, ut num. ſuperiori diximus, literis menſe Novembri ejuſdem anni 748 datis, Zacharias eamdem Eccleſiam Metropolitanam confirmavit; literis verò menſe Majo datis ipſi Bonifacio permittit, ut ſibi Coadjutorem aſſumat, & ordinet.

XIV. *Fuldenſe Monaſterium privilegio munit.* Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto S. Bonifacius ad Carolomannum Majorem Domûs perrexit, ab eoque petiit, ut locum ſibi concedere vellet *in ſolitudine, quæ Bochonia nuncupatur, juxta fluvium, qui dicitur Fulda*, ad fundandum Monaſterium, quem locum Carolomannus ei tradidit, ejuſque exemplo Optimates quidquid ibi proprietatis habebant eidem donarunt, ut refert Othlonus in Vita S. Bonifacii lib. 2 cap. 18. Quare eodem anno, Hermanno Contracto, Mariano Scoto, Lamberto Schafnaburgenſi, Annaliſta Fuldenſi, aliiſque compluribus teſtibus, monaſterium illud à S. Sturmio, ſeu Sturmione primo ejus Abbate à Bonifacio conſtituto, ædificari cœptum eſt. Ibi Sturmio ſcholam in gratiam juventutis erexit, in qua aliquando Alcuinus docuit, & ex qua prodiere lumina clariſsima *Aimo*, *Freculfus*, *Rabanus*, *Walafridus Strabus*, aliique innumeri. Ex hoc Monaſterio plures ad infulas rapti, è quorum numero novem Præſules Moguntia ſibi vindicat. Illud ſub Sancti Benedicti Regula fundatum, Zacharias, rogante Bonifacio, Sedis Apoſtolicæ munivit privilegio, eidemque Sedi immediatè ſubjecit. Privilegium illud extat apud Othlonum lib. 2 cap. 15, diciturque datum *pridie Nonas Novembris*, *imperante Domino Auguſto Conſtantino*, *anno* 32 *imperii ejus*, *indictione quinta*, ideoque anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo primo. Perſtat etiam hodie celeberrimum iſtud monaſterium, oppido ac ditione propria auctum; ſitum

Digitized by Google

SÆC. VIII. S. ZACHARIAS.

ſitum in Buchoniæ Pago ad amnem Fuldam, cujus Abbas Abbatum Germaniæ Primas eſt, & ſpiritalem in ſubditos juriſdictionem habet, ut videre eſt apud Browerum in lib. de Antiquit. Fuldenſibus, ubi plura refert de Sanctis & Viris illuſtribus, qui in eo Monaſterio floruere.

XV. Carolomannum Monachi habitu induit.

Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo Carolomannum Majorem-Domus Franciæ devotionis cauſâ, *regnum unà cum filio ſuo Drogone in manibus germani ſui Pippini commiſiſſe, & ad limina beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Romam in Monachorum ordinatione perſeveraturum adveniſſe* teſtatur Continuator Fredegarii, cui ſuffragantur Annaliſtæ Metenſis, Nazarianus, Petavianus, Maſciacenſis & Auctor Chronici San-Dionyſiani. Eadem refert Anaſtaſius in Vita Zachariæ Papæ his verbis: *Hujus Pontificis temporibus Carolomannus filius Caroli Francorum principis, præſentis vitæ relinquens gloriam, atque poteſtatem terrenam, ad beatum Petrum Apoſtolorum Principem devotus cum aliquantis ſuis advenit fidelibus; ſeſeque Dei contulit Apoſtolo, atque in ſpeciali habitu fore ſpondens permanſurum, Clericatus jugum ab eodem ſanctiſſimo ſuſcepit Pontifice. Et poſt aliquantum temporis ad B. Benedicti, quod in Aquinenſium finibus ſitum eſt, profectus eſt monaſterium, in quo & ſuam finiri vitam jure profeſſus eſt jurando.* Ubi Clericatûs nomine, Monaſticum ſtatum intelligit Anaſtaſius; quo ſenſu paſſim alibi hoc vocabulum uſurpatur. Ex quo corrigendi illi, qui Carolomannum primò Caſinum adiiſſe, ibique Monachum factum affirmant; nam Herkempertus ſcribit eum Romam adiiſſe & à Zacharia Papa factum eſſe Monachum, indeque Caſinum *poſt aliquantum temporis* profectum eſſe. Eo autem intermedio tempore *in Monte Soracte Monaſterium in honorem S. Silveſtri ædificavit: ubi quondam tempore perſecutionis, quæ ſub Conſtantino facta eſt, lateiſſe fertur*, ut ſcribit Eginhardus in Annalibus ad annum 746. Eadem refert hic in Vita Caroli Magni cap. 2, & ex eo Adrevaldus in lib. de Miraculis S. Benedicti cap. 14, qui addit multos nobiles ex Francia Romam, ad vota ſolvenda commeantes, & otium, quo maximè delectabatur, in Monaſterio Soractis Montis, interrumpentes, eum mutare locum compuliſſe. Ex quibus ſequitur Carolomannum ab ipſo Papa Zacharia Romæ Monachico habitu indutum fuiſſe.

XVI. Rachim Regem Longobard. ad vitam monachicam adducit.

Rachis Longobardorum Rex nulla habita ratione pacis vicennalis, quam cum Romano Pontifice ſanciverat, Pentapolitanam invaſit provinciam, ferro & igne omnia vaſtans, Peruſiam obſidione cinxit. Quod audiens Zacharias Papa, aſſumptis quibuſdam ex ſuo Clero, divina ſpe fretus ad eamdem pervenit civitatem, eumque muneribus & precibus placatum ad ſolvendam obſidionem adduxit; quin & ſacris exhortationibus, tantùm ipſi ſæcularis vitæ indidit faſtidium, ut abdicato regno cum uxore Theſia & filia Rattruda, vitam religioſam ſub Regula S. Benedicti profeſſus ſit: ille in Caſinenſi monaſterio; iſtæ in Monaſterio puellarum, quod non procul à Caſino conſtruxere & dotavere, ut conſtat ex Anaſtaſio in Vita Zachariæ, Leone Oſtienſi in Chronico Caſinenſi cap. 8, & Sigeberto in Chronico, ubi teſtatur Rachin nuncium ſæculo miſiſſe anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo nono, quem annum etiam exhibet Monachus Nonantulanus Anonymus in Vita S. Anſelmi Abbatis Nonantulani in Italia primi apud Mabillonium Sæc. IV Benedict. part. 1.

XVII. Conſulitur à Francis an Pippinus Rex ſit dicendus.

Anno ſeptingenteſimo quinquageſimo primo Galliarum Optimates, videntes Regiam poteſtatem reſidere apud vacuum Regii nominis ſimulachrum, regnum transferre decreverunt in Pippinum Ducem, Caroli Martelli filium, acerrimum bello, & pacis artibus ſolertem virum, ut Franciam inteſtinis ſeditionibus agitatam, & à finitimis populis laceſſitam potentiſsimè tueretur; tum etiam, ut religionem Chriſtianam in Italia periclitantem ob Longobardorum & Græcorum hæreſim; in Hiſpaniis oppreſſam Mahometici ſacrilegii peſte; & in pleriſque Germaniæ regionibus extinctam ob idololatriam, in libertatem priſtinumque decus aſſereret. Sed cùm in negotio tam ſerio, de ſacramenti quoque religione ageretur, quo Hilderico Regi obſtricti erant, Zachariam Papam per Burchardum Epiſcopum Wirziburgenſem, & Fulradum Abbatem S. Dionyſii, quos Legatos ad eum miſerunt, conſulendum cenſuere, & ſuperiùs narrata expoſuere. Reſpondit Zacharias, Regio nomine ornandum eſse Pippinum, penès quem erat libera totius regni adminiſtratio. Quare Proceres ſecuti ſunt ſanctæ Sedis conſulentis & monentis auctoritatem, ut explicat Marca lib. 3 Marcæ Hiſpanicæ cap. 4, qui addit Eginhardum in Annalibus, ne populi permiſsas ſuo arbitrio putent Regum mutationes, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem adjungere; huic verò conſenſum Procerum, & utriſque ſeriem continuam Regum, quorum ſocordia & inertia fuerat exitialis rei publicæ Chriſtianæ. Hanc Legationem ad annum ſeptingenteſimum quinquageſimum primum pertinere oſtendunt, Egilwardus in Vita Sancti Burchardi, Eginhardus & Annaliſta Fuldenſis, quos Baronius ſequitur.

XVIII. Pippinus fit Rex Francorum.

Legatis Româ reverſis, Proceres Pippinum in urbe Sueſsionica ſcuto impoſitum, ut tum mos gentis erat, & unctione ſacra à Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino delibutum, anno ſeptingenteſimo quinquageſimo

geſimo ſecundo venerati ſunt, & Hildericus ultimus Merovingorum Franciæ Regum in Monaſterium truſus eſt, ut teſtantur Annales Francorum à Pithæo editi his verbis: *Septingenteſimo quinquageſimo ſecundo anno ab Incarnatione Domini Zacharias Papa ex auctoritate beati Petri Apoſtoli, mandat populo Francorum, ut Pippinus, qui poteſtate Regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Itaque Hildericus Rex, qui ultimus Merovingorum Francis imperavit depoſitus & in monaſterium miſſus eſt. Pippinus verò in civitate Sueſſionum à Sancto Bonifacio Archiepiſcopo in Regem unctus, regni honore ſublimatus eſt.* Pippinum antequam à Stephano Papa II in Regem ungeretur, in ipſa ad regnum aſſumptione unctum fuiſſe à Sacerdotibus Galliarum diſertè aſſerit Anonymus Scriptor clauſulæ libro Gregorii Turonenſis de Gloria Confeſſorum ſubjunctæ, quam refert Mabillonius lib. 5 de re Diplomatica pag. 385. In hac enim clauſula anno 767, ipſo Pippino adhuc vivente ſcripta legitur: *Pippinus, Rex pius, per auctoritatem & imperium ſanctæ recordationis Domni Zachariæ Papæ & unctionem ſancti chriſmatis, per manus beatorum Sacerdotum Galliarum, & electionem omnium Francorum, in regni ſolio ſublimatus eſt.* Hanc verò unctionem ſpeciatim à S. Bonifacio peractam, prȩter Annales Pithœanos laudatos teſtantur Regino, Marianus Scotus, Sigebertus, Annaliſtæ Tillianus, Metenſis, aliique.

XIX. *Ungitur à S. Bonifacio & deinde à Stephano PP.*

Et quidem Pippinus videtur eſſe primus ex Francorum Regibus, qui unctus eſt in Regem; nullus enim antea ab Epiſcopis benedictus legitur, ſed omnes ut regni imperium adepti erant, à populis clypeo evecti, conſtituebantur Reges. Longè autem antiquiorem fuiſſe Regum Scotiæ & Hiſpaniæ benedictionem oſtendit Edmundus Martene lib. 2 de Antiquis Eccleſiȩ Ritibus Tom. 3 cap. 10, ubi exponit ritus in ſolemni Regum benedictione adhibitos, in quibus corporis partibus fieret unctio, tandemque refert varios Ordines benedictionum, & unctionum Regum, in quorum quinto extat Reginæ benedictio, quæ, ni valde fallor, in hac Pippini Regis unctione, etiam uncta eſt; cùm Continuator Fredegarii in ſecunda Appendice juſſu Nibelungi Comitis Childedrandi fratris priori Appendici ſubjuncta, ſcribat: *Unà cum conſilio & conſenſu omnium Francorum miſſa relatione à Sede Apoſtolica auctoritate percepta, præcelſus Pippinus electione totius Franciæ in Sedem regni cum conſecratione Epiſcoporum & ſubjectione Principum, unà cum Regina Bertradane, ut antiquitùs ordo depoſcit, ſublimatur in regno.* Quod confirmatur ex narratione de unctione Pippini cum filiis & uxore facta à Stephano Papa hujus nominis II anno 754, quæ extat apud Hilduinum in Areopageticis, de qua infra. Ceterùm utraque Pippini ſive benedictio, ſive unctio, ſive coronatio nullum in eo jus confirmavit; coronatio enim tam Summorum Pontificum, quàm Regum, mera cæremonia eſt, indeque reſcripta, quæ beneficiorum Eccleſiaſticorum conceſſionem continent, à Summis Pontificibus ante conſecrationem emiſſa, effectum habent in Gallia, ut ex Supremæ Curiæ Pariſienſis Areſtis conſtat.

XX. *Zachariae Epiſcoporum nominationem Pippino Majori-domus conceſſit.*

Nominationem Epiſcoporum pro Eccleſiis vacantibus in Regno Galliarum Pippino Regi Zachariam conceſſiſſe, ſcribit Baronius ex Epiſtola Lupi Abbatis Ferrarienſis ad Amulum Archiepiſcopum Lugdunenſem; ſed ex ea deducitùr tantùm id conceſſum eſſe à Zacharia Pippino non Regi, ſed dum adhuc Major-Domùs eſſet, & quidem in Concilio Sueſſionenſi anno ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto celebrato; ait enim Lupus apud Baronium: *Pippinus, à quo per maximum Carolum & religioſiſſimum Hludoguicum Imperatores ducit Rex noſter* (ſcilicet Carolus Calvus) *originem, expoſita neceſſitate hujus regni Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit* (ideoque Sueſſionenſi) *ejus accepit conſenſum, ut acerbitati temporis, induſtriâ ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis mederetur; ne forte ſimplicitate Pontificum poſſet contingere quod in hac Heduorum urbe, cujus nos nunc curam exercet, evenit.* Unde in Synodo Sueſſionenſi, cui Pippinus Dux & Princeps Francorum, ac Sanctus Bonifacius interfuere, canone tertio hæc verba leguntur: *Conſtituimus per conſilium Sacerdotum, & Optimatum meorum & ordinavimus per civitates legitimos Epiſcopos, & idcirco conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopos Abel & Ardobertum*, hunc Senonis, illum Remis. Eodem jure uſus fuerat Carolomannus in Synodis Germanica & Liptinenſi ante Sueſſionenſem congregatis, & Zacharias cuncta, quæ in illis Synodis ſtatuta ſunt, approbavit.

XXI. *Libros dialog. Gregorii M. in Græcum transtulit.*

Zachariam libros Dialogorum Sancti Gregorii Magni è latino in græcum transtuliſſe tradunt Anaſtaſius Bibliothecarius in ejus Vita, Photius Codice 252, & Joannes Diaconus lib. 4 cap. 75 Vitæ ejuſdem Sancti Gregorii, ubi ſcribit: *Quos libros* [ſcilicet Dialogorum] *Zacharias Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus Græco Latinoque ſermone doctiſſimus, temporibus Conſtantini Imperatoris, poſt annos ferme centum ſeptuaginta quinque* (quindecim ad minus annos plùs numerat Joannes Diaconus) *in Græcam linguam convertens, Orientalibus Eccleſiis divulgavit, quamvis aſtuta Græcorum perverſitas in commemoratione Spiritûs Sancti à*

Digitized by Google

Patre procedentis, nomen Filii ſuaptim radens, abſtuleritt. Nam cùm libro 2 Dialogorum capite ultimo ſcriptum reliquiſſet Gregorius: *Cùm enim conſtet, quia Paraclitus Spiritus à Patre ſemper procedat & Filio*, in vulgato Zaccharie contextu Græco legitur: *Apertè igitur patet, quod Paracletus Spiritus à Patre procedit, & in Filio permanet*.

XXII. *Vitam cum morte commutat.* Zacharias rebus pro Eccleſiæ ſalute, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate, non minus piè, quàm proſperè geſtis, ita ut inter primores Pontifices & ſanctitate inſignes numerandus veniat, in Domino obdormivit die decima quarta menſis Martii anni ſeptingenteſimi quinquageſimi ſecundi, poſtquam juxta Anaſtaſium ſediſset *annos decem, menſes tres, dies* 14, *& ſepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum Idibus Martii*, die ſcilicet decima quinta Martii, *indictione* 5, ad quem diem nomen ejus inſcriptum eſt Martyrologio Romano; in Martyrologio tamen Bellini *ſecundùm morem Romanæ Eccleſiæ* anno 1498 Venetiis edito, aliiſque à Bollando ad diem 15 Martii in ejus Vita memoratis, nomen ejus inſcribitur ad diem decimum quartum Martii, quo mortuus eſt anno, ut diximus, 752, quove indictio quinta ab Anaſtaſio memorata in curſu erat. Eum porrò ſediſſe annos decem, menſes tres & dies 14, præter Anaſtaſium vulgatum, habent etiam ejus exemplaria MSS. Regino, Luitprandus, variique Catalogi.

XXIII. *Ejus virtutes & munificentia.* Erat Zacharias vir humanitatis laude inſignis, tardus ad iram, velox ad miſericordiam, ut inquit Anaſtaſius num. 1 laudatus, qui & multas ædes ſacras ejus piâ munificentia vel reſtauratas, vel ornatas memorat; ſicuti & ab ipſo caput ſancti Georgii Martyris inventum, ac in Baſilicam ſub ejus invocatione Deo ſacram, quæ *ad Velum Aureum* appellatur, tranſtuliſſe, *ubi immenſa miracula & beneficia Omnipotens Deus ad laudem nominis ſui per eumdem ſanctiſſimum Martyrem operari dignatur*.

STEPHANUS ELECTUS.

Anno Domini DCCLII.

I. *Stephanus eligitur PP. sed moritur antequam ordinetur.* DEfuncto Zacharia Papa, Stephanus quidam Presbyter, natione Romanus, à populo ſtatim creatus eſt Romanus Pontifex, & in Lateranenſe Patriarchium immiſsus, *ubi biduo manens, tertio die poſtquam à ſuo ſurgeret ſomno*, ac domeſticas res diſponeret, ſubitò dum ſederet alienatus obmutuit, *& ſequenti die defunctus eſt*, inquit Anaſtaſius, qui eum inter Romanos Pontifices non numerat: Onuphrius in Chronico Eccleſiaſtico, at in Notis ad Platinam, & poſt eum Baronius, hunc Stephanum inter Pontifices Romanos enumerant; ſed hæc opinio omnes antiquos Scriptores contrarios habet, omneſque Romanorum Pontificum Catalogos, in quorum nullo legitur nomen hujus Stephani Presbyteri, quia ſcilicet tantùm Pontifex Electus, nunquam verò ordinatus fuit. Licèt enim moris eſset Electum ſtatim à ſua electione induci in poſseſsionem Patriarchii, non tamen dicebatur ſimpliciter, aut erat verus Pontifex, antequam ordinaretur. Unde Anaſtaſius & Frodoardus in Fragmento de Romanis Pontificibus, à nobis ſæpius laudatus, qui anno ſexageſimo ſecundo ſæculi decimi obiit, ſequentem Stephanum, ſecundum hujus nominis vocant, & ſic deinceps cæteros hujus nominis Pontifices, numerorum notâ ſervatâ; quod certè non feciſsent, ſi tunc iſte Stephanus Electus inter Romanos Pontifices fuiſset adnumeratus. Ad confuſionem itaque vitandam, Stephanum poſt hunc ſequentem, dicemus quidem Stephanum ſecundum, ſed cum hoc addito, *aliis tertium*, & ſic in aliis uſque ad Stephanum decimum.

STEPHANUS II, *aliis* III, *Pontif.* XCIV.

Anno Domini DCCLII.

I. *Stephanus II creatur Papa.* ANaſtaſius duratione Sedis Zachariæ, & die quo ſepulturæ mandatus eſt, memoratis, ſcribit: *Ceſſavit Epiſcopatus ejus dies duodecim*, quod etiam legitur in exemplaribus ejus MSS. Ex quo inferendum eſt Stephanum hujus nominis II, vulgò III, natione Romanum, ex patre Conſtantino, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconum, ordinatum eſſe Romanum Pontificem die vigeſimâ ſexta menſis Martii, in quam anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo Dominica cadebat. Anaſtaſium dies illos duodecim vacationis Sedis deſumere à morte Zachariæ, non verò Stephani

Pre-

Digitized by Google

SÆC. VIII. STEPHANUS II.

Presbyteri Electi, ex eo deducitur, quòd ipſemet Anaſtaſius ſcribat, Stephanum II ſepultum eſſe die vigeſima ſexta Aprilis anni ſeptingenteſimi quinquageſimi ſeptimi *indictione decima* notati, poſtquam ſediſset *annos quinque & dies viginti novem*, vel *viginti octo*, ut eſt in Anaſtaſio vulgato; unde ex eodem Anaſtaſio neceſse eſt eum fuiſse ordinatum, vel die vigeſima ſexta, vel die vigeſima ſeptima Martii anni 752, ideoque ab eo numeratos eſse dies illos 12 vacationis Sedis à morte Zachariæ, non verò à morte Stephani Electi, qui conſequenter ab eodem Anaſtaſio excluſus eſt à numero Pontificum Romanorum. Stephanus porrò II *poſt tranſitum patris ſui parvus derelictus, in venerabili cubiculo Lateranenſi pro doctrina Apoſtolicæ traditionis ſub prædeceſſoribus beatis Pontificibus permanſit, quem ſigillatim per Clericales ordines promoventes, ad Diaconatûs ordinem eum ordinaverunt*, inquit idem Anaſtaſius.

II. *Auxilium Imp. contra Longobardos fruſtrà implorat.*

Stephanus II difficillimis temporibus creatus eſt Pontifex; ipſo enim Pontificatûs ejus initio Aiſtulphus Longobardorum Rex, rupto fœdere, quod cum Eccleſia Romana pepigerat, ipſam Romam petere decrevit, quo tempore, Imperatoris obſequium Romani nondum deſeruerant. Pontifices enim Romani, poſt ſua latifundia invaſa, & hæreſim Leonis Imperatoris, ejus ac Conſtantini Copronymi imperium coluerunt, & Reipublicæ curam non deſeruerunt, & Romana civitas, licèt calamitatibus belli ab Aiſtulpho Rege vexata, ejuſdem Conſtantini Imperium agnoſcebat: à quo miſſus Romam Joannes Silentiarius cum literis ad Papam, & ad eundem Regem Aiſtulphum, qui Ravennam adiens cùm Paulo Stephani Papæ fratre, provinciarum ab eo Romano Imperio ablatarum reſtitutionem obtinere non potuit. Quare Stephanus Pontifex ab Imperatore per Legatos petiit, *ut juxta quod ei ſæpiùs ſcripſerat, cum exercitu ad tuendas has Italiæ partes modis omnibus adveniret, & de iniquitatis filii morſibus Romanam hanc urbem, vel cunctam Italicam provinciam liberaret*, inquit Anaſtaſius in Stephano II.

III. *Ad Pippinum Francorum Regem confugit.*

Cùm verò nulla ſpes præſidii ex Oriente ſupereſſet, & Aiſtulphus Rex Romam obſideret, ut eam ſuæ ditioni ſubderet, ac Romanæ Eccleſiæ civitates invaderet, Stephanus preces publicas pro Urbis ſalute fudit, unicùmque ſaluti ſubſidium cenſuit, Gallicanæ pietatis arma implorare: *Cernens*, inquit Anaſtaſius, *ab Imperiali potentia nullum eſse ſubveniendi auxilium: tunc quemadmodum prædeceſſores ejus beatæ memoriæ Dominus Gregorius & Gregorius alius, & Dominus Zacharias beatiſſimi Pontifices Carolo excellentiſſimæ memoriæ Principi Francorum direxerunt, petentes ſibi ſubveniri propter oppreſſiones & invaſiones, quas & ipſi in hac Romana provincia à nefanda Longobardorum gente perpeſſi ſunt: ita & modò ipſe venerabilis Pater divina gratia inſpirante, clam per quendam peregrinum ſuas miſit literas Pippino Regi Francorum* directas, quibus ad auxilia mittenda eum ſolicitavit. Pippinus his literis acceptis, Droctegangum Abbatem Romam direxit. Ut verò prædictum peregrinum alii Nuncii Apoſtolici, ſic & Droctegangum Abbatem ſecuti ſunt alii Miſſi Regii, Chrodigangus Epiſcopus & Autcharius Dux, Droctegango Roma interim Franciam verſùs digreſſo cum literis ad Regem, Proceresque deferendis.

IV. *Roma diſcedens Papiam pergit.*

Stephanus Papa Regiorum Miſſorum, Chrodigangi Metenſis Epiſcopi, & Autcharii Ducis adventu recreatus, egreſſus eſt ab urbe Romana *decimo quarto die menſis Octobris, indictione ſeptima*, juxta Anaſtaſium, ideoque anno ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio, atque cum illis in Longobardiam, indeque in Franciam, juxta quod petierat, profectus eſt. Papiam tranſiens reſtitutionem eorum, quæ ablata fuerant, ab Aiſtulpho Rege nequaquam impetrare potuit. Quare *quinta decima die menſis Novembris prædictæ ſeptimæ indictionis à civitate Papia movens, ſuum in Franciam profectus eſt iter*, quod cœptum gradiens ad Agaunenſe, ſeu Sancti Mauricii monaſterium pervenit, in quo aliquantis commoratus eſt diebus. Celeberrimum illud Monaſterium Agaunenſe, modò Tornatenſe ab oppidulo ibi condito denominatum, ſitum erat in Burgundiæ regno, non longè ab Octoduro, de quo legendus Tomus ſecundus Criticæ Baronianæ. Ad illud Monaſterium convenerunt à Pippino Rege directi Fulradus Presbyter & Capellanus, ſive Archicapellanus Palatii, & Rotardus Dux, *petentes eumdem Pontificem ad ſuum progredi Regem. Quem et cum magno honore cum omnibus, qui cum eo erant, ad eum deduxerunt.*

V. *Inde in Franciam.*

Poſt diem Natalis Domini, Pippinus Rex ſtatim ad villam Regiam Ponticonem in pago Pertenſi, non procul à Victoriaco-Incenſo ſitam, in occurſum Papæ perrexit, *unà cum conjuge, filiis etiam ac Primatibus*. Præmiſerat ad millia paſsuum non pauca, Carolum filium natu majorem obviam ei cum ſuis Optimatibus; ipſe cum uxore Bertrada, & altero filio Carolomanno ad tertium lapidem ſe obtulit; atque a[d] ejus conſpectum de equo deſcendens, [illegible] in terram inclinans, unà cum conjuge, [fil]iis ac Proceribus ſuis ipſum excepit, & aliquo etiam ſpatio operam ſtratoris ei navavit, ut teſtatur Anaſtaſius. Pontifex profectus eſt ad præfatum palatium *ſexta Januarii menſis die, in Apparitione Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Sacratiſſima ſolemnitate*; ideoque anno ſeptingenteſimo quinqua-

 geſimo

SÆC. VIII. STEPHANUS II.

geſimo quarto; Anaſtaſio enim hæc ſcribenti, ſuffragantur quoad annum Auctor poſterioris Appendicis ad Continuationem Fredegarii, & Annaliſta Metenſis. Pontifex in dicto Ponticonenſi palatio exiſtens, poſtero die Pippinum Regem deprecatus eſt, ut cauſam beati Petri & Reipublicæ Romanæ defenderet; Pippinus autem Rex Pontifici promiſit ſeſe *Exarchatum Ravennæ & Reipublicæ jura* reſtitui modis omnibus curaturum, ut teſtantur Annales Metenſes.

VI. *In monaſterio S. Dionyſii hyemem tranſigit.*

Ex Ponticonenſi palatio Stephanus Papa ad monaſterium Sancti Dionyſii prope Pariſios perrexit: *Sed quia tempus imminebat hyemale*, ſubdit Anaſtaſius, *eumdem ſanctiſſimum Papam cum ſuis omnibus Pariſios apud venerabile Monaſterium beati Dionyſii ad hybernandum pergere fecit*. Tunc Pippinus Rex *Legationem ad Aiſtulfum Regem Longobardorum* miſit, *petens, ut propter reverentiam beatiſſimorum Petri & Pauli in partibus Romæ hoſtiliter non ambularet, & ſuperſtitioſas ac impias, & contra legis ordinem cauſas, quas antea Romæ nunquam fecerat, propter ejus petitionem facere non deberet*, inquit Anonymus, qui ſecundam Appendicem adjecit ad Continuationem Fredegarii, quique annum à Kalendis Martii exordiens, ſubdit: *Cùm prædictus Rex Pippinus, quod per Legatos ſuos petierat, non impetraſſet, & Aiſtulfus hoc facere contempſiſſet, evoluto anno* ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio, Pippinum Kalendis Martii omnes Francos, ſicut mos eſt Francorum, in Brennaco villa Regia regni pagique Sueſſonici, poſita ad flumen Vidulam, quæ vulgò *Braine* appellatur, ad ſe venire præcepiſſe.

VII. *Cariſiacum pergit.*

Pippinus poſtea ad preces Stephani Papę Cariſiacum perrexit, ibique, ut ſcribit Regino in Chronico, Paſcha celebravit: *Pippinus*, inquit Anaſtaſius, *cum admonitione & oratione venerabilis Pontificis ad locum, qui Cariſiacus appellatur, pergens, ibique congregans cunctos Proceres Regiæ ſuæ poteſtatis, & eos tanti patris admonitione imbuens, ſtatuit cum eis, quæ ſemel, Chriſto favente, unà cum eodem Papa decreverat perficere*. Anno 754 Paſcha celebratum eſt die decima quarta menſis Aprilis, quod, ut dixi, Regino ſcribit Pippinum Cariſiaci celebraſſe eo anno, quo Stephanus II in Francia erat, quem perperam dicit fuiſſe 751. Eſt porrò Cariſiacum vulgò *Quirſi*, aut *Chirſi* Gallicè nuncupatum, locus ad Iſaram fluvium, tunc villa Palatina, paucis leucis ab urbe Noviomago diſtans, de qua legenda Diſſertatio à Mabillonio edita lib. 4 de Re Diplomatica pag. 258. Eòdem perductus eſt Stephanus Papa, ibique promiſſio ipſi à Pippino, filiiſque Carolo ac Carolomanno facta eſt, ut Romano Pontifici res à Longobardis ereptæ reſtituerentur, ſicut teſtatur idem Anaſt. in Hadriano I.

SÆC. VIII. STEPHANUS II.

VIII. *Reſpondet ad conſulta Monachorum Brittaniacenſium.*

Dum apud Cariſiacum cum Pippino Rege moraretur Stephanus II, Monachi Brittaniacenſes eum convenerunt, de quibuſdam Eccleſiaſticis rebus interrogaturi: quibus ipſe reſponſa dedit edita Tomo II Conciliorum Galliæ ſub hoc titulo: *Stephani II Papæ Reſponſa, quæ, cùm in Francia eſſet in Cariſiaco villa, Brittanniaco Monaſterio dedit ad varia Conſulta, de quibus fuerat interrogatus, anno Chriſti* 754. Subſequuntur Reſponſa 19 ad totidem interrogata, quæ in triplici verſantur materia; decem ſunt de Matrimonio, quinque de Baptiſmo, cætera de Clericis. Ea explicat Natalis Alexander Sæculo 8 in Stephano II, quem juxta vulgarem errorem Stephanum III appellat. Erat porrò Brittaniacum monaſterium quondam agri Noviomagenſis ad Oeſiam fluvium, nunc Prioratus Ordinis Cluniacenſis, Gallicè *Bretigny*.

IX. *Carolomannus Monachus in Franciam Legatus.*

Pippino verò Cariſiaci etiam cum Stephano Papa exiſtente, Carolomannus ejus frater tunc Monachus Caſinenſis, illuc quoque venit ex Italia, & *nitebatur omninò, & vehementer decertabat ſanctæ Dei Eccleſiæ cauſam ſubvertere, juxta quod à Præfato Rege Aiſtulpho fuerat directus*, inquit Anaſtaſius. Sed veroſimilius eſt quod ſcribit Eginhardus in Annalibus ad annum 753. Carolomannum ſcilicet, invitum Legationem illam obiiſſe, *quia nec ille Abbatis ſui juſſa contemnere, nec Abbas illius præceptis Regis Longobardorum, qui ei hoc imperavit, audebat reſiſtere*. Hanc Legationem juſſione ſui Abbatis ſuſcepiſſe Carolomannum, ſcribit etiam Annaliſta Laureshamenſis & multi alii. Sed Pippinus, ſicut jam Pontifici ſpoponderat, ejus & Romanę Eccleſiæ patrocinium ſuſcepit.

X. *Stephanus Pippinum & ejus filios in Reges ungit.*

Bellum undique contra Aiſtulphum Regem parabatur, ſed ob gravem & periculoſum morbum Stephani Papæ expeditio tantiſper retardata fuit. Ægrotabat circa finem menſis Julii Stephanus in Monaſterio ſancti Dionyſii, ut conſtat tam ex Anaſtaſio, quàm ex ipſomet Stephano in Epiſtola ejus, quę legitur apud Hilduinum in Areopageticis, poſt quàm ſequitur narratio de unctione Pippini cum filiis & uxore facta à Stephano, *hoc anno*, inquit Hilduinus, *qui eſt ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſeptingenteſimus quinquageſimus quartus, quinto Kalendas Auguſti*. Stephanus itaque, inſigni miraculo ejuſdem ſancti Dionyſii Martyris interceſſione ſanatus, ut referunt tum Anaſtaſius, tum Pontifex ipſe in laudata Epiſtola, Pippinum, ejuſque filios Carolum & Carolomannum, ac uxorem Bertradam, in Reges Francorum unxit die vigeſima octava menſis Julii, quæ anno 754 in Dominicam incidebat; hujuſmodi enim cæremoniæ diebus Dominicis

aut

Digitized by Google

SÆC. VIII. STEPHANUS II.

aut ſolemnioribus feſtis fieri ſolitæ erant. Bis itaque Pippinus in Regem unctus eſt, primùm à ſancto Bonifacio Apoſtolicæ ſedis Legato, ut in Zacharia Papa oſtenſum eſt, ſecundò à Stephano Papa, ut teſtantur Annaliſtæ Bertinianus, Loiſelianus, Metenſis, & alii, necnon & Anaſtaſius.

XI. *Eos Romanorum Patricios dixit.*

Stephanus Pippinum, Carolum & Carolomannum Reges inungens, eos Romanorum Patricios dixit, ut deducitur ex literis ad eos ſcriptis, quę extant in Codice Carolino num: 9, & quarum hæc eſt inſcriptio: *Domnis Excellentiſſimis filiis Pippino Regi, & noſtro ſpirituali compatri, ſeu Carolo & Carolomanno item Regibus, & utriſque Patriciis Romanorum, Stephanus Papa.* Sed rem extra dubium ponit Annaliſta Metenſis, qui ad annum 754 ſcribit: *Ordinavit* (ſcilicet Stephanus) *ſecundùm morem Majorum unctione ſacra Pippinum piiſſimum Principem Francis in Regem, & Patricium Romanorum: & filios ejus duos felici ſucceſſione Karolum & Karlomannum eodem coronavit honore.* Cùm verò in dicta Epiſtola, & non infrequenter in aliarum Epiſtolarum inſcriptione ac contextu, Stephanus Pippinum *ſpiritualem* ſuum *compatrem* vocet; quin & ipſos Carolum & Carolomannum *ſpirituales* ſuos *filios*, eorumque matrem Bertradam, *ſpiritualem* ſuam *commatrem*, in Epiſtola ad eumdem Pippinum ordine 8 in Codice Carolino, etiam appellet; hujus rei alia ratio adduci non poteſt, quàm quòd Stephanus II Carolum & Carolomannum è ſacro fonte levaverit, antequam eos in Reges inungeret. Quare falluntur, inquit Cointius in Annal. Eccleſiaſt. Francorum ad annum 754 num. 58, qui Carolum apud Moguntiam à Bonifacio illius civitatis Epiſcopo baptizatum eſse volunt.

XII. *Pippinus Regem Longobard. vincit.*

Cùm interea Pippinus Legatos ad Aiſtulphum Regem miſiſset, & ab eo quod petierat non impetraſset, in eum cum exercitu movit, ut narrant Auctor citatus ſecundæ Appendicis ad Continuationem Fredegarii, & Anaſtaſius, qui hanc expeditionem dicit contigiſse menſe Septembri, octava jam inchoata indictione, ideoque menſe Septembri ejuſdem anni ſeptingenteſimi quinquageſimi quarti. Miſit itaque Pippinus Rex ante ſuum occurſum aliquot ex ſuis Proceribus, & cum eis partem exercitus ad cuſtodiendas proprias Francorum clauſas, ſeu Alpium anguſtias; ipſeque tandem cum toto exercitu Alpes tranſgrediens, in ipſis montium faucibus, eumdem Aiſtulphum Longobardorum Regem prælio vicit, fugatumque inſequens Papiæ obſedit: cùm Pontifex novam timens Chriſtiani ſanguinis effuſionem, cum eo egit, ut accepto ab Aiſtulpho juramento, obſidibuſque pro reſtituenda Ravenna, aliiſque civitatibus, ipſe in Gallias regrederetur.

SÆC. VIII. STEPHANUS II.

XIII. *Stephanus PP. Romam redit.*

His ita quàm feliciſsimè geſtis, Pippinus Rex victor cum ſuis in Gallias, Stephanus autem Papa Romam rediit, ubi ſummo gaudio à ſuis exceptus, dignas Deo laudes pro tot tantiſque beneficiis publicè apud Baſilicam ſancti Petri ex more perſolvit. Stephanum Romam comitatus eſt Hieronymus, frater Pippini Regis, ut habet Annaliſta Fuldenſis; Annaliſtę verò Loiſelianus, Laureshamenſis, Bertinianus, & Regino Fulradum unum ex Pippini miſsis Hieronymo adjungunt. *Ipſe* Pippinus, inquit Annaliſta Laureshamenſis, *in regnum ſuum regreſſus eſt, & Stephanum Papam cum Fulrado Presbytero Cappellano, & non minima Francorum manu, Romam remiſit.* Stephanus autem Romam pervenit ante finem anni 754, ut ex dicendis conſtabit. Addit Paulus Æmilius, Pippinum domum gloriam retuliſse, ſe omnium mortalium primum, nullo ſuo dolore bellum externum adversùs gentem rebus geſtis nobiliſsimam pro religione ſuſcepiſse, nulloque ſuo commodo confeciſse.

XIV. *Non canonizavit S. Svidbertum.*

Circumfertur Epiſtola ſub nomine ſancti Ludgeri Epiſcopi Monaſterienſis ad Rixfridum Epiſcopum Trajectenſem, in qua legitur Pippinum Regem Stephano Papæ in Galliis exiſtenti, expoſuiſse miracula ſancti Swiberti ſeu Svidberti, qui labente ſæculo ſeptimo in Britannia Epiſcopus Regionarius ordinatus fuerat, ut gentibus verbum Dei annunciaret; & ab eo petiiſse, ut Sanctorum Confeſsorum catalogo adſcriberetur: & Pontificem ægrotantem apud ſanctum Dionyſium, commiſiſse vices ſuas ad canonizandum ipſum ſanctum *Hildulpho Treverorum, Bonifacio Moguntinorum Archiepiſcopis, Fulcario Leodienſi Epiſcopo, & præcipuè Hildegero Colonienſi Archiepiſcopo,* ſed eos propter incurſionem Saxonum & expeditionem Italicam Pippini *diſtuliſſe canonizationem ſancti Svviberti Epiſcopi uſque ad reditum ipſorum de Italia.* Editæ ſunt literæ *Rixfridi Trajectenſis Epiſcopi ad Ludgerum Monaſterienſis Eccleſiæ Epiſcopum,* petentis, *ut modum & ordinem Elevationis & canonizationis ſancti Svidberti in ſcripta redigeret;* tum ipſius Ludgeri idipſum exequentis. Sed Henſchenius ad diem 26 menſis Martii in Vita Sancti Ludgeri, & ad diem primum ejuſdem menſis in Vita ſancti Swiberti; ac Mabillonius Sæc. III Benedictino parte I in Elogio Hiſtorico ejuſdem ſancti Svidberti, eas literas ſuppoſititias eſse demonſtrarunt. Neque enim canonizationis nomen ante ſæculum decimum auditum, & Sanctorum canonizatio ante ſæculum duodecimum Pontificibus Romanis non reſervata, ut ſuo loco videbimus.

XV. *Quæritur quòd Rex Longobardo pacta non ſervaret.*

Eodem anno in finem vergente, Hieronymus Pippini Regis Frater, & Fulradus Abbas monaſterii ſancti Dionyſii Româ in

Digitized by Google

in Franciam rediere cum literis in Codice Carolino n. 7, recitatis, per quas apud Pippinum, Carolum & Carolomannum Reges Francorum, ac Patricios Romanorum, queſtus eſt Stephanus Papa, quòd Aiſtulphus Rex promiſſis minimè ſtaret, nihilque cùm Eccleſiæ Romanæ, tum Reipublicæ Romanorum reddidiſſet. In illis enim literis ait Pontifex de Aiſtulpho: *Nec unius palmi terræ ſpatium beato Petro, ſanctæque Dei Eccleſiæ, vel Reipublicæ Romanorum reddere paſſus eſt*, etſi, illi, nempe Pippinus, & filii, *propria voluntate, per donationis paginam B. Petro, ſanctæque Dei Eccleſiæ, & Reipublicæ civitates & loca reſtituenda* confirmaſſent: Ex quibus verbis etiam colligere eſt: cùm ventum eſt ad pacem inter Stephanum & Aiſtulphum, legem hanc à Pippino huic fuiſſe impoſitam, ut ablata cùm Eccleſiæ Romanæ, tum Reipublicæ Romanæ reſtitueret, non verò Imperio Romano, ut perperam quidam ſcribunt.

XVI. *Petit à Pippino, ut eum ad reſtitutionem ablatorum cogat.*

Non ſolùm Aiſtulphus ablata Eccleſiæ Romanæ non reſtituit, ſed poſt Fulradi & Hieronymi reditum in Galliam, ſtatim per ſcameras, ſive exploratores, perque deprædationes ſeu devaſtationes Stephano Papæ ſeſe moleſtum exhibuit. Qua re motus Stephanus, literas, quæ num. 9 in Codice Carolino leguntur, per Willharium ſeu Wilearium Numentanum Epiſcopum, ad prædictos Reges mox deferendas curavit, quibus ipſos urgebat, ut Aiſtulphum compellerent ad reſtituendum Eccleſiæ & Reipublicæ Romanæ quod abſtulerat, & quod Pippinus Romanæ Sedi donare decreverat: *Etenim*, inquit, *ſicut primitùs Chriſtianitati veſtræ ediximus, iniquus Aiſtulfus Rex, ingreſſo in ejus perfido corde Diabolo, omnia quæ per ſacramentum B. Petro per noſtros Miſſos reſtituenda promiſit, irrita fecit, & nec unius palmi terræ ſpatium B. Petro reddere voluit..... Non enim quia jam reddere, ut conſtituit, propria B. Petri noluit, ſed etiam ſcameras atque deprædationes ſeu devaſtationes in civitatibus & locis B. Petri facere ſua imperatione non ceſſavit, nec ceſſat...... Pro quo peto Vos, Excellentiſſimi & à Deo protecti filii, & nimis obſecro, doleat Vobis pro ſancta Dei Eccleſia & B. Petri cauſa, & quod per donationem B. Petro offerendum promiſiſtis, eidem contradere debeatis.*

XVII. *Roma à Rege Longobard. obſidetur.*

Anno ſeptingenteſimo quinquageſimo quinto ineunte Aiſtulphus Rex rursùm ingenti comparato exercitu ipſam urbem Romam obſidione cinxit, omnia circùm loca tam ſacra, quàm prophana devaſtans ac comburens, ſacras Imagines in ignem conjiciens, ſacroſanctum Corpus Dominicum polluens, Monachos plagis lanians, ſanctimoniales contaminans, ceteros Eccleſiaſticos laicoſque utriuſque ſexûs jugulans, infantulos à mamillis matrum extractos interimens, nullum denique impietatis & crudelitatis genus non exercens. Stephanus in his rerum anguſtiis, Legatos de ſervandis pactis ad Aiſtulphum Regem ſubitò miſit, ſed cùm pacati nihil retuliſset, *omnem, poſt Deum, ſpem in Regibus & gente Francorum conſtituens*, Warnerium Abbatem ad ſe à Pippino directum, & in Urbe defendenda militis officio egregiè functum, itinere maritimo, quò tutiùs ac celeriùs perveniret, in Franciam cum Legatis ſuis *Georgio* Epiſcopo, & *Thomerico* Comite proficiſci juſsit, ac Pippino hæc univerſa ſignificare, ipſum per omnia ſacra obteſtans, ut quæ ſemel promiſerat, aliquando impleret. Duas per illos Legatos Epiſtolas in Franciam tranſmiſit; unam ſuo nomine Pippino Regi; alteram ſuo & omnium Romanorum in afflictione poſitorum nomine ad eumdem Pippinum, ejuſque filios, necnon ad Epiſcopos, Abbates, Presbyteros, Monachos, Duces, Comites, ceteroſque Francos. Ex iis porrò literis conſtat Romam Kalendis Januarii jam fuiſse obſeſſam.

XVIII. *Scribit ad Pippinum S. Petri nomine.*

Sed cùm obſidio acriùs à Longobardis urgeretur, Stephanus novo, miroque exemplo, quod nec à Deceſsoribus antea, nec poſt à Succeſsoribus uſurpatum eſt, ipſius Sancti Petri Apoſtoli nomine, ad eoſdem Reges Pippinum, Carolum & Carolomannum, ſive ad omnem generalitatem Francorum ſcripſit; quibus omnibus enixius, verbiſque ad excitandam commiſerationem quàm maximè compoſitis, obteſtatus eſt, ut afflictiſsimę ſuccurrerent Eccleſiæ & urbi Romanæ; & quemadmodum *omnes gentes, quæ ad Francorum fortiſſimam gentem refugiſſent, ſalvæ factæ ſunt*; ita ſanctam Dei Eccleſiam, & ejus populum ab hoſtium oppreſsione liberare feſtinarent. Ex literis ad Pippinum Regem conſtat, Eccleſiam, populumque Romanum ſpem ſuam omnem in Chriſtianiſsimo Rege, ac Francis, ut in liberatoribus ſuis, poſuiſse: *Adjuva nos*, inquit, *& auxiliare noſtri ſub magna velocitate, Chriſtianiſſime.... Peto te, ne pereamus, nequando dicant gentes, quę in cuncto orbe terrarum ſunt: Ubi eſt fiducia Romanorum, quam poſt Dominum in Regibus Francorum habebant.... Salva nos antequam pereamus, Chriſtianiſsime Rex.... Conſidera fili, conſidera, & omninò percogita, per Deum vivum te conjuro, quoniam & noſtra, & omnis Romanorum Populi animæ, poſt Deum, & ejus Principem Apoſtolorum, in tua à Deo protecta Excellentia, & gente Francorum à Deo tibi commiſſa pendent.... Quoniam nulli alio, niſi tantummodo tuæ amantiſſimæ Excellentiæ, vel dulciſſimis filiis, & cunctæ genti Francorum, per Dei præceptionem, & B. Petri, Sanctam Dei Eccleſiam, & no-*

& noſtrum Romanorum Reipublicæ populum commiſimus protegendum.

XIX. *Exarchatum Ravennæ & alia munificentia Pippini recepit.*

Pippinus, cognitâ Aiſtulphi Regis fraude, irâ & dolore exarſit, & novo decreto bello, novos populis delectus indixit. Tum cum exercitu in Longobardos movit, Aiſtulphum ad Alpium anguſtias fugatum Papiæ obſedit; nec veniam unquam rupti fœderis ei roganti tribuere voluit, quouſque Ravennam cum univerſo Exarchatu, Pentapolimque, ac viginti civitates iis provinciis comprehenſas Romano Pontifici tradidiſſet. Aiſtulphum coegit, inquit Anaſtaſius, ad confirmandum pactum; *quod per octavam elapſam indictionem inter partes provenerat*, & factam in ſcriptis donationem Romam ad Stephanum Papam tranſmiſit, ideoque poſt menſem Auguſtum ejuſdem anni 755, quo menſe Septembri nona indictio initium ſumpſit. Pippinus in Franciam rediens, reliquit in Italia Fulradum Abbatem monaſterii Sancti Dionyſii, qui civitates in pacto contentas ab Aiſtulpho reciperet, receptaſque mox in poteſtatem Pontificis Romani transferret, uti narrat Anaſtaſius.

XX. *Ab hoc tempore Pontifices Romæ in civilibus dominantur.*

Fulradus cum Procuratoribus Aiſtulphi in Exarchatum, Pentapolimque progreſſus, omnes urbes præter Ferrariam, Faventiam & alias quaſdam recepit, & obſidibus de unaquaque ſumptis, ac Primoribus ſecum earum ductis, Romam adiit, atque ſingularum urbium claves unà cum tabulis ipſius Donationis à Pippino Rege factæ in Confeſſione Sancti Petri depoſuit. Ravennæ etiamnum in antiqua tabula legitur hæc epigraphe, à Papyrio Maſſono lib. 2 relata PIPINUS. PIUS. PRIMUS. AMPLIFICANDÆ. ECCLESIÆ. VIAM. APERUIT. ET EXARCATUM. RAVENNÆ. CUM AMPLISSIMIS ...... cætera verba exeſa. Sed ea inſcriptio longè poſt Pippini mortem poſita, & poſtqam imitatores habuit, cùm *primus* dicatur Eccleſiam amplificaſſe. Quid porrò Donatio Pippini contineret, & quas civitates complecteretur, inter Scriptores non convenit, nam præter civitates, quas Anaſtaſius recenſet, Leo Oſtienſis in Hiſt. Caſin. lib. 1 cap. 7, latioribus eandem donationem extendit terminis. Sed quidquid ſit, illud certum videtur Annotatori Baronii, ab hoc tempore plenam in rebus civilibus adminiſtrationem Pontifices Romanos, tam Romæ, quàm in Exarchatu Ravennatenſi exercuiſſe, niſi rebellionum motibus aliquando impedirentur. Romani enim, inquit, ab eo tempore, quo Pippinus Exerchatum Ravennæ Principi Apoſtolorum, ejuſque ſucceſſoribus conceſſit, Conſtantini Copronymi Imperatoris hæretici, qui eos adverſus Longobardos defendere non poterat, dominationem penitùs excuſſere, & Rempublicam inſtituere, cujus caput Romanus Pontifex, Defenſor verò ac Protector Pippinus Francorum Rex dicti ſunt. Hinc quando Stephanus II in ſuis literis de Aiſtulpho & de vexatione urbis Romæ ſermonem habet, nuſquam meminit Imperatoris, & Romanos populum ſuum appellat, ut videre eſt in ejus Epiſtolis 3, 4, & 6 ad Pippinum Regem. Iiſdem loquendi formulis utuntur Paulus Papa, Stephani ſucceſſor, & Hadrianus I, ille in Epiſtolis ordine 2, & 7 ad Pippinum; hic in Epiſtola 4 ad Carolum Magnum anno 775 data. Nec refert quòd Pontifices in ſubſcriptionibus dictarum Epiſtolarum memorent annos Conſtantini Imperatoris, dicuntur enim datæ *imperante Domino piiſſimo Auguſto Conſtantino à Deo coronato magno Imperatore* anno 32, vel aliquo alio ejuſdem Imperatoris; nam & Concilium Romanum, anno 743 dicitur habitum, *anno ſecundo Artabaſdi Imperatoris, necnon Luitprandi Regis anno trigeſimo ſecundo*; inde tamen non ſequitur Romani Luitprando Longobardorum Regi fuiſse ſubditam. Præfati itaque Pontifices Romam iis formulis tunc uſi ſunt tanquam notis temporariis, quæ ſubjectionem nullam inſerebant.

XXI. *Deſiderium juvat ad obtinendum Regnum Longobard.*

Aiſtulpho Longobardorum Rege, anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſexto, mortuo, Stephanus Papa, inter Longobardos pro ſucceſſione excitatos tumultus compreſſit, & Deſiderium Tuſciæ Ducem ad obtinendum regnum juvit, ſancito cum ipſo fœdere, ipſique auxilium Francorum impetravit, iis conditionibus, ut civitates, quas Aiſtulphus ad mortem uſque contra pactum retinuerat, & quas Pippini Donatio complectebatur, Eccleſiæ Romanæ reſtitueret, ut teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius. Hæ civitates erant Faventia, Imola & Ferraria cum earum finibus, Auximum, Ancona & Humana, cum earum territoriis, & Bononia, ut conſtat ex literis Stephani ad Pippinum Regem ea de re datis, & per Fulradum Abbatem, Georgium Epiſcopum, & Joannem Sacellarium tranſmiſſis, quibus eum rogavit, ut cum Deſiderio, ubi promiſſa implevisset, amicitiam fœduſque paciſceretur. Solum tamen Ferrariæ Ducatum Stephanus recepit, Deſiderio Rege ceteras civitates contra promiſſa retinente.

XXII. *Septima Pſeudo-Synodus Cpoli celebratur.*

Stephano II Papa ſedente, anno ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto Conſtantinus Copronymus Imperator pſeudo-Synodum adverſus ſacras Imagines Conſtantinopoli celebravit, *nullo præſente ex Catholicis ſedibus, Romana ſcilicet, vel Antiochena, Alexandrina, aut Jeroſolymitana. A quarto Idus Februarii incipientes perduraverunt uſque ad Sextum Idus Auguſti ejuſdem ſeptimæ indictionis*, inquit Theophanes ad annum 13 ejuſdem Imperatoris. Hæc

pſeudo-

SAEC. VIII. STEPHANUS II.

pſeudo-Synodus, cui trecenti triginta octo Epiſcopi interfuere, celebrata eſt in Templo Sanctiſsimæ Dei Genitricis ad Blachernas. Hujus mentio eſt in Vita Sancti Stephani Junioris Monachi, qui ob defenſionem ſacrarum Imaginum anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo martyrium ſubiit, à Stephano Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diacono circa annum octingenteſimum octavum ſcripta, & à Loppino publicata. Ex ea Vita diſcimus, Conſtantinum Copronymum Imperatorem, *propoſitis vivifico corpore & Sanguine Chriſti, intemeratiſque lignis, in quibus Chriſtus Deus pro nobis manus extendit, atque etiam inviolatis Evangeliis* omnes jurare feciſſe: *Sanctam Imaginem ſe non adoraturos, ſed eam idolum vocaturos;* poſtea, Conſtantinum Monachum, Sylæi antea Epiſcopum, *non Dei & Sacerdotum ſuffragio, ſed proprio dolo in Eccleſiam* adduxiſse; *ubi cùm ambo in ambonem aſcendiſſent*, ab ipſo Copronymo Patriarcha Conſtantinopolitanus dictus eſt in locum Anaſtaſii nuper defuncti. Deinde omnium conſenſu decretum eſt, ut ſacras Imagines quilibet *Idola* nuncuparet, earumque cultores *Idololatras*: itemque non ſolùm Sanctos, ſed nec ipſam Deiparam Virginem, poſt obitum aliquid juris habere ad intercedendum pro nobis, vel aliquo modo poſse nobis prodeſſe: prohibitum eſt pariter Apoſtolos, vel Martyres, alioſque Confeſſores, aut Virgines *Sanctos* appellari. Denique decretum, ut hoc ipſorum Conciliabulum *Septima Synodus Oecumenica* diceretur.

XXIII. *Synodum dicit neque oecumenicam niſi à Rom. Pontifice approbetur.*

Sed, ut refert Stephanus Diaconus in laudata Sancti Stephani Junioris Vita, hic Sanctus ad Epiſcopos, qui eum à ſacrarum Imaginum cultu revocare volebant, ita reſpondit: *Quanam ratione veſtram Synodum Oecumenicam dicitis, quam neque approbavit Romanus Pontifex (quamquam canone præſcribitur res Eccleſiaſticas abſque Papa Romæ conſtitui non debere) neque Alexandrinus, ut verum fatear, neque Antiochenus, neque Jeroſolymitanus? Ubi enim illorum libelli, ut falſa veſtra Synodus Oecumenica prædicetur? Quomodo porrò Septimam nuncupatis, quæ ſex priores non eſt ſecuta?* Et infra: *Vos verò qui ſex Synodorum traditiones antiquaſtis, quonam titulo veſtram Synodum Septimam nominetis, ignoro.* Tandem ait ſex priores Synodos in Templis Sanctorum celebratas fuiſſe, in quibus *omnibus Imagines ſculptæ erant, quas Patres approbavere & adoravere.* Conſtantinus porrò Copronymus, ut id obiter notem, bellum ſacris Imaginibus indicendo, eaſdem in minutiſſimas partes comminuendo, & quæ in parietibus erant depictæ, partim aqua calida, partim calce, vel atramento obliterando, Crucis cultum abjicere auſus non eſt, cùm, ex mox dictis, ſolemni jurejurando ſupra ſacroſanctum corpus Dominicum, ac venerandam Crucem & Sancta Evangelia populum Conſtantinopolitanum adſtrinxerit, nunquam ſe ſacras Imagines adoraturos, ſed eas Idola vocaturos.

XXIV. *Stephanus PP. hanc Pſeudo-Synodum irritat.*

Non ſolùm hæc Synodus ab aliis Patriarchis & ab ipſo Romano Pontifice approbata non eſt, ut legitur in prædicta S. Stephani Junioris Vita; ſed etiam à Stephano Papa irrita reddita eſt & caſſata; idemque Conſtantinus Imperator ab eo monitus literis, ut ab errore deſiſteret, ut teſtatur Hadrianus itidem Pontifex Romanus in Epiſtola ad Conſtantinum & Irenem Auguſtos. Hæc eadem Septima pſeudo-Synodus, in Actione ſeptima Nicænæ ſecundæ Synodi, Septimæ Oecumenicæ damnata eſt, & anathemate nominatim confixi ſunt Iconomachorum Principes, ut ibidem dicetur.

XXV. *Moritur.*

Stephanus Papa, poſt immenſos labores pro Romana Eccleſia honeſtè perfunctos, ex hac vita migravit die vigeſima quarta menſis Aprilis anni ſeptingenteſimi quinquageſimi ſeptimi, & *ſepultus eſt*, inquit Anaſtaſius, *in Baſilica B. Petri Apoſtolorum Principis ſexto Kalendas Maij, indictione* 10, ſeu die vigeſima ſexta ejuſdem menſis; ſedit enim, ut habent duo exemplaria MSS. ejuſdem Anaſtaſii ac tres Catalogi Criticæ Baronianæ præfixi, *annos quinque, & dies viginti novem*, ordinatus quippe fuerat die 26 menſis Martii anni ſeptingenteſimi quinquageſimi ſecundi.

S. PAULUS *Pontif. XCV.*

Anno Domini DCCLVII.

I. *S. Paulus dicitur Papa.*

CUm, poſt Stepani II mortem, Sedes vacaſset menſem unam, dies quinque, ut habent vetuſtiſsimus codex Bibliothecę Cęſareę, de quo loquitur Lambecius Tom. II ejuſdem Bibliothecę pag. 927, & ſeq. alter codex Anaſtaſii Colbertinus, & varii Catalogi, Paulus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus natione Romanus, ex patre Conſtantino, Stephani II frater conſecratus eſt Pontifex die vigeſima nona menſis Maij, in quam anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo Dominica incidebat.

II. *Ejus primordia & virtutes*

Paulus ante Pontificatum in Lateranenſi

nenſi Patriarchio ſub Gregorio tertio, & Zacharia Pontificibus mores, & Eccleſiaſticam perdidicit diſciplinam, & à Zacharia cum fratre Stephano Diaconus creatus eſt. Mortuo fratre in ejus locum ſubrogatus eſt ob integritatem vitæ, & doctrinam; duorum enim fratrum ſucceſſio in ſummo Sacerdotio exemplo carebat, quæ nec in poſterum unquam viſa eſt; & parte alia cùm Stephanus frater ægrotaret, plures ex populo Theophylactum Archidiaconum in Sedem Romanam evehere peroptabant, ſed validior & ſanior pars Paulum in Pontificem elegit; erat enim vir mitiſſimi ingenii, clementiæque ſingularis, ut ſcribit Anaſtaſius. Luſtrabat carceres, indeque pleroſque eorum, qui ære alieno oppreſsi in iis detinebantur, perſoluto creditoribus pretio dimittebat, viduis, pupillis, egeniſque omnibus patrem ſe exhibens, infirmos etiam cum quibuſdam familiaribus noctu viſitabat, quibus alimenta, ceteraque neceſſaria ſubminiſtrabat.

III. Ante ordinationem Pippino Regi ſuam electionem ſignificat.

Ubi Paulus creatus eſt Pontifex, ad Pippinum Francorum Regem literas dedit, quibus Stephani fratris obitum, & ſuam electionem ſignificat, indicatque ſe in amicitia ab eodem Stephano inita cum Francis perſeveraturum, petens ab eo, ut idem præſtaret. Hæ literæ fuerunt primæ ab ipſo datæ, utpote ante ſuam ordinationem ſcriptæ, earum enim hæc eſt inſcriptio: *Domno excellentiſſimo filio Pippino Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Diaconus, & in Dei nomine Electus S. Sedis Apoſtolicæ.* Hęc Epiſtola in Collectione Concil. Labbei prima ordine rectè ponitur; in Codice verò Carolino eſt 13.

IV. Carolus M. Auctor eſt Codicis Carolini.

Hic porrò locus ſe offert de Auctore Codicis Carolini Lectorem monere. Jacobus Gretzerus anno 1613 Ingolſtadii publicavit Epiſtolas, quas Romani Pontifices Gregorius III, Zacharias, Stephanus II, Paulus, Stephanus III, Hadrianus, & pſeudo-Papa Conſtantinus ad Carolum Martellum Majorem-Domûs, ad Pippinum, ad Carolum Magnum, & ad Carolomannum ejus fratrem miſerunt. Hæ Epiſtolę collectæ olim in unum volumen fuerant ſtudio & curâ ipſius Caroli Magni, & ſunt omninò nonaginta novem. Eas idem Carolus Magnus anno 791 iterum reſcribendas curavit, eò quòd nimia vetuſtate jam ex parte deletæ eſſent, ut liquet ex antiqua inſcriptione majuſculis literis exarata, quæ ab illo ipſo, qui ejus juſſu eas in unum corpus redigendas deſcripſit, Collectioni earum præfixa eſt. Et hęc Collectio vocatur Codex Carolinus ab ejus Auctore Carolo Magno. Lambecius porrò lib. 2 Bibliothecæ Cæſareæ cap. 5 teſtatur eam extractam eſſe ex antiquo MS. ejuſdem Bibliothecę; ſed eum qui Codicem deſcripſit, & ad Gretzerum miſit, nimiam nonnullis in locis corrigendis & mutandis ſibi arrogaſſe licentiam, ideoque operæ pretium fore, ſi prima illa editio de integro conferatur cum laudato exemplari authentico. Denique omnes illæ Epiſtolæ anno 791 anteriores ſunt, cùm earum Collectio eo anno facta fuerit. Extant etiam apud Ducheſnium Tom. 3.

V. Paulus PP. fit compater Pippini Regis.

Eodem anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Pauli Papę primo, nata eſt ex Bertrada Regina Pippino filia Giſlana appellata, ut teſtatur Annaliſta Petavianus à Ducheſnio editus. Pippinus ſtatim, per Wlfardum Abbatem monaſterii Sancti Martini apud Turonos, tranſmiſit ad Paulum Papam ſabanum, ſeu linteum, in quo Giſlana *ſacratiſſimo lavacro abluta, ſuſcepta eſt*, ut inquit Pontifex in Epiſtola 6 ad Pippinum Regem, in Codice Carolino 27. *Quem & cum magna jucunditate & aggregata populi coborte, infra Aram ſacrati corporis auxiliatricis veſtræ Beatæ Petronillæ, quæ pro laude æterna memoriæ nominis veſtri nunc dedicata dignoſcitur, celebrantes Miſſarum ſolemnia cum magno gaudio ſuſcepimus, & per allatum eundem ſabanum, eam tanquam præſentialiter nos ſuſcepiſſe gaudemus.* Tegumentum itaque illud, quod filiæ ſuæ jam baptizatæ Pippinus præbuerat, Paulus Papa accepit, ac ſi præſens Regiam puellam è ſacro lavacro ſuſcepiſſet, & exinde Pippinum *compatrem*, Bertradam Reginam *commatrem* & Giſlanam *ſpiritalem filiam* ſuam dixit, ut legere eſt tum in citata Epiſtola, tum in aliis ab eo ad Pippinum ſcriptis.

VI. Auxilium ab eo contra Longobardos petit.

Deſiderius Longobardorum Rex provinciâ Pentapoleos, cum Ducatibus Spoletano & Beneventano, igne ferroque vaſtatis, Albinum Ducem Spoletanum, nonnulloſque Proceres, qui ſe Beato Petro, Pippinoque Regi ſummiſerant, in vincula detruſit. Georgium prętereà Conſtantini Imperatoris Legatum, qui priùs in Franciam directus fuerat, Neapoli acceſſivit, communicatoque conſilio, Imperatorem literis ſolicitavit, ut contrà Ravennates exercitum in Italiam dirigeret, ſeque ſubſidiarias copias pro viribus miſſurum ſpopondit. Licèt autem ſciret, hæc non latere Paulum Papam, ad eum tamen eodem anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo Romam venit, rogantique ut reſtitueret Imolam, Bononiam, Auximum, Anconam & alias civitates, quas præſentibus Francię Legatis, Fulrado ſcilicet Abbate, & Rodberto, eodem anno à Pippino miſſis, ſe redditurum promiſerat, haud acquievit, ſimulatèque reſpondit, ſe pacem ultrò amplexurum cum Sede Apoſtolica, modò ſibi remitterentur obſides, quos Pippino Regi tradiderat. Papa ſemel & iterum ad Pippinum Regem ſcripſit, veritusque ne literę in manus Longobardorum incidiſſent, ter-

Digitized by Google

tias literas tranſmiſit per Georgium Epiſcopum, & Stephanum Presbyterum, quos in Franciam Legatos deſtinabat, quibus prçcepit, ut auxilium à Pippino popoſcerent ad repetendas civitates, quas Rex Longobardorum Apoſtolicç Sedi nondum reſtituerat. Hçc conſtant ex Epiſt. 2 Pauli ad Pippinum, quæ in Codice Carolino eſt ordine 15.

VII. *Pippinum & gentem Francorum commendat.*

Scripſit inſuper Paulus Pontifex Epiſtolam ordine 10 in editione Conciliorum, 22 in Codice Carolino, ad omnes Francos, in qua poſt uberrimas gratiarum actiones, hæc ad commendationem Pippini, gentiſque Francorum obſervatione digna habet: *Verè elevatum eſt nomen gentis veſtræ ſuper multas generationum nationes, & regnum Francorum vibrans, emicat in conſpectu Domini, quòd talibus benigniſſimis Catholicæ & Apoſtolicæ Sanctæ Dei Eccleſiæ liberatoribus, præornatur Regibus. Novus quippe Moyſes, novuſque David in omnibus operibus ſuis effectus eſt Chriſtianiſſimus & à Deo protectus filius, & ſpiritalis compater Dominus Pippinus, Dei nutu victorioſiſſimus Rex, per quem exaltata Dei Eccleſia triumphat, & fides Catholica ab hæreticorum telo illibata conſiſtit. Et vos quidem, cariſſimi, gens ſancta, regale Sacerdotium, populus acquiſitionis, cui benedixit Dominus Deus Iſrael, gaudete & exultate, quia nomina veſtra, Regumque veſtrorum, exarata ſunt in Cœlis, & merces veſtra magna eſt coram Deo & Angelis ejus*, &c. Ut omnibus Francis eas literas ſcriberet impulſus fuiſſe videtur Paulus Pontifex literis, per quas Pippinus Senatum, ac populum Romanum cohortatus eſt, ut fidem erga Romanam Eccleſiam, & eundem Pontificem religioſiſsimè cuſtodirent. Extat ad illas Pippini literas reſponſio Pauli in Codice Carolino n. 36.

VIII. *Longobardos ad auxilium contra Græcos pertrahere tentat.*

Conſtantinus interea Imperator, ut Ravennam totumque Exarchatum ad defectionem ſolicitaret, Leonem miſſum Imperialem cum literis eò direxit. Exemplar illius Epiſtolæ, in Codice Carolino ordine 28, Sergius Archiepiſcopus Ravennas Romano Pontifici deferendum curavit. Paulus acceptum tranſmiſit Pippino, eumque rogavit, ut Deſiderium Longobardorum Regem hortaretur ad auxilium Ravennæ, & civitatibus maritimis Exarchatûs ferendum, ſi quid Grçci molirentur. Unde patet Paulum Epiſtolas ſuas tempori ſapienter accommodaſſe: in prioribus enim literis, quia Græci tunc quieſcebant, de Longobardorum Rege queſtus eſt, in his verò, quia Græci bellum minantur, agit Pippinum, ut eundem Longobardorum Regem hortetur auxilium prçſtare *tam Ravennæ, quàm Pentapoleos maritimis civitatibus.*

IX. *Cum Deſiderio eorum Rege convenit.*

Pippinus Rex Paulo Pontifici ſuaſit, ut pacem cum Deſiderio Longobardorum Rege ſervaret. Quare cùm Deſiderius anno ſeptingenteſimo quinquageſimo octavo, autumnali tempore, causâ orationis Apoſtolorum limina adiiſſet, cum eo colloquium habuit; deque reſtituendis Eccleſiæ quibuſdam in Tuſcia & alibi patrimoniis, cum eodem convenit. Hæc conſtant ex Epiſtola 26 Codicis Carolini, quam ad Pippinum ſcripſit Paulus, ex qua & conſtat eundem Regem Pippinum, *Deſiderium admonuiſſe Regem Neapolitanos ac Cajetanos conſtringere ob reſtituenda patrimonia* Eccleſiæ Romanæ ablata.

X. *Nihil omittit ut Pippinum à Conſtantino Imp. diſſociet.*

Frequentes his temporibus ultrò citròque curſitabant Nuncii, cùm Pontificii, tum Regii. Quare Paulus Papa per Epiſtolam 37 Codicis Carolini Pippinum Regem rogavit, ut Nuncium Romæ demoraturum mitteret. Hoc intendebat potiſsimùm Pontifex, ut contra Grçcos orthodoxam fidem, ſuumque Principatum tueretur; neque ſibi videbatur quicquam acturus magis opportunè, quàm ſi Pippinum Regem ab Imperatore Conſtantino diſſociaret. Ut id aſſequeretur nihil intentatum reliquit; amorem ſingularem erga Pippinum, odium vehemens adversùs Conſtantinum ſignificavit; palamque teſtatus eſt, in Pippino, poſt Deum, ſpem omnem ſeſe collocaſſe, ac ſibi ab uno Conſtantino metum ac terrorem incuti. Ne literas quidem ab Alexandrino Patriarcha per Monachum Acoſmam accepit, quin earum exemplar Pippino, ut Regi Orthodoxo, & Defenſori Catholicæ fidei transmitteret. Cujus rei teſtis eſt Epiſtola 35 Codicis Carolini eodem penè tempore, quo ſuperior, ſcripta.

XI. *Cantum Romanum in Galliam introduci curat.*

Hoc eodem anno ſeptingenteſimo quinquageſimo octavo, Paulus Pontifex loco muneris Pippino Regi tranſmiſit Antiphonale & Reſponſale, inſimul autem Dialecticam Ariſtotelis, Dionyſii Areopagitæ libros, & alios quoſdam, ut conſtat ex embolo Epiſtolæ 25 ejuſdem Codicis Carolini ad Pippinum datæ. Antiphonalia & Reſponſalia, libroſque hujuſmodi Româ ſçpè tranſmiſerant in Franciam Romani Pontifices, ex quo divina officia Romana cum Romano cantu in Galliam ſunt introducta, Stephano II tum Pontifice, & Pippino Rege, ut obſervat Baronius anno 754. Quod ſpectat ad cantum Romanum, ut à Gallis ediſceretur plurimùm adlaboravit Paulus Pontifex, & ſimul cum eo Remigius Rotomagenſis Archiepiſcopus, Pippini Regis frater, ut teſtatur idem Paulus in Epiſtola 43 Codicis Carolini ad eundem Pippinum.

XII. *Fruſtrà Conſtantini Imp. converſionem tentat.*

Multum etiam laboravit Paulus, ut Conſtantinum Copronymum Imperatorem à ſua erga ſacras Imagines impietate converteret, tum literis, tum Apoſtolicis Legatis ad eum miſsis. Deſiderantur quidem literæ ab eo ſcriptæ, ſed earum diſerta mentio eſt in Epiſtola Hadriani Papæ ad Conſtantinum & Irenem

Digitized by Google

Irenem Auguſtos. Meminit & de his Anaſtaſius his verbis: *Sæpiùs ſuos Miſſos cum Apoſtolicis obſecratoriis atque commonitoriis literis, præfatis Conſtantino & Leoni* (ejus filio) *Auguſtis direxit pro reſtituendis, confirmandisque in priſtino venerationis ſtatu ſanctiſſimis Imaginibus Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ſanctæque ejus Genitricis, atque beatorum Apoſtolorum, omniumque ſanctorum Prophetarum, Martyrum & Confeſſorum*. Sed fruſtra Paulum id egiſſe, quòd Conſtantinus in lapidem obduruiſſet, eventus demonſtravit.

XIII. *Optat fieri Pater luſtralis filii Pippini.*

Annaliſta Metenſis apud Ducheſnium ad annum ſeptingenteſimum quinquageſimum nonum ſcribit: *Natus eſt autem ei* (nempe Pippino Regi) *filius, cui nomen ſuum impoſuit. Qui vixit duos annos, & in tertio defunctus eſt*. Cùm Paulus Pontifex, filii Pippini nativitatis certior factus eſset, mox per Epiſtolam vigeſimam tertiam Codicis Carolini Pippinum Regem enixè rogavit, *ut à ſacratiſſimo Baptiſmi lavacro eum ſuſcipere* mereretur. Utrum eum revera è ſacro fonte ſuſceperit, nos latet.

XIV. *Monet Pippinum Deſiderium Regem ſibi ex parte ſatisfeciſſe.*

Sub initium anni ſeptingenteſimi ſexageſimi pervenerunt in Italiam Remedius, ſeu Remigius Archiepiſcopus Rotomagenſis, Pippini Regis frater, & Autharius, ſive Andegarius Dux, ejuſdem Pippini Oratores, quibus Deſiderius Longobardorum Rex Paulo ſpopondit, ſe Pontifici omnia B. Petri patrimonia, jura etiam, fines & territoria diverſarum civitatum, quç Reipublicæ Romanorum fuerant, pleniſsimè reſtiturum hoc eodem anno, menſe Aprili, indictione decima tertia. Atque reipſa partem reddidit, aliam partem pollicitus ſe paulò poſt quoque redditurum. Rogavit inſuper Paulum, ut Pippinum Regem de rebus illis certiorem faceret, quod quidem Paulus legitur præſtitiſſe literis, miſſoque etiam in Franciam Petro Presbytero, ita tamen ut Regi Francorum ſupplicaret, ne deſiſteret à ſollicitando Deſiderio, donec is ritè ſuas omnes pollicitationes exſolviſſet. Conſtant hæc ex Epiſtola 21 Codicis Carolini, quç in editione Conciliorum Labbeana eſt ordine 3. *Innoteſcimus*, inquit Paulus, *præcelſæ Chriſtianitati Veſtræ, quòd nuper dum ad nos conjunxiſſent fideliſſimi veſtri, ſcilicet Deo amabilis Remedius germanus veſter, atque Autharius glorioſiſſimus Dux, Conſtituit inter eos, & Deſiderium Longobardorum Regem, ut per totum inſtantem Aprilem menſem iſtius 13 indictionis, omnes juſtitias fautoris veſtri beati Petri Apoſtolorum Principis, omnia videlicet patrimonia, jura etiam & loca, atque fines & territoria diverſarum civitatum noſtrarum Reipublicæ Romanorum, nobis pleniſſimè reſtituiſſet. Unde ex parte quidem eaſdem juſtitias ſe profitetur, atque omnino ſpondet nobis eſſe facturum. Quapropter impenſius nos præfatus Deſiderius Longobardorum Rex obſecratus eſt, ut veſtræ à Deo protectæ Excellentiæ noſtris Apoſtolicis relationibus intimare debuiſſemus, & ecce ſicut noſtro poſt Deum Liberatori hoc ipſum eximiæ, atque ſublimiſſimæ & à Deo protectæ Chriſtianitati Veſtræ per has Apoſtolicas noſtras innotuimus ſyllabas*. Obteſtatur poſtea Paulus Pippinum, ut ſi Deſiderius iſta neglexerit, illum, ſicut Stephano Papæ & ſibi promiſerat, ad reſtitutionem cogeret.

XV. *Patrimonia Eccleſiæ Rom. ab ejus juribus diſtinguenda.*

In hac Epiſtola, ut advertit Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum ad annum 760 n. 7, patrimonia diſtinguuntur à juribus, locis, finibus ac territoriis civitatum. Nam jura, loca, fines & territoria civitatum pertinent ad donationem Pippinianam, partemque conſtituunt Principatûs à Pippino Rege Pontifici Romano collati. Patrimonia verò tum intra, tum extra donationem Pippinianam conſiſtunt, *pro ſubſidio tantùm & alimento pauperum Chriſti ſeu luminarium concinnatione*, ut loquitur Gregorius Papa III in literis ad Carolum Majorem-Domûs patrem Pippini Regis, quæ extant apud Baronium anno 740. Sita porrò erant illa patrimonia in Ducatibus Beneventano, Spoletano, & Tuſco, necnon in territoriis Neapolitano, & Cajetano, & pertinebant ad Pontifices Romanos ante donationem Pippinianam, ut liquet ex Epiſtola 26 Codicis Carolini à Paulo Papa ad Pippinum Regem data, de qua num. 9 locuti ſumus.

XVI. *Paulus PP. conſtruit monaſterium SS. Stephani & Silveſtri.*

Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo primo Paulus Papa privilegium conceſsit monaſterio, quod Romæ in paterna domo à fundamentis conſtruxit in honorem ſancti Stephani Papæ & Martyris, necnon ſancti Silveſtri itidem Pontificis & Confeſſoris, quod cùm multis prædiis dotaſſet, & rebus omnibus neceſsariis inſtruxiſset, eorundem ſanctorum Stephani & Silveſtri corpora in illud tranſtulit, & in Oratorio repoſuit; aliorum verò Sanctorum Reliquias recondidit in Eccleſia infra clauſtra monaſterii conſtructa & magnificè ornata, Monachorumque Græcorum Congregationem ibi inſtituit, qui Græco ritu ſacra operarentur. Monaſterium illud ad ſanctos Martyres in Schola Græcorum nominavit, quam nuncupationem deinceps retinuit. Temporis deinde progreſſu monaſterium illud tranſiit ad Moniales, quæ dicuntur ſancti Silveſtri, quæ in locum Monachorum ſubrogatæ ſunt. Datum dicitur privilegium *quarto Nonas Junii indictione* 14, ideoque anno 761. Ita legitur in editione Conciliorum; apud Baronium verò habetur, *quarto Nonas Julii*, ſed quæcumque lectio retineatur, non concordat cum verbis additis in fine privilegii,

quæ habent eadem indictione corpora ſanctorum Stephani & Silveſtri in eam Eccleſiam translata die 19 Junii vel Julii, & die 17 Auguſti, niſi dicamus hæc verba addita eſse poſt dictum diem 17 Auguſti, quo una ex his Translationibus facta ſupponitur. Vide dicta in ſancto Silveſtro.

XVII. *Quædam monaſteria Pippino Regi donat.*

Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo, idem Pontifex aliud monaſterium ſancti Silveſtri dictum, in monte Soracte ſitum, cum tribus aliis ei ſubjacentibus Pippino Regi donavit, ut liquet ex Epiſtola 12 Codicis Carolini ab eo ad Pippinum ſcripta, in qua Pontifex ait: "*Quoniam conſtat præcelſa Eximietas Veſtra à nobis petiiſſe monaſterium, ſcilicet B. Silveſtri Pontificis atque Confeſſoris, ſitum in monte Soracte, necnon & alia illi tria ſubjacentia monaſteria, ſancti ſcilicet primi Martyris Stephani, & B. Andreæ Apoſtoli, atque Victoris*, in perpetuum concedimus atque largimur *à præſenti quinta decima indictione*, quæ in curſu fuit uſque ad Kalendas Septembris anni 762, *pro ſuſtentatione pauperum, & alimoniis* fratrum noſtrorum, Chriſti pauperum atque Monachorum, illic nunc & inpoſterum ſpiritalem vitam degentium.

XVIII. *Gratulatur ei de ſuo in Sedem Apoſt. ſtudio.*

Cùm interea Pontifex ſibi à Longobardis timeret, Pippinus Rex Haribertum Murbachienſem Abbatem & Dodonem Comitem, anno ſeptingenteſimo ſexageſimo tertio Romam ad eum direxit, qui certiorem redderent de firmo propoſito, magnaque coſtantia, quam ipſe Pippinus in cauſis Apoſtolicis perficiendis gerebat; paulòque poſt reverſi ſunt in Franciam cum Legatis Pontificiis, Joanne Subdiacono & Abbate, ac Petro primo Defenſore, gratulatoriiſque literis ad Pippinum pro ſincero atque conſtanti erga Sedem Apoſtolicam ſtudio, ut videre eſt in Codicis Carolini Epiſtola 18 à Paulo Papa data.

XIX. *Legati Pauli PP. de fide diſputant cum Legatis Imp.*

Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo quarto, Conſtantinus Imperator Anthymum Spatarium & Syneſium Eunuchum, Oratores in Franciam ad Pippinum Regem miſit; ſed Pippinus, ut ſuum erga Sedem Apoſtolicam, & Paulum Pontificem ſtudium in dies magis ac magis teſtaretur, eos nec videre, nec audire voluit, niſi præſentibus Legatis Apoſtolicis; & diſputationibus interfuit, quas utrique inter ſe inierunt de obſervatione fidei orthodoxæ, & pia Patrum traditione. Deinde cum Anthymo, qui Conſtantinopolim redibat, ſuos quoque miſit Oratores, per quos Imperatorem cunctis de rebus certiorem fecit. Romam verò direxit Flavinum Capellanum unà cum Legatis Apoſtolicis Joanne Subdiacono & Abbate, atque Pamphilo Defenſore Regionario, per quos deferri curavit ad Pontificem, non literas modò, quæ geſti negotii ſeriem omnem complectebantur, ſed & exemplar ipſarummet, quas acceperat à Conſtantino, vel eidem Imperatori reſcripſerat. Pontifex ampliſsimas gratias egit, miſso protinùs Legato cum literis, quæ fidem earum rerum faciunt. Hæ literæ quidem periere, ſed Epiſtola 20 Codicis Carolini dictorum confirmationem continet.

XX. *Paulus PP. ſtudet conciliare Taſſilonem Bajoariæ Ducem cum Pippino.*

Taſsilo Bajoariæ ſeu Bavariæ Dux, anno 757 ſuper corpora Sanctorum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii, necnon ſancti Germani, & ſancti Martini juraverat ſe Pippino Regi, & filiis ejus fidem ſervaturum. Sed poſtpoſitis ſacramentis & jurejurando anno 763 è Placito Nivernenſi, ſine licentia Pippini aufugit, & in Bajoariam reverſus eſt. At facti poſtea pœnitens ſæpipius Paulum Papam rogavit, ut pacis inter eum & Pippinum componendæ cauſâ Legatos in Franciam mitteret. Annuit Paulus, annoque ſeptingenteſimo ſexageſimo quarto Philippum Presbyterum & Urſum cum litteris ad Pippinum direxit menſe Majo; ſed illi cùm Ticinum veniſſent, à Deſiderio Longobardorum Rege, qui filiam ſuam in matrimonium Taſſiloni, vel jam collocaverat, vel brevi ſe collocaturum ſperabat, prohibiti ſunt ulteriùs progredi. Quo comperto Pontifex eaſdem literas ad Pippinum tranſmiſit per alium Legatum. Hæc conſtant ex eadem Epiſtola 20 Codicis Carolini, Pippino Regi data; non videtur tamen Taſſilo in gratiam cum Pippino rediiſſe; Annaliſta enim Metenſis ad annum 763 ſcribit, Taſſilonem *nunquam amplius faciem Regis Pippini videre* meruiſſe, poſtquam fidem fregit, è Placito Nivernenſi aufùgiens.

XXI. *S. Gorgonii corpus & alia duo Epiſc. Metenſi tradit.*

Sanctus Chrodegangus Epiſcopus Metenſis monaſterium Gorziæ ad amnem cognominem haud procul à Moſella fluvio, ſexto milliario ſupra Mediomatricum civitatem condidit, annoque ſeptingenteſimo ſexageſimo quarto *Romanum adiit Apoſtolicum Paulum nomine*, *poſcens ſibi dari pignora aliqua Sanctorum*, *quæ has inſignirent partes regionis*. *Qui concitùs volente Deo ejus annuens precibus*, *tradidit ei tria corpora ſanctorum Martyrum*, *Gorgonii*, *Naboris & Nazarii*, inquit Auctor Anonymus Gorzienſis, qui medio ſæculo 10 Hiſtoriam Translationis ſancti Gorgonii in monaſterium Gorzienſe à Mabillonio part. 2 Sæc. 3 Benedictini recitatam, deſcripſit; qui ſubdit Chrodegangum, ſanctum Naborem Hilariaco monaſterio delegaſſe; ſanctum Nazarium cuidam religioſæ fœminæ tradidiſſe, quæ in prædio ſuo ultrà Rhenum, quod dicitur *Lorſan*, ſeu potius *Laureſham* illum collocavit; beatum verò Gorgonium penès ſe ſtatuiſse *in loco*, *qui dicitur Gorzia*, *anno ab Incarnatione Domini* 765. Reliquias

Digitized by Google

quias itaque illas Chrodegangus à Paulo Papa obtinuit quidem anno 764, ſed earum Tranſlatio facta eſt tantùm anno 765, ad quem eam referunt Rabanus Maurus in ſuo Martyrologio ad diem duodecimum menſis Junii, Notkerus in ſuo itidem Martyrologio, Marianus Scotus, Lambertus Schafnaburgenſis, aliique Annaliſtæ. Porrò monaſterium Gorziènze, quod plurium Sanctorum Seminarium fuit, inter bella ſæculi 16 geſta ſubverſum, tandemque in Collegium duodecim Canonicorum redactum.

XXII. *Pippino nunciat Græcos mittere claſſem in Italiam.*

Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo quinto Paulus Papa certior factus, quòd ſex Patricii cum trecentis navibus Conſtantinopoli ſolviſsent, auctique claſse Sicula Romam properare, deinde in Franciam irrumpere decreviſsent, literas ipſas, quas ea de re ab amicis acceperat, Pippino tranſmiſit per Conibertum hominem Francum, qui Romæ tunc erat. Præterea tres ſaltem in Italia Oratores mitti rogavit, qui Deſiderium Longobardorum Regem apud Ticinum convenirent, atque inde Romam duo proficiſcerentur, tertius in Franciam Ticino rediret, Deſiderii Regis reſponſum Pippino laturus; ille enim nihil eorum reſtituerat, quæ coram Francicis Legatis toties promiſerat ſe redditurum; imò literas ſcripſerat minis refertas, quas Paulus æquè Pippino deferendas curavit. Hæc liquent ex Epiſtola 24 Codicis Carolini ad Pippinum à Paulo Papa data.

XXIII. *Significat etiam Deſiderium ſuas ditiones vaſtaſſe.*

Antequam hæ literæ in manus Pippini venirent, ſcripſit ei Deſiderius nihil à Longobardis tentatum contra Romanum Pontificem. Quod ubi Paulus per Andream, & Gundericum à Pippino directos reſciit, eos cum Deſiderii Legatis coram ſe vocavit in colloquium, totoque negotio palam facto, quamprimùm in Franciam remiſit, cum alia Epiſtola in Codice Carolino ordine 14, qua apud Pippinum de mendacio Deſiderii graviter queſtus, auxilium petiit, quia Longobardi Senogalliam ferro & igne vaſtarant, cæſis incolis, abactaque prædâ; nec minori clade caſtrum Valentis in Campania jam percuſserant, quæ omnia conſtant ex dictâ Epiſtola 14 à Paulo ad Pippinum ſcripta.

XXIV. *Adverſus eum à Pippino auxilium petit.*

Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſexto duas Paulus Pontifex à Pippino Rege accepit Epiſtolas, alteram per Petrum primum Eccleſiæ Romanæ Defenſorem, quem in Franciam miſerat, alteram per Widmarum, & Gelbertum Abbatem, atque Hugbaldum virum illuſtrem, quos Pippinus Romam Oratores dirigebat. Hi cum Legatis Deſiderii Regis Longobardorum, necnon & Pentapolenſium, ac ſingularum civitatum, quæ Pontificiæ erant ditionis, coram ipſo Papa congreſsum habuerunt, conſtititque de nonnullis peculiis inter utraſque partes reſtitutis, ſed quoad fines urbium Pontificiarum, & patrimonia Beati Petri, tantùm abeſt, ut quidquam decretum fuerit, quin & Longobardi, quæ prius Eccleſiæ reddiderant, ea denuò invaſerunt; conventum tamen fuit, ut Franciæ, civitatumque Pontificiarum Legati Deſiderium Regem adirent. At Paulus Pontifex nihil inde ſperandum duxit, imò potiùs vereri cœpit, ne Longobardi ceteris Eccleſiæ bonis inſidiarentur; quapropter Epiſtolam 17 Codicis Carolini ad Pippinum ſcripſit, ejuſque opem enixè poſtulavit. In ea ait Pontifex: *Pro certo agnoſcat Excellentiſſima Chriſtianitas veſtra, quia ſi nobis præfati civitatum noſtrarum ab eiſdem Longobardis invaſi fines, atque patrimonia reddita non fuerint, etiam ea, quæ primitùs reddiderunt invadere inſidiabuntur.*

XXV. *Pippino ſcribit Deſiderium ſibi plenariè non ſatisfeciſſe.*

Anni ſeptingenteſimi ſexageſimi ſeptimi initio, Pippinus Rex Wilcharium Epiſcopum, Dodonem, & Wichardum, Oratores Romam miſit exploraturos, utrum Deſiderius Rex ea reſtituiſset Paulo Papæ, quæ ſe redditurum promiſerat; qui cùm comperiſsent, quod eorum, quæ pollicitus fuerat, nihil adhuc præſtitiſset, in Franciam ſtatim redeuntes, ejuſdem Pontificis ad Pippinum Epiſtolam in Codice Carolino ordine 19 detulerunt, in qua ait Paulus: *Tu poſt Deum nobis refugium Chriſtianiſsime Rex, tu cum Dei brachio firma exiſtis opitulatio, & veſtri à Deo confortati Regni ſecuritas, noſtra eſt immenſa lætitia, quo tam Nos, quámque univerſus populus iſtius provinciæ (divina Vos ſatisfaciat Majeſtas) firmi atque immobiles in veſtra charitate ac dilectione & regni veſtri à Deo protecti Francorum amoris conſtantia permanentes permanebimus, & nullus nos poterit humanus favor aut terror à veſtri amoris dulcedine, charitatiſque affectu ſeparare, ſed una nobis erit in veſtro amore vita ac mors.* Deinde exponit ſtatum cauſæ propter quam Legatos Romam miſerat, quibus, inquit, *de ſingulis, quæ à vobis injuncta habuerunt, nobis referentibus ſingillatim de omnibus reſponſum reddentes, in eorum poſuimus ore, quæ Veſtræ Excellentiæ ſuggerere debeant, effectum ex hoc à Veſtra adipiſci optantes Excellentia.*

XXVI. *Ad cœlos evolat.*

Eodem anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo Paulus Papa, dum in Eccleſia Beati Pauli Apoſtoli æſtivo tempore ob fervorem caloris demoraretur, ægritudine corporis correptus, illic laborum mercedem à Deo recepturus, evocatus eſt in Cœlum, die vigeſima octava menſis Junii, poſtquam *annos decem, menſem unum* ſediſſet, ut ſcribit Anaſtaſius, & cum eo Martinus Polonus, & Luitprandus; & ob honorem quem Apoſtolo Paulo jugiter, ac impenſè detulerat, primus in eadem Sancti Pauli Baſilica

Digitized by Google

Sæc. VIII. S. PAULUS. ſilica ſepeliri ſe voluit; verùm aliquibus menſibus elapſis in Vaticanum tranſlatus eſt, & in Oratorio, quod ipſe prope Altare majus erexerat, conditus fuit. Ejus nomen inſcriptum eſt à Baronio in Martyrologio Romano ad diem 28 Junii, quo mortalitatem explevit; antea enim nomen ejus memoratum fuerat ad diem 27 Januarii à Petro de Natalibus lib. 3 cap. 30 à Carthuſianis Colon. in Additionibus ad Uſuardum, à Caniſio, Maurolico, Felicio; & Galeſinio. Sæc. VIII. S. PAULUS.

CONSTANTINUS ANTIPAPA.

Anno Domini DCCLXVII.

I. Conſtantinus ex laico fit Antipapa. Die vigeſima octava menſis Junii præfati anni ſeptingenteſimi ſexageſimi ſeptimi, antequam Paulus Papa ſpiritum exhalaret *Toto* Dux Nepeſinæ civitatis ſubitò fratrem ſuum Conſtantinum hominem laicum exiſtentem, per vim in Sedem Pontificiam intruſit, fecitque per Georgium Prænestinum Epiſcopum, licèt reluctantem, in Clericum tonſurari: *Alio verò die*, inquit Auctor Vitæ Stephani III Anaſtaſio vulgò tributæ, *illuceſcente ſecundâ feriâ* Conſtantinus *Subdiaconus*, *atque Diaconus ab eodem Epiſcopo* Prænestino *contra ſanctorum canonum inſtituta conſecratus eſt. Sicque univerſum populum ſibi ſacramentum præbere fecit, & adveniente Dominico die rursum cum multitudine armatorum exercituum in Baſilicam Beati Petri properans, Pontifex ab eodem Georgio Epiſcopo Praeneſtino, & aliis duobus Epiſcopis, Euſtratio Albanenſe & Citonato Portuenſe conſecratus eſt. Et per anni ſpatium, & menſem unum Sedem Apoſtolicam invaſam detinuit.* Factus eſt itaque Conſtantinus Clericus die vigeſima octava Junii; die vigeſima nona ejuſdem menſis feriâ ſecundâ Subdiaconus et Diaconus; dieque tandem quinta menſis Julii, quæ cum Dominica concurrebat, Pontifex Romanus conſecratus eſt. Ex quibus conſtat verum eſſe, quod in Sabiniano Papa diximus, Pontifices Romanos ex Diaconis aſſumptos, per ſaltum ordinatos eſſe. In hac enim narratione, ubi Anaſtaſius ſumma cum diligentia omnem Conſtantinianæ intruſionis ordinem deſcribit, nulla fit mentio Presbyteratûs ipſi collati, quod indicio eſt prætermiſſum prorsùs ab eo fuiſſe. Veroſimile quippe eſt Conſtantinum eum ordinem haud quaquam neglecturum fuiſſe, ſi neceſſarius extitiſſet.

II. Pippinum ad ſuas partes pertrahere fruſtrà tentat. Conſtantinus pſeudo-Papa ut uſurpatam Sedem ſibi ſtabilire poſſet, duas ad Pippinum Francorum Regem ſcripſit Epiſtolas, quæ in Codice Carolino ſunt 98, & 99, in quibus ad conciliandam ſibi ejus, ac Francorum amicitiam multa magnificè ſcripſit, ſeque vel invitum Pontificem factum illi perſuadere voluit. In prioribus literis ait: *Obnixis deprecationibus, tanquam præſentialiter coram veſtro mellifluo Regali aſſiſtens conſpectu, flexo poplite deprecor Præcellentiam veſtram, ut illud, quod Beato Petro polliciti eſtis, ſimulque & charitatem atque amicitiam, quam cum beatæ recordationis Domno Stephano Summo Pontifice vel ejus germano, prædeceſſoribus noſtris habuiſtis, omnimodo recordari, & conſervare jubeatis*, &c. Pippinus Legatum Romam direxerat, qui libros de Geſtis Sanctorum à Paulo Papa poſtularet, per quem Româ in Franciam redeuntem, Conſtantinus priores has literas ad Pippinum tranſmiſit, in iis enim paulò poſt hæc ſcribit: *Hunc veſtro Miſſo hoc ipſum in ore poſuimus Veſtræ benignæ Excellentiæ ſuggerendum. Geſta quippe Sanctorum, de quibus miſiſtis Vobis dirigi, in quantum reperire valuimus, Vobis tranſmiſimus.* Pippinus his Conſtantini literis ſeſe decipi paſſus non eſt, ignorare enim non poterat malas artes, quibus Apoſtolicam Sedem invaſerat.

III. Alterum mittit exemplar Synodicæ Patriarchæ Jeroſolymitani. Eodem anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo Theodorus Jeroſolymorum Patriarcha, ad Paulum Papam Synodicas fidei literas, per Conſtantinum Presbyterum miſit, quibus alios Patriarchas, Alexandrinum nempe & Antiochenum, necnon plurimos Orientis Metropolitanos Epiſcopos ſecum conſentire teſtabatur, cultumque ſacrarum Imaginum, in Orientalibus partibus multùm fervere prædicabat; Eas, mortuo Paulo, recepit Conſtantinus pridie Idus Auguſti, indictione quinta, ideoque anno 767, earumque mox exemplar Latinè & Græcè deſcriptum in Franciam, per Chriſtophorum Presbyterum, & Anaſtaſium Notarium Regionarium miſit Pippino, quem denuò rogavit, ut Eccleſiæ partes defendendas ſuſciperet, utque Georgium Epiſcopum, & Marinum, ac Petrum, a Paulo deceſſore in Franciam quondàm directos, in Italiam redire ſineret, quia vocabantur ardentiſſimis precibus ab agnatis ſuis; & quia Epiſcopatus & Eccleſiæ, quas obtinebant, iis abſentibus, plurimùm ſuæ dignitatis amiſerant. *Innoteſcimus Excellentiæ veſtræ*, inquit Conſtantinus in Epiſtola 99 Codicis Carolini, *quòd duodecima die præteriti Auguſti menſis quintæ indictionis conjunxit ad nos à ſancta civitate quidam*

dam

Digitized by Google

SÆC. VIII. CONSTANTINUS ANTIPAPA.

dam religioſus Presbyter, Conſtantinus nomine, deferens Synodicam fidei miſſam à Theodoro Jeroſolymitano Patriarcha ad nomen prædeceſſoris noſtri Domni Pauli Papæ, in qua & reliqui Patriarchæ, ideſt, Alexandrinus, & Antiochenus, & plurimi Metropolitani Epiſcopi Orientalium partium, viſi ſunt concordaſſe, eamque c n-magna lætitia ſuſcipientes atque amplectentes in populo in ambone relegi fecimus. Cujus exemplar in Latino & Græco eloquio Veſtræ Excellentiæ direximus, ut agnoſcatis, qualis fervor ſanctarum Imaginum Orientalibus in partibus cunctis Chriſtianis imminet, &c. Sequitur poſtea embolum, quò Georgium Epiſcopum ſuperiùs dictum, & Marinum, ac Petrum Presbyteros, jam ante à Paulo Papa in Franciam directos ad ſua reverti permittat, ob rationes mox allatas.

IV. *Deponitur & in monaſterium deportatur.*

Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo octavo, *vigeſima octava Julii menſis, indictione ſexta, veſpere, in ipſo crepuſculo noctis, in ipſa vigilia beatorum Martyrum Abdon & Sennem*, Sergium, & Waldipertum Presbyteros cum Longobardis repente in urbem Romanam ingreſsos, & zelo fidei, collecta militum manu, Totonem Conſtantini Pſeudo-Papæ fratrem occidiſse, refert Anaſtaſius in Vita Stephani III. *Alio* verò *die Dominico*, nempè die triceſima prima menſis Julii, quo eo anno Dominicalis fuit, Waldipertum Presbyterum extraxiſse ex monaſterio ſancti Viti Philippum quemdam Presbyterum, huncque Papam elegiſſe; ſed Philippum eodem die ad ſuum monaſterium redire coactum eſse. *Alio die* ſubdit Anaſtaſius, nempe die quinta menſis Auguſti, feria ſexta, Stephanus tertius totius Cleri, Optimatum, ac populi conſenſu electus eſt legitimus Romanus Pontifex, & Conſtantinus invaſor Apoſtolicæ Sedis in monaſterium *Cellanovas* deportatus; *ſabbato verò, die diluculo*, ſexta Auguſti, *ante unam diem ordinationis beatiſſimi Papæ Stephani, aggregati aliquanti Epiſcoporum, ſeu Presbyterorum, & Clerici in Baſilica Salvatoris, iterùm præfatus Conſtantinus in medium allatus eſt; accedens enim Maurianus Subdiaconus orarium de ejus collo abſtulit, & ante pedes ejus projecit, & compages ipſius abſcidit. Sicque alio die Dominico antedictus beatiſſimus Stephanus conſecrationem ſuſcepit Pontificatus.*

V. *Ex eo vi extractus excæcatur.*

His actis Conſtantinus, ut dictum eſt, Cellanovas deportatur, unde pauló poſt à militibus, inſcio quidem Stephano, ſed juſto Dei judicio, violenter extractus eſt, ac crudeliter excæcatus, eadem pariter pœna, necnon linguæ abſciſſione, aliis quibuſdam affectis, qui ipſi adheſiſſent; ipſe verò Conſtantinus jacens in platea, relictus eſt. Anno tamen ſequenti ſeptingenteſimo ſexageſimo nono adductus eſt ad Synodum, quam Stephanus III Romæ celebrabat, & de invaſione Sedis Apoſtolicæ interrogatus, vim ſibi à populo Romano factam dixit; ac in terram proſtratus, veniam à Patribus precatus eſt: ſed mutato conſilio, ſequenti die ſuam propugnare voluit ordinationem, reponens Sergium Ravennatem & Stephanum Neapolitanum Archiepiſcopos, ex laicis eſſe conſecratos. Tum illum colaphi cædi juſſum extra Eccleſiam Patres ejecerunt, & Acta Conciliabuli, quod in ſuæ intruſionis confirmationem collegerat, igni tradidere. Quid de Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis à Conſtantino conſecratis ſtatutum fuerit in eadem Synodo Romana, dicetur in Pontificatu Stephani III.

STEPHANUS III, *aliis* IV. *Pontif. XCVI.*

Anno Domini DCCLXVIII.

I. *Stephanus III ordinatur.*

ANaſtaſius, quem Martinus Polonus & Luitprandus ſequuntur, ſcribit Conſtantinum pſeudo Papam *per anni ſpatium & menſem unum Sedem Apoſtolicam invaſam* detinuiſſe, ad quod temporis ſpatium etiam coarctat interpontificium, cùm ait Sedem vacaſſe *annum unum & menſem unum*, numerando ſcilicet à die quinta Julii anni ſeptingenteſimi ſexageſimi ſeptimi, qua Conſtantinus conſecratus eſt, ad diem quintam menſis Auguſti anni ſeptingenteſimi ſexageſimi octavi, qua in monaſterium conjectus eſt. Non numerat itaque Anaſtaſius duos dies, qui fluxerunt ſupra annum unum & menſem unum, uſque ad Stephani III conſecrationem, quæ ex eodem Anaſtaſio peracta eſt die ſeptima Auguſti ejuſdem anni 768, & ad ejus electionem tantùm reſpicit, quæ ex dictis in Conſtantino contigit die quinta menſis Auguſti. Fuit Srephanus III, natione Siculus, ex patre Olivo; qui ex monaſterio à Zacharia Papa aſſumptus ad Cubicularii munus, & deinde Presbyter tituli S. Cæciliæ conſecratus ipſi, ac Stephano ſecundo, & Paulo primo ob pietatem & ſacram eruditionem gratiſsimus, ac inter primarios Miniſtros, Pontifex renunciatus ac inauguratus eſt die ſeptima Auguſti, quæ erat Dominicalis, ex eodem Anaſtaſio.

II. *Legationem mittit ad Francorum Reges.*

Stephanus Papa ipſo ſui Pontificatûs exordio ad Pippinum Francorum Regem, ejuſque

filios

Digitized by Google

filios Carolum, & Carolomannum Francorum itidem Reges, & Romanorum Patricios, Sergium Secundicerium & Nomenclatorem Legatum direxit, petiitque ut aliquot ex regno ſuo Epiſcopos eruditos & ſanctorum canonum peritos Romam mitterent, ad Synodum illic agendam pro reſtauratione Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quam Conſtantinus pſeudo-Papa pervertiſſet. Sed cùm Legatus in Gallias adveniſſet, & Pippinum mortuum inveniſſet, obiit enim 8 Kalendas Octobris ejuſdem anni ſeptingenteſimi ſexageſimi octavi, cauſam ſuæ legationis Carolo, ac Carolomanno expoſuit, & ſecum ex Gallia in Italiam duxit ſelectiſsimos Epiſcopos duodecim, doctrina & pietate præſtantiſsimos, quorum nomina, quæ in Anaſtaſio deſiderantur, ex ſchedis Onuphrii Panvini ſupplevit Sirmondus Tom. 2 Conciliorum Galliæ, ſcilicet *Wilicarius Senonenſis*, *Lullus Moguntinus*, *Gavienus Turonenſis*, *Addo Lugdunenſis*, *Herminardus Bituricenſis*, *Daniel Narbonenſis*, *Tilpinus Remenſis*, *Herulfus Lingonenſis*. *Item Herembertus*, *Babulfus*, *Giſelbertus*, & *Joſeph*. Heremberti, Babulfi & Giſelberti Sedes ignorantur, ſed Joſeph erat Epiſcopus Avenionenſis, ut prodit Noguierus in Hiſtoria Antiſtitum Avenionenſium.

III. *Synodum Romæ celebrat.*

Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo nono, menſe Aprili habita eſt Synodus Romæ in Baſilica Salvatoris juxta Lateranenſe palatium. Præfuit Stephanus Papa, cui conſederunt Epiſcopi Gallicani mox nominati, & alii plures Tuſciæ, Campanieque, atque aliarum Italiæ provinciarum. Damnavit Synodus Conſtantinum Apoſtolicæ Sedis invaſorem, ut in ejus pſeudo-Pontificatu diximus. Poſt hæc populus, confeſſione facta, veniam deprecatus eſt, quòd de manibus Conſtantini communionem ſuſcepiſset: *Tunc allatis ſacratiſſimis canonibus*, inquit Anaſtaſius in Stephano III, *eiſque liquidò perſcrutatis*, *prolata ſententia eſt ab eodem Sacerdotali Concilio*, *ſub anathematis interdicto*, *ne ullus unquam præſumat Laicorum*, *neque ex alio ordine*, *niſi per diſtinctos gradus aſcendens*, *Diaconus*, *aut Preſbyter Cardinalis factus fuerit*, *ad ſacrum Pontificatûs bonorem poſſit promoveri*. Proviſum eſt rationi & modo; quo poſthàc in Summi Pontificis electione liberè procedatur; ex Presbyterorum ſcilicet Cardinalium, & Diaconorum itidem Cardinalium ordine ille aſſumatur; ita ut ſub anathemate prohibitum fuerit armata manu quemquam ingredi, ut liberè Papa eligeretur, & canonico ritu omnia ritè peragerentur. Et tum primum, ut mihi quidem videtur, ſummus Pontificatus ſolis Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus ita reſervatus, ut nullus alius ex alio ordine eligi poſſet. Antea enim etiam Subdiaconi eligi poterant, ut de Silverio, in Pontificatu Deuſdedit diximus.

SÆC. VIII. STEPHANUS III.

IV. *Quid in ea ſtatutum de ordinatis à Conſtantino Antipapa.*

De Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus, quos Conſtantinus conſecraverat, ſtatutum eſt, *Ut Epiſcopi illi*, *ſi aliquis eorum Presbyter*, *aut Diaconus fuerit*, *in priſtinum honoris ſui gradum revertantur*. *Et ſi placabiles fuiſſent coram populo civitatis ſuæ*, *denuò facto decreto electionis*, *more ſolito*, *cum Clero*, *& plebe*, *ad Apoſtolicam advenisſent Sedem*, *& ab eodem ſanctiſſimo Stephano Papa benedictionis ſuſcepiſſent conſecrationem*. De Presbyteris & Diaconis idem ſtatutum, additumque, ut qui ex eis conſecrandi erant, ad Epiſcopalem dignitatem nuſquam promoverentur: qui verò ab eodem ex laicis ordinati erant, in religioſo habitu, reliquo vitæ tempore, permanerent. Hac promulgatâ ſententiâ, Epiſcopi illi, qui ab eodem Conſtantino ordinati fuerant, ab eodem ſanctiſſimo Papa conſecrati ſunt. Ita enim in eo Concilio ſancitum eſt, *ut omnia*, *quæ iſdem Conſtantinus in Eccleſiaſticis ſacramentis ac divino cultu egit*, *iterata fuiſſent*, *præter ſanctum Baptiſma*, *atque ſanctum Chriſma*. Hujus Synodi aliqua fragmenta ab Holſtenio è tenebris eruta extant Tom. 6 Concil. editionis Labbei.

V. *Hæ ordinationes à Stephano PP. non fuerunt iteratæ.*

Ex Anaſtaſii porrò narratione graviſſima difficultas oritur de ſacrarum ordinationum iteratione. Videtur enim Stephanus Papa iterum ordinaſſe Epiſcopos, quos Antipapa Conſtantinus conſecraverat. Sed reſpondet Natalis Alexander Sæc. 8 cap. 1 art. 8 ex Baronio, ſacramentum Benedictionis vocari ab Anaſtaſio, quod Sacramentale quoddam fuit, rituſque ſacer, quo antiquitùs depoſiti, & gradu ſuo dejecti, Pontificiæ reconciliationis beneficio ad priſtinos honores iterum promovebantur, & priſtinos in gradus reſtituebantur. Ritum etiam illum Conſecrationem appellavit Anaſtaſius, quia cum Ordinum ſacrorum inſignia reciperent coram Altari, & benedictione Epiſcopi reconciliarentur, ac poteſtatem obeundi omnia munia Ordinum, quos illegitimè ſuſceperant, ejus indulgentiâ conſequerentur, videbantur quaſi de novo conſecrari. Ita Natalis Alexander laudatus apud quem hac de re plura.

VI. *Cultus ſacrarum Imaginum in ea Synodo ſancitur.*

In eodem Concilio Romano lecta & approbata eſt Synodica Theodori Patriarchæ Jeroſolymitani, Coſmæ Alexandrini, & Theodori Antiocheni itidem Patriarcharum ad Paulum Papam ſcripta, de qua in Conſtantino locuti ſumus, pro cultu ſacrarum Imaginum: quæcumque adversùs eas in pſeudo-Synodo Conſtantinopolitana anno ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto ſub Stephani Papæ II Pontificatu, decreta fuerant anathemati ſubjecta ſunt, & ſacrarum Imaginum veneratio ſancita. Hæc conſtant non ſolùm ex Anaſtaſio, ſed etiam ex tra-

Digitized by Google

tractatione Hadriani Papæ ad Carolum Magnum de ſacris Imaginibus cap. 12, Act. 6, ubi quędam hujus Concilii fragmenta reperiuntur. Poſtea quæ in eo Concilio ſtatuta, promulgata in Baſilica Beati Petri, à Leontio Scrinario, tandemque Stephanus Papa ſuis literis ſignificavit Conſtantino Copronymo Imperatori, ea quæ prò ſacrarum Imaginum cultu Romæ ſtatuta erant, eumque admonuit ut ab errore deſiſteret, quod teſtatur Hadrianus ejus ſucceſſor in Epiſtola ſua recitata in Actione ſecunda Nicęni Concilii poſterioris.

VII. *Stephanus PP. Epiſcopum Ravennatibus conſecrat, intruſo rejecto.*

Paucis poſt hanc Synodum menſibus, Sergio Ravennate Epiſcopo defuncto, Longobardorum potentiâ Michael ejuſdem Eccleſiæ Scrinarius, nullo Sacerdotali fungens honore intruſus eſt: ad quem dimovendum Stephano Papæ fuit plurimùm laborandum toto anno ſeptingenteſimo ſexageſimo nono & ſequenti, donec Francorum Regum Legatis adhibitis, idem Michael expulſus eſt, & Romam vinctus miſſus: Leo verò Archidiaconus legitimè à Ravennatibus electus, Archiepiſcopus eſt conſecratus ab eodem Stephano Papa, ut refert idem Anaſtaſius.

VIII. *Conſilium de interficiendo Papa initum additur.*

Eodem anno ſeptingenteſimo ſexageſimo nono *Deſiderius Rex Longobardorum ſub obtentu orandi Romam ingreſſus, aliquos nobilium Romanorum captos excæcavit*, inquit Sigebertus in Chronico ad eundem annum. Id fuſiùs narrat Anaſtaſius in Stephano III, & in Hadriano I, ex quo conſtat, quòd cùm Deſiderius ſpe conatuque ſuo ſe depulſum ſenſiſſet, operâ Chriſtophori, & Sergii, qui Conſtantino pſeudo-Papa exauctorato, de Stephani Papæ amicitia cum Regibus Francorum arctiſſimè nectenda, fovendaque ſtudioſiſſimè laborabant, eos ſibi conſtituit de medio removendos, ne conſiliis, cœptiſque ſuis in futurum adverſari poſſent. Præter quam enim quòd Eccleſiam à Conſtantini tyrannide ſtrenuè vindicaverant, indeſinenter etiam agebant, ut Deſiderius ei priſtina jura reſtitueret. Deſiderius itaque inito conſilio cum Paulo Afiarta Stephani Papæ Cubiculario, ad Urbem fraudulenter properans, eundem Pontificem in colloquium foras evocatum, intra Eccleſiam B. Petri incluſit, & Chriſtophorum, ac Sergium tentos, contra fidem datam excæcavit.

IX. *Stephanus PP. illud ſcripſit Carolo M. Regi.*

Totum hoc negotium ab Anaſtaſio fuſè deſcriptum, aliter deſcribitur in Epiſtola Stephani Papæ Bertradæ Reginæ Franciæ & Carolo Regi filio ejus inſcripta, quæ extat in Codice Carolino num. 46, in qua ait Pontifex, ſe magno dolore accepiſſe, Chriſtophorum, & Sergium ejus filium, conſilio inito cum Dodone Miſſo germani ejus Carolomanni Regis, ſeſe interficere meditatos eſſe. Unde cùm eodem Dodone & ipſis Francis in Patriarchium Lateranenſe cum exercitu ingreſſos eſſe, ſeque vix, dum Romæ apud ſe Deſiderius Rex pro faciendis ſibi diverſis juſtitiis B. Petri exiſteret, valuiſſe cum ſuo Clero refugium facere ad ſanctum Petrum, ac continuò direxiſſe ſuos Sacerdotes ad eoſdem Chriſtophorum atque Sergium, ut ad ſe ad beatum Petrum properarent, quod cùm ipſi facere renuiſſent, cognoviſſet univerſus populus eorum iniquum conſilium, eos coactos atque nolentes in Eccleſiam ſancti Petri deduxiſſe. Illos autem, inquit, *interficere univerſus populus nitebantur, & vix de eorum manibus eos valuimus eripere, & dum infra Civitatem nocturno ſilentio ipſos ſalvos introducere diſponeremus, ne quis eos conſpiciens interficeret, ſubitò hi, qui ſemper eis inſidiabantur, ſuper eos irruentes, eorum eruerunt oculos, Deo teſte dicimus, ſine noſtra voluntate atque conſilio.* Subdit Stephanus ſeſe in mortis periculum venturum fuiſſe, niſi Dei protectio, atque beati Petri Apoſtoli, & Deſiderius Rex ſibi auxilio fuiſſent: ſeſe credere, quòd dum tanta prædicti Dodonis iniquitas ad aures Carolomanni Regis pervenerit, nullo modo ei placituram. Ait tandem: *Agnoſcat autem Deo amabilis Religioſitas veſtra, atque Chriſtianiſſima Excellentia tua, eo quòd in nomine Domini bona voluntate nobis convenit cum præfato Excellentiſſimo, & à Deo ſervato filio noſtro Deſiderio Rege, & omnes juſtitias B. Petri ab eo pleniùs, & in integro ſuſcepimus.*

X. *Scribit, ſed coactè, Regem Longobard. ſibi ſatisfeciſſe.*

Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum, ad annum ſeptingenteſimum ſexageſimum nonum, rectè conjicit videri Stephanum coactum Epiſtolam illam exaraſſe, urgente eodem Deſiderio Rege, qui Pontificem detinebat in Vaticano, ubi eam ſcripſit, quique res ablatas Apoſtolicæ Sedi ſe redditurum ſimulabat, & diſſenſionem inter Carolum & Carolomannum Reges fratres fovere ſuis artibus ſatagebat. Quapropter iis, quæ de Chriſtophoro & Sergio, quæque de Dodone Carolomanni Regis Oratore narrantur à Stephano, fidem integram nequaquam haberi debere. Neque enim illi quidquam moverunt adverſùs Romanum Pontificem; ſed cùm ſibi timerent à Deſiderio, fieri potuit, ut Dodone conſcio, atque in partem conſilii vocato, Romanos contra Paulum Afiartam, quem Deſiderio favere deprehenderant, ad arma provocarent, & exorto in Urbe tumultu, inſcio atque inconſulto Pontifice, excæcarentur. Artifex itaque totius mali Deſiderius Rex Stephanum Papam luſit, Apoſtolicæ Sedi ne vicum quidem reſtituit, unde rectè conjicit Cointius, eo auctore ſcriptam eſſe à Stephano Epiſtolam, qua contrarium aſſerit. Certè fraudulenter ac ſimu-

SÆC. VIII. STEPHANUS III.

ſimulatè ſe geſsiſſe Deſiderium Regem, Baronius anno 770 num. 7, ei Hadrianum Papam exprobraſſe ſcribit.

XI. *Regibus Franc. gratulatur redintegratam inter eos amicitiam.*

Diſſenſio quæ inter Carolum & Carolomannum fratres Francorum Reges exorta fuerat, anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſopita eſt: Reges ad ſinceram dilectionem & fraternum amorem converſi ſunt, atque de redintegrata inter ſe concordia, deque ſuo in Sedem Apoſtolicam zelo Stephanum Papam certiorem fecerunt, Gauziberto Epiſcopo, Fulchberto Monacho, Anſfredo, & Helingario glorioſiſsimis viris Romam quàm primùm directis. Gaviſus eſt ſummoperè Pontifex, ſtatimque per eoſdem Nuncios ad prædictos Reges Epiſtolam 47 Codicis Carolini, in editione Conciliorum Labbei ordine ſecundam tranſmiſit, in cujus priori parte Stephanus ſignificat, ſe plurimùm lætari de renovata utriuſque Regis amicitia.

XII. *Iis ſignificat Longobardos ablata non reſtituiſſe.*

In eadem Epiſtola Stephanus per tremendum judicii diem, & ipſius Principis Apoſtolorum nomine vehementer obteſtatus eſt, ut in firmo propoſito rerum, quæ Beato Petro ſublatæ fuerant à Longobardis, exigendarum, conſtantiſsimè permanerent, & cuilibet illas redditas aſſerenti fidem denegarent: *Unde*, inquit, *obnixè, tanquam præſentialiter petimus, & coram Deo vivo, qui vos regnare præcepit, conjuramus Excellentiam veſtram, ut plenarias juſtitias Beato Petro, ſub nimia velocitate ſecundùm capitulare, quod vobis per præſentes veſtros fideliſſimos Miſſos direximus, exigere, & Beato Petro reddere jubeatis, ſicut & veſtra continet promiſſio, & omnia quæ Beato Petro & ejus Vicariis cum veſtro ſanctæ memoriæ progenitore promiſiſtis, adimplere dignemini*, &c. *Tamen & de omnibus juſtitiis Beati Petri prædictis veſtris Miſſis ſubtilius locuti ſumus, veſtro Regali Culmini cuncta enarranda, & jam ſicut terra ſitiens imbrem præſtolatur, ita veſtrum auxilium & congruum effectum de noſtris petitionibus poſtulamus*, &c. *Nam ſi, quod non credimus, ipſas juſtitias exigere neglexeritis, aut diſtuleritis, ſciatis vos de iſtis rationem fortiter ante tribunal Chriſti eidem Principi Apoſtolorum eſſe facturos. Si quis autem vobis dixerit, quòd juſtitias Beati Petri recepimus, vos ullo modo ei non credatis.* Ex his patet rectè ſcripſiſſe Cointium, mox à nobis laudatum, Epiſtolam Codicis Carolini 46, anno 769 à Stephano Papa ſcriptam, quæ reſtitutionem à Deſiderio factam fingebat, vi ac metu extortam fuiſſe.

XIII. *Compater fieri optat Carolomanni Regis.*

Epiſtolâ 48 Codicis Carolini Stephanus Papa Carolomanni Regis, in cauſis Apoſtolicis tuendis conſtantiam plurimùm commendavit, eâdemque poſtulavit, ut Carolomanni Regis compater fieri mereretur: Carolomanno enim anno 770 Pippinum filium natum eſſe, nos edocet Annaliſta Petavianus, cujus pater luſtralis fieri Papa peroptavit. Erat tamen tunc alia Carolomanno proles, laudatam enim Epiſtolam ſic claudit Stephanus: *Deus Omnipotens, per quem Reges regnant, & Principes imperant, ſuâ vos protegat gratiâ, & victoriam vobis de Cœlo pro ſuæ ſanctæ Eccleſiæ defenſione tribuat, atque longævos & ſoſpites in ſolio regni pariter cum Excellentiſſima & Chriſtianiſſima filia noſtra Regina, dulciſſima veſtra conjuge, & amantiſſimis natis, conſervare, & cœleſtis regni æterna gaudia concedere dignetur poſſidenda.*

XIV. *Regis Longobard. filia in Franciam ducitur uni ex Regibus copulanda.*

Eodem anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo, ut tradunt varii Francorum Annaliſtæ, Berta ſeu Bertrada Regina, Pippini Regis relicta, in Bajoariam profecta eſt, eo, ut videtur, conſilio, ut amicitiam inter Taſsilonem Ducem & Carolum Regem Francorum, hoc eſt inter conſobrinos renovaret. Inde in Italiam ſe contulit. Deſiderius Longobardorum Rex è ſua re eſſe duxit ſibi devincire Francorum Reges, quos in amicitiam ſimul rediiſſe noverat, & amicos eſſe Stephano Papæ, quem laceſſebat, ſeque faciliùs quod optabat aſſecuturum credidit, ſi Giſeam eorundem Regum ſororem Adalgiſe filio ſuo in uxorem poſtularet. Quare egit de illo conjugio cum Bertrada Regina atque, ut mutuus amor utrimque arctiùs necteretur, de filia ſua alteri Regum Francorum ſocianda ſermonem quoque habuit, indeque factum, ut hæc in Franciam adduceretur.

XV. *Stephanus PP. illud matrimonium improbat.*

Ubi Stephanus Papa hæc reſcivit, Bertæ Reginæ conſilia vehementer improbavit, ſtatimque Reges Francorum hortatus eſt ne uxores ſuas repudiarent & alias ſuperducerent, quod Chriſtianis Principibus indignum: & ne Conjugium inirent cum alienigenis, & præcipuè cum Longobardorum filiabus, qui perjuri erant & Romanę Eccleſię inimici. In memoriam revocavit exemplum Pippini, qui Conſtantino Copronymo Imperatori ſororem eorum Giſelam uxorem dare noluit, quamquam ardentiſsimis votis expetitam. Obteſtatus eſt ne contra Apoſtolica mandata & voluntatem Pontificis nuptias ipſis indecoras, & Eccleſiæ rebus incommodas contraherent; nequè Giſelam ſororem, filio Deſiderii Regis collocarent: hoc enim fœdere violatam iri amicitiam, & fidem, quam Apoſtolicæ Sedis Pontifici promiſerant. Ipſos, inquam, adjurat per Deum vivum & verum, per tremendi judicii diem, per omnia divina myſteria & ſacratiſſimum corpus S. Petri, ne hujuſmodi nuptiis conſentiant. Hanc adjurationem Regibus Francorum inſcriptam in Confeſſione B. Petri poſuit; ſuper eam ſacrificium, atque Hoſtiam Deo obtulit,

Digitized by Google

tulit, deinde cum lachrymis ex eadem ſacra Confeſſione, illam per Legatos, Petrum Presbyterum & Pamphilum defenſorem Regionarium direxit; contra quam, inquit, ſi quis agere præſumpſerit, *ſciat ſe auctoritate B. Petri Apoſtolorum Principis anathematis vinculo eſſe innodatum, & à regno Dei alienum, atque cum Diabolo & ejus atrociſſimis pompis, & cæteris impiis, æternis incendiis concremandum, deputatum*. Extat ea adjuratio in Codice Carolino num. 45.

XVI. *Carolus eam duxit, & poſtea repudiat.* Sed hoc non obſtante, Carolus Deſiderii filiam in uxorem duxit, de eo enim in ejus Vita ſcribit Eginhardus: *Cùm matris hortatu filiam Deſiderii Regis Longobardorum duxiſſet uxorem, incertum qua de cauſa, poſt annum repudiavit, & Hildegarde de gente Suevorum præcipua nobilitate fœminam in matrimonium accepit*. Habemus itaque ex Stephani Papæ adjuratione num. ſuperiori recitata, Carolum ante Pippini Regis patris mortem matrimonio junctum fuiſſe cum muliere quadam Franca, cujus nomen ignoratur, quam repudiavit, cùm Deſiderii Longobardorum Regis filiam duxit: ſed hac etiam poſt annum repudiatâ, quia contra leges Eccleſiaſticas ductâ; ad Francæ illius nuptias non rediit, vel quia eo tempore mortua eſt, vel quia legitimis rationibus motus eſt ad eam dimittendam, ſi nempe Pippino patre cogente eam conjugem accepiſset; ſic enim propter eandem rationem Ludovicus XII à Joanna, & Henricus IV Francorum Reges à Margarita uxoribus diſceſsere, aliaſque duxere; de quibus rationibus nondum edoctus erat Stephanus, quando laudatam Epiſtolam ſcripſit. Carolus itaque, poſt repudiatam Deſiderii filiam, tertiam uxorem accepit Hildegardem nempe, eaque tandem defunctâ, Faſtradam ſibi copulavit, ut Eginhardus laudatus ſcribit, qui addit, Carolum ſuſcepiſse filium *de concubina quadam cujus nomen*, inquit, *modò memoriæ non occurrit*, quam concubinam fuiſse Hilmintrudem & Pippinum ex ea natum naturalem filium Caroli extitiſse, probat Annotator Baronii ad annum ſeptingenteſimum ſeptuageſimum primum ex eodem Eginhardo, Paulo Diacono, aliiſque Auctoribus coævis.

XVII. *Deſiderius Rex quaſdam civitates Stephano PP. reſtituit.* Matrimonium Giſelæ, Caroli Magni ſororis, cum Adalgiſo ejuſdem Regis Longobardorum filio, quod etiam Stephanus Papa improbabat, illud effectum non habuit. Giſela ſeu Giſila, vel Gislena, annum tunc ætatis decimum quartum agebat; ex dictis enim nata erat anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Paulò poſt verò hoc tempus cœpit inter Moniales vitam degere, ut idem Eginhardus citatus teſtatur: *Erat ei* (nempe Carolo) *unica ſoror, nempe Giſla, à puellaribus annis religioſæ converſationi mancipata, quam ſimiliter, ut matrem, magna coluit pietate, quæ etiam paucis ante obitum illius annis, in eo, quo converſata eſt monaſterio, deceſſit*. Hic porrò omittendum non eſt, Bertradam, ſeu Bertam Reginam, Regum Francorum Caroli & Carolomanni matrem, obtinuiſſe à Deſiderio Longobardorum Rege, in eo quod cum illo in Italia habuit colloquio, ut quaſdam civitates Eccleſiæ ablatas, Stephano Papæ reſtitueret. Nam Ducheſnius Tom 2 Hiſt. Franc. poſt ſecundam Appendicem ad Continuationem Fredegarii refert fragmentum Veterum Annalium, in quo legitur: *Anno 770 fuit Berta Regina in Longobardia ad Placitum contra Deſiderium Regem, & redditæ ſunt Civitates plurimæ ad partem ſancti Petri*; Et ibidem in Annalibus Petavianis ad annum 770 habetur: *Hoc anno Domna Berta fuit in Italia propter m Deſiderii Regis, & redditæ ſunt Civ....es plurimæ ſancti Petri*; quod Berta à Deſiderio poſtulaſſe videtur, ut Stephanum, à conjugio filię Deſiderii cum Carolo valdè alienum, mitigaret, inquit idem Baronii Annotator ad annum 770 num 7.

filiam

XVIII. *Prima mentio ſeptem Epiſcoporum Cardinalium.* Stephanus Papa ex Anaſtaſio ſtatuit: *Ut omni die Dominico à ſeptem Epiſcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Eccleſia Salvatoris*, ſeu Lateranenſi, *obſervant Miſſarum ſolemnia, ſuper Altare ſancti Petri celebraretur*, & Gloria in excelſis Deo *diceretur*. Ad quem locum Baronius obſervat, hic primam mentionem de ſeptem Epiſcopis Cardinalibus reperiri, illis ſcilicet, qui proximos Urbi habentes Epiſcopatus, aſſiſterent Pontifici, eidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ annexi cardini. Hos autem recenſet Joannes Diaconus in libro de Eccleſia Lateranenſi cap. 8. *Epiſcopus Hoſtienſis, qui debet conſecrare & benedicere Apoſtolicum, præ omnibus aliis, Epiſcopus S. Rufinæ ſecundus, Epiſcopus Portuenſis tertius, Epiſcopus Albabenſis quartus, Epiſcopus Tuſculanenſis quintus, Epiſcopus Sabinenſis ſextus, Epiſcopus Præneſtinenſis ſeptimus.*

XIX. *Qui fuere Eccleſiæ Lateranenſis hebdomadarii.* Ex hoc loco etiam habemus, olim in Eccleſia Lateranenſi, ſeptem illos Epiſcopos Cardinales hebdomadatim Miſſarum ſolemnia perſolviſſe, quam Eccleſiam, ob hanc prærogativam laudat, & extollit Petrus Damiani lib. 2 Epiſtola 1 ad ſanctos Epiſcopos Lateranenſis Eccleſiæ Cardinales, ut advertit Edmundus Martene lib. 1 de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 3 art. 8 num. 3, ubi addit, de hac conſuetudine hæc ſcribere Joannen Diaconum laudatum: *Ad hoc igitur tam ſolemne ſacroſanctum Altare ..... nullus ad ſacrificandum audet accedere præter Domnum Apoſtolicum, & ſeptem Cardinales Epiſcopos ejuſdem Eccleſiæ hebdomadarios*

Digitized by Google

SÆC. VIII. STEPHANUS III.

madarios, qui Miſſam in hac ſacroſancta Baſilica celebrant per hebdomadas ſuas. In aliis verò Patriarchalibus Urbis Baſilicis ſeptem Presbyteri item Cardinales hebdomadarii fungebantur officio, quos recenſet idem Joannes Diaconus cap. 16. Habemus denique ex hoc loco Stephanum III renovaſſe decretum ſancti Gregorii Papæ ſaltem pro Eccleſia Lateranenſi, ſcilicet ut hymnus *Gloria in excelſis Deo* à ſolis Epiſcopis uſurparetur, de quo decreto in Symmacho Papa locuti ſumus.

XX. *Sergius Secundicerius occiditur.*

Annus Chriſti ſeptingenteſimus ſeptuageſimus ſecundus Sergio Secundicerio, de quo ſuperiùs locuti ſumus, fatalis fuit. Novis enim turbis Urbs exagitata eſt, factione Pauli Afiartæ Stephani Papæ Cubicularii, cujus operâ idem Sergius jam inde excæcatus, tunc è cellario Lateranenſi, ubi ſervabatur, eductus, plurimis confoſſus eſt vulneribus. Quod impium facinus poſtea ſub Hadriano Stephani ſucceſſo punitum eſt, ut diffusè narrat idem Anaſtaſius in ejuſdem Hadriani Vita. Hæc enim acta ſunt initio anni 772, cùm Stephanus ægrotaret.

XXI. *Stephani PP. mors.*

Poſt dies non multos obiit Stephanus Papa hujus nominis III, poſtquam ſediſſet *annos tres, menſes quinque, dies viginti ſeptem*, uti legitur in Codice MS. Anaſtaſii Colbertino num. 417, in tribus ex Catalogis Criticæ Baronianæ præfixis, in duobus aliis à Schelſtratio in Appendice ad Antiquitatem Eccleſiæ pagg. 629, & 651 publicatis, ſicuti & in Luitprando. Quare cùm ordinatus fuerit die ſeptima Auguſti anni 768, mors ejus differri non poteſt ultra diem ſecundam menſis Februarii anni ſeptingenteſimi ſeptuageſimi ſecundi. Bollandus ad diem primam menſis Februarii inter Sanctos prætermiſſos notat, hunc Stephanum *Sanctum* appellari, & referri eo die à Ferrario, & Octavio Cajetano, ab Hugone Menardo, & aliis; ſed necdum apud eos, qui Vitas Pontificum ſcripſere, de cœleſtibus honoribus ei delatis quidquam ſeſe legiſse.

HADRIANUS *Pontif. XCVII.*

Anno Domini DCCLXXII.

I. *Hadrianus Rom. Eccleſiæ præficitur.*

STephano III defuncto Sedes vacavit *dies octo*, ex Anaſtaſio: unde cùm inter omnes conveniat Hadrianum, natione Romanum, Theodori filium, die nona menſis Februarii, in quam anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Dominica cadebat, ordinatum eſſe Romanum Pontificem, neceſſariò concludendum eſt Anaſtaſium tam diem mortis Stephani III, quàm diem ordinationis Hadriani in interpontificio incluſiſſe, ſic utrumque diem bis numeraſſe, ut aliquando alibi ab ipſo factum. Erat Hadrianus nobilitate, pietate, eruditione, caritate in pauperes, ſtudio traditionis & prædicationis Evangelicæ, conſtantia, ceteriſque virtutibus conſpicuus; qui à Paulo Papa Clericali militiæ adſcriptus, & Subdiaconus factus; à Stephano III poſtmodum ad Diaconatûs ordinem eſt provectus, ut fusè narrat idem Anaſtaſius in ejus Vita. Ubi Hadrianus dictus eſt Pontifex, ipſa ſuæ electionis die revocavit Judices, tam de Clero, quàm de militia, qui paulò ante Stephani III obitum, à Paulo Cubiculario cognomento Afiarta, in exilium fuerant deportati, & ceteros, qui in carcerem conjecti erant, libertate donavit.

II. *A Deſiderio Rege Longobard. vexatur.*

Ipſo eodem ſui Pontificatûs exordio Hadrianus graviſſimum cum Deſiderio Longobardorum Rege diſſidium habuit. Hic enim, ut de Carolo Francorum Rege, qui divortium cum filia ejus Deſiderata fecerat, ultionem ſumeret, Gilbergam Carolomanni itidem Francorum Regis, qui anno 771 obierat, conjugem ejuſque filios in fidem ſuſcepit. Gilberga quippe, ut ſcribit Annaliſta Metenſis *cum duobus parvulis & paucis Principibus de parte viri ſui Italiam petiit, & ad Deſiderium Regem Longobardorum pervenit*. Deſiderius itaque ut aut Carolum ab amicitia Pontificis alienaret, aut bello civili in Francia concitato, Romam faciliùs ſubigere poſset, Oratores ad Hadrianum miſit, qui nomine ſuo ipſi amicitiam jurarent, & civitates Pontificiæ ditionis ex Pippiniana Donatione, quas retinebat, reſtitutionem integerrimam perficerent: ab eo petens ut Gilbergæ filios Francorum Reges conſecraret. Nam Carolus, audita Carolomanni fratris morte, in ejus regnum venerat, ibique unctus in Regem fuerat, à quo tempore *obtinuit feliciter Monarchiam Regni Francorum*, inquit Annaliſta Metenſis laudatus. Legatis Deſiderii pro renovando fœdere miſſis, colloquiumque cum Pontifice ſolicitantibus, Hadrianus reſpondit ſeſe Nuncios pro tranſigendo negotio miſſurum, qui civitates reciperent, & mutuam ipſi amicitiam ſuo nomine ſponderent.

III. *Deſiderius ditiones Pontificis invadit.*

Deſiderius Rex hoc reſponſo ſe deluſum ratus, exercitum in Exarchatum, & in Pentapolim miſit, duobuſque menſibus novi Pontificatûs nondum exactis, Nuncium Romam pervenit eum nova fraude Faventiam urbem, & Ducatum Ferrariæ, ac Commachium

machium

Digitized by Google

machium Ravennatenſis Exarchatus civitatem invaſiſſe, & ſummam annonæ difficultatem Ravennatibus inferre. Pontifex, ut ejus animum mitigaret, ad eum Legatos miſit conjurans & obſecrans, ut Civitates occupatas Eccleſiæ reſtitueret. Sed Deſiderius reſpondit id ſe prius non impleturum, quàm Hadrianus cum ipſo præſens his de rebus contuliſſet. Interea Pontifex clam dedit in mandatis Leoni Archiepiſcopo Ravennatenſi, ut Paulum Afiartam, ex Longobardi Regis Aula redeuntem, ſeu Ravennæ, ſeu Arimini in cuſtodia detineret. Quod cum impleviſſet Leo, quæſtio de Sergii Secundicerii nece ab Urbis Præfecto habita eſt, jubente Pontifice Hadriano, qui Paulum Conſtantinopolim in exilium deportari mandavit. Sed Ravennas Archiepiſcopus, inſcio Papa, ipſum juſſit occidi.

IV. *Pontifex Caroli Regis Franc. auxilium implorat.*

Ob extinctum Longobardicæ factionis principem in furorem actus Deſiderius, in Umbriam cum exercitu irrumpens, Senogalliam, Montem Fereti, Urbinum, Eugubium, aliaſque civitates & caſtra Pontificiæ ditionis occupavit, ferro & igne omnia longè lateque devaſtans. Frequentes hinc inde Legationes miſſæ, ſed cùm nullus earum fructus eſſet; Deſiderius minatus eſt Romam ſe hoſtiliter obſeſſurum. Quamobrem Pontifex dum Civitatis munitiones curabat, ut Longobardorum inſultibus obſiſtere poſſet, ad ſolitum Sedis Apoſtolicæ præſidium, Francorum ſcilicet gentem confugit. Legatos maritimo itinere miſit ad Carolum Regem, obſecrans ut Pippini genitoris exemplo, Romanę Eccleſię ſuccurreret, & Deſiderium Regem ad Civitatum, quas hucuſque detinuerat, vel nuper invaſerat, reſtitutionem compelleret: ei prætere ſignificavit Deſiderium Regem velle ſeſe cogere ad Carolomanni defuncti filios in Reges Francorum inungendos.

V. *In Deſiderium Romam euntem anathema intorquet, ni ſiſtat vetetdat.*

Tum Deſiderius cum Adalgiſo filio & exercitu Romam versùs iter arripuit, ſecum ducens uxorem & filios Carolomanni quondàm Regis, miſitque Legatos, qui ſuum in Urbem adventum Pontifici denunciarent. Pontifex intrepidus negavit ſe ſuſceptum Longobardorum Regem, niſi prius Civitates Apoſtolicæ Sedi reſtituiſſet: Urbem muniri, ac prçſidiis majoribus atque intentioribus cuſtodiri præcepit, collecto ex Tuſcia, Campania, Ducatu Peruſino & Pentapolitanis civitatibus exercitu, ad propulſandos Longobardos. Tum ſententiam excommunicationis in ſcriptis latam Deſiderio Regi ſignificavit per tres Epiſcopos ad eum miſſos, quam eſſet ipſo facto incurſurus, ſi fines Romanorum, abſque Pontificali venia, ingrederetur. Hoc fulmine territus Deſiderius, qui non omnem religionis ſenſum exuerat, Viterbio in Longobardiam reverſus eſt. Quæ omnia fusè ab Anaſtaſio referuntur.

VI. *Carolus Rex Hadriani Pl. defenſionem ſuſcipit.*

Eodem anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo tertio, Caroli Regis Legati Romam adventarunt, *inquirentes, ſi præfatus Longobardorum Rex ſublatas Civitates & omnes juſtitias Beati Petri reddidiſſet, ſicut falsè in Franciam dirigebat, aſſerens ſe omnia reddidiſſe. Et ſatisfacti ſunt preſentialiter nihil ab eo redditum fuiſſe*, inquit Anaſtaſius. Caroli Regis Legatos in Franciam redeuntes comitati ſunt Apoſtolici Nuncii, qui cùm eidem Regi ſignificaſſent, quæ geſta fuiſſent à Deſiderio, ſtatim miſit ad eundem Legatos, eum deprecans ut ablatas Apoſtolicæ Sedi Civitates redderet; ſed cùm nihil ab eo obtinere poſſet *univerſam regni ſui Francorum exercituum multitudinem* ad occupandas cluſas direxit. Tunc Deſiderius fugam capiens Ticinum venit, & ad eam civitatem defendendam ſe præparavit. Carolus Rex Papiam, ſeu Ticinum adventavit menſe Junio, ut legitur in Excerptis Chronici S. Vincentii de Wlturno apud Ducheſnium Tom. III Scriptorum Francorum pag. 693. *Super Papiam Rex advenit tempore Adriani Papæ menſe Junio*, quo tempore Ticinum omni ex parte vallavit.

VII. *Veronam capit & Papiam obſidet.*

Cùm autem accepiſset Adalgiſum Deſiderii Regis filium, Veronam præ omnibus civitatibus Longobardorum fortiſsimam tuendam ſuſcepiſse, ad eam properavit, eamque ſub ſuam poteſtatem redegit. Deinde Ticinum remeavit, eamque urbem obſedit circa menſem Octobrem: Anaſtaſius enim ſcribit: *Et dum per ſex menſium ſpatium ipſe Francorum Rex Papiæ demoraretur in obſeſſione ipſius civitatis, magnum deſiderium habens ad limina Apoſtolorum properandi, Romam per Tuſciæ partes properavit, ita feſtinanter adveniens, ut in ipſo Sabbato Sancto ſe liminibus præſentaret Apoſtolicis*, ideoque die ſecunda menſis Aprilis anni ſeptingenteſimi ſeptuageſimi quarti, quo Paſcha celebratum eſt die tertia Aprilis, à quo menſe per ſex alios retrocedendo, pervenitur ad initium menſis Octobris anni ſeptingenteſimi ſeptuageſimi tertii, quo Carolus Rex Papiam obſidione cinxit: quo eodem anno in ea obſidione Natalem Domini celebravit, ut ſcribit Annaliſta Metenſis: *Deſiderio incluſo*, inquit, *ipſam civitatem Rex obſedit, ibique in ipſa caſtra Dominus Rex Natalem Domini celebravit.*

VIII. *Romam pergit.*

Romam itaque perrexit Carolus circa finem menſis Martii anni ſeptingenteſimi ſeptuageſimi quarti, in eamque die ſecunda Aprilis in Vigilia Paſchæ adventavit. *Cujus adventum audiens Beatiſſimus Hadrianus Papa*, inquit Anaſtaſius, *quòd ſic repente ipſe Francorum adveniſſet Rex, in*

magno

magno ſtupore & extaſi deductus, direxit in ejus occurſum univerſos Judices ad ferè triginta millia ab hac Romana urbe, in locum, qui vocatur Novas, *ubi eum cum bandora* (ideſt vexillo) *ſuſceperunt. Et dum appropinquaſset ferè unius millario à Romana urbe, direxit univerſas ſcholas militiæ unà cum Patronis, ſimulque & pueris, qui ad diſcendas literas pergebant, deportantes omnes ramos palmarum atque olivarum, laudeſque omnes canentes, cum acclamationum earumdem laudum vocibus ipſum Francorum ſuſceperunt Regem; obviam illi ejus Sanctitas dirigens venerandas Cruces, ideſt, ſigna, ſicut mos eſt ad Exarchum aut Patricium ſuſcipiendum, eum cum ingenti honore ſuſcipi fecit.*

IX. *Ibidem cum laudibus excipitur.* Dum Carolus Romæ eſſet, *ſecundâ feriâ*, Paſchatis ſcilicet, *ſimili modo in Eccleſia beati Petri, more ſolito, ipſe conſpicuus Pater & egregius Pontifex Miſſarum ſolemnia celebrans, Deo Omnipotenti & præfato Carolo Excellentiſſimo Regi Francorum & Patricio Romanorum laudes reddere fecit.* Quando Imperatores Romani creabantur, imagines eorum deferebantur, ac in celebrioribus çeremoniis illorum laudes magna populorum lętitia acclamabantur, quod pluribus exemplis oſtendi poſſe ſcribit Annotator Baronii. Paulus Diaconus lib. 3 de Geſtis Longobard. cap. 15 de inauguratione Mauricii Imperatoris loquens, ait: *Mauricius indutus purpura, redimitus diademate ad Circum proceſſit, acclamatiſque ſibi laudibus, largitus populo munera primus ex Græcorum genere in imperio confirmatus eſt.* Quibus conceptis verbis Laudes illæ acclamarentur, indicatur initio libri XI Epiſtolarum Gregorii Magni: *Venit Icona ſupradictorum Phocæ & Leontiæ Auguſtorum Romam, 7 Kalendas Maii, & acclamatum eſt eis in Lateranis in Baſilica Julii ab omni Clero & Senatu*: Exaudi Chriſte, Phocæ Auguſto, & Leontiæ Auguſtæ Vita. *Tunc juſſit ipſam Iconam Dominus Beatiſſimus & Apoſtolicus Gregorius Papa reponi in Oratorio ſancti Cæſarii Martyris intra Palatium.* Erant itaque Laudes iſtę, victorię, vel vitæ diuturnioris adprecationes. Cum ſimilibus igitur Laudum acclamationibus Romæ ſuſceptus videtur Carolus, tanquam Patricius ac Defenſor Eccleſię Romanæ, quemadmodum & ſub Leonis III Pontificatu, quando quartùm Romam profectus eſt, ut in ejuſdem Pontificis Vita notavit Anaſtaſius. Earundem porrò laudum uſum Traguri, quę parvula inſula eſt Dalmatię proxima, adhuc continuari, obſervat Joannes Lucius in Hiſt. Dalmatiæ & Croacię lib. 2 c. 6, ubi laudes hæ inter Miſſarum ſolemnia à duobus ex Canonicis umbonem aſcendentibus acclamantur, choro loco populi reſpondente, ſed loco Imperatoris, Summi Pontificis nomen profertur. Legendum etiam Gloſſarium medię & infimæ Latinitatis Ducangii in voce, *Laudes*.

X. *Pro eo in Miſſa Pontificia oratur ex Hadriani inſtitutione.* Ad hanc Romanam Caroli profectionem commodè etiam revocari poteſt, cùm annus inſtitutionis ignoretur, quod legitur in primo Ordine Romano, à Mabillonio Tom. 2 Muſæi Italici publicato, in quo num. 24, ubi agitur de Miſsa, quam initio Quadrageſimæ Romanus Pontifex celebrat, habetur: *Veniens Pontifex aſcendit ad Sedem, dicit*: Oremus. *Diaconus*, flectamus genua, & levate, &c. *Simili modo agitur ſecundâ feriâ, & ſabbato per totam Quadrageſimam. Nam ſabbato tempore Adriani inſtitutum eſt, ut flecteretur pro Carolo Rege, antea verò non fuit conſuetudo.* Tum num. 28. *Feria 4, quæ eſt pridie in Cœna Domini, hora tertia Pontifex cum Clero, & ordine ſuo procedit ad Altare in Eccleſia Majori, & dicit orationes ſolemnes hoc ordine, &c. Dicit orationem pro Rege Francorum, deinde reliquas per ordinem.* Hic ordo Romanus non multò poſt Hadriani mortem conditus, cùm citetur ab Amalario ſub nomine libelli Romani; Amalarius autem ſub Ludovico Pio Caroli filio floruit.

XI. *Quid Carolus Donationi Pippini addiderit.* *Feriâ quartâ*, ſcilicet Paſchatis, ideoque die ſexta menſis Aprilis, Hadrianus Papa paterno affectu Carolum Regem adhortatus eſt, *ut adimpleret in omnibus ipſam promiſſionem, quæ in Francia, in loco, qui dicitur Cariſiacus, facta eſt*, ipſeque Carolus *alteram donationis promiſſionem ad inſtar anterioris*, ſcribi juſſit *per deſignationem confinium, à Lunis cum inſula Corſica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, inde in Verceto, deinde in Parma, deinde in Rhegio, & exinde in Mantua, atque monte Silicis, ſimulque & univerſum Exarchatum Ravennatenſium, ſicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum, & Hiſtriam, necnon & cunctum Ducatum Spoletinum & Beneventanum*, inquit Anaſtaſius. Conſtat verò ex Epiſtolis Hadriani Papæ, Carolum civitatibus ac provinciis, quas Pippinus pater Apoſtolicæ Sedi conceſſerat, plurimas addidiſſe, ſed hæ nec omnes ſimul, nec in hac Romana Caroli profectione datæ ſunt. Eo enim anno 774 donationi à Pippino factę, ſuperaddidit *Ducatum* duntaxat *Spoletanum*, de quo Hadrianus ipſe meminit in Epiſtolis ante annum 781 Carolo directis, ut legere eſt in Codice Carolino. Neque enim ſermonem ullum habet præterea niſi de Pentapoli & Exarchatu Ravennatenſi, ſeu de donatione à Pippino patre facta, & de patrimoniis Sabinenſi, atque aliis in Corſica, in partibus Tuſciæ, Spoleti, ac Beneventi, & in territorio Neapolitano, quæ quidem patrimonia, ut diſerte de Sabinenſi legitur in Epiſtola 69 ejuſdem Codicis Carolini: *pro luminarium con-*

Digitized by Google

concinnationibus, atque alimentis pauperum, conceſſa fuerant, ut pluribus probat Cointius in Annal. Eccleſiaſt. Francorum ad annum 774 num. 6, & ſeqq.

XII. *Carolus Papia capta, fit Rex Longobard.*

Non multò poſt feſta Paſchalia Carolus Rex Papiam reverſus, eam fortiter obſidens ſimul cum Deſiderio Rege, atque cunctis, qui cum eo erant, comprehendit, & ſuæ poteſtati omne regnum Longobardorum ſubjugavit. *Præfatum verò Deſiderium Longobardorum Regem, & ejus conjugem ſecum in Franciam deportavit*, inquit idem Anaſtaſius, cui ſuffragatur Metenſis. Deſiderius cum uxore & filia Leodium primùm, dein Corbejam relegati ſunt, ut probat Annotator Baronii, à quo tempore Carolus dictus eſt Rex Longobardorum, cujus regni epocha poſt diem nonum menſis Maii & ante diem decimum tertium menſis Junii anni 774 initium ſumpſit, ut etiam certis teſtimoniis idem Annotator demonſtrat.

XIII. *Synodus Rom. fictitia.*

In Chronico Sigeberti interpolato ad annun 773 legitur Carolum Romam veniſſe, poſtea Papiam rediiſſe, & occupaſſe: iterumque Romam rediiſſe, & Synodum conſtituſſe cum Hadriano Papa, & 153 Epiſcopis & Abbatibus, in qua Hadrianus dedit ei jus eligendi Pontificem & Epiſcopos per ſingulas provincias, quos ab eo inveſtituras accipere definivit. Eandem Synodum Romanam ſummopere prędicat Gratianus Diſt. 63, cap. 23. Sed cùm in editione Sigeberti ab Auberto Miræo curata, cum exemparibus MSS. collata, hujus Synodi nulla mentio reperiatur, ea alicui interpolator attribuenda; cùmque Gratianus non habuerit *delectum Auctorum, ex quibus decreta collegit*, ut ſcribit Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad annum 1145, inde eandem, quam Interpolator Sigeberti, narrationem primę parti decreti ſui inſeruit. Eam itaque Synodum ut commentitiam meritò rejicit Baronius; ſed argumenta, quibus utitur ad ejus falſitatem convincendam, non probat Marca lib. 8 de Concordia cap. 12, ideoque quatuor aliis eam probat, ex quibus duo potiora hæc ſunt.

XIV. *Potiora ſuppoſitionis ejus argumenta.*

Primum petitur ex teſtimonio Flori Magiſtri in Tractatu *de electione Epiſcoporum*, quem ſcripſit circa annum octingenteſimum vigeſimum, ubi conſenſum Regis conſuetudine inductum docet. Quare Viro illi erudito incognita erat hæc conſtitutio Hadriani, & Synodi Univerſalis, quę dicitur ab eo celebrata. Adde Epiſtolam 81 Lupi Ferrarienſis Abbatis ad Amulum Archiepiſcopum Lugdunenſem; qui de jure Regum in electionibus ſtabiliendo tractans, omne robur trahit, à conceſſione Zachariæ, Pippino tunc Majori Domûs facta, non omiſſurus privilegium ab Hadriano, in Romana Synodo, Carolo Magno collatum, ſi quod extitiſſet. Secundum argumentum deducit Marca ex duabus Hadriani Papæ Epiſtolis ad Carolum datis; ex quarum altera anno 784 ſcripta docemur, Epiſcoporum in regno Longobardico conſtitutorum ordinationes ab Hadriano factas poſt Cleri, & plebis decretum ad ſe miſſum. Jus itaque inveſtiendi, ſeu inſtituendi Epiſcopos Carolo non conceſſerat Hadrianus in Romana Synodo. Altera Epiſtola ab Hadriano ad Carolum anno 787 data indicat, deſiderium Chriſtianiſſimi illius Regis, ut Epiſcopi Ravennatis electio non fieret abſque Miſſorum ſuorum interventu. Cui reſpondet Hadrianus, id nunquam factum; ſed morem illum obſervatum etiam temporibus Pippini Regis, ut decreto Cleri atque plebis ad Sedem Apoſtolicam perlato, proprium Antiſtitem ſibi conſecrandum Ravennates peterent. Multò minus ergo conceſſiſſet Carolo jus eligendi Romanum Pontificem. Non me latet poſſe contra hæc objici Conſtitutionem Leonis VIII, qui hoc privilegium conceſſiſſe dicitur Ottoni Imperatori anno 964, in qua hujus Synodi Romanæ mentio reperitur, ſed hæc etiam Leonis Conſtitutio, ut in ejus Pontificatu videbimus, commentitia eſt. Vide dicta in Zacharia.

XV. *Leo Epiſc. Ravenn. Pontificis ditiones invadit.*

Statim ac Carolus relictâ Italiâ, in Franciam rediit, Leo Ravennatenſis Epiſcopus, fingens pleraſque Æmiliæ urbes cum univerſa Pentapoli à Carolo Rege ſibi conceſſas, Faventiam, Forum-Popilii, Forum-Livii, Cæſenas, Bobium, Comaclum, Ducatum Ferrariæ, Imolam & Boloniam occupavit; direxitque Theophylactum, qui commentum iſtud Pentapolitanis inſinuaret. Hi tamen conſtantiſſimè manſerunt in fide Hadriani Pontificis, qui literas queribundas, per Anaſtaſium Cubicularium, ea de re Carolo Regi ſcripſit, quæ extant in Codice Carolino num. 54, ne præmiſſi à Leone Ravennatenſi Nuncii Regium animum fraude deciperent; utque potentiſſimum Francorum Regem in Italiam denuò vocaret: in primis conqueſtus eſt graviſſimè, quòd inimici palam exprobrarent, quid prodeſſet Apoſtolicę Sedi gentem Longobardorum abolitam, & Regno Francorum ſubditam fuiſſe; cùm eorum, quæ promiſſa fuerant, nihil adimpleretur, & quæ beato Petro à Pippino Rege prius conceſſa fuerant, inſuper auferrentur.

XVI. *Hadrianus Carolum rogat, ut Romam veniat.*

Carolus Rex lectis Hadriani Papæ literis, ſtatim anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto Poſſeſſorem Epiſcopum & Rabigaudum Abbatem Oratores ſuos ad eundem Pontificem miſit, cum literis, per quas ſe bello Saxonico confecto, iter in Italiam, atque ad Apoſtolorum limina ſuſcepturum ſignificavit. Hadrianus obviam Regis Orato-

to-

Digitized by Google

toribus, ſuos honoris cauſa direxit Nuncios Peruſium uſque. Illi autem Peruſio Spoletum profecti, per eoſdem Nuncios Romano Pontifici Regias tranſmiſerunt literas, ſeque Romam venturos ſcripſerunt, poſtquam cum Hildebrando Duce Spoletano colloquium habuiſſent. Hadrianus acceptis Caroli literis, nec expectato ſupradictorum Oratorum adventu, per alios, qui Romam priùs à Rege miſſi fuerant, aliam Epiſtolam ordine 63 in Codice Carolino ad eundem Carolum Regem mox direxit, rogans, ut juxtà pollicitationem factam è Saxonia revertens, ad limina ſancti Petri properaret.

XVII. Auxilium petit adverſus hoſtes Eccleſiæ R.

Quia verò Oratores Regii ſupradicti, per alios Nuncios ab Hadriano rogati fuerant, ut Spoleto Romam ſe conferrent, Spoleto tamen quàm primùm Beneventum abierant, Hadrianus Epiſtola 58 Codicis Carolini ad Carolum data, queſtus eſt graviſsimè ea de re, aſſeruitque auctam inde Spoletanorum protervium; & Spoletanum Ducatum, quem Principi Apoſtolorum ſe præſente haud pridem obtulerat, ſibi reddi poſtulavit. Verebatur enim Pontifex, ne Duces Spoletanus, Beneventanus, Forojulienſium & Cluſinorum vires ſuas jungerent cum Græcis & Adalgiſo Deſiderii filio Longobardorum Exrege; proximoque menſe Martio terra marique bellum in Ducatum Romanum transferrent, Romam ipſam invaderent, & Longobardorum Regem in ſolium, & priſtinam majeſtatem reſtituerent. Quapropter alias literas ordine 59 in Codice Carolino ſcripſit, quibus velut in præſentiſsimo periculo poſitus, auxilium à Carolo Rege cum crebris adjurationibus poſtulavit. Tot Apoſtolicis Epiſtolis opus non erat, Carolus enim à conſilio, quod ante Saxonicam expeditionem ſuſceperat, nunquam receſsit, eodemque anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto iter in Italiam ſuſcepit, circa finem anni; Natalem enim Domini celebravit in Alſatia. Hæc fuſiùs referuntur à Cointio laudato ad annum 775.

XVIII. Caroli filios in Reges ungit.

Anno ſeptingenteſimo, ſeptuageſimo ſexto in Italiam quidem perrexit Carolus Rex, & Ducatum Forojulienſem ac vitam ademit Rotgaudo, quem ei, poſt everſum Longobardorum regnum, præfecerat; ſed cùm Romam properare diſponeret, ut illic ab Hadriano Papa, filius quem Hildegardis Regina nuper pepererat, ipſo die Paſchę è ſacro fonte levaretur, eadem velocitate, qua in Italiam profectus fuerat, ad Rhenum redire coactus fuit, quia Saxones iterum rebellaverant. Qui motus, & alia bella impedierunt, quominus Romam pergeret ante annum ſeptingenteſimum octogeſimum primum, quo, ut ſcribit Regino in Chronico, *celebravit Paſcha in Roma, & ibi baptizatus eſt filius ejus Pippinus ab Hadriano Papa, qui & ipſe eum de ſacro fonte ſuſcepit, & duo filii ejus à ſupradicto Pontifice inuncti ſunt in Reges, idem Pippinus ſuper Italiam, Ludovicus ſuper Aquitaniam*. Filius Caroli Magni, quem Hadrianus Papa baptizavit, vocabatur antea Carolomannus; ſed Hadrianus Papa, mutato nomine, eum Pippinum nominavit, ut nos docet Appendix ad Chronicon Nibelungi Comitis. Natus autem erat anno 776, Ludovicus verò anno 778, ut videre eſt in Critica Baroniana.

XIX. Legatos ad Bavariæ ducem mittit.

Dum Carolus Romæ eſſet, convenit inter ipſum & Hadrianum Pontificem, ut ſimul Legatos mitterent ad Taſsilonem Bavariæ Ducem, qui eum commonerent de ſacramento, quod Pippino Regi ac filiis ejus juraverat, ſcilicet ut ſubjectus ei, ac obediens eſset. Legati itaque Apoſtolici Formoſus & Damaſus Epiſcopi cum Miſſis Caroli Regis, *directi ſunt ad Taſſilonem Ducem, commonentes & conteſtantes ex auctoritate Apoſtolica, ut recordaretur priorum ſacramentorum, & non aliter faceret, niſi ſicut jurejurando jamdudum promiſerat Pippino Regi, & filiis ejus. His admonitionibus conſenſit Taſſilo, & ſumptis obſidibus ad Regem venit Wormatiam, ibi renovavit ſacramenta, & dedit duodecim obſides; ſed non diu præfatus Taſſilo promiſſa conſervavit*, ſubdit Regino laudatus in Chronico.

XX. Sabinenſe territorium ſibi integrum dari petit.

Carolum Romæ exiſtenten Hadriano Papę & ſucceſſoribus territorium Sabinenſe integrum conceſſiſſe, diſcimus ex Epiſtolis, quas anno proximè ſequenti, ſcilicet ſeptingenteſimo octogeſimo ſecundo ad Carolum Regem ſcripſit Hadrianus. Hæ ſunt quatuor in Codice Carolino, nempe 69, 76, 78, & 56. Ex priori enim conſtat, pleraque bona in territorio Sabinenſi olim ab Imperatoribus Eccleſiæ Romanæ data, nec à Deſiderio Longobardorum Rege, quantumvis hoſte Romanorum Pontificum, occupata; ipſum verò territorium Sabinenſe Apoſtolicæ Sedi à Carolo Rege integrum *noviter* (ideſt anno præterito, Epiſtola enim, ut jam dixi, anno 782 ſcripta) traditum fuiſſe, ſicut antiquitus totum ab Eccleſia Romana poſſeſſum eſt. Alterâ Epiſtolâ ordine 75 Pontifex aſſerit, velle ſe ſtare judicio Itherii & Maginarii Regiorum Oratorum, Deumque teſtem invocat, quia *nullorum fines irrationabiliter* appetit. Hadrianus itaque non patrimonium aliquod, ut olim, in territorio Sabinenſi, ſed ipſum Sabinenſe territorium integrum ſibi dari poſtulat. Porrò illud territorium à Carolo Eccleſię Romanæ datum videtur, loco Ducatûs Spoletini, qui totus, excepta Sabinenſi diœceſi, ſub Francorum poteſtate permanſit. Epiſtolâ poſtea 68 ejuſdem Codicis

cis

Digitized by Google

cis Carolini, quæ anno ſeptingenteſimo octogeſimo tertio ſcripta videtur, teſtatur Pontifex Itherium & Maginarium, quorum alterum Abbatem, alterum Capellanum dicit, Regios Oratores, in Franciam reverſos eſſe; cùm ſtrenuè prius allaboraſſent, ut integrum Sabinenſe territorium Apoſtolicæ Sedi reſtitueretur, ut in mandatis habebant.

XXI. *Hæreſis Felicianæ quo anno exorta?*

Ad annum circiter ſeptingenteſimum octogeſimum ſecundum pertinere initium hæreſis Felicianæ, quam Hadrianus Papa damnavit, deducitur ex Epiſtola 97 Codicis Carolini univerſis Epiſcopis per Hiſpaniam conſtitutis ab Hadriano ſcripta, ut probat Cointius laudatus; in ea enim Epiſtola hæc hæreſis rejicitur, licèt in Epiſtola 96 Ægilæ Epiſcopo anno 782 data, in qua Hadrianus multos carpit errores in Hiſpaniæ partibus ortos, nullam hæreſeos Felicianæ mentionem faciat. Epiſtolâ itidem 95 eidem Ægilæ Epiſcopo inſcriptâ, annoque etiam 782 ſcriptâ Hadrianus Papa eum hortatur, ut orthodoxam fidem teneat, & jejunium ſextâ feriâ, ſabbatoque celebret, nec tamen aliquid habet de illa hęreſi: ex quibus conſequens eſt ejus initium, vel anno 782 deſinente, vel initio anni 783 Hadriano Papæ ſolùm innotuiſſe. Ita porrò cœpit.

XXII. *Felicis Urgellitani Epiſc. errores.*

Elipandus Eccleſiæ Toletanæ Archiepiſcopus Felicem, Urgellitanæ Sedis in Catalaunia, apud montium Pyrenęorum radices, Epiſcopum, pręceptorem quondàm ſuum, conſuluit, quo pacto Chriſtum Dei filium agnoſceret, naturalem, an adoptivum? Felix libris ſuis profeſſus eſt, Chriſtum ſecundùm naturam aſſumptam filium Dei eſſe non naturalem, ſed nuncupativum, adoptivumque. Reſponſo accepto Elipandus, qui eâ doctrinâ imbutus antea fuiſſe videtur, hoc peſtiferum dogma tam per Aſturias, quàm per Gallæciam diſſeminavit: Felix verò per Septimaniam. Acceſſere ad eam ſectam Cordubenſes nonnulli, ut liquet ex Elipando in Epiſtola ad Felicem nuper converſum. Iſti aſſerebant, Chriſtum, qua parte homo eſt, filium Dei eſſe adoptione, non naturâ. Unde licèt unam perſonam in Chriſto confiterentur, per conſequentiam tamen quandam recidebant in Neſtorii hæreſim. Naturâ enim & adoptione unius patris filius unus eſſe non poteſt, niſi gemina perſona admittatur: quod erat Neſtorii delirium. Hanc hæreſim Elipandus & Felix hauſerunt ex malè intellectis Miſſæ Sancti Iſidori Orationibus. Alter Felicis & Elipandi error ad primarium illum conſequens, erat, Chriſtum hominem eſſe ſervum conditionalem Patris Æterni. Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis in libro adversùs Felicem, alios ejus errores enumerat. Sed quòd quidam Auctores ſcribunt, alterum Felicianæ hæreſis caput fuiſſe de tollendis ſacris Imaginibus, hallucinati ſunt; errorque ille inde fluxit, quòd in Synodo Francofordienſi, adversùs Felicem Urgellitanum congregata, quæſtionem quoque de Imaginibus in medium allatam noviſſent.

XXIII. *Hadrianus PP. ad Hiſpaniæ Epiſc. contra eos ſcribit.*

Hæc ubi reſcivit Hadrianus Papa, ad univerſos Hiſpaniarum Epiſcopos laudatam Epiſtolam 97 Codicis Carolini ſcripſit, eoſque monuit, ut Migentii cujuſdam, ejuſque diſcipuli Ægilæ Epiſcopi Illiberitani errores caverent. Huic Epiſtolæ in eodem Codice Carolino hoc argumentum præfigitur. *Exemplar Epiſtolæ Hadriani Papæ directæ omnibus Epiſcopis per univerſam Spaniam commorantibus, maximè tamen Elipando vel Aſcarico cum eorum conſentaneis, pro hæreſi vel blaſphemia, quòd filium Dei adoptivum nominant, cum multis capitulis Sanctorum Patrum eos reprehendens. Necnon & de Paſchali feſtivitate*, &c. Migentiani enim circa diem Paſchatis aberrabant, quos convocato Epiſcoporum Provincialium cœtu, incunctanter repreſſit Elipandus, ut ipſe in Epiſtola ad Fidelem Abbatem gloriatur, proprium tamen errorem, quem à Felice Urgellitano acceperat, publicare non deſtitit.

XXIV. *Felix damnatur in Synodo Ratiſpon. & ducitur ad Hadrianum.*

Cùm verò Felix hæreſim ſuam etiam promulgare non deſiſteret, anno ſeptingenteſimo nonageſimo ſecundo, ut ſcribit Eginhardus in Annalibus, ductus eſt ad Palatium Regis Caroli (qui ex Annotatore Baronii ab anno 778 Catalaun.â potiebatur) tunc Ratiſponæ in Bavaria exiſtentis, *ubi congregato Epiſcoporum Concilio auditus eſt, & erraſſe convictus, ad præſentiam Hadriani Pontificis Romam miſſus, ubi etiam coram ipſo in Baſilica Beati Petri Apoſtoli, hæreſim confeſſus eſt, atque abdicavit. Quo facto ad civitatem ſuam reverſus eſt.* Ductus eſt autem Romam ab Angilberto tunc Abbate Centulenſi, poſtea ſummo Palatii Cancellario, qui varias legationes poſthàc obivit. Ad vomitum tamen poſtea rediit Felix, ut de Concilio Francofordienſi, anno 794 celebrato, loquentes videbimus.

XXV. *Ab eodem Hadriano PP. damnatur.*

Sed Felicem poſt Synodum Ratiſponenſem ab Hadriano Papa damnatum fuiſſe, diſertè etiam docet Alcuinus lib. 1 adversùs Elipandum: *Antequam*, inquit, *ego, eodem ſapientiſſimo Rege Carolo jubente, veniſſem in Franciam, hæc eadem veſtri erroris ſecta, eodem glorioſo Principe præſidente, præſente Felice, quem multùm laudare ſoles, veſtræ partis tunc temporis defenſore, ventilata eſt in celeberrimo loco, qui dicitur Raginisburg* (ideſt Ratiſpona) *& Synodali auctoritate Sacerdotum Chriſti, qui ex diverſis Chriſtiani imperii partibus convenerant, anathemate damnata: imò & à B. memoriæ Hadriano Papa, qui tunc temporis S. Romanæ Eccleſiæ Apoſtolica auctoritate re-*

 xerat

Digitized by Google

SÆC. VIII. ANASTASIUS.

xerat Sedem, funditus exterminata, donec idem Felix infeliciter ad veſtras refugiens partes, ſopitos infidelitatis cineres, vobis exhortantibus reſuſcitare intendit; jam enim reductus fuerat ad hæreſim ab Elipando Toletano, qui virus ſuum in Gallias, ac Germaniam diffundere ſatagebat; quod in cauſa fuit cur convocaretur Synodus Francofordienſis, de qua infra, prius enim agendum nobis eſt de ſecunda Synodo Nicena Oecumenica, quæ Francofordienſem præceſſit.

Concilium Nicænum II, Generale Septimum contra Iconoclaſtas.

XXVI. *Paulus Patriarcha CP. fit monachus, & moritur.*

LEone IV Imperatore, Conſtantini Copronymi filio, initio menſis Septembris anni ſeptingenteſimi octogeſimi mortuo, Conſtantinus Leonis Filius annum duodecimum agens, & Irene ejus mater Imperium ſuſceperunt, qui Monaſteria in libertatem aſſeruere, & viam ſalutis omnibus aperuere. Iis annum adhuc quartum in Imperio agentibus, Paulus Conſtantinopolitanus Patriarcha morbo affectus, Monaſticum habitum aſſumpſit in Flori monaſterio, Imperatrix mœſta, ipſum convenit, rationem facti quærens. Cui Paulus lachrymis perfuſus: *Utinam*, inquit, *Eccleſiâ Dei tyrannicè adminiſtratâ, & à reliquis ſedibus ea de cauſa, reſciſſâ, dirisque & execrationibus devotâ, in Sacerdotii throno Conſtantinopoli nunquam ſediſſem!* Illa Patricios & ſpectatiſſimos quouſque è Senatu miſit, quæ ipſe diceret, audituros. Qui ad ipſos: *Niſi Synodum*, inquit, *univerſalem coegeritis, & obtinentem apud vos correxeritis errorem, nulla vobis ſupereſt ſalus.* Reſponderunt ipſi: *Cur ergo Patriarcha deſignatus, inter ordinationis ſolemnia, Imagines te nunquam adoraturum ſubſcripſiſti?* Tum ille: *Hæc*, ait, *lachrymarum mearum cauſa eſt: Illud me ad pœnitentiam amplexandam impulit, Deum deprecantem, ne me veluti Pontificem hucuſque mutum, nec veritatem, ſolo inſaniæ veſtræ metu, palam annunciantem corripiat.* His dictis Paulus ſpiritum emiſit. Hæc referunt Theophanes & Cedrenus: adduntque liberam exinde unicuique fuiſſe poteſtatem de ſacrarum Imaginum cultu diſputandi, ac illum propugnandi. Monachicum porrò habitum induit Paulus *menſis Auguſti die triceſimo primo, indictione ſeptima*, ex Theophane, ideoque anno 784.

XXVII. *S. Taraſius Paulo ſubſtituitur.*

Eodem anno, *menſis Decembris die quinto ſupra viceſimum, & indictione octava*, ſubdit idem Theophanes, Taraſius Imperatori à ſecretioribus mandatis Patriarcha in locum Pauli renunciatus eſt. Is cùm munus illud, cui ſe, utpote laicum, imparem judicabat, diu ac pertinaciter, ut ait Ignatius in ejus Vita, recuſaſſet, illud tandem ſuſcepit eâ conditione, ut Synodus generalis cogeretur: quod Conſtantinus & Irene libenter conceſſerunt. Taraſius itaque ut primùm inauguratus eſt, fidei ſuæ profeſſionem, & ſupplices pro Concilii Oecumenici celebratione literas ad Hadrianum Papam direxit: miſſiſque, inquit Theophanes, Synodicis ſuis literis & libello fidei ſuæ teſte, ab Hadriano Papa in Eccleſiæ communionem admiſſus eſt, ea ſcilicet conditione, ut mox dicetur, ut pro reſtituendis Sacris Imaginibus ſedulò laboraret.

SÆC. VIII. HADRIANUS.

XXVIII. *Impp. ſcribunt ad Hadrianum PP. pro celebratione Concilii generalis.*

Eodem tempore Conſtantinus & Irene ad eundem Papam Hadrianum ſcripſerunt, rogantes ut Conſtantinopolim venire dignaretur, Concilio præfuturus, aut Legatos mitteret, qui vices ſuas obirent, ac locum tenerent. Extant hæ literæ in Præambulis ad Septimam Synodum, ſed datæ ſunt anno tantùm ſeptingenteſimo octogeſimo quinto, & quidem 4 Kalend. Septemb. indictione 8. Has literas miſerunt per Conſtantinum Epiſcopum Leontinum in Sicilia, & Dorotheum Epiſcopum Neapolitanum in Campania. Taraſius verò Patriarcha Leonem Presbyterum ſuum cum literis ad Hadrianum direxit. Hæ quidem non extant; ſed Hadrianus in ſuo reſponſo id disertè aſſerit, ait enim: *Poſt confeſſionem fidei veſtræ notum factum eſt nobis, quòd veſtra venerabilis Sanctitas poſtulaverit ab Orthodoxis & propugnatoribus veritatis, piiſſimis videlicet Imperatoribus noſtris, qui ad gloriam Dei facti ſunt, quo fieret venerabilis Synodus.* Leo Presbyter ubi in Siciliam pervenit, juſſionem Imperatorum accepit, ut cum Theodoro Catanæ in Sicilia Epiſcopo, & Epiphanio Legato Archiepiſcopi Sardiniæ ad Hadrianum proficiſceretur, & juſſionem eorundem Imperatorum deferret, quod & præſtitit. Priores itaque Legati revocati ſunt ab Imperatoribus, & hi poſteriores Romam deſtinati, qui Hadrianum Papam de Imperatorum orthodoxia certiorem fecére, eorumque literas reddidere. His ſuas conſignavit Hadrianus, datas *ſeptimo Kalendas Novembris indictione nona*, eodem ſcilicet anno ſeptingenteſimo octogeſimo quinto, quo indictio nona menſe Septembri inchoata eſt.

XXIX. *Ad eos reſcribit Hadrianus.*

Epiſtola Hadriani ad Imperatores extat ex parte in Actione ſecunda Septimę Synodi, integra verò apud Anaſtaſium in præambulis ejuſdem Synodi, eâque ipſos primò adhortatur ad Sedis Apoſtolicę reverentiam, de cujus divina auctoritate hæc habet: *Nam ipſe Princeps Apoſtolorum B. Petrus, qui Apoſtolicæ Sedi primitùs præſedit, Apoſtolatûs Principatum, ac principalis curæ, Succeſſoribus ſuis, qui in ejus ſacratiſſima Sede perenniter*

Digitized by Google

ter ſeſſuri ſunt, dereliquit: quibus & auctoritatis poteſtatem, quemadmodum à Salvatore noſtro Domino Deo ipſi conceſſa eſt, & ipſe quoque ſuis contulit ac tradidit divino juſſu ſucceſſoribus Pontificibus: quorum traditione Chriſti ſacram effigiem, ſanctæque ejus Genitricis, Apoſtolorumque & omnium Sanctorum veneramur Imagines. Deinde multa profert ad ſacrarum Imaginum venerationem afferendam. Tertiò rogat Imperatorem & Imperatricem, ut ſi poſsibile non ſit ſacras Imagines in priſtinum ſtatum ſubitò reſtituere, in primis refutetur, præſentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, pſeudo-Synodus Conſtantinopolitana Iconomachorum. Deinde Imperatores, Patriarcha, & Senatus Regiæ urbis ſacramento ſe adſtringant, fore ut partibus non faveant, nec ullam mittendis ab Apoſtolica Sede Legatis vim inferant; imò eos honorificè excipiant, foveant, & ad Urbem remittant incolumes. Rogat etiam ut reſtituant patrimonia B. Petri ab Orthodoxis Principibus ad concinnationem luminarium, & alimoniam pauperum olim collata: necnon conſecrationes Epiſcoporum Sedi Romanę ex jure veteri competentes.

XXX. *Miratur titulum Univerſalis Taraſio Patriarchæ tributum.*

Poſtea Hadrianus Imperatoribus ſignificat, ſe Taraſio novo Patriarchæ ſuccenſere, propter uſurpatum Univerſalis Patriarchæ titulum: *Mirati ſumus*, inquit, *quòd in veſtris Imperialibus juſſis pro Patriarchæ Regiæ urbis, ſcilicet Taraſio, directis, Univerſalem ibi reperimus exaratum; ſed utrum per imperitiam, aut ſchiſma, vel hæreſim iniquorum ſcriptum eſt, ignoramus*, &c. Sed id factum erat juxta Orientalium conſuetudinem, de qua audiendus Anaſtaſius in Pręfatione ad ſeptimam Synodum Joanni VIII Papæ dicata: *In eo ſanè*, ait, *quo Univerſalem Græci Patriarcham ſuum inconvenienter appellant, Apoſtolatus veſter adulationi veniam det, ſæpè Prælatis ſuis non ſinè repreh nſione placere ſtudentium. Verùm cùm apud Conſtantinopolim poſitus, frequenter Græcos ſuper hoc vocabulo reprebenderem, & faſtus vel arrogantiæ redarguerem; aſſerebant, quòd non ideo Oecumenicum, quem multi Univerſalem interpretati ſunt, dicerent Patriarcham, quòd univerſi Orbis teneat Præſulatum, ſed quòd cuidam parti præſit Orbis, quæ à Chriſtianis inbabitatur. Nam quod Græci Oecumenem vocant, à Latinis non ſolùm Orbis, à cujus univerſitate Univerſalis appellatur; verùm etiam habitatio, vel locus habitabilis nuncupatur.* At hæc ratio pro aliis etiam Patriarchis militat, qui tamen ſe nunquam Patriarchas Univerſales appellarunt. Porrò quàm procul à vana tituli illius ambitione abfuerit Taraſius, oſtendit ejus ſubſcriptio, quæ legitur Actione 4 ſeptimæ Synodi, facta poſt Hadriani Papæ Vicarios, licèt Epiſcopi non eſſent: *Taraſius miſericordiâ Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ, confirmans ſic ſe habere veritatem, omnia quæ ſuperius eſferuntur, libenter admittens, his ſubſcripſi.*

XXXI. *Approbat Taraſii electionem ſub conditione.*

Tandem Hadrianus ſignificat Imperatoribus, ſe Taraſio ſuccenſere, quòd ex laicò ad Epiſcopatum fuerit ſubitò promotus. Unde Taraſii electionem, ut perperàm, & contra Canones factam improbat: quam tamen non reſcindit, ſed Canonum in ea infractorum dat veniam, ea conditione, ut pro reſtituendis ſacris Imaginibus ſedulò laboret: *Si autem*, inquit, *ſacras ac venerabiles Imagines in illis partibus non reſtitueris, conſecrationem veſtram modis omnibus recipere non audemus.* Epiſtola Hadriani, ut jam dixi, ex parte inſerta eſt Actioni ſecundæ Concilii Nicæni II, ſed quæ reſpiciebant Taraſii electionem, titulumque Univerſalis ipſi ab Imperatoribus tributum, omiſſa ſunt, quòd ad rem non pertinerent. At Anaſtaſius laudatus eam integram recitat.

XXXII. *Taraſius alios Patriarchas de indictione Synodi monet.*

Taraſius tres alios Patriarchas de indictione Synodi generalis monuit per Legatos, qui eos hortarentur, ut ad eam venirent; Legati per Ægyptum & per Orientem inter mille pericula iter fecere; cùmque Jeroſolymam perveniſſent, Theodorum Patriarcham mortuum invenerunt, & Eliam, qui ei ſucceſſerat, à Protoſymbolo Caliphæ Ægypti in exilium miſſum. Traditum tamen eis fuit exemplar Synodicorum, à Theodoro ad reliquos Patriarchas ſcriptorum, quando ordinatus eſt Patriarcha Jeroſolymorum. Diverterunt enim apud Monachos vitæ ſanctitate illuſtres, ex quibus duo inventi, quorum alter, ſcilicet Joannes, Antiocheni Patriarchæ, alter ſcilicet Thomas, Alexandrini Syncellus fuerat, quos loco Policiani Alexandrini, & Theodoreti Antiocheni Patriarcharum, ad Synodum Monachi delegarunt. Illi quippe Patriarchæ, ſub Saracenorum jugo gementes, Synodo intereſſe non potuerunt; nam licèt pax inter Imperatorem & Saracenos vigeret, tamen ob perſecutionem, quam ab his patiebantur, in deſerta ſeſe abdere cogebantur. Hæc conſtant ex literis eorundem Patriarcharum ad Taraſium Conſtantinopolitanum Patriarcham. Illi ergo Monachi trium ſedium Patriarchalium nomine, in Synodo egerunt, & Eccleſiarum Ægypti, Orientis, & Palæſtinæ fidem & antiquam traditionem de ſacris Imaginibus teſtati ſunt. Quare Synodo in hanc formam ſubſcribunt: *Locum retinens trium Apoſtolicarum Sedium, Alexandrinæ, Antiochenæ, & Jeroſolymitanæ.*

XXXIII. *Hadrianus Legatos mittit qui ei præſint.*

Miſit Hadrianus Papa Petrum Archipreſbyterum Eccleſiæ Sancti Petri, & Petrum Abbatem Sancti Sabæ, Conſtantinopolim Legatos, qui ſuo nomine Concilio præ-

Digitized by Google

præeſſent, de quibus ad Taraſium ita ſcripſit: *Dilectos autem noſtros, Petrum ſcilicet Archipresbyterum ſanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, & Petrum Monachum & Presbyterum, atque Abbatem, qui miſſi ſunt à nobis ad veſtigia tranquilliſſimorum Imperatorum, rogamus propter amorem Sancti Petri Apoſtolorum Principis, & propter nos, omni benigna ſuſceptione, & humanitate dignos apud vos judicandos, & habendos*. Hi Legati Actione prima nominantur ante Taraſium, ut *tenentes locum Apoſtolicæ Sedis almi & ſanctiſſimi Archiepiſcopi ſenioris Romæ Adriani*.

XXXIV. Synodus Cpoli inchoatur & diſſolvitur. Synodus itaque cœpta eſt in Baſilica SS. Apoſtolorum, Conſtantinopoli *menſis Auguſti die decimo ſeptimo, nona indictione* ex Theophane, ideoque anno ſeptingenteſimo octogeſimo ſexto. Verùm Scholariorum & Excubitorum copię, à propriis Rectoribus, Iconomachorum hæreſi infectis incitatæ, nudatis gladiis, impetum in Patriarcham, alioſque fecere, magnumque tumultum concitavere, ut oſtendit Ignatius Metropolita Nicænus, qui tradit eos Baſilicam, ubi erant Epiſcopi congregati, obſediſse *clamantes non eſſe ferendum infirmare & tranſgredi ea, quæ olim viſa fuerant Conſtantino* Copronymo. *Non enim permittimus*, ajebant, *illius abrogari dogmata, & prædicari eſſe ſtatuendas Imagines. Quod ſi quis hoc inceperit ſanguine Sacerdotum terram reddemus purpuream*. Sanctus Taraſius Actione prima Synodi addit: *Habebant in auxilium quoſdam Epiſcopos, qui facilè numerari poſſunt, quorum nomina voluntariè prætermus, quoniam omnibus nota ſunt*. Soluta eſt igitur Synodus, & poſtquam ſeditio ſopita fuit, omnes Epiſcopi Conſtantinopoli remanſerunt, exceptis Legatis Apoſtolicis, qui, ut ſcribit Hadrianus Papa in Reſponſo ad dubia Francorum, *in Siciliam reverſi ſunt, & demum Imperatores poſt eos mittentes, iterum Conſtantinopolim adſcendere fecerunt*.

XXXV. Nicæam transfertur. *Cùm diſſolutus eſſet Cœtus ille*, inquit S. Theodorus Studita in Vita Sancti Platonis Hegumeni, ſeu Abbatis monaſterii Symbolorum, in Actis Sanctorum Bollandianis ad diem 4 Aprilis recitata, *pro veritate ſtabilienda collectus, evaſit Imperatrix, velut è medio Leonum, facta, ut ſic loquar, citra ſanguinem Martyr*, incredibiliſque fuit ejus eo in negotio prudentia. Nam ut copias illas, quas Conſtantinus Copronymus diſciplina ſua imbuerat, Conſtantinopoli pelleret, Duces omnes legionum, quæ erant in Thracia, ſibi devinxit, quæ, ſimulatâ in partes Orientales, quaſi Arabibus illuc irrumpentibus profectione, Urbem ingreſſæ, Imperatoris & Imperatricis matris auctoritatem firmavere. Tum copiis ſeditioſis & hæreticis Irene Auguſta ſignificavit: *Armis depoſitis & ad me remiſſis, operâ veſtrâ me non indigere noveritis*, impoſitiſque in naves eorum familiis, ſingulos in provincias ſuas ac domos ſe recipere juſſit, & Nicęam Bithynię Metropolim, quæ ob primi Concilii generalis majeſtatem, & Arianæ perfidiæ everſionem, in maximo honore habebatur, tanquam ad hoſtes Eccleſiæ debellandos conſtitutam, Synodum tranſtulit, & quidem menſe Majo, indictione decima, ut ſcribit Theophanes in Chronico, ideoque anno 787.

XXXVI. Patrum Synodi numerus. Tota itaque æſtate ejuſdem anni ſeptingenteſimi octogeſimi ſeptimi, omnes Epiſcopi, qui Conſtantinopoli remanſerant, aliique numero trecenti quinquaginta eximii vitæ, eruditioniſque præſtantiâ, Nicæam convenerunt cum Taraſio Regiæ urbis Patriarcha, & Legatis Apoſtolicis ex Sicilia reverſis. Adfuerunt etiam Monachi trium Patriarchalium Sedium Orientalium Legati, Joannes & Thomas, qui in literis eorundem Patriarcharum ad Taraſium *ſanctifici ſilentii*, ſeu Monaſticæ profeſsionis *amatores* vocantur, ac Orthodoxæ fidei zelo ſuccenſi; & Theophanes ſcribit, Thomam fuiſse virum pietate inſignem, & antea extitiſse Archiepiſcopum Theſſalonicenſem. Interfuere & alii Archimandritæ & Monachi, qui Patrum conſeſſum ſanctitatis & doctrinæ ſplendore magnificè decorabant; inter quos eminebant Plato Hegumenus Sacundionis, Sanctus Theophanes Auctor Chronographiæ. Adfuit tandem Nicephorus, qui erat à ſecretis Imperatoris, quique *Byzantii Sedis Patriarchalis ſuſcepit honorem poſt Taraſii ſanctam conſummationem*, inquit Ignatius in Vita S. Taraſii, cum aliis Proceribus ab Imperatore miſſis, ut ordine omnia in Concilio peragi curarent. Locus Synodi fuit primaria Nicææ Baſilica, Æternæ ſapientiæ ſub titulo S. Sophiæ ſacra.

XXXVII. In prima Actione quidam Epiſcopi lapſi reſtituuntur. Die vigeſima quarta menſis Septembris, indictione undecima Synodus eſt inchoata. Illam Taraſius Patriarcha, penes quem, utpote in arduis negotiis valde exercitatum, & linguæ Græcæ peritiſsimum, Legati Apoſtolici Synodi directionem reliquerant, brevi ſed eleganti oratione aperuit. Lectę ſunt Conſtantini & Irenes literæ ad Synodum directæ, quibus inter alia decernebant, ut literæ ab Hadriano Papa per Legatos miſsæ, *ſecundùm jus Canonicum* legerentur, quia ſcilicet Romanorum Pontificum literis Oecumenicæ Synodi dirigebantur. Deinde Synodus ad cognoſcendam lapſorum Epiſcoporum cauſam converſa eſt. Tres præcipui, Baſilius Ancyranus, Theodorus Myrenſis, & Theodorus Amorii libello fidei oblato, cùm ſinceram pœnitentiam exhibuiſsent, & hæreſim ſolemni ritu ejuraſſent, in ſacrum Conſeſ-

ſum

ſum admiſſi ſunt. Taraſio enim dicente: *Videtur vobis, ut recipiant Sedes ſuas? Sancta Synodus dixit: Placet omnibus nobis.* Palinodiam porrò recantantes hi tres Epiſcopi, hoc Anathema poſuerunt: *His qui dicunt, quod Diabolicæ argumentationis inventio ſit factura Imaginum, & non SS. Patrum traditio, anathema. His qui præſumunt dicere, Catholicam Eccleſiam aliquando Idola ſuſcepiſſe, anathema.*

XXXVIII. *Aliorum cauſa in alteram Actionem remittitur.*

Producti ſunt ſubinde alii Epiſcopi lapſi, quorum cauſa difficilior erat, & mora in hæreſi diuturnior: quorum occaſione dixit Taraſius: *Diuturniores paſſiones difficiliores ſunt ad curandum: ſic & anima, quæ in obſcuro eſt hæreſeos, orthodoxiæ lumen difficilè recognoſcit.* Propter illos facta eſt diſquiſitio diligentior, de modo quo recipiendi eſſent hæretici, & potiſſimùm, utrum ab hæreſi redeuntes, ad ſacrorum Ordinum miniſteria, & Eccleſiaſticas dignitates eſſent admittendi. Polati ſunt varii ea de re Canones, veterum Patrum teſtimonia, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta. Præterea mota quæſtio fuit de ordinationibus factis ab Hæreticis, an probandæ eſſent. Probandas oſtendit Taraſius, Synodus edixit: nihilominus præfatorum Epiſcoporum reſtitutio in aliam Seſſionem dilata eſt.

XXXIX. *In Actione II Hadriani PP. literæ probantur.*

Actio ſecunda celebrata ſexto Kalendas Octobris. Adductus in Synodum Gregorius Neocæſareæ Epiſcopus, veniamque à ſancta Synodo ſupplex poſtulavit. Ejus tamen cauſam in tertiam Seſſionem dilata eſt, juſſumque ut in ea cum libello ſe ſiſteret. Lectæ ſunt poſtea Hadriani Papæ literæ ad Imperatores datæ, ejuſdemque Epiſtola ad Taraſium. Tunc Apoſtolici Legati dixerunt: *Dicat nobis ſanctiſſimus Taraſius Patriarcha Regiæ civitatis, ſi conſentiat literis ſanctiſſimi Papæ Senioris Romæ Hadriani, an non?* Cùmque Taraſius reſpondiſſet ſe eas probare, iterum Legati à Synodo quæſiere, an literas Hadriani ſuſciperet? Reſpondit S. Synodus: *Sequimur, & ſuſcipimus, & admittimus.* Deinde ſinguli Epiſcopi profeſſi ſunt, ſe recipere ſacras Imagines, *ſecundùm Synodicas Epiſtolas Beatiſſimi Papæ Senioris Romæ Hadriani.* Sententiam dixerunt Archimandritæ ex ſingulari privilegio, quod Synodus conceſſit. De his Hadriani literis ſcripſit Taraſius ad ipſum Pontificem poſt Synodum: *Qui cùm omnes ſediſſemus, caput fecimus Chriſtum. Jacebat enim in ſancta Sede Evangelium ſanctum, conteſtans omnibus nobis ſacratis viris, qui convenerамus: Juſtum judicium judicate: Judicate inter ſanctam Dei Eccleſiam, & novitatem, quæ facta eſt; & cùm prælatæ primitus veſtræ fraternæ Sanctitatis Literæ legerentur, præſtolabantur omnes, ſpiritualibus edulis, tanquam in Regalibus cœnis fruentes, quæ Chriſtus per literas tuas epulantibus præparabat: & ſicut oculus totum corpus ad rectitudinis & veritatis ſemitam oſtendebas.* Quæ egregiè demonſtrant quanta ſit in Conciliis Oecumenicis Apoſtolicæ Sedis auctoritas.

XL. *In Actione III Taraſii ad Patriarchas & horum ad Taraſium literæ leguntur.*

Tertio Kalendas Octobris habita eſt Actio tertia, in qua Gregorius Neocæſareæ Epiſcopus, de quo in ſuperiori Actione, dato libello fidem Orthodoxam profeſſus eſt; cùmque probari non poſſet, illum perſecutionis tempore vexaſſe Catholicos ſacrarum Imaginum cultores, tum ipſe, tum alii Epiſcopi lapſi, de quibus in prima Actione, in ſuas Sedes reſtituti ſunt. Lectæ ſunt deinde literæ Taraſii ad alios Orientis Patriarchas directæ, quæ & profeſſionem fidei continebant, & preces, ut Synodo intereſſent. Lectæ ſunt & literæ eorundem Patriarcharum ad Taraſium, per Joannem, & Thomam Monachos Legatos ſuos allatæ, quibus ob Barbarorum tyrannidem, ſeſe ad Synodum venire non potuiſſe teſtabantur; neque abſentiam ſuam, quæ juſta erat, obfuturam ne Synodus Oecumenica eſſet; quod probarunt Sextæ Synodi exemplo; à qua Alexandrinus & Jeroſolymitanus Patriarchæ aberant; cetera quippe ſupplere Romani Pontificis auctoritatem: *Ne moleſta vobis appareat*, inquiunt, *trium Apoſtolicarum Sedium almorum Patriarcharum, & ſanctiſſimorum Epiſcoporum, qui ſub ipſis degunt, abſentia, non ex proprio eorum accidens propoſito, ſed ex tenentium, ſeu dominantium illis terribilibus minis, & mortiferis pœnis. Hoc autem ſubtilius eſt conſiderandum, etiam in ipſa ſacra Univerſali Sexta Synodo, in qua nullus eorum, qui per idem tempus in his partibus Epiſcopi erant, conveniſſe repertus eſt, propter Barbarorum tyrannidem: ſed nullum ex hoc ſanctæ adhæſit Synodo præjudicium: neque vires habuit prohibitio aliqua ſtatuendi, & manifeſta faciendi recta dogmata pietatis: præcipuè cùm ſanctiſſimus Apoſtolicus Papa Romanus concordaverit, & in ea inventus ſit per Apocriſarios ſuos. Et nunc, Sanctiſſimi, hoc cum auxilio Dei ſimiliter fiat. Nam ſi tunc illius fides in Orbis terræ perſonuit fines; ita & Synodi, quæ nunc per gratiam Dei congreganda eſt per interventionem veſtram, & ejus qui moderatur Apoſtolorum Principis Sedem, prædicabitur in omni loco, qui ſub cœlo eſt.* Prolixum hunc locum retuliſſe non piget, quia illuſtre eſt etiam pro Sedis Apoſtolicæ dignitate, & auctoritate teſtimonium.

XLI. *In eadem legitur Synodica Theodori Patriarchæ Jeroſolymorum.*

In eadem tertia Actione lecta eſt Synodica Theodori, dum viveret Patriarchæ Jeroſolymitani, ad Coſmam Alexandriæ, & Theodorum Antiochiæ Patriarchas directa, cujus audita lectione, Apoſtolici Legati profeſſi ſunt, ſe ſuſcipere literas Orientalium Pa-

SÆC.VIII. HADRIANUS.

Patriarcharum, *Ut quæ in orthodoxa fide, & adoratione venerabilium Imaginum Hadriano Papæ & Taraſio novæ Romæ Patriarchæ concordarent*, & contrarium ſentientibus anathema dixerunt ſub hac formula: *Et qui non ita confitentur, anathema ſint à ſanctis trecentis decem & octo Patribus, qui hic ante collecti ſunt*: Sancta Synodus dixit: *Fiat, fiat, fiat*. Quare anathema illud illatum nomine trecentorum decem & octo Patrum, qui primum Nicænum Concilium celebraverant. Porrò Theodorus ille Jeroſolymitanus, alius non eſt quàm Theodorus, qui anno 760 & ſequentibus Eccleſiam Jeroſolymitanam rexit, eo ipſo tempore quo Coſmas Alexandrinam, & alter Theodorus Antiochenam; ad quos ideo Theodorus Jeroſolymitanus Synodicas ſuas direxerat, ut oſtendit Annotator Baronii ad annum 787.

XLII. *In Actione IV promulgantur anathematiſmi.* Quarta Actio Kalendis Octobris celebrata, in eaque juſſa ſunt afferri ſacra Volumina, ex quibus de cultu ſacrarum Imaginum teſtimonia recitarentur: quę primùm quidem ex Sacra Scriptura, tam veteris, quàm novi Teſtamenti prolata ſunt; deinde verò ex SS. Patribus quamplurimæ ſententiæ decerptæ, allata exempla, & propalata ingentia planè & multiplicia miracula, pro cultu ſacrarum Imaginum, diverſis locis, & temporibus divinitùs edita. Tum Synodus anathematiſmos contra Iconomachos promulgavit, editaque poſtmodum definitio fidei, cui primo loco ſubſcripſere Legati Apoſtolici; poſt ipſos Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus; deinde Joannes, & Thomas, Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni & Jeroſolymitani Legati; ac tandem ſinguli Epiſcopi.

XLIII. *In Actione V Legati Apoſt. decretum edunt de colendis Imaginibus.* Quinta Actio quarto nonas Octobris habita, in eaque cùm Taraſius oſtendiſſet, Iconoclaſtas ſectatos eſſe Judæos, Saracenos, Gentiles, Samaritas, & Manichæos, patefactę ſunt Hæreticorum fraudes, quas tempore urgentis perſecutionis admiſiſſent in corrumpendis, abolendis, & incendendis ſacris codicibus, in quibus de venerando cultu ſacrarum Imaginum mentio aliqua eſſet inventa. Intercedente poſthàc Saba monaſterii Studii Abbate, & conſentiente Synodo, ut ſacræ Imagines ſuis locis reſtituerentur, Legati Apoſtolici decretum hac de re edidere: *Petrus Archipresbyter ſanctiſſimæ Eccleſiæ ſancti ac laudabilis Apoſtoli Petri, & Petrus Presbyter & Hegumenus monaſterii ſancti Sabæ, ambo loci ſervatores Hadriani Papæ Senioris Romæ: Juſtum arbitramur, ut ſecundùm pronunciationem omnium noſtrûm, imò juxtà antiquam traditionem Catholicæ Eccleſiæ, ſicut omnes ſancti Patres edocent nos, veniat in medium noſtrûm colenda Imago, & hanc ſalutemus ... Et aliud capitulum ſuggerimus, ut omnes conſcriptiones, quæ contra venerabiles Imagines factæ ſunt, cum anathemate deleantur, vel igni tradantur*. Sancta Synodus dixit: *Veniat, Fiat*. Denique iterati ſunt adverſùs Iconomachos anathematiſmi.

XLIV. *In Actione VI Conciliabulum Conſtantinopolitanum confutatur.* In Actione ſexta, quæ celebrata eſt tertio Nonas Octobris, perlecta pſeudo-Synodus Conſtantinopolitana, ſub Conſtantino Copronymo Imperatore coacta; eaque per ſingula capita confutata eſt, & quantum ſatis erat, explicatum, divinarum Scripturarum teſtimonia, quibus idola gentium redarguuntur, adversùs Sanctorum Imagines ab Hereticis ſtultiſsimè detorqueri; proindè juſtiſsimum ſancta Synodus anathema conſtituit in nequiſſimi illius Conciliabuli auctores. In ipſo principio oſtenſum eſt nullum Epiſcoporum Conventum mereri nomen Oecumenicæ Synodi, cui non interfuerit Romanus Pontifex, vel per ſe, vel per Legatos, vel per literas Synodicas. Sed & confutatum inter alia, quòd Iconoclaſtæ Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ Imaginem vocaſſent in illa pſeudo-Synodo, cùm alioqui veritatem Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacramento confiterentur, ut Diſſertatione ſingulari probat Natalis Alexander Sæculo 8: oſtenſumque ab univerſa Synodo variis Scripturæ auctoritatibus, panem & vinum poſt conſecrationem nequaquam Imaginem dici debere, ſed verè & propriè eſſe carnem & ſanguinem Chriſti; licèt nonnulli ex Patribus, eadem ante conſecrationem Typos & Antypa vocaverint, de quo etiam vide dicta in Innocentio.

XLV. *In Actione ultima honoraria adoratio duntaxat Imaginibus exhibetur.* Actio ſeptima tertio Idus Octobris habita, in eaque condita eſt fidei definitio, quâ ſex Concilia Oecumenica in primis recepta ſunt & confirmata. Deindè ſtatutum: *Sequentes divinitùs inſpiratum Sanctorum Patrum noſtrorum magiſterium, & Catholicæ traditionem Eccleſiæ (nam Spiritus Sancti hanc eſſe novimus, qui nimirùm in ipſa inhabitat) Definimus in omni certitudine & diligentia, ſicut figuram precioſæ ac vivificæ Crucis, ita venerabiles ac ſanctas Imagines proponendas, tam quæ de coloribus & teſſellis, quam quæ ex alia materia congruenter ſe habente, in ſanctis Dei Eccleſiis, & ſacris vaſis, & veſtibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis, tum videlicet Imaginem Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quàm intemeratæ Dominæ noſtræ Sanctæ Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum ſimul, & almorum virorum. Quantò enim frequentiùs per Imaginalem formationem videntur, tantò qui has contemplantur alacriùs eriguntur ad Prototyporum memoriam, & deſiderium, & ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quæ ſecundùm fidem eſt, quæque ſolùm divinam naturam decet,*

Digitized by Google

SÆC. VIII. HADRIANUS.

cet, impartiendam: ita ut iſtis, ſicuti figuræ pretioſæ ac vivificæ Crucis, & ſanctis Evangeliis, & reliquis ſacris monumentis, incenſorum & luminum oblatio exhibeatur, quemadmodum & Antiquis piæ conſuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum tranſit: & qui adorat Imaginem, adorat in ea depicti ſubſiſtentiam, ideſt perſonam. Ex quibus patet Concilii mentem fuiſſe cultum latriæ, nec Imagini Chriſti, nec Cruci, nec ulli creaturæ exhiberi poſſe.

XLVI. *Canones in Synodo conditi.* Peracta Synodo, Patres Conſtantinopolim ab Imperatoribus evocati ſunt; ex Legatorum enim Apoſtolicorum, & omnium Epiſcoporum ore, quæ geſta eſſent in Synodo audire voluere. Quod factum eſt octavo Kalendas Novembris. Licèt autem, quæ eo die geſta ſunt, ſub Actionis octavæ titulo Synodi Actis adjecta ſint, ea Actio non eſt propriè Synodalis, nec vera Synodi pars; non ſolùm enim Græci, ſed etiam Latini ſolas ſeptem Actiones agnoſcunt. Fauſtis itaque acclamationibus Conſtantinum & Irenem Impp. proſecuta Synodus, ſoluta eſt, & Patres muneribus honeſtati, ad ſuas Eccleſias rediere. Canones porrò viginti duo hac in Synodo conditi pro Eccleſiaſtica diſciplina, quæ graſſante hæreſi, & perſecutionibus collapſa fuerat, ubique reſtauranda. Sed incertum qua in Actione editi ſint. Eorum explicatio legi poteſt apud Lupum in Scholiis & Notis ad Synodum 7, & apud Natalem Alexandrum Sæculo 8.

XLVII. *Synodus à Romanis Pontif. confirmata.* Literas poſtea dedit Taraſius ad Romanum Pontificem Hadrianum, quibus rerum omnium, quæ geſta fuerant, rationem reddidit. Hadrianus Synodum quidem, datâ ad omnes Eccceleſias, aut ad Imperatores Epiſtolâ non confirmavit; ſed ſolemniori ritu eam confirmaſſe dicendus eſt, cùm ſcripſerit Epiſtolam ſeu libellum reſponſorium ad Carolum Magnum libris Carolinis oppoſitum pro defenſione Synodi Septimæ, *arguens errorem eorum, qui infirmare conabantur quædam capita, quæ ſecunda Nicæna Synodus promulgaverat, auctoritate trecentorum quinquaginta Epiſcoporum, qui hæreſim execrantium Imagines Dei Sanctorumque ejus anathematizaverunt*, inquit Sigebertus in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Hujus etiam Sacroſanctæ Synodi decreta confirmata poſtmodùm ſunt ab octavo Oecumenico Concilio, à Nicolao primo in Epiſtola ad Petrum Antiochenum Epiſcopum, & aliis.

XLVIII. *Hadriani PP. Legati in Angliam mitti.* Sed, ut ad geſta Hadriani Papę redeam, Annaliſta Mailroſenſis ad annum ſeptingenteſimum octogeſimum ſextum ſcribit: *Hadrianus Papa Legatos in Britanniam direxit, ut fidem Catholicam innovarent, & confirmarent, qui honorificè recepti ſunt, & remiſſi*. Legati illi, ſcilicet Georgius Oſtienſis, & Theophylactus Tudertinus Epiſcopi, duas Synodos anno ſeptingenteſimo octogeſimo ſeptimo in Britannia celebrarunt. Prior, in qua viginti Canones pro diſciplina Eccleſiaſtica reſtituenda conditi ſunt, legitur apud Spelmannum & Tomo 6 Conciliorum Labbei, diciturque *Calculthenſis*, in regno Merciorum; Spelmannus tamen, qui eam ſic appellat, ubi locus ſit, determinatè non definivit. Unde Alfordus in Annalibus Anglo-Saxonicis ad annum 787 duas Synodos habitas eſſe exiſtimat, alteram in ſeptentrionali parte inſulæ à Georgio, alteram in Auſtro vel in Occidente à Theophylacto. Certè Annaliſta Mailroſenſis ad eundem annum 787 loquitur de alia Synodo, quæ, ut ipſe ſcribit, *congregata eſt in Pincanhale*, qui locus in Dunelmenſi Epiſcopatu ſitus eſt. De utraque Synodo legendus Alfordus laudatus.

XLIX. *Carolus Franc. Rex Romam pergit & plura Eccleſiæ Rom. donat.* Anno ſeptingenteſimo octogeſimo ſeptimo Carolus Francorum Rex iterum Romam perrexit, ubi ab Hadriano Papa honorificè ſuſceptus, cum eo per aliquot dies manſit, indeque ejuſdem Pontificis hortationibus, ut ſcribit Annaliſta Metenſis, Beneventanorum fines intravit, ut Arigisi eorum Ducis rebellionem domaret, qui obſides & munera Carolo tribuit, quibus acceptis *juraverunt ei omnes Beneventani fidelitatem, & reverſus eſt Romam, ibique celebravit Paſcha cum Præſule Sedis Apoſtolicæ*, quo anno Paſcha celebratum eſt die octava menſis Aprilis. Carolus tamen Arigiſum Capuâ & aliis civitatibus in Campania mulctavit, quas Apoſtolicæ Sedi tradidit, ſuas ac Pippini patris donationes amplificaturus. Hæc donatio, in donatione à Ludovico Pio Caroli Magni filio Eccleſiæ Romanæ factâ, expreſſis verbis concepta eſt; ex qua conſtat, Carolinam hanc donationem in duobus capitibus præcipuè conſiſtere; quorum primum Civitates in Tuſcia Longobardorum, alterum Civitates in Campania repræſentat: ſcilicet *in partibus Tuſciæ Longobardorum, Caſtellum Felicitatis, Urbevetum, Balneum Regis, Ferenti caſtrum, Viterbium, Martam, Tuſcanam, Populoniam, Soanam, Roſellas: item in partibus Campaniæ, Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam*. Licèt autem hæc Ludovici Pii donatio à viris doctis rejiciatur ut ſuppoſititia, qua de re ſuo loco, hæc tamen Caroli non propterеâ rejicienda, cùm ex Epiſtolis 81, & 86 Codicis Carolini colligatur Hadrianum Papam ſtatim integrè ferè recepiſſe has omnes civitates, in iis quippe Epiſtolis, juſtitias tantam *de Populonio & Roſellis* ſibi *ſub integritate* fieri, fineſque *Populonienſes, ſeu Roſellenſes, ſicut ex antiquitus fuerant*, ſibi *contradi* poſtulavit. Epiſtola verò 73 apud

Caro-

Digitized by Google

SÆC. VIII. HADRIANUS.

Carolum queſtus eſt Campanos ad defectionem continuò à Beneventanis ſolicitari; ex quibus neceſſariò ſequitur ſupradictas civitates, tam in Tuſcia, quàm in Campania conſtitutas, Eccleſiæ Romanæ à Carolo Rege conceſſas fuiſſe, ideoque & hanc Caroli donationem non eſſe commentitiam. De ea legendus Cointius in Annal. Eccleſ. Franc. ad annum 787.

L. Hadrianus PP. Legatos Taſſilonis Bavariæ Ducis ſuſcipit.

Dum Carolus Romæ adhuc degeret, Taſsilo Bavariæ Dux Legatos ad Hadrianum Papam miſit, rogantes *ut pacem faceret, litemque terminaret inter Carolum Regem & Taſſilonem Ducem: quod libenter ſuſcepit Papa*, inquit Annaliſta Metenſis, qui ſubdit, Carolum Pontifici aſseruiſse, ſe cum eiſdem Miſsis pacem velle firmare. Sed cùm Miſsi dicerent, *ſe non audere pro Domino ſuo definitivam ſententiam dicere, neque ſe ad hoc deſtinatos eſſe, videns Apoſtolicus ficta mendacia, & cognoſcens Ducis inſtabilitatem, iratus anathematizavit ipſum Taſſilonem, & omnes illi faventes, niſi fidelitatem, quam Regi Pippino, & filio ejus Carolo promiſerant per omnia obſervarent. Conteſtans per ſuos Miſſos Ducem, & monens ne per ejus perfidiam ſanguis Chriſtianorum funderetur, & terra vaſtaretur.* Id conſtat non ſolùm ex laudato Annaliſta, ſed etiam ex Monacho Engoliſmenſi à Pithæo edito in Vita Caroli Magni, quam Baronius ſub nomine Chronici Pithœani citat. Uterque porrò addit, Carolum Româ reducem, cum exercitu verſus civitatem Auguſtam profectum eſſe, & filium ejus Pippinum de Italia cum alio exercitu Tridentum veniſſe; & Taſſilonem ex omni parte circumdatum ad Carolum Regem acceſſiſſe, ſeque manibus ejus *in Vaſſaticum* tradidiſse.

LI. Gregorianum cantum & Officium in Francia recipi curat.

Gallicanam Eccleſiam, à Stephano Papa hujus nominis II, cantus Eccleſiaſticos perfectiùs edoctam eſse per Romanos Clericos, tradit Walafridus Strabo cap. 25 de rebus Eccleſiaſt. circa finem. Monachus verò Engoliſmenſis mox laudatus, poſtquam locutus eſt de contentione, quæ anno ſeptingenteſimo octogeſimo ſeptimo, dum Carolus Rex Romæ eſſet, orta eſt per dies feſtos Paſchæ inter Cantores Romanorum & Gallorum de cantûs Eccleſiaſtici præcellentia, quam Carolus Romanis adjudicavit, ſcribit eundem Regem ab Hadriano Papa petiiſse Cantores peritiſsimos Eccleſiæ Romanæ, qui à Sancto Gregorio, ideſt ſecundùm Gregorianas notas, à Gregorio Magno quondam ſtatutas, eruditi fuerant, qui Franciam corrigerent cantu: Hadrianum verò ei dediſse Theodorum, & Benedictum doctiſsimos Cantores, & Antiphonarios Sancti Gregorii: unumque ex illis à Carolo Metas, alterum Sueſsionem miſsum eſſe, & ad utrumque ex univerſa Francia, qui corrigerentur, Regio juſſu, delatos eſſe Antiphonarios. Ab eo tempore Carolus Magnus Gregorianum officium Ambroſiani loco ubique recipi procuravit, ſed non ſine labore. Guillelmus enim Durandus lib. 5 cap. 2 notat eum ad id *Clericos minis & ſuppliciis per diverſas provincias* coegiſſe, & *libros Ambroſiani officii* combuſsiſse.

LII. Mittit Legatos ad Synodum Francofordienſem.

Cùm Elipandus Archiepiſcopus Toletanus Felicem Urgellenſem Epiſcopum de quo ſuperiùs, ante Concilium generale Nicænum II, locuti ſumus, ad hæreſim reduxiſset, ut virus extra Hiſpaniam, in Gallias, ac Germaniam diffunderet, ſcriptis ad Carolum Francorum Regem literis, perfidiæ ſuæ profeſsionem, quam teſtimoniis Patrum aut depravatis, aut detruncatis fulcire conabatur, petiit à Theologis examinandam; nec dubitavit ſanctum Ildefonſum, alioſque, qui præceſſerant, Toletanos Antiſtites de hæreſi per inſignem calumniam ſugillare. Sed Carolus Rex Elipandi literas examinandas Hadriano Papæ tranſmiſit, & ex totius Occidentis provinciis Synodum cogi viſum eſt. Collecta eſt itaque Francofordiæ ad Mœnum fluvium in Germania, ex univerſa Italia, Gallia, Germania, atque Britannia, eique trecenti circiter Epiſcopi adfuerunt: unde ob numeroſitatem Antiſtitum, præſentiamque Legatorum Apoſtolicæ Sedis, hęc Synodus *Plenaria* reperitur nominata. *Affuerunt in eadem Synodo Legati Romani Pontificis Theophylactus, & Stephanus Epiſcopi, vicem tenentes ejus, à quo miſſi fuerant, Hadriani Papæ*, inquit Eginhardus in Annalibus.

LIII. In ea Synodo hæreſis Feliciana damnatur.

Carolo Rege in ipſa Synodo præſente, & de cauſa fidei optimè diſſerente, lectæ ſunt Hadriani Papæ literæ ad Epiſcopos Hiſpaniarum ea de re ſcriptæ in Synodo Romana, Carolus enim in ſua ad Elipandum & ceteros Epiſcopos Hiſpaniæ Epiſtola, ait: *Primò quòd Domnus Apoſtolicus cum ſancta Romana Eccleſia & Epiſcopis illis in partibus quaquaverſum commorantibus, & Catholicis Doctoribus ſentiret, ſub unius libelli tenore ſtatuimus.* Lectus non eſt in ea Synodo libellus Sacro-ſyllabus, quem de ſanctiſsima Trinitate ſcripſit Paulinus Forojulienſis Patriarcha, ut quidam volunt; hic enim libellus poſt Synodum Francofordienſem compoſitus eſt à Sancto Paulino, ut demonſtrat Auctor Criticæ Baronii ad annum 794; legitur tamen Tomo 7 Conciliorum, ſub hoc titulo: *Libellus Epiſcoporum Italiæ contra Elipandum Concilii decreto miſſus ad provincias Hiſpaniæ*, & præponitur Canonibus Francofordienſibus, cum Epiſtola Hadriani Papæ ad Elipandum, & ceteros Gallęciæ, & Hiſpaniæ Epiſcopos. Hæc tamen, ut jam dixi, lecta eſt in Synodo, quæ omnibus ritè examinatis,

Digitized by Google

minatis, hæreſim Felicianam omnium conſenſu damnavit, unà cum ejus reſtauratoribus Elipando atque Felice. Deinde Synodica Concilii miſſa eſt ad Præſules Hiſpaniæ, cui Carolus Magnus privatas literas adjecit ad Elipandum, & cæteros Hiſpaniæ Epiſcopos datas, tanto Principe dignas, quibus ſuaderet omnibus, ut ab errore deſiſterent, & Patrum definitionibus innærerent; in iiſque ſe *filium & defenſorem ſanctæ Dei Eccleſiæ* nominat. Hæc porrò Synodus anno ſeptingenteſimo nonageſimo quarto, æſtivo tempore celebrata eſt, anno vigeſimo quarto regni Caroli Magni, ut ſcribit Annaliſta Moiſſiacenſis.

LIV. *Ejuſdem Synodi decretum de cultu Imaginum.*

Hujus Concilii Canones ſex & quinquaginta primus publicavit Sirmondus, antea enim duo tantùm prodierant, quorum primus damnat Elipandum & Felicem Epiſcopos, qui in Dei Filio adoptionem aſſerebant. Secundus eſt de adoratione Imaginum, hiſque verbis conceptus eſt: *Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, ſervitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſupra ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt.* Synodum Nicænam II Patres Francofordienſes vocant Conſtantinopolitanam, quia Conſtantinopolim convocata fuerat, unde Nicæam tranſlata eſt. Ideò porrò hoc decretum ediderunt, quia putaverunt, contra quod veritas haberet, adorationem latriæ, quæ ſoli Deo debetur, à Nicæna II Synodo fuiſſe Imaginibus decretam, ſicut Deificæ Trinitati, lato in eos qui refragarentur, anathemate; quo pacto dicendum eſt cum Cardinalibus Baronio, Bellarmino, & Perronio eos deceptos eſſe errore facti, ſed conſtitutum à Synodo Nicæna dogma de Imaginum veneratione non impugnaſſe, aut ab ea de ſumma fidei diſſenſiſſe. Vel dicendum cum Mabillonio in Præfatione ad priorem partem Sæculi IV Benedictini, Gallos tam in Synodo Francofordienſi, quàm in Conventu Pariſienſi, ſub Eugenio II anno 825 congregato, culpà non vacaſſe, ſi non in ritu colendi Imagines, ſaltem in modo impugnandi decretum Nicænæ Synodi, quam univerſalem eſſe pernegabant, ut probat caput 28 libri 4 Carolini. Perſpectam verò probatamque Romanis Pontificibus Gallorum religionem in Imagines ſacras ſatis apparere, tum ex reſponſo Hadriani, qui eos nunquam erroris notat; tum ex aliis Pontificibus, qui nullum hac de re negotium Eccleſiæ Gallicanæ faceſſerunt, ut inquit Mabillonius citatus, qui ex omnibus Auctoribus, qui de ea materia egére, videtur ſolidius eam tractaſſe, & in ſenſum Auctorum eo tempore viventium meliùs penetraſſe.

LV. *Offa Merciorum Rex Romam pergit.*

Anno ſeptingenteſimo nonageſimo tertio Ethelbertus Anglorum Orientalium Rex, ut matri, & Proceribus regni ſui, qui ſucceſſorem cupiebant, obſequeretur, ad Offam Merciorum Regem profectus eſt, ut Alfredam ejus filiam, poſt datam acceptamque fidem, uxorem acciperet, & officiosè domum deduceret. Sed Offa Ethelbertum dolosè occidit, ut fusè narrant Scriptores Anglici. At non multò poſt, culpam ſuam faſſus, illam expiare conatus eſt; Templum itaque Herefordiæ ædificavit, ſanctum Albanum Inſulæ proto-Martyrem inſigni Baſilica honoravit, quò ejus Reliquias invenit, Albanenſe monaſterium extruxit, illudque Monachis Benedictinis conceſſit. Deinde anno ſeptingenteſimo nonageſimo quarto ad limina Apoſtolorum profectus eſt, ut ſcelus expiaret, & ab Hadriano Papa peteret, non ut ſanctum Albanum canonizaret, quod ſcribit Spelmannus Tomo 1 Conciliorum Angliæ, longè enim ante hæc tempora Albanus pro ſancto Martyre habebatur, ut legere eſt in Hiſtoria Bedæ; & parte alia ſolemnes Sanctorum canonizationes, quales hodie fiunt, ante ſæculum decimum non peractæ; ſed Hadrianum Papam convenit, ut in Vita ejus apud Matthæum Pariſium habetur *ad canonizandum & privilegiandum* ejus monaſterium *auctoritate Romani Pontificis*. Matthæus enim Weſtmonaſterienſis ad annum 794 refert, Hadrianum Papam hoc reſponſum Offæ reddidiſſe: *Fili cariſſime, Offa Rex Anglorum potentiſſime, devotionem tuam circa regni tui Proto-martyrem, non mediocriter commendamus, & monaſterio conſtruendo, illudque privilegiando, petitioni tuæ gratanter aſſenſum præbemus, injungentes tibi in tuorum remiſſionem peccatorum, ut rediens ad terram tuam, ex conſilio Epiſcoporum & Optimatum tuorum, quas volueris poſſeſſiones, ſive libertates Beati Albani monaſterio conferas*, &c.

LVI. *Regnum ſuum Eccleſiæ Rom. vectigale reddit.*

Ina Occidentalium Saxonum Rex, Gregorio II ſedente, Romæ Scholam Anglorum fundavit, ut ibidem diximus, & regnum ſuum Romano Pontifici vectigale fecit; ſed Offa Merciorum Rex Romæ exiſtens, ut teſtatur idem Weſtmonaſterienſis laudatus, *Scholam Anglorum, quæ tunc Romæ floruit, ingreſſus; dedit ibi ad ſuſtentationem gentis regni ſui illuc venientis, ſingulos argenteos de familiis ſingulis, omnibus impoſterum diebus, ſingulis annis, quibus videlicet ſors tantùm contulit extra domos in paſcuis, ut triginta argenteorum pretium non excederet.* His addit Matthæus Paris in Vita Willegodi primi Abbatis monaſterii

SÆC. VIII. HADRIANUS.

Sancti Albani ab Offa Rege fundati: *Quæ Schola propter peregrinorum confluxum ibidem ſolatia ſuſcipientium, verſa eſt in Xenodochium, quod Sancti Spiritûs dicitur. Ad quod exhibendum Rex Offa, ex Regali munificentia, & pietatis affectu, Denarium, qui dicitur Sancti Petri, de maxima parte regni ſui conceſſit*. Xenodochium igitur Sancti Spiritûs ortum quidem ſuum Inæ Occidentalium Saxonum Regi debet, ſed incrementa Offę Merciorum Regi, qui regnum ſuum Romanę Sedi vectigale fecit ſub Hadriano Papa. De Ina & Denario Sancti Petri vide dicta in Gregorio II, & ex dictis corrige Polidorum Virgilium, qui lib. 4 hanc Offæ Romanam profectionem confert in annum 775.

LVII. *Hadrianus PP. ad Deum tranſit.*

Poſtquam Hadrianus Pontifex ſediſſet annos 23, menſes 10, dies 17, ut legitur in Anaſtaſio, & in clauſula ejus epitaphio ſubjuncta, ad Deum tranſiit, *in Nativitate Domini*, ut ſcribunt Marianus Scotus, Lambertus Schafnaburgenſis, & omnes illi Francorum Annaliſtæ, qui annum à Nativitate Domini auſpicantes, mortem ejus alligant cum anno 796, ex quo ſequitur eum obiiſſe die 25 Decembris anni 795; certè Auctor Vitæ ejus à Mabillonio Tom. 1, Part. 2 Muſei Italici recitatæ, & Annales Francorum à Lambecio lib. 2 Bibliothecę Cæſareę cap. 5 editi, & tempore Caroli Magni conſcripti, diſertè ſcribunt eum obiiſſe *die 8 Kalendas Januarii*: ſepultus autem eſt die vigeſima ſexta Decembris, quem diem Carolus Magnus in ejus epitaphio, vocat diem obitûs, quod & non rarò etiam habet Anaſtaſius. Nec eſt quòd Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico, de Hadriano loquensdicat, ſe necdum agnoviſſe eo die quemquam Romanorum Pontificum mortuum, quo ſepulrum Anaſtaſius tradit. Nam præterquamquod Anaſtaſius alibi ſæpe diem ſepulturæ pro die mortis memorat, mirum videri non debet ita locutum eſse de Hadriano, noſque aliquando dixiſse Pontifices Romanos mortuos & ſepultos eſse eadem die, cùm ipſemet Carolus Magnus, die quo vitam cum morte commutavit, terrę mandatus fuerit, ut probat Annotator Baronii; quod idem dicendum de Pontificibus Romanis, quorum exequię pluribus ab eorum morte diebus non celebrabantur; ſed vel ipſo die, quo animam efflabant, vel ſaltem uno aut altero poſt, terrę mandabantur.

LVIII. *Carolus Magnus de ejus anima & ſepultura ſollicitus.*

Hadriani Papæ obitum multis lachrymis deflevit Carolus Magnus Francorum Rex, qui eum ut patrem coluerat, & ut amicum plurimùm dilexerat. Id conſtat ex Eginhardo, qui in Vita Caroli ſcribit: *Carolus Magnus nunciato ſibi Hadriani Pontificis obitu, quem amicum præcipuum habebat, ſic flevit, ac ſi fratrem, aut chariſſimum filium amiſiſſet*. Fletui religioſa conjunxit officia, ſuffragiaque cum eleemoſynis, nec tantum per ſuas ditiones, ſed etiam per extera Regna, quorum Reges ad eandem pietatem ſcriptis Epiſtolis provocavit, & inter alios Offam Merciorum Regem, ut conſtat ex literis à Willelmo Malmesburienſi deſcriptis lib. 1 de Geſtis Regum Anglorum cap. 4, & à Baronio ad annum 796 relatis. Eum religioſis officiis atque ſuffragiis animam ejus proſecutum eſſe, ejuſque Sepulchrum in Vaticana Baſilica collocatum Regio epitaphio decoraſſe, aſſerit etiam Annaliſta laudatus à Lambecio editus ad annum 795 his verbis; *Die 8 Kal. Januarii ſanctæ memoriæ Domnus Hadrianus Summus Pontifex Romanus obiit, pro quo Domnus Rex, poſtquam à planctu ceſſavit, orationes per univerſum Chriſtianum populum infra terminos fieri rogavit, & eleemoſyna ſua pro eo multipliciter tranſmiſit, & epitaphium aureis literis in marmore conſcriptum juſſit in Francia fieri, ut illud partibus Romæ tranſmitteret ad ſepulturam Summi Pontificis Hadriani ornandam*. Illud Epitaphium mox referemus, quod etiamnum extat pro foribus Baſilicæ Vaticanæ, quamvis ætate Romani Canonici, qui aliud deſcripſit in Baſilicæ Vaticanæ deſcriptione, qualis erat tempore Eugenii III, amplius lectum non fuiſse ſcribat Papebrochius laudatus.

LIX. *Hadriani munificentia in pauperes, & Eccleſias.*

De Hadriani munificentia, tum in profundendis erga pauperes eleemoſynis, tum in reparandis, atque magnificentiſsimè ornandis cunctis Urbis Eccleſiis, & cœmeteriis, necnon in reſtaurandis muris & aquæductibus ejuſdem Civitatis, prorsùs mira habet Anaſtaſius: è quibus non omittendum de candelabro in modum crucis formato, quod penſile poſuit ante Presbyterium Sancti Petri, in quo ſuis diſtinctis locis apponi poterant mille trecentæ ſeptuaginta candelæ; conſtituitque, ut quater in anno accenderetur, videlicet in Natali Domini, in die Paſchatis, in Natali Sanctorum Apoſtolorum, & in Natali, ſeu in die ordinationis Romani Pontificis. Mirum etiam dictu eſt Hadrianum, in Vaticanę tantùm S. Petri Baſilicę ornamenta, auri libras quingentas octoginta ſupra duo millia, argenti verò nongentas ſeptem impendiſſe; præter mille & centum auri libras, quas erogavit ad reparandos collapſos urbis muros. Hęc tamen omnia refert Anaſtaſius.

LX. *Ejus ſcripta.*

Decem & octo Epiſtolę, ab Hadriano ſcriptę, extant Tomo 6 Conciliorum editionis Labbei. Extant & plures alię à Gretzero, & poſtea à Ducheſnio Tomo 3 Scriptorum Francorum publicatę. Extat præterea Epitome canonum, quam obtulit Carolo Magno, dum Romæ eſſet, quamque Henricus Caniſius primus publicavit Tomo

mo

Digitized by Google

SÆC. VIII. HADRIANUS.

mo 6, Antiquarum Lectionum. Verùm non Epitomen tantùm, ſed integram Collectionem canonum, ex quibus illa Epitome deinceps conflata eſt, Carolo oblatam fuiſſe ab Hadriano exiſtimat Sirmondus Tom. 2. Conciliorum Galliæ, qui addit illum ipſum Carolo datum eſſe librum, qui Codex Canonum à Nicolao Papa dicitur diſtinct. 19 cap. *Si Romana Eccleſia*. Hujus Collectionis exemplaria quædam ſuperſunt in Bibliothecis Galliarum, quorum in fronte, velut oblati muneris dedicatio, præfixa eſt Hadriani ad Carolum Epiſtola. In prædicta porrò Epitome Canonum à Gretzero, & Ducheſnio edita continentur Canones Apoſtolici 45, Ancyrani 24, Neocæſarienſes 15, Gangrenſes 20, Antiocheni 25, Laodiceni 58, Sardicenſes 21, Carthaginenſes 33, Africani 105. Collectio verò complectitur viginti Canones Nicænos, Conſtantinopolitanos, Epheſinos, Calchedonenſes, qui in Epitome deſunt. Scripſit etiam Hadrianus ad Carolum Magnum Epiſtolam ſeu libellum reſponſorium, libris Carolinis oppoſitum, pro defenſione Synodi ſeptimæ. De aliis ab eodem Pontifice ſcriptis legendus Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia.

LXI. Mortuus & ſepultus eſt Romæ non in Nonantulano Monaſterio.

Hadrianum Romæ mortuum & ſepultum ex eo deducit Papebrochius, quia altero quo obiit die electus eſt, & tertio ordinatus Leo III ejus in Petri Sede ſucceſſor, & erraſſe nominis identitate deceptos Nonantulanos illos Monachos, qui Hadriani Papæ in ſuo Monaſterio ſepulti, mortem & miracula deſcribentes, ei aptarunt Vitam & Geſta Hadriani Papæ primi, tam proſâ, quàm carmine, in iis, quæ extant apud Ughellum monumentis, quem errorem corrigentes poſteri venerantur ſub Altari ſuo majori collocatum corpus Hadriani Papæ III, quem conſtat in Æmilia peregrè mortuum eſſe & ſepultum. Ita Papebrochius. Sed quidquid ſit de Hadriano III, Nonantulanorum traditionem de Hadriano primo, invictè deſtruere mihi videtur Annaliſta laudatus à Lambecio editus, cujus verba mox recitavimus dum ſcribit Carolum Magnum, Hadriani *Epitaphium aureis literis in marmore conſcriptum juſſiſſe in Francia fieri, ut illud partibus Romæ tranſmitteret ad ſepulturam Summi Pontificis Hadriani ornandam*, quæ ideo ſepultura erat Romæ, non verò in Eccleſia monaſterii Nonantulani.

Ejus porrò Epitaphium à Carolo Magno, tanquam filio patri compoſitum, tale eſt.

Epitaphium ei à Carolo Magno poſitum.

Hic Pater Eccleſiæ, Romæ decus, inclytus auctor,
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita Deus, pietas Lex, gloria Chriſtus,
Paſtor Apoſtolicus, promptus ad omne bonum.
Nobilis, ex magna genitus nam gente parentum,
Sed ſacris longè nobilior meritis.
Exornare ſtudens devoto pectore Paſtor
Semper ubique ſuo Templa ſacrata Deo.
Eccleſias donis, populos & dogmate ſancto
Imbuit, & cunctis pandit ad aſtra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate ſecundus,
Et pro plebe ſacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Urbs, caput orbis, honor, inclyta Roma, tuas.
Mors cui nil nocuit, Chriſti, quæ morte perempta eſt,
Janua, ſed vitæ mox melioris erat.
Poſt Patrem lachrymans Carolus hæc carmina ſcripſi,
Tu mihi dulcis amor, te modò plango Pater.
Tu memor eſto mei: ſequitur te mens mea ſemper,
Cum Chriſto teneas regna beata poli.
Te Clerus, populus magno dilexit amore,
Omnibus unus amor, optime Præſul, eras.
Nomina jungo ſimul titulis, clariſſime, noſtra:
Hadrianus, Carolus; Rex ego, tuque Pater.
Quiſquis legas verſus, devoto pectore ſupplex,
Amborum mitis, dic, miſerere Deus.
Hæc tua nunc teneat requies, cariſſime, membra,
Cum Sanctis anima gaudeat alma Dei.
Ultima quippe tuas donec tuba clamet in aures,
Principe cum Petro ſurge videre Deum,
Auditurus eris vocem, ſcio, Judicis almam,
Intra nunc Domini gaudia magna tui;
Tum memor eſto tui nati, te, Pater optime, poſco,
Cum Patre, dic, natus pergat & iſte meus.
O pete regna, Pater felix, cæleſtia Chriſti,
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum Sol ignicomo rutilus ſplendeſcit ab arce,
Laus tua, ſancte Pater, ſemper in orbe manet.

Huic Epitaphio ſubjuncta eſt hæc Chronologica clauſula: *Sedit beatæ memoriæ Hadrianus Papa annos XXIII, M.X.D.XVII. Obiit VII Kal. Jan.*, qui dies ex jam dictis, eſt dies ſepulturæ, non mortis.

LEO III Pontif. XCVIII.

Anno Domini DCCXCV.

Leo III. dicitur Papa.

POſtridie mortis Hadriani primi, ipſâque ejus ſepulturę die, Leo Romanę Eccleſię Presbyter, natione Romanus, ex patre Azuppio, *divina inſpiratione, una concordia, eademque voluntate, à cunctis Sacerdotibus, ſeu Proceribus, & omni Clero, necnon ab Optimatibus, & cuncto Populo Romano, Dei nutu in Natali die beati Protomartyris Stephani electus eſt, & ſequenti die in Natali Sancti Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei in Sede Apoſtolica ordinatus eſt*, inquit Anaſtaſius. Electus eſt itaque Leo, hujus nominis III, die vigeſima ſexta Decembris anni ſeptingenteſimi nonageſimi quinti; & die ſequenti, feſto S. Joannis Evangeliſtę ſacra, quę cum Dominica concurrebat, conſecratus eſt Romanus Pontifex.

II. Legationem ad Carolum Franc. Regem mittit, & mutuam ab eo recipit.

Leo in Pontificali throno conſtitutus ſtatim legationem miſit ad Carolum Francorum Regem, qui eodem tempore, & Hadriani Papę mortis, & Leonis electionis nuncium accepit, ut conſtat ex reſponſo ejuſdem Regis, quod extat Tomo 7 Concil. pag. 1128, ex quo & liquet Romanos Pontifices, poſt ſuam ordinationem Legatos ad Francorum Reges, tanquam ad Romanorum Patricios, ac Defenſores miſiſse. Habemus inſuper ex hac Caroli Epiſtola, ad Leonem per Angilbertum Caroli Legatum miſſa, Carolum à Pontifice poſtulaſse, ut Patriciatum ſuum confirmaret, quò Eccleſiam ab incurſu Paganorum armis defendere poſſet, & Chriſtianos in Catholicę fidei communione continere: Angilberto, inquit Carolus, *injunximus, quæ vel nobis voluntaria, vel vobis neceſſaria eſſe videbantur, ut ex collatione mutua conferatis, quidquid ad exaltationem ſanctæ Dei Eccleſiæ, vel ad ſtabilitatem honoris veſtri, vel Patriciatus noſtri firmitatem neceſſarium intelligeretis. Sicut enim cum beatiſſimo prædeceſſore veſtræ ſanctæ Paternitatis pactum inii; ſic cum Beatitudine veſtra ejuſdem fidei, & caritatis inviolabile fœdus ſtatuere deſidero. Quatenus Apoſtolicæ Sanctitatis veſtræ, divina donante gratia, Sanctorum advocatis precibus, me ubique Apoſtolica Benedictio conſequatur, & Sanctiſſimæ Romanæ Eccleſiæ Sedes, Deo donante, noſtra ſemper devotione defendatur. Noſtrum eſt, ſecundùm auxilium divinæ pietatis, ſanctam ubique Chriſti Eccleſiam ab incurſu Paganorum, & ab infidelium devaſtatione armis defendere foris, & intus Catholicæ Fidei agnitione munire*. In his porrò conſiſtebat Patriciatus Carolo, & anteceſſoribus ejus collatus, ut in Gregorio III. explicavimus. Scripta hęc Caroli Epiſtola initio anni ſeptingenteſimi nonageſimi ſexti.

III. Claves Confeſſionis S. Petri & vexillum Urbis ad eundem Regem mittit.

Eodem anno Leo Pontifex, vel per eoſdem, vel per alios potius, ut videtur, Legatos, claves Confeſſionis ſancti Petri, ideſt, ex Confeſſione, ſeu ſepulchro Sancti Petri acceptas, & vexillum Romanę urbis ad eundem Carolum Regem miſit, de qua legatione Eginhardus in Annalibus ad eum annum ſcribit: *Leo per Legatos ſuos claves Confeſſionis ſancti Petri, ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus Regi* (Carolo) *miſit, rogavitque, ut aliquem de ſuis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad ſuam fidem atque ſubjectionem per Sacramenta firmaret, Miſſus eſt ad hoc Engilbertus Abbas Monaſterii Sancti Richarii. Per quem etiam tunc ad Sanctum Petrum magnam partem theſauri, quem Henricus Dux Forojulienſis, ſpoliatâ Hunnorum Regiâ, quæ Ringus vocabatur, eodem anno de Pannonia Regi obtulerat, miſit; reliquum verò inter Optimates & Aulicos, cæteroſque in Palatio ſuo militantes, liberali manu diſtribuit*. Vexillum urbis Romę ad Carolum miſſum eſſe, ſcribunt etiam Annaliſtę Loiſelianus, Tilianus, Bertinianus & Metenſis, ac inſuper Regino in Chronico.

IV. Vexillum quibus mitti ſolitum.

Claves quidem ex Confeſsione Sancti Petri acceptas Chriſtianis Principibus olim à Romanis Pontificibus mitti conſueviſſe complures Gregorii Magni, aliorumque Pontificum Epiſtolæ nos docent: ſed vexillum ab illis tantùm mittebatur ad Romanorum Patricios, qui adversùs Infideles, Schiſmaticos, aut Hęreticos pugnaturi erant. Sic Alexander II illud Willelmo Notho Duci Normannię in bello contra Haroldum deferendum tradidit, ut legitur apud Ingulfum pag. 90. Victor III Roberto Guiſcardo in Gręcos ſchiſmaticos bellum moventi, ut notat Guillelmus Apulienſis lib. 4 de Geſtis Normannorum; & Urbanus II Hugoni Magno Viromanduorum Comiti in prima expeditione ſacra, ut habent paſsim Scriptores Rerum Jeroſolymitanarum. Unde perperam ex hoc quidam inferunt tunc Romam cum ducatu Romano ſponte Carolo Francorum Regi deditam fuiſſe, & vexillum urbis Romæ fuiſſe inſigne ſupremę poteſtatis; non ſolùm enim præfata exempla contrarium evincunt; ſed etiam hęc opinio invictè refellitur ex iis, quæ habet

SÆC. IX. LEO III.

Annotator Baronii ad annos 740, 774, & 766, ubi fuſè probat vexillum urbis Romę, non ſolùm ad Carolum Regem à Leone III, & antea ab Hadriano primo miſſum, ſed & ad Pippinum ejus patrem à Stephano II, & ad Carolum Martellum ejus avum à Gregorio III, ex quibus tamen malè quis inferret Carolum Martellum, & Pippinum fuiſse ſupremos Urbis dominos.

V. *Leo PP. Triclinium in Lateranenſi Palatio ædificat.*

Ex theſauris Hunnorum à Carolo Rege ad Apoſtolorum limina per Angilbertum Legatum tranſmiſsis, Leo Pontifex multas Eccleſias decoravit, extruxitque in Lateranenſi Palatio, opere magnifico Triclinium, quod ab aliquibus *Aula Leonina*, vel *Baſilica Leonina* appellatur, de qua legendus Anaſtaſius Bibliothecarius in ejus Vita. De eo Triclinio Nicolaus Alemannus in diſſert. de Lateranenſibus Parietinis cap. 3 & ſeqq. pluribus diſſerit; ſed refellitur ab Annotatore Baronii, in eo quod ſcribit hoc monumentum ante annum octingenteſimum à Leone non eſſe conſtructum: ędificatum enim eſt anno ſeptingenteſimo nonageſimo ſexto, Leonis Pontificatûs primo, ut eo anno, & anno octingenteſimo primo idem Baronii Annotator oſtendit ex Anaſtaſio; & picturę, qua Leo Papa Triclinium illud exornavit explicationem, ab eodem Alemanno in medium adductam rejicit, aliamque longè probabiliorem adducit.

VI. *Cantuarienſi Eccleſiæ Primatum reſtituit.*

Offa Merciorum Rex, de quo in Pontificatu Hadriani primi locuti ſumus, quòd illi cum Cantuarienſibus graves inimicitię intercederent, Lambertum eorum Archiepiſcopum primatu ſpoliarat, & ab Hadriano Papa Licfeldenſem Epiſcopum pallio donari impetrarat. Sed Offâ, ejuſque filio, ac ſucceſsore Ecgferto anno ſeptingenteſimo nonageſimo ſexto mortuis, ut Ethelwerdus, & Simeon Dunelmenſis ſcribunt, Kenulphus circa finem ejuſdem anni, dictus eſt Rex Merciorum. Hic ipſo regni initio nihil antiquius habuit, quàm ut primæ Sedi Cantuarię ſuus honor & locus poſtliminii ſaltem jure rediret. Legationem itaque decrevit ad Leonem Papam, quæ anni, incerto caſu, irrita fuiſſet, aliam anno ſequenti ſeptingenteſimo nonageſimo ſeptimo adornavit, ſcripſitque ad Pontificem literas, quę extant Tomo 7 Concil. & apud Baronium. Athelardus Cantuarienſis Epiſcopus, Lamberti ſucceſſor nihil omittendum ratus, anno ſeptingenteſimo nonageſimo nono, ut uterque Chronographus Saxo, & Vigornienſis habent, Romam hac de cauſa profectus eſt, ſed ea tam cito decidi non potuit; duravit enim uſque ad annum octingenteſimum ſecundum, quo Athelardus, cùm diu Romanam Sedem fatigaſſet, tandem à Leone Papa Eccleſias omnes Britanniæ ſibi ſubjici obtinuit, literis à Malmesburienſi lib. de Pontif. pag. 210 recita-tis, datiſque *decimoquinto Kalend. Februarii, per manum Primicerii Euſtathii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ imperante Domino Carolo, piiſſimo Conſule Auguſto: à Deo coronato, magno pacificoque Imperatore anno ſecundo, poſt Conſulatum ejuſdem Domini, indictione decima*; qui characteres annum octingenteſimum ſecundum certò denotant.

VII. *Salisburgenſem in Archiepiſcopalem erigit.*

Cùm Virgilius Juvavenſis, ſeu Salisburgenſis Epiſcopus circa finem anni ſeptingenteſimi octogeſimi quinti obiiſſet, in locum ejus non multò poſt ordinatus eſt ejuſdem Sedis Epiſcopus Arno, qui primus Salisburgenſis Archiepiſcopus dictus eſt à Leone Papa anno ſeptingenteſimo nonageſimo octavo, ut legitur in brevibus Annalibus Ratiſponenſibus à Mabillonio Tomo 4 Analect. publicatis, in quibus legitur: *DCCXCVIII Arn. Archiepiſcopus factus eſt*, ſcilicet Arno, quem Romę eodem anno à Pontifice pallium ſuſcepiſse, legitur in Vita Sancti Ruperti Salisburgenſis Epiſcopi primi apud Caniſium Tomo 6 Antiq. Lect. *Interim contigit, anno videlicet Nativitatis Domini 798 Arnonem jam Archiepiſcopum, à Leone Papa accepto pallio remeando de Roma veniſſe ultra Padum, eique obviaſſe miſſum Caroli cum Epiſtola ſua, mandans illi ipſo itinere in partes Sclavorum ire, & exquirere voluntatem populi illius, & prędicare illi verbum Dei.* Anno quippe ſeptingenteſimo nonageſimo ſexto, ſubactis à Pippino Italię Rege, Caroli Magni filio, Sclavis ſeu Hunnis, tota Hunia Epiſcopatui Salisburgenſi unita fuit, indeque Salisburgenſis Epiſcopatus ampliſſimus extitit: *poſtquam Carolus Imperator, Hunnis ejectis, & Epiſcopatûs dignitatem Juvavenſis Eccleſiæ Rectori commendavit, Arnoni ſcilicet Archiepiſcopo, & ſuis ſucceſſoribus tenendi perpetualiter, atque regendi perdonavit: cœperunt populi, ſive Sclavi, ſeu Bajoarii inhabitare terram, unde illi expulſi ſunt Hunni, & multiplicari*, inquit Auctor Anonymus diſcipulus beati Eberhardi Archiepiſcopi, in vita S. Virgilii Epiſcopi apud Caniſium loco laudato, ubi Carolum *Imperatorem* per anteceſsum appellat, priuſquam eſset Imperator. Ceterùm propriè loquendo Sedes Archiepiſcopalis Laureaco Saltzburgum translata dici nequit, quod tamen ſcribunt Aventinus lib. 4 Annalium Bojorum, & plures alii, quia licèt aliàs Laureacum fuiſset Sedes Metropolitana, ab anno tamen circiter 660, in univerſa Francia Orientali, nullus Archiepiſcopus fuerat, ut eo anno oſtendit Annotator Baronii. Præterea hoc tempore Laureacum exciſum erat, & Epiſcopatus Laureacenſis Patavienſi unitus fuerat, quod in cauſa fuit, cur Epiſcopus Patavienſis cum Arnone Archiepiſcopo pro pallio decem annis contenderit, ut in Catalogo Epiſcoporum Patavienſium ſcriptum

ptum eſſe refert Hundius in Metropoli Salisburgenſi.

VIII. *Felicem Urgellitanum in Synodo Rom. damnat.* Sub finem anni ſeptingenteſimi nonageſimi octavi, vel initio anni ſequentis, Leo Papa Concilium in Baſilica Sancti Petri cum Epiſcopis 57 celebravit adversùs libellum, quem Felix Urgellitanus Epiſcopus Alcuino nuper direxerat. Felicis errores damnaverant Synodus Ratiſponenſis & Hadrianus Papa, ut in ejus Pontificatu diximus, ipſeque errores deteſtans ejuraverat. Poſt hæc verò in patriam reverſus, ad priſtinam inſaniam mox rediit, quo nomine in Synodo Francofordienſi, ut ex Actis ejus ibidem oſtendimus, unà cum Elipando Toletano Epiſcopo iterum eſt perſtrictus anno ſeptingenteſimo nonageſimo quarto. Cùm autem ſub Leonis Pontificatu Alcuinus ad eundem Felicem Epiſtolam ſcripſiſſet, quâ, ut meliorem mentem reſumeret, hortabatur, Felix virulento libello, in quem priſtinæ hereſeos, ſæpius à ſe damnatæ capita omnia conjecerat, reſpondit. Quare in hoc Concilio Romano libellus ille confutatus eſt, & ipſi Felici, niſi reſipiſceret, anathema dictum. Hujus Concilii extant Excerpta tantùm quædam ex tribus prioribus Actionibus Tomo 7 Concil. Labbei; ſed hujus etiam meminit ipſemet Felix in confeſſione fidei, quam ſub exitum anni ſeptingenteſimi nonageſimi noni emiſit, poſtquam in Synodo Aquiſgranenſi ſuam rursùs damnavit hæreſim: *Per auctoritatem*, inquit, *Synodi, quæ nuper in Roma hac intentione, præcipiente glorioſiſſimo ac piiſſimo Domino noſtro Carolo adversùs Epiſtolam meam, quam dudum venerabili viro Alcuino Abbati Turonenſis Eccleſiæ ſcripſeram, congregata eſt. In qua Synodo, præſente Leone Apoſtolico, & cum eo cæteri Epiſcopi numero 57 reſidentes, & plerique Presbyteri ac Diaconi cum eis in domo beatiſſimi Petri Apoſtoli, per quorum omnium auctoritatem, iſtas jam dictas ſententias noſtras, non qualibet, ut dictum eſt, violentia, ſed ratione veritatis, ut oportuit, excluſerunt.* Ideo autem dixi Concilium illud celebratum eſſe ſub finem anni 798, aut initio anni 799, quia habitum eſt anno Caroli Regis 31, inchoato die 24 Septemb. anni 798, & Leo Papa die 25 menſis Aprilis anni 799 à Romanis excæcatus, in Galliam ſtatim venit; ideoque Concilium habitum poſt menſem Septembrem anni 798, & ante finem Aprilis anni 799. Quinam eſſent errores Felicis vide in Hadriano primo.

IX. *Exſecrandum Romanorum facinus adverſus Leonem PP.* Anno ſeptingenteſimo nonageſimo nono ingens facinus adverſùs Leonem Pontificem commiſſum, hic ex Anaſtaſio in ejus Vita deſcribendum. Paſchalis Primicerius & Campulus Sacellarius Eccleſiæ Romanæ, ſeptimo Kalendas Maji Leonem, ſolemni ritu, Litanias Majores cum univerſo Clero & populo celebrantem, in ipſo itinere armati cum nefariorum hominum manu aggreſſi, populo inermi exturbato, multis plagis affecere, oculos ei eruerunt, linguam præciderunt, ſemivivum in platea reliquerunt, ac deinde in cuſtodiam detruſerunt. Sed cùm rursùs inde noctu ad arctiorem cuſtodiam ductus ab iiſdem eſſet, accidit eadem nocte ingenti divino miraculo, per interceſſionem Sanctorum Apoſtolorum, ut viſum receperit, & lingua ei reſtituta fuerit. Quapropter inde, quorundam ſuorum induſtriâ, clàm in Vaticanum abductus, mox ab Spoletano duce Winigiſo, qui repente cum exercitu advenerat, ductus Spoletum, paucis poſt diebus ad Carolum Magnum Francorum Regem properavit.

X. *Leoni viſus & loquela miraculosè redduntur.* De miraculo, quo Sanctus hic Pontifex oculorum, & linguæ uſum recepit, Anaſtaſio laudato ſuffragantur Frodoardus in fragmento de Pontificibus Romanis, Sigebertus Gemblacenſis, Lambertus Schafnaburgenſis, & Gotfridus Viterbienſis in Chronicis; Hermannus item Contractus, & Marianus Scotus illud miraculum ſupponunt, cùm dicant Leonem excæcatum, & linguam ejus *radicitus* abſciſſam, & tamen Marianus Scotus ſcribit, Leonem poſtea *in Baſilica Sancti Petri ambonem* aſcendiſſe, *poſito ſuper caput ſuum Evangelio, & coram omni populo invocato Sanctæ Trinitatis nomine, jurejurando ab objectis ſe criminibus* purgaſſe, quod neceſſariò ſupponit loquelam ei reſtitutam fuiſſe divinitus, ſanari enim non poterat abſque miraculo. Omitto hìc Wernerum Rolwinc, utpote ſcriptorem ſæculi 15, ut teſtimonia adducam Auctorum ejuſdem ævi, ſcilicet Poetæ Saxonici, qui Leonem *per meritum Magni Petri* ſanatum ait; & Theodulphi Aurelianenſis, qui libro tertio, carmine ſexto ad Carolum Magnum, ita ſcribit de Leone Papa:

Quem furibunda manus ſpoliavit lumine, lingua,
Veſtibus & ſacris, Ordinibuſque piis.
Reddidit hæc Petrus, quæ Judas abſtulit alter,
Hic qui confeſſor, proditor ille Dei eſt.

Et infra:

Nam ſalvare Petrus cùm poſſet in Urbe Quirina,
Hoſtibus ex atris, inſidiiſque feris.
Hoc tibi ſalvandum, Rex clementiſſime, miſit,
Teque ſua voluit fungier ille vice.
Per te reddit ei membrorum damna pavenda,
Et per te ſedis, obſequiique decus.

Sed rem extra dubium ponit Alcuinus Caroli Magni præceptor, qui in Carmine de Leonis profectione ad Carolum, miram etiam ejus membrorum reſtitutionem explicavit:

Ver-

Digitized by Google

Verbera commemorans, extinctum lumine vultum
Narrat, & abſciſſam liquido de gutture linguam:
Nunc medicante Deo ſanatum, & ab omnibus iſtis
Eſſe malis, &c.
Et infra:
Exquirit Carolus caſus, auditque laborum
Diverſos, ſceleris populi impia facta ſtupeſcit:
Miratur geminas jam dudum luce feneſtras
Extinctas, & nunc reparatum lumine vultum,
Truncatamque loqui miratur forcipe linguam,
Alter in alterius configunt lumina vultûs.

Hæc paulò fuſius à me deſcripta ſunt, quia quidam recentiores de hujus miraculi veritate dubitant.

XI. *Leo Papa in Franciam venit.*

Cùm Carolus Rex Leonem Papam ita inhumaniter à Romanis habitum eſſe *accepiſſet, ipſum quidem ut Vicarium Sancti Petri, & Romanum Pontificem, cum ſummo honore ad ſe præcepit adduci*, inquit Eginhardus in Annalibus. Leo itaque cum aliquibùs Epiſcopis, Presbyteris, Clericis & primoribus civitatum ad Carolum Regem profectus eſt, qui illicò ut ejus adventum *audivit, miſit in obviam ejus Hildivaldum Archiepiſcopum & Capellanum, & Aſcharium Comitem. Et poſtmodum proprium filium ſuum Pippinum excellentiſſimum Regem cum aliis comitibus obviam ei iterum, & uſque ubi ipſe magnus Rex obviavit, & ſicut Vicarium beati Petri Apoſtoli venerabiliter, & honorificè cum hymnis & Canticis ſpiritualibus eum ſuſcepit, & pariter ſe amplectentes cum lacbrymis ſe oſculati ſunt. Et prædicto Pontifice* Gloria in excelſis Deo *inchoante, & cuncto Clero ſuſcipiente, oratio ſuper cuncto populo data eſt*, ut ſcribit Anaſtaſius. Carolus in Aquiſgranenſi palatio Paſchate pridie Kalendas Aprilis celebrato, poſteaque trajecto Rheno, Paderbonam uſque proceſſit, ubi Leonem Pontificem præſtolatus eſt, ut prodit Eginhardus laudatus, ſcribens: *Ad Padebrunnam acceſſit, ibique in caſtris conſidens, Pontificis ad ſe properantis præſtolatur adventum.*

XII. *Paderbornenſem Eccleſiam conſecrat.*

Leo Pontifex Paderbornæ exiſtens Eccleſiam Epiſcopalem, quæ antea à Carolo Rege conſtructa fuerat, conſecravit, & in ea Sancti Stephani Proto-Martyris Reliquias Romà delatas recondidit, ut ex libro, qui vitæ Sancti Liborii Cenomanenſis Epiſcopi ſubjicitur, Idone Presbytero Paderbornenſi Auctore, colligitur; ex eo enim quidam malè deducunt, tunc primùm Paderbornenſem Eccleſiam factam fuiſſe Epiſcopalem, & Harimarum primum ejus Epiſcopum conſtitutum. Hæc poſtea Eccleſia *commendata fuit aliquandiu tuitioni Præſulum Capellæ Orientalis Franciæ, quod ſermone barbaro Wirziburg appellatur*, inquit Ido Presbyter in laudato libello, qui extat apud Surium ad diem 23 Julii. De ejuſdem Eccleſiæ conſecratione à Leone Papa facta, loquitur etiam Annaliſta à Lambecio Tomo 2 Bibliothecæ Cæſareæ cap. 5 editus, qui Caroli Magni tempore ſcripſit.

XIII. *Leonis privilegium pro loco Eresburg. fictitium.*

Idem Carolus Rex, teſte Eginhardo laudato anno 772 *Saxoniam bello aggredi ſtatuit, eamque ſine mora ingreſſus ferro & igne cuncta depopulatus Ereſburgum caſtrum cepit, Idolumque, quod Irminſul à Saxonibus vocabatur, evertit*, cujus idoli explicatio legenda apud Spelmannum. Baronius, Auguſtinus Oldoinus in Notis ad Ciaconium, & Joannes Palatius in Leone III ſcribunt, hunc Pontificem dedicaſſe quoque capellam in eodem monte Eresburg, ubi celeberrimum illud apud Saxoniæ populos idolum quondàm ſteterat, huncque locum muniiſſe privilegio, quod referunt ex Regeſto Innocentii IV, quodque nunc extat Tomo 7 Conciliorum. Verùm Annotator Baronii ſuppoſitionem illius privilegii, & conſequenter dedicationis capellæ, ex eo probat, quòd Carolus Magnus in eo dicatur *Imperator*, cùm tamen inter omnes conveniat, eum dictum eſſe Imperatorem exeunte anno octingenteſimo. Secundò, quia Carolus, quoad vixit, nunquam cognominatus fuit *Magnus*. Tertiò, quia Leo III Pontificatus ſui annum literis ſuis nunquam adſcripſit. Quartò, quia nunquam ſe Leonem III appellavit. Quintò, quia privilegium dicitur datum 8 Kal. Januarii, & tamen Leo, ex mox dicendis, die 29 Novembris Romam ingreſſus eſt.

XIV. *Quo tempore Pontifices Rom. nomen ſuum in literis certa lege prapoſuerint.*

Carolus Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum, qui has literas Leonis III fictitias eſſe agnovit, aliam falſitatis notam deſumit ex eo, quòd in earum inſcriptione Leo nomen Caroli ſuo poſtponit; cùm tam ipſe, inquit, quàm qui eum præceſſere, nomina Regum aut Imperatorum, ad quos ſcripſere, primo loco collocarint; quam in rem plura exempla profert. Verùm, proſequitur idem Baronii Annotator, hæc ratio innititur fundamento vel dubio, vel falſo. Cantelius enim in Hiſtoria Metropolitanarum urbium part. 2 diſſert. 1 cap. 1 oſtendit ante Nicolaum Papam hujus nominis primum, quemque Pontificem Romanum, nomem ſuum pro arbitrio, vel primo loco poſuiſſe, vel ultimo: id autem ſibi ſumpſiſſe Nicolaum, ut ſemper, quaſi certa lege, cùm Epiſcoporum, tum Regum etiam nominibus ſuum præponerent, quæ conſuetudo noſtra ætate adhuc uſurpatur. Multa hujus rei exempla adducit Cantelius, inter quæ eſt illud Leonis Magni, qui ad Theodoſium Imperatorem ſcribens, ita incipit: *Glorioſiſſimo, & Clementiſſimo Theodoſio Auguſto Leo Epiſcopus & Sancta Synodus Romæ collecta*; & tamen

idem

SAEC. IX. LEO III.

idem Leo, eidem Imperatori ſcribens, aliquando nomen ſuum præponit: *Leo Epiſcopus & Sancta Synodus, quæ in Urbe Roma convenit, Theodoſio ſemper Auguſto*. Sed licèt huic Cantelii obſervationi lubenter ſubſcribam, cùm tamen in omnibus Epiſtolis à Leone III, vel ad Kenulfum Merciorum Regem, vel ad Carolum Magnum ſcriptis, ſemper Leonis nomen poſtponatur, eâ exceptâ, de qua quæſtio eſt, ex hoc etiam capite hæc nutare videtur, quòd Leonis nomen præponatur. Quare Cantelius illam genuinam & ſinceram perperàm ſupponit.

XV. Leo PP. Romam redit.

Leo Pontifex poſt aliquod tempus Romam reverſus eſt, delegatis à Carolo Rege, qui venirent *in Pontificale obſequium fidelibus miſſis, videlicet Hildivaldo, & Arno Reverendiſſimis Archiepiſcopis, & Cuniberto, Bernhardo, & Teſſe* ſeu Jeſse, *Sanctiſſimis Epiſcopis*. Hi Leonem ſummo cum honore Romam deduxerunt. Tunc Romani præ nimio gaudio ſuum recipientes Paſtorem, omnes in vigilia beati Andreę Apoſtoli, ideoque die vigeſima octava Novembris, *& cunctæ Scholæ peregrinorum, videlicet Francorum, Friſonum, Saxonum atque Longobardorum ſimul omnes connexi ad pontem Milvium cum ſignis & bandis & canticis ſpiritualibus ſuſceperunt, & in Eccleſiam beati Petri Apoſtoli eum deduxerunt, ubi & Miſſarum ſolemnia celebravit*. Quæ perperam ex Anaſtaſio refert Oldoinus in Notis ad Ciaconium, ad annum 804, quo iterum Leo in Franciam ad Carolum Imperatorem perrexit, cùm tamen Anaſtaſius, ex quo hæc deſumpta, ne verbum quidem habeat de ſecunda Leonis profectione in Franciam, & ſuperius dicta referat ad annum 799. Et alia die, proſequitur Anaſtaſius, in Natali beati Andreæ Romam intrans in Patriarchium Lateranenſe introivit. Poſt aliquantos dies prędicti Epiſcopi, & tres Comites à Carolo miſſi, Paſchalem & Campulum, nihil habentes quod contra Pontificem dicerent, in Franciam emiſerunt.

XVI. Carolum Franc. Regem ſuſcepit.

Anno octingenteſimo Carolus Rex *menſe Auguſto inchoante Moguntiacum veniens, iter in Italiam conduxit*, inquit Annaliſta Loiſelianus. Inde *profectus cum exercitu*, teſte Eginhardo in Annalibus, *Ravennam venit: ibique ſeptem non amplius dies moratus, Pippinum filium ſuum cum eodem exercitu in terram Beneventanorum ire juſſit: movenſque Ravenna ſimul cum filio Anconam uſque pervenit. Quo ibi dimiſſo Romam proficiſcitur*. Romam adventavit Carolus circa diem octavum Kalendas Decembris, ut prodit Ademarus in ejus Vita, ubi addit Leonem Papam & Romanos cum eo, apud Nomentum, duodecimo ab Urbe lapide, Carolo occurriſſe, eum ſummo cum honore ſuſcepiſſe, ſtatimque eum ad Urbem præceſsiſſe. In craſtino verò in gradibus Baſilicæ beati Petri Apoſtoli ſtans Leo, miſsis obviam Romanæ urbis vexillis, ordinatis etiam per congrua loca, tam peregrinorum, quàm civium turmis, qui venienti Carolo laudes dicerent, ipſum cum Clero & Epiſcopis equo deſcendentem, gradusque aſcendentem ſuſcepit, dataque oratione, in Baſilicam beati Petri, pſallentibus cunctis introduxit.

XVII. Coram eo de objectis criminibus ſe purgat.

Poſt ſeptem verò dies, proſequitur idem Auctor, Rex cur veniſſet Romam, omnibus patefecit, fecitque in Eccleſiam ſancti Petri congregari Epiſcopos, Abbates, & omnem nobilitatem Francorum, atque Romanorum, ut præſente Leone Pontifice, omnia quæ adversùs eum dicta fuerant, examinarentur. Sed omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Abbates unanimiter audientes dixerunt, teſte Anaſtaſio: *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus: nam ab ipſa nos omnes & Vicario ſuo judicamur, ipſa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit, ſed ſicut ipſe Summus Pontifex cenſuerit canonicè obediemus*. Leo verò deceſsorum ſuorum Pontificum, Pelagii pręſertim hujus nominis primi, veſtigia ſequens, ſacra Evangelia amplexus, ambonem conſcendit, & coram omnibus ordinibus ſacramento ſe purgavit, ut refert idem Anaſtaſius. *Aſſumens Evangelium*, ut loquitur San-Gallenſis Monachus in libro 1 de Eccleſiaſtica cura Caroli Magni cap. 18. *poſuit ſuper caput ſuum, & in conſpectu Caroli, ejuſque militum, aſſiſtentibus etiam perſecutoribus in hæc verba juravit: Sic in die magni judicii ſim particeps Evangelii, ſicut immunis ſum criminis falsò mihi ab iſtis objecti*. Quo peracto Rex & univerſus populus dederunt laudem Deo, quòd Leonem Papam & ſanum in corpore, & in animo cuſtoditum habere meruerint.

XVIII. Carolum Imperatorem coronat.

Poſt hæc adveniente ſacratiſsima Natalis Domini die, cùm Carolus Rex ad Miſſam ante Confeſsionem beati Petri ab oratione ſurgeret, Leo Papa, ob egregia illius in Romanam Eccleſiam, Chriſtique Vicarios merita, nihil tale ſuſpicantis capiti coronam impoſuit, & à populo ter unanimi voce acclamatum eſt: *Carolo piiſſimo Auguſto, à Deo coronato, magno, pacifico Imperatori vita & victoria*; antea enim dicebatur tantùm Patricius Romanorum: ſed & *poſt laudes* Carolus *à domno Apoſtolico more antiquorum Principum adoratus eſt, atque ablato Patricii nomine, Imperator, & Auguſtus eſt appellatus*, ut produnt Ademarus laudatus & Eginhardus in Caroli Magni Vita. Eodem tempore, nondum Miſſa finita, ut ſcribit Anaſtaſius, Leo *Pon-*

tifex

Digitized by Google

SEC. IX. LEO III.

fex unxit Oleo ſancto Carolum, & excellentiſſimum filium ejus Regem, ſcilicet Pippinum, qui tamen, ut id obiter notem, jam ab Hadriano Papa Italię Rex inunctus fuerat, ut in ejus Pontificatu diximus. Omnes porrò Auctores Latini tradunt eam coronationem factam ipſo Natalis Chriſti die, à quibus non diſſentit Theophanes, id factum ſcribens, *indictione nona menſis Decembris die vigeſimo quinto* anni octingenteſimi; illi enim, qui hanc inaugurationem conjiciunt in annum octingenteſimum primum, anni exordium deſumunt ab ipſo Chriſti Nativitatis die; unde ad eum annum Annaliſta Lambecianus habet: *Et quia tunc ceſſabat à parte Græcorum nomen Imperatoris, & fœmineum imperium apud ſe habebat, tunc viſum eſt & ipſi Apoſtolico Leoni, & univerſis ſanctis patribus, qui in ipſo conſilio aderant, ſeu reliquo Chriſtiano populo, ut ipſum Carolum Regem Francorum Imperatorem nominare debuiſſent, qui ipſam Romam tenebat, ubi ſemper Cæſares ſedere ſoliti erant, ſeu reliquas Sedes, quas ipſe per Italiam ſeu Galliam, necnon & Germaniam tenebat, quia Deus Omnipotens has omnes ſedes in poteſtatem ejus conceſſit; ideo juſtum eis eſſe videbatur, ut ipſe cum Dei adjutorio, & univerſo Chriſtiano populo petente, ipſum nomen haberet.* Quorum petitionem ipſe Rex *Carolus denegare noluit, ſed cum omni humilitate ſubjectus Deo, & petitioni Sacerdotum, & univerſi Chriſtiani populi in ipſa Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti ipſum nomen Imperatoris cum conſecratione domni Leonis Papæ ſuſcepit.*

XIX. *Non transfert ſed renovat Imperium Occidentis.*

Hæc Annaliſtę Lambeciani verba videntur favere opinioni Baronii ſcribentis, translatum tunc fuiſſe à Leone III Imperium in Carolum; aut, ut Bellarminus lib. I de Translatione Imperii cap. 4 loquitur, translatum fuiſſe Occidentale Imperium à poteſtate Græcorum ad ditionem Francorum. Sed vox translationis rem geſtam non bene explicat, quia Irene Imperatrix Orientis nihil de jure ſuo aut amiſit, aut remiſit. Præterea Imperium Occidentale extinctum erat; ideoque in aliquem Principem transferri non poterat, ſed tantùm renovari; quod & reapſe præſtitit Leo, ut demonſtrant numiſmata Caroli, quæ adhuc ſuperſunt, in quibus legitur RENOVATIO IMPERII: quam renovationem rectè explicavit Sigonius lib. 4 de Regno Italiæ ad annum 801, ubi ſcribit: *Hunc dignitatis Imperatoriæ titulum, cùm in Momyllo Auguſtulo, ultimo Occidentis Imperatore, ante trecentos fermè annos ſub regnum Gothorum in Italia defeciſſet, in eodem Occidente Pontifex renovavit, ut haberet Eccleſia Romana adverſùs infideles, hæreticos, & ſeditioſos Tutorem, cujus officium repudiaſſe jampridem Imperator Orientis videretur.* Hęc ex Annotatore Baronii.

SEC. IX. LEO III.

XX. *Imperatores Occidentis à Pontificibus Rom. coronati.*

Porrò Carolus Magnus primus eſt ex Imperatoribus Occidentis, quem ſciamus à Romano Pontifice benedictum, licèt de Imperatoribus Orientis quidam ab Epiſcopis, & Juſtinus à Joanne Papa hujus nominis primo, coronati fuerint, ut in ejuſdem Joannis Vita jam diximus. Poſt Carolum Magnum ejus ſucceſſores coronati etiam fuere à Romanis Pontificibus; Ludovicus quidem Pius à Stephano IV; Lotharius ejus filius à Paſchali anno 823; & Ludovicus II Lotharii filius anno 850 à Leone IV, & poſt hos ejus ſucceſſores. Neque enim *Imperatoris* nomen ſibi aſſumere præſumebant Francorum Reges, antequam Romæ à ſummo Pontifice coronati, benedictique eſſent, quod teſtatur Ludovicus II Imperator ad Baſilium Græcorum Imperatorem ſcribens apud Ducheſnium Tomo 3 Hiſt Franc. *Francorum Principes*, inquit, *primò Reges, deinde verò Imperatores dicti ſunt, ii dumtaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc Oleo ſancto perfuſi ſunt.* Carolus item Calvus à Joanne VIII Imperii coronam accepit, ſicuti & Carolus Craſſus anno 880. Imperatores poſtea Germani triplici benedictione, triplicique corona impertiebantur, primâ argenteâ Aquiſgrani; tanquam Reges Alemanniæ; ſecundâ ferreâ, vel Modoëtiæ, vel Mediolani, ut Reges Longobardiæ; Tertiâ Romę, ut Imperatores. Quartam denique coronam Arelate dandam addit Codex Bigotianus, eaque ordine ſecunda novo Imperatori imponebatur. Quibus in locis, & quibus ritibus fierent hę benedictiones legere eſt apud Edmundum Martene lib. 2. de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 9.

XXI. *Imperatores Franc. Urbi dominantur ex conceſſione Pont. Rom.*

Quod ſpectat ad ſupremum Urbis dominium, illud remanſit penes Romanos Pontifices uſque ad annum octingenteſimum vigeſimum tertium, quo Paſchalis Papa hujus nominis primus illud conceſſit Lothario Imperatori. In ſupplemento enim Hiſtoriæ Pauli Diaconi, quod extat in corpore Francicæ Hiſtoriæ veteris, & ſinceræ, ad eum Chriſti annum legitur: *Lotharius Imperator primò ad Italiam venit, & diem ſanctum Paſcha Romæ fecit. Paſchalis quoque Apoſtolicus poteſtatem, quam priſci Imperatores habuere, ei ſuper populum Romanum conceſſit.* Quare Imperatores Franci præter defenſionem & protectionem Eccleſiæ, ſupremo dominio in Urbe potiti ſunt ex conceſſione Romanorum Pontificum, ad quod quorumdam Romanorum inſolentia eos adegit. Qua de re infra in eodem Paſchali, in Eugenio II, & in Leone IV. Sed hinc non diſcedam niſi prius monuero, Carolum Orientalium Imperatorum exemplo, ipſo die, quo Imperator acclamatus eſt, Conſulatum perpetuum capeſſiiſſe, quod con-

Digitized by Google

SÆC. IX. LEO III.

conſtat ex præfatione Legum ab eo Mutinæ datarum & directarum *cunctis Reip. per provinciam Italiæ præpoſitis anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti* 801, *indictione* 9, *anno Regni noſtri in Francia* 33, *in Italia* 38, *Conſulatûs autem noſtri primo*. à Carolum poſtea Ludovicus Pius & quidam alii ſucceſſores hac in re imitati ſunt. Præfationem hanc refert Signonius lib. 4 de Regno Italiæ ad annum 801.

XXII. *Leo PP. & Carolus Imp. victoriam de hoſtibus miraculosè reportant.*

Carolus Imperator *ordinatis Romanæ urbis & Apoſtolici, totiuſque Italiæ, non tantùm publicis, ſed etiam Eccleſiaſticis & privatis rebus* (*nam tota byeme non aliud fecit Imperator*,) *miſſaque iterum in Beneventanos expeditione cum Pippino filio ſuo, ipſe poſt Paſcha, VII Kalendas Maji Româ profectus Spoletum venit* anno octingenteſimo primo, inquit Annaliſta Loiſelianus. Ad illud tempus, quo Carolus Auguſtus Italiæ res componebat, Cointius in Annal. Eccleſiaſt. Franc. refert victoriam, quam Leo Papa, & Carolus ad Anſidoniam urbem Tuſciæ de ſuis hoſtibus inſigni miraculo reportarunt, ope Sancti Martyris Anaſtaſii, cujus corpus è Monaſterio prope Romam ad Aquas Salvias ſito delatum fuerat: *Adveniente ejus capite terræ motus venit ſuper noſtris inimicis, & terror apprebendit eos, & parietes irruerunt, inimici verò noſtri in noſtris manibus devenerant, & omnes interfecti fuerunt*, ut legitur in diplomate Leonis & Caroli, quod recitat Ughellus in Catalogo Epiſcoporum Oſtienſium, in Epiſc. XI. Tam illam victoriam, quàm miraculum refert Alexander IV. Papa in literis ad Abbatem, fratreſque monaſterii Sancti Anaſtaſii ab eodem Ughello ibidem recitatis, quibus confirmat eorum Eccleſiæ *civitatem Anſedoniæ cum omnibus Eccleſiis & pertinentiis ſuis olim ab Infidelibus & iniquis hominibus poſſeſſæ, ſed prætereà à memorato Carolo Imperatore, una cum præfato Leone prædeceſſore noſtro meritis & auxiliis B. Anaſtaſii Martyris, ejuſdem capitis oſtenſione, devictam & deſtructam; propter quam victoriam Eccleſiæ ſuæ prædicti Martyris præfatas poſſeſſiones donavit*, inquit Alexander.

XXIII. *Leo PP. Litaniam Gallicanam Romæ conſtituit celebrandam.*

Dum Carolus Imperator Spoleti adhuc degeret, pridie Kalendas Maii, horâ noctis ſecundâ, terræ motus adeò vehemens fuit per totam Italiam, ut in quibuſdam locis urbes ruerent & montes, & tectum Baſilicæ beati Pauli Apoſtoli Romæ cum trabibus ſuis magna ex parte decideret. Sigonius lib. 4 de Regno Italiæ ad annum 801 refert, ob id inſtitutum eſſe à Leone, ut præcedentibus tribus Aſcenſionem diebus, ſupplicationes ad diverſa templa haberentur: quam rem Mamertus Epiſcopus Viennenſis, in Eccleſiam ſuam primus ſæculo quinto intulerat, ſeque pariter ingentis quondam terræ motûs periculo liberaverat. In libro de Vitis Pontificum Romanorum, qui nomine Luitprandi Diaconi circumfertur, & Auctorem Sæculo nono exeunte Monachum Germanum habuiſſe creditur, cap. 98, Leo III dicitur conſtituiſſe, *ut tres dies ante Dominicam Aſcenſionem Litaniæ celebrarentur*. Mamerti rogationes, quæ Domini Aſcenſionem antecedunt *Litania Gallicana* appellatæ ſunt, quia earum inſtitutio à Gallia; dictæ ſunt etiam *Litania minor*, ut hæc à majori, quæ VII Kalendas Maii celebratur, diſtingueretur. Loquitur de hoc terræ motu, de reparato tecto Eccleſiæ S. Pauli Romæ, & de inſtitutione rogationum per Leonem Papam Frodoardus in fragmento de Pontificibus Romanis apud Mabillonium Sæculo III Benedictino parte II:

Pauli tecta ſoli ſubitò collapſa tremore
In melius revocat, cultuque reformat honeſto.
Hæc & multa ſubhinc numeroſis dotibus augens,
Jura precum cumulat, ſervandaque Gallica tradit
Adſcendens iter domini præeuntia vota.

XXIV. *Legatis Cpolim miſit pro conjugio Irenæ Augustæ cum Carolo Imp.*

Leo Pontifex cùm coronam impoſuit Carolo, ſperavit ei facilius nupturam Irenem Orientis Imperatricem, ſi prius Imperatorem Romæ coronatum reſciret, quod quanto Chriſtianæ Reipublicæ foret emolumento, nemo non intelligebat. Eam in rem Legatis Caroli Conſtantinopolim proficiſcentibus ſuos adjunxit: *Francorum Rex Carolus*, inquit Theophanes ad annum Incarnationis ſecundùm Alexandrinos 793, qui Kalendis Septembris anni Chriſti 800 renovatur, *à Leone Papa coronatus eſt: Siciliamque claſſe adoriri meditatus, conſilium mutavit, cum Irene conjugium & pacem contrahere animo gerens, cujus gratia inſequente anno, indictione nimirùm decima, Legatos deſtinavit*. Tum anno Incarnationis ſecundùm Alexandrinos 794: *Apocriſarii à Carolo, & à Leone Papa miſſi Irenem Carolo matrimonio conjungendam, atque ita Orientis, & Occidentis Imperia in unum componenda poſtulantes advenerunt; quibus ipſa aſſenſura erat, ſi non Aëtius, ipſe poſt Imperatricem, ut ſæpè memoravimus, cuncta adminiſtrans, & Imperium in fratrem transferre meditatus, ejus conſiliis oppoſuiſſet*. Quare hæc Legatio irrita fuit, præſertim quia, ut prodit idem Theophanes ad annum 795, qui incipit die prima Septembris anni 802, Nicephorus Patricius *menſis Octobris die triceſimo primo, indictione undecima*, Imperium Orientis uſurpavit, & Irenem *in Principis inſulam, in Monaſterium ab ipſa ædificatum, Caroli Legatis adhuc in Urbe agentibus, & quæ gerebantur ſpectantibus, relegavit*. Legati Caroli Conſtantinopoli redierunt anno 803 cum Legatis Nicephori Imperatoris,

Digitized by Google

peratoris, qui Carolum in Germania adierunt, *& pactum faciendæ pacis in Chriſto ſuſceperunt. Inde dimiſſi cum Epiſtola Imperatoris Romam venerunt: inde Conſtantinopolim regreſſi ſunt*, inquit Annaliſta Metenſis ad annum 803.

XXV. *Fortunato Patriarchæ Gradenſi Pallium mittit.*

Cùm Joannes Patriarcha Gradenſis anno octingenteſimo ſecundo ex altiſsima turri præcipitatus fuiſset à Joanne Venetorum Duce, quòd Chriſtophorum hominem Græcum, invitis Venetiarum Tribunis à ſe Epiſcopum Olivolenſem conſtitutum conſecrare noluiſset, eidem Joanni Patriarchæ, ſtudio eorundem Tribunorum Venetorum ſuffectus eſt Fortunatus ejus propinquus, cui anno ſequenti octingenteſimo tertio Leo Papa Pallium miſit literis ab Ughello Tomo 5 Italiæ ſacræ recitatis, quæ dicuntur ſcriptæ *per manum Benedicti Notarii & Scrinarii S. R. E. in menſe Martio, Indict. 11 . . . . . datum 12 Kalend. Aprilis per manum Euſtachii Primicerii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, imperante noſtro Domino Carolo piiſſimo Auguſto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatore anno tertio, indict. 11.* Qui caracteres conveniunt cum anno 803. Anno poſtea 804 Leo Papa in Francia exiſtens cum Carolo egit de Epiſcopis Iſtriæ, qui Patriarchæ Forojulienſi tunc ſubmittebantur; & ſtatutum eſt, ut ad Gradenſem redirent provinciam, è qua fuerant ab annis tantùm aliquot avulſi, poſtquam Iſtris dominari cæperant Franci; quod conſtat tum ex reſcripto Caroli, ea de re dato, & à Sigonio relato, tum ex Epiſtola Leonis ad Carolum in Collectione Conciliorum Labbei ordine 11. Fortunato tandem anno 806 Sede ſua pulſo, Carolus à Leone Papa petiit, ut Polanam Eccleſiam interpontificio laborantem, quæ priuſquam Iſtriæ civitates in poteſtatem Francorum devenirent, ad diœceſim, ſeu provinciam Gradenſem pertinebat, regeret, donec Eccleſiæ Gradenſi reſtitueretur. Annuit Leo Papa, ſed ea lege, ut Eccleſiæ Polanæ nihil jurium facultatumque ſubtraheretur. Qua de re legenda laudata Leonis Epiſtola ordine 11 ad Carolum Imperatorem.

XXVI. *In Franciam pergit, & Romam redit.*

Anno octingenteſimo quarto fama ſparſa eſt, repertam Mantuæ ſpongiam ſanguine Chriſti imbutam, à Longino olim defoſſam, eamque multis editis miraculis, omnium Chriſtianorum pectora incredibili Religione perfundere. Quare Carolus Imperator Leonem Pontificem per literas obſecravit, ut rei veritatem perquireret, & compertam ſibi ſignificaret. Ob id Leo Romà circa menſem Novembrem egreſsus Mantuam venit, cùmque hauſiſset oculis admirabilis Reliquiæ veritatem, ſcripſit ad Carolum cupere ſe illum convenire, & cum eo Dominica Natalitia celebrare. *Medio Novembris nunciatum eſt ei*, inquit Annaliſta Metenſis, *Leonem Papam Natalem Domini cum eo celebrare velle ubicumque illi placuiſſet. Quod Rex gratanter ſuſcepit, & ſtatim miſſo filio ſuo Carolo* (Neuſtriæ Rege ſecundùm Chronicon San-Dionyſianum) *ad ſanctum Mauricium, eum ſuſcipere honorificè præcepit. Ipſe verò obviam illi apud Remorum civitatem in Baſilica beati Remigii Epiſcopi & Confeſſoris profectus eſt: ibique ſuſceptum, ad Cariſiacum uſque perductum, cum eo Natalem Domini celebravit. Inde pariter proficiſcentes pervenerunt ad Sueſſionis civitatem, in qua dimiſſo Papa, ad colloquium Germanæ ſuæ Giſlæ, quæ in his diebus ægrotabat, ad Calam Monaſterium pervenit. Fruituſque ejus colloquio, ad Cariſiacum villam Leonem Papam, quem apud S. Medardum dereliquerat, ſibi obviam venire fecit. Deinde Aquis perduxit, & honoratum magnis muneribus per Bajoariam ire volentem, à ſuis duci fecit uſque Ravennam.* Refert poſtea hic Annaliſta cauſam adventûs Leonis jam memoratam.

XXVII. *Mantuam Epiſcopali ſ[illegible]*

Cariſiaci itaque, cujus ſitum in Stephano II explicavimus, Leo Papa, & Carolus Imperator Natalem Domini celebrarunt, ſimulque manſerunt dies octo, ut alii Francorum Annaliſtæ narrant; deinde Aquiſgranum contenderunt, indeque Leo Romam rediit anno octingenteſimo quinto. Licèt autem Auctores illi ſcribant, *Chriſti ſanguinem in Mantua Civitate repertum fuiſſe*, certum illis temporibus Mantuam titulo civitatis, & Sede Epiſcopali caruiſse, eique tunc primùm Leonem III Epiſcopalem dignitatem attribuiſse, ejuſque Præſulem Aquilejenſi Patriarchæ voluiſse ſuffragari, ut inquit Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ in Epiſcopis Mantuanis.

XXVIII. *Non canonizavit S. Suidbertum.*

Baronius ex Epiſtola Sancti Ludgeri Epiſcopi Monaſterienſis, de qua in Stephano II locuti ſumus, deducit Leonem III anno octingenteſimo quarto in Germania exiſtentem, ſanctum Suidbertum in Catalogum Sanctorum retuliſſe. Sed tota illa narratio, & Vita Sancti Suidberti, poſteriorum commentum eſt, ut Henſchenius ad diem 26 menſis Martii in Vita S. Ludgeri, & Mabillonius Sæculo III Benedictino parte I in Elogio Hiſtorico S. Svidberti demonſtrarunt. Certè Leo non potuit, pridie nonas Septembris Werdæ in Germania hunc ſanctum canonizare, præſente Carolo Imperatore, cùm conſtet hunc medio tantùm menſe Novembri, de adventu Leonis edoctum fuiſſe. Deinde, ut inquit Morinus in Commentario de adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ lib. 10 cap. 20, Sancti Suidberti in Sanctorum numerum relatio, eo modo & ordine enarratur, quo nunc, & ab annis quadringentis celebrari ſolet. Certum eſt autem hanc celebrationem cæpiſse trecentis poſt Leonem III annis, & amplius. Tertiò, Auctor iſtius Epiſtolæ ſæpius recitat Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales, &

Vu 2 Pro-

Digitized by Google

Proceres Pontifici aſsidentes, ſed ſemper primo loco Cardinales collocat, contra morem illius temporis & ſequentium ſæculorum. Quarto, commemorat cap. 12 Severinum quendam patrem familias, adoleſcentem filium, propter morbum, à ſtudio Bononienſi revocaſſe: quaſi verò, regnante Carolo Magno Bononiæ literarum ſtudia floruerint, & eò ex variis provinciis confluerent adoleſcentes. Ita quidem vivente Gregorio IX, qui Decretalium compilationem ad Doctores, Scholareſque Bononienſes direxit. Plura alia ſunt ſuppoſititionis argumenta, apud Auctores laudatos legenda. Sed quod ait Morinus loco citato, primum, quem perhibent antiqua documenta ſolemniter à Pontificibus Romanis canonizatum fuiſſe Hugonem Gratianopolitanum Epiſcopum; ſecundum verò Sanctum Bernardum, ſubſiſtere non poteſt; in Pontificatu enim Joannis XV oſtendemus, hunc Pontificem anno 993 Sanctum Udalricum Epiſcop. Auguſtanum in Sanctorum album ſolemniter retuliſſe, & poſtea ſuis locis inſigniores ante Innocentium II, qui dictum Sanctum Hugonem inter Sanctos celebrari præcepit, canonizationes referemus.

XXIX. *Subſcribit diviſioni regni factæ à Carolo Imp.*

Carolus Imperator de conſtituenda & conſervanda pace inter filios ſuos ſolicitus, regnum ſuum in tres partes diviſit, *ut ſciret unuſquiſque illorum, quam partem tueri & regere debuiſſet, ſi ſuperſtes illi eveniret*, inquit Eginhardus in Annalibus ad annum 806, ubi ſubdit: *De hac partitione eſt teſtamentum factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & conſtitutiones cauſâ conſervandæ pacis factæ: atque hæc omnia literis mandata ſunt, & Leoni Papæ, ut his ſua manu ſubſcriberet, per Einhardum miſſa. Quibus Pontifex lectis aſſenſum præbuit, & propria manu ſubſcripſit.* Hanc porrò regnorum Caroli diviſionem dubiæ fidei non eſſe probat Baluzius Tomo II Capitularium Regum Franc. pag. 1068, cui ſuffragatur Cointius in Annalibus Eccleſiaſt. Franc. aliique paſsim Eruditi. Facta autem eſt *anno 806 ab Incarnatione Domini, Indictione 14, anno 38, regnante Karolo Imperatore, 8 Idus Februarii die Veneris*, ut oſtendit Mabillonius Tomo 4 Analect. pag. 34 Itineris Germanici.

XXX. *Eardulfum Northumbriæ Regem in regnum reſtituit.*

Eardulfum Northumbrorum in inſula Britanniæ Regem, qui anno ſeptingenteſimo nonageſimo ſexto Ethelredo in regnum ſucceſserat, Northumbri pertæſi, Alfuvoldum anno octingenteſimo octavo Regem elegére. Eardulfus regno pulſus ad Carolum Imperatorem in Germaniam trajecit, indeque Romam profectus, cauſam ſuam Leoni Papæ permiſit, qui intellecto, quòd populi ſuffragio quondàm Rex electus, ab Eanbaldo Archiepiſcopo Eboracenſi, & tribus aliis conſecratus in Regem fuiſset, eum regno reſtituit, miſſis hanc in rem in Britanniam à ſuo latere Nunciis, ut teſtatur Eginhardus in Annalibus: *Interea*, inquit, *Rex Norddanhumbrorum de Britannia inſula, nomine Eardulfus, regno & patria pulſus, ad Imperatorem, dum adhuc Noviomagi moraretur, venit; & patefacto adventûs ſui negotio, Romam proficiſcitur: Româque rediens per Legatos Romani Pontificis, & domini Imperatoris in regnum ſuum reſtituitur. Præerat tunc temporis Eccleſiæ Romanæ Leo III, cujus Legatus ad Britanniam directus eſt Adulfus Diaconus de ipſa Britannia, natione Saxo*, &c. Annum rei geſtæ nos edocet Weſtmonaſterienſis, ſcilicet annum octingenteſimum octavum.

XXXI. *In Aquiſgranenſi Concilio agitatur quæſtio de Spiritus Sancti proceſsione.*

Anno octingenteſimo nono, menſe Novembri Carolus Imperator Aquiſgrani Concilium celebravit, in quo, ut ait Ado in Chronico, *de proceſſione Spiritûs Sancti quæſtio agitatur utrum ſicut procedit à Patre, ita procedat à Filio*. Idem etiam teſtantur Eginhardus in Annalibus, cæterique Francorum Annaliſtæ, ac Theodulphus ipſe Aurelianenſis Epiſcopus, qui, juſsu Caroli Magni, cùm quæſtio de proceſsione Spiritûs Sancti agitari cœpit, libellum de ea materia compoſuit, in quo varia profert teſtimonia, quibus aſſerit Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere, quod & oſtendit Carolus Magnus in literis, quas poſt Concilium ad Leonem Papam ſcripſit, quaſque primùm publicavit Holſtenius; in iis enim totus eſt in conglobandis auctoritatibus ex utroque Teſtamento, & ex authenticis Patrum ſcriptis, ut quamplurimis teſtimoniis oſtendat de Spiritu Sancto, quòd non à Patre tantùm, ſed à Patre & Filio procedat. Ex quibus patet deceptum eſſe Baronium, quando ſcripſit, *non dubitatum vel tractatum in Aquiſgranenſi Concilio, num Spiritus Sanctus à Patre Filioque procederet, ſed quòd cùm apud Hiſpanos, tum apud Gallos additæ fuerunt ſymbolo quatuor illæ ſyllabæ FILIOQUE, num id bene factum eſſet, ut & ita auctum ſymbolum in Eccleſia caneretur*. Prædicti enim Auctores, & Carolus Imperator in laudatis literis, licèt benè prolixis, ne verbum quidem habent de ſymbolo vel canendo, vel non canendo.

XXXII. *Leo PP. non probat additamentum Symbolo factum.*

Illius quæſtionis definiendæ cauſa Bernharius Epiſcop. Wormacienſis & Adhalardus Abbas Corbejenſis Romam ad Leonem Papam miſsi ſunt, quorum collocutio cum Romano Pontifice anno octingenteſimo decimo habita recitatur à Baronio anno 809. Finis diſputationis hic fuit. Symbolum cum additamento, *Filioque*, quod ei Romana Eccleſia nondum inſeruerat, à Francis decantari moleſtè ferebat Leo; tamen id deinceps fieri non prohibuit abſolutè, ſed rogavit hanc in Palatio, ſive in Regia Capella

pella

Digitized by Google

SÆC. IX. LEO III. pella conſuetudinem intermitti, ratus fore, ut morem Palatii lubenter omnis poſtea ſequeretur Francia. Ipſe autem, ut antiquitatis tenaciſsimum ſe præberet, & ne Græcos alienaret, in Baſilica Sancti Petri duas Tabulas argenteas ad Confeſsionem ejuſdem S. Petri affigendas prudenter curavit, in quarum altera Symbolum Græcè ſcriptum, in altera Latinè exaratum legeretur, utrobique ſine hoc additamento, *Filioque*. Meminit illarum Tabularum Anaſtaſius in Leone: putabat enim Leo, ut ex laudata collocutione, quam cum Francorum Legatis habuit, conſtat, minimè neceſsarium eſſe, ut omnia fidei dogmata Symbolo infererentur. Poſteà tamen Romanorum Pontificum decreto, hoc ipſum additamentum receptum fuit, ut oſtendit Baronius anno 883, ad retundendam Schiſmaticorum pervicaciam, qui Catholicum dogma de proceſsione Spiritûs Sancti à Patre & Filio impugnabant. quo tempore cœperit in publica Miſsarum celebratione cantari Symbolum, dicetur in Benedicto VIII.

XXXIII. *Synodicas S. Nicephori Patriarchæ CP. recipit.* Cùm Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus anno octingenteſimo ſexto mortem obiiſſet, Sanctus Nicephorus die duodecima menſis Aprilis ejuſdem anni in ejus locum ſubrogatus eſt, licèt invitus & reluctans. De eo in Synodo Generali ſeptima locuti ſumus, tunc enim erat à ſecretis Imperatoribus Conſtantino & Irene. Nicephorus Patriarcha ordinatus anno tantùm octingenteſimo undecimo Synodicas literas miſit, *antea quippe hoc faciendi prohibebatur à Nicephoro Imperatore*, ut ſcribit Theophanes. Simul ac igitur liberum fuit eidem Patriarchæ, quod ipſo ſuæ creationis exordio facere tenebatur, id præſtitit, literaſque ſcripſit ad Leonem Papam per Michaelem Epiſcopum Sinnaculorum, in quibus docet, quòd vitæ genus, antequam Epiſcopus crearetur, ſectatus fuerit; tum qua ratione, & occaſione ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum evectus ſit. His ſubnectit ſuam, ſuæque Eccleſiæ Confeſsionem, qua declarat, ſe ab omnibus erroribus alienum eſſe, qui vel Conſtantinopoli, vel alibi aliquando extiterunt; atque ita in omnibus, & per omnia ſeſe complecti Romanæ Eccleſiæ, ut quæ reliquarum mater ſit, fidem. Denique ſeſe excuſat, quòd juſto tardius ad Romanum Pontificem ſcripſerit, ſuæque fidei rationem reddiderit. Cum eâ Synodica Nicephorus, munera ad Leonem Papam miſit, inter quæ fuit *encolpium*, de quo Anaſtaſius ad Actionem quintam Synodi octavæ; *Crucem cum pretioſo ligno, vel cum Reliquiis Sanctorum ante pectus portare ſuſpenſum ad collum, hoc eſt quod vocatur encolpium*. De hujuſmodi encolpiis legendus Ducangius ad Alexiadem Annæ Comnenæ pag. 247, & ſeq.

Anno Leonis Papæ 19, Chriſti 814, Carolus Imperator, menſe Januario, cùm Aquiſgrani hyemaret, valida febre correptus eſt, & accedente ad febrem lateris dolore, deceſsit *anno ætatis 72, & ex quo regnare cœperat 47, 5 Kalendas Februarij hora diei tertia*, inquit Eginhardus in ejus Vita. Ludovicus ejus filius & ſucceſsor cùm primum teſtamentum Patris inſpexiſset, mandatis ejus inſiſtens, menſam argenteam, quæ formâ quadrangulâ deſcriptionem urbis Conſtantinopolitanæ complectebatur, Baſilicæ beati Petri, & aliam, quæ rotunda Romanæ urbis effigiem exprimebat, Eccleſiæ Ravennati largitus eſt. Tum Legatos ad Leonem Papam deſtinavit, per quos ſe imitatione patris Eccleſiæ Romanæ perpetuum fore defenſorem oſtendit. SÆC. IX. LEO III. XXXIV. *Carolus Imp. moritur.*

Carolo Imperatore ex humanis rebus ſubtracto, cujus metu omnis facilè in officio continebatur Italia, Principes Romani rursùs conjurationem adversùs Leonem Pontificem fecerunt. Quà re ad Ludovicum Pium Imperatorem delata, anno 815 Bernardum Italiæ Regem, Pippini quondàm fratris filium, primo quoque tempore in Italiam ire, & rem compertam ſibi ſignificare præcepit. Bernardus Romam profectus, cuncta ingenti ſolertiâ inquiſivit, & quæ comperit, per Geroldum Comitem ad Ludovicum omnia detulit: quem Legati Leonis Papæ Joannes Epiſcopus Sylvæ Candidæ, Theodorus Nomenclator, & Sergius Dux ſubſecuti, Ludovico de omnibus criminibus, quibus Leo onerabatur, ſatisfecerunt. Interim Leo vehementiſſimè ægrotavit: Quod ut Romani inimici ejus ſenſerunt, omnes villas nuper ab eo ſingularum Civitatum in agris conſtructas invaſerunt, ac diripuerunt, Romamque profecti ſunt, ut quæ ſibi per vim erepta querebantur, reciperent. Quam in rem Auctor Vitæ Ludovici Pii, Aſtronomus vulgò dictus, hæc ſcribit: *Eadem tempeſtate, Romani, cùm Leo Apoſtolicus gravaretur adverſo incommodo, prædia omnia, quæ illi domocultas appellant, & noviter ab eodem Apoſtolico inſtituta erant; ſed & ea, quæ ſibi contra jus querebantur direpta, nullo Judice expectato, diripere, & ſibi conati ſunt reſtituere. Quorum cœptis reſtitit Bernardus Rex per Winigiſum Ducem Spoleti, certumque rerum nuncium de his omnibus direxit ad Imperatorem*. Eginhardus laudatus hæc omnia fuſiùs narrat. Porrò *Domoculta*, vel domus culta, ſignificat prædium, domo ad commanendum colonis, apta inſtructum, quod Gallicè *Ferme* vocamus, ut variis exemplis oſtendit Ducangius in Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis. XXXV. *Carolo Imp. mortuo Romani in Leonem PP. tumultuantur.*

Poſtero anno octingenteſimo decimo ſexto Leo morbi diuturnitate confectus, *Poſtquam Sedem Romanam & Apoſtolicam* XXXVI. *Leo PP. ad Deum tranſit.*

annos

SÆC. IX. LEO III. *annos viginti, menſes quinque, & dies ſedecim glorioſiſſimè rexit, ex hac luce ſubtractus, ad æternam migravit requiem*, inquit Anaſtaſius, qui paulò poſt ſubdit: *Sepultus verò eſt in Baſilica beati Petri Apoſtoli pridie Idus Junii, Indictione nona, & ceſſavit Epiſcopatus dies decem*. Cùm itaque Leo ordinatus fuerit die 27 menſis Decembris anni 795, ejus mors die undecima menſis Junii anni octingenteſimi decimi ſexti contigit, & Anaſtaſius non diem mortis, ſed ſepulturæ notavit. Ex quo patet erraſſe eos, qui Leonem, vel *octavo Kalendas Junii*, vel *quinto Kalendas Junii* de corpore migraſſe ſcripſerunt.

XXXVII. *Inter Sanctos numeratur.* Alemannus in diſſertatione de Parietinis Lateranenſibus cap. 10 de hoc ſancto Pontifice ſcribit: „ Virum Deo gratum „ Majores adeò venerati ſunt, ut ad ejus „ monumentum aram Deo, (quem cultum antiquitus iis tantùm, qui in ſanctorum numerum adſcribebantur, adſcribere fas fuit) in ſacra Vaticana Petri Baſilica extruxerint, & cum ſanctitate patribus Leone I, II, & IV, uno in loco eum „ condi, colique voluerint, quod à Paſchali II inſcriptus lapidi titulus hic docet: *Sub hoc Altare ſunt corpora SS. Leonum I, II, III, & IV Pontificum & Confeſſorum*. In Martyrologio tamen Romano, nulla fit Leonis tertii memoria, licèt alii tres eidem inſcribantur. At elevatum, & translatum corpus ejus cum Sanctorum Leonis primi, ſecundi, & quarti corporibus à Paulo Papa quinto, diximus in Leone primo.

XXXVIII. *Plures Miſſas eodem die ſæpius celebrabat.* Hic Pontifex cùm eſſet graviſſimis afflictionibus & perſecutionibus vexatus, ad implorandum divinum auxilium, frequentiorem adhibebat Miſſarum celebrationem. Walafridus enim Strabo in libro de rebus Eccleſiaſticis cap. 21 refert, ſe fidelium relatione accepiſſe, *Leonem Papam, ſicut ipſe fatebatur, una die ſepties vel novies Miſſarum ſolemnia ſæpius celebraſſe. Bonifacium verò Archiepiſcopum & Martyrem ſemel tantùm per diem Miſſas feciſſe, qui & non longe ante noſtra fuerunt tempora, & ambo tam ſcientia quàm gradu præcipui*. Narrat poſtea diverſitatem ea de re inter Sacerdotes non minimam obtinuiſſe, *quia eſt talis*, inquit, *qui ſemel tantùm in diem Miſſam celebrare velit, nimirùm credentes idem myſterium paſſionis Chriſti cunctarum neceſſitatum eſſe generale ſubſidium. Alius verò bis, ter, vel quoties libet, eadem myſteria in die iterare congruum putat, credentes tantò amplius Deum ad miſericordiam flecti, quantò crebrius paſſio Chriſti commemoratur*. Plura exempla refert Cardinalis Bona lib. 1 de rebus Liturgicis cap. 18 num. 5, quæ evincunt, plures Sanctos poſt Leonem III, nulla etiam urgente neceſſitate, pluries in die ſacrificium obtuliſſe, ex ſola Sacerdotis devotione, quia nimirùm ſic ferebat illorum temporum uſus, qui abrogatus eſt ab Alexandro II, ut in ejus Vita oſtendetur. De variis ædificiis à Leone III conſtructis, variiſque ornamentis ab eo Eccleſiis urbis Romæ donatis legendus Anaſtaſius. SÆC. IX. LEO III.

XXXIX. *Mutatio ſiniſtræ in dexteram, ut honoratiorem, facta ſub Leone III.* Sub Pontificatu Sancti Silveſtri, loquentes de Concilio œcumenico Nicæno primo, obſervavimus, ſiniſtram in Synodis honoratiorem fuiſſe dexterâ, & extare bullas plumbeas nongentorum circiter annorum, in quibus ſunt expreſſæ Imagines Apoſtolorum Petri & Pauli, Paulo ad dexteram Petri collocato, nullamque in hoc mutationem factam eſſe ante Leonem III, cujus tempore, ut refert Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico, ex Joanne Lucio, in antiquis Eccleſiis Romæ ſuperſtitibus, inter Imagines ſacras operis muſivi tunc confectas, digniorem locum obtinere cœperunt eæ, quæ à dextris ſitæ ſunt: poſteriores autem Leone III denuò, antiquo more, pro digniori ſiniſtram habuiſſe; ſicque continuatum eſſe uſque ad Pontificatum Nicolai IV anno 1288 electi, cujus tempore iterum locus dignior dextræ delatus eſt, & ab inde continuatus uſque ad hodiernum diem. Sed ibidem Papebrochius obſervat Ciaconium in Urbano II, ducentis ante Nicolaum IV annis, exorſum eſſe repræſentare ſigilla Pontificum, in quibus Sancti Petri Imago à dextris ponitur, Sancti Pauli à ſiniſtris, ex quibus apparet mutationes ſubinde hac in re factas, & longè ante Nicolaum IV dexteram fuiſſe honoratiorem ſiniſtra. Certè anno 1047, ſedente Clemente II dexteram fuiſſe digniorem ſiniſtra, colligo ex ejus literis Tomo 9 Concil. pag. 1252 relatis, & in Synodo Romana datis, quibus dexteram ut honoratiorem tribuit Archiepiſcopo Ravennatenſi, quàm Archiepiſcopus Mediolanenſis, & Patriarcha Aquilejenſis ſibi deberi contendebant; qua de re vide dicenda in eodem Clemente II num. 4, ideoque etiam ante Urbanum II dextera erat honoratior ſiniſtrâ. Urbanus tamen V, qui ſedere cœpit anno 1362, referente eodem Papebrochio, capita Apoſtolorum Petri & Pauli invenit, eaque collocavit in tabernaculo, ſeu ciborio marmoreo ſuper Altare ligneo, quod etiamnum in Baſilica Lateranenſi aſſervatur, ut ſcribit Carolus Macri in Additionibus ad Hierolexicon Dominici fratris, verbo *Bulla*, ubi notat Paulum collocatum eſſe à dextris Petri. Joſephus verò Maria Soreſinus Lateranenſis Baſilicæ Presbyter nuper libellum edidit, in quo pag. 47 exhibet Breve, ſeu Bullam ejuſdem Urbani V illorum capitum conſervationi proſpicientis, hocque diſtichon pendenti Bulla inſcriptum eſſe ait:

Digitized by Google

Cedit Apoſtolicus Princeps tibi, Paule: vocaris
Nam dextræ natus, vas, Tuba clara Deo.

Ex quibus verbis deducitur ante Urbanum V dexteram fuiſſe digniorem ſiniſtra, cùm hic Pontifex dicat, Petrum Apoſtolorum Principem dexteram Paulo cedere. Sed ex hoc nihil inferri poteſt contra mox dicta.

STEPHANUS IV, aliis V *Pontif. XCIX.*

Anno Domini DCCCXVI.

I. *Stephanus IV ſuccedit Leoni III.*

POſtquam Sedes Romana diebus decem vacaſset, ut ait Anaſtaſius in Leone III, Stephanus IV, aliis V, patria Romanus, ex patre Marino, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus, conſecratus eſt Pontifex Romanus die vigeſima ſecunda menſis Junii ejuſdem anni octingenteſimi decimi ſexti, quæ Dominicalis erat. Stephanus nobili proſapiâ, atque præclariſſimo genere ortus, in Patriarchio Lateranenſi ſub Hadriano Papa, à primæva ætate educatus fuerat. Subdiaconus poſtea factus eſt à Leone III, tandemque Diaconus, eoque mortuo ad Summi Pontificatûs culmen à populo Romano evectus eſt, & in Eccleſia beati Petri Apoſtoli conſecratus, ut ſcribit Anaſtaſius.

II. *Romanos fidelitatem Ludovico Imp. jurare jubet.*

Stephanus ſtatim, poſtquam Pontificatum ſuſcepit, juſſit omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico: & dirigens Legatos ſuos ad ſupradictum Principem, nunciavit ei, ut libenter eum videre voluiſſet, in loco ubicumque ſibi placuiſſet, inquit Theganus Trevirenſis Chorepiſcopus. Cauſam ejus profectionis in Franciam adducit Anaſtaſius, dicens eum *pro confirmanda pace & unitate Sanctæ Dei Eccleſiæ, Franciæ iter* arripuiſſe *ad piiſſimum & sereniſſimum dominum Ludovicum Imperatorem.*

III. *In Franciam venit.*

Româ autem diſceſſit Stephanus circa medium menſis Auguſti ejuſdem anni octingenteſimi decimi ſexti, cùm Eginhardus in Annalibus, & Auctor Vitæ Ludovici Pii, *nondum duobus poſt conſecrationem ſuam exactis menſibus*, ad Imperatorem eum venire contendiſse aſſerant. *Nondum duobus poſt conſecrationem ſuam exactis menſibus,* inquit Eginhardus, *quàm maximis poterat itineribus ad Imperatorem venire contendit: miſſis interim duobus Legatis, qui quaſi pro ſua conſecratione Imperatori ſuggererent. Quod ubi Imperator audivit, Remis ei ſtatuit occurrere, miſſiſque obviam his, qui eum illò deducerent, adventum ejus præveniens, cum magno eum ibidem honore ſuſcepit.* Auctor Vitæ Ludovici Pii, quinam fuerint hi Legati nos edocet: *Stephanus poſt ſui conſecrationem ad Dominum Imperatorem venire non diſtulit. Vix enim duobus exactis menſibus, ſumma cum feſtinatione ei occurrere feſtinavit. Præmiſit tamen legationem, quæ ſuper ordinatione ejus Imperatori ſatisfaceret. Imperator autem ejus adventu præcognito, Bernardo quidem nepoti* (Italiæ Regi) *eum comitari juſſit. Sed & appropinquanti alios Miſſos, qui eum debito honore perducerent, direxit. Ipſe autem adventum ejus Remis ſuſtinere ſtatuit. Cui etiam obviam Hildebaldum Archicapellanum ſacri palatii, Theodulfum Epiſcopum Aurelianenſem, Joannem Arelatenſem* [non Attrebatenſem, ut habet Baronius] *aliorumque Miniſtrorum Eccleſiæ copiam præcedere juſſit Infulis indutos Sacerdotalibus.*

IV. *Quomodo exceptus à Ludovico Rege.*

Quo honore, & qua reverentiâ Ludovicus Imperator Summum Pontificem Stephanum exceperit Theganus his verbis narrat: *perrexit poſt Miſſum dominus Ludovicus obviam ſupradicto Pontifici, obvians ei in campo magno Remenſium. Deſcendit uterque de equo ſuo, et Princeps ſe proſternens omni corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, & tertia vice erectus ſalutavit Pontificem iſtis verbis dicens*: Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis. *Et reſpondens Pontifex*: Benedictus ſit Dominus Deus noſter, qui tribuit oculis noſtris ſecundum David Regem videre. *Amplexantes enim ſe, & oſculantes pacificè perrexerunt ad Eccleſiam, qui cùm diù oraverunt, erexit ſe Pontifex, & excelſa voce cum Clero ſuo fecit ei laudes regales. Poſtea Pontifex honoravit eum magnis honoribus & multis, & Reginam Irmingardam, & omnes Optimates, & Miniſtros ejus.*

V. *Ludovicum Regem & Irmingardam coronat Impp.*

Et in proxima Dominica, proſequitur idem Auctor, *ante Miſſarum ſolemnia coram Clero & omni populo conſecravit eum, & unxit ad Imperatorem, & coronam auream miræ pulchritudinis, & pretioſiſſimis gemmis ornatam, quam ſecum apportaverat, poſuit ſuper caput ejus, & Irmingardam Reginam appellavit Auguſtam, & poſuit coronam auream ſuper caput ejus. Quandiù ibi erat beatiſſimus Papa, quotidie colloquium habebat de utilitate Sanctæ Dei Eccleſiæ. Poſt quod Dominus Imperator eum honoravit magnis & innumeris donis tripliciter & amplius quàm ſuſcepiſſet ab eo, ſicut ſemper ſolebat agere, magis dare quàm accipere.*

VI. *Pallium dat Theodulpho Epiſcopo Aurelian.*

Stephanus Papa priuſquam Remis digrederetur, Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo Pallium conceſſit, unde illud diſtichon

Digitized by Google

chon ejuſdem Theodulphi in Carmine ad Modoinum Epiſcopum Auguſtodunenſem, quod quintum eſt libri 4.

Solius illud opus Romani Pontificis extat,
Cujus ego accepi Pallia Sancta manu.

Theodulphus accepto Pallio deinceps Archiepiſcopus Aurelianenſis dictus reperitur in diplomatibus Ludovici Pii anno 816 à Cointio in Annal. Eccleſiaſt. Franc. recitatis. Porrò licèt pallium ſolis Archiepiſcopis tribui ſoleat, non deſunt tamen exempla, quæ oſtendunt, illud ante & poſt Theodulphi tempora Epiſcopis eſſe conceſſum. Qua de re vide dicta in S. Marco, & in S. Gregorio Magno.

VII. *Exules pro cauſa Leonis III Romam reducti.*

Antequam Stephanus Papa Romam rediret, ad imitationem Salvatoris noſtri, qui etiam inimicis pepercit, à Ludovico Imperatore impetravit, ut exulibus omnibus, & captivis, quos ſceleris in Leonem III deceſſorem convictos Carolus Magnus Imperator mulctaverat, redire ad urbem Romam liceret, ipſoſque Romam reduxit, teſte Anaſtaſio, qui addit eum omnia ab eodem Ludovico impetraſse, quæ ab eo petiit, *intantum ut idem piiſſimus Princeps pro illius amore in finibus Franciæ ſuper omnia dona, quæ ei largitus eſt, curtem de ſuo proprio fiſco beato Petro Apoſtolo perpetuali uſu per præceptionis paginam* conceſſerit.

VIII. *Romam redit.*

Multis deinde inter Pontificem & Imperatorem *muneribus & datis, & acceptis, conviviisque opiparè celebratis, & amicitia viciſſim firmiſſimo robore conſtituta, aliiſque utilitatibus Sanctæ Dei Eccleſiæ pro temporis opportunitate diſpoſitis, Pontifex Romam, Imperator Compendii palatium petiit*, inquit Eginhardus laudatus. Stephanum Romam redeuntem dimiſit Ludovicus *cum Legatis ſuis, quibus præcepit ubique in itinere ſuo honeſtum exhibere ſervitium. Poſtquam Romam venit, non poſt multos dies claruit Dei manifeſtatione in nonnullis miraculis*, ut ſcribit Theganus loco laudato. E' Francia digreſſus eſt Stephanus circa initium menſis Octobris ejuſdem anni 816, & circa initium menſis Novemb. ejuſdem anni Romam pervenit, quod ex ejus morte colligitur.

IX. *Ad Deum migrat.*

Eginhardus quippe in Annalibus ſcribit, eum *tertio poſtquam Romam venerat menſe, ſed nondum exacto, circiter 8 Kalendas Februarii diem* obiiſſe, quod idem aſſerit Annaliſta Bertinianus. Auctor verò Vitæ Ludovici Pii ait, Stephanum *tertio menſe, poſtquam à Francia Romam rediit*, ultimum diem clausiſse. Quare cùm tam Annaliſta Fuldenſis, quàm Hermannus Contractus juxta editionem Caniſianam, diſertè affirment, eum *9 Kalendas Februarii*, ſeu die 24 menſis Januarii defunctum, manifeſtum eſt Eginhardum, & Annaliſtam Bertinianum de die ſepulturę Stephani interpretandos. Anaſtaſius nec diem mortis ejus, nec ſepulturę memorat; ſed tantùm eum ſediſſe *annos ſeptem, menſes ſeptem*; ſed certum eſt librarium annos illos ſeptem magno errore Stephano attribuiſſe, cum ex Orderico lib. 2, Hermanno Contracto, Martino Polono, Luitprando, & aliis conſtet eum menſes tantùm ſeptem ſediſſe, & ex antiquis Francorum Annaliſtis vivere deſiiſſe menſe Januario anni octingenteſimi decimi ſeptimi. Ex quibus ſequitur, eum è Francia diſceſsiſse circa initium Octobris, & Romam adventaſſe circa initium Novembris anni 816.

X. *Decretum de Pontificis Romani electione male ei tributum.*

Apud Gratianum diſt. 63 cap. *Quia Sancta*, extat decretum Stephani Papæ, quo ſtatuitur, ut Romanus Pontifex *Electus præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur*. Illud decretum Baronius, Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico, Natalis Alexander Seculo 9, aliique plures figmentum eſse ſchiſmaticorum arbitrati ſunt. Sed Annotator Baronii demonſtrat illud non eſse tribuendum Stephano IV, vulgo V, ſed Stephano VI, vulgò VII, illudque ſuppoſititium non eſse, at verè ab eodem Stephano VI emiſsum, & à Joanne IX confirmatum, ut ibidem dicetur. Quis verò primùs ex Pontificibus Romanis ſtatuerit, ut Pontifex electus non conſecraretur niſi præſentibus Legatis Imperialibus, vide in Eugenio II.

PASCHALIS Pontif. C.

Anno Domini DCCCXVII.

I. *Paſchalis ordinatur Pontifex Romanus.*

MOrtuo die vigeſima quarta Januarii anni octingenteſimi decimi ſeptimi Stephano IV, *ceſſavit Epiſcopatus dies duos*, ut ſcribit Anaſtaſius, ſeu melius *vix biduo*, ut legebatur in exemplari, quo uſus eſt Baronius. Quare die vigeſima quinta ejuſdem menſis, Paſchalis, natione Romanus, ex patre Bonoſo, *unâ concordiâ, unâ, eademque voluntate, divino interveniente conſultu à cunctis Sacerdotibus, ſeu Proceribus, atque omni Clero, necnon & Optimatibus, vel cuncto populo Romano ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei in Sedem Apoſtolicam elevatus eſt*, eademque die, utpote Dominicali, conſecratus. Neſcio unde hauſerit Ciaconius, quem Oldoinus ſequitur, Paſchalem fuiſse Presbyterum Cardinalem à Leone III conſtitutum,

SÆC. IX. PASCHALIS.

tum, nihil quippe ſimile habet Anaſtaſius, qui ſolùm ſcribit, Leonem *ei monaſterium B. Stephani primi Martyris, juxta Baſilicam beati Petri Principis Apoſtolorum, ad regendum* commiſiſſe. Ex quibus verbis patet, eum è monaſterio ad Pontificatum eſſe aſſumptum.

II. *Legationem mittit ad Imperatorem.* Platina, & idem Ciaconius ſcribunt, Paſchalem, nulla interpoſita Imperatoris auctoritate, Pontificem creatum eſſe; eamque ob rem, ubi Pontificatum iniit, ſtatim Legatos ad Ludovicum Imperatorem miſiſſe, qui ejus rei culpam omnem in Clerum & Populum rejicerent, quòd ab his vi coactus eſſet Pontificium munus obire: & Ludovicum hac ſatisfactione accepta, reſpondiſſe Populo & Clero, majorum ſtatuta ſervanda eſſe, ſed caverent, ne deinceps majeſtatem læderent. Hæc forsàn deduxerunt ex Eginhardo in Annalibus, in quibus ait: Stephano *Paſchalis ſucceſſor datus eſt, qui poſt completam ſolemniter ordinationem ſuam, & munera, & excuſatoriam Imperatori miſit Epiſtolam*; *in qua ſibi non ſolùm nolenti, ſed etiam plurimùm renitenti Pontificatûs honorem velut impactum aſſeverat*. Sed hæc verba explicanda ſunt ex iis quæ habet Auctor Vitæ Ludovici Pii: cùm enim Paſchalis inſimularetur, quòd ambitione ad ſummum Pontificatum evectus eſſet, *Legatos cum epiſtola apologetica, & maximis muneribus Imperatori miſit, inſinuans ſe non ambitione ac voluntate, ſed electione & populi acclamatione huic ſuccubuiſſe potius, quàm inſiluiſſe dignitati*. Ad hæc nullum præceſſerat decretum, vel alicujus Pontificis Romani, vel alicujus Imperatoris, quo ſtatutum eſſet, ut deinceps Pontificis Romani conſecratio fieret coram Legatis Imperatoris; id enim primum ab Eugenio II conſtitutum fuiſſe infrà videbimus.

III. *Pacti cum deceſſoribus initi confirmationem ab eo obtinet.* Verùm hujus Epiſtolæ cauſam, ſimul & Legationis Paſchalis ad Imperatorem, per Theodorum Nomenclatorem obitę, uterque Auctor nos edocet; ſubdit enim Auctor Vitæ Ludovici Pii: *Hujus* (ſcilicet Epiſtolę) *bajulus fuit Theodorus Nomenclator, qui peracto negotio, & petitis impetratis ſuper confirmatione* (ſcilicet *pacti* & *amicitiæ more prædeceſſorum ſuorum*, *reverſus eſt*. Eginhardus etiam in Annalibus eadem de cauſa legationem miſſam aſſeverat: *miſſa tamen*, inquit, *alia legatione*, *pactum*, *quod cum prædeceſſoribus ſuis factum fuerat*, *& ſecum fieri*, *& firmari rogavit*. *Hanc legationem Theodorus Nomenclator & detulit*, *& ea quæ petierat*, *impetravit*. Quæ eadem verba excripſit Annaliſta Bertinianus. In eo ſolùm differunt hi Auctores, quòd prior dicat Theodorum Nomenclatorem fuiſſe bajulum Epiſtolæ, & ſimul Legatum pro confirmatione pacti; poſterior verò ſupponat per alium Legatum, quàm per Theodorum, miſſam fuiſſe Epiſtolam; quod ultimum, ſi verum ſit, ex eo tantùm inferre licet, duplicem legationem à Paſchali ad Ludovicum Imperatorem miſſam, unam, qua ſe purgaret de ambitione ſibi impacta, alteram pro confirmatione pacti. Certè hæc Epiſtola non poteſt dici *excuſatoria*, ex ea parte quòd Paſchalis ordinatus eſſet abſque pręſentia Legatorum Imperatoris, cùm Eugenius ejus ſucceſſor ita ordinatus fuerit. Denique Platinæ & Ciaconii opinio contraria eſt donationi Ludovici; licèt enim hæc ſuppoſititia ſit, ut ſtatim oſtendo, eam tamen ut legitimam admittunt Platina, & Ciaconius.

IV. *Non verò donationem quæ à Ludovico Pio facta fingitur.* Hæc donatio, quæ à Gratiano diſtinct. 63 cap. *Ego Ludovicus*, facta dicitur Eccleſiæ Romanæ à Ludovico Pio, non minus ſuppoſititia eſt, quàm ea, quæ Conſtantino Magno affingitur, ut jam aliqui viri docti obſervarunt. Ex tot enim Pontificibus Romanis, inquit Annotator Baronii ad annum 817, qui dona à Pippino, & Carolo Magno Eccleſiæ Romanæ facta memorarunt, nullus eſt, qui donationis Ludovici Pii meminerit, quia ſcilicet juſtiſſimum habentes titulum rerum ab Eccleſia poſſeſſarum, fictitium contempſere. Præterea Otho primus, & Henricus primus Imperatores ſigillatim enumerant, quæ Pippinus, & Carolus Magnus Eccleſiæ Romanæ donarunt, eaque diplomatibus ſuis confirmant; ſed donationis Ludovicianæ mentionem non fecére, ut videre eſt apud Baronium annis 962, & 1014. Tertiò, Ludovicus ea donatione concedit Apoſtolicæ Sedi inſulas *Corſicam*, *Sardiniam*, *& Siciliam ſub integritate cum omnibus adjacentibus territoriis*; & tamen Sicilia nunquam in poteſtate Caroli Magni, aut ſucceſſorum ejus fuit. Denique in ea donatione Ludovicus ſtatuit, ut mortuo Pontifice Romano, quem omnes Romani elegerint ſine aliqua ambiguitate & contradictione more canonico conſecretur. *Et cùm conſecratus fuerit*, inquit, *Legati ad nos*, *vel ad ſucceſſores noſtros Reges Francorum dirigantur*, &c. quod merum commentum eſt, cùm ipſo Ludovico Pio vivente, Eugenius II Papa ad poſtulationem Lotharii, Ludovici Pii filii, & in Imperio Collegæ ſtatuerit, ut Pontifex Romanus non conſecraretur, niſi in præſentia Legatorum Imperialium, quod toto ſæculo nono & ultra in uſu poſitum fuit; abſque eo quòd Clerus Romanus illam donationem in medium attulerit, licèt ſeſe ab ea lege abhorrere non ſemel oſtenderit; imò & Hadrianus III Papa illam reſciderit. Nullum itaque de hujus donationis falſitate dubium ſupereſſe poteſt. Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi lib. 1 cap. 18 primus ejus meminit, eamque factam

 dicit

Digitized by Google

dicit in Palatio Aquiſgranenſi anno 817 *beato Petro Apoſtolo, ejuſque Vicario Domino Paſchali*, ideoque paulò ante ſæculum duodecimum, quo ineunte Leo Oſtienſis obiit, hæc Ludovici Pii donatio excogitata fuerat.

V. *SS. Monachorum pro fide exulum literas recipit.*

Leo Armenus, qui anno octingenteſimo decimo tertio, Michaele Imperatore cum uxore, & liberis in Monaſteria detruſis, Orientis Imperium invaſerat, ſtatim ob ſacrarum Imaginum cultum in Orthodoxos perſecutionem movit, & in pſeudo-Synodo Conſtantinopolitana Imagines abolevit, multos earum cultores in exilium miſit, alios morti tradidit, vel pluribus modis vexavit uſque ad obitum ſuum, qui contigit anno octingenteſimo vigeſimo. Ubi autem in Oriente innotuit Paſchalem ad Apoſtolicum thronum evectum eſſe, Sanctus Theodorus Studita, magnus fidei Catholicæ defenſor, ad eum literas ſcripſit, & per Dionyſium diſcipulum direxit, non ſuo tantùm nomine, ſed & quinque aliorum Præſidum Monaſteriorum, fidei causâ expulſorum, quibus eum excitabat ad defenſionem, opemque ferendam periclitanti fidei, ac veritati, quam falſitas ſic opprimeret. Dionyſium à Theodoro, & aliis Archimandritis miſſum Paſchalis benignè excepit; magnoque animi dolore affectus eſt, & quibus potuit, ſtuduit periclitantibus præſtò eſſe, reddens ad eos affectûs paterni Apoſtolicas literas, quæ perierunt, ſed quarum fidem faciunt aliæ literæ ab iiſdem monaſteriorum Præpoſitis ad eundem Paſchalem Papam ſcriptæ, de quibus Baronius anno 818.

VI. *Duplicem legationem ad Ludovicum Imp. mittit.*

Paſchalis Papæ duas anno octingenteſimo vigeſimo primo ad Ludovicum Pium Imperatorem Legationes memorat Eginhardus in Annalibus. Priori, menſe Majo obita, functi ſunt Petrus Epiſcopus Centumcellenſis, & Leo Nomenclator; poſteriori verò, menſe Octobri ſuſcepta, Theodorus Primicerius, & Florus. Baronius ſcribit nullibi mentionem reperiri eorum quæ per eos tractata fuerint; ſed licèt Eginhardus taceat prioris legationis cauſam, poſteriorem tamen obitam inſinuat ad honorandas Lotharii, Ludovici Imperatoris filii, nuptias, miſſis per Legatos magnis muneribus, quod tum primùm à Romanis Pontificibus factum obſervat Ciaconius. *Medio menſe Octobri*, inquit Eginhardus, *conventus generalis apud Theodonis villam, magna populi Francorum frequentia celebratur: in quo domnus Lotharius, primogenitus domni Imperatoris Ludovici Irmingardam Hugonis Comitis filiam, ſolemni more duxit uxorem. Illic etiam Legati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Theodorus Primicerius, ac Florus ſuper iſta cum magnis venêre muneribus.*

VII. *Lotharium Imp. coronat.*

Lotharius à Ludovico Auguſto patre in Aquiſgranenſi Synodo anno octingenteſimo decimo ſeptimo Imperii conſors factus, & anno octingenteſimo vigeſimo Italiæ Rex renunciatus, anno octingenteſimo vigeſimo ſecundo, Attiniacenſi conventu peracto, ab eodem Ludovico patre in Italiam miſſus eſt, ut Regii muneris partes obiret. Anno autem octingenteſimo vigeſimo tertio, ut ſcribit Eginhardus in Annalibus, *cùm ſecundùm patris ſui juſſionem in Italia juſtitias faceret, & jam ſe ad revertendum de Italia properaret, rogante Paſchale Papa Romam venit, & honorificè ab illo ſuſceptus, in Sancto Paſchali die apud Sanctum Petrum, & Regni* (nempe Longobardici) *coronam, & Imperatoris Auguſti nomen accepit*. Auctor etiam Vitæ Ludovici Pii prodit Lotharium, *rogatu Paſchalis Papæ Romam imminente Sanctæ Paſchæ ſolemnitate* rediiſſe, *atque ab eodem cariſſima ambitione* ſuſceptum, *ipſo Sancto die apud S. Petrum diadema Imperiale cum nomine Auguſti* ſuſcepiſſe. In Epitaphio tamen Arſenii, ſeù in Vita Walæ Corbejenſis Abbatis apud Mabillonium Sæc. IV Benedict. part. 1 pag. 513 dicitur Lotharium de ſuo Romam versùs, & ad Paſchalem Papam itinere, ita Ludovico patri locutum eſſe: *Ad eandem Sedem* (Romanam) *clementer me veſtra Imperialis Eximietas miſit, ad confirmandum in me quidquid pia dignatio veſtra decreverat, ut eſſem ſocius & conſors, non minus ſanctificatione, quàm poteſtate, & nomine. Unde quia coram Sancto Altare, & coram Sancto corpore B. Petri Principis Apoſtolorum à Summo Pontifice, veſtro ex conſenſu & voluntate, benedictionem, honorem, & nomen ſuſcepi Imperialis officii, inſuper diademata capitis, & gladium ad defenſionem ipſius Eccleſiæ, & Imperii veſtri, nemo vobiſcum magis, qui eam, quam ego, defendere velit, aut debeat*. Ex quibus patet Lotharium non in Italiam ſolùm ad juſtitias faciendas, ſed & Romam ad Paſchalem Papam à Ludovico Imperatore patre miſſum, ut inungeretur Imperator, & Auguſti nomen ſuſciperet.

VIII. *Dominium Urbis ei concedit retento jure cudendæ monetæ.*

In Leone III diximus Paſchalem Papam Lothario Romæ exiſtenti ſupremum Urbis Dominium conceſsiſſe, ſeu *poteſtatem, quam priſci Imperatores habuere ſuper populum Romanum*, quia ſcilicet Romani tumultuabantur, & Romanos Pontifices vexabant, ad quorum inſolentias reprimendas, ſupremum Romanæ urbis Dominium, ſalva, quam Romani ſibi promiſerant, fide, in Imperatorem Paſchalis tranſtulit. Unde Leblancus in Tractatu lingua Gallica ſcripto de Antiquis Regum Francorum Monetis pag. 108 editionis Amſtelodamenſis anni 1692, plures Ludovico Pio imperante perculſas exhibet, in quarum antica legitur: LUDOVICUS Imp. in monogrammate

Digitized by Google

SÆC. IX. PASCHALIS.

mate ROMA, & in poſtica Scs PETRUS. Tum pag. 113, alias Lotharii Imp. monetas, in quarum poſtica habetur Scs PETRUS. Has monetas Ludovici Pii, & Lotharii ſupremi juris in urbem Romanam indicia eſſe exiſtimavit Annotator Baronii, quia ſine examine fidem adhibuit Leblanco, qui hos nummos Imperatorios credidit. Verùm cùm illi videantur eſſe nummi potiùs Pontificii, quàm Imperatorii, ex iis ſupremæ Imperatorum Ludovici Pii, & Lotharii in urbem Romani juriſdictio erui non poteſt. Cùm tamen ea diſertè afferatur in ſupplemento Hiſtoriæ Pauli Diaconi, quod extat in corpore Francicæ Hiſtoriæ veteris & ſinceræ, cujus verba in Leone III num. 21 retulimus, & ex alia parte Lotharius ſub Eugenio II, & Ludovicus II ſub Leone IV eam exercuerint, non videtur poſſe in dubium revocari. At in eo caſu, quòd ſcilicet nummi illi ſint Pontificii, dicendum eſt Paſchalem, ſupremam Lothario Imp. juriſdictionem concedendo, ſibi reſervaſſe jus cudendæ monetæ; nam idem Leblancus pag. 113 laudatâ refert nummum Benedicti Papæ III, in quo viſitur S. Petrus ornamentis Pontificalibus indutus cum his literis S. P. à latere verò in circuitu BENEDICT P. in poſtica LODOVVICUS IMP. in medio manus inter has duas literas RO. ideſt Roma. Quo in nummo Pontificis, & Imperatoris nomina reperiuntur, ſicut in nummo Grimoaldi Ducis Beneventani, qui cudendæ monetæ licentiam obtinuerat, apud eundem Leblancum pag. 100 relato, in quo apparet imago Grimoaldi cum ejus nomine, & in poſtica habetur DONS CARLUS R. Hanc conjecturam firmat nummus Leonis IX; licèt enim ſub ejus Pontificatu jura Imperialia illæſa conſervarentur, cudebantur tamen nummi argentei ſine nomine Imperatoris, quod mihi compertum eſt ex literis clariſſimi Abbatis D. Ludovici du Four de Longueruë, qui aliàs Antonio Pagio ſcripſerat, Vaillantium cuidam ex ſuis amicis unum dediſſe, in quo diſtinctè legitur: LEO PAPA, in

M

medio RXO, ideſt Roma, & in poſtica,

A

Scs PETRUS. Aſſerit ibidem vir doctiſſimus non reperiri monetas Papales Carolo M. antiquiores, quæ ante Leonem IX inveniuntur rariſſimas eſſe.

IX. Antonius Pagius vindicatur.

His ſcriptis ad manus meas pervenit Specimen quoddam antiquiorum Pontificum Romanorum denariorum Romæ anno 1709 à J. Vignolio in lucem editum, in quo poſtquam pag. 12 & ſeq. retulit quæ Antonius Pagius in Critica Baroniana ad annos Chriſti 823 num. 3, & 875 num. 1 de illis nummis habet, ex quibus infert tunc Romanæ urbis ſupremum jus fuiſſe penes Imperatores, dicit Vignolius, ſtupere ſe quòd Pagio memoria exciderint quæ inter cetera ad annum 796 num. 6 ſcripſerat, ante Leonem tertium ſimilia numiſmata cudere potuiſſe Stephanum Secundum & ejus ſucceſſores, quia ii non minus quàm Leo III ſupremi Urbis domini fuére: *Quæ quidem*, inquit Vignolius, *cum ſuperioribus collata, quantum inter ſe pugnent, nemo non videt*. Sed ego magis ſtupeo hunc Scriptorem, vel non legiſſe, vel diſſimulaſſe quæ ſcribit Antonius Pagius ad eundem annum 823 num. 1, Paſchalem ſcilicet Pontificem conceſſiſſe Lothario Imperatori *poteſtatem, quam priſci Imperatores habuere ſuper populum Romanum*, ideſt ſupremum in Urbe dominium; ex eo enim manifeſtè conſtare concluſiſſet, quæ antea ſcripſerat ad annum 796, cum ſuperioribus collata inter ſe maximè cohærere, non verò cum iis pugnare. Quæ eſt enim contradictio dicere Stephanum II, ejuſque ſucceſſores uſque ad Leonem tertium, imò & uſque ad Paſchalem Primum fuiſſe ſupremos Urbis dominos, & poſtea dominium illud fuiſſe penes Imperatores ex ipſius Paſchalis conceſſione. Ea itaque quæ ad dictos annos habet Antonius Pagius inter ſe maximè cohærere nemo non videt, & in eo tantùm deceptus videtur, quòd, ut jam dixi, ſine examine fidem adhibuerit Leblanco ſcribenti, dictos nummos eſſe Imperatorios, ex quo intulit ex iis probari poſſe ſupremum Urbis dominium penes Imperatores fuiſſe; quod probationis genus licèt non ſit admittendum, ſuppoſito quòd illi nummi ſint Pontificii, aliunde tamen tam in Vita Paſchalis, quàm in Eugenio II, & in Leone IV ſupremi Imperatorum juris exercitium probavit Pagius, & nos ex ipſo. Ceterum utrum illi nummi verè ſint Pontificii, non Imperatorii, aliis examinandum relinquo, hæc enim obiter à me dicta ſunt occaſione contradictionis Antonio Pagio perperàm à Vignolio impactæ.

X. Quidam Romani Paſchalem PP. calumniantur.

Sed, ut ad inſtitutum redeam, his non obſtantibus iterum Romani turbas excitarunt poſt Lotharii diſceſſum, & Paſchalem Papam calumniati ſunt, quaſi earum auctor eſſet. Cùm enim Lotharius menſe Junio Roma Papiam veniſſet, indeque ad Ludovicum patrem, cui *de juſtitiis in Italia à ſe partim factis, partim inchoatis* fecit *indicium, miſſus eſt in Italiam Adbalardus Comes Palatii, juſſumque eſt, ut Mauringum Brixiæ Comitem ſecum aſſumeret, & inchoatas juſtitias perficere curaret*, ut prodit Eginhardus laudatus, qui paulò poſt ſubdit: *Nunciatum eſt etiam Theodorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Primicerium, & Leonem Nomenclatorem generum ejus in Patriarchio Lateranenſi primò excæcatos, & deinde fuiſſe decollatos, & hoc eis ob hoc con-*

tigiſſe, quòd ſe in omnibus fideliter erga partes *Lotharii juvenis Imperatoris agerent. Erant & qui dicerent, vel juſſu, vel conſilio Paſchalis Pontificis rem fuiſſe perpetratam*. Ad quod inveſtigandum Ludovicus Imperator Adalungum Abbatem monaſterii ſancti Vedaſti, & Hunfridum Comitem Curienſem Romam miſit.

XI. *Paſchalis PP. à calumnia ſe purgat.*

Antequam illi Romam proficiſcerentur advenerunt Legati Paſchalis Pontificis, ſcilicet Joannes Epiſcopus Sylvæ Candidæ, & Benedictus Archidiaconus Sedis Apoſtolicæ, rogantes Imperatorem, ut illam infamiam à Pontifice auferret. Sed iis dimiſſis, prædicti Adalungus Abbas, & Hunfridus Comes Romam perrexerunt, coram quibus *Paſchalis Pontifex, & ſe ab hujus facti communione cum magno Epiſcoporum numero jurejurando purificavit, & interfectores prædictorum hominum, quia de familia Sancti Petri erant, ſummopere defendens, mortuos velut majeſtatis reos condemnavit, jureque cæſos pronunciavit*. Deinde Imperatoris Legatis revertentibus Paſchalis adjunxit eundem Joannem Sylvæ Candidæ Epiſcopum, Sergium Bibliothecarium, Quirinum Subdiaconum, & Leonem Magiſtrum militum, per quos Imperator, *de Sacramento Pontificis, & excuſatione reorum* certior factus *nihil ſibi ultra in hoc negotio faciendum ratus, memoratum Joannem Epiſcopum & ſocios ejus ad Pontificem dato convenienti reſponſo remiſit*. Idem ferè ac Eginhardus habent Theganus in libello de Geſtis Ludovici Imp. & Auctor Vitæ ejus, cujus verba recitat Baronius, qui & pluribus oſtendit ſanctum hunc Pontificem ab illis criminibus immunem fuiſſe.

XII. *Danorum converſioni incumbit.*

Hoc eodem anno octingenteſimo vigeſimo tertio Ebbo Remenſis Archiepiſcopus cum conſilio Ludovici Imperatoris, & auctoritate Paſchalis Papæ in Daniam profectus eſt, ut Evangelium prædicaret; Eginhardus enim referens geſta in Conventu Compedienſi, à Ludovico Imperatore menſe Novembri ejuſdem anni celebrato, hæc habet: *Ebbo Remorum Archiepiſcopus, qui conſilio Imperatoris, & auctoritate Romani Pontificis prædicandi gratia ad terminos Danorum acceſſerat æſtate præterita, & multos ex eis ad fidem venientes baptizaverat, regreſſus eſt*. De hac Ebbonis miſſione, loquitur, ſed ſine ullo temporis charactere, Flodoardus lib. 2 cap. 19. *Hic Præſul Ebbo cum conſilio Ludovici Imperatoris, & auctoritate Paſchalis Romani Pontificis, prædicandi gratia ad terminos uſque Danorum acceſſit, & multos ex eis ad fidem venientes baptizavit*. Antequam Ebbo in Daniam proficiſceretur, Romam adierat, ut licentiam in partibus illis evangelizandi à Pontifice obtineret; Paſchalis enim Papæ decreto, quod recitat Bollandus ad diem III menſis Februarii, quo S. Anſcharius Archiepiſcopus Hamburgenſis Danorum, & Svecorum Apoſtolus colitur, præponitur Epiſtola ejuſdem Anſcharii, *omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ Præſulibus in regno duntaxat Ludovici Regis commanentibus* data, in qua hic ſanctus Præſul ait: *Noſſe vos cupio, quia in hoc libello continetur, qualiter Ebbo Remenſis Archiepiſcopus divino afflatus ſpiritu, temporibus Domini Ludovici Imperatoris cum conſenſu ipſius ac pene totius regni ipſius Synodi congregatæ, Romam adiit, ibique à venerabili Papa Paſchali publicam evangelizandi licentiam in partibus Aquilonis accepit*. Ubi de alia Synodo non loquitur Anſcharius, quàm de Attiniacenſi, anno octingenteſimo vigeſimo ſecundo menſe Auguſto coacta, cui Sedis Apoſtolicæ Legati adfuere. Ipſemet Paſchalis Papa in ſuis ad univerſos Coepiſcopos, Presbyteros, Principes, Duces, Comites, & cunctos Chriſtianos literis, *præſentem*, inquit, *Reverendiſſimum fratrem & Coepiſcopum noſtrum Ebbonem ſanctæ Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, neceſſarium cum conſenſu fidelium Dei duximus, illis in partibus pro illuminatione veritatis dirigendum. Quatenus auctoritate beatorum Principum Apoſtolorum Petri & Pauli noſtra fraterna vice informatus, ante corpus & confeſſionem ipſius Principis Apoſtolorum evangelizandi publica auctoritate liberam tradidimus in omnibus facultatem, ut verbum vitæ, viamque ſalutis ubique provideat*. De converſione Danorum, ſeu Nordalbingorum infra ſermo erit in Eugenio II. Has porrò Sancti Anſcharii literas refert etiam Mabillonius Sæc. 4 Benedict. part. 2 poſt ejuſdem Sancti Vitam.

XIII. *Viennenſ. Archiep. Pallium mittit.*

Eodem Tomo inter fragmenta vitæ S. Bernardi Archiepiſcopi Viennenſis idem Mabillonius pag. 566 recitat Epiſtolam Paſchalis Pontificis ex MS. Codice Ambroniacenſi, qua Pallium eidem Bernardo, qui illud poſtulaverat, mittit, & Viennenſis Eccleſiæ privilegia confirmat. *Omnia etiam*, inquit, *privilegia, quæ tuæ pridem conceſſa ſunt à prædeceſſoribus noſtris Eccleſiæ, volumus inconcuſſa tibi, & ſucceſſoribus tuis permanere*. Hanc Epiſtolam etiam refert Joannes a Boſco.

XIV. *Supremum diem obit.*

Paſchalem Papam anno octingenteſimo vigeſimo quarto obiiſse, produnt omnes ferè Francorum Annaliſtæ, ſed nullus ex illis menſem, aut diem memorat; & numerii in Anaſtaſio ita ſunt depravati, ut ex illo neutrum deducere poſſimus, quod idem dicendum de ſequentibus Pontificibus, quorum initium, & finem, uſque ad medium circiter ſæculum undecimum, certò detegere potis non eſt, unde plurimùm nos facturos exiſtimamus, ſi cum Annotatore Baronii, in annis eorum conſecrationis, aut mortis conſignandis, in pleriſque non oſtendamus.

Digitized by Google

damus. Certum tamen eſt Paſchalem ante diem XXIV menſis Junii anni 824 defunctum eſſe, cùm ex Eginhardo in Eugenio II laudando, conſtet hujus conſecrationem ante eum diem nunciatum fuiſſe Ludovico Imperatori. In Anaſtaſio legitur: *Sedit annos ſeptem, menſes quinque, dies ſexdecim*. Tum narrata ejus morte: *Ceſſavit Epiſcopatus ejus dies quatuor in menſe Januario, indictione prima*, quæ inter ſe pugnant. Nam, ex dictis evidenter patet, Paſchalem ordinatum eſse menſe Januario anni 817. Non potuit itaque ſedere annos 7, menſes 5, dies 16, & ad Deum migrare eodem menſe Januario anni 824, quo tamen anno obiiſſe inter omnes convenit, & hoc numeranti perſpicuum eſt. Quare menſis Januarius addititius eſt in Anaſtaio, & forsàn etiam indictio. Sed interpontificium videtur certum; cùm Ordericus lib. 2 pag. 454 etiam ſcribat: *Ceſſavit Epiſcopatus diebus* 4. Dicendum itaque Paſchalem obiiſſe die decima menſis Februarii, nam Martinus Polonus ſcribit, eum ſediſſe annos 7, & dies 17, quod idem legitur in Honorio Auguſtodunenſi, & in Catalogis 1, 3, 5, & 7 Tomo 1 Criticæ Baronianæ præfixis, quæ verior apparet Anaſtaſii lectio.

XV. Sepelitur in Eccleſia S. Praxedis. Romani pati noluerunt, ut corpus ejus ſepeliretur in Eccleſia Sancti Petri; quare Eugenius II ejus in Pontificatum ſucceſſor illud ſepeliri juſſit in loco, quem ipſe vivens conſtruxerat in Eccleſia Sanctæ Praxedis. *Illis miſſis abeuntibus*, inquit Theganus laudatus num. 30, *ſtatim ſupradictus Papa obiit, cujus funus Romanus Populus in Eccleſia B. Petri Apoſtoli humari noluit, antequam Eugenius Papa poſt eum ſucceſſit, & ipſe juſſit ſepeliri corpus ejus in loco, quem ipſe vivens conſtruxerat*. Locum autem illum fuiſse Eccleſiam Sanctæ Praxedis conſtat ex inſcriptione, quam Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia aſserit legi in eadem Eccleſia apud Monachos Vallis-Umbroſæ ſupra magnam Tumbam ad ingreſſum ſacelli ſacræ Columnæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti, S. PASCHALIS PP. I. Papebrochius quidem in Conatu Chronico-Hiſtorico teſtatur, poſt diligens examen eam inſcriptionem inveniri non potuiſse; ſed tamen huic traditioni fidem adhibendam, cùm Anaſtaſius tradat, Paſchalem dictam Eccleſiam jamjam caſuram à fundamentis renovaſſe, multis Sanctorum corporibus à ſe inventis ditaſse, fundato ad eam Monachorum Græcorum monaſterio auxiſse, plurimaque ei contuliſſe prædia, & poſseſsionum loca urbana, vel ruſticana. Indeque Papebrochius infert, Anaſtaſium, vel ejus Tranſcriptores Paſchalis ſepulturam perperàm adſcripſiſse Eccleſiæ Sancti Petri; quod ſanè confidentius affirmaſſet, ſi ad laudatum Thegani locum animum advertiſſet. Paſchalis liberalitatem, & miracula narrat Baronius ex Anaſtaſio, apud quem legenda.

EUGENIUS II *Pontif. CI.*

Anno Domini DCCCXXIV.

I. Eugenius II fit Papa. CUm poſt Paſchalis obitum Epiſcopatus ceſſaſſet diebus quatuor, ut ex Anaſtaſio & Orderico oſtenſum eſt, Eugenius hujus nominis II, natione Romanus, ex patre Boemundo, Archipresbyter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Tituli Sanctæ Sabinæ, ordinatus eſt Romanus Pontifex die decima quarta menſis Februarii, quæ anno octingenteſimo vigeſimo quarto in Dominicam incidebat. *Legati Romani Pontificis*, inquit Eginhardus in Annalibus, *Romam regreſſi, eundem valida infirmitate detentum, ac morti proximum invenerunt, qui etiam paucis poſt adventum illorum exactis diebus vitâ deceſſit. In cujus locum cùm duo per contentionem populi fuiſſent electi, Eugenius tamen Archipresbyter, Tituli S. Sabinæ, vincente nobilium parte, ſubrogatus, atque ordinatus eſt*. Onuphrius, & poſt eum Ciaconius ſcribunt, Zinzinum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum, à minori parte electum contra Eugenium, coactum non longe poſt abdicaſse, ſed à quo id acceperint, me latet.

II. Lotharium Imp. honorifice ſuſcipit. Quidquid ſit de nomine illius, qui fuit electus in ſchiſmate, certum eſt illius componendi gratia, Romam miſſum eſſe à Ludovico Imperatore patre Lotharium, qui unà cum eo imperabat. *Cujus rei nuncium*, ſubdit Eginhaldus laudatus, *cum Quirinus Subdiaconus, unus ex iis, qui priori legatione fungebantur, ad Imperatorem detuliſſet, Conventu circiter* 8 *Kalendas Julii pronunciato, atque Compendii habito, ipſe ad Britannicam expeditionem per ſe faciendam animo intento, Lotharium filium Imperii ſocium Romam mittere decrevit, ut vice ſua functus, ea, quæ rerum neceſſitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice, populoque Romano ſtatueret, atque firmaret. Et ille quidem ad hæc exequenda poſt medium menſem Auguſtum in Italiam profectus eſt*. Lotharius Romæ ab Eugenio Pontifice honorificè ſuſceptus, ſtatum populi Romani

Digitized by Google

SÆC. IX. EUGENIUS II.

mani, *memorati Pontificis benevola aſſenſione* ita correxit, ut omnes, qui rerum ſuarum direptione graviter fuerant deſolati, de receptione bonorum ſuorum magnificè ſint conſolati, ut ſubjungit Eginhardus. Auctor Vitæ Ludovici Pii addit, Lotharium queſtum eſse, quòd hi, qui Imperatori, & Francis fideles fuerant, iniqua nece perempti fuiſsent; & qui ſuperviverent, ludibrio reliquis forent: quare etiam tantæ querelæ adverſus Romanorum Pontifices, Judicesve ſonarent; repertumque eſse quòd quorundam Pontificum vel ignorantiâ, vel deſidiâ, ſed & Judicum cœca, & inexplebili cupiditate, multorum prædia injuſtè fuiſsent confiſcata. Unde reddendo quę injuſtè erant ſublata, Lotharium magnam populo Romano creaſse lætitiam. *Statutum etiam*, inquit, *juxta antiquum morem, ut ex latere Imperatoris mitterentur, qui Judiciariam exercentes poteſtatem, juſtitiam omni populo facerent, & tempore, quo viſum foret Imperatori, æqua lance penderent.*

III. Conſtitutio Lotharii de electione Pontificis Rom.

Antequam Româ regrederetur Lotharius Auguſtus Conſtitutionem publicavit, cujus partem recitat Sigonius lib. 4 de regno Italiæ, & ex eo Baronius, ſed quam Holſtenius in Collectione Romana parte 2 pag. 218 deſumptam ex collectione Canonum Cardinalis Deuſdedit lib. 1 cap. 242, & ſeqq. integram exhibet in novem capitula diſtinctam. Eam, ad Annalium Baronii illuſtrationem, etiam integram edidit Auctor Criticæ. Tertium Capitulum reſpicit electionem Romani Pontificis, quem ab illis ſolummodò Romanis eligi vult, *quibus antiquitùs conceſſum eſt conſtitutione Sanctorum Patrum*, ut *ſibi eligant Pontificem*. Ita ut *nullus ſive liber, ſive ſervus præſumat aliquod impedimentum facere*. Sextum capitulum reſpicit res Eccleſiarum injuſtè retentas ſub occaſione quaſi licentiâ accepta à Pontifice, quas, inquit Lotharius, *volumus ut à Legatis noſtris in poteſtatem Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ celeriùs redigantur.* Cetera capitula, quæ reſpiciunt obedientiam Romano Pontifici in omnibus ſervandam, deprædationum prohibitionem, aliaq; quędam locis citatis legi poſsunt.

IV. Eugenii PP. decretum de Romani Pontificis conſecratione.

„ Illud etiam, inquit Sigonius laudatus, propter tumultus ſuperiores adjectum videtur, ut ad vitanda comitiorum diſſidia, aut Legati Regis, aut Rex ipſe, ſi Urbe adeſsent, conſecrationi Romani Pontificis intereſſent, ſic enim ſubſequentibus annis eſt obſervatum, & poſtremò nova etiam lege ſancitum. Quod Sigonius ſubodoratus eſt, Annotator Baronii indubitatum eſſe ſcribit, Eugenium nempe ipſum, Lothario Romæ exiſtente, ſtatuiſse, ut conſecrationi Romani Pontificis Legati Imperiales intereſsent. In ſupplemento enim Longobardicorum, Paulo Diacono attributo, & in fine libelli ejus de Epiſcopis Metenſibus recitato, ad annum Chriſti 825 legitur: *Lotharius Imperator ad Italiam veniens Miſſam Sancti Martini Romæ celebravit. Et hoc eſt juramentum quod Romano Clero ipſemet Eugenius Papa facere imperavit. Promitto ego* Ill. (loco nominis proprii, hodie literam N. ponimus, qua nomen etiam proprium deſignatur) *per Deum omnipotentem, & per iſta Sancta quatuor Evangelia, & per hanc Crucem Domini noſtri JeſuChriſti, & per corpus beatiſſimi Petri Principis Apoſtolorum, quòd ab hac die in futurum fidelis ero Dominis noſtris Imperatoribus Hludovico, & Hlotario, diebus vitæ meæ, juxtà vires & intellectum meum, ſine fraude atque malo ingenio, ſalva fide quam repromiſi Domino Apoſtolico: & quòd non conſentiam ut aliter in hac Sede Romana fiat electio Pontificis niſi canonicè, & juſtè ſecundùm vires, & intellectum meum: & ille qui electus fuerit, me conſentiente conſecratus Pontifex non fiat, priuſquam tale ſacramentum faciat in præſentia Miſſi Domini Imperatoris, & populi, cum jurmento quare dominus Eugenius Papa ſpontepro conſervatione omnium factum habet perſcriptum.*

SÆC. IX. EUGENIUS II.

V. Ejus decreti ſinceritas oſtenditur.

Baronius quidem, aliique poſt eum Scriptores Catholici hujus decreti Eugeniani non faciunt mentionem, quòd fortè ſuſpicati ſint, illud figmentum eſſe ſchiſmaticorum. Sed illius ſinceritas oſtenditur ex diplomatibus Othonis Imperatoris hujus nominis primi, & Sancti Henrici itidem Imperatoris, hujus etiam nominis primi, quæ nunc Romæ in caſtello Sancti Angeli aſservantur, & à Baronio annis 962, & 1014 recitantur: in priori enim diplomate juramentum ab Eugenio conſtitutum Otho Imperator locum habere juſsit, & in utroque ferè integrum legitur. Deinde illud decretum, quod anno octingenteſimo nonageſimo ſeptimo, Stephanus Papa VI, vulgò VII, confirmavit, ſubſequentibus poſt Eugenium annis obſervatum eſse ſuis locis oſtendemus. Uſus ille à Juſtiniano Imperatore primùm inductus, qui delierat in Gregorio Papa III, ab Eugenio in integrum reſtitutus.

VI. Illius condendi cauſa.

Hic enim Pontifex non exiſtimavit id denegandum Lothario Auguſto ob factiones, & clientelas eorum, qui quòd Romæ potentiores eſsent, potiores quoque ſe eſse debere arbitrabantur in Pontificum Romanorum electione. Ad hæc populi Romani libertas, Magnatum favore innixa, coercenda erat, & quieti Eccleſiæ conſulendum, ac acre aliquod frenum injiciendum, ut inteſtinis illis ſeditionibus finis tandem imponeretur. Præterquamquod Eugenius videbat, Lotharium Imperatorem omnes honores affectare, quibus Imperatores Græci aliàs affecti fuiſsent, & periculoſum

Digitized by Google

culoſum eſſe hac in re voluntati ejus refragari. Neque dubitandum, quin Eugenius ad decretum illud condendum juſtis rationibus motus fuerit, cùm Anaſtaſius in ejus Vita de eo ſcribat: *Sola quæ Chriſto erant placita, omnibus diebus & noctibus cogitabat*. Id autem ab illo eò prudentiùs peractum, quod aliàs in uſu poſitum fuiſſet. Fatendum tamen eam conſuetudinem non videri reſtitutam ſine Cleri, aut populi repugnantia; cùm Valentinus anno 827 in locum Eugenii ſubrogatus, non legatur coram Legatis Cęſareis ordinatus. Gregorius itaque IV, Valentini ſucceſsor primus videtur eſse, qui Francis Romæ imperantibus, in Legatorum Imperialium præſentia conſecratus fuit. Hic mos ſubinde interruptus fuit, ſed ſæculo undecimo abolitus, ut ſuo loco dicetur. Hæc ex Critica Baronii.

VII. Lotharius Imp. ſupremum Romæ Dominium exercet.

Ex laudata porrò Lotharii Auguſti Conſtitutione conſtat etiam certum eſſe, quod ſuperius diximus, Imperatorem nempe fuiſse tunc ſupremum Urbis dominum ex conceſsione Pontificis. Poſtquam enim Lotharius capite primo dixit, ſe decernere, *ut domno Apoſtolico in omnibus juſta ſervetur obedientia, ſeu ducibus & Judicibus ſuis ad juſtitiam faciendam*; & capite quarto velle ſe, *ut miſſi conſtituantur ab Apoſtolico, & à nobis, qui annuatim nobis renuntient, qualiter ſinguli Duces, & Judices juſtitiam populo faciant, & quomodo noſtra conſtitutio ſervetur*; reſervat tamen ſibi poſtea ſupremum dominium capite octavo his verbis: *Placuit etiam nobis, ut cuncti Duces, & Judices, ſive alii, qui cæteris præeſſe debent, in noſtram præſentiam, dum Romæ ſumus, conveniant. Volumus enim & numerum & nomina ſcire, & ſingulis de miniſterio ſibi credito admonitionem facere*. Hanc ſupremam juriſdictionem anno 847 exercere volebat Lotharius, leges Romanas abrogando, aliaſque ſubſtituendo, quod precibus ſuis impedivit Leo IV, qui apud Gratianum diſtinct. 10 cap. 13, *Veſtram*, inquit, *flagitamus clementiam, ut ſicut hactenus Romana lex viguit abſque univerſis procellis, & pro nullius perſona hominis reminiſcitur eſſe corrupta, ita nunc ſuum robur, propriumque vigorem obtineat*. Vide ea de re dicta in Leone III, & in Paſchali I.

VIII. Legatio Impp. Orientis ad Ludovicum Aug. & ad Eugenium PP.

Michael Balbus Orientis Imperator anno octingenteſimo vigeſimo Leoni Armeno ſucceſserat, annoque ſequenti 821 Theophilum filium Imperatorem coronarat. Michael Leonis Armeni veſtigiis inſiſtens ſacrarum Imaginum cultores vexavit, annoque octingenteſimo vigeſimo quarto Legationem miſit ad Ludovicum Pium Romanorum Imperatorem cum literis datis *menſe April. die 10, Indict. 2, à Deo conſervanda Regia urbe*, ideſt Conſtantinopoli. Eis literis præfiguntur nomina Michaelis, & Theophili Imperatorum, qui poſtquam ſe excuſarunt apud Ludovicum, quòd, propter motus à Thoma viro ſeditioſo concitatos, per literas nondum eum de Imperio ante quadriennium ſibi collato, certiorem fecerint, ajunt ſe ad eum mittere Legatos, & poſteà tranſeunt ad ſacrarum Imaginum cultum, tandemque Ludovicum Auguſtum deprecantur, ut Legati, quos ad Pontificem Romanum mittunt, ejus auxilio è Francia proficiſci poſsint: *Unde*, inquiunt, *honorem Eccleſiæ Chriſti quærentes, fecimus literas ad Sanctiſsimum Papam antiquæ Romæ, & eas miſimus per prædictos miſſos noſtros ad eum, dantes eis Evangelium aureum ex lapidibus pretioſis ornatum, ſimiliter & patenam auream, & ipſam ex lapidibus pretioſis ornatam, & calicem ſimili modo ornatum, ambobus inſcripta Imperii noſtri nomina, ut Deo jubente, illuc offerant ea ad Templum ſanctiſſimi ac beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri, qui intercedat pro nobis, & vobis. De cetero ordinet veſtra ſpiritalis dilectio, ut cum omni honore & illęſione ad eum veniant, auxilium ferentes*, &c. Verùm Imperatorum Orientis literæ multa falſa continent, ipſique ſe hæreticos produnt, dum ſex univerſalia tantùm laudant Concilia, nec ullam Septimæ Synodi Nicænæ, adverſus Iconoclaſtarum hæreſim celebratę mentionem faciunt. Fraudulenter queruntur Eccleſiam ob diſſenſiones de cultu Imaginum eſſe diviſam, cùm tamen Synodum Generalem, quæ diſſenſiones ſuſtulerat, locum habere prohiberent. Prætereà Græcos Orthodoxos reprehendunt, quòd vivificam Crucem deſpicerent, Imagines ut Deos quoſdam adorarent, aliaſque id genus ineptias in cultu Imaginum oſtenderent, quæ meræ calumniæ erant.

X. Ludovicus Aug. Collationem de Imaginibus fieri facultatem ab Eugenio PP. obtinet.

Ludovicus Auguſtus poſt Orientalium Legatorum diſceſſum, ſuos quoque ad impetrandam agendæ de Imaginibus Collationis facúltatem, Romam ad Eugenium Papam direxit Oratores, Freculſum videlicet Lexovienſem Epiſcopum, & Adegarium ejus ſocium; qui poſtquam cum Pontifice, Epiſcopis, & Miniſtris illius hac de re egiſſent, ab eo facultatem obtinuerunt viros doctos congregandi, quò cauſa Imaginum magis examinaretur. Româ igitur anno octingenteſimo vigeſimo quinto reverſis Freculſo & Adegario, Conventus habitus eſt Pariſiis Kalendis Novembris, ut Epiſcopi ex eo ad Ludovicum Auguſtum ſcribunt. In eo conditus eſt libellus ad probandum retinendas quidem Imagines, ſed nullatenus adorandas eſſe, ullove ſuperſtitioſo cultu honorandas. Sed cùm vereretur Ludovicus, ne, lecto integro libello, Eugenius Papa commoveretur, collecta ex eo libello capitula ipſi direxit per Jeremiam

Digitized by Google

am Senonenſem, & Jonam Aurelianenſem Epiſcopos, ut hac de re prudenter, & moderatè cum Pontifice agerent. Quid inde actum ſit, incertum: certum tamen Gallicanam Eccleſiam in eadem ſententia perſtitiſſe uſque ad finem ſæculi noni, quo ferè tempore cum Græcis, & Romana Eccleſia in modo colendi Imagines convenire cœpit. Vide dicta in Hadriano primo num. 54.

X. *Eugenius PP. Laureacenſem Metropolim reſtituit.*

In Symmacho Papa diximus, hunc Pontificem Theodoro Laureacenſi Archiepiſcopo Pallium miſiſſe. Verùm ob ſecuta bella ab Hunnis, ſeu Avaribus illata, Chriſtiana Religio in Norico penitus extincta eſt; eam poſtea inſtauravit ſanctus Rudbertus, ſeu Rutpertus, qui illuc ex civitate Wormatienſi, cujus Epiſcopus erat, exeunte ſæculo ſeptimo profectus eſt. Poſt Rudbertum ſanctus Bonifacius Germaniæ Legatus Apoſtolicus aliquot Epiſcopatus in Germania fundavit, & Sedem Moguntinam in Metropolim erigi à Zacharia Papa obtinuit. Tum regnante Carolo Magno Colonia eodem honore exornata: tandemque ejuſdem Caroli tempore, anno ſeptingenteſimo nonageſimo octavo, urbs Saltzburgenſis à Leone Papa III Metropolis effecta, eique ſubjecti Epiſcopatus, qui aliàs Metropoli Laureacenſi ſubditi fuerant. Verùm cùm tres illi Archiepiſcopatus ampliſſimis Norici, & Germaniæ regionibus non ſufficerent, viſum eſt Romano Pontifici Eugenio, Laureacenſem jam à tot annis extinctum, in integrum reſtituere; ob idque Urolpho Laureacenſi Antiſtiti, qui anno 824, aut ſequenti ad limina Apoſtolorum orationis causâ venerat, Pallium conceſſit, eique vices Apoſtolicas commiſit in regionibus Hunniæ, ſeu Avariç, Moraviæ, & Pannoniç provinciarum, ac tandem è ſeptem Epiſcopatibus, olim Laureacenſi Archiepiſcopo ſubditis, quatuor ei ſubjecit, donec alii erigi poſſent. Hæc conſtant ex literis ipſius Eugenii Papæ, quę Tomo 7 Concil. leguntur, & inſcriptis quatuor illis Epiſcopis ſuffraganeis, necnon & duobus *Ducibus, & Optimatibus, exercitibuſque plebis Hunniæ, quæ & Avaria dicitur & Moravia.* Sed Urolpho circa annum 837 demortuo, ſuppreſſum eſt Laureacenſis Archiepiſcopatûs nomen: diœceſes Laureacenſis, ac Patavienſis iterum ſimul unitæ ſunt, & in unam provinciam coaluerunt Salisburgenſis, & Laureacenſis Metropoles uſque ad Pontificatum Leonis Papæ hujus nominis VII.

XI. *Legatos ad Ludovicum Imp. mittit.*

Anno octingenteſimo vigeſimo ſexto Eugenius Pontifex ad Ludovicum Imperatorem, Conventum apud Inglheim circa Kalendas Junias celebrantem, Legatos miſit, Leonem Centumcellenſem Epiſcopum, & Theophylactum Nomenclatorem, ut habent Auctor Vitę Ludovici Pii, & Eginhardus in Annalibus, qui cauſam iſtius Legationis non produnt: imò quod iſti Legati attulerint, altum apud hujus temporis Scriptores ſilentium.

XII. *Concilium Romæ celebrat pro diſciplina Eccleſ. reſtituenda.*

Eodem Chriſti anno octingenteſimo vigeſimo ſexto, & quidem die 17 menſis Novembris, Eugenius Papa Concilium Romæ celebravit, cui adfuerunt Epiſcopi numero ſexaginta tres, Presbyteri ſeptemdecim, & aliqui Diaconi, omnes ex iis ditionibus, quæ vel Romano Pontifici, vel Ludovico Auguſto in Italia parebant. Illud Holſtenius in ſecunda parte Collectionis Romanæ integrum publicavit, extatque Tomo 8 Concil. Labbei. In eo conditi Canones triginta & octo ad diſciplinam Canonicam reſtituendam: quorum trigeſimo tertio ſtatuit, *ut nulli laicorum liceat in eodem loco, ubi Sacerdotes, reliquive Clerici conſiſtunt, quod Presbyterium nuncupatur, quando Miſſa celebratur, conſiſtere, ut liberè, ac honorificè poſſint ſacra officia exercere.* Quem Canonem confirmavit Leo IV Papa in alio Concilio Romæ habito anno 853, Canone 33, addens, ne ſæculares intra ſacros cancellos tentent accedere, niſi Epiſcopo permittente. Canon trigeſimus quartus oſtendit, quantam curam habuerit Eugenius ſcholarum in Italia: *De quibuſdam locis*, inquit, *ad nos refertur, non magiſtros, neque curam inveniri pro ſtudio literarum. Idcirco in univerſis Epiſcopiis, ſubjectiſque plebibus, & aliis locis, in quibus neceſſitas occurrerit, omninò cura, & diligentia habeatur, ut Magiſtri, & Doctores conſtituantur, qui ſtudia literarum, liberaliumque artium, ac Sancta habentes dogmata, aſſiduè doceant, quia in his maxime divina manifeſtantur, atque declarantur mandata.* Hunc Canonem itidem confirmavit idem Leo IV in laudato Concilio, Canone 34, & addidit. *Et ſi liberalium artium præceptores in plebibus, ut aſſolet, rarò inveniantur, tamen Divinæ Scripturæ Magiſtri & inſtitutores Eccleſiaſtici officii nullatenus deſint, qui & annualiter proprio Epiſcopo de ejuſdem actionis opere ſolicitè inquiſiti debeant reſpondere. Nam qualiter ad divinum utiliter cultum aliquis accedere poſſit, niſi juſta inſtructione doceatur?* Pręcipit Leo IV, ut vel in ipſis vicorum ſcholis Profeſſores ſint, qui Scripturas interpretentur, & officia divina exponant. Uterque itaque Pontifex ſupponit, literas hoc tempore non ſolùm Romæ, ſed etiam in aliis Italiæ Civitatibus, & parochiis vigere; adjicitque tantùm, ut illic habeantur utriuſque literaturæ, ſacræ ſcilicet & ſæcularis, quàm fieri poteſt peritiſſimi. Ceteros hujus Concilii Canones explicat Natalis Alexander Sæc. 9. part. 1, art. 4.

XIII. *Mortalitatem explet*

Eugenium Papam anno octingenteſimo

Digitized by Google

SÆC. IX. EUGENIUS II. mo vigeſimo ſeptimo obiiſſe, tradunt Eginhardus in Annalibus, Auctor Vitæ Ludovici Pii, & Annaliſta Bertinianus: *Eugenius Papa*, inquit Eginhardus, & poſt eum alii ad annum 827, *menſe Auguſto deceſſit*. Auctor libri Pontificalis tradit eum ſediſſe *annos quatuor, menſes duos, dies viginti tres*, ſed numeros in eo corruptos eſſe oportet; ſi enim poſt mortem Paſchalis Sedes vacavit dies tantùm quatuor, & ipſe Paſchalis obit menſe Januario indictione prima, ut in eodem libro Pontificali legitur, Eugenius ejus ſucceſſor ordinatus eſſet menſe Januario ejuſdem indictionis primæ, & conſequenter anno 824, ſicque in ejus ſententia obiiſſet menſe Aprili anni 828, quod repugnat & Chronologiæ ſequentium Pontificum, & omnibus ferè Francorum Annaliſtis, qui uno conſenſu tradunt, Eugenium menſe Auguſto anni 827 mortalitatem expleſſe. Sed cùm nullus ex Antiquis diem mortis ejus memoraverit, quot præciſè menſes & dies ſupra annos tres ſederit, incompertum, illudque tantùm certum, eum menſe Auguſto anni 827 è vivis exceſſiſſe.

XIV. *Purgationem per aquam frigidam inſtituit.* Mabillonius Veterum Analectorum Tomo I ex pervetuſtis membranis Remigianis, ſæculo 9, ut ipſe ait, exaratis, exhibet ritum purgationis per aquam frigidam, quæ in iis dicitur ab Eugenio Papa II inſtituta. Natalis verò Alexander Sæc. 9 cap. I art. 4 vix ſibi perſuadere poteſt id ab Eugenio inventum, & ab omnibus Chriſtianis obſervari juſſum: quia, inquit, incredibile eſt prudentiſsimum Pontificem, morem jurandi ſuper Altare, & Reliquias Sanctorum abrogaſſe, & ritum, quo Deus tentaretur, miraculum ab ipſo poſtulando abſque neceſsitate invexiſſe. Secundò, quia in eo ritu, qui mittendi ſunt in aquam adjurantur *per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum..... & per unigenitum Filium Dei, & per Sanctam Trinitatem*, quaſi unigenitus Dei Filius, & Sancta Trinitas à Patre & Filio & Spiritu Sancto diſtinguantur. Tertiò, quia jubetur Sacerdos accedere ad Altare, & eis Euchariſtiam dare dicendo; *Corpus hic & Sanguis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſit vobis ad probationem hodie*: credibile autem non eſt Eugenium vetuiſſe juramentum ſuper Altare propter periculum perjurii, & juſsiſſe ut daretur corpus Chriſti ad probationem cum periculo evidenti Sacrilegii. Quartò denique, quia Ludovicus Pius in Capitulario anni 829 cap. 12 prohibet probationem per aquam frigidam, quam non abrogáſſet, ſi Eugenius illam inſtituiſſet. Ita Natalis Alexander.

XV. *Illius decreti ſinceritas oſtenditur.* Sed his non obſtantibus, cùm huic inſtitutioni Eugenio aſſerendæ ſuffragetur, teſte Mabillonio in adnotatione ad illam, vetus collectio Canonum in Monaſterio S. Mariani apud Autiſſiodorum adſervata, in qua forma Judicii per aquam frigidam refertur cum hoc titulo: *Hoc judicium atque examinationem miſit Domnus Apoſtolicus in Franciam, ut non violarentur ſacra Altaria Sanctorum, ſed per hanc adjurationem, & judicium aquæ frigidæ poſſit pateſcere veritas*, vix mihi perſuadere poſſum hujus probationis, vel potius formæ, & ritûs probationis inſtitutionem Eugenio II fuiſſe ſuppoſitam; cùm præſertim plura exempla apud Gregorium Turonenſem mox laudanda evincant, jam longè ante hæc tempora illud probationis genus in uſu fuiſſe, ideoque rigoroſè loquendo Eugenium illud non inſtituiſſe, ſed ſolam formam illius præſcripſiſſe. Quare objecta à viro doctiſsimo eſſe ſufficientia ad ei fidem denegandam, mihi in animum inducere non poſſum.

XVI. *Opinionis contrariæ primum fundamentum refellitur.* Nam quoad primum attinet, mirum non eſt Eugenium morem jurandi ſuper Altare, & Reliquias Sanctorum abrogaſſe, & ritum præſcripſiſſe, quo Deus tentaretur, miraculum ab ipſo poſtulando ſine neceſsitate. Nonne enim tentabatur Deus, & miraculum ſine neceſſitate ab ipſo poſtulabatur, quando purgationes fiebant per ignem, vel per ferrum candens, vel per aquam calidam, vel per vomeres, aliaque hujuſmodi? & tamen hæc probationum genera, quamvis ab aliquibus aliquando improbata legantur, præſertim ab Agobardo Lugdunenſi Archiepiſcopo, qui libellum adversùs ea ex profeſſo conſcripſit, graviſſimis tamen ac Sanctiſſimis viris fuerunt accepta, frequentibuſque miraculis à Deo confirmata. Earum omnium probationum, imò ipſius aquæ frigidæ uſum Gregorii Turonenſis tempore, ipſoque ſæculo quinto jam invaluiſſe, probant exempla, quæ leguntur apud eundem Gregorium in Hiſt. lib. 2 cap. 1 in libro de Gloria Confeſſorum cap. 14, de Gloria Martyrum capp. 68, & 69; ac libro 2 Hiſt. Eccleſiaſt. Theodori Lectoris pag. 565, & ſeq. ex editione Henrici Valeſii. Et hoc ipſo ſæculo nono legimus in libro Hincmari Remenſis Archiepiſcopi de divortio Lotharii, & Teutbergæ, Interrogatione prima, Teutbergam Reginam laicorum nobilium judicio, Epiſcoporum conſilio, & ipſius Regis Lotharii mariti conſenſu procuratorem miſiſſe ad Judicium aquæ ferventis, qui ex aqua illæſus evaſit. Et ſæculo undecimo ineunte, Sancta Cunegunda Auguſta, expurgationis gratiâ ad vomeres candentes Judicium ſibi delegit, quos *nudo veſtigio calcavit, & ſine aduſtionis moleſtiâ ſecura pertranſiit*, ut legitur in Vita S. Henrici Imperatoris ejus conjugis cap. 21 apud Surium. Quòd ſi purgationes illæ, quibus tentabatur Deus, & miraculum ſine neceſsitate ab eo poſtulabatur, permiſsæ erant, & à viris ſanctiſsimis adhibebantur, Judicium per aquam fri-

Digitized by Google

frigidam jam à ſæculo quinto uſitatum adhiberi non potuiſſe, gratis, & ſine fundamento dicitur.

XVII. Refellitur ſecundum.

Quod attinet ad ſecundum Natalis Alexandri fundamentum, ſi ejus ratio valeret, ſuppoſitionis pariter, imò & erroris arguenda eſſent plura antiqua monumenta, & inter ea plures ex ordinibus, quos repræſentat Edmundus Martene lib. 3 de Antiquis Eccleſiæ Ritibus, cap. 7, quod eſt *de variis Judiciis, ſeu probationibus ad detegenda occulta, ſeu dubia crimina*; in pluribus enim ex illis, vel aqua, vel qui probandi ſunt, adjurantur per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & poſtea per Sanctam Trinitatem, ac tandem quandoque adhuc per Filium Dei. In ordine 3 pag. 463. *Adjuro vos omnes, qui ad hoc veniſtis, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per illum baptiſmum, quem vos ſuſcepiſtis, & per unigenitum Filium Dei, & per ſanctam & individuam Trinitatem*, &c. In adjuratione aquæ pagina ſequenti: *Adjuro te, aqua frigida in nomine Patris omnipotentis*, &c. *Adjuro te etiam per immortale nomen Chriſti, Filii Dei Omnipotentis*, &c. *Adjuro te etiam per Spiritum Sanctum*, &c. *Adjuro te per individuam Sanctam Trinitatem*, &c. In exorciſmo pariter hominis probandi ordinis 5 pag. 470 ita legitur: *Adjuro te homo per invocationem Domini noſtri Jeſu Chriſti & per judicium aquæ frigidæ. Adjuro te per Patrem & per Filium, & per Spiritum Sanctum, & Trinitatem inſeparabilem, & per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, &c. Cùm itaque hæ repetitiones non ſufficiant ad probandam illorum ordinum ſuppoſitionem, vel errorem, ita nec ad prædictam conſtitutionem Eugenio II abjudicandam.

XVIII. Tertium & quartum etiam rejiciuntur.

Ait tertiò Natalis Alexander credibile non eſſe, Eugenium vetuiſſe juramentum ſuper Altare propter periculum perjurii, & juſſiſſe ut daretur corpus Chriſti ad probationem cum periculo evidenti ſacrilegii. Sed probationem per corpus Chriſti, non obſtante illo ſacrilegii periculo, nono ſæculo prævaluiſſe, & non multò poſt Eugenium II, conſtat ex Canone 15 Wormatienſis Concilii anno 868 celebrati, quo ſtatuitur, ut ad inquirendum furti auctorem in monaſteriis, Miſſa ab Abbate, vel ab alio Presbytero, ejus juſſu, celebretur, & ſinguli Monachi pro purgatione ſua corpus & ſanguinem Chriſti percipiant, ut ita ſe innocentes oſtendant. Similis purgatio per corpus Domini *Gerfredo* Monacho, qui Adalgarium Auduenſem Epiſcopum veneno necaſſe dicebatur, indicta eſt decreto Synodi Cabilonenſis anno 894. Hunc inquirendæ veritatis modum à Roberto Francorum Rege damnatum eſſe, teſtatur quidem Helgaldus in ejus Vita; in Epiſtola nempe ab eodem Roberto ad Leothericum Archiepiſcopum Senonenſem data: à Gregorio tamen VII Sanctiſsimo Pontifice non longè poſt Robertum Regem hæc purgatio per corpus Domini uſurpata, ut aſſerit Lambertus Scaſnaburgenſis ad annum 1077, ubi refert, ipſum celebrando Miſſam, cùm communioni proximus eſſet, Regem Henricum ad Altare evocaſſe, & manu præferentem Corpus Chriſti, dixiſſe: *Ecce corpus Dominicum, quod ſumpturus ero, in experimentum mibi hodie fiat innocentiæ meæ*, &c. *præfatus verba terribilia..... partem Dominici corporis accepit, & comedit.... Tandem impetrato ſilentio converſus ad Regem, fac ergo, inquit, fili quod me facere vidiſti*. Ex quibus ſolvitur quarta Natalis Alexandri objectio. Sicut enim Robertus Rex, non obſtantibus Conciliorum Wormatienſis, & Cabilonenſis decretis, hunc uſum damnavit; ita Ludovicus Pius probationem per aquam frigidam vetuit. Sed ſicut Gregorius VII purgationem per corpus Chriſti adhibuit poſt Robertum, ita Judicium per aquam frigidam in uſu fuit poſt Ludovici Pii prohibitionem: Hincmarus ſiquidem Remorum Antiſtes, ab Hildegario Meldenſium Epiſcopo interrogatus, Judicium aquæ frigidæ multis argumentis approbavit Epiſtolà 39, ut ipſemet Natalis Alexander fatetur. Plura hujuſmodi probationum exempla legi poſſunt in Gloſſario Ducangii verbo, *Judicium*, & apud Ludovicum Celiotium in Appendice miſcellanea ad Hiſtoriam Gotteſcalchi. Porrò Edmundus Martene loco laudato, ubi quædam probationum hujuſmodi exempla profert, non meminit præfati decreti Eugenii II, quia forſan de ejus ſinceritate dubitavit.

XIX. Explicatur Judicium per crucem.

Hujus decreti Eugeniani occaſione, piaculum eſſet omittere aliud probationis, ſeu judicii genus, quod tempore Caroli Magni in uſu erat, judicium nempe per Crucem, cujus mentio eſt in Conventu, ſeu Placito, quod habuit anno 775 in villa, quæ dicitur *Duria* in Saxonia ſita. Res autem ſic agebatur. Miſſæ tempore, ſive dum pſalmi, oratioque dominica recitarentur, homines duo conducti ad Crucem ſtabant brachiis expanſis. Qui prior laſſus brachia depoſuiſſet, ejus pars victa cenſebatur. Præclarum iſtius Judicii exemplum refert Ducangius in Gloſſario in voce *Crux*, ex quodam Chronico ad annum 798: *Tandem habito conſilio pacti ſunt, ut hæc Dei, & Sancti Spiritus reſervarentur judicio, eligentes duos juvenes Clericos ſine ullo crimine exiſtimatos ſtatuerunt in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ ad Domum, & ad Crucem ſtare fecerunt, quorum unus Aragaus poſt Archipresbiter Eccleſiæ majoris nomine, ex parte publica; alter verò ex parte Sancti Zenonis*

nonis

SÆC. IX. EUGENIUS II.

nonis, pacificus videlicet, qui poſt Archidiaconus Eccleſiæ majoris fuit. Hi ambo ab introitu Miſſæ uſque ad mediam paſſionem tantùm, quæ eſt ſecundùm Matthæum, pariter ſtarent; ille qui de parte publica datus fuerat, in terram velut exanimis corruit. Pacificus verò uſque ad finem Paſſionis ſtetit. His geſtis & omnibus gratias Deo agentibus, quartam partem tam civitatis, quàm caſtelli, pars Epiſcopi accepit, lis enim inter Cives & Epiſcopum de reficiendis urbis mœnibus vertebatur; Epiſcopus quartam duntaxat partem reparare volebat, cives tertiam ab eo partem inſtaurandam contendebant; cùmque hi probare quæ dicebant, haud poſſent, ambæ tandem partes, habito conſilio pactæ ſunt, ut lis Crucis judicio decideretur. Notitiam illam recitat Ughellus Tomo 5 in Epiſcopis Veronenſibus. Illud probationis genus ſæpius prohibitum, tandemque abolitum fuit, ſicut & alia omnia, de quibus locuti ſumus. Iſtius probationis, ſeu judicii generis, non meminit etiam Edmundus Martene loco laudato, ſed ſolùm purgationis impoſitæ ſuper caput Cruce Domini, quod genus ab iſto valde diverſum eſt, ſicuti & genus purgandi tertia, vel quinta, vel ſeptima manu, de quo in Innocentio III agemus.

VALENTINUS *Pontif. CII.*

Anno Domini DCCCXXVII.

I. *Valentinus eligitur Papa.*

EUgenio II Pontifice, anni octingenteſimi vigeſimi ſeptimi menſe Auguſto, mortuo, in ejus locum Valentinus, natione Romanus, ex patre Petro, de Regione Via-Lata, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, die incerto, ſed veroſimiliter eodem menſe Auguſto, à Romanis electus, & ordinatus eſt Pontifex, ut tradunt omnes ſuperius laudati Francorum Annaliſtæ, ipſeque Auctor libri Pontificalis, qui addit, eum factum eſſe Diaconum, & poſtmodum Archidiaconum à Paſcnali Papa, ob vitæ meritum, quo rutilabat, & Eugenium omni vitæ ſuæ tempore, eum tanquam filium dilexiſſe, ſuiſque conſpectibus aſſiduè conſiſtere voluiſſe. Porrò duratio interpontificii poſt Eugenium à nemine Antiquorum annotata.

II. *Prius inthronizatur, quàm conſecretur.*

Licèt ordinariè electioni Pontificis Romani ſuccederet ordinatio ante inthronizationem, quæ in Lateranenſi Eccleſia fieri ſolebat, cùm ordinatio facta jam eſset in Vaticana Sancti Petri; aliquando tamen inthronizatio ordinationem præcedebat, quod jam in Conone obſervatum vidimus. Idem etiam contigiſse in Valentini electione notat Mabillonius in Commentario ad Ordinem Romanum paragr. 18 ex Anaſtaſio, qui agens de Valentini electione ſcribit: *Condignis gloriæ laudibus, & honoris amplitudine ad Lateranenſe Patriarchium deductus, & in Pontificali eſt poſitus throno. Cujus ovanter ab omni Romanorum Senatu pedibus oſculatis*, &c. Poſtero die facta eſt Valentini conſecratio in Baſilica S. Petri, ut idem Auctor tradit, atque adeò inthronizatio conſecrationem præceſsit, ut etiam in Benedicto III.

III. *Ritus ejus conſecrationis.*

Quo ritu celebrata ſit ejuſdem Pontificis Valentini conſecratio, docet idem Anaſtaſius his verbis: *Ejus conſecrationis die ſereno jam illuceſcente, cum lumine jam dictum Antiſtitem ad Beati Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiam omnes pariter Romani à Palatio deducentes, cum majeſtate divina auxiliante, in alto throno ſummum conſecravere Pontificem, qui mox almificæ Sedis culmina ſcandens B. Petri Apoſtoli, & cœleſtis regni clavigeri, divinis Deo laudibus, & ſacrificiis piè oblatis, amplo, & magnifico Romanorum cœtu ad Palatium*, ſcilicet Lateranenſe, *cum ingenti gaudio remeavit, atque lautiſſimis dapibus ſumptis, multis & diverſis munerum donis ſacram plebem, & Senatum, populumque Romanum opimè ditavit.* Tunc ergo hi erant conſecrationis ritus, nempe ipſa novi Pontificis conſecratio ad ſanctum Petrum; impoſitio ejuſdem in Sedem S. Petri; oblatio ſacrificii per novum Pontificem; convivium; munera in Senatum & populum erogata, quæ *Presbyteria* vulgari nomine appellabant.

IV. *Ejus obitus.*

Breviſsimum fuiſse Valentini Pontificatum inter omnes convenit. Eginhardus in Annalibus ſcribit, eum *vix in Pontificatu unum menſem* complevisſe. Auctor verò libri Pontificalis, Luitprandus, Honorius Auguſtodunenſis, Martinus Polonus, & ſex ex Catalogis Tomo primo Criticæ Baronianæ præfixis, eum *dies quadraginta* ſediſse tradunt. Eodem itaque anno octingenteſimo vigeſimo ſeptimo, ſed menſe, & die incertis obiit Valentinus; probabiliter circa finem menſis Septembris, vel initium Octobris, de quo nihil certi affirmari poteſt.

Digitized by Google

SÆC. IX. GREGOR. IV.

GREGORIUS IV *Pontif. CIII.*

Anno Domini DCCCXXVII.

I. *Gregorius IV ſuccedit Valentino.* GRegorii IV, natione pariter Romani, Joannis filii, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri, Tituli S. Marci, electio facta videtur ſtatim, vel paulò poſt mortem Valentini. *Quo defuncto*, inquit Eginhardus, *Gregorius Presbyter Tituli ſancti Marci electus*, ſed ejus conſecratio dilata, quia non prius Pontificium munus obivit, quàm à Legatis Ludovici Imperatoris Romam miſsis, qui tantam electionem diſcuterent, confirmatus eſſet. Unde ſubdit Eginhardus: *Sed non prius ordinatus eſt, quàm Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi qualis eſſet, examinavit*, quæ totidem verbis Auctor Vitæ Ludovici Pii, & Annaliſta Bertinianus tradunt. Ordinatus eſt autem menſe & die pariter incertis, cùm dies ejus emortualis ignoretur, quemadmodum & duratio ceſſationis Sedis poſt Valentini obitum. Cùm tamen ad Imperatorem in Galliis agentem, ante ejus conſecrationem literæ datæ fuerint, & ab eo Legatus Romam miſſus ſit, ea ſub finem anni octingenteſimi vigeſimi ſeptimi peracta videtur.

II. *Legatos ad Ludovicum Aug. mittit.* Electus eſt Gregorius, & per vim abſtractus ex Baſilica Beatorum Martyrum Coſmæ & Damiani; dicebat enim ſe ad tale] miniſterium inutilem fore; indeque ductus] in Patriarchium Lateranenſe cum hymnis & canticis ſpiritualibus, inquit Anaſtaſius, qui inthronizationis ejus, non conſecrationis meminit, quæ tantum facta eſt poſt adventum Legati Imperialis, ut mox dictum eſt, ideoque ſicut in Valentino, ita & in Gregorio IV inthronizatio conſecrationem præceſſit. Gregorius poſt ſuam ordinationem Legatos ad Ludovicum Imperatorem anno octingenteſimo vigeſimo octavo miſit Quirinum Primicerium, & Theophylactum Nomenclatorem, quos Ludovicus audivit in Palatio Ingelheimenſi menſe Junio, ut prodit Eginhardus laudatus.

III. *Amalarium Legatum ſuſcipit pro corrigendis Antiphonariis.* Hadrianum Papam hujus nominis primum Carolo Magno dediſſe peritiſſimos Cantores Theodorum & Benedictum, qui Franciam corrigerent cantu, jam ſupra oſtendimus, unumque ex illis a Carolo Metis, alterum Sueſſionem miſſum eſſe, & ad utrumque ex univerſa Francia, Regio juſſu delatos eſſe Antiphonarios, ut corrigerentur. Sed cùm rurſùs iidem Antiphonarii corrigendi, augendique eſsent, anno octingenteſimo trigeſimo primo Ludovicus Pius Auguſtus Amalarium Metenſem Diaconum Romam ad Gregorium Papam miſit, ubi ab Apoſtolicà Sede didicit, quæ in poſteriori Præfatione appoſuit ad libros, quos ſcripſerat de officiis Eccleſiaſticis. Quibus addidit librum de ordine Antiphonari, in quo teſtatur ſe anno octingenteſimo trigeſimo primo ad Gregorium Papam miſſum his verbis: *Poſt hoc veniens Romam anno ab Incarnatione Domini* 821, *indictione* IX, *ſub Imperio Domini, & piiſsimi Imp. Ludovici, & Apoſtolatu glorioſiſſimi Apoſtolici Gregorii, interrogavi de ordine Reſponſorum à Feſtivitate Pentecoſtes ad Adventum Domini*. Dedit Amalario Gregorius Theodorum Archidiaconum Romanæ Eccleſiæ, qui eum de omnibus admoneret, ut ſcribit ipſe Amalarius in Prologi exordio: *Interrogavi Archidiaconum Theodorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quem rogavit Dominus Apoſtolicus, ut me inſtrueret juxtà interrogationem meam de ordine Romani officii*, &c. *Petebat Amalarius à Gregorio ut Antiphonarium ad Ludovicum Auguſtum mitteret, ſed reſpondit Gregorius*: „Antiphonarium non habeo, quem poſsim mittere „Filio meo Domino Imperatori: quoniam hos quos habuimus, Vuala quando functus eſt ſua legatione, abduxit eos „ſecum in Franciam. *Quæ memorata volumina contuli cum noſtris Antiphonariis*, inquit Amalarius, quem Baronius perperam ſcribit eſſe Amalarium Archiepiſcopum Trevirenſem; hic enim anno 814 vivere deſierat, ut ad eundem Chriſti annum oſtendit Annotator Baronii. Amalarius itaque iſte eſt Amalarius Metenſis Diaconus, quem non mirum eſt electum fuiſse ad Antiphonarios corrigendos, nam, ut ſcribit Monachus Egoliſmenſis in Vita Caroli Magni, *Majus Magiſterium cantandi in Metis civitate remanſit Quantumque Magiſterium Romanum ſuperat Metenſe in arte cantilenæ, tantò ſuperat Metenſis cantilena cæteras ſcholas Galliarum*.

IV. *Juditham Auguſtam abſolvit.* Anno octingenteſimo trigeſimo filii Ludovici Auguſti in patrem conjurarunt, & Juditham Imperatricem ejus uxorem in monaſterium detruſerunt. Sed anno ſequenti octingenteſimo trigeſimo primo Imperator Aquiſgrani, circa Kalendas Februarii Conventum habuit, in quo Romani Pontificis Gregorii & Epiſcoporum judicio, Juditha Auguſta abſoluta eſt ab iis criminibus, de quibus accuſabatur: *Ad quod Placitum*, inquit Annaliſta Bertinianus, *domna Imperatrix, ſicut juſſum fuerat, veniens de cunctis ſe objicientibus purificare velle ajebat. Per-*

cuncta-

cunctatuſque eſt populus, ſi quislibet in eam aliquod crimen objicere vellet. Cùmque nullus inventus eſſet, qui quodlibet illi malum inferret, purificavit ſe ſecundùm judicium Francorum de omnibus, quibus accuſata fuerat. Theganus autem cap. 37 addit: *Inde venit Dominus Imperator Aquis ad Sedem ſuam & ſupradicta conjux* (Juditha) *venit ibi obviam ei, quam honorifice ſuſcepit, jubente Gregorio Romano Pontifice cum aliorum Epiſcoporum juſto judicio.*

V. *Quare Gregorii PP. auctoritas ad eam abſolutionem neceſſaria.*

Quia enim velo impoſito Juditha Imperatrix projecta fuerat in Monaſterium ad agendam publicam pœnitentiam, poſt crimen per ſacramenta dilutum, neceſſe erat, ut pœnitentiæ indictio injuſta reſcinderetur. Id autem fieri non poterat auctoritate Regia, ex decreto conventûs publici, ſed judicio Eccleſiaſtico, poteſtate Eccleſiaſtica. Quod ita factum Theganus citatus obſervavit. Romani Pontificis auctoritas, inquit Marca lib. 3 Marcæ Hiſp. cap. 23 n. 9, adjuncta eſt judicio Epiſcoporum Franciæ, ſolo Auguſtorum intuitu, quorum dignitas cauſam iſtam majorem efficiebat. De majoribus autem cauſis Sedem Apoſtolicam conſulendam docuit olim Innocentius primus. Ex eadem perſonarum dignitate profectum, ut de divortio Lotharii Regis & Teutbergę actum fuerit coram Nicolao Papa primo, adeout, quæ hodie fiunt in cauſis Regum Eccleſiaſticis ad Summum Pontificem, relationes non careant ſuis exemplis; quæ celebriores factæ, poſtquam Pontificum reſcriptis à juriſdictione ordinaria Principes exempti ſunt. Olim tamen perpetuum non erat, ut in cauſis Eccleſiaſticis Principum expectaretur auctoritas ſummi Pontificis, ut patet ex pœnitentia publica ab aliquot Epiſcopis Ludovico Pio Auguſto per vim indicta, quæ ab Epiſcopis aliis ſoluta eſt, non conſulto Romano Pontifice, & poſteà à Synodo plenariâ confirmata.

VI. *Gregorius PP. Hamburgenſis Archiepiſcopatus inſtitutionem confirmat.*

Cùm Sanctus Anſcharius in Daniam anno octingenteſimo vigeſimo ſexto profectus eſſet, ibique per biennium Chriſti fidem prædicaſſet, in Sveciam à Ludovico Auguſto anno octingenteſimo vigeſimo nono miſſus eſt, & Svecis Evangelio annunciato, plures ex illis baptizavit. Ex miſſione ſua reverſus anni octingenteſimi trigeſimi primi initio, ad Ludovicum Auguſtum venit ante Conventum Aquiſgranenſem, de quo mox locuti ſumus, ſed antequam conventus ſolveretur, conſecratus eſt primus Archiepiſcopus Hamburgenſis. Rembertus enim in hujus Sancti Præſulis Vita, à Mabillonio Sæculo 4 Benedict. parte 2 recitata ſcribit, Ludovicum per S. Anſcharium, ejuſque ſocios edoctum jam fidem Chriſti in partibus Danorum, & Sveonum fructificare cæpiſſe, cum conſenſu Epiſcoporum, in ultima Saxoniæ regione trans Albim in civitate Hamburgenſi Sedem decreviſſe conſtituere Archiepiſcopalem, *cui ſubjaceret univerſa Nordalbingorum Eccleſia, & ad quem pertineret omnium regionum Aquilonarium poteſtas*, & ad hanc Sedem Anſcharium conſecrari feciſſe Archiepiſcopum per Drogonem Metenſem Præſulem, adſtantibus Ebbone Remenſi, Hetti Trevirenſi, & Otgario Moguntiacenſi. Sanctum Anſcharium recens ordinatum Lodovicus Auguſtus direxit ad Sedem Apoſtolicam, cum Bernoldo Straſburgenſi, Ratoldo Sveſſionenſi Epiſcopis, ac Geroldo Comite, Legatis ſuis, ut Hamburgenſis Sedis inſtitutio à Gregorio Papa confirmaretur, *quod etiam ipſe tam decreti ſui auctoritate, quàm Pallii datione, more prædeceſſorum ſuorum roboravit.*

VII. *S. Anſcharium ejuſdem Sedis Archiep. Legatum conſtituit.*

Gregorius Anſcharium non ſolùm pallio donavit, ſed & ipſum Legatum Apoſtolicum *in omnibus circumquaque Gentibus Sveonum, ſive Danorum, necnon etiam Sclavorum, aliarumque in Aquilonis partibus gentium conſtitutarum, unà cum Ebbone Remenſi Archiepiſcopo, qui ipſam legationem ante ſuſceperat, delegavit, & ante corpus, & confeſſionem Sancti Petri Apoſtoli publicam evangelizandi tribuit auctoritatem. Et ne horum quidquam in futurum irritum fieret, omnem reſiſtentem, & contradicentem, vel quolibet modo his Sanctis ſtudiis piiſſimi Imperatoris inſidiantem, anathematis mucrone percuſſit, atque perpetua ultione reum diabolica ſorte damnavit*, inquit idem Rembertus Sancti Anſcharii diſcipulus, & ſucceſſor loco laudato. Porrò eandem miſſionem Ebboni Archiepiſcopo Remenſi jam fuiſſe injunctam, in Paſchali Papa diximus, & diſertè aſſerit Rembertus immediatè poſt laudata verba. Gregorii IV reſcriptum, quo Sanctum Anſcharium Legatum Apoſtolicum conſtituit, refertur ab eodem Mabillonio ibidem. Quibus limitibus Anſcharii Legatio circumſcriberetur explicat Carolus Cointius in Annal. Eccleſiaſt. Francorum anno 830 num. 7.

VIII. *In Franciam pergit ad conciliandam pacem inter Ludovicum Aug. & filios.*

Anno octingenteſimo trigeſimo tertio, filii Ludovici Auguſti, ſcilicet Lotharius Auguſtus, Pippinus Aquitaniæ, & Ludovicus Bajoariæ Reges in apertum bellum adversùs patrem erupére, ac hinc, & inde ingentes exercitus collecti. *Tandem ad id ventum eſt*, inquit Auctor Vitæ Ludovici Pii, *ut filios Imperatoris in unum cum copiis, quibus poterant, coire facerent, Gregoriumque Papam advocarent, ſuo ornatu quaſi qui patri ſolus filios reconciliare deberet, & poſſit. Rei tamen eventus poſt claruit.* Rumor enim ſparſus erat Gregorium à Lotharii partibus ſtare contra Ludovicum patrem, ut idem Auctor tradit, ſicuti & Nithardus, qui Agobardi Archiepiſcopi Lugdunenſis, ceterorumque conjuratorum Lotharianæ factionis

ctionis conſilia exponens, ait: *Inſuper autem, & Gregorium Romanæ Summæ Sedis Pontificem, ut ſua auctoritate liberiùs, quod cupiebant, perficere poſſent, ſub eadem ſpecie magnis precibus in ſupplementum ſuæ voluntatis aſſumunt*. Agobardus ipſe in Epiſtola *de comparatione utriuſque regiminis, Eccleſiaſtici & politici*, inſcripta, refert juſſiſſe in primis Imperatorem, ut præter militarem ordinem, Eccleſiaſticus etiam contra præſentes commotiones paratus eſſet. Agobardi ſcopus in ea Epiſtola eſt; ut Imperatori ſuadeat pacem, concordiamque regni redintegrandam ex legibus præſcribendis à Gregorio Papa, quem Lotharii, Lotharianæque conjurationis fautorem temerè credidit, ut mox dicetur. Auctor Vitæ Ludovici Pii laudatus ſcribit poſtea: *cùm autem haud procul inde aciebus ordinatis conſiſterent, jam jamque in arma ruendum putaretur, nunciatum eſt Imperatori advenire Papam Romanorum, quem venientem Imperator in ipſa acie conſiſtens ſuſcepit, licèt indecentiùs, quàm debuit, imputans ei quòd ipſe ſibi talem ſuſceptionem præparaverit, qui inuſitato modo ad ſe venerit*.

IX. Re infecta Romam redit.

Ductus autem Papa, proſequitur idem Auctor, *in habitationem Caſtrenſem, multis aſſertionibus perdocuit, non ſe tantùm iter ob aliud ſuſcepiſſe, niſi quia dicebatur, quòd inexorabili diſcordia contra filios laboraret; ideoque pacem inter utramque partem ferre vellet. Audita verò parte Imperatoris manſit cum eo aliquot diebus. Remiſſus autem ab Imperatore ad filios, ut pacem mutuam necteret: cùm penè omnis populus partim donis abſtractus, partim promiſſis illectus, partim minis territus, ad eos, populumque cum eis conſiſtentem more torrentis deflueret, nequaquam, ut fuerat juſſus, eſt permiſſus redire*, ad Ludovicum ſcilicet Imperatorem, in quem malevolo animo non fuiſſe deducitur ex Thegano cap. 41, ubi ſcribit: *Venerunt ad colloquium Imperator, & jam dictus Pontifex. Qui non diù loquentes honoravit eum Pontifex in primis magnis & innumeris donis. Poſtquam uterque rediit in tabernaculum, miſit Imperator dona Regalia per Alungum venerabilem Abbatem, & Presbyterum ſupradicto Pontifici*. Quæ omnia ſunt indicia mutuæ Papam inter & Imperatorem amicitiæ. Imò filios Imperatoris Gregorio non confidiſſe poſt ejus è caſtris Ludovici reditum, eruitur ex laudatis Auctoris Vitæ ejuſdem Ludovici verbis, aſſerentis eos non permiſiſſe, ut ad Ludovicum rediret, quia nempe cauſæ ſuæ diffidebant, & piiſſimi Pontificis æquitatem probè noverant. Gregorius itaque re infectâ Romam reverſus eſt. Quiſnam autem fuerit exitus hujus conjurationis, legere eſt apud Annaliſtas Francorum.

Bonifacium IV Pantheon dedicaſſe in honorem Sanctæ Mariæ, & omnium Martyrum, eamque ſolemnitatem poſtea Gregorium III in honorem omnium Sanctorum obſervari ab omni Eccleſia decreviſſe, oſtendimus in ejuſdem Bonifacii Pontificatu. Eam feſtivitatem poſtea in Anglia celebratam eruitur ex genuino Martyrologio Bedæ, qui obiit anno 735, in eo enim ad Kalendas Novembris habetur: *Feſtivitas omnium Sanctorum*. Ejus mentio eſt in Pontificali Egberti Archiepiſcopi Eboracenſis, qui obiit anno 761. Verùm in Galliis paucis ante Caroli Magni mortem menſibus, illud non celebrabatur, quod colligitur ex Capitularibus eo regnante editis, & ex Concilio Moguntino anni 813, in quibus tametſi de feſtivitatibus infra anni circulum publico cultu celebrandis agatur, nihil tamen de ſolemnitate Sanctorum omnium. Quare Gregorius IV Ludovicum Pium anno 835, Sigeberto in Chronico, & Adone in Martyrologio teſtibus, monuit, ut in ſuis ditionibus feſtivitas omnium Sanctorum ageretur. *Tunc monente Gregorio Papa*, inquit Sigebertus ad eum Chriſti annum, *& omnibus Epiſcopis aſſentientibus, Ludovicus Imperator ſtatuit, ut in Gallia, & Germania feſtivitas omnium Sanctorum in Calendis Novembribus celebraretur, quam Romani ex inſtituto Bonifacii Papæ celebrant*. Obſervat autem Edmundus Martene in Tractatu de Antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis officiis pag. 587 ante Gregorium IV in quibuſdam Galliarum Eccleſiis feſtum illud celebratum fuiſſe, cùm ejus mentionem faciat Sanctus Adalhardus utriuſque Corbejæ Abbas in Statutis anno 822 editis in lib. 2 cap. 3 apud Dacherium Tomo IV Spicilegii.

X. Feſtum omnium SS. in Gallia & in Germania celebrandum ſtatuit.

Anno octingenteſimo trigeſimo ſexto Ludovicus Auguſtus dixerat *ſe limina Beatorum Apoſtolorum inviſere velle. Quod ne fieret, irruptio Nordmannorum in Friſiam impedivit*, inquit Auctor Vitæ ejus. Quare poſtquam ab itinere in Italiam ſuſcipiendo animum revocaſſet, ut Normannorum inſolentiam reprimeret, Adrebaldum Abbatem Flaviniacenſem Romam ad Gregorium Papam miſit, *de neceſſariis conſulturum, & voluntatem Imperatoris, ceteraque ſibi injuncta* perlaturum. Adrebaldus Romam perveniens *Dominum Gregorium Papam ægrotantem reperit, & maximè fluxu ſanguinis, qui licèt ſenſim, continuò tamen ex naribus defluebat. Sed tanta alacritate & gaudio ad verba Imperatoris, & compaſſionis ejus recreatus eſt, ut profiteretur ſe pene incommoditatis propriæ oblitum. Itaque & miſſum ad ſe opulentiſſimè curavit apud ſe conſiſtentem, & ditiſſimè muneravit recedentem, mittens cum eo duos Epiſcopos, Petrum Centumcellenſis urbis, & Georgium Regionarium Romanæ urbis ſimul Epiſcopum*. Sed ut ſubdit

XI. Ludovici Aug. ad Papam & hujus ad Ludovicum Legationes.

Digitized by Google

dit idem Auctor, Lotharius Imperator Ticini tunc reſidens eos Epiſcopos ultra Bononiam progredi prohibuit. *Adrebaldus tamen Epiſtolam Imperatori deſtinatam ab eis occultè ſuſcepit, & quidam ſuorum ſub obtentu mendici, quo uſque Alpes tranſiret, ferendam commiſit, ac poſt Imperatori porrexit.*

XII. *S. Aldrico Epiſc. Cenomanenſi baculum paſtoralem mittit.*

Cùm Sanctus Aldricus Cenomanenſis Epiſcopus Ludovico Auguſto, & poſt ejus mortem Carolo Calvo Regi ejus filio ſemper adhæſiſſet, & nunquam defeciſſet à fide, qua ſe vel Imperatori, vel Regi ſciebat obnoxium, mortuo anno 840 Ludovico, & tota Neuſtria civili bello ardente, à ſeditioſis Cenomanenſibus è ſua pulſus Eccleſia, ad Carolum Calvum Regem confugit, in cujus comitatu cum inſigni laude per plures menſes permanſit, donec ſuæ Sedi ab eodem Rege reſtitutus eſt. Quare eo anno Gregorius Papa ſcripſit Epiſtolam, quæ extat Tomo 7 Concil. pag. 1571, datam *univerſis Coëpiſcopis per Galliam, Germaniam, Europam, & per univerſas provincias conſtitutis*, de Aldrico non aliàs, quàm apud Sedem Apoſtolicam accuſando, & de Romani Pontificis poteſtate. Hanc quidem Epiſtolam Cointius in Annalibus Eccleſiaſt. Franc. ad annum 839 n. 26, & ſeqq. ſuppoſititiam arbitratur; ſed, ut ſcribit Annotator Baronii, nihil in medium adducit, quòd id evincat, & paſſim à viris doctis ut vera & germana recipitur. Certè Aldricus apud Gregorium Papam magno in numero habitum eſſe, apparet ex Epiſtola ejuſdem Pontificis, quæ ad nos non pervenit, ſed cujus mentio eſt in prolixis Geſtis Sancti Aldrici à Baluzio Tomo 3 Miſcellaneorum recitatis, in quibus cap. 44 legitur: *Præfatus Aldricus Epiſcopus tantæ fuit dignitatis & honoris, amoriſque, ut uſque ad Romanam Sedem ejus rumor pervenerit, eique domnus Gregorius Romanæ Sedis Eccleſiæ venerabilis Apoſtolicus Roma in pago Cenomanico ſuum veſtimentum ſacerdotale miſerit, illud ſcilicet veſtimentum, quo in Paſcha indutus fuerat. Miſit etiam ei baculum paſtorale, quod ferula nuncupatur, und cum ſua Epiſtola, vocans eum, ut ſi poſſibile foret, uſque ad eum perveniret; eique conceſſit, ut qualemcumque petitionem à Sede Sancti Petri accipere vellet, aut per ſe ipſum, aut per ſuum Miſſum ei voluntariè, & lubenti animo mitteret, atque concederet.* De baculo paſtorali, ſeu ferula, ſeu pedo, inſigniis dignitatis tam Papalis, quàm Epiſcopalis legendus Ducangius in ſuo Gloſſario. Obiit porrò S. Aldricus anno 856.

XIII. *Gregorii Epiſtola de Ebbone Remenſi Archiepiſc. ſuppoſititia.*

In eodem Conciliorum Tomo VII pag. 1575 extat alia Epiſtola ejuſdem Gregorii Papæ, *ad Epiſcopos, & orthodoxos fideles*, qua Ebbonem Remenſem Archiepiſcopum, ab Epiſcopatu anno 835 depoſitum, ut conjurationis in Ludovicum Imperatorem reum, in priſtinum gradum reſtituit. Verùm Sirmondus, qui in Appendice ad Concilia Galliæ Tomo 3, primus eam è tenebris eruit, brevem hanc notam ex codice Laudunenſi, ex quo ea Epiſtola deſcripta, ſubjecit: *Hæc compilata Epiſtola, quàm ſit mendax, ipſa evidens ratio monſtrat: quia tempore Gregorii, cujus nomine iſta conſcribitur, Imperator Hludovicus ab Imperio eſt depulſus, & Ebbo poſt reſtitutionem ipſius Imperatoris ſuo & Epiſcopali judicio eſt depoſitus, & à Sergio ſucceſſore Gregorii ſub laica tantùm communione eſt condemnatus.* Cùm igitur priùs obierit Gregorius, quàm geſta ſint varia, quæ literis ab eo mandata perhibentur, ea Epiſtola merè fictitia; quod etiam evincunt geſta ſub Sergio II Papa in cauſa Ebbonis, de quibus ſuo loco.

XIV. *Miſſi Imperiales juſtitiam Romæ exercent ſedente Gregorio IV.*

Sedente Gregorio IV, quo anno incertum, Miſſi Imperiales à Ludovico Auguſto ad juſtitias faciendas Romam directi, judicarunt litem, quæ pendebat inter Romanam Eccleſiam, & Abbatem Monaſterii Farfenſis, ſeu Acutiani, in Ducatu Spoletano ſiti. In Excerptis enim Chronici ejuſdem Monaſterii Farfenſis apud Ducheſnium Tomo 3 legitur, Legatis in judicio reſidentibus, propoſitam eſſe in palatio Lateranenſi coram eis controverſiam de quibuſdam poſſeſſionibus, & Ingoaldum ejuſdem Monaſterii Abbatem, retuliſſe, *quòd Domni Adrianus, & Leo Pontifices per fortiam invaſiſſent res hujus Monaſterii, ideſt curtem Corviniaṅum, & curtem S. Viti, &c. Unde tempore Stephani, Paſchalis, & Eugenii ſemper reclamaverat, & juſtitiam minimè invenire poterat.* Cùm primo die finis cauſæ imponi non potuiſſet, res dilata, tandemque auditis utriuſque partis rationibus, ac maturè diſcuſſis, pronunciatum eſt ſecundùm Monaſterium. Verùm Gregorius IV judicatis ſtare noluit, & à Miſſorum Imperialium ſententiâ ad Imperatorem appellavit. *Hæc ſupradicti Miſſi, ſive Judices audientes judicaverunt, ut Gregorius Advocatus Pontificis retraderet ipſas curtes Audulfo Advocato ad partem hujus Monaſterii, quod facere noluit. Sed & ipſe Apoſtolicus dixit noſtro judicio ſe minimè credere, uſque dum in præſentia Domni Imperatoris ſimul venirent*, inquit Auctor Chronici Farfenſis ex Actis ejuſdem Monaſterii. Hoc eſt illuſtre exemplun ad aſſerendam auctoritatem judiciorum Imperialium in Romana urbe.

XV. *Gregorius PP. Oſtiam civitatem mœnibus munit.*

Cùm Saraceni univerſas Italiæ oras claſſe piraticâ infeſtarent, & ad Italiam totam occupandam animum adjicerent, Gregorius Papa imminens malum avertere, quibus valuit viribus, feſtinavit, & Oſtia Tiberina, jam vetuſtate mœnibus collabentibus, antiquam civitatem, novis muris

munire

Digitized by Google

SÆC. IX. GREGOR. IV. munire aggreſſus eſt, & veterem in novam mutare, quam abſolutam *Gregoriopolim* appellavit. Hæc conſtant non ſolùm ex Anaſtaſio in Vita Gregorii, ſed & ex Frodoardo in Fragmento de Pontificibus Romanis apud Mabillonium Sæc. 3 Benedict. parte 2.

Præterea curas arcendis corde volutans
Hoſtibus, inſtaurare novis de mœnibus urbem.
Fundatamque locans firmis erigere muris
Perſiſtit, proprioque vocat de nomine quondam
Hoſtia, quæ priſcis gliſcens ſit dicta colonis.

XVI. Eccleſias multas inſtaurat, & ornat. Gregorium præterea Eccleſias plurimas inſtauraſse, & donis cumulaſse refert Baronius ex Anaſtaſio, quæ paucis verbis perſtringit idem Frodoardus laudatus.

Marci Baſilicam renovans multo auget honore
Quam priùs excoluit votis, nunc dotibus ornans.
Hanc pluresque alias opulento fœnore ditans,
Ductibus undarum reparat fomenta parari,
Atque domum Petri priſco de more rigari.
Eccleſiam divæ virtutum luce Parentis
Effulgere videns, devoto attollit honore.
Laudibus inſtructas adhibet ſtatuitque catervas,
Præmunitque domum, donis locupletibus explens:
Diſponenſque Altar, Sanctorum buſta coartat. SÆC. IX. GREGOR. IV.
Diverſas revocat fabricas, cellaſque, graduſque,
Atria, picturas, exedras, clauſtra, lavacra.

XVII. Ultimum diem claudit. Anaſtaſius neque annum mortis Gregorii, nec dies & menſes, quibus ſupra annos ſexdecim Eccleſiam Romanam rexit, memorat. Sed annum mortis, nempe octingenteſimum quadrageſimum quartum, habemus ex Sigeberto, Mariano Scoto, Hermanno Contracto in Chronicis, & ex Annaliſta Bertiniano, aliiſque; nam illi, qui eam mortem conferunt in annum 843, annum vel à Paſchate, vel à die 25 Martii auſpicantur, ideoque die vigeſima quinta Januarii anni 844, quo Gregorius obiit, adhuc numerant annum 843. Gregorium mortuum dixi die 25 Januarii, quia cùm conſtare videatur Sergium II ejus ſucceſſorem ordinatum eſse quarto Idus Februarii, poſt dierum quindecim interpontificium, quod legitur ex variis MSS. Anaſtaſianis, in fine editionis Regiæ citatis, in Catalogis 4 & 6 Criticæ Baronianæ præfixis, ac in libro 2 Orderici, conſtare pariter debet Gregorium mortuum eſſe die 25 Januarii, quæ fuit ſententia Onuphrii in Chronico Eccleſiaſtico, & Sigonii lib. 5 de Regno Italiæ, & quæ eſt omnium veroſimilior, de hoc enim nihil certi ſtatui poteſt. Gregorii virtutes fusè refert Anaſtaſius in ejus Vita.

SERGIUS II *Pontif. CIV.*

Anno Domini DCCCXLIV.

I. Sergius II fit PP. CUm jam obſervaverimus, poſt Gregorii IV mortem Sedem vacaſſe diebus quindecim, rectè Baronius, poſt Sigonium lib. 5 de Regno Italiæ, & Onuphrium in Chronico Eccleſiaſtico, ſcripſit Sergium II, natione Romanum, ex patre Sergio Regionis quartæ, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Archipresbyterum ordinatum à Gregorio Papa deceſſore, conſecratum eſſe Romanum Pontificem die decima menſis Februarii, in quam anno octingenteſimo quadrageſimo quarto Dominica incidebat; ex Sedis enim ejus duratione patebit, eum circa illum diem ordinatum eſſe.

II. Nomen non mutavit. Platina in Sergio II ait: *Sunt qui Sergium primò quidem Os porci appellatum fuiſſe dicant, & ob turpitudinem cognomenti, Sergii nomen ſumpſiſſe, eamque conſuetudinem ad noſtros manaſse, ut qui Pontifices crearentur, ſuo omiſſo, majorum nomina ſibi inderent, licèt ab omnibus non ſit obſervatum.* Sed, ut notavit Onuphrius in Notis ad Platinam, primus, qui priſcum morem mutavit, fuit Octavianus, qui Joannis XII nomen aſsumpſit: & Sergius, qui *Os porci* appellabatur, non fuit Sergius II, uti idem Platina, & Godefridus Viterbienſis in Chronico credidere, ſed Sergius IV, ut in ejus Pontificatu dicetur.

III. Conſecratur inconſulto Imperatore. Jam ſuperius diximus Gregorium IV non priùs ordinatum eſse, *quàm Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi qualis eſſet*, examinaſset. Verùm poſt Gregorii mortem Romani, inconſulto Lothario Imperatore, qui patri, anno 840, mortuo ſucceſserat, Sergium non ſolùm elegerunt, ſed etiam conſecrandum curarunt. Quod cùm ad aures ejuſdem Imperatoris perveniſset, Drogonem Archiepiſcopum Metenſem, cum Ludovico filio, magno cum Francorum exercitu Romam direxit, ut ait Anaſtaſius. Unde non immeritò Sigebertus in Chronico ſcripſit, Lotharium miſiſſe Ludovicum filium Romam ad confirmandam

Digitized by Google

mandam electionem Sergii Papæ, vel potius ad impediendum, ne impoſterum Pontifex electus conſecraretur abſque præſentia Miſsorum Imperialium, ut aliquot ante Sigebertum ſæculis literis mandavit Annaliſta Bertinianus ad annum 844 ſcribens: *Gregorius Romanæ Eccleſiæ Pontifex deceſſit, cui Sergius ſuccedens in eadem Sede ſubſtituitur. Quo in Sede Apoſtolica ordinato, Lotharius filium ſuum Hludovicum cum Drogone Mediomatricorum Epiſcopo dirigit, acturos, ne deinceps decedente Apoſtolico quiſquam illic præter ſui juſsionem, miſſorumque ſuorum præſentiam ordinetur Antiſtes. Qui Romam venientes honorificè ſuſcepti ſunt. Peractoque negotio Hludovicum Pontifex Romanus unctione in Regem* [nempe Longobardiæ] *conſecratum cingulo decoravit.*

IV. *Ludovicum Lotharii Imp. filium honorificè recipit.*

Ludovicus itaque Lotharii Imperatoris filius verè anni 844 Romanum iter arripuit, poſtquam à Lothario patre Rex Longobardię, ſeu Italiæ renunciatus eſt. Anaſtaſius enim ait, Sergium Papam *in ejuſden excellentiſſimi Regis occurſum univerſos Judices ad ferè novem milliaria ab urbe Romana* direxiſse. Jam igitur Ludovicus à patre Rex dictus fuerat. *Et dum Urbi penè unius milliarii ſpatio appropinquaſſet*, idem Pontifex *univerſas militiæ ſcholas, unà cum Patronis direxit, dignas nobiliſſimo Rege laudes omnes cantantes*. Obviam illi etiam direxit *venerandas cruces, item ſigna, ſicut mos eſt Imperatorem aut Regem ſuſcipere*. Tum Ludovicus Rex ad Sanctum Petrum properavit, quem *Pontifex in gradibus ipſius Apoſtolicæ Aulæ in ipſo die Dominico poſt Pentecoſtem ſuo cum Clero expectavit*, ideoque die decima octava menſis Junii. *Tunc mutuo ſe complectentes, tenuit idem Ludovicus Rex dexteram antedicti Pontificis.* Poſtea Pontifex omnes januas beati Petri claudi præcepit, & Regi ſic locutus eſt: *Si pura mente, & ſincera voluntate, & pro ſalute Reipublicæ, ac totius Urbis, & hujus Eccleſiæ huc adveniſti, has mea ingredere januas juſsione: ſin aliter, nec per me, nec per meam juſsionem iſtæ tibi portæ aperientur.* Cùmque Rex reſpondiſſet, quòd nullo maligno animo, vel malo ingenio adveniſſet, Pontifice præcipiente portæ apertæ ſunt, & in eandem Aulam B. Petri ingreſſus eſt Clerus, & Populus acclamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini &c.* Sicque cum Pontifice ipſe Rex, ſimulque omnes Epiſcopi, Abbates, & Judices ad Confeſſionem B. Petri appropinquantes, Deo gratias reddiderunt. *Et data à prædicto almo Pontifice ſuper populum oratione, ab Eccleſia omnes pariter regreſsi ſunt.*

V. *Italiæ Regem non Auguſtum eum ungit.*

Dominicâ verò die ſequente, decimâ nempe quintâ ejuſdem menſis Junii die, omnes Archiepiſcopi, & Abbates, & omnes qui cum Ludovico Rege venerant Franci, omneſque pariter Romanorum nobiles in eadem Principis Apoſtolorum Baſilica ſunt congregati, tuncque *Pontifex manibus ſuis ipſum Ludovicum Imperatoris filium, oleo ſancto perungens, regali ac pretioſiſsima coronavit Corona. Regemque Longobardis præfecit, cui regalem tribuens gladium illic eo ſubcingi juſsit. Deinde Miſſarum celebritate finita, ab Eccleſia omnes cum Rege lætantes regreſsi ſunt.* Quæ omnia deſumpta ſunt ex Anaſtaſio, cui haud facilè aſſentiendum perperam arbitratur Baronius, affirmanti Ludovicum nonniſi de Regno Longobardorum fuiſſe à Sergio Papa coronatum, putat enim Baronius eum tunc etiam coronatum Imperatorem. Sed præterquamquòd Annaliſta Bertinianus à nobis mox laudatus etiam aſſerit Ludovicum in Regem conſecratum, diplomata, quę ſignant annum primum Ludovici conjunctum cum anno octingenteſimo quadrageſimo quarto, explicari debent de primo ejus regni Longobardici anno; unctus eſt enim in Imperatorem à Leone IV Papa anno 850, cùm antea anno 849, in Imperii conſortium aſcitus fuiſset, ut pluribus oſtendit Annotator Baronii, tam in Criticâ, quàm in Diſsertatione Hypatica.

VI. *Drogonem Epiſc. Metenſem Vicarium Apoſt. in Gallia & Germania dicit.*

Anaſtaſius refert devaſtationes, & tumultus a Francis excitatos, cùm Ludovicus Romam advenit, aitque Drogonem Archiepiſcopum Metenſem commoviſse omnes Epiſcopos ac proceres adversùs Sergium Papam. Verùm idem Baronii Annotator, Anaſtaſium falſis rumoribus deceptum arbitratur, non ſolùm quia Drogo Antiſtes fuit pietate clariſsimus; ſed etiam quia eum Romę conſiſtentem, Sergius Pontifex ſuum Vicarium in Gallia, & Germania renunciavit, ut docet Annaliſta Bertinianus laudatus ſcribens: *Hludovicum Pontifex Romanus unctione in Regem conſecratum cingulo decoravit. Drogonem verò Epiſcopum ſui Vicarium Galliarum, Germaniarumque partibus deſignavit.* Sergii Papæ literas ad Galliæ, & Germaniæ Epiſcopos pro Legatione Drogonis publicavit Sirmondus Tomo tertio Conciliorum Galliæ; in iiſque Sergius inquit: *Ad noſtræ humilitatis vicem cunctis Provinciis trans Alpes conſtitutis, Drogonem Archiepiſcopum Metenſem glorioſi quondam Karoli Imperatoris filium, cujus beatiſſimi moderatoris induſtria Romanorum Francorum concorporavit Imperium, cautâ deliberatione conſtituimus; ut quia Sereniſsimi, atque Piiſsimi filii noſtri Magni Imperatoris Hlotarii, ejuſque fratrum dilectiſsimorum filiorum noſtrorum Hludovici, & Caroli Regum avunculus* (ideſt Patruus) *eſt, inſuper ſanctitate, doctrinaque conſpicuus, ab hac Sede ſanctiſsima Apoſtolorum Principis auctoritate percepta, veſtris neceſsitatibus vice noſtra idoneus ubique miniſter exiſtat. Et quia omnium veſtrorum ſolicitudinem illi gerere*

præcipimus, *omnium volumus obedientia comitari*, &c. Quòd ſi Anaſtaſii narratio de Drogone vera eſset, hic certè à Sergio Papa dictus non fuiſset *ſanctitate*, *doctrinaque conſpicuus*.

VII. *Hæc Legatio effectu caruit.*

Antequam ex ea legatione recedam, obſervandum venit, Drogonem in ejus executione paſsum eſse contradictionem ab Epiſcopis ægrè ferentibus eam illi poteſtatem datam. Canon enim undecimus Concili Vernenſis eodem anno 844 celebrati in ditione Caroli Calvi Regis his verbis conceptus eſt: *De prælatione Reverendiſſimi Drogonis deſinire aliud non audemus, niſi expectandum quàm maximè cogi poteſt Galliæ, Germaniæque Conventum; & in eo Metropolitanorum, reliquorumque Antiſtitum inquirendum eſſe conſenſum, cui reſiſtere nec volumus, nec valemus. Nobis tamen, ſi quid tale alicui committi poteſt, & non alia, quam quæ prætenditur, latet cauſa, illi potiſſimum convenire videtur, qui & communione Sacerdotii nobis, & Excellentiæ veſtræ propinquitatis privilegio ſociatur*. Hincmarus in Epiſtola 44 cap. 30 teſtatur Epiſcopos Gallicanos Legationi Drogonis intercesſiſse, imo eam effectum ſortitam non eſſe: *Quod affectu ambiit*, inquit Hincmarus de Drogone loquens, *effectum non habuit, & quod efficaciæ uſu, non conſentientibus quibus intererat, obtinere potuit, patientiſſimè, ut eum decuit, toleravit; ne ſcandalum fratribus Conſacerdotibus generans ſchiſma in ſanctam Eccleſiam introduceret. Quem tantæ generoſitatis, ac dignitatis virum quiſque noſtrum imitari debuerat, ne indebitè peteret, quod non habebat, qui ſine contentione non exequi pertulit, quod adeptus fuerat.* Drogo poſtea vixit uſque ad annum 855, ex quo ruit quod Baronius in Addendis ad annum 844 ſcribit, eum ſcilicet Româ ad ſuos reverſum è vita migraſse.

VIII. *Sergius Sacramentum fidelitatis Ludovico Regi præſtari non patitur.*

Inter Præſules, qui fuerunt in comitatu Ludovici Regis cum Drogone, Anaſtaſius tredecim numerat è Provincia Romana, & Archiepiſcopum Ravennatenſem, aitque Francos à Sergio II poſtulaſse, *ut omnes Primates fidelitatem ipſi Hludovico Regi per ſacramentum promitterent; quod prudentiſſimus Pontifex fieri nequaquam conceſſit, ſed ſic orſus eſt illis*: „ Quia ſi vultis domno Lothario Magno Imperatori hoc ſacramentum ut faciant ſolummodo, conſentio atque permitto. Nam Hludovico ejus filio, ut hoc peragatur, nec ego, nec omnis Romanorum nobilitas permittit. *Tunc demum in eadem Eccleſia ſedentes pariter tam beatiſſimus Pontifex, quàm magnus Rex, & omnes Archiepiſcopi, atque Epiſcopi, ſtantibus reliquis Sacerdotibus, & Romanorum, ac Francorum Opimatibus fidelitatem Lothario Magno Imperatori ſemper Auguſto promiſerunt.* Ex quo apparet nullum dominium habuiſse in urbe Roma Reges Italiæ, ſed Imperatorem jus ſupremum in ea obtinuiſſe, & ideo jure merito Sergium noluiſse, ut Ludovico Regi fidelitatis ſacramentum præſtaretur, ſed Lothario Imperatori.

IX. *Ebbonem Remenſi ſede depoſitum laica communione contentum eſſe jubet.*

Sed ut ad Anaſtaſii narrationem redeam, ſcribit is Ebbonem, quem in Gregorio Papa IV diximus Remenſi Archiepiſcopatu pulſum, in comitatu Ludovici Regis fuiſse, & à Sergio Pontifice poſtulaſse ejus auctoritate Eccleſiæ reconciliari. Verùm Pontifex *nec communionem inter Clericos dignum eſſe ſuſcipere dicebat, ſed inter communem populum communicandi tantummodo licentiam* haberet. Verum itaque eſt, quod ſuperius diximus, Epiſtolam Gregorii IV pro Ebbonis reſtitutione eſse fictitiam, cùm Sergius Gregorii ſucceſsor, eum laica tantùm communione contentum eſſe juſserit. Lotharius quidem Imperator ab eodem Sergio literas exegit *pro repetendo judicio de Ebbonis depoſitione*, ut refert Flodoardus lib. 3 cap. 2 Hiſtoriæ Remenſis; & Carolus Calvus Rex Gundboldo Rotomagenſi Epiſcopo præcepit, ut cum ceteris regni ſui Epiſcopis hanc querelam dirimeret, ſed cùm Ebbo non compareret, *Gundboldus & ceteri Epiſcopi, qui apud Pariſios tunc convenerant*, nempe 16 Kalendas Martii anni 846, literis ſuis ei diœceſim Remenſem interdixere, donec definitionis ſententiam ab ipſis coram generali Conventu perciperet. Verùm Ebbo de Sede recuperanda non amplius cogitavit, ut ex Flodoardi laudati narratione conſtat, ubi additur Ebbonem ſupervixiſse uſque ad annum 851.

X. *Beneventanum Ducem ad pedum oſcula ſuſcipit.*

Ludovico Rege Italiæ adhuc Romæ exiſtente ad eum venit Siconulphus Princeps Beneventanorum, quem Rex honorifice ſuſcepit. Sed cùm *ardenti pectore* deſideraret *videre Pontificem, & ab eo benedictionem recipere. Quem cum Præſul ſuſcepiſſet, ſolo proſtratus, pretioſos ipſius pedes humiliter oſculatus, & ab eo benedictione ſuſcepta ab ejus conſpectu alacriter Deo gratias referens regreſſus eſt*, inquit Anaſtaſius. Poſt hæc Ludovicus Rex Papiam Longobardorum Regum ſedem rediit.

XI. *Indulgentia ei aſcripta.*

Baronius anno 847 ſcribit, ſe in marmorea tabula antiquitus ſcripta legiſſe, Sergium II *indulgentiam* conceſsiſse *trium annorum, & trium quadragenarum* omnibus, qui Eccleſiam Sanctorum Sylveſtri, & Martini, ad quam multa corpora Sanctorum tranſtulerat, viſitaſsent. Sed Mabillonius in Præfatione ad Sæculum V Benedictinum num. 107, ubi de antiquitate Indulgentiarum pluribus diſserit, rectè ait, vereri ſe, ut explorata ſit hac de re auctoritas, cùm ſæculo X extent quidem veſtigia Indulgentiarum, ſed non hoc modo definitarum; & Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico Diſſertatione 17, quæ eſt de his Indulgentiis à Sergio II, ut prætenditur, conceſsis,

Digitized by Google

SÆC. IX. SERGIUS II.

& de Stationariis ſancto Gregorio Magno attributis, oſtendit Indulgentiarum uſum hodie in Eccleſia ſub ea formula frequentem, vix ante ſæculum XII in antiquis monumentis reperiri; ac Tabulam illam, de qua Baronius, ante pauca ſæcula ſculptam fuiſſe.

XIII. *Indulgentia Stationum S. Gregorio M. perperàm tributa.*

Divus Thomas inquit in 4 Sentent. diſtinct. 20 quæſt. 1 art. 5, agens de Indulgentiis, poſt hæc verba, *ſicut quando Papa dat, ut qui vadit ad unam Eccleſiam habeat ſeptem annos de Indulgentia*, addit *cujuſmodi etiam indulgentiæ à B. Gregorio in Stationibus Romæ conceſſæ ſunt*; & ante S. Thomam Guillelmus Antiſiodorenſis, poſtea Pariſienſis Epiſcopus, lib. 4 Summæ Tract. 6 cap. 9. Sed uterque abſque examine hiſtorico ſecutus eſt errorem vulgi, attribuentis S. Gregorio ejus nominis primo Indulgentias Stationum, multis poſt ſæculis inſtitutas; nempè ſæculo IX, cùm vulgus cœpiſſet eas ad ipſarum Stationum Auctorem S. Gregorium Magnum referre, eumque errorem, ut certam veritatem arripuiſſent Scholaſtici veteres, qui ipſorum diſciplinis informatos Pontifices etiam in eo capite (quod alioquin non Theologicum, ſed Hiſtoricum erat) ſua auctoritate pertraxére, eo tempore, quo nemo adhuc incumbebat eradendis Antiquitatibus Eccleſiaſticis, ſacrarumque ceremoniarum originibus illuſtrandis. Quare mirùm Baronium, & Bellarminum, qui ad inſignem Theologicarum rerum ſcientiam minimè vulgarem antiquitatis Eccleſiaſticę cognitionem addidére, vulgari opinioni ſubſcripſiſſe; cum is Indulgentiarum, de quo agimus, uſus doceri nequeat ſæculo XI prior fuiſſe, & ſine literis propagatum per tot ſæcula, quot à S. Sylveſtro ad ſæculum XI intercurrére, gratis aſſumatur, & abſque ulla pietatis jacturâ hiſtoricè negetur; ut ſcribit Papebrochius laudatus, qui hæc fuſius proſequitur. Joannes quidem Diaconus in Vita S. Gregorii lib. 2 cap. 18 ſcribit, hunc ſanctum Pontificem *Stationes per Baſilicas, vel beatorum Martyrum Cœmeteria* ordinaſſe, ſed de Indulgentiis ne verbum quidem habet, ſicuti nec Anaſtaſius Bibliothecarius, aut Guillelmus itidem Bibliothecarius, qui uterque vixit ferè uſque ad finem ſæculi noni.

XIII. *Indulgentia ſæculo 10 indefinitè conceſſa.*

Sæculo poſtea decimo Indulgentias indefinitè conceſſas fuiſſe, ſcribit Mabillonius laudatus; quarum certior eſt illa, quam Salomon Conſtantienſis Epiſcopus à Papa accepit. Ille ob procuratam trium ſuorum adverſariorum necem, Romam profectus eſt *veniam petiturus*. A Papa *verò benignè ſuſceptus, cùm ibi ſupplicans aliquandiu moraretur, indulgentiam ſibi ab eo plorans petiit. Tandem ab Apoſtolico indulgentiam adeptus domum revertitur*, inquit Ekkehardus part. 1 pag. 45. Eandem gratiam Udalricus Auguſtenſis Epiſcopus acceſpiſſe memoratur apud Gerardum in ejus Vita num. 61. Is quippe Romam ultimò profectus, *votorum antea ibi diſpoſitorum promiſſionibus devotiſſimè expletis, & gratiſſimorum emolumentorum, & Indulgentiarum donis acceptis reverſus eſt*. Ita indefinitè tunc temporis Indulgentiæ concedebantur.

SÆC. IX. SERGIUS II.

XIV. *Ad certum tempus ſæculo 11 definita.*

Sed ſæculo ſequenti, nempe undecimo, Indulgentiæ ad certum tempus, vel in perpetuum, & quidem paſſim occaſione dedicationis Eccleſiarum datæ ſunt. Celebris præ ceteris & plena fuit *Indulgentiarum* gratia ab Alexandro II impertita in dedicatione Eccleſiæ Caſinenſis, nempe tam iis, quos tunc præſentes eſſe contigerat, quam omnibus, qui per octo continuos dies eò conventuri eſſent, *confeſſorum peccatorum abſolutione* conceſſa, ut legitur Chronici Caſſinenſis lib. 3 cap. 31. Urbanus II anno 1098 Andegavos ſeſe contulit: *Tunc in Septuageſima dedicata eſt* Eccleſia Sancti Nicolai ab ipſo Papa, qui *Edicto* juſſit, ut *in eodem termino, quo dedicationem fecerat, indictum publicum celebraretur unoquoque anno apud Sanctum Nicolaum, & ſeptima pars pœnitentiarum populo convenienti ad illam celebritatem dimitteretur*, ut inquit Fulco Comes in Spicilegii Dacheriani Tomo 10 pag. 396. Idem factum anno ſæculi XII vigeſimo à Calliſto II, qui dedicata Mauriacenſi propè Stampas Eccleſia, *annuam peccatorum remiſſionem in dedicationis anniverſario conſtituit*, ut legere eſt apud Dacherium Tomo 4 pag. 369.

XV. *Plenaria data ſæculo 12, & ſequentibus.*

Ejuſdem ſæculi 12 anno quadrageſimo ſexto Eugenius III ad ferendas locis ſacris ſuppetias, fideles animavit Indulgentię plenarię beneficio, ut *omnium, de quibus corde contrito confeſſionem feciſſent, indulgentiam obtinerent*, teſte Sancto Bernardo Epiſtolâ 322 num. 5, qui Epiſtolâ 394 eam *largiſſimam* appellat. Alia Indulgentiarum plenariarum exempla refert Mabillonius laudatus, à Bonifacio VIII, & Clemente VI conceſſarum, quę tandem ad ſingulos annos viginti quinque extenſæ ſunt. Generalis, & plena eſt Indulgentia B. Mariæ de Portiuncula, omnium ſcilicet peccatorum, quæ *cùm fuiſſet tam humiliter, quàm conſtanter à B. Franciſco poſtulata, fuit tandem à Summo Pontifice* (Honorio III) *liberaliſſimè, & gratiſſimè conceſſa, quamvis diceret ipſe ſummus Pontifex, non eſſe conſuetudinis Apoſtolicæ Sedis talem Indulgentiam facere*, inquit Rainerius de Mariano de Arecio Ordinis Minorum, qui teſtatur ſe id audiviſſe à Benedicto de Arecio, Religioſo ejuſdem Ordinis, ſocio S. Franciſci. Rainerii teſtimonium ex veteri codice MS. recitat Stephanus Baluzius Tomo IV Miſcellaneorum pag. 490, in quo & dicitur, eam *prima diei Kalendarum Auguſti* fuiſſe affixam.

Digitized by Google

Non ſoli Romani Pontifices, ſed & Epiſcopi etiam jam dudum Indulgentiarum conceſſione uſi ſunt. Inter primos Pontius Arelatenſis Antiſtes anno milleſimo, cùm Montis-majoris Eccleſiam dedicaſſet, hanc gratiam ei largiri voluit, *cum ſuorum Canonicorum aſſenſu*, ut ſi aliquis publicæ pœnitentiæ addictus in eam veniat *in die dedicationis ejus, aut ſemel in anno cum ſua vigilia, & adjutorium dederit ad opera Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, quæ modò noviter conſtruitur in prælibato monte, ex parte Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ex noſtra ſit abſolutus ab ipſo die, quo ſuam vigiliam fecerit, de tertia parte majorum peccatorum, unde pœnitentiam habet acceptam*, &c. *denique illos, qui de minoribus peccatis ſunt confeſſi, & habent acceptam pœnitentiam, ſi venerint ad dedicationem prædictæ Eccleſiæ, aut ſemel in anno cum ſua vigilia, & cum adjutorio ad opera Sanctæ Mariæ, abſolvimus de una medietate acceptæ pœnitentiæ uſque ad unum annum, vel datarum, in quo dedicatio celebrabitur prædictæ Eccleſiæ*, ut legitur in Epiſtola ejuſdem Pontii Tomo 6 Spicilegii Dacheriani pag. 427 relata. Ibidem pag. 441 extat alia Epiſtola Rajambaldi Archiepiſcopi etiam Arelatenſis pro dedicatione Eccleſiæ S. Mariæ de Correno Gallo provinciæ vico, in qua legitur, ut *pœnitenti, qui ad eam in conſecratione* ejus advenerit, *tertiam partem pœnitentiæ* remittat Epiſcopus, & *Eccleſiam*, id eſt ejus ingreſſum, *uſque ad caput anni* ei reddat, & pacem, quæ ad annum 165 referuntur. Hanc verò poteſtatem Rajambaldus *à Sancto Petro* ſe accepiſſe dicit.

XVI. *Indulgentia ab Epiſcopis dari ſolita.*

XVII. *Ad quadraginta dies coarctata.*

Dein hæc Indulgentiarum gratia, qua potiebantur Epiſcopi, ad quadraginta dies coarctata eſt ante annum 1284; ipſo namque anno Simon Bituricenſis Archiepiſcopus Abbatiam Angliæ diœceſis Pictavienſis viſitans, multis Cruceſignatis pro negotio Aragoniæ, auctoritate Domini Papæ, & Legati centum dies Indulgentiæ contulit, *& auctoritate ſua quadraginta*, ut legere eſt apud Baluzium eodem Tomo 4 miſcellaneorum pag. 211. Etſi autem ad quadraginta dies paſſim redactæ eſſent Epiſcoporum Indulgentiæ, nihilominus Joannes de Ordine Teutonicorum, Laconienſis Epiſcopus, Monaſterium Scuteranum diœceſis Argentinenſis in Alſatia viſitantibus relaxat *centum dies criminalium, & annum venialium* anno 1288, ut videre eſt apud Jodocum Coccium de Dagobert. cap. 9. Non immeritò itaque Joſephus Maria San-Felicius ad inferioris Rheni tractum anno 1659 Nuncius Apoſtolicus, in Epiſtola eo anno data, & ab Henſchenio ad diem 26 Martii, in commentario prævio ad vitam Sancti Ludgeri recitata, commentitiam credit S. Svidberti canonizationem per Leonem III, quia in ea commemorantur plures Indulgentiæ à Leone conceſſæ colentibus, aut Eccleſiam S. Svidberti viſitantibus; *Quandoquidem*, inquit, *Indulgentiarum uſum hodie in Eccleſia frequentem non comperio ante Urbanum II, qui anno 1096 proficiſcentibus ad expeditionem Jeroſolymitanam Indulgentias, ſeu pœnitentiarum alterius ſpeciei relaxationem conceſſit: licèt harum inſtitutum [diverſimode tamen] ab ipſis Eccleſiæ incunabulis viguerit, nempe per libellos Martyrum durante Eccleſiæ perſecutione; deinde per redemptionem pœnitentiarum, juxtà antiquos canones Burchardi, Ivonis, & Romanum pœnitentiale*. Ex dictis tamen conſtat Urbano II præiviſſe Alexandrum II, quem, præter Indulgentiam ſuperius memoratam, *abſolutionem de offenſis, ſi reſipiſcentes in futurum caveant Comiti* Rogerio, *& omnibus qui in lucranda de Paganis Sicilia, & lucratam in perpetuum ad fidem Chriſti retinendo auxiliarentur*, mandaſſe legimus apud Meleterram lib. 2 cap. 31. Qua de re vide dicenda in Alexandro II. Longè antiquius Indudulgentiæ conceſſæ exemplum nobis ſuppeditat codex, qui extat in bibliotheca Patrum Oratorii Romani Vallicellana, de quo hæc habet Mabillonius Tomo 1 Muſei Italici pag. 69. „ In hoc codice Bedæ liber de diviſione temporum auctior eſt „ editis. Ad hæc *Ordo Romanus* ſæculo nono ſcriptus, itidem vulgatis amplior. Sed „ antiquius *Sacramentarium Romanum*, in quo „ hæc notanda: *Menſe Junio die 22 Sanctorum Martyrum 1380, quorum vigilia „ cum ſilentio, & jejunio eſt celebronda, & „ conceſſum eſt eis pro illo uno die annum di„ mittere in pœnitentia*. Hoc antiquum in„ dulgentiæ conceſſæ exemplum. Ita Mabillonius. Quare ſi illud Sacramentarium antiquius ſit ſæculo nono, ut ipſe ait, concludendum eſt antiquiorem eſſe Indulgentiarum uſum eo modo, quo nunc conceduntur, quam hactenus à viris doctis exiſtimatum fuerat.

XVIII. *Sergii II Papæ obitus.*

Baronius ex Anaſtaſio refert Sergium II Romanam Sedem rexiſſe *annis tribus, & menſe uno*, ſed in exemplaribus Anaſtaſianis Moguntinenſi, & Pariſienſi ſemel & iterum legitur, eum ſediſſe *annos tres*, nulla menſium, aut dierum mentione facta; quod idem habent omnes ferè Catalogi Criticæ Baronianæ præfixi, & Honorius Auguſtodunenſis: quare cùm ordinatus fuerit circa diem decimum menſis Februarii anni 844, ſedit *annos tres*, demptis diebus aliquot, ab Anaſtaſio, numero rotundo loquente, neglectis; certum eſt enim eum obiiſſe die vigeſimaſeptima menſis Januarii anni 847, ut ad eum annum diſertè ſcribit Annaliſta Bertinianus: *Sergius Romanus Pontifex*, inquit, *6 Kalendas Februarii defungitur, & Leo in ejus locum eligitur*. Poſt tam clarum teſtimo-

Digitized by Google

 ſtimonium, de anno, menſe, & die mortis Sergii nullum dubium ſupereſſe poteſt, nullum enim ex his memorat Anaſtaſius.

XIX. *Ejus virtutes.* Præter Eccleſiam Sanctorum Silveſtri & Martini, cujus fuerat Presbyter Cardinalis, & ad quam multa Sanctorum corpora tranſtulit, plures alias vel reſtauravit, vel decoravit, vel exornavit Urbis Baſilicas, de quibus legendus idem Anaſtaſius, qui & ejus virtutes compendio deſcribit: *Erat*, inquit, *origine inſignis, fide purus, prædicatione liberior. Deo humilis, hominibus clarus, vultu alacris, mente alacrior, Eccleſiarum Gubernator, plebium cultor, pauperum fautor, viduarum tegmen, conſolator indigentium, largitor diſperſorum, congregatorum conſervator, inanium ſecularium que rerum contemptor, ſolis in ſapientiç divitiis avidus, & amator.* Sepultus eſt in Baſilica B. Petri, ejuſque epitaphium inventum in Altari Sancti Sixti, quod erat ante Eccleſiam S. Martini in introitu Eccleſiç Baſilicæ B. Petri juxta ferratam, repræſentat Baronius.

LEO IV *Pontif. CV.*

Anno Domini DCCCXLVII.

I. *Leo IV Sergio II ſuccedit.* NEc dum Sergius Pontifex *ad ſepulturam debitam fuerat deportatus. Et ecce omnes à noviſſimo uſque ad primum una voce, undique ſimul concordia Leonem venerabilem Presbyterum, ſibi futurum Pontificem* flagitarunt, & in Lateranenſe palatium cum ſolitis ceremoniis deduxerunt, ac pedes ejus oſculati ſunt, inquit Anaſtaſius. Quod de electione, & inthronizatione intelligendum, non verò de conſecratione Leonis, quæ dilata eſt per duos menſes, & dies quindecim. Nam in duplici codice MS. Anaſtaſii Freheriano, & in uno Thuaneo, in fine editionis Pariſienſis relatis, in quibuſdam Catalogis Criticç Baronianæ præfixis, & prætereà in Orderico lib. 2 legitur, poſt mortem Sergii Sedem vacaſse *menſes duos, & dies quindecim.* Leo itaque IV, patriâ Romanus, patre Rodoaldo, Presbyter conſecratus à Sergio II, & Titulo SS. quatuor Coronatorum præpoſitus, ordinatus eſt tantùm Pontifex Romanus die undecima menſis Aprilis, quæ anno octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo in feriam ſecundam Paſchatis incidebat.

II. *Ordinatur ſine permiſſu Imp. & quare.* Cauſa tam longi interpontificii, ſeu dilationis conſecrationis Leonis deducitur ex ipſomet Anaſtaſio, qui paulò poſt laudata verba, ſubjungit: *Romani quoque, ut diximus, novi electione Pontificis congaudentes, cœperunt iterum non mediocriter contriſtari, eò quòd ſinè Imperiali non audebant auctoritate futurum conſecrare Pontificem, periculumque Romanæ urbis maximè metuebant, ne iterùm, ut olim, aliis ab hoſtibus fuiſſet obſeſſa. Hoc timore, & futuro caſu perterriti, eum ſine permiſſu Principis Præſulem conſecraverunt, fidem quoque illius, ſive honorem poſt Deum per omnia, & in omnibus conſervantes.* Quibus verbis ſignificat Anaſtaſius veritos eſſe Romanos, ne Saraceni iterum in Urbem prorumperent; quia, ut prodit Annaliſta Bertinianus ad annum 847, *Mauri ac Saraceni Beneventum* invaſerant, *& uſque ad Romana confinia* populabantur. Metuebant prætereà, ne in Lotharii Imperatoris odium, offenſionemque incurrerent, ſi Leo, ſicut Sergius ejus deceſſor, ante Legatorum ejus adventum conſecraretur. Quare cùm, Franciâ à Normannis tunc infeſtata, expectanda eſſet tutioris itineris opportunitas, vel fortè Legatis metu, captivitate, aliiſque caſibus in itu, & reditu impeditis, Romani ad ordinationem Leonis IV procedendum putarunt, ſub hac tamen proteſtatione, quòd ea in re in nullo læſam vellent fidem, & honorem Imperatori debitum, ut explicat Papebrochius in Sergio II. Et hæc eſt germana cauſa Interpontificii per menſes duos, & dies quindecim continuati.

III. *Serpentem lethiferum miraculosè fugat.* Ipſo Pontificatûs Leonis initio, ſanctitas ejus miraculis eſt comprobata, nam, teſte Anaſtaſio, Romæ juxta ædem S. Luciæ in Orphea, baſiliſcus, dirum ſerpentis genus, venenato ſuo ſpiritu omnibus, qui ad cavernam ejus accedebant, repentinum afferebat interitum. Itaque trepidantibus ad tantum periculum univerſis, Pontifex ſolemni jejunio, ac precatione perfectis, in die Aſumptionis Virginis Mariæ è Patriarchio exiit cum hymnis, & canticis, Sancta Dei matris præcedente Imagine, ad Baſilicam Sancti Hadriani Martyris, pedibus cum Clero proceſſit, inde ad Baſilicam S. Virginis ad Prçſepe perrexit; & cùm ad ſpecum, ubi cubare ſerpens dicebatur, appropinquaſſet, catervâ fidelium, quâ ſtipabatur, ſubſiſtere juſsâ, imperterrito animo ad os cavernæ, unde peſtifer erumpebat afflatus, acceſſit, atque oculis, & palmis in cœlum intentis, Deum omnipotentem, ut tetrâ illa peſte populum liberaret, oravit. Quo facto, repente ferum virus ſerpentis evanuit. *Ab eodem* enim *die*, ſubdit Anaſtaſius, *ipſe mortifer baſiliſcus ita effugatus,*

& ab

& ab ipſis projectus eſt antris, ut ultra in illis locis nulla læſionis ejus macula appareret.

IV. *Octavam Aſſumptionis B. Virginis inſtituit.*

Ut de tanto beneficio Beatæ Virginis in Cœlum aſsumptæ feſto die, & ope Romanis collato gratias Deo rependeret Leo Pontifex, *Octavam Aſſumptionis Beatæ Genitricis diem, quæ minimè Romæ antea colebatur, vigiliis ſacriſque matutinis cum omni Clero pernoctans laudibus, in Baſilica ejuſdem ſemper Virginis Dominæ noſtræ quæ foris muros juxta Baſilicam beati Laurentii Martyris ſita eſt, celebrari præcepit*, inquit idem Anaſtaſius. Id autem anno primo ſui Pontificatûs, nempe anno 847., Leonem Papam ſtatuiſſe, ſcribit Sigebertus ad eum annum: *Decrevit, ut Octavæ Aſſumptionis S. Mariæ in Eccleſia Romana celebrarentur, quod antea non fiebat.* Pro feſto Aſumptionis vide dicta in Sergio Papa hujus nominis primo.

V. *Incendium miraculosè extinguit.*

Sicut in fugando ſerpente lethifero virtus enituit tanti Pontificis, ita in extinguendo incendio patefacta eſt fides ipſius, potentiâ crucis pollens. Rem primo Pontificatûs ejus anno etiam geſtam, ſæpè laudatus ita recitat Anaſtaſius: *Et aliud miraculum, quod ipſe almus Pontifex fecit, narrare breviter inchoamus. In ipſo, quod memoravimus ſuperiùs, Pontificii ſui exordio, Saxonum vicum validus ignis invaſit, qui flammarum violentiâ cuncta comburere cœpit validius, ubi populorum congregata multa ſunt agmina, quę hujus incendii flammas volebant extinguere; ſed ventorum flatibus altius extendebatur ignis in aëre, cuncta comburens atque comminuens, ita ut propiùs ad B. Petri Apoſtolorum Principis Baſilicas perveniret, Saxonum, & Longobardorum Domos, ac porticum concremans. Quo audito ipſe beatiſſimus Pontifex anxiùs illuc celeri curſu profectus eſt: & ut obvius ante ignis impetum ſe præpararet, Dominum deprecari cœpit, ut hujus incendii flammas extingueret, & ubi Crucis propriis frequentavit ſignacula digitis, amplius ignis extendere flammas non potuit, & beati virtutem ferre non valens Pontificis, extinctas flammas redegit in cinerem.*

VI. *Ingentia ornamenta Eccleſiis Urbis confert.*

Cùm autem idem Pontifex videret Baſilicas Principum Apoſtolorum omni ornatu, atque decore à Saracenis ſpoliatas, in hoc adjecit animum, ut quæ ad ſplendorem, & cultum earundem ſpectarent, procuraret; quod & ſumma diligentia, & immenſo ſumptu præſtitiſſe, narrat Anaſtaſius; qui, præter alia multiplicia argentea, aurea, gemmataque ingentis pretii, ac miri operis dona, aliaque pretiotiſſima ornamenta, cùm iiſdem, tum aliis Urbis Eccleſiis, ſui Pontificatûs tempore ab eo collata, meminit Ciborii ſuper Altare Sancti Petri poſiti, ponderis mille ſexcentarum, & ſex librarum argenti puriſsimi, cui ſuperpoſitę eſſent coronæ aureæ quatuor, & calices item aurei ſexdecim, delphinique quatuor ponderis librarum quadraginta duarum. itemque alterius Ciborii argentei ſuper Altare B. Pauli poſiti, ponderis librarum nongentarum quadraginta ſex: ſed & novi pariter conſtructi Ciborii ex argento puriſsimo, ac deaurati & gemmis ornati, ponderis trecentarum, ac tredecim librarum, & ſemis, quod poſuit ſuper Altare Eccleſiæ SS. Quatuor Coronatorum, cujus, ut diximus, fuerat Presbyter.

VII. *Saracenos Romam invadere conantes vincit.*

Ne interim Baſilica Sancti Petri Saracenorum amplius pateret incurſibus, anno Pontificatûs ſui ſecundo, Chriſti 848, indictione duodecima menſe Septembri ejuſdem anni inchoatâ, opus ingens, à Leone tertio deceſſore ſuo tentatum, aggreſſus eſt; nimirum, ut novam conſtruens civitatem, mœnibus ambiret Baſilicam S. Petri; ad quod opus Lotharius Imperator, ac fratres Reges Francorum, non modicam miniſtrarunt pecuniam, ut tradunt Anaſtaſius, & Frodoardus in Fragmento de Pontificibus Romanis ſæpius laudato. Hanc urbem ſecundo ſui Pontificatûs anno inchoatam, ſexto tantùm abſolutam eſſe mox videbimus. Eodem verò anno ſecundo, Chriſti 849, ſaltem indictione duodecima nondum elapsâ, cùm Romæ innotuiſſet, Saracenos ex Africa, ingenti comparata claſſe, iterum in Italiam ad Urbis excidium properare, Leo Pontifex muros dirutos refecit; multa corpora Sanctorum, quibus ſecuriſſimè civitas cuſtodiretur, è cœmeteriis eruta, intra illam invexit; ſicque mirabiliter factum videtur, ut Neapolitani, aliique ipſis vicini populi, appropinquantibus Saracenis ad Romanum portum, ſpontè accurrerint cum claſſe optimè inſtructa ad ſubveniendum Eccleſiæ Romanæ, quos Oſtiam miſſos vehementiùs accendit; quò & ipſe profectus eſt, ut eis animos adderet. Ad beatorum pedum oſcula proſtrati Duces ac milites ſupplicarunt, ut Euchariſtiam ex illius manibus ſumerent, ut protectione Corporis, & Sanguinis Dominici communiti, fortiùs contra hoſtes Chriſtiani nominis pugnarent. Votis ipſorum annuit Sanctus Pontifex, & ſacra communione donatis bene precatus eſt. Altera die navali certamine inito Saracenorum claſſis diſperſa, eorumque plurimi in ipſo prælio periére, plerique captivi Romam perducti, quorum nonnullos, ad terrorem, Romani Proceres furca ſuſpendi juſſere, ceteris gratia facta.

VIII. *Leoninam civitatem ædificat, & Centumcellas reſtituit.*

Leo Pontifex hac parta victoriâ captivorum operâ uſus eſt in reſtituendis Eccleſiis, & extruendis mœnibus, quibus Vaticanum cinxit, Leoninamque urbem de ſuo nomine appellavit. Incluſa itaque Ba-

Digitized by Google

ſilica Sancti Petri Apoſtolorum Principis in nova illa civitate, *in ſexto conſecrationis ſuæ*, anno ſcilicet 852, eam dedicavit: *Fuit*, inquit Anaſtaſius, *die illo* (nempe dedicationis) *magna cunctis lætitia, videlicet die ſeptimo, & viceſimo menſis Junii, pridie ante beatiſſimorum Apoſtolorum Petri, & Pauli vigilias*. Quomodo hæc ſe habuerint, pluribus narrat in ejus Vita idem Anaſtaſius Bibliothecarius, qui aderat; qui & ſubjicit de inſtauratis ab eodem Pontifice aliarum civitatum mœnibus, deductaque in urbem Portuenſem colonia ex habitatoribus inſulæ Corſicæ, qui ob frequentes Saracenorum incurſiones coacti fuerant patriam deſerere, quos in urbem Portuenſem novis munitionibus adauctam benignè recepit, cùm fidelitatem ipſi, ac ſucceſſoribus juraſſent. Ac denique inferiùs addit de civitate Centumcellenſi, diu ante ab iiſdem Saracenis everſa, & ab eodem Pontifice loco munitiori, divinitus ei per viſum oſtenſo, reſtituta, quam ex ſuo nomine Leopolim appellavit; eamque per circuitum luſtrans ſolemnibus cæremoniis Sanctiſsimæ Trinitati conſecravit anno ſui Pontificatûs ultimo.

IX. *Ludovicum II Auguſtum ornat.* Lotharius Auguſtus anno 844 Ludovicum filium Italiæ Regem renunciavit, eumque Romam miſit, ubi à Sergio II Longobardorum, ſeu Italiæ Rex unctus eſt, ut ſuo loco diximus. Anno verò 849 idem Imperator eundem Ludovicum Regem in Imperii conſortium adſcivit, Romamque iterùm anno 850 miſit, ut coronam Imperialem à Leone Papa acciperet. Hoc ultimum nos docet Annaliſta Bertinianus, qui ad eundem annum 850 ſcribit: *Lotharius filium ſuum Ludovicum Romam mittit, qui à Leone Papa honorificè ſuſceptus, & in Imperatorem unctus eſt.* Ex diplomatibus hujus Ludovici Imperatoris Annotator Baronii ad eum annum deducit, ejus coronationem à Leone IV factam die ſecundâ menſis Decembris ejuſdem anni, ut apud ipſum legere eſt, ubi & obſervatur Ludovicum II, quartum Imperatorem ex gente Francorum, ipſo quo coronatus eſt die, more Imperatorum Orientalium Conſulatum perpetuum capeſſiſſe, eâque in re Lotharii patris exemplum ſecutum eſſe, qui vivente Ludovico Pio patre, ſeſe Conſulem dixit, contra Græcorum Imperatorum conſuetudinem.

X. *Pallium ad uſum quotidianum Hincmaro Archiep. Remenſi non permiſit.* Flodoardus lib. 3 Hiſtoriæ Remenſis cap. 20 apud Baronium ad annum 849 ſcribit: *Hincmarus* Remenſis Archiepiſcopus *pro ſuæ ſanctitatis, ac ſapientiæ reverentia per interventionem Lotharii Imperatoris Pallium ad quotidianum ſuſcepit uſum à quarto Leone Papa, à quo jam aliud perceperat in deſignatis ſibi ſolemnitatibus debitè fruendum. Quem quotidianum pallii uſum nulli unquam Archiepiſcopo ſe conceſſiſſe, vel deinceps conceſſurum eſſe idem Papa in Epiſt. tunc ad eum directâ teſtatur.* Sed commentitiam eſſe hujuſmodi conceſsionem Cardinalis Bona lib. 1 Rer. Liturgic. cap. 24 num. 16 deducit ex Epiſtola 47 Nicolai I Papæ ad ipſum Hincmarum, & ex ejuſdem ad Nicolaum reſponſo. Cùm enim Nicolaus Pontifex ſibi valde diſplicere ſcripſiſſet, quòd ille Pallio uteretur ultra dies ſibi ab Apoſtolica Sede indultos, reſpondet Hincmarus Tomo 2 editionis Sirmondi circa finem Epiſt. 26 his verbis: *poſtremò de Pallio à mea præſumptione non certis temporibus, & juxta morem aliis Metropolitanis definitis uſo, inde veſtræ Sanctitatis auribus intimatum eſſe indignitati meæ ſcripſiſtis, auctoritati veſtræ veraciter fateor, quòd & in iſtis regionibus per alios, ſi vobis placuerit, reſcire valebitis, quia niſi in die Natalis Dominici, & in die Sanctæ Reſurrectionis ejus, vix in toto anno eodem Pallio utor.* Falſa igitur eſt Flodoardi narratio, ipſomet Hincmaro teſte, qui oppoſitam ſibi uſurpationem facilè potuiſſet diluere prolato Leonis privilegio, ſi extitiſſet. Præterea, ut diximus in Marco Papa, tum Archiepiſcopi, tum Epiſcopi Pallio uti non poterant niſi intra Eccleſiam quibuſdam & deſignatis diebus cum Miſſarum ſolemnia celebrarent; & hoc uſque ad Agapitum II, ut ſuo loco dicetur, ideoque illud Leonis IV privilegium Hincmaro conceſſum, planè ſuppoſititium videtur.

XI. *Synodum Romæ celebrat.* Anno Chriſti 853, Leonis Papæ ſeptimo, idem Pontifex menſe Decembri Synodum Romæ cum 67 Epiſcopis in Baſilica Sancti Petri celebravit, in qua Canones 42 diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes promulgavit. Inter Epiſcopos, quatuor adfuere à Lothario & Ludovico Auguſtis Legati, ſcilicet Joſeph Eporegenſis, Nottingus Brixienſis, Petrus Spoletinus, & Petrus Aretinus. Canones verò in ea promulgati, quatuor exceptis, ſunt iidem, nonnullis additionibus aucti, quos Eugenium II edidiſse in ſua Synodo Romana diximus. In eadem Leonis IV Synodo Anaſtaſius Tituli S. Marcelli Presbyter Cardinalis *ab omnibus canonicè eſt depoſitus, eò quòd Parochiam ſuam per annos quinque contra Canonum inſtituta deſeruit, & in aliena uſque hodie demoratur. Qui cùm neque ad duo pro eo congregata Concilia venire vellet, neque per Apoſtolicas Epiſtolas, neque per tres vocatus Epiſcopos, Nicolaum videlicet, Petronatium & Joannem, ideo meritò uno conſenſu ſecundum quod de talibus ſacris continetur Canonibus, eum Sancta Synodus depoſuit, & Sacerdotali honore privavit*, inquit Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Leonis. Ejus autem damnationis ſententiam Leo ſuper valvas argenteas ſcribi juſsit, ut in eadem Synodo legitur, ex quâ tria diſcimus. Primum, maximam jam tunc fuiſſe

Car-

Digitized by Google

Cardinalium dignitatem, cùm tres Epiſcopi Anaſtaſium Cardinalem Presbyterum ad Synodum canonicè vocaturi miſsi fuerint. Secundum, Cardinales, ſaltem Epiſcopos & Presbyteros, tunc ad reſidentiam obligatos fuiſſe. Tertium denique, paulatim uſum inductum eſſe, ut in Actis publicis anni Pontificatûs Romanorum Pontificum notarentur; Concilium enim hoc celebratum dicitur, *anno Pontificatûs Sanctiſsimi, ac coangelici, & univerſalis quarti Papæ Leonis, ſeptimo*.

XII. Alfredum Saxonum Occident. Regem unxit.

Ethelvolphus Occidentalium Saxonum Rex quatuor filios genuit Ethelbaldum ſcilicet, Ethelbertum, Ethelardum, & Alfredum, omnes deinceps Occidentalium etiam Saxonum Reges; ſed inter eos Alfredus magis enituit, utpote belli, & pacis laude clariſſimus, quique non minus doctrinæ, & literarum, quàm regni terminos dilatavit. Hunc Ethelvolphus pater, qui eum cæteris omnibus plus diligebat, Romam ad Leonem Papam anno 853 miſit, ut moribus pariter, & religione informaretur. Hæc conſtant ex Vita ejuſdem Alfredi, ab Aſsero, qui cum eo familiariter vixit, ſcripta: *Eodem anno*, inquit, nempe 853, *Ætelwalfus Rex præfatum Aelfredum magno nobilium, & etiam ignobilium numero conſtipatum, honorificè Romam tranſmiſit. Quo tempore Dominus Leo Papa IV Apoſtolicæ Sedi præerat.* Subdit poſtea Aſſerus: *Leo IV præfatum Aelfredum oppidò ordinans, unxit in Regem, & in filium adoptionis ſibimet accipiens confirmavit.* Hic eſt celebris ille Rex Alfredus, qui Paſtorale Divi Gregorii, ejuſque quatuor libros Dialogorum Saxonicè vertit, necnon Hiſtoriam Bedæ de gente Anglorum, quæ ſæculo elapſo Cantabrigiæ, non parvo Hiſtoriæ Anglicæ bono edita fuit. Plura alia ſcripſit, de quibus legendus Guillelmus Cave in Hiſtoria literaria. Porrò Leonem Papam, Alfredum ſanctiſſimis præceptis inſtitutum coronaſſe, Matthæus Weſtmonaſterienſis etiam memorat.

XIII. Sueſſionenſe Concilium confirmare renuit.

Ebbo, quem in Gregorio IV Remenſi Sede depoſitum diximus, Wlfadum, alioſque Clericos poſt depoſitionem ordinaverat. Quare Hincmarus ejus in eadem Sede ſucceſsor, in Concilio Sueſsionenſi, cui cum Venilone Senonenſi, & Amalrico Turonenſi Metropolitis anno 858 præfuit, Wlfadum, ejuſque ſocios gradibus ſuis dejecit, ut videre eſt Canone primo, & in Actis Synodalibus ejuſdem Concilii. Frodebertus illorum Clericorum unus, dato proclamationis libello, ſe ac ſocios, ordines ab Ebbone bona fide ſuſcepiſſe conteſtatus eſt. Hæc vera licèt, ac juſta eſſet Clericorum defenſio, Hincmarus tamen Actionibus 6, 7, & 8 decrevit cum aliis Epiſcopis, ut dicti Clerici gradibus Eccleſiaſticis privati manerent; ex indulgentia tamen Synodi, Caroli Francorum Regis precibus annuentis, communione fruerentur. Hujus Synodi confirmationem à Leone IV obtinere tentavit Hincmarus, quod Pontifex renuit, præſertim quòd Wlfadus, & ſocii per proprias literas Apoſtolicam Sedem appellaſſent. Præcepit Leo, ut Hincmarus ad Concilium cum dictis Clericis occurreret, ad quod ſuum ipſe Legatum direxerat, ad renovandum judicium vice ſua: ita ut ſi iiſdem dejectis Clericis contigiſſet, ut in ipſa debuiſſent depoſitione perſiſtere, & obedire renuiſſent, atque ad Sedem Apoſtolicam iterum provocaſſent, illis ad eam veniendi licentia minimè negaretur, ne ejuſdem ſanctæ Sedis diſſolveretur privilegium. Cum quibus præcepit, ut Hincmarus, vel miſſus ab eo procurator veniret, quatenus cum fratribus ſuis Epiſcopis collato negotio, & utraque parte conveniente, cauſa eorum à ſancta Sede canonicè finiretur. Verùm Leonis IV examen, ac judicium fugit Hincmarus, & poſt mortem ejus Benedicto III ejus ſucceſſori obrepſit, ut ibidem dicetur.

XIV. Ludovicum Imp. Romæ ſuſcipit.

Cùm Gratianus magiſter militum, & Romani Palatii Superiſta, ut ſcribit Anaſtaſius, à Daniele militum pariter magiſtro accuſatus fuiſſet apud Ludovicum II Imperatorem, conſilia agitare de transferendo ad Græcos Imperio, rem non ſpernendam ratus Ludovicus, nec literis præmiſsis Pontifici, Romam venit. Venientem honorificè ſuſcepit Leo Papa, ſicut mos erat, ſuper gradus majores Beati Petri, *& ipſo Imperatore cum ſanctiſſimo Leone Pontifice, omnibus Romanis Proceribus pariter, & optimis Francis ſedentibus de prædicta accuſatione placitum habuit.* Tunc Daniel dixit coram omnibus: *Iſte Gratianus habuit mecum conſilium hanc Romanam terram de veſtra tollere poteſtate, & Græcis tradere illam.* Subdit Anaſtaſius, Danielem falſi teſtimonii crimine convictum fuiſſe, ſed tamen Imperatorem eum de mortis periculo liberaſſe. Qua ex narratione manifeſtè liquet, verùm eſſe, quod in Leone III, & in Paſchali diximus, Imperatores Francos, non ſolo Defenſorum, & Protectorum Eccleſiæ titulo, ſed urbis Romæ dominio verè potitos eſſe.

XV. Uſum mitræ Anſchario Epiſc. Hamburgenſi concedit.

Mabillonius in Præfatione Partis 2 Sæculi IV Benedictini num. 182 meminit privilegii à Leone Papa IV Anſchario Hamburgenſi Pontifici conceſſi, quo ipſi, ejuſque ſucceſſoribus præter uſum Pallii, jam à Gregorio IV Anſchario tributum, concedit *ornari caput ejus mitrâ, & portari ante ipſum crucem.* Quod argumento eſt, inquit, cuivis Epiſcopo citra privilegium non licuiſſe, mitrâ, quam alii *cidarim*, alii *laminam* vocant, caput ornare. Certè Trajectenſes ad Rhenum Epiſcopi, ſaltem à Sæ-

Digitized by Google

SÆC. IX. LEO IV. à ſæculo octavo ad duodecimum, uſi non ſunt mitrâ; quod licèt Joannes à Leidis in Chronici Belgici lib. 4 cap. 2 in Trajectenſis Eccleſiæ inopiam rejiciat, ipſe tamen Mabillonius referendum putat in antiquum morem, quòd ſcilicet non omnibus citra privilegium Epiſcopis mitræ uſus olim competeret. Alexander enim Papa III Godewaldo Epiſcopo Trajectenſi hunc uſum impertiit quaſi gratuitò, ut apparet ex ejus literis ab eodem Auctore lib. 16 cap. 10 relatis: *Epiſcopalem*, inquit Alexander, *mitram tibi, tuiſque ſucceſſoribus deferendam concedimus*. Deinde neque in ordine Romano diſertè, nec apud Amalarium, aut Rabanum, neque in vulgato Alcuino de divinis officijs, ubi de ordinandis Epiſcopis, ulla mitræ mentio habetur.

XVI. *Mitra antiquitas.* Onuphrius Panvinius in Explicatione vocum obſcurarum ad calcem Vitarum Romanorum Pontificum, aſſerit, mitrarum uſum in Romana Eccleſia non ante ſexcentos annos eſſe. Eadem eſt ſententia Hugonis Menardi in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ pag. 362. Sed uſum mitræ non ſolùm in Orientali, verùm & in Occidentali Eccleſia longè ante annum milleſimum obtinuiſſe, certiſſimum eſt, tum ex antiqua effigie lapidea S. Petri ante annos mille erecta ad portam Eccleſiæ Corbejenſis monaſterii, tum ex tabellis, & imaginibus ſummorum Pontificum, quas ex antiquis Romanæ urbis monumentis æri inciſas repræſentant Bollandiani in propileo menſis Maii, quorum poſt S. Sylveſtrum maxima pars, cum mitra oblonga, & rotunda, ut in lapidea S. Petri Corbejenſis effigie cernitur; tum ex Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi Carmine 3 lib. 5, ubi de ornamentis Pontificis ita canit:

Illius ergo caput reſplendens mitra tegebat.

Qui plura hac de re cupit, legat Auctores laudatos, & Edmundum Martene lib. 1 de Antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 4 num 13, & ſeqq. Quo tempore uſus mitræ Abbatibus conceſſus, dicetur in Alexandro II. SÆC. IX. LEO IV.

XVII. *S. Leo IV. PP. moritur.* Anaſtaſius ſcribit non multò poſt Ludovici Imperatoris reditum ex Urbe, Leonem Papam in Domino obdormiſſe XVI *Kal. Auguſti*, ſeu die decima ſeptima menſis Julii, & ejus Pontificatûs initio dixerat, eum ſediſſe *annos octo, menſes tres, dies quinque*, ſed legendum, *dies ſex*, ut habetur in quarto, & ſexto Catalogis Criticæ Baronianæ præfixis, in Orderico Vitali lib. 2, in Chronicis Hermanni Contracti, & Martini Poloni, in Honorio Auguſtodunenſi, & in Auctore Anonymo Chronici S. Vincentii propè Vulturnum fluvium in Provincia Capuana apud Ducheſnium Tomo 2 Scriptorum Francorum; ſicque Leo IV, qui conſecratus fuerat die undecima Aprilis anni 847, obiit die decima ſeptima menſis Julii anni octingenteſimi quinquageſimi quinti, poſtquam Eccleſiam Romanam gubernaſſet annos octo, menſes tres, & dies ſex, ut diſertè etiam legitur in codice MS. Anaſtaſii Thuaneo ad Bibliothecam Colbertinam tranſlato.

XVIII. *Ejus virtutes & Sanctitas.* Leonem IV Pontificatu digniſſimum fecere pietas, humilitas, benignitas, juſtitiæ amor, charitas plebis, beneficentia in pauperes, aſſiduitas in vigiliis & orationibus, eruditio ſacra, prudentiæ cum ſimplicitate morum admirabilis conjunctio; ejuſque ſanctitas, ex mox dictis, miraculis eſt comprobata, unde nomen ejus ſacris faſtis adſcriptum eſt ad diem 17 menſis Julii. De ejus corporis Tranſlatione vide dicta in Leone III. Homiliam conſcripſit, quam quiſque Epiſcoporum in Synodis Diœceſanis recitaret ad Clericos, quâ edocerentur Eccleſiaſtica officia, quæ extat in collectionibus Conciliorum. Sepultus eſt in Eccleſia S. Petri.

JOANNA PSEUDO-PAPISSA

Ante finem Sæculi XIII, vel ſequentis initium incognita.

I. *Fabula de Joanna Papiſſa vix hodie defenſa.* RECENTES fabulæ de Joanna Papiſſa impugnatores cōmuniter Marianum Scotum ejus primum auctorem faciunt, quòd in ejus Chronico Francofurti anno 1583 edito, hæc verba legantur ad annos 853, & 854. *Leo Papa obiit Kalendis Auguſti. Huic ſucceſſit Joanna mulier annis duobus, menſibus quinque, diebus quatuor.* Obiit autem Marianus Scotus anno 1086. Sed Ptolemæus Lucenſis Ordinis Prædicatorum huic opinioni adverſatur in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica, quam Guillelmo de Bajona Presbytero Cardinali Tituli S. Cœciliæ anno 1312 creato, dicavit; in ea enim ita ſcribit: *Omnes quos legi, præter Martinum* (nempe Polonum) *tradunt poſt Leonem IV fuiſſe Benedictum III. Martinus autem Polonus ponit Joannem Anglicum VIII*, ſeu Joannam Papiſſam. Ex quo deducitur Ptolomæi Lucenſis ætate, ſeu ſæculo decimo quarto hanc fabulam non Mariano Scoto, ſed Martino Polono fuiſſe attributam; ideoque non illum, ſed hunc creditum tunc fuiſſe primum ejus auctorem, aut ſcriptorem. Verùm neutri commentum illud adſcribendum eſſe oſtendemus, poſtquam pau-

Digitized by Google

cis illud refutaverimus; in ejus enim refutatione non multùm immorandum, quia licèt aliàs à Romanæ Sedis hoſtibus libentiſſime audiretur, hodie tamen ab iis, qui majori impetu in eam feruntur, vix defenditur, præſertim ab anno 1649, quo David Blondellus Calvinianus Miniſter hoc monſtrum luculenter confutavit in familiari Elucidatione quæſtionis, quam Gallico idiomate ſcripſit, *Utrum mulier in Sede Pontificia Romæ ſederit*.

II. *Anaſtaſio Bibliothecario incognita.*

Leone IV, Romano Pontifice, die 17 Julii, ut ſcribunt Anaſtaſius Bibliothecarius, & Luitprandus, anni 855, demortuo, paucis poſt diebus, eodem Anaſtaſio teſte, Benedictus hujus nominis III electus eſt: *Leo quidem*, inquit, *ubi hac luce ſubtractus Præſul occubuit, MOX omnis Clerus iſtius Romanæ protectæ Sedis, univerſique Proceres .... congregati ſunt .... Divinitus igitur æthereo tunc lumine inflammati, uno conſenſu, unoque conamine, Benedictum pro tantis, quibus pollebat, ſacris operibus, Pontificem promulgaverunt eligere*. Refert poſtea decretum electionis ad Imperatores Lotharium, & Ludovicum miſſum eſse, tandemque poſt interpontificium duorum menſium, & dierum quindecim, Benedictum præſentibus Imperialibus Legatis, conſecratum ordinatumque eſse Pontificem, & quidem poſt diem 27 Septembris ejuſdem anni. Ex mente igitur Anaſtaſii, Abbatis Romani, tunc viventis, & forſan electionis, & conſecrationis Benedicti teſtis oculati, immediatè poſt mortem Leonis IV, electus eſt Benedictus III, pauloque poſt ordinatus. Purum itaque commentum eſt inter Leonem IV, & Benedictum III, Joannam fœminam ſediſſe annis duobus, menſibus quinque, & diebus quatuor, ut legitur in Mariani Scoti Chronico.

III. *Item Hincmaro Remenſi Archiep.*

Præter Anaſtaſium habemus alium teſtem per ſuos miſſos quaſi præſentem ſaltem ordinationi Benedicti III, Hincmarum ſcilicet Remenſem Archiepiſcopum id teſtantem in Epiſtola XXVI ad Nicolaum Papam ejuſdem Benedicti ſucceſſorem data, quæ extat Tomo 2 editionis Sirmondi pag. 298, in qua ait: *Miſſos meos cum literis Romam direxi. Quibus in via nuncium venit de obitu Papæ Leonis. Pervenientes autem Romam cum præfatis literis, & intervenientibus prædictis Epiſcopis, domnus nomine, & gratia Benedictus, mihi, quod noſtis, privilegium inde direxit*. Miſſos Hincmari, cùm in via certiores facti eſſent de obitu Leonis IV, annis duobus, menſibus quinque, & diebus quatuor in via ſubſtitiſſe, ſcilicet uſque ad mortem Joannæ Papiſſæ, & Benedicti III ordinationem, quis credat? Cœptum itaque iter proſecuti ſunt, ut Hincmari verba evincunt, & Romam non multò poſt advenientes, Benedictum electum, vel jam forsàn ordinatum invenerunt, à quo privilegium, quod petebant, obtinuerunt. Ex quo ſolo loco luce meridianâ clarius eſt, Benedictum ſtatim Leoni ſuffectum fuiſſe, non verò poſt duos annos cum dimidio. Papiſſa igitur in cathedra Apoſtolica non ſedit poſt Leonem IV, & ante Benedictum III.

IV. *Item omnibus ſcriptoribus Latinis noni ſæculi.*

Ipſe Nicolaus Papa hujus nominis primus, immediatus Benedicti III ſucceſſor, hunc Leoni IV immediatè etiam ſucceſſiſſe non obſcurè ſignificat in Epiſtola XLVI, undecim annis poſt Benedicti creationem, die nempè ſexta Decembris anni octingenteſimi ſexageſimi ſexti ſcripta ad Concilii Sueſſionenſis Epiſcopos, in qua ait: *Apoſtolicæ Sedis Pontifex Leo, qui fratris Hincmari propoſitum noverat, ab hac luce ſubtractus eſt: cùmque Sanctæ memoriæ Benedictus Vir Apoſtolicus ei ſucceſſiſſet in ordine Pontificatûs, rurſus Reverendus Hincmarus arma præparat*. Ado item Viennenſis Archiepiſcopus, qui anno 875 obiit, in Chronico enumerans Pontifices Romanos à Gregorio IV ad Nicolaum primum, nullam Joannæ Papiſſæ mentionem facit, ſed Leoni IV immediatè ſucceſſiſſe Benedictum III disertè habet: *Pontifex Romanus Gregorius*, inquit, *moritur*, *atque ejus loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo ſuccedit. Quo obeunte Benedictus in Sede Apoſtolica ſubſtituitur.* Idem habet Annaliſta Bertinianus, qui Annales ſuos terminat anno 882, quique ad annum 855 ita ſcribit: *Menſe Auguſto, Leo Apoſtolicæ Sedis Antiſtes defunctus eſt, eique Benedictus ſuccedit*. Ita Annaliſta ille, qui poſtea teſtatur, Benedicto III ſucceſſiſſe Nicolaum I; Nicolao I, Hadrianum II, Hadriano II, Joannem VIII; ita ut, juxta eum, Joanna Papiſſa, nec inter Leonem IV, & Benedictum III ſedere potuerit, nec inter ſubſequentes Pontifices collocari.

V. *Græcis etiā Sedis Rom. hoſtibus eodem ſæculo viventibus.*

Hanc fabulam non ſolis Latinis ejuſdem ſæculi noni, ſed ipſis etiam Græcis Latinæ Eccleſiæ infenſiſſimis hoſtibus eo ipſo ſæculo viventibus fuiſſe incognitam conſtat. Nam Photius lib. 1 de Spiritûs Sancti Proceſſione adversùs Latinos, laudatus ab Allatio in confutatione fabulæ de Papiſſa, in quo enumerat Pontifices Romanos, qui ſuo tempore vixerunt, nullam Joannæ mentionem facit, ſed diſertiſſimis verbis Leoni IV ſubrogatum eſſe Benedictum III aſſerit: *Heri*, inquit, *& nondum ſecunda generatio præteriit, nobilis ille Leo, qui & miraculis editis poteſt gloriari omnem omnium excidens prætextum hæreticorum ....ſed & mitis, & manſuetus, & aſceticis certaminibus inclitus Benedictus, poſt eum in Archieratrico Throno ſucceſſor, hoc idem, & amplectendo, & confirmando haud ſecundus eſſe nitebatur, licèt tempore ſecun-*

Digitized by Google

SÆC. IX. JOANNA.

ſecundus eſſet. Metrophanes pariter Smyrnæus Epiſcopus Pontificum ſui temporis catalogum texens, in libro, quem de Spiritûs Sancti divinitate, ejuſque ex ſolo Patre proceſſione conſcripſit, Benedictum immediatum Leonis ſucceſſorem agnoſcit, Benedicti ſucceſſores Nicolaum I, Hadrianum II, & Joannem VIII, de Papiſſa ne verbum quidem habet. Fuit porrò Metrophanes Photio æqualis, & Romanæ etiam ſedis hoſtis, qui ideo Papiſſam non ſiluiſſet, ſi tale dedecus ei contigiſſet.

VI. Item Græci & Latini ſequentium ſæculorum.

Poſteriorum ſæculorum Scriptores Græciuſque ad ſæculum decimum quartum, hanc Joannam Papiſſam ſummo ſilentio premunt; imò ſæculo undecimo, cùm Leo IX Papa ſcribens ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum tanta confidentia Græcis exprobrabat, fœminam in Sedem Conſtantinopolitanam irrepſiſſe, iſti non inveniuntur illud opprobrium in Romanam Sedem retorſiſſe. Si à Græcis poſteriorum ſæculorum ad Latinos tranſeamus, inveniemus Reginonem, & Luitprandum, Auctores ſæculi decimi, Hermannum Contractum, & Lambertum Schafnaburgenſem, ſcriptores undecimi; poſteriorum denique ſæculorum Hiſtoricos, Ademarum, Hugonem Flaviniacenſem, Leonem Oſtienſem, Joannem Cremonenſem, Florentium Vigornienſem, Honorium Auguſtodunenſem, Conradum Abbatem Urſpergenſem, Auctorem Anonymum Carminis de Romanis Pontificibus, quod in Eugenio III definit apud Mabillonium in præfatione partis 2 Sæc. VI Benedictini § 1 num. 6, alioſque plures poſteriores, nequidem verbum de hoc monſtro habuiſſe. Multa alia hanc in rem argumenta afferunt Onuphrius Panvinius in Notis ad Platinam, Baronius, Bellarminus, Ciaconius, Florimundus Remundus Senator Burdigalenſis in libello de ea Gallicè edito, & à Joanne Carolo ejus filio Latinè reddito, Philippus Labbeus in Joannæ Papiſſæ Cenotaphio everſo, David Blondellus loco laudato, & nuper Natalis Alexander diſſert. 3 ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculi IX, & X apud ipſos legenda; ea enim conſultò prætermittimus, ne actum agamus.

VII. Hujus fabulæ auctor non eſt Marianus Scotus.

Solùm itaque nobis ſupereſt oſtendendum neque Marianum Scotum, neque Martinum Polonum eſſe hujus fabulæ auctores, eamque Chronico etiam Sigeberti, & Vincentii Bellovacenſis Speculo Hiſtoriali fuiſse aſsutam. Et primò quidem, quod attinet ad Marianum Scotum, Leo Allatius in *Confutatione fabulæ de Joanna Papiſſa ex monumentis Græcis*, num. 3 demonſtravit in ſinceris Mariani Scoti codicibus hanc fabulam non fuiſſe exaratam: teſtari Scriptorem non ignobilem, qui Metropolim Alberti Krantzii Notis illuſtravit ad librum 2 cap. 2 pag. 100 editionis Colonienſis anno 1574 curatæ, ſed notam illam Typographos Francofordienſes eraſiſse, Mariani Scoti codices aliquos antiquiſſimos, qui adhuc extant, nihil de Joanna Papiſsa habere, quod argumento eſt eam ejus Chronico fuiſse additam. Certè Marianus Scotus à nullo ex hujus fabulæ aſſertoribus in ſuæ ſententiæ patrocinium laudatus reperitur; imò Ptolemæus Lucenſis, qui Marianum Scotum perlegerat, numero primo à nobis laudatus, diſertè ſcribit, omnes Scriptores quos legerat, tradere *poſt Leonem quartum fuiſſe Benedictum III*, uno Martino Polono excepto, qui ponit *Joannem Anglicum VIII*. Quare Ptolemæi Lucenſis ætate hæc fabula non legebatur in Chronico Mariani Scoti.

VIII. Aſſuta eſt Chronico Sigeberti, & Vincentii Bellovac. Speculo Hiſt.

Eadem ratio militat etiam pro Sigeberto Gemblacenſi Abbate, in cujus codicibus antiquiſſimis MSS. eam fabulam non extare aſserit idem Leo Allatius, & conſtat ex autographo Cœnobii Gemblacenſis, quod ab Auberto Miræo editum eſt, in quo nulla mentio hujus Papiſsæ laciniæ. Idem dicendum de Speculo Hiſtoriali Vincentii Bellovacenſis, in cujus libro 24 cap. 36 hæc fabula legebatur, in quo non extaſse eo tempore, quo Ptolemæus Lucenſis ſcribebat, ejus verba laudata nos dubitare non ſinunt. Imò medio circiter ſæculo decimo quinto, nondum in ejus Speculo legebatur, teſte S. Antonino Archiepiſcopo Florentino part. 2 Chronicorum tit. 16 cap. 1 § 6 ita ſcribente; poſtquam narrationem de Joanna Papiſsa exſcripſit ex Martino Polono: *Verè*, inquit, *valdè mirandum, & cum Paulo clamandum*. „ O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm „ incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & „ inveſtigabiles viæ ejus, *ſi verum fuit quod vulgò dicitur, & iſte refert. Et quoddam ſignum ſculpturæ marmoreæ, in via ubi hoc contigit, ob ejus rei memoriam poſitum dicitur. Vincentius tamen in Speculo Hiſtoriali, & Joannes de Columna nihil de hoc referunt. Sed etſi fuit verum, nullum tamen ex hoc ſalutis præjudicium: quia nec Eccleſia tum fuit ſine capite, qui eſt Chriſtus, undè influxum gratiæ percipit, &c.* Nec dici poteſt, hæc S. Antonini verba referri tantùm ad marmoream ſtatuam, ita ut velit ſolùm, Vincentium Bellovacenſem, & Joannem de Columna nihil de ea referre. Nam verba ſequentia, *ſed etſi fuit verum*, &c. manifeſtè oſtendunt Antoninum ibi loqui de Joannæ Papiſsæ ſeſſione in Cathedra Sancti Petri, ex qua dicit *nulli ſalutis præjudicium* obvenire poſse, quia Eccleſia tunc non fuiſset ſine capite, ſi vera extitiſset illa fabula, quòd non dixiſset de politione marmoreæ ſtatuæ. Supponit itaque Antoninus, cùm hæc ſcriberet, ſcilicet circa

medium ſæculum XV, Vincentii Bellovacenſis exemplaria ea labe nondum fuiſse conſpurcata.

IX. *Martinus Polonus ea non publicavit.*

Magnus eſt etiam eorum numerus, qui Martinum Polonum, anno 1278 demortuum, ridiculæ hujus fabulæ auctorem exiſtimant. Sed Allatius loco laudato num. 5, & ſeqq. non ſolùm oſtendit Martini Chronicon peſſimè corruptum fuiſse; verùm etiam in Bibliotheca Vaticana extare hujus Auctoris antiquiſſimum exemplar, in quo poſt Vitam Leonis IV, nulla fit Joannæ Papiſsæ mentio, neque in margine, eâdem, vel alterâ manu ſcripta; aut quidquam aliorum induſtriâ eraſum. Certè Martini Poloni Chronicon jam olim fuiſſe interpolatum, obſervavit Suffridus Petrus, ideoque ad fidem MSS. codicum emendatum illud edi curaverat Antuerpiæ Typis Plantinianis anno 1584. Verùm licèt narrationem de Papiſſa, aliena manu intruſam, non apprehenderit, ideoque eam vulgaverit; obſervavit tamen MSS. codices neque excuſos omnes, neque ſingulos inter ſe convenire, & in codice Tergenloenſi MS. nec numerum, nec nomen haberi in catalogo Pontificum, ſed narrationem illam de Papiſſa, veluti fabulamentum, Leoni IV appendicis loco adjectam. Quod confidentius aſſeruiſſet, ſi tunc edita fuiſſet Bibliotheca Cæſarea, à Lambecio poſtmodum publicata, qui lib. 2 cap. 8 teſtatur, in ea Bibliotheca reperiri quatuor codices MSS. Chronici Martini Poloni, in quibus ejuſdem fabulæ mentio non extat, nec unquam extitit; indeque jure merito concludit Martinum, falsò haberi pro auctore vel approbatore abſurdiſſimi ejus commenti; & ejus Chronicon non niſi poſt ejus mortem, quæ anno, ut diximus, 1278 contigit, partim malitia falſariorum hæreticorum, partim nimia credulitate imperitorum, labe illa contaminatum fuiſſe, & quidem poſt dictum annum 1278; ideoque, vel deſinente ſæculo XIII, vel initio ſæculi XIV, quo Ptolemæus de Luca florebat. Unde in nullis Romanorum Pontificum Catalogis, ſive Vaticanis, ſive Colbertinis, ſive aliis ante annum 1400 exaratis, pſeudo-papiſſæ Joannæ nomen legitur, quod tamen in multis poſt eum annum ſcriptis habetur. Ex quibus Criticæ Baronianæ Auctor conjicit, ejus fabulæ originem Valdenſibus hæreticis adſcribendam eſſe. His adde Mabillonium in præfatione partis 2 ſæculi VI Benedictini aſſerere, apud Franciſum Abbatem de Campis extare alium codicem MS. Martini Poloni, in quo hæc fabula non legitur. Non extat etiam in vetuſtiſſimo MS. ipſi Martino Polono penè coætaneo, quod ſumma fide, & diligentia excudendum curavit Joannes Fabricius Cæſar Præmonſtratenſium alumnus Coloniæ Agrippinæ anno 1616. Unde ipſe etiam Guillelmus Cave in Hiſtoria literaria ſub Martino Polono, hanc Papiſſam inter fabulas recenſet.

X. *Ea fabula ſæculo XV novis figmentis aucta.*

Porrò qui Martini Poloni Chronicon ea labe infecit, ſcripſit fœminam illam vocatam fuiſſe *Joannem Anglicum*, ex Moguntia oriundam, & in ſolemni ſupplicatione peperiſſe, Templum inter Sancti Clementis, & Coliſæum, atque in hujus execrationem facinoris ſupplicationes ſolemnes per hanc deinceps viam non tranſiiſſe. Theodoricus Niemus, qui anno circiter 1413 ſcribebat, addidit ſtatuam in memoriam iſtius eventûs erectam fuiſſe. Guillelmus verò Brevin, qui de ſeptem præcipuis Romæ Eccleſiis ſcripſit, & Platina, qui obiit anno 1481, ſellam perforatam commenti ſunt, in qua ſexus novi Pontificis exploraretur, quæ *ſella Stercoraria* dicebatur. Sed hæc ſunt pura commenta ad iſtius monſtri perfectam formationem excogitata. Nam primò, quod ſpectat ad eam ſtatuam, quæ Romæ olim viſebatur, hæc mulieris ſpeciem præ ſe non ferebat, nec infantem recens natum, & pannis involutum, vel inter matris ubera poſitum, ſed puerum grandiorem, qui præire videretur. Quamobrem priſcum potius Ethnicorum Sacerdotem ad ſacrificium, præeunte miniſtro, pergentem, aut aliquod Gentilium Numen, hanc ſtatuam referre, viri rei antiquariæ periti pridem obſervarunt: maximè cùm altera manu palmæ ramum humero innixum deferret, quod Summorum Pontificum inſigne non eſt, qui crucem aut claves manibus geſtantes affinguntur. Statua autem illa tempore Sixti V ſublata eſt, qui viam, in qua poſita erat, rectiorem duci & amplificari curavit, ut & plures alias, ad Urbis decorem & ornamentum.

XI. *Uſus ſedis Stercorariæ.*

Quantum ad ſedem Stercorariam, Mabillonius Tomo I Muſæi Italici parte I pag. 59 ſcribit, ſe vidiſſe in clauſtro Baſilicæ Lateranenſi adjuncto tres ſedes confuſè cum varia ſupellectile conjectas: unam ex marmore albo, olim in porticu Baſilicæ poſitam, in qua novum Pontificem collocari mos erat, *Stercorariam* appellatam: alias duas porphyreticas, & quidem perforatas, quæ ante capellam S. Silveſtri quondàm exiſtebant, in quibus Pontifex recèns conſecratus itidem ſedebat. Obſervat autem Pontificem novum, eo ritu in Baſilicæ Lateranenſis poſſeſſionem induci ſolitum, ut primò ad thronum Pontificalem, qui in apſide Baſilicæ ſtabat, *omnes Epiſcopos, & Cardinales*, ut loquitur Cencius, ad oſculum admitteret: *Deinde ad ſedem lapideam, quæ dicitur Stercoraria*, ſtantem in porticu, collocaretur, *ut verè dicatur*, SUSCITAT DE PULVERE EGENUM, ET DE STERCORE ERIGIT PAUPEREM: poſtea ductus ad capellam Sancti Silveſtri propè Latera-

Digitized by Google

teranenſe palatium, primò ſederet ad dextram in una ex illis ſedibus porphyreticis, ubi claves Baſilicæ à Priore S. Laurentii acciperet in ſignum regiminis & correctionis: demum ad ſiniſtram in altera ſedens, eaſdem claves eidem Priori reſtitueret. Ex quo, inquit Mabillonius, intelligitur, *Stercorariam* vocabulum traxiſſe, non ex forma (neque enim pertuſa eſt, ut aliæ duæ), ſed ex verſu pſalmi, qui, pontifice in ea ſedente, canebatur, *& de ſtercore erigens pauperem*. Hæc *fœda loco*, non forma, nedum uſu, appellatur in libro ſecundo de coronatione Bonifacii VIII, Auctore Jacobo Cardinale apud Bollandianos Tomo IV Maii pag. 471, ubi totus hic ritus de tribus ſedibus metricè deſcribitur. *Fœda*, inquam, *loco*, nempe, quòd in porticu Baſilicæ inferiori conſtituta eſſet, ut ex antecedentibus intelligitur.

XII. *Ejuſdem uſus ceſſatio.* Quando primùm harum ſedium uſus cœperit, non conſtat. De his, ſubdit Mabillonius, nihil invenimus ante ſæculum duodecimum, quo tempore illarum fit mentio apud Cencium, uno ſæculo ante fabulam de Papiſſa Joanna, ideſt ante Martinum Polonum, qui primus eam fabulam vulgavit. Tandem ritus ille, qui ad altiùs inſinuandam novo Pontifici humilitatem, primùm inductus fuerat, poſt receptam apud nimium credulos de pſeudo-Papiſſa fabulam, ita infamis evaſit, ut ob hoc commentum penitùs abrogaretur, quod ſæculo decimo ſexto poſt Leonem X factam putat. Ceterùm non alia de cauſa ſedes illas perforatas veriſimile eſt, quàm quòd in antiquis Romanorum thermis repertæ, ob materiæ pretium, non ob formam, aptæ judicatæ ſunt, quæ ad novi Pontificis ſeſsionem adhiberentur. Ita Mabillonius, cui tamen quoad primum auctorem, ſeu narratorem fabulæ de Joanna Papiſſa, non aſſentitur Annotator Baronii, quòd Mabillonius laudatus pag. 27, ubi eam Martino Polono adſcribit, non alio id argumento probet, quàm loco Ptolemæi de Luca à nobis ſuperiùs num. 1 recitato, ex quo tantùm inferri debet, Ptolemæi ætate, Hiſtoriam Martini Poloni jam ea in parte fuiſſe interpolatam, & fabulam de Joanna Papiſſa recèns excogitatam; cùm Ptolemæus, qui ad componendam ſuam Hiſtoriam, Hiſtoricos anteriores perlegerat, in uno Martino Polono, ſcilicet interpolato, ſe eam inveniſſe teſtetur. Valde itaque hallucinati ſunt recentes Critici, qui fabulæ à tribus, aut ad ſummum à quatuor ſæculis excogitatæ magnam antiquitatem tribuerunt. Porrò quæ mox de electione, & conſecratione Benedicti III, Leonis IV ſucceſſoris, ex Anaſtaſio narrabimus, manifeſtè oſtendent, ne vel unicum quidem diem inveniri poſſe vacuum illi fœmineo monſtro, quod impudens Hæreticorum ſcurrilitas fabricavit inter Leonem IV, & Benedictum III, quodque juſto major quorundam Catholicorum credendi facilitas ſuſcepit.

BENEDICTUS III *Pontif. CVI.*

Anno Domini DCCCLV.

I. *Benedictus III eligitur PP. & inthronizatur.* Anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo quinto, die decima ſeptima menſis Julii, ut ſcribit Anaſtaſius, Leone IV ex hac luce ſubtracto, Benedictus hujus nominis III, patriâ Romanus, ex patre Petro, Tituli Sancti Calliſti Presbyter ab eodem Leone IV conſecratus, electus eſt Romanus Pontifex ſummo omnium ordinum conſenſu, & ſtatim inthronizatus, ut conſtat ex eodem Anaſtaſio ita ſcribente; *Leo quidem, ubi ex hac luce ſubtractus præſul occubuit, MOX ſimul omnis Clerus iſtius Romanæ à Deo protectæ Sedis, univerſique Proceres, cunctuſque Senatus atque Populus congregati ſunt, Domini clementiam exorantes, ut beatiſſimum illis omnibus dignaretur demonſtrare Paſtorem, qui culmen Apoſtolicum regere valuiſſet tranquillè. Divinitus igitur æthereo tunc lumine inflammati, uno conſenſu, unoque conanime Benedictum, pro tantis quibus pollebat ſacris operibus Pontificem promulgaverunt eligere. Illico verò alacri univerſa ſtudio plebs, & populi cœtus ad Calliſti Titulum properantes, Domino illum Omnipotenti, ut ſolitus fuerat, invenerunt fundentem orationem.* Cùmque Pontificatum ſuſcipere flebili voce recuſaret, illi *nullatenus acquieverunt, ſed viribus cunctis ex eodem Titulo abſtrahentes cum hymnis, & canticis ſpiritualibus, ampla exultatione, & ineffabili gaudio in Patriarchium Lateranenſe perducentes, Pontificali ſolio, ut mos eſt Pontificum, canaque conſuetudo demonſtrat, poſuerunt.*

II. *E Patriarchio ejicitur, ſed poſtea iterum inthronizatur.* Et poſt pauca ſubdit Anaſtaſius: *His ita peractis, Clerus, & cuncti Proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt, & conſuetudo priſca, ut poſcit, invictiſſimis Lothario & Ludovico deſtinaverunt Auguſtis.* Legati à Clero, Senatu, populoque Romano ad Imperatores directi, ab Arſenio Eugubino Epiſcopo in partes tracti, fidem feſellerunt, & à Benedicti deficientes obedientiâ, Anaſtaſium Presbyterum olim Cardinalem, quem à Romana Synodo ſub Leone IV dignitate depoſitum

tum

Digitized by Google

SÆC. IX. BENEDICTUS III.

tum viduitos; in Sedem Sancti Petri per ſummum nefas intruſerunt, conſentientibus ipſis Legatis Imperialibus. Sed reſiſtentibus magnâ conſtantiâ Epiſcopis, unà cum Clero, populoque Romano, iidem Imperatoris Legati poſt triduum coacti ſunt Anaſtaſium expellere; & poſt indictum pro Eccleſiæ unitate triduanum jejunium, Benedictus ad Baſilicam Salvatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, deſcendit; e qua in Baſilicam Dei Genitricis, quæ ad præſepe dicitur, deductus eſt, in qua omnes jejuniis, & orationibus tribus diebus vacarunt. Expletoque jejunio, omnes, qui Anaſtaſio ſe conjunxerant, in præfatam Baſilicam convenerunt, & procidentes veſtigia ipſius Benedicti oſculati ſunt, & veniam petierunt. *Etiam ipſi Imperiales ibidem convenére Legati, qui ſalutaribus verbis, ac mollioribus ſecretius cum eodem electo confabulabantur. Subitò omnes Epiſcopi, univerſusque Clerus, & innumera Romani populi multitudo, ex eadem eum deducentes Baſilica cum hymnis, & canticis ſpiritualibus in Patriarchium Lateranenſe introduxerunt, & in Pontificali ſolio, de quo ejectus fuerat, poſuére.*

III. *Conſecratur Pontifex.*

Dominico die diluculo in Baſilicam Beati Petri Apoſtoli ab Epiſcopis, Clero, & Proceribus deductus eſt. Et in conſpectu omnium Imperialibus Miſſis cernentibus, in Sede Apoſtolica, ut mos eſt, & antiqua traditio dictat, conſecratus, ordinatuſque eſt Pontifex. Portuenſis verò Epiſcopus prohibitus ab Eccleſia, orationem, quam debuerat, ſuper eum nullatenus dixit, quòd anathematizato ſe conjunxerat, ac in perjurii voraginem deciderat, atque manebat. Sacriſque tunc Miſſarum ſolemniis celebratis, in Patriarchium Lateranenſe Pontifex ordinatus reverſus eſt. Hæc Anaſtaſius, in cujus quidem vulgatis editionibus ceſſatio Sedis poſt Leonis IV mortem non legitur, ſed in variantibus lectionibus editioni Regiæ ſubjectis pag. 291 dicitur, in uno exemplari MS. haberi ceſſaſse Sedem menſes 2, dies 15, quod & notatur in quibuſdam catalogis; ſed cùm Leo IV ex Anaſtaſio, die 17 menſis Julii è vivis exceſſerit, Sedes ceſſavit tantùm menſes 2, dies 12, & Benedictus ordinatus eſt die vigeſima nona Septembris, quæ anno octingenteſimo quinquageſimo quinto Dominicalis erat.

IV. *Sub eo Saxonum Occident. regnum Eccl. Rom. fit iterum vectigale.*

Eodem anno octingenteſimo quinquageſimo quinto, quo Benedictus III in Sede Sancti Petri conſtitutus eſt; Ethelvolphus Occidentalium Saxonum Rex, voti cauſa Romam petiit, legemque ſancivit, *ut qui ex ſuis poſſeſſionibus triginta denariorum vectigal in ſingulos annos caperent, aut plures domos haberent, pro iis, quas habitarent, ſinguli ſingulos denarios, quotannis Romano Pontifici ad diem feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, vel ſignimum ad vincula Petri ſolverent*, ut narrat Polydorus Virgilius, qui tamen in eo fallitur, quòd tradit donationem hanc ab Ethelvolpho Rege factam anno 847. Cùm enim hic Rex anno tantùm 855, ſedente Benedicto tertio, ut aſſerit Anaſtaſius in hujus Vita, & ex Auctoribus Anglicis probat Annotator Baronii, orationis causâ Romam venerit, eodem pariter anno Anglia Romanæ Eccleſiæ ab eodem Rege vectigalis facta. Baronius quidem, qui in mendoſum Anaſtaſii codicem inciderat, ſcribit Regem Lazorum ſub Benedicto III Romam properaſſe, & obtuliſſe multa dona beato Petro; ſed editiones correctæ Anaſtaſii habent Regem *Saxonum*, non Lazorum, qui Rex alius non eſt quam Ethelvolphus, quem Annaliſta Bertinianus ad annum 855 Regem *Anglorum Saxonum*, & ad annum 856 Regem Occidentalium Anglorum appellat. Romæ porrò moratus eſt Ethelvolphus *anno integro* orationibus, & eleemoſynis inſiſtens, cum Alfredo filio, de quo in Leone IV locuti ſumus, ut habet Aſſerus in ejuſdem Alfredi Vita, Româque rediens Juditham Caroli Calvi Francorum Regis filiam uxorem accepit, ut tam apud eundem Aſſerum, quàm apud alios Scriptores Anglos, & Francos videre eſt. Dicitur etiam Ethelvolphus inſtauraſse Romæ Scholam Anglorum, ab Ina & Offa Regibus conditam, & amplificatam, quæ paulò ante incendio ferè conſumpta fuerat. De ea Schola vide dicta in Gregorio II, & in Hadriano I. Cùm autem Inas Occidentalium etiam Saxonum Rex, regnum illud Romanæ Eccleſiæ vectigale feciſset, dicendum Ethelvolphum, vel eam donationem auxiſse, vel per ceteras provincias ampliaſse.

V. *Michaelis Imp. ad Benedictum PP. legatio.*

Cum Michael Orientis Imperator accepiſset Benedictum III Romæ conſecratum eſse Pontificem, Legationem ad eum miſit cum muneribus, quæ recenſet Anaſtaſius; *Evangelium* ſcilicet *auro puriſſimo tectum cum diverſis lapidibus pretioſis; calicem ſimiliter ex auro, & lapidibus circumdatum, reticula pendentia ex gemmis albis pretioſiſſima pulchritudine decorata, vela duo de holoſerico cum crucibus de holoſerico, & liſta de chryſoclavo, parva coopertoria ipſius calicis ſicut mos Græcorum eſt. Similiter & veſtem de purpura Imperiali unam ſuper Altare majus, ex omni parte cum hiſtoria habente cancellos & roſas de chryſoclavo magnæ pulchritudinis decoratam, etiam & velum de ſtauraci unum cum cruce de chryſoclavo & literis ex auro Græcis.* Quæ Dona ad Beatum Petrum Apoſtolum miſit Michael Imperator per Lazarum Monachum.

VI. *Benedictus PP. ſententiam depoſitionis Gregorii Syracuſani Epiſc. confirmat.*

Sanctus Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus celebrata anno octingenteſimo quinquageſimo quarto Conſtantinopoli Synodo, Gregorium cognomento Arbeſtam Epi-

1061

Digitized by Google

Epiſcopum Syracuſanum in Sicilia Epiſcopatu depoſuit, Legatoſque ad Leonem IV Papam miſit, ut Gregorii depoſitionem ratam haberet. Leo Pontifex confirmare diſtulit, donec pars altera audiretur; interimque cùm obiiſſet, & Benedictus ei ſucceſſiſſet, Ignatius Acta Synodalia ad eum miſit, qui cognitis cunctis, quæ ſpectarent ad cauſam, depoſitionem ipſius Gregorii tunc præſentis confirmavit, dignumque judicavit, qui è munere Sacerdotali eſſet extorris. Hęc conſtant ex Epiſtolis VI, & VII Nicolai Papæ I. Porrò hæc Gregorii depoſitio ab Epiſcopatu, ſchiſmatis Græcorum origo fuit, Gregorius enim malis artibus effecit, ut Ignatius è Sede Conſtantinopolitana deponeretur, & Photius in ejus locum intruderetur, eumque ipſe conſecravit.

VII. Sueſſionenſem Synodum confirmat.

Jam ſuperius in Leone IV vidimus, Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum fruſtrà tentaſſe ab eo obtinere confirmationem Synodi Sueſſionenſis anno octingenteſimo quinquageſimo tertio celebratæ. Sed Benedicto III ordinato, Hincmarus ipſi obrepſit, & ab eo dictæ Synodi confirmationem obtinuit: eam tamen cautionem adhibuit Benedictus: *Si ita eſt, noſtro ut ſcriptis Præſulatui intimaſti, & geſtorum ſerie demonſtraſti, ratas eas quidem definitiones Apoſtolica fore promulgamus auctoritate*, ut legitur in ejus Epiſtola I Tomo 3 Conciliorum Galliæ. Sed Hincmarus Benedicti Pontificis reſcriptum fœdè interpolavit, ac mutilavit, ut teſtatur Nicolaus I Epiſtolâ XLVI ad Epiſcopos Synodi Sueſſionenſis III, anno octingenteſimo ſexageſimo ſexto celebratæ.

VIII. Hubertum Subdiaconum Romã citat.

Cùm Hubertus Subdiaconus Comitis Boſonis filius apud Benedictum III accuſatus fuiſſet, quòd cum ſcenicis mulieribus quotidie degeret: quòd contra privilegia ab Apoſtolica Sede monaſterio Sancti Mauricii conceſſa, illud invaſiſſet, & ejus facultates meretricibus, canibus, atque avibus daret: quòd intra clauſtra Luxovienſis monaſterii, hoſtili modo ingreſſus eſſet, & illic per aliquos dies cum illicitis mulieribus commoratus eſſet: quòd pacem inter Ludovicum Imperatorem, & Reges ejus fratres à Pontifice firmatam malis artibus ſcidiſſet: aliaque contra Eccleſiaſticas regulas perpetraſſet, Benedictus Papa juſſit Hubertum infra dies 30 Romam venire, coram Apoſtolica Sede reſponſurum, eamque in rem Epiſtolam ordine II, quæ extat Tomo 3 Concil. Galliæ, dedit ad Epiſcopos in regno Caroli Calvi Regis conſtitutos.

IX. Statuit Epiſcopum à Comprovincialibus Epiſcopis ſepeliri.

Epiſcopos à Comprovincialibus Epiſcopis juxtà antiquam Eccleſiæ diſciplinam ſepulturæ mandatos fuiſſe, pluribus oſtendit Edmundus Martene lib. 3 de Antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 13 num. 5, & ſeqq. cujus rei extat Concilii Valentini anno 524 celebrati ſtatutum canone 4, quod renovavit Concilium Toletanum VII anno circiter 646 habitum, canone 3. Sed cùm proceſſu temporis hæc diſciplina negligeretur, Benedictus III ſtatuit, *ut cùm Epiſcopus, vel Presbyter, aut Diaconus moreretur, Pontifex unà cum omnibus Epiſcopis, & Presbyteris & Diaconibus, necnon & reliquis Clericis ad ejus ſepeliendum corpus, & commendandam animam convenirent. Similiter & ipſi facerent cùm Pontifex ex hac luce migraret. Quod non ſolùm docuit, ſed & fecit*, inquit Anaſtaſius, qui addit, Nicolaum Papam Benedicti ſucceſsorem, eum hac in re imitatum eſſe.

X. Moritur.

Poſtquam Benedictus Papa ſediſſet *annos duos, menſes ſex, dies decem*, ut inquit Anaſtaſius, cui ſuffragantur codices in fine editionis Regiæ laudati, & duo Catalogi Vaticani à Schelſtratio in Appendice ad Antiquitatem Eccleſiæ pagg. 644, & 650 recitati, ad Deum tranſiit die octava menſis Aprilis anni octingenteſimi quinquageſimi octavi; conſecratus enim fuerat die vigeſima nona menſis Septembris anni octingenteſimi quinquageſimi quinti. Sepultus eſt in Baſilica Vaticana, ſuiſque eum humeris Nicolaus poſtea Papa, cùm adhuc Diaconus eſset, *cum aliis Diaconis geſtans propriis manibus tumulo collocavit*, inquit Anaſtaſius, in Vita Nicolai I, qui & in Vita Benedicti ait, hunc multas Eccleſias vetuſtate collabentes reſtituiſse, & dona pleraque in earundem ſacraria repoſuiſſe.

XI. Ejus virtutes.

Tantæ manſuetudinis fuit Benedictus, ut tam in Pontificatu conſtitutus, quàm in vita privata charus omnibus, & gratus videretur. Unde ab ipſo etiam Photio, licèt Romanæ Sedis hoſte infenſiſsimo, magna laudum præconia accepit: in libro enim primo de Spiritûs Sancti proceſsione adversùs Latinos, *ſed & mitis*, inquit, *& manſuetus, & aſceticis certaminibus illuſtris Benedictus*, &c. Ægrotos prætereà inviſit, pauperes aluit, deſperatos, & calamitoſos conſolatus eſt; viduas & pupillos acerrimè tutatus, ideoque magnum ſui deſiderium reliquit.

NICO-

NICOLAUS *Pontif. CVII.*

Anno Domini DCCCLVIII.

I. Nicolaus I PP. inthronizatur.

IN codice Regio Anaſtaſii, in Catalogis IV, VI, & VII Criticæ Baronianæ præfixis, & in Hiſtoria Platinæ legitur, poſt Benedicti III obitum, Epiſcopatum ceſsaſſe *dies quindecim*, ex quo neceſſariò ſequitur Nicolaum, hujus nominis primum, natione Romanum, ex patre Theodoro Regionario, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconum, ordinatum eſſe Romanum Pontificem die vigeſima quarta menſis Aprilis, quæ anno octingenteſimo quinquageſimo octavo in Dominicam incidebat. Paulò ante mortem Benedicti Ludovicus Auguſtus Româ diſceſserat, ſed ejus tranſitu cognito, ad eam urbem reverſus eſt. Cùmque Clerus, Proceres, & Optimates jejuniis, orationibus ac vigiliis inſiſterent, Dominum obſecrantes, ut oſtendere dignaretur, quem ad Pontificatum ſublevarent, unanimes Nicolaum Apoſtolicæ Sedis præſulem conſtituerunt, & properantes ad Beati Petri Baſilicam, in qua latitabat, ut Pontificatum declinaret, eum *vi è Baſilica abſtraxerunt, & ſacris acclamationibus in Lateranum introducentes ſolio impoſuerunt Apoſtolico*, inquit Anaſtaſius.

II. Conſecratur præſente Cæſare, & coronatur.

Poſtquam Nicolaus in Baſilica Lateranenſi inthronizatus fuiſset, *poſtmodum à nobilibus, & populo*, ſubdit Anaſtaſius, *in Baſilicam beati Petri deductus, præſente Cæſare conſecratus, Apoſtolicâque ſublimatus in Sede, factus eſt Pontifex, & Miſſarum ſolemnia ſuper ſacratiſſimum corpus Apoſtoli celebravit. Denſis tandem Optimatum, populique agminibus, cum hymnis & canticis ſpiritualibus iterum Lateranum perductus coronatur: Urbs exultat, Clerus lætatur, Senatus & populi plenitudo magnificè gratulatur VIII Kalendas Maij*. Ita legitur Tomo VIII Conciliorum, in Labbeana Anaſtaſii editione, licèt in editione Regia ille temporis character deſideretur. Et hæc eſt prima, ni valde fallor, coronationis ſummorum Pontificum mentio; non enim memini me legiſse aliquem ex Romanis Pontificibus antea coronatum fuiſse. Hæc coronatio facta eſt in Eccleſia Lateranenſi, licèt poſtea, ut in Paſchali II, in Cœleſtino III, & alibi videbimus, Pontifex ſemper coronatus ſit in Eccleſia Vaticana, è qua redibat coronatus in Lateranum. Unde ſuſpicor in Anaſtaſio, ubi legitur, *Lateranum perductus coronatur*, legendum eſſe, *Lateranum perductus coronatus*.

III. Imp. pedes equum ejus fræno ducit.

Cùm poſt aliquot dies Ludovicus Imperator Româ diſceſſiſset in locum, quem Romani *Quintum* appellabant, ad eum viſitationis gratiâ profectus eſt Nicolaus Pontifex cum Proceribus Romanis. Quod cùm reſciſset Auguſtus, ei obviam occurrit, frænumque equi, quo vehebatur, manibus apprehendens, quantum ſagittæ jactus extenditur, ſtratoris vicem ei navavit, idemque rurſus in reditu Pontificis in Urbem præſtitit. Humillima illa Imperatoris Ludovici II erga Nicolaum Pontificem obſequia refert idem Anaſtaſius Bibliothecarius.

IV. Nicolaus PP. Bremenſi Eccleſ. cum Hamburgenſi unionem confirmat.

Hamburgenſem civitatem anno octingenteſimo trigeſimo primo factam eſse Archiepiſcopalem, jam in Gregorio IV diximus. Sed cùm Archiepiſcopatus ille nullas Eccleſias ſuffraganeas haberet, hoc tempore Ludovicus Germaniæ Rex cogitavit de Epiſcopatûs Bremenſis Paſtore viduati unione cum Hamburgenſi Archiepiſcopatu, ut Anſcharius ejuſdem Sedis Archiepiſcopus, & Septentrionalium regionum Legatus Apoſtolicus, majori cum fructu, legationis ſuæ mandatum perficere poſſet. Brema civitas in maritima Saxoniæ inferioris parte, ad dextram Viſurgi fluminis ripam poſita, Epiſcopatu tempore Caroli M. primùm à Sancto Willehado adminiſtrato, nobilitata fuerat; ſed anno 849 Leuderico, tertio ejuſdem Sedis Epiſcopo, mortuo, facta eſt unio Bremenſis Eccleſiæ cum Hamburgenſi, nemine reclamante, quia Colonienſis Eccleſia, cujus Bremenſis ſuffraganea erat, tunc paſtore deſtituta erat. Sed Guntharius Colonienſi ſedi præfectus huic unioni interceſſit. Quare Ludovicus Rex, & Epiſcopi anno 857 apud Moguntiam circa Kalendas Octobris in Synodo congregati, ut legitur in Annalibus Fuldenſibus ad eum Chriſti annum, Guntharium rogarunt, ut huic unioni conſentiret, qui *reſpondit, ſi auctoritate Apoſtolica firmaretur, ex ſe quoque ratum eſſe. Quo reſponſo accepto, cùm etiam omnes ſuffraganei ejus hæc eadem conſenſiſſent*, Rex Ludovicus Salomonem *Conſtantiæ civitatis Epiſcopum pro hoc ipſo ad Sedem direxit Apoſtolicam*, cum quo etiam Sanctus Anſcharius, *filium ſuum fratrem noſtrum Nordfridum miſit Presbyterum, qui officioſiſſimè à Sancto ſuſcepti Papa Nicolao, Legationis ſuæ mandatum ei planè, & dilucidè retulerunt*, inquit Rembertus in Vita S. Anſcharii cap. 30, ubi & ait, Nicolaum voluntatem Regis ſua auctoritate firmaſſe; & poſtea recitat partem literarum Nicolai Papæ, quibus Anſchario legationem

Septen-

SÆC. IX. NICOLAUS.

Septentrionalium regionum concedit, & Eccleſiam Hamburgenſem, Archiepiſcopalem deinceps eſſe decernit. Hæc vita extat apud Mabillonium Sæc. IV Benedict. part. II, & apud Bollandianos ad diem 3 menſis Februarii.

V. Hamburgenſis Archiepiſcop. Legati dicti.

Hanc Bremenſi Eccleſiæ cum Hamburgenſi unionem, anno 858, Pontificatûs primo, Nicolaum Papam confirmaſſe, docet nos Chronicon Saxonicum MS. in quo ſic legitur: *Eodem anno Bremenſis atque Hamburgenſis parochiæ coadunatio facta eſt ultimo tempore Sancti Anſgarii ex auctoritate Nicolai Papæ, qui tam ipſum, quàm ejus ſucceſſores, Legatos & Vicarios conſtituit in omnibus gentibus Sueonum, Danorum, atque Sclavorum: quod & ante Gregorius Papa conceſſit*; Gregorius nempè hujus nominis IV. Adamus Bremenſis lib. 1 cap. 27 idem aſſerit, aitque: *In privilegio Papæ notatur annus Domini* 858. Porrò etſi Hamburgi Anſcharii Archiepiſcopalis ſedes primùm fuerit, tamen poſt hujus urbis direptionem à Danis, anno 845, ut habent Annales Fuldenſes, factam, poſtque unionem Eccleſiæ Bremenſis, Collegio Canonicorum Hamburgenſium ad monaſterium Ramſolas diœceſis Bremenſis tranſlato, Anſcharius, ipſique ſucceſſores Bremæ ſedere ſoliti ſunt, ſeque identidem Bremenſes Epiſcopos appellare, ut refert idem Adamus cap. 29. Hæc Bremenſis cum Hamburgenſi Eccleſia unio dein abrogata, ac demum reſtituta, ut ſuis locis videbitur.

VI. Photius ejecto S. Ignatio invadit ſedem Conſtantinopolitanam.

Michaele Teophili & Theodoræ filio Orientis imperium regente, tota imperii adminiſtratio erat penès Bardam Theodoræ Auguſtæ fratrem, qui cùm *nurus ſuæ amore fureret*, ut inquit Nicetas in Vita ſancti Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani, ab hoc ſancto Præſule admonitus eſt, ut fœdum, & enorme ſcelus expiaret; ſed cùm nihil proficeret Ignatius, & Bardas anno octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo *ipſo Epiphaniæ die feſto in ædem ſacram Euchariſtiæ myſteria* percepturus impudenter eſſet progreſſus, Patriarcha eum à ſacris arcuit, indeque Bardas omnem contra eum lapidem movit, ut eum apud Imperatorem criminaretur. Accendit itaque Imperatorem in Theodoram matrem, quam cum filiabus Michaelis ſororibus velari, & tonderi ei perſuaſit. Imperator acerſito illicò Ignatio Patriarchâ, *Matrem*, inquit, *meam, ſororeſque è veſtigio arreptas attonde, & religioſa velatas veſte, vitæ religioſæ addicito*. Quod cùm facere renueret Ignatius, Bardas reum majeſtatis poſtulavit; nec multò poſt Imperator Eccleſiâ *pellit, atque in inſulam Terebinthum ejicit*. Patriarchâ ejecto, Bardas ordinari curavit Photium Protoſpatharium, & primum à Secretis, hominem ſanè minimè obſcurum, & ignobilem, ſed claris ortum natalibus, rerumque civilium, & politicarum uſu, prudentiaque ac ſcientia clariſſimum, qui die XX menſis Decembris ejuſdem anni 857 ex laico Monachus, altero die Lector, tertio Subdiaconus, quarto Diaconus, quinto Presbyter, ſexto tandem, qui erat vigeſimus quintus Decembris, Natali Chriſti ſacro, Pontifex conſecratus eſt à Gregorio cognomento Arbeſta, quem in Benedicto III diximus, ab eodem ſancto Ignatio, Syracuſano Epiſcopatu, ob improbitatem depoſitum. Hæc conſtant, tum ex Ignatii Vita laudata, tum ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui hoc tempore floruit, in Hiſtoria Synodi Octavæ.

VII. Legatos ad Nicolaum PP. mittit.

His compertis, inquit Anaſtaſius laudatus, *cœperunt nonnulli Metropolitani, ac inferioris Sacerdotii, vel ordinis Clerici, vel laici, Pontificis ſui tormentis compatientes, dejectumque dolentes, Rectorem ſibi proprium reddi magnoperè clamitare*. Epiſcopi in duas partes diſtracti erant, aliis Ignatio adſtantibus, aliis Photio accedentibus. Ignatiani in ſanctæ Irenes æde Synodum celebrant, Photium damnant, eique Patriarchatum abjudicant. Photiani verò Concilium in Sanctorum Apoſtolorum Templo coegerunt, & Ignatium abſentem, & dignitatis Patriarchalis, & Eccleſiaſticæ communionis indignum declararunt, ac in eum anathema dixerunt, ut conſtat ex Epiſtola Metrophanis Smyrnenſis in Jonia Metropolitani, quam refert Baronius anno 870, in qua ſubdit: *Photius interea ſeparatim ad beatiſſimum Papam Nicolaum quatuor Metropolitas Romam miſit, & per eos illi omnia ſignificavit, quæ ad Ignatii damnationem faciebant*. Ejuſdem Concilii Conſtantinopolitani, & Legationis Photii meminere etiam Nicetas laudatus, & Anaſtaſius, qui addit, *quatenus ſicut ipſe ſperabat*, nempe Photius, *approbante vel decernente* Nicolao Papa, *mox omnia ora reſiſtentium obſtructa ſilerent, & aditus ſibi progrediendi, quò vellet, omnes omninò pateſcerent*. Perſuaſit etiam Photius Imperatori, ut eadem ex cauſa legationem mitteret ad Romanum Pontificem. Porrò Photius ſcripſit ad Nicolaum per Legatos, Ignatium propter ſenium & infirmitatem, Eccleſiæ renunciaſſe præfecturam, & ab illa ſeceſſiſſe, ac in quandam inſulam profectum, in monaſterio manere cum omni honore, & cultu, & obſequio, tum ab Imperatore, tum ab univerſa civitate habitum. Aliam tamen mittendæ Legationis occaſionem prætexuit Imperator, nempè cauſam ſacrarum Imaginum, ut ſua auctoritate Pontifex pullulantem rursùm errorem evelleret; eundemque multa pretioſiſsima ſacra munera ad ſanctum Petrum miſiſſe, ſcribit Anaſtaſius, qui cuncta oculis ſpectabat.

Digitized by Google

SÆC.XI. NICOLAUS.

Anno octingenteſimo ſexageſimo Legati Imperatoris, & Photii Romam pervenientes, Nicolaum Papam convenerunt; qui iis auditis, cunctiſque rebus quàm diligentiſſimè examinatis in Conventu Patrum ad hoc ex more convocatorum, de omnium ſententia, petita à Photio legatio decreta eſt Conſtantinopolim, qua functi ſunt Rodoaldus Portuenſis Epiſcopus, & Zacharias Anagninus; quibus in mandatis dedit Nicolaus, ut redivivam de cultu ſacrarum Imaginum quæſtionem ſecundùm Septimæ Synodi decreta definirent, ac Iconomachorum reliquias auctoritate Sedis Apoſtolicæ comprimerent: de cauſa verò inter Ignatium, & Photium inquirerent tantummodò, ejus autem definitionem integram ad ipſam Apoſtolicam Sedem referrent. Iiſdem Legatis præcepit, ne cum Photio, niſi quaſi cum laico communicarent, ut ipſemet Nicolaus teſtatur in Epiſtolâ I ad univerſos Catholicos, & Epiſtolâ X ad Epiſcopos diœceſeos Conſtantinopolitanæ. Nicolaus porrò ſolum iſtius negotii examen Legatis permiſit, ultimumque ſibi judicium reſervavit, quòd de majoribus Eccleſiæ cauſis hæc eſſet.

VIII. Nicolaus PP. Legatos Cpolim dirigit.

IX. Scribit ad Imp. & ad Photium.

Mittens autem Nicolaus Papa Legatos ſuos, dedit eis literas ſeptimo Kalendas Octobris, indictione nona ſcriptas, ideoque anno 860, quo indictio nona Kalendis Septembris inchoata eſt, ad Photium quidem per breves, prolixiores verò ad Michaelem Imperatorem, quibus plurimum queſtus eſt de Ignatii depoſitione, & Photii laici ſubrogatione, facta contra traditionem Patrum, abſque conſenſu Romani Pontificis. Ad quæ omnia inquirenda, ſimulque quæſtionem de Imaginibus definiendam eoſdem Legatos mittere teſtatur. Addens inſuper querelam de juribus Romanæ Eccleſiæ ab Orientalibus occupatis, ſcilicet quòd utramque Epirum veterem, & novam, Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achajam, utramque Daciam, Ripenſem & Mediterraneam; Myſiam, Dardaniam, & Prævalim, quas per Vicarios, Pontifices Romani regere conſueviſſent, ſuaſione ſchiſmaticorum Patriarcharum, Imperatores Conſtantinopolitani à Romanæ Eccleſiæ juriſdictione ſubtraxiſſent, & quòd præterea Patrimonia, quæ in Sicilia, & Calabria haberet, ſuſtuliſſent.

X. Legati Pontificii Ignatii depoſitioni ſubſcribunt.

Cùm poſt Rodoaldi, & Zachariæ Sedis Apoſtolicæ Legatorum Conſtantinopolim adventum, innotuiſſet, Nicolaum Papam haud approbare Ignatii ejectionem, & Photii ſubrogationem, iidem Legati centum dierum ſpatio ab Imperatore detenti ſunt, eiſque exilii & famis minæ intentatæ, niſi ratam haberent Ignatii depoſitionem, & Photii ordinationem, quod ipſi Photio exprobrat Nicolaus Epiſtolâ VI. Quare Legati minis concuſſi & muneribus illecti miniſterium ſuum fœda proditione dehoneſtarunt, & Photio patrocinium omne polliciti ſunt. Convocata eſt itaque Synodus in Templo Apoſtolorum, cui ingens Epiſcoporum Photio devotorum numerus interfuit, & Ignatius ex exilio revocatus, Synodo ſe ſiſtere juſſus eſt, idque Legatorum Apoſtolicorum nomine. Latrocinalis illa Synodus Ignatium rursùs damnavit, & ſolemni ritu indumentis Pontificiis exuit, atque exauctoravit, Photiumque in ſede confirmavit, & quidem anno 861. His non contentus Photius diriſſimis ſuppliciis S. Ignatium vexari curavit; ſed cùm vellet eum cogere, ut in Eccleſia publicè in feſto Pentecoſtes profiteretur, ſe non canonicè electum, ſeque non ſanctè, ſed tyrannicè Eccleſiam gubernaſſe, Ignatius vilem à ſervis ſumpſit veſtem, & deceptis cuſtodibus profugit. Verùm ante fugam appellavit cum aliis Epiſcopis, & Archimandritis ad Romani Pontificis judicium, tanquam *Præſidis*, *ut vocant*, *& Patriarchæ omnium ſedium*, *& Principis Apoſtolorum ſucceſſoris*, *& univerſalis Papæ*. Miſſus libellus appellationis ad Nicolaum Papam per Theognoſtum olim Exarchum, poſtea Monachum, tuncque ob fidem extorrem; ſed cùm hic ſeriùs Romam venerit, quàm Legati Nicolai redeuntes in Urbem, non potuit Nicolaus niſi ſerò de veritate rerum geſtarum certior reddi, quòd Legati cuncta mendaciis obvolverent.

XI. Nicolaus PP. eorum prævaricationem punit.

Legati illi anno octingenteſimo ſexageſimo ſecundo Romam rediére, poſt quos ſtatim Leo Michaeli Imperatori à Secretis, ejuſque ad Nicolaum Pontificem Orator profectus eſt, Michaelis, Photiique literas deferens. Legati nihil aliud renunciarunt, niſi depoſitum Ignatium, & Photium in ſede Conſtantinopolitana firmatum; intellexitque Pontifex Legatos ſuos in contrarium vertiſſe omnia, quæ ipſis fuerant imperata, cum Photio communicaſſe, & Ignatii exauctorationem ſuffragiis ſuis confirmaſſe. Parte alia idem Leo Michaelis Imperatoris Orator, hujus literas Nicolao Papæ obtulit, quibus ipſum rogabat, ut Ignatii depoſitioni, & Photii confirmationi ſubſcriberet. Tradidit & Photii literas, quibus mentitur, ſe invitum, & reluctantem in ſede Patriarchali conſtitutum fuiſſe. Convocatis itaque Epiſcopis, qui Romæ tunc aderant, præſente præfato Imperatoris Oratore, nunquam ſe pro dejectione Ignatii, vel conſecratione Photii, miſiſſe, aut miſſurum eſſe, palam conteſtatus eſt. Zacharias verò Legatus prævaricationem confeſſus, depoſitus eſt; cauſa Rodoaldi, qui moras in Gallia trahebat, alteri Sy-

nodo

Digitized by Google

nodo reſervata. Hæc conſtant ex Epiſtolis Nicolai Papæ VII, X, & XIII.

XII. *Cum Photio ſeu cum laico egit.*

Poſt hæc Nicolaus Pontifex præfatum Leonem Oratorem Conſtantinopolim remiſit cum literis ad Michaelem Imperatorem, & ad Photium, menſe Martio ejuſdem anni 862, ſcriptis, quibus apertè improbavit Ignatii ejectionem, ejuſdemque Photii promotionem. Cum Photio verò ſeu cum laico egit, Epiſtolamque, quæ eſt ordine VI, ſcripſit *prudentiſſimo Viro Photio*. Extant & ejuſdem Pontificis literę *ad omnes fideles* ordine IV, quibus docet Orientalem Eccleſiam, Ignatium à Legatis Sedis Apoſtolicæ depoſitum, & Photium ſubſtitutum ſine ſuo conſenſu. Omnes porrò illæ Epiſtolæ menſe Martio ſcriptæ.

XIII. *Eum in Synodo Rom. Sacerdotali honore exuit.*

Cùm Theognoſtus intereà Romam advenisset, Pontificemque de tota ſerie cauſæ Ignatii, & Photii certiorem feciſſet, tradito ipſi Ignatii libello, Nicolaus Pontifex anno octingenteſimo ſexageſimo tertio Synodum Romæ celebravit, in qua lata eſt ſententia damnationis in Photium, qua omni Sacerdotali honore, & nomine exutus eſt, eique ſub anathemate, quo nonniſi in mortis articulo ſolvi poſſet, interdictum, ne ſacris ultrà ſe miniſteriis ingereret, aut Ignatium legitimum Patriarcham perturbaret. In hac etiam Synodo, iterùm damnatus eſt Gregorius Syracuſanus, Photii ordinator, ſchiſmaticus, & dudum depoſitus à Benedicto III Papa: omnique Sacerdotali miniſterio ita exutus eſt, ut ei ſpes reſtitutionis, aut ſatisfactionis locus in qualibet Synodo intercluſus ſit, & denunciatum anathema, ſi munia aliqua Sacerdotalia obiret, vel contra Ignatium turbas excitare pergeret. Omni etiam Clericali officio hac in Synodo privati ſunt, qui à Photio fuerant ordinati. In priſtinum gradum reſtitutus eſt Ignatius: imò nuſquam fuisse depoſitum, vel anathematizatum; ſed Imperiali potentia, abſque ulla canonica auctoritate, Eccleſiâ pulſum, pronunciatum eſt. In gradus etiam ſedeſque ſuas reſtituti ſunt, qui in odium Ignatii fuerant depoſiti, & in exilium amandati. Sacrarum Imaginum veneratio contra Iconomachos confirmata eſt. Tandem Rodoaldi prævaricatoris, & contumacis Legati, qui Synodi examen fugerat, conclamata damnatio eſt; ipſeque perpetuæ depoſitioni, ſicut jam actum fuerat de Zacharia, altero Legato, ſubjectus. Hæc conſtant ex Epiſtola VII Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem data, ex ejuſdem Epiſtolâ LXX ad Hincmarum, & Gallicanos Epiſcopos, & ex libello Synodico, in quo hæc Synodus Romana recitatur;

XIV. *Scribit ſemel & iterum ad Michaelem Imp.*

Anno octingenteſimo ſexageſimo quinto Michael Imperator alium Oratorem, nempè Michaelem Protoſpatharium ad Nicolaum Pontificem miſit, cum Epiſtola contumelioſa, qua ipſum urgebat, ut ſententiam mutaret. Sed Nicolaus nihil de conſtantia Apoſtolica remittens, nihil de Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudio, graviſſimam ad Imperatorem Epiſtolam ſcripſit, qua ipſum ad Juſtitiæ tramitem revocaret. Hæc inter ejus Epiſtolas octava numeratur. In eâ multis oſtendit, depoſitionem Ignatii eſſe nullam, poſtquam illum primò reprehendit de injurioſa Epiſtola, Sacerdotibusque honorem impendendum docuit Scripturæ ſacræ verbis, & Conſtantini Magni exemplo. Pro lingua etiam Latina, quam Michael Imperator *Barbaram & Scyticam* vocaverat, Apologiam in eadem Epiſtola ſcribit; ridiculum eſſe dicens, ut Romanorum appellentur Imperatores, qui linguam non novére Romanam. In Conſtantinopolitana Eccleſia Epiſtolam, & Evangelium Latinè primùm, dein Græcè in ſtationibus legi ſolita. Quamobrem idioma, ipſius Orientalis Eccleſiæ uſu conſecratum, perperam *Barbarum* appellari. Sed & aliam ad eundem Imperatorem Epiſtolam dedit Nicolaus ordine IX, in quâ conqueritur de literarum ſuarum interpolatione in Conciliabulo Photiano, multiſque eum arguit, quòd Photio patrocinetur. Tandem poſtulat, ut jam dictam contumelioſam Epiſtolam palàm igne damnet; alioqui ejus Auctori excommunicationem, ipſi verò Epiſtolæ flammas ultrices minatur.

XV. *Legatos Cpolim mittit, qui Romam redire coguntur.*

Hæc ultima Nicolai Papæ Epiſtola data eſt anno octingenteſimo ſexageſimo ſexto; in ea quippe Pontifex, de novis Legatis Conſtantinopolim à Sede Apoſtolica, Imperatorem certiorem facit: hi autem exeunte anno 866 Româ digreſſi ſunt, ſcilicet Donatus Oſtienſis Epiſcopus, Leo Tituli S. Laurentii Presbyter, & Marinus Diacònus. Legationis conſilium exponit Nicolaus in Epiſtola XII ad Bardam Cæſarem, cui legatos commendat, data menſe Novembri ejuſdem anni 866, cùm adhuc ejus mors Romæ ignoraretur. In ea ait, ſe Legatos illos mittere, *ut ablato mœcho*, ideſt Photio, *Eccleſia Conſtantinopolitana proprio reddatur Epiſcopo*. Sed hæc Sedis Apoſtolicæ Legatio violata eſt; nam Michael Imperator, & Baſilius, anno etiam 866 in die Pentecoſtes à Michaele in Imperii conſortium adſcitus, decrevere Legatos non admittendos, niſi libello damnarent, quæ damnanda Græci judicabant: *Donatus reverendus Epiſcopus*, inquit Anaſtaſius in Vita Nicolai, *Leoque Presbyter, & Marinus Apoſtolicæ Sedis miniſter, dum Conſtantinopolim ire vellent, ecce inter fines Bulgariæ, Conſtantinopolitanorumque, quendam Theodorum illum cuſtodientem invenerunt, qui eos ultra non dimiſit abire, quin potius innumeris eos denotans injuriis, adeò tantæ Sedis*

Digitized by Google

Legatis abuſus eſt, etiam ut equorum, in quibus ſedebant, capita percuteret, diceretque, Imperator noſter vos neceſſarios ſanè non habet. Sed idem Imperator Legatis Regis Bulgarorum ita fertur dixiſſe; Niſi per Bulgariam Miſſi Sedis Apoſtolicæ veniſſent, nec faciem meam, nec Romam diebus vitæ ſuæ viderent. Illi verò per quadraginta dies illic reſidentes, ut cognoverunt, quia hoc Imperator Græcorum fieri juſſerat, terga verterunt, & Romam hæc eadem nunciantes coacti reverſi ſunt, & quidem anno 867.

XVI. *Photius Eccleſiam Latinam calumniatur.*

Photius in rabiem actus, quòd poſt ea, quæ in Synodo Romana contra ipſum decreta fuerant, plebs fidelis ab ejus communione paulatim diſcederet, diram perſecutionem in Catholicos Ignatianæ, & Romanæ communionis excitavit, & Pſeudo-Synodum Conſtantinopoli celebrandam indixit, ad quam per Encyclicam Epiſtolam, quæ in editione Montacutii eſt ordine II, Patriarchas & Epiſcopos Orientis vocavit. Ea Epiſtola calumniis in Eccleſiam Romanam ſcatet, & in ea varios ei errores improperat Photius, quorum hi ſunt præcipui. Quòd Latini, contra Eccleſiæ canones, illicitè ſabbatis jejunent. II, Quòd primam Jejunii quadrageſimalis ſeptimanam à reliquo jejunio diſcrepantes, in lactis potionem, caſei eſum, & ſimilium ingurgitationem traxerint. III, Quòd Sacerdotes legitimo conjunctos matrimonio ab uxoribus abſtraxerint, eiſque continentiæ jugum impoſuerint. IV, Quòd chriſmate inunctos, per Sacerdotes denuò inungere non dubitaverint, cùm ſe Epiſcopos prædicarent, & Presbyterorum chriſma inutile quiddam, ac fruſtra factum comminiſcerentur. V, Quòd ſanctum & ſacrum ſymbolum, quod ab omnibus Conciliorum Oecumenicorum calculis confirmatur, & vim obtinet irreſiſtibilem, ſenſibus ſpuriis, verbis adſcititiis conati ſint adulterare, Spiritum Sanctum novo more commenti, non de ſolo Patre, ſed etiam Filio procedere. Hæc Photii, aliorumque Græcorum ſchiſmaticorum veſania, à Baronio, Leone Allatio in lib. de Conſenſione Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis, Natali Alexandro in fine partis ſecundæ Sæculi IX, & X, aliiſque confutata.

XVII. *Nicolaus PP. Præſules Gall. hortatur ut Græcos refutent.*

Nicolaus Papa de his calumniis edoctus, ſcripſit ad Epiſcopos Francos Epiſtolam, qua eos hortatur, ut Eccleſiæ laboranti ſuccurrerent, & Græcorum calumnias refellerent. *Hincmari Clerici*, inquit Annaliſta Bertinianus ad annum 867, *in menſe Auguſto Romam venientes, Nicolaum Papam jam valde infirmatum, & in contentione, quam contra Græcorum Imperatores Michaelem, & Baſilium, ſed & contra Orientales Epiſcopos, magnopere laborantem invenerunt. Quapropter uſque ad menſem Octobrium ibidem ſunt immorati, Nicolaus verò Papa gratanter ſuſcipiens, quæ Hincmarus ſcripſerat, & de omnibus ſibi ſatisfactum eſſe reſcripſit. Sed & alteram Epiſtolam eidem, & cæteris Archiepiſcopis, & Epiſcopis in regno Caroli conſtitutis tranſmiſit, innoteſcens præfatos Græcorum Imperatores, ſed & Orientales Epiſcopos calumniari ſanctam Romanam Eccleſiam, imo omnem Eccleſiam, quæ Latina utitur lingua. Quia jejunamus in ſabbatis, quòd Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque procedere dicimus, &c. De quibus omnibus per ſingulas provincias à Metropolitanis cum eorum Epiſcopis ſibi reſcribi præcepit.* Hanc Epiſtolam refert Baronius ad eundem annum, eſtque inter Epiſtolas Nicolai ordine LXX.

XVIII. *In pſeudo-Synodo Photiana damnatur.*

Photius antea à Michaële Imperatore obtinuerat, ut Pſeudo-Synodus congregaretur. Convocatis itaque Epiſcopis omnibus ſibi addictis, ſubornatiſque nebulonibus, qui ſe Patriarcharum Orientis Legatos mentirentur, Pſeudo-Synodum habuit, & exauctorationis, atque anathematis ſententiam in Nicolaum Romanum Pontificem tulit, habita ratione objectionum, & calumniarum, quas Encyclicâ Epiſtolâ complexus fuerat. Mox acta nefarii Conciliabuli, falſis Epiſcoporum, & Patriciorum longè plurium ſubſcriptionibus munita ad ipſum Nicolaum miſit per Zachariam Calchedonenſem Metropolitam, & Theodorum Laodicenum. Hæc conſtant ex Metrophane in literis ad Manuelem Patricium, & ex Auctore libri de Synodis, Synodo 150.

XIX. *Photius è Sede ejicitur, & S. Ignatius reſtituitur.*

Sed cùm eodem anno octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, die 24 menſis Septembris, Deo ultionum permittente, Michael Imperator cœſus fuiſset, Baſilius ei ſucceſſit in Imperium, qui, ut inquit Nicetas in vita Sancti Ignatii, *poſtero die quam renunciatus erat Imperator, Photium è throno deturbatum in cœnobium Scepen appellatum ejecit*. Paucis interpoſitis, ſubdit Nicetas: *Tunc verò Baſilius Imp. adductum in Magnauræ palatium Ignatium, ſilentio indicto multis laudibus cohoneſtavit. Dies erat Dominica, tertia & vigeſima Novembris, quo etiam anni tempore prius in exilium pulſus erat, qui Dei præſidio, & clementia fretus per annos undecim perfectam ex virtutis certamine lauream adeptus Eccleſiæ ſuæ throno reſtituitur*. Poſt hæc Baſilius Imperator Legatos ad Nicolaum Papam deſtinavit, ut ſcribit Anaſtaſius in Præfatione ad Synodum octavam: *Mittitur Romam*, inquit, *à parte quidem Ignatii, Joannes Metropolita Sylæi, qui & Perges Pamphiliæ præerat Eccleſiæ; à parte verò Photii, Petrus Metropolita Sardenſis, qui contra Ignatium cum jam memorato Gregorio* (Syracuſano) *auctor fuerat Eccleſiaſticæ ſciſſionis. Porrò à Principe deſtinatur Regius Spatharius Baſilius nomine, qui inter utramque partem coram Sede Apo-*

ſtolicæ

ſtolica medius haberetur, & fidelis eorum, quæ Sedes eadem decreviſſet, auditor, & nuncius. Sed Petrus Metropolita Sardenſis, ex his legatis unus, in itinere diem ſuum obiit, ut teſtatur idem Anaſtaſius.

XX. *Et hoc in executionem ſententiæ Nicolai PP.*

Zonaras Auctor Græcus ſchiſmaticus ſcribit, Photium à Baſilio Imperatore Sede deturbatum, quòd ipſum ob cædem Michaelis Imperatoris à communione removiſſet. Sed hoc mendacium invictè refellitur ex Epiſtola, quam Ignatius ſcripſit ad Nicolaum Papam, in qua ſe ab Imperatore in Sedem reſtitutum nuntiat in executionem ſententiæ ab ipſo Pontifice latæ: *Nam divinitùs evectus Imperator noſter*, inquit, *ut fideliſſimus filius veſter, tuæ Sanctitatis ſententiam, & decretum executus, utrumque, me, inquam, & Photium pro æquitate cauſæ tractavit.* Verum quidem eſt Leonem Grammaticum, Symeonem Logothetam, & Georgium Monachum, Hiſtoricos Græcos, longe ante Zonaram idem ſcripſiſſe: ſed Conſtantinus Porphyrogenneta, Hiſtoricis illis antiquior, nihil ſimile habet; & commentum illud non ſolùm ex Epiſtola Ignatii laudata evertitur, ſed etiam ex Niceta in Vita ejuſdem Ignatii, & ex Epiſtola Baſilii Imperatoris ad Nicolaum Papam, inſerta Actioni III Synodi Octavæ, & ex Epiſtola Hadriani II ad Baſilium Imperatorem. Profectò quantum tempori ſervierit Photius, Principibuſque adulatus fuerit, inter alia multa demonſtrat ejus Epiſtola XVIII ad Michaelem Imp. ſcripta, poſtquam Bardam Cæſarem occidi juſſit; in ea enim Bardam criminatur, licèt ejus operâ ad Sedem Conſtantinopolitanam evectus eſſet.

XXI. *Primatus Pontificis Rom. à Græcis ipſis ante ſchiſma agnitus.*

Laudata porrò S. Ignatii ad Nicolaum Papam Epiſtola, Romani Pontificis primatum in univerſa Eccleſia, & in ipſos etiam Patriarchas Orientales, à Græcis ipſis, ante ſchiſma, agnitum disertè probat; ejus enim hoc eſt exordium: *Ad artus humani corporis plagis, & vulneribus ſaucios curandos, medendi ars magnam medicorum copiam ſuppeditavit: in membris autem Chriſti Dei, & Salvatoris omnium capitis, ac ſponſi Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, unum tantùm, ac ſolum ſelectum, ac univerſaliſſimum medicum, Tuam nempe fraternam paternamque Sanctitatem ſupremum, & fortiſſimum Dei verbum conſtituit, cùm Petro ſupremo ſanctiſſimoque Apoſtolorum vertici dixit:*
„ Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædi-
„ ficabo Eccleſiam meam, & portæ infe-
„ ri non prævalebunt adverſus eam. *Et rur-*
„ *ſum*: Tibi dabo claves regni Cœlorum,
„ & quod ligaveris ſuper terram, ligatum
„ erit in Cœlis; & quod ſolveris, erit ſo-
„ lutum. *Hujuſcemodi enim beatas voces non ſolùm Apoſtolorum Principi privata quadam ſerie tranſcripſit, & aſſignavit, ſed per ipſum ad omnes Romanæ Sedis Pontifices illi ſucceſſuros tranſmiſit. Hinc retro olimque ſemper, cùm hæreſes & ſcelera pullularent, noxias illas herbas, & zizania, Sedis Apoſtolicæ veſtræ deceſſores extirparunt; & nunc tua Beatitudo dignè tractans acceptam à Chriſto poteſtatem, veritatis hoſtes fudit, & latronum more in Chriſti ovile aſcendentem .....medica manu ſacroſanctæ & Apoſtolicæ auctoritatis à communi Eccleſiæ corpore præcidiſti; & nos ab illo per ſcelus oppreſſos, ut amantiſſimus frater rectè innocentes pronunciaſti, noſtræque nos Eccleſiæ per literas reſtituiſti.* Nihil magnificentius afferri poteſt ad probandum, Græcos ipſos ante ſchiſma, Romani Pontificis primatum, jure divino inſtitutum agnoviſſe, cùm præſertim poſtea Synodi octavæ Patres num.103 eam Ignatii Epiſtolam, *canonicè ſcriptam*, *& plenam juſtitiæ* dixerint, & Actioni tertiæ Synodi inſeruerint. Legati Baſilii Imperatoris, & Ignatii Patriarchæ Romam advenientes, Nicolaum Papam mortuum invenerunt, & Hadrianum II ſedentem, ſub cujus Pontificatu eâdem de cauſa agemus. Unde nunc ad geſta Nicolai, prioribus ſui Pontificatûs annis, nobis redeundum eſt.

XXII. *Nicolaus PP. Balduinum Flandriæ Comitem Carolo Calvo Regi reconciliat.*

Juditha Caroli Calvi Francorum Regis filia Ethelvolpho Saxonum Occidentalium Regi anno octingenteſimo quinquageſimo ſexto nupſerat, quo mortuo Ethelbaldum ejus filium duxit; ſed eo pariter defuncto, ad patrem in Franciam rediit, & in Silvanectenſi civitate debito Reginæ honore, ſub tuitione paterna ſervabatur. Balduinus Flandriæ Comes, cognomento Ferreus, eam ſibi rapuit in uxorem anno circiter 862, ob idque ab Epiſcopis Gallicanis excommunicatus fuit. Sed ad Apoſtolorum limina confugit, & Nicolaum Papam ſupplex rogavit, ut pro ipſo apud Carolum Regem intercederet. Nicolaus Legatos eam in rem miſit ad Carolum; at Balduinum ab excommunicatione abſolvere noluit, donec in Regis gratiam rediiſſet, & Juditham reſtituiſſet, vel ad eam legitimè ducendam paternum conſenſum obtinuiſſet. Id conſtat ex Epiſtola Nicolai ordine XXIII Tom. 3 Concil. Galliæ ad Carolum datâ, & ex Annaliſta Bertiniano, qui, hac legatione anno 863 narratâ, ſubdit: Carolus Rex *ad Autiſiodorum civitatem uſque pervenit; ibique filiam ſuam Judith, ſicut domnus Apoſtolicus eum petierat, conſilio fidelium ſuorum Balduino, quem ſecuta fuerat, legaliter ſociari permiſit.* Flodoardus lib. 3 cap. 12 recitat Epiſtolam Hincmari ad Nicolaum Papam, in qua dicit, Carolum Regem permiſiſſe, Balduinum, & Juditham *uxoria conjunctione ad invicem* copulari, & *honores Balduino* pro ejus *ſolummodo petitione* donaſſe. Balduinus totam *Scalde, Semona, & Oceano terminatam*

tam

Digitized by Google

tam dotalem à Carolo accepit, ſi Meyero lib. 2 Annalium Flandriæ fides, appellatuſque fuit Comes Regni, *in hoc maximè, ut adverſùs Danos, omnemque Septemptrionalem barbariem perpetuus foret Galliarum regni propugnator*.

XXIII. *Lotharius Rex Teutbergam uxorem de conſenſu Epiſcoporum repudiat.*

Lotharius, Lotharii quondàm Imperatoris filius, Caroli Calvi nepos, Lotharingiæ, adjunctarumque regionum Rex, Teutbergæ legitimo matrimonio junctus, Waldradæ, quæ ipſi ab adoleſcentia in delitiis fuerat, amore impotenti, eò perductus eſt, ut de Teutberga repudianda, & Waldrada ſibi copulanda feriò cogitarit. Eam in rem crimen confinxit in Reginam, eamque velut inceſtûs ream traduxit, occultique flagitii cum Huberto fratre ſuo perpetrati, ex quo, licèt contra naturæ ordinem concubuiſſent, concepiſſet, atque hauſta potione fetum extinxiſſet. Regina in Epiſcoporum, procerumque conventu flagitium negavit, & laicorum nobilium judicio, Epiſcoporum conſilio, ac Regis ipſius aſſenſu, procuratorem miſit ad Judicium aquæ ferventis, ut ſuam innocentiam Deo probandam ac vindicandam permitteret. Ex aqua ferventi homo illęſus exivit, ideoque Reginæ innocentia conclamata, eaque regio conjugio ac thoro digna renunciata, utì refertur in libro Hincmari Remenſis Epiſcopi *de Divortio Lotharii, & Theutbergæ* Interrogatione prima. Duæ nihilominus anno 860 Aquiſgrani celebratæ ſunt Synodi, in quarum altera Regi renunciarunt Epiſcopi, adulteram ipſum uxorem retinere non poſſe: in altera verò publicam Teutbergæ pœnitentiam decreverunt. Lotharius anno 862 tertiam Synodum itidem apud Aquiſgranum eadem de cauſa convocavit, libellum proclamationis Epiſcopis obtulit, licentiamque alterius ineundi conjugii rogavit, quoniam Teutbergam in conjugali thoro retinere non poterat, ut ipſi ante biennium judicarunt. Hi Epiſcopi, inter quos eminebat Teutgaudus Archiepiſcopus Trevirenſis, Lothario permiſerunt novum conjugium inire, priori cum Teutberga dirempto.

XXIV. *Teutberga ad Nicolaum PP. appellat.*

Teutberga Regina de repudio ſuo Nicolaum Papam appellavit. Is verò ad iſtius cauſæ cognitionem, & judicium, Concilium indixit Metis celebrandum, & poſtulante Lothario Rege Legatos è latere ſuo miſit, qui negotium iſtud urgerent, rebuſque gerendis præeſſent, Rodoaldum Portuenſem, & Joannem Ficoclenſem Epiſcopos, quibuſcum duos Epiſcopos è regno Caroli Calvi Regis adeſſe juſſit ſtata die. Hæc diſcimus ex Nicolai Epiſtolis VI ad Lotharium Regem, VII ad Carolum Calvum, & VIII ad Ludovicum II Imperatorem, datis IX Kalend. Decembris anni 862, indictione XI, quæ extant Tom. 3 Concil. Gall. ſicuti & Epiſtola XII ejuſdem Pontificis ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ, quibus præcipit Synodo Metenſi adeſſe, & Lotharii cauſam cum Legatis Romanæ Sedis audire, & canonicè definire. Niſi verò Rex adulter Synodo ſe ſiſtat, ac præſens ſatisfaciat, atque à ſcelere reſipiſcat, ipſi excommunicationem minatur. Synodi tandem celebrandæ Acta ad ſe mitti jubet, ut ea confirmet, vel reſcindat.

XXV. *Nicolaus PP. pro ea cauſa Synodum Metis haberi mandat.*

Anno itaque octingenteſimo ſexageſimo tertio, menſe Junio, indictum à Nicolao Papa Metenſe Concilium, Epiſcopi regni Lotharii, coram Apoſtolicæ Sedis Legatis, Rodoaldo, & Joanne celebrarunt, in quo cùm Legati Lotharium Regem arguerent, quòd Apoſtolicæ Sedis Judicium antevertens, Waldradam, abjecta Teutberga, ſibi copulaſſet; conſilio & auctoritate Epiſcoporum id ſe feciſse reſpondit. Quod illi non negarunt; imò veroſimilium rationum fuco Legatos decepére, qui divortium Lotharii, & initum cum Waldrada conjugium approbarunt, muneribus potius, quàm rationibus victi, ut ſcribit Annaliſta Metenſis ad annum 863. *Apoſtolicæ Sedis Legati*, Rodoaldus, & Joannes, *Metis adeunt*, *Synodum habituri ex delegatione Apoſtolica, circa medium menſem Junium, pro divortio, quod inter Lotharium, & uxorem ſuam Theotbergam acciderat, & pro ſuperinductione concubinæ Vualdradæ, quam contra leges Eccleſiaſticas & mundanas ſibi in uxorem adſciverat. In qua Synodo præfati Miſſi corrupti muneribus, Epiſtolas domni Apoſtolici occultantes, nihil de his, quæ ſibi commendata fuerant ſecundùm ſacram auctoritatem egerunt. Ut autem aliquid viderentur egiſſe, Gunthariun Colonienſem Archiepiſcopum, & Theutgaudum Trevirenſem æquè Archiepiſcopum, cum veniis, quas in eadem Synodo, ſubſcripſerunt Epiſcopi, Romam ire juſſerunt, ut Judicio domni Apoſtolici ipſa cauſa diffiniretur .... Guntharius & Theutgaudus Romam pervenientes, primùm in Synodo & poſtea in Eccleſia Sancti Petri, ſicut habetur in ſubditis, ab Apoſtolico ſunt damnati.* Anaſtaſius Bibliothecarius eadem refert in Vita Nicolai.

XXVI. *Synodum illam in Romana caſſat.*

Guntharius & Theutgaudus Romam pervenientes libellum Nicolao Papæ obtulerunt, dicentes, ſe nihil plus, vel minus egiſſe, quàm quod in eo continebatur. Nicolaus Pontifex Synodum in Laterano collegit, in quo iidem Archiepiſcopi inventi ſunt, *unde damnationis notam incurrerent. Præcipuè quia auctores ſe tanti divortii fuiſſe clamabant ..... Tunc judicante, & eodem Sancto Præſule cum Synodo decernente, Sacerdotali honore privati ſunt, & depoſitionis cenſuram meritò incurrerunt. In hac*

qui-

Digitized by Google

quidem Synodo benignus Præſul Metenſem Synodum, ubi geſta illa contra voluntatem Dei, & ſuam digeſta fuerant, illicò caſſavit, & quædam neceſſaria in Sancta Eccleſia Capitula promulgavit, inquit Anaſtaſius. Romana illa Synodus habita eſt eodem anno Chriſti 863 in Palatio Lateranenſi, in eâque decreta ſequentia condita ſunt. Primum decretum eſt de Synodi Metenſis abolitione, *quam nec vocari Synodum, ſed tanquam adulteris faventem, proſtibulum appellari* decernit Nicolaus. Alterum decretum eſt de Theutgaudi; & Guntharii depoſitione, quos omni Epiſcopali exutos regimine definit; *Quòd ſi*, inquit, *juxta præcedentem conſuetudinem, tanquam Epiſcopi auſi fuerint aliquid de ſacro miniſterio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia Synodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis*. Tertium decretum eſt adversùs Epiſcopos illorum complices, qui eidem pœnæ ſubduntur, ſi cum his conjurationem inierint. Si verò Sedis Apoſtolicæ decretis aſſenſum ſe præbere profeſsi fuerint, veniam ipſis Pontifex, & Synodus pollicentur. Quartum decretum Ingeltrudem, Mattefredi Comitis filiam, Boſonis pariter Comitis uxorem, quæ à ſeptem annis maritum reliquerat, & per varia loca vagabunda diſcurrebat, repetito anathemate ferit, cum fautoribus univerſis, niſi citiùs ad Boſonem ipſum redierit, aut ad Sedem Apoſtolicam ſatisfactura properaverit. Denique dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro Catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium, aut futurorum malorum, à Sedis Apoſtolicæ Præſule ſalubriter promulgata, jubet obſervari ſub pœna anathematis.

XXVII. *Lotharium compellit ad Teutbergã Reginam recipiendã.*

Anno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo quarto Lotharius Rex ad Nicolaum Papam ſcripſit, & queſtus eſt, quòd Pontifex nimium de ipſo ejus æmulis crederet, paratumque ſe oſtendit coram ejus Sanctitate adverſariorum calumnias refellere. Sed Nicolaus Arſenium Hortenſem Epiſcopum, Legatum in Gallias anno octingenteſimo ſexageſimo quinto miſit, tum ad exequendum Sedis Apoſtolicæ Judicium de Lotharii & Teutbergæ divortio, tum alias ob cauſas. Arſenius, ut ſcribit Annaliſta Metenſis ad annum 866, *tanta auctoritate uſus eſt, ac poteſtate, ac ſi idem Summus Præſul adveniſſet. Convocato denique Epiſcoporum conventu, Lotharium Regem alloquitur, ut unum è duobus eligat, aut propriæ reconcilietur uxori, abdicato Vualdradæ pellicis conſortio, aut protinus anathematis gladio ferietur ipſe, & omnes qui ei in hoc ſcelere faverent*. Hac neceſſitate conſtrictus Lotharius, Teutbergam Reginam recepit, *interpoſito juris jurandi ſacramento*, ſe illum *ita in reliquum habere, ſicut æquitatis jura dictant, legitimam uxorem eſſe tenendam, nec eam à ſe ſepararet, nec ipſa vivente aliam ſuperinduceret. Poſt hæc Vualdradam ex auctoritate Dei, & Sancti Petri, & verbo domni Apoſtolici, Romam ire jubet, ut pro ſe rationem reddat*. Idem referunt Regino Prumienſis in Chronico, & alii Francorum Annaliſtæ.

XXVIII. *Eam arguit, quòd tædio victa contra ſe ipſam ſcripſerit.*

Sed anno ſequenti octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, cùm Teutberga Regina à Lothario Rege peſſimè ſemper haberetur, recedendi ab eo honeſtam occaſionem captans, licentiam à Nicolao Pontifice veniendi Romam poſtulavit, miſſis Legatis & literis, quibus eam ſignificare Pontifici juſſit Lotharius, ſe ſponte cedere Regia dignitate, in quam introduceretur Waldrada tanquam legitima illius conjux. Hoc ubi intellexit Nicolaus, arguit ipſam per Epiſtolam, IX Kalendas Februarii anni 867 datam, & Tomo 3 Concil. Gall. ordine LXIV relatam, quòd contra ſe ipſam tædio victa ſcripſiſſet; nequaquam conſenſit, ut Romam veniret, negavitque fieri poſſe quod ſuggerebat, ut continentiæ ſtudio conjugium diſſolveret, niſi Lotharius maritus cælibem quoque vitam promitteret. Scripſit eodem tempore Nicolaus ad Carolum Calvum Regem, ejus tuitioni Teutbergam Reginam commendans, cujus judicium Lotharius retractare, & per monomachiam velle decernere dicebatur. Rogat ipſum præterea Pontifex, ut adjunctam Epiſtolam Lothario, per fidelem, & prudentem virum reddi curet. In ea pariter queritur, quòd Teutberga tædio afflictionum contra ſe ipſam ſcripſerit, ejuſque conjugium diſſolvi non poſſe probat, niſi Lotharius cœlibem quoque vitam ſpondeat. Ipſum, denique hortatur, ut reſipiſcat ab adulterio, cujus exemplùm tot animas in interitum demergit. Quid poſtea contigerit, dicetur in Hadriano II, Nicolai ſucceſſore. Plura de hac cauſa Natalis Alexander Sec. IX & X, diſſert. IX.

XXIX. *Rothadus Epiſcopus Sueſſionenſis communione privatur Sedem Apoſt. appellat.*

Cauſam etiam Rothadi Sueſſionenſis Epiſcopi, cum Hincmaro Remenſi Metropolitâ, idem Natalis Alexander ibidem, Diſſertatione VI accuratè tractavit. Rothadus ad Eccleſiæ Sueſſionenſis regimen, anno circiter octingenteſimo vigeſimo tertio aſſumptus, circa annum octingenteſimum quinquageſimum quartum, Hincmari Remenſis odium incurrit, qui, teſte Nicolao Papa in decreto abſolutionis ipſius Rothadi, per octo circiter annos occaſionem quæſivit, quâ eum ab Epiſcopatu dejiceret, quam captavit Hincmarus, cùm Rothadus Presbyterum quendam ſuæ diœceſeos canonicè depoſuit, qui ad Metropolitanum, quem Epiſcopo ſuo ſubinſenſum noverat, con-

Digitized by Google

confugit. Hincmarus Presbyterum Sacerdotio fungi præcepit poſt triennium, injuſtè depoſitum cauſatus, licèt 33 Episcoporum judicio ejus exauctoratio decreta fuiſſet. Quin etiam Presbyterum alterum, quem Rothadus depoſito ſubſtituerat, communione privavit, & in carcerem detrudi mandavit; illum verò, qui ob ſtuprum depoſitus fuerat, Eccleſiæ, cui fuerat antea præpoſitus, reſtituit. Tam irregulari judicio Rothadus refragatus eſt, & Hincmarus anno octingenteſimo ſexageſimo primo, congregata Synodo in Sueſſionenſi ſuburbio, ipſum, ut contumaciæ reum, Epiſcopali communione privavit, donec obediret, ut ad eum annum docet Annaliſta Bertinianus Auctor coævus. Anno ſequenti octingenteſimo ſexageſimo ſecundo, cùm Carolus Calvus Rex Piſtis placitum celebraret circa finem menſis Junii, huic ſeſe præſentem exhibuit Rothadus, cùmque ab Hincmaro, ejuſque partiariis à Synodi ingreſſu prohiberetur, propter excommunicationem à Synodo Sueſſionenſi in eum latam, Sedem Apoſtolicam appellavit. Cui appellationi legitimæ deferendum judicavit Synodus, ut Annaliſta Bertinianus, licèt Rothado iniquior, teſtatur,

XXX. Deponitur in Sueſſionenſi Synodo.

Interim Synodus altera, eodem anno 862 ab Hincmaro in Sueſſionenſi ſuburbio congregata, ad quam invitatus eſt Carolus Calvus Rex, cujus etiam mentio in eodem Annaliſta Bertiniano. Hincmarus tres Epiſcopos miſit ad Rothadum, qui eum ad Synodum juridicè vocarent; ſed ille reſpondit, integrum ſibi non eſſe judicium ſubite Synodi, pendente appellatione ad Romanam Sedem. Secundò, & tertiò citatus Rothadus idem reſpondit. Quare ubi Hincmari partiarii Rothadum in ſua appellatione conſtantem compererunt, in cella includi juſſére, donec Synodi Judicium excepiſſet. Tandem Hincmarus eum velut contumacem depoſuit, ut ipſemet Rothadus narrat in libello proclamationis ad Nicolaum Papam. Denunciata fuit Rothado à tribus Epiſcopis exauctorationis ſententia, moxque in carcerem conjectus eſt, ſpe ipſi facta Abbatiæ ab Hincmaro, ſi ab appellatione deſiſteret, & in ejus locum Epiſcopus ordinatus, ut ex eodem libello diſcimus. Citò delatæ ſunt ad Nicolaum Papam Rothadi querelæ, & appellatio à ſententia Hincmari, & Synodi Sueſſionenſis. Reſcripſit quamprimùm ad Hincmarum Pontifex, eique violationem paternorum canonum, & privilegiorum Apoſtolicæ Sedis, quæ intemerata à tota Chriſti ſervantur Eccleſia, improperavit. Juſſit, ut intra dies 30 Rothadum Sedi ſuæ reſtitueret, aut Romam cum eo ad cauſam dicendam veniret, Legatumve mitteret pro ſe reſponſurum, ſub pœna ſuſpenſionis à ſacro miniſterio, quam & ceteris Epiſcopis, qui Rothadi exauctorationem cum Hincmaro decrevére, comminatus eſt. Hæc patent ex Epiſtola XXIX ejuſdem Nicolai Papæ.

XXXI. Nicolaus PP. ſententiam Synodi Sueſſionenſis reſcindit.

Anno octingenteſimo ſexageſimo tertio Hincmarus Odonem Bellovacenſem Epiſcopum Romam miſit, qui Synodi Sueſſionenſis, & depoſitionis Rothadi, quaſi à Judicibus electis in eo factæ, confirmationem à Sede Apoſtolica rogaret. Sed Nicolaus Papa perceptis Hincmari fraudibus, & tyrannide, Acta dictæ Synodi reſcidit, quòd Sardicenſes canones, de appellationibus Epiſcoporum dejectorum violaſſet: juſſit & omnibus Epiſcopis, qui ad eam Synodum convenerant, ut Rothadum ab exilio revocari curarent, & Sedem Apoſtolicam adire permitterent cum eorum Legatis, ut eorum Judicium retractaretur. Quod, ni parerent, ſuſpenſionem à Miſſarum celebratione ipſis minatus eſt, ut legitur in Epiſtola Nicolai XXXII ad Epiſcopos Synodi Sueſſionenſis, non verò Silvanectenſis, ut Tomo VIII Concil. perperam legitur, data. Scripſit etiam ad Hincmarum per Odonem Bellovacenſem, ut Rothadum Romam dirigeret: ſecundam hanc ſe recepiſſe juſſionem meminiſſet, caveretque, ne ſi tertiò ad ipſum pro eadem cauſa reſcribere cogeretur, definitivam ac peremptoriam in eum ſententiam proferret, ut in ſacrorum canonum contemptorem. Ea Epiſtola eſt ordine XXVIII. Scripſit & Epiſtolam ordine XXX ad Carolum Calvum Regem, ipſique ſignificavit, quæ ad Hincmarum, alioſque Epiſcopos ſcripſerat, illiuſque Majeſtatem hortatus eſt, ut Rothadum ſuo adjutum ſolatio Romam dirigeret, Sediſque Apoſtolicæ privilegia in ſuo regno firmaret.

XXXII. Rothadus Romam à Carolo Rege mittitur.

Eodem anno octingenteſimo ſexageſimo tertio, Carolus Calvus Rex in Vermeriæ Palatio Synodum habuit VIII Kalendas Novembris, ex qua, ut inquit Annaliſta Bertinianus, *Rothadum nuper depoſitum, ſicut Dominus Papa ei mandaverat, cum ſuis & Epiſcoporum literis, atque Vicariis Romam miſit*. Vicarios itaque ſuos miſére Hincmarus, & qui in damnatione Rothadi ſuffragati fuerant Epiſcopi cum Synodicis literis. Legatis cùm tranſitum denegaſſet Ludovicus II Imperator, clàm Nicolao Papæ id ſignificarunt, interimque Rothadus ſimulata infirmitate Veſontione ſubſtitit, illis in patriam redeuntibus. Poſt quorum diſceſſum, faventibus Lotharii, & Ludovici Germaniæ Regis fautoribus, Ludovicum Imperatorem adiit, à quo liberum tranſitum anno octingenteſimo ſexageſimo quarto impetravit, & menſe Junio ſolus Romam pervenit; cauſam tamen ejus haud ſtatim diſcuſſit Nicolaus Papa, ſed ſex menſes expectavit, donec Hincmarus, & con-

Digitized by Google

& confœderati Epiſcopi, Vicarios, quos vellent, Rothadi accuſatores, vel aliàs quovis modo in cauſa illius expoſtulatores delegarent.

XXXIII. *A Nicolao PP. in Sedem ſuam reſtituitur.*

Hincmarus tandem Vicarios ſuos ad Nicolaum Pontificem miſit, cum tribus prolixis literis à Flodoardo lib. 3 cap. 13, & ſeqq. recitatis. Secundùm hæc Rothadus proclamationis libellum Summo Pontifici obtulit, quo damnationis ſuæ ſerie expoſitâ, ſententiam à Sede Apoſtolica pro ſe proferri rogavit. Hoc accepto libello Nicolaus Papa de Rothadi causâ ſermonem habuit in pervigilio Dominicæ Nativitatis, in Baſilica Sanctæ Mariæ ad Præſepe, in quo cauſam Rothadi ab origine expoſuit, & Hincmari malas artes, ac mendacia declaravit, atque inter alia, falſum eſſe quod ille vulgaverat, Rothadum neglecta appellatione ſua ad Sedem Apoſtolicam, ad electos Judices provocaſſe. Mox habitâ Romæ Synodo decrevit, ut Rothadus Epiſcopalibus veſtimentis ornaretur, qui pollicitus eſt ſe ad reſpondendum ſuis accuſatoribus præſto ſemper futurum. Hæc Synodus Romana exeunte anno octingenteſimo ſexageſimo quarto inchoata, anno inſequenti continuata, quo XII Kalendas Februarii, in altera ſeſsione Rothadi reſtitutionis forma relecta eſt, *Sequenti verò die*, inquit Anaſtaſius in Vita Nicolai, *congregata in domo, quæ nuncupatur Leonina, denuò ſynodo*, &c. Rothadus *in gradum priſtinum eſt reſtitutus, & ad propriam Sedem cum Apoſtolicis ſanctionibus remiſſus*. Cujus tenoris fuerit ſententia abſolutionis, legendum eſt in Epiſtola Nicolai Papæ ordine XXXIX ad Clerum, & plebem Eccleſiæ Romanæ. Legenda pariter Epiſtola XLIV Nicolai ad Rothadum, quæ abſolutionis, ejuſque reſtitutionis ſententiam ſub alia formula continet.

XXXIV. *Pro executione ſententiæ Legatum in Gallias mittit.*

Ut verò hæc ſententia executioni mandaretur, Nicolaus Papa Arſenium Epiſcopum Hortenſem, ſeu Hortanenſem in Gallias miſit Legatum, ut Anaſtaſius Bibliothecarius in ejus Vita commemorat, eique literas tradidit Carolo Calvo Regi perferendas, quibus ipſum hortabatur, ut Rothado canonicè reſtituto faveret, & res ejus Eccleſiæ ei ablatas reddi juberet. Ea in Epiſtola Hincmari contumaciam in primis notat, qui contempta Sede Apoſtolica Rothadum ad eam appellantem depoſuit; pluribuſque probat *paternam traditionem, & ſpecialem Sedis Apoſtolicæ prærogativam ſuper hoc ſe ſecutum eſſe*, & jure merito juſsiſse Rothadum Sedem Apoſtolicam appellantem Romam venire, ibique eum judicaſſe. Ea Epiſtola eſt ordine XL. Scripſit etiam Nicolaus ad Hincmarum Epiſtolam ordine XLI, oſtenditque legitimè Rothadum reſtitutum, eique exprobrat Sedis Apoſtolicæ contemptum, fraudulenta ejus in Rothadum machinamenta, ac mendacium, & calumniam in ſimulando Rothadi conſenſu, quaſi neglecta appellatione ſua ad Sedem Apoſtolicam, electos Judices imploraſſet.

XXXV. *Depoſitiones Epiſcoporum inter majores cauſas numerandas ſanxit.*

Dedit pariter Nicolaus Pontifex literas *ad univerſos Galliæ Epiſcopos*, ipſoſque hortatus eſt, ut Rothadum à ſe reſtitutum benignè ſuſciperent. In iis pluribus diſputat de veterum Pontificum Romanorum decretalibus, quarum auctoritatem Gallicani Epiſcopi explodebant. Nondum enim Eccleſiæ Gallicanæ moribus receptum erat, vel canonibus, quibus regebatur, conſentaneum, ut Epiſcoporum depoſitiones non mandarentur executioni inconſulta Sede Apoſtolica, & abſque ejus mandatis. Jus illud aſſeruit Apoſtolicæ Sedi Nicolaus Papa primus, veterum Pontificum decretalibus nixus, & interpretationi juris, qua Epiſcoporum depoſitiones, inter majores cauſas numerandas eſſe, poſt Gregorium Magnum declaravit. Quam interpretationem, atque diſciplinam Gallicani Epiſcopi ſtatim non ſuſcepére. Quid autem Romanæ Eccleſiæ his in negotiis Gallicana deferret, quidve negaret, lege in Epiſtola Hincmari ad Nicolaum Papam, data in cauſa Rothadi, quam deſcribit Flodoardus lib. 3 cap. 12, & ſeq. ex qua intelligimus Gallicanos Epiſcopos jus appellationum Epiſcoporum dejectorum ad Apoſtolicam Sedem agnoviſſe; imò & Metropolitanorum judicia ipſi detuliſſe, quamvis plures ab Hincmaro in partes tracti, Rothadum cum eo depoſuerint, ejuſque depoſitionem pertinaciter propugnarent, quod ipſis perſuaſerat Rothadum Judices elegiſſe, & ab electis Judicibus deinde Romam appellaſſe; quod Africanis canonibus in Eccleſia Gallicana receptis, & longo uſu conſecratis repugnabat, inquit Natalis Alexander loco laudato. De decretalibus veterum Pontificum Romanorum vide dicta ut ſupra in Pontificatu S. Anacleti. Rothadus porrò in Galliam reverſus, in Eccleſiam ſuam reſtitutus eſt per Arſenium Legatum Apoſtolicum, eamque ſumma pace ad obitum uſque rexit.

XXXVI. *Synodum Sueſſionenſem indicit pro cauſa VVlfadi & ſociorum.*

Synodi Sueſſionenſis, anno octingenteſimo quinquageſimo tertio celebratæ, in qua Wlfadus, aliique Clerici, ab Ebbone Remenſi Archiepiſcopo ordinati, gradibus ſuis ab Hincmaro Remenſi dejecti fuerant, confirmationem obtinuerat quidem Hincmarus per obreptionem, eandemque etiam à Nicolao Papa impetravit; ſed Nicolaus verſatile Hincmari ingenium, fraudeſque intelligens, & renovata per Wlfadum, & ſocios ad Sedem Apoſtolicam appellatione, ejuſdem Synodi Sueſsionenſis Acta reſcidit, intelligens Wlfadum atque ſocios

 iniquè

Digitized by Google

SÆC. IX. NICOLAUS.

iniquè depoſitos eſse ab Hincmaro, ad quem ſcripſit, juſsitque, ut eoſdem in priſtinos gradus, ordinumque functiones reſtitueret, aut cum Gallicanis Epiſcopis ad Synodum conveniret, eorum cauſam retractaturus, ac finiturus. Si verò nova diſceptatio orietur, procuratores ab utraque parte mitterentur ad Sedem Apoſtolicam, quæ ultimum hac de cauſa judicium ferret. Synodum itaque Sueſsione celebrandam indixit, datis ad omnes Galliarum, & Neuſtriæ Epiſcopos literis, ut ipſemet teſtatur in Epiſtola 58 ad Herardum Archiepiſcopum Turonenſem, ad hunc finem pariter ſcripta, quæ extat Tomo 8 Concil. pag. 814, diciturque *data III nonas Aprilis, indictione XIV*, quo etiam die Epiſtola Nicolai ad Hincmarum, quâ Synodum pro cauſa Wlfadi apud Sueſsionem convocari jubet, data eſt, ideoque anno octingenteſimo ſexageſimo ſexto, quo indictio 14 menſe Aprili in curſu erat.

XXXVII. *Vulfadi & ſociorum reſtitutionem impedire tentat Hincmarus.*

Synodus itaque Sueſsionenſis XV Kalendas Septembris ejuſdem anni 866 celebrata eſt. Carolus Calvus Rex Wlfadi, & ſociorum ejus reſtitutionem ſummoperè exoptabat, quòd Wlfadus Carolomanni filii ſui præceptor fuiſset. Unde & ipſum Bituricensē Epiſc. deſignaverat, conſentientibus ejuſdem Eccleſiæ Clericis, & provinciæ Epiſcopis. Ejus tamen ac ſociorum reſtitutioni pro viribus reſtitit Hincmarus, quatuor ſchedulis, ſeu libellis Synodo per vices oblatis, quæ extant Tomo VIII Concil. In priori ſchedula conteſtatur, Wlfadum & ſocios, ſuo tantùm, & Coepiſcoporum provinciæ Remenſis judicio non fuiſſe depoſitos; ſed à Synodo quinque provinciarum, & electorum Judicum ſententiâ, à Benedicto III, ac deinde à Nicolao I confirmatâ: proinde ſibi integrum non fuiſſe illos reſtituere in priſtinos gradus, nec reſtitui poſſe ſine Regularum, & Sedis Apoſtolicæ præjudicio, ac ſine communi ipſorum Epiſcoporum, qui id aggrederentur, periculo. Secundâ ſchedulâ demonſtrat Hincmarus Ebbonem regulariter depoſitum, & non regulaliter reſtitutum. Cùm autem cerneret Epiſcoporum plurimos in reſtitutionem Wlfadi, & ſociorum inclinare; eo quòd bona fide, palàm & publicè ab Ebbone Archiepiſcopo, jure, vel injuriâ Sedi ſuæ reſtituto, ſacros ordines ſuſcepiſsent, temperamentum quoddam propoſuit tertiâ ſchedulâ, ut ex indulgentiâ, & diſpenſatione in priſtinos gradus reciperentur, inconvulſis manentibus Synodi Sueſsionenſis II Judicio, & Summorum Pontificum Benedicti III, & Nicolai I decretis. Quartâ ſchedulâ, in quâ Hincmarus effutiebat Wlfadum ſub jurejurando per Sanctam Trinitatem unius Deitatis profeſſum, ſe nuſquam ad graduum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem ulterius aſpiraturum, ita, cùm legi cœpiſset, cunctorum offendit animos, ut penitus ſuppreſſa ſit.

SÆC. IX. NICOLAUS.

XXXVIII. *Synodus eam Nicolao PP. reſervat.*

Is autem fuit Concilii Sueſsionenſis III exitus, ut ſeptem provinciarum Epiſcopi in eo congregati Hincmarum Summo Pontifici excuſarint, quòd auſus non eſſet ſuâ, & Comprovincialium auctoritate, Wlfadum & ſocios reſtituere, qui in Synodo quinque provinciarum fuerant depoſiti. Sibi etiam in Concilio, tametſi de illorum reſtitutione aſſentirentur, conſentaneum viſum eſſe, rem totam Pontifici, à quo inchoata erat, conſummandam reſervari. *Sed ut quondam obſidens urbem Rabaz David Regi fidiſsimo*, „ Ne, cùm à „ me, *inquit*, vaſtata, & capta fuerit vo„ bis, & non nomini meo adſcribatur vi„ ctoria: *Ita & nobis in præſentis rei negotio decertantibus, & quædam deflorantibus, non tamen terminantibus, ſolummodò Magiſteriali veſtro Culmini eorum aſſignetur reſtitutio.* Illam itaque viam iniere Gallicani Præſules, in Synodo Sueſsionenſi III juſsu Nicolai Papæ congregati, ut Synodo Sueſsionenſi II quinque provinciarum nihil derogatum vellent, quaſi minus æquum fuiſſet illius de Wlfadi, ſociorumque cauſa Judicium; ſed illam ad cenſuram debitæ ſeveritatis ſententiam protuliſſe aſsererent, quam poſterior ſeptem provinciarum Synodus, Summo Pontifice præeunte, per miſericordiam immutaret, ut oſtendit Natalis Alexander Sæc. IX, & X part. II, diſſert. VII, idque ex Adnunciatione Herardi Archiepiſcopi Turonenſis, Regis, & Synodi juſsu facta, quæ extat Tomo VIII. Concil. pag. 830, & ſeqq.

XXXIX. *Synodicam ſuam ad Nicolaum PP. mittit.*

Synodus per Egilonem Senonenſem Archiepiſcopum ad Nicolaum Papam ſuam Synodicam miſit, ad quem ſcripſit & Hincmarus, & ſe maxima cum obedientia executioni mandaturum profeſsus eſt, quidquid idem Pontifex, in cauſa Wlfadi & ſociorum decreviſset. Epiſtola Synodica extat Tomo VIII Concil. pag. 833. Epiſtola verò Hincmari in Annalibus Baronii anno 866 n. 78. Scripſit etiam Hincmarus ad Egilonem Romam euntem Commonitorium, quo ipſum docuit, quomodo in Urbe ſe gereret, quæ Summo Pontifici vehementiùs inculcare, quid reticere deberet, ne ejus animum offenderet. Cùm verò Nicolaus Papa duritiam Pharaonis Hincmaro improperaſſet, rogavit hic Egilonem, ut Pontifici ſuam erga Wlfadum, & ſocios benignitatem exponeret, quò præconceptam adversùs ſe opinionem ex illius animo evelleret. Hæc Hincmari Epiſtola extat in fine Tomi 8 Concil. pag. 1903. De hac Synodo Sueſsionenſi III legendi Annales Bertiniani ad annum 866, qui conſonant his, quæ de eadem Synodo ad Nicolaum Papam ſcripſit Hincmarus.

Nicolaus

Digitized by Google

SÆC. IX. NICOLAUS.

Nicolaus Papa, accepta Synodi Sueſſionenſis Synodica cum Hincmari literis, auditaque Egilonis Senonenſis Archiepiſcopi relatione, reſcripſit ad Epiſcopos Gallicanos, qui ad eam Synodum convenerant, eaque Epiſtola graviter perſtrinxit Hincmarum, quòd in hac cauſa callidè, ac diſſimulanter egiſset, quòd Actoris perſonam egiſset ac Judicis, quòd Benedicti III literas mutilatas, & corruptas proferre auſus eſset. Gratulatus eſt, quòd Wlfadus, & ſocii, totius conſona voce Concilii graduum receptione ſuorum digni judicati eſſent. Conqueſtus etiam eſt ad ſe miſsam non eſse omnium, quæ in cauſa Ebbonis, & dictorum Clericorum geſta fuerant, plenam & accuratam relationem, inſtrumentis probatam. Illos iterùm convenire, & omnia diligent r, & enucleatè, ad Sedem Apoſtolicam referre juſſit, cauſam illam ſpectantia. Quare octavo Kalendas Novembris anni 867 iidem Epiſcopi, qui apud Sueſſiones convenerant, Concilium Trecis celebrarunt, in quo totam Ebbonis, ordinatorumque ab eo Clericorum, & ab Hincmaro, alteraque Synodo Sueſsionenſi depoſitorum cauſam, & hiſtoriam, ſecundùm Pontificis mandata, accuratè & fideliter expoſuére in Synodica, quam ad illum direxére, ejuſque Sanctitatem rogarunt, ne Metropolitanorum, & ceterorum Epiſcoporum privilegia convelli pateretur. Rogarunt etiam Summum Pontificem, ut Wlfado ad Bituricenſem Archiepiſcopatum promoto pallium mitteret; qua de re etiam ſcripſit Carolus Calvus Rex, cujus Epiſtola ſubnexa eſt Synodicæ ejuſdem Concilii Tricaſſini. Sed antequam Synodica illa Romam perveniſſet, Nicolaus Papa diem ſuum obiit, eamque ſuſcepit Hadrianus II ejus ſucceſsor, ut ſuo loco dicetur. Porrò Nicolaus Papa reſcribens ad Epiſcopos Synodi Sueſſionenſis III, ſcripſerat etiam ad Wlfadum, & ſocios, de ipſorum gratulatus reſtitutione, eam auctoritate Apoſtolica ratam habens: ipſoſque monuit, ne memores eſsent injuriarum, & ut Hincmaro Archiepiſcopo reverentiam ſemper exhiberent; nec unquam eis liceret contra eum, pro eo quòd ab illo fuerant ab officio ſuſpenſi, querimoniam componere, vel ſiniſtram viciſſitudinem retribuere.

XL. Ejuſdem Synodi Epiſcopi iterum congregari jubet.

Bogoris Bulgarorum Rex initio Pontificatûs Nicolai, annoque Chriſti, ut probat Auctor Criticæ Baronianæ, octingenteſimo ſexageſimo primo fidem Chriſti ſuſcepit, & Michael in baptiſmo vocatus eſt à Michaele Orientis Imperatore. Bulgari ad fidem recens converſi, ex multis circa eam, aut Eccleſiæ diſciplinam difficultatibus perplexi, Sedem Apoſtolicam his de rebus interrogarunt, ut Catholicis præceptis erudirentur, eamque in rem anno 866 Michael Rex Bulgarorum legatos ad Nicolaum Papam, *menſe Auguſto, indictione decima quarta deſtinavit, donaque non parva tam à ſuis locis, quàm aliunde Summo Pontifici contulit, ſuggerens ejus Apoſtolatui, quid ſe facere ſalubrius oporteret, & quid erga reliquum Bulgaricum, adhuc baptiſmo ſacro carentem, populum, ut fidei ſacramenta perciperet, agi deberet*, inquit Anaſtaſius in Vita Nicolai; ubi addit Pontificem Legatos Michaelis apud ſe honorificè retinuiſse, & interim Sedis Apoſtolicæ Legatos in Bulgariam miſiſse, Paulum Populonienſem, & Formoſum Portuenſem, magnæ Sanctitatis Epiſcopos ad prædicandum illi genti; quos illuc perrexiſse, *& chriſmate inunctos per Sacerdotes denuò chriſmate* inunxiſse queritur Photius in Epiſtola II ad Patriarchas Orientis. Ad conſulta Bulgarorum reſponſa dedit Nicolaus Pontifex, quaſi totidem decreta, eaque numero 106, quæ multa difficilia explanant.

XLI. Ad Bulgarorum conſulta reſpondet.

Ad quintum reſponſum Auctor Anonymus Actorum Eccleſiæ univerſalis, ſeu Novæ Summæ Conciliorum notat, Jejunium indici ante ſolemnitatem Aſsumptionis B. Mariæ, quæ jam vulgò aſsumpta dicebatur. Sed vocabulum *Aſſumptionis* tempore Caroli Magni jam in uſu erat. Mabillonius enim Sæc. III Benedict. part. 2, ubi recitat Vitam S. Ambroſii Authperti Abbatis monaſterii S. Vincentii prope Vulturnum in Benevento, qui obiit anno 778, producit fragmentum ſermonis Authperti *de Aſſumptione Sanctæ Mariæ*, ut inſcriptio habet, in quo Authpertus ita ſuam ſententiam moderatur, ut nihil de corporea Deiparæ Aſsumptione definiat: ſed ut *ſive in corpore, ſive extra corpus aſſumptam ſuper cœlos credamus*. Quæ etiam ſententia fuit Adamnani in lib. 1 de locis Sanctis, & Anonymi, qui Itinerarium Sancti Willibaldi literis mandavit, quod utrumque Opuſculum in eadem parte 2 editum. Longè itaque ante iſta tempora *Aſſumptionis* vocabulum in uſu Eccleſiæ fuit. Vide hac de re dicta in Sergio hujus nominis primo.

XLII. Aſſumptionis S. Mariæ vocabulum longè ante hæc tempora uſurpatum.

Nicolaum papam die decima tertia menſis Novembris anni octingenteſimi ſexageſimi ſeptimi ex hac vita migraſse, aſſerit Anaſtaſius in ejus Vita: *Poſtquam Sedem Apoſtolicam*, inquit, *victorioſiſſimè, & ut verus Dei athleta Catholicè ac principaliter rexit, ex hac luce Idibus Novembris, indictione prima migravit ad Dominum*. Anaſtaſius tunc Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius idem ſcribit in Epiſtola, quâ hanc mortem Adoni Archiepiſcopo Viennenſi, quæ extat Tomo VIII Concil. ſignificavit, in qua ait: *Ab hac miſera vita* Nicolaus *Idibus Novembris ad cœleſtem beatitudinem, ut credimus, ductus, nos miſeros & valdè deſolatos reliquit*. Sedit itaque Nicolaus

XLIII. Nicolaus PP. vitam cum morte commutat.

Digitized by Google

SÆC. IX. NICOLAUS.

annos novem, *menſes ſex*, *dies viginti*, uti habent Chronicon monaſterii S. Vincentii de Vviturno in provincia Capuana apud Ducheſnium Tomo 3 pag. *672*, cujus initio variorum Pontificum tempora notantur; tres antiqui Catalogi Pontificum Rom. in Appendice ad Antiquitatem Eccleſiæ à Scheiſtratio exhibiti; & Honorius Auguſtodunenſis, in quo ſolùm pro diebus 20, poſiti ſunt dies 30; menſes enim etiam ſex, & dies viginti leguntur in quinto ex Catalogis Criticæ Baronianæ præfixis. Nam apud Anaſtaſium, Hermannum Contractum, Marianum Scotum, & alios Catalogos duratio ſedis Nicolai mendosè deſcripta. In Nicolao porrò primo deſinit Hiſtoria Pontificalis Anaſtaſii, quam continuavit Guillelmus itidem Bibliothecarius, cujus ſunt vitæ Hadriani II, & Stephani V.

XLIV. *Ejus virtutes, & elogium.*

Plures Urbis Eccleſias inſtauravit, ac exornavit laudatiſſimus Pontifex; aquæductum in gratiam pauperum reſtituit; Oſtiam civitatem validiùs munivit; egenorum curam geſſit ſingularem, quorum nullum in Urbe quotidianæ liberalitatis ſuæ voluit eſse expertem; jejuniis, vigiliis, & orationibus nocte ac die vacans, nec requiem corpori, nec membra dabat ſopori, ut inquit Anaſtaſius. Eum ſanè magna pro fide, pro Eccleſiaſtica unitate, pro diſciplinæ conſervatione ac reſtauratione geſſiſſe, pauca ex ejus actis à nobis relata, ſatis ſuperque oſtendunt, & ob hæc non immeritò *Magni* cognomen obtinuiſse. *Sanctus* ab Hadriano ſucceſsore, Græcis, Latiniſque plaudentibus vocatus eſt, qui eum ſummis exornans præconiis *Novum Eliam*, & *Novum Phinees* appellat in literis ad Orientales. Breve Nicolao poſuit elogium Regino, ſed literis aureis exarandum: *Poſt beatum Gregorium*, inquit, *uſque in præſens nullus Præſul in Romana urbe Pontificali honore ſublimatus, Nicolao videtur æquiparandus; Regibus, & Tyrannis imperavit, eiſque, ac ſi dominus orbis terrarum, auctoritate præfuit. Epiſcopis, & Sacerdotibus, Religioſis ac Domini mandata ſervantibus, blandus, pius, manſuetus apparuit. Irreligioſis, & à recto tramite exorbitantibus terribilis atque auſteritate plenus extitit; ut meritò credatur alter Elias, Deo ſuſcitante noſtris temporibus ſurrexiſſe, etſi non corpore, tamen ſpiritu, & virtute.* Joannes Diaconus, hujus temporis Auctor, in fine libri 4 Vitæ Sancti Gregorii Magni ſcribit, Nicolaum cum Sancto Gregorio receptum, & viſum in Gloria Sanctorum. Sepultus eſt Nicolaus ante fores Baſilicæ Sancti Petri, ejuſque obitum non ſolùm omnes gentes Chriſtianas, ſed ipſa etiam elementa, intemperie inſolitâ flere viſa eſse, aſserit Anaſtaſius in ejus Vita.

HADRIANUS II *Pontif. CVIII.*

Anno Domini DCCCLXVII.

I. *Hadrianus II eligitur Pontif. Roman. & inthronizatur.*

Licèt Anaſtaſius in Vita Nicolai, ceſsationem Sedis, poſt ejus mortem, non expreſſerit; ex Vita tamen Hadriani II ejus ſucceſsoris, à Guillelmo Bibliothecario ſcripta deducitur, Sedem integro menſe vacaſse; cùm Hadrianus, natione Romanus, ex patre Talaro, poſt Epiſcopo Regionis tertiæ, ex Stephani IV, & Sergij II cognatione, Presbyter Tituli Sancti Marci à Gregorio IV ordinatus, ex eodem Guillelmo Bibliothecario conſecratus fuerit Romanus Pontifex die decima quarta menſis Decembris, quæ anno octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo in Dominicam incidebat, ut mox oſtendetur. Hadrianus, inquit, *omnibus tam Epiſcopis cum univerſo Clero, quàm proceribus Urbis cum obſecundantibus ſibi populis &c. trahitur, & ad Lateranenſe Patriarchium certatim; ac à Proceribus, & plebis multitudine deportatur*, ſcilicet, ut inthronizaretur. *Quod audientes tunc Miſſi Principis moleſtè tulére; indignati ſcilicet, non quòd tantum virum nollent Pontificem, quem nimirum anxiè cupiebant, ſed quòd ſe, dum præſentes eſſent, Quirites non invitaverunt, nec optatæ à ſe futuri Præſulis electioni intereſſe conſenſerint.* Legatis hac ratione ſatisfactum eſt, quòd non ex Imperatoris contemptu id factum eſset, ſed ne deinceps mos expectandi Legatos Principum in Romani Pontificis electione inoleſceret. Tuncque *omnem mentis ſuæ indignationem medullitus ſedavére, ac ad ſalutandum Electum etiam ipſi humiliter acceſſére.* Quare Miſſi Cæſarei conſecrationi, ut moris erat, adfuerunt quidem, ſed neutiquam electioni.

Electio Pontificis Rom. ſemper facta abſentibus miſſis Imperialibus.

Hanc narrationem, quæ non apud Guillelmum tantùm Bibliothecarium, ſed & apud Jvonem Carnotenſem part. 5 cap. 16, & apud Gratianum diſtint. 63 cap. *Cùm Hadrianus*, reperitur, Baluzius in Notis ad Agobardum pag. 126, ſubleſtæ ac valdè dubiæ fidei eſse putat, quòd Imperator jus non ſolùm haberet in conſecratione, ſed & in electione Romani Pontificis, quod jus renovatum dicit in Concilio Ravennatenſi: quia, inquit, Romani frequenter per iſta tempora ſilentio tranſmiſerunt Miſsos Imperatorum in electione

Pon-

Pontificum, placuit eam audaciam reprimere in Concilio Ravennatenſi habito anno 904, quod à Baronio editum eſt; in quo Joannes IX Pontifex Rom. hoc decretum promulgavit: *Quia Sancta Rom. Eccleſia, cui præſidemus, plurimas patitur violentias, Pontifice obeunte: Quæ ob hoc inferuntur, quia abſque Imperatoris notitia, & ſuorum Legatorum præſentia, Pontificis fit conſecratio, nec canonico ritu, & conſuetudine ab Imperatore directi interſunt Nuntii, qui violentiam & ſcandala in ejus conſecratione non permittant fieri; volumus ut deinceps abdicetur, & conſtituendus Pontifex, convenientibus Epiſcopis, & univerſo Clero eligatur, expetente Senatu & Populo, qui ordinandus eſt, ſic in conſpectu omnium celeberrimè electus ab omnibus, præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur*. Sed mirum eſt virum doctiſsimum hoc ſolo Ravennatenſis Concilii decreto, anno 898, non verò anno 904 celebrati, innixum in eam ſententiam abiiſse; illud enim decretum, quod iiſdem ferè verbis à Stephano VI, vulgò VII, editum vidimus, & poſtea à Joanne IX renovatum, non loquitur de electione Romani Pontificis, quæ ſemper facta eſt abſentibus Imperialibus Miſſis, ſed ſolùm de ejus conſecratione, quæ fieri debebat Miſsis iiſdem præſentibus, poſtquam Eugenius II id anno 825 lege lata ſancivit: nam ante Eugenium II non ſolùm electionem, ſed & conſecrationem Pontificis Rom. factam fuiſse inconſulto Imperatore diſertè aſserit Florus Diaconus in lib. de electione Epiſcoporum apud eundem Baluzium pag. 258: *Sed et in Romana Eccleſia*, inquit, *uſque in præſentem diem cernimus abſque interrogatione Principis* (ideſt, inconſulto Principe) *ſolo diſpoſitionis judicio, & fidelium ſuffragio legitimè Pontifices conſecrari.* Baluzius quidem ad interpretanda verba Flori multum ſe torquet, quia, inquit, conſtantiſsimum eſt ævo Flori Romanos Pontifices non potuiſse ordinari extra præſentiam Miſsorum Imperatoris, quod probat exemplo Gregorii IV, qui, teſte Eginhardo, *non prius ordinatus eſt, quàm Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi qualis eſset examinavit*. Sed advertere debuerat Baluzius librum illum à Floro ſcriptum ante Eugenium II, ſcilicet circa annum 820, ideoque ante Gregorium IV, ut in Hadriani primi Vita num. XIV dixi. Eugenius itaque II, Stephanus VI, & Joannes IX ſtatuerunt quidem ut Miſsi Imperiales præſentes eſſent conſecrationi Pontificis, ſed nullibi legitur aliquem Pontificem id de electione conſtituiſse, ſicuti nec ullum unquam Imperatorem id poſtulaſse. Ceterum ex verbis Flori citatis, & ex ſequentibus eruitur, Synodum Romanam, in qua Hadrianus primus ſupponitur dediſse Carolo M. jus eligendi Pontificem Romanum, & Epiſcopos per ſingulas provincias, ſuppoſititiam eſse; cùm poſt laudata verba de Pontificibus Romanis ſubdat Florus: *Qui etiam omnium regionum, & civitatum, quæ illi ſubjectæ ſunt, juxtà antiquum morem, eadem libertate ordinant, atque conſtituunt Sacerdotes; nec adeò quiſquam abſurdus eſt, ut putet minorem illic ſanctificationis divinæ eſſe gratiam, eo quòd nulla mundanæ poteſtatis comitetur auctoritas*. De hac Synodo Rom. vide dicta in Hadriano primo num. XIII, & ſeqq.

II. *Conſecratur.*

Imperator electionem approbavit, *ac mox Imperialem ſcribens Epiſtolam, cunctos Romanos, quòd dignum tanto elegiſſent officio Præſulem, collaudavit*. Et poſt pauca: *Itaque ſabbato, peractis ritè orationibus, vigiliis, & eleemoſynis, dominico ſecundùm morem idem venerabilis Sacerdos ab univerſitate ad Eccleſiam Sancti Petri Apoſtolorum Principis deductus XIX Kalendarum Januariarum, indictione I, anno præfati Auguſti XIX per Epiſcopos reverendiſſimos, ſcilicet Petrum Gavenſem, Leonem Silvæ Candidæ, deinde tertio loco Donatum Oſtienſem, quia Epiſcopus Albanenſis obierat; Formoſus verò Portuenſis à beatiſſimo Papa Nicolao ad prædicationem, & inſtructionem Bulgarorum deſtinatus extiterat, benedictionem ſummi Pontificatûs ...... ſuſcipere meruit*. Sed hìc obiter obſervandum, hunc locum corruptum eſse; nam cùm Oſtienſis Epiſcopus primo loco nominatus eſset, utpotè qui eſset primus, & præcipuus ex conſecratoribus Romani Pontificis, ut dictum eſt in Marco, Leone II, & Stephano II, in tertium locum rejectus eſt, licèt alii duo Epiſcopi, nempè Cavenſis, & Silvæ Candidæ, ſubſtituti fuerint in locum Portuenſis, & Albanenſis, qui erant alii duo conſecratores, quorum prior in Bulgaria degebat, poſterior obierat. Erat porrò Cava urbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Salernitano, in laudata enim Hadriani II Vita legendum eſse *Cavenſem*, non *Gavenſem* rectè vidit Baronius. Silva verò Candida, olim Sylva nigra dicta, erat urbs Tuſciæ via Aurelia, cujus Epiſcopatus poſtmodum à Calliſto ſecundo unitus eſt Eccleſiæ Portuenſi finitimę, teſte eodem Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum die ſecunda Junii.

III. *Prædones Urbis ad reſtitutionem cogit, & oblationes pauperibus diſtribuit.*

Hadriani Papæ conſecrationis publica lætitia pauliſper turbata eſt, Lamperti, ſeu Lamberti Spoletani Ducis in Urbem irruptione, ac deprædatione, nullis enim monaſteriis, nulliſque Eccleſiis pepercit, quin imò nobiliſsimi generis puellas, tam intra Urbem, quàm extra ſuis ſatellitibus diripiendas conceſsit. Hinc apud Ludovicum Auguſtum accuſatus, ab eo Ducatu Spoletano mulctatus eſt; prædones verò ejuſ-

Digitized by Google

SÆC. IX. HADRIANUS II.

ejuſdem Lamberti ſocii, ad reſtitutionem eorum, quæ abſtulerant, ab Hadriano Papa excommunicatione coacti ſunt. In Lateranum poſt ordinationem ſuam reverſus Hadrianus, ex xeniis, quę juxta conſuetudinem offerri ſolent, retentis ſolùm quę uſibus miſſarum ſufficerent, reliquorum pretia pauperibus diſtribui juſſit: *Parvi pendantur, inquit, obſecro hæc pudenda pretiorum commercia, & quod gratis accepimus, gratis, juxtà præceptum Domini, largiamur, & oblationes Chriſti cum ejus hoſpitibus, ac inopibus partiamur*', *propter quos has nobis tribui divinitùs ſcimus*, ut legitur in ejus Vita laudata.

IV. Nicolai deceſſoris memoriam, & decreta veneratur.

Ex eadem Vita etiam habemus Hadrianum, cùm ſibi Nicolaum deceſſorem imitandum propoſuiſſet, ab ejuſdem Pontificis hoſtibus paſſim *Nicolaitanum* dictum eſſe: Quos cùm prudenti œconomiâ toleraret, ſuſpicione apud quoſdam laboravit, quaſi deceſſoris Acta vellet infringere. Sed Orientalibus, & aliarum gentium pleriſque Epiſcopis, Presbyteris, Clericis, Principum Legatis, & Optimatibus, ad convivium vocatis, quibuſcum ipſe diſcubuit, & eorum manibus aquam infudit, hanc diluit calumniam Sanctus Pontifex; poſt epulas enim in faciem procidens, eos rogavit, ut preces funderent pro Eccleſia Catholica, pro Imperatore, & pro ſe ipſo; tumque obortis lachrymis ſubjunxit: *Quia pro valde bonis orare, chariſſimi, gratiarum actiones Deo perſolvere eſt, peto ut Dominum, patrem, deceſſoremque meum Sanctiſſimum, & orthodoxum Papam Nicolaum habentes in veſtris orationibus communes grates Domino referatis, qui eum Eccleſiam ſuam miſeratus elegit, & ad excludendum mundi tumidiſſimos ſtrepitus, ſicut Joſue clypeo protectionis armavit, & gladio ſpiritalis potentiæ roboravit.* Tunc omnes Deo gratias egére, quòd Nicolai deceſſoris memoriam ac decreta veneraretur, unàque ter exclamarunt: *Eja, ceſſet invidia, mendax fama recedat. Domino noſtro Hadriano à Deo decreto Summo Pontifici, & univerſali Papæ vita.* Tum ille manu ſilentium indicens ter acclamavit: *Reverendiſſimo, ſanctiſſimo, & orthodoxo Domino Nicolao à Deo decreto Summo Pontifici, & univerſali Papæ ſempiterna memoria. Novo Héliæ vita perennis, & immarceſcibilis gloria. Novo Phinees æterni Sacerdotii inſulas. Sequacibus ejus pax, & gratia.*

V. Legatos in Bulgariam mittit.

Ut autem in omnibus intelligeretur, velle ſe veſtigiis prædeceſſoris inſiſtere, cœpta ab eo, proſequenda curavit; atque primùm deſignatam à Nicolao Legationem ad Bulgaros inſtitutam dimiſit, de qua in eadem Hadriani Vita legitur: *E' veſtigio etiam Dominicum, & Grimoaldum Epiſcopos* (illum Trivenſem, hunc Polimartienſem, ut ſcribit Anaſtaſius in Vita Nicolai) *quos deceſſor ſuus ſanctæ recordationis Papa Nicolaus in Bulgarorum patriam ire præceperat, & à ſe in ipſo articulo ſui diſceſsûs abſolverat, quique videntes tanti patris obitum ire diſtulerant, eadem fungentes legatione direxit, & quaſdam Epiſtolarum, quas ille mittendas delegerat, ut ſe ejuſdem voluntatis & ſtudii fore oſtenderet, ſuo nomine titulari præcipiens, in quantum tempeſtas fluctuoſi temporis permittebat, piiſſimi patris votum pius hæres implevit.*

SÆC. IX. HADRIANUS II.

VI. Jubet Lothario, ut Teutbergam Reginam in conſortium recipiat.

Lotharius Rex, de cujus divortio cum Teutberga Regina in ſuperiori Pontificatu egimus, ubi accepit Nico ai mo.tem, eique ſubrogatum fuiſſe Hadrianum, mox ad ipſum literas dedit, ſuum ob mortem Nicolai dolorem ſignifica. s, conceptamque de ejus electione lætiti.m, rogans ut ſibi licentiam Romam adeundi concederet; quam & poſtea obtinuiſſe, conſtat ex ejuſdem Pontificis Epiſtola ad Lotharium, de qua loquitur Regino in Chronico. Ad Lotharium reſcripſit H.dria.us Papa lit.r.s ordine XIII Tom. 8 Concil. commonitorias, quibus ſignificavit ſe Teutbergam, ſolutionem matrimonii Romæ poſtulantem, ad eum redire juſſiſſe, donec in Synodo ea de re ſtatueret: ei juſſit, ut eam in conſortium reciperet, cultuque Regio haberet; aut ſi alio in loco ipſam conſiſtere permitteret, promiſſas illi Abbatias ad vitæ ſubſidium concederet. Si quis verò ei moleſtus fuerit, huic perpetuum anathema intentavit, ipſique etiam Lothario, ſi his aſſenſum præbuerit. Scripſit prętereà idem Pontifex ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem; eique vices ſuas commiſit, ut Sedis Apoſtolicæ decreta, in cauſa Lotharii, executioni mandari curaret, ac Regem Carolum Calvum ad conſtantiam eo in negotio excitaret. Epiſtola dicitur data VIII idus Martii, indictione 1, ideoque anno 868, eſtque ordine IV Tom. 3 Conciliorum Galliæ. Hincmarum mandata Pontificis diligenter executum eſſe teſtatur Flodoardus lib. 3 Hiſt. Remenſis cap. 20.

VII. Lotharius Hadriano PP. in monte Caſſino convenit.

Tandem Lotharius, quod à Nicolao Papa multis precibus ſæpe fruſtra petierat, ſibi ut Romam venire, & coram agere liceret, ab Hadriano conſecutus eſt anno octingenteſimo ſexageſimo nono, quo tam Annales Metenſes, quàm Bertiniani ejus Romam adventum referunt; qui tamen inter ſe diſcrepant in eo, quòd Annaliſta Metenſis Lotharium Romæ communioni Eccleſiaſticæ reſtitutum ſcribit; Bertinianus verò in Monte Caſſino, cui potius adhærendum, ut conſtat ex profeſſione Gunthariі Colonienſis quondàm Epiſcopi, de quo mox, quæ facta eſt in Monte Caſſino; *Lotharius*, inquit Annaliſta Bertinianus ad annum 869, *iter quod tempore inconvenienti, ſcilicet menſe*

ſe Junio cauſa uxorum ſuarum in parte Romæ cœperat, contendens perficere, uſque Ravennam venit, ubi Miſſos fratris ſui (nempe Ludovici Imperatoris) *obvios habuit, per quos ei contradixit, ut nec inantea procederet, nec diutius in eodem Regno commoraretur, ſed ad ſuum regnum rediret, & tempore commodo, & opportuno loco ſimul convenirent, & de quibus vellet cum eo ſatageret. Lotharius autem Romam rediens à latere ad ſuum fratrem in Beneventum uſque pervenit, & apud eum per Engelbergam* (Imperatricem) *multis petitionibus & muneribus obtinuit, ut ipſa Engelberga, cum eo uſque ad monaſterium Sancti Benedicti, quod in Monte Caſſino ſitum eſt, rediret. Quo etiam Adrianum Papam eidem Engelbergæ, & ſibi ex juſſione Imperatoris venire fecit, & apud eum datis illi multis muneribus, per ipſam Engelbergam obtinuit, ut idem Papa illi Miſſam cantaverit, & ſacram communionem hac convenientia illi donaverit: Si, poſtquam Nicolaus Papa Vualdradam excommunicavit, nullum cum ea contubernium, vel carnalis copulæ mercimonium, quin nec conloquutum quoddam habuerit.*

VIII. *Sacram communionem ab eo ſub conditione accipit.*

Ipſe autem infelix, more Judæ, ſimulatâ bonâ conſcientiâ, & impudenti fronte, eamdem ſacram communionem ſub hac conventione accipere non pertimuit, nec recuſavit. Sed & ſui fautores cum eo ab ipſo Papa percepere communionem. Inter quos & Guntharius auctor & incentor hujus publici adulterii, communionem inter laicos ab ipſo Adriano Papa accepit, data illi priùs coram omnibus profeſſione, quæ ita habetur. „ Profiteor „ ego Guntharius coram Deo, & Sanctis „ ejus Vobis Domino meo Adriano Sum„mo Pontifici, & univerſali Papæ, ac ve„nerandis tibi ſubditis Epiſcopis, reliquoque „ Conventu, quoniam judicium depoſitio„nis in me à Domno Nicolao canonicè „ datum non reprehendo, ſed humiliter „ porto. Unde nec ulterius ſacrum mini„ſterium contingere prę ſumo, niſi per miſe„ricordiam mihi ſubvenire volueritis. Nec „ aliquando contra Sanctam Romanam Ec„cleſiam, aut ejus Pontificem, aliquod „ ſcandalum, vel quidquam adverſi move„re volo: ſed devotum me eidem Sanctæ „ matri Eccleſiæ, ejuſque Prę ſuli exhibere, „ atque obedientem permanere proteſtor. „ Ego Guntharius huic profeſſioni à me fa„ctæ manu propria ſubſcripſi. Data Kalen„dis Julii, indictione II, in Eccleſia San„cti Salvatoris, quæ eſt in monaſterio S. „ Benedicti in Caſſino. *Accipiens autem idem Papa à Gunthario conſiſtente inter laicos hanc profeſſionem, relectam inter laicos ab ipſo publicè coram omnibus, dixit illi: Et ego tibi concedo laicam communionem, ea conditione, ut ita, quandiu vixeris, obſerves, ſicut modò profeſſus fuiſti.* Hæc Guntharii profeſſio demonſtrat, Reginonem & Annaliſtam Metenſem deceptos eſſe quando ſcripſére, Lotharium ab Hadriano Papa Romæ ſacra communione donatum, id enim contigit in Montis Caſſini monaſterio. Indictio etiam ſecunda in eadem profeſſione memorata, oſtendit hæc referenda eſſe ad annum DCCCLXIX.

IX. *Hadrianum Romam euntem ſequitur.*

Pergit idem Annaliſta Bertinianus: *Engelberga denique redeunte ad ſuum Imperatorem, Adrianus Papa Romam reverſus eſt. Quem è veſtigio Lotharius eſt proſecutus. Et Adriano Papa Romam ingrediente, Lotharius ad Eccleſiam B. Petri venit, ubi nullum Clericum obvium habuit, ſed tantùm ipſe uſque ad ſepulchrum Sancti Petri cum ſuis pervenit: indeque ſolarium ſecus Eccleſiam B. Petri manſionem habiturus intravit, quem nec etiam ſcopa mundatum invenit. Putavitque in craſtina, ſubſequente videlicet, Dominica (nam ſabbato ad Baſilicam Sancti Petri pervenit) ſibi cantari debere miſſam. Sed à præfato Pontifice hoc obtinere non potuit.* Annaliſta tamen Metenſis & Regino ſcribunt, Lotharium Romę honorificè ſuſceptum, &, uti jam diximus, corporis Chriſti communione refectum. *Inde ſecundâ feriâ Romam ingrediens in Palatiô Lateranenſi cum ipſo Apoſtolico prandidit, & datis ei muneribus in vaſis aureis & argenteis, obtinuit ut ei ipſe Pontifex lænam, palmam, ac ferulam daret, ſicut & fecit. Quæ munera ita ipſe & ſui interpretati ſunt, videlicet per lænam, de Waldrada reveſtiretur; per palmam, victorem ſe in his, quæ cœperat, demonſtraret; per ferulam, Epiſcopos ſuæ voluntati reſiſtentes obſiſtendo obſtringeret.*

X. *Subitò moritur.*

Sed aliter ab eodem Papa & Romanis fuére diſpoſita, nam idem Pontifex Formoſum Epiſcopum, & alium etiam cum eo Epiſcopum in has Galliarum partes mittendo diſpoſuit: ut cum pluralitate Epiſcoporum de his, quæ Lotharius petebat, tractarent, & illi Kalendis Martiis, quæ inventa forent in Synodo renunciarent, quam Romæ in ipſis Kalendis Martiis denunciavit. Sed antequam illa Synodus celebraretur, imò antequam illi Epiſcopi Legati in Francia quidquam egiſſent, Lotharius Rex mortuus eſt. Nam idem Annaliſta non multò poſt ſubdit: *Lotharius verò Româ lætus promovens, uſque Lucam civitatem venit, ubi febre corripitur: & graſſante clade in ſuos, quos in oculos ſuos coacervatim mori conſpiciebat, ſed Dei judicium intelligere nolens, uſque Placentiam VIII Idus Auguſti pervenit. Ibique Dominica die ſuperdiurnans, circa horam nonam inopinato exanimis penè effectus eſt, & obmutuit, atque in craſtina hora diei ſecunda moritur: & à paucis ſuorum, qui è clade remanſerant, in quodam monaſterio ſecus ipſam civitatem terræ mandatur.* Mortuus

tuus

Digitized by Google

SÆC. IX. HADRIANUS II.

tuus eſt itaque Lotharius die octava menſis Auguſti, quæ anno octingenteſimo ſexageſimo nono in feriam ſecundam incidebat, ut methodus cyclica oſtendit. Eundem diem Lotharii morti aſſignant Annaliſta Metenſis & Regino.

XI. *Hadrianus PP. ad Synodicam Trecenſis Synodi reſpondet.*

Cùm Epiſcopi Gallicani octavo Kalendas Novembris anni octingenteſimi ſexageſimi ſeptimi iterùm, jubente Nicolao Papa, pro cauſa Wlfadi & ſociorum, de qua in ejus Pontificatu egimus, Trecis Synodaliter conveniſſent, literas ſuas Synodicas ad eundem Pontificem tranſmiſerunt; ſed cùm Nicolaus eodem anno, die decima tertia menſis Novembris ad Deum migraſſet, Hadrianus II ejus ſucceſſor illas ſuſcepit, qui eorum diligentiam & obedientiam plurimùm laudavit, ac reſtitutionem Vulfadi & ſociorum confirmavit. Pallium inſuper Vulfado, Bituricenſi Archiepiſcopo conſecrato lubenter conceſſit, ut conſtat ex ejuſdem Pontificis reſponſo ad Epiſcopos Synodi Trecenſis. Scripſit etiam Pontifex ad Carolum Calvum Regem, eique gratias egit de patrocinio Vulfado & ſociis impenſo, deque operâ eorum reſtitutioni navata ſecundùm mandata ſedis Apoſtolicæ. Juſſit prætereà contegi ſilentio cauſam Ebbonis, cùm præ longitudine temporis acta in hoc negotio ſciri non poſſent: atque de his, qui ad Dominum migraverunt, nobis facilè judicare non liceat. Hic fuit exitus cauſæ Vulfadi, cujus in Eccleſiæ Bituricenſis ſibi commiſſæ vigilantiam, & doctrinam probat ejus Epiſtola paſtoralis ad Parochos ſuos ſcripta, & à Mabillonio Tomo IV Analectorum pag. 602 è tenebris eruta.

XII. *SS. Cyrillum & Methodium pro Moravis Epiſcopos ordinat.*

Nicolao Papa ſedente Sancti Cyrillus & Methodius, Orientales Monachi, qui in Moravia fidem Chriſti diſſeminarant, ab eodem Nicolao Romam venire literis Apoſtolicis ſunt invitati, ut legitur in eorundem Sanctorum Vita apud Bollandum ad diem IX menſis Martii. *Quo nuncio*, inquit Auctor ejuſdem Vitæ, *illi percepto valde gaviſi ſunt, gratias agentes Deo, quòd tanti erant habiti, quòd mererentur ab Apoſtolica Sede vocari. Mox igitur iter aggreſſi . . . . . . poſt aliquot dies Romam applicuerunt. Sed cùm non ante multos dies ſupradictus Papa Nicolaus tranſiſſet ad Dominum, ſecundus Hadrianus, qui illi in Romano Pontificatu ſucceſſerat, audiens quòd præfatus Philoſophus* (ſcilicet Cyrillus, *Conſtantinus Philoſophus* dictus,) *corpus B. Clementis, quod ſtudio ſuo repererat, ſecum deferret, valdè nimis exhilaratus eſt, & extra Urbem cum Clero & populo procedens. obviam illis honorificè ſatis eos recepit . . . . Multis itaque gratiarum actionibus Præfato Philoſopho pro tanto beneficio redditis, conſecraverunt ipſum & Methodium in Epiſcopos, necnon ceteros eorum diſcipulos in Presbyteros & Diaconos.*

XIII. *Permittit Moravis ut lingua Sclavonica in Miſſis, & officiis utantur.*

Sed cùm Hadrianus Papa & Cardinales intelligerent prædictos viros Apoſtolicos Cyrillum & Methodium præſumpſiſſe licentiam Canonicarum Horarum, Miſſarumque officia, proprio converſarum à ſe nationum idiomate celebrandi, eos hac de re increpuerunt. Hæc referuntur in eorumdem Sanctorum Vita ſecunda ibidem à Bollando relata, in qua pag. 22 ſic habetur: *Apoſtolicus & reliqui Rectores Eccleſiæ corripiebant B. Cyrillum, cur videlicet auſus fuiſſet in ſclavonica lingua Horas Canonicas ſtatuere. At ille humiliter reſpondens dixit: Attendite vos fratres & Domini ſermonem Apoſtoli dicentis, loqui variis linguis nolite prohibere. Secutus ergo Apoſtolicam doctrinam, linguam, quam impugnatis, inſtitui. At illi dixerunt: Quamvis Apoſtolus loqui variis linguis perſuaſerit, non tamen per hoc, in ipſa, quam ſtatuiſti lingua, divina ſolemnia voluit decantari. Cùm autem propter hujuſmodi inſtitutionem plus & plus apud eos creſceret altercatio, B. Cyrillus dictum Davidicum protulit in medium, dicens: Scriptum eſt enim: Omnis lingua laudet Dominum: & ſi omnis ſpiritus laudando magnificat Dominum, cur me prohibetis ſacrarum Miſſarum ſolemnia & Horarum Sclavonicè modulari? ſiquidem ſi quiviſſemus illi populo aliter aliquando cum ceteris nationibus ſubvenire in lingua Græca, vel Latina, omninò quæ reprehenditis non ſanxiſſem: ſed quia idiotas viarum Dei totaliter eas reperi & ignaros, ſolum hoc ingenium melliflua Sancti Spiritûs gratia cordi meo inſpiravit, per quod etiam innumerum populum Deo acquiſivi. Quapropter Patres & Domini cogitate conſultiùs ſi inſtitutionis meæ normam hanc expediat immutare. At illi audientes, & admirantes tanti viri induſtriam & fidem, ſtudioſa deliberatione præbabita, ſtatuerunt, ſupradicto ordine & ſermone, in illis partibus, quas B. Cyrillus Deo acquiſierat, ſicut ſtatuerat, Canonicas Horas cum Miſſarum ſolemniis ita debere deinceps celebrari.* Ita Auctor ſecundæ Vitæ; & Auctor prioris non alia conditione ordinatos fuiſſe ſcribit, *quos ſecum adduxerat ex diſcipulis ſuis S. Cyrillus, & dignos eſſe ad honorem Epiſcopatûs ſuſcipiendum cenſuerat*, quàm ut Sclavonicè ſacra facerent ipſi, & aliis deinde ordinandis Presbyteris facienda traderent.

XIV. *Id poſtea confirmarunt Joannes VIII, & Innocentius IV.*

Hanc eandem divina officia & Miſſam Sclavonicâ linguâ celebrandi licentiam Moravis ab Hadriano II conceſſam confirmavit Joannes Papa VIII anno 880, Epiſtolâ 247 ad Sfentopulcrum Moraviæ Comitem data, quæ refertur à Baronio eodem anno: *Literas denique Sclavonicas*, inquit, *à Conſtantino quodam Philoſopho* [legendum à Conſtantino quondam Philoſopho, ut oſtendit Auctor Criticæ Baronii ad eumdem

dem

dem annum num VI] *quibus Deo laudes debitas reſonent, jure laudamus, & ut in eadem lingua Chriſti Dei noſtri præconia, & opera enarrentur, jubemus: neque enim tribus tantùm, ſed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate ſacra monemur, quæ præcepit dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi: & Apoſtoli repleti Spiritu Sancto locuti ſunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cæleſtis quoque tuba inſonat, monens: Omnis lingua confiteatur, quia dominus noſter Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. De quibus etiam in prima ad Corinthios Epiſtola ſatis & manifeſtè nos admonet, quatenus linguis loquentes Eccleſiam Dei ædificemus. Nec ſanè fidei vel doctrinæ aliquid obſtat, ſive Miſſas in eadem Sclavonica lingua canere, ſive ſacrum Evangelium, vel lectiones divinas Novi & Veteris Teſtamenti bene tranſlatas & interpretatas legere, aut alia Horarum officia omnia pſallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, Hæbream ſcilicet, Græcam, & Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem & gloriam ſuam.* In eadem tamen Epiſtola Joannes VIII ſtatuit, *in omnibus Eccleſiis terræ* Moravorum *propter majorem honorificentiam Evangelium Latinè* legeretur, *poſtmodùm Sclavonica lingua tranſlatum in auribus populi Latina verba non intelligentis annuntietur, ſicut in quibuſdam Eccleſiis fieri videtur*. Eandem Sclavonicâ linguâ Miſſam & officia divina celebrandi licentiam confirmavit etiam Innocentius IV anno 1248, cujus Epiſtola, ad quemdam in Sclavonia Epiſcopum extat apud Odoricum Raynaldum ad eum annum num. 52.

XV. *Græci eundem uſum Ruthenis, ſeu Moſcis indulſerunt.*

Eâdem indulgentiâ uſam eſſe Eccleſiam Græcam erga Ruthenos ſeu Moſcos, poſtquam per miſſos Conſtantinopoli Prædicatores Chriſti fidem eis tradidit cum Græcis ritibus exercendam, ſcribit Papebrochius in Differt. 18 ſubjuncta Pontificatui Nicolai I in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Romanorum, quæ eſt *de lingua Sclavonica in ſacris apud Bulgaros, Moravoſque recepta*, & in Ephemeridibus Græco-Moſcis, quas præfixit Tomo primo Sanctorum menſis Maji, docet, id factum eſſe ſub annum Chriſti milleſimum, quando Conſtantinopolitana Eccleſia optimè erat unita Romanæ; „ Sic enim, inquit in dicta diſſertatione, ut literâ, ſic „ & linguâ propriâ, quæ ipſa quoque Sclavonica eſt, agere permiſſi ſunt, atque „ etiam nunc ſic agunt omnia, non tantùm „ ſchiſmatici ſub Moſcorum dominatu, ſed „ etiam Catholici ſub Rege Poloniæ. In Præfatione verò ad laudatas Ephemerides num. 11 oſtendit, Ruthenos, ſeu Moſcos, à Græcis tunc verè Catholicis, fidem Chriſti ſuſcepiſſe, contra Antonium Poſſevinum, qui in ſuo de rebus Moſcoviticis ad religionem ſpectantibus Commentario, cum pluribus aliis exiſtimavit, Ruſſos à Schiſmaticis, & quidem Hæreticis Chriſtianam fidem accepiſſe.

XVI. *Beſſi, & Armeni ſæculo quinto Patria lingua officia divina celebrabant.*

Hæc ſola exempla adducit Papebrochius in laudata Diſſertatione, ad probandum, optandum eſſe, ut ſacra congregatio de propaganda fide indulgeat Sinis, & Japoniis, aliiſque cultiſſimis nationibus, linguam Latinam penitus ignorantibus, nec eam niſi difficillimè docendis, ut ſuâ quique linguâ Miſſam celebrare poſſint. Sic enim facilius vulgus ad fidem Chriſtianam adduci, vel in ea retineri poteſt. Sed antiquius exemplum ſuperioribus adjici poteſt, deſumptum ex Vita Sancti Theodoſii Cœnobiarchæ propè Jeroſolymam hactenus inedita, quam ſæculo ſexto ſcripſit Theodorus Petræ Epiſcopus, ejuſdem ſancti Theodoſii diſcipulus, quam Combefiſius in Latinum vertit, quæque extat in Bibliotheca Mazarina, ex qua Annotator Baronii mutuatus eſt hæc, quæ in ea leguntur: *Quatuor Eccleſias, inquit, intra ſepta monaſterii conſtruxit; Unam quidem, in qua Patrum numeroſus cœtus ſeorſim linguâ Græcâ Deo immolat, ut ſcriptum eſt, ſacrificium laudis. Alteram, in qua Beſſi propriâ ipſorum linguâ vota, & preces reddunt Deo altiſſimo. Tertiam, in qua Armeni linguâ patriâ domino litant. Quartam, in qua fratres ab immundo ſpiritu vexati, unà cum miniſtris illorum, obſequiis debitis Salvatori Chriſto gratiarum actiones referunt. Sic igitur ex illis ſacer divinæ pſalmodiæ canon ſepties in die explebatur: cùm verò ſacra communionis collecta peragenda erat, Miſſæ officium ab initio ad divinorum Evangeliorum lectionem ſinguli in propria ipſorum Eccleſia facientes. Sic omnes, exceptis duntaxat fratribus energumenis, in magna utentium linguâ græcâ Eccleſia congregantur, ibique divinis myſteriis impertiuntur.* Quod à Monachis factum, non quòd reliquum Miſſæ lingua vulgari celebrari non poſſe crederent, ſed ut omnes ejuſdem ſacrificii communioni participarent, quod magnæ virtutis, & efficaciæ eſſe arbitrabantur. Floruit porrò ſanctus Theodoſius Cœnobiarcha circa finem ſæculi quinti. Sanctus verò Nicetas Romeſianæ civitatis in Dacia Mediterranea Epiſcopus circa finem ſæculi quarti, varios populos in Septentrionali Romani Imperii parte poſitos Evangelii lumine illuſtraverat; inter quos præcipui fuére Beſſi, de quibus ſermo eſt in Vita laudata S. Theodoſii, Daciæ tractum circa Romeſianam, & Sardicam Metropolim incolentes, ut videre eſt in Criticæ Baronianæ anno 396 num. XI; plura hac de re Papebrochius in Paralypomenis ad Catalogos Pontificum diſſert. 30; & Edmundus

Digitized by Google

Martene lib. 1 de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 3 art. 2. Vide dicenda de eadem materia in Alexandro II.

XVII. *Hadrianus PP. Pallium Actardo Epiſc. Nannetenſi mittit.*

Cùm Actardus Nannetenſis Epiſcopus, Britonum feritate ſede ſua pulſus fuiſſet, Hadrianus Papa mandavit Epiſcopis Gallicanis, ut ad primam Eccleſiam etiam Metropolitanam, quæ vacaret, evehatur. Scripſit & ad Actardum literas, quas Baronius anno 868 recitat, quibus ei, conſolationis causâ, Pallium concedit, aitque eum propter continuam Britonum oppreſſionem, penè pejus ab eis, quàm à pyratis inſecutionem paſſum eſſe: *Decus tibi pallii*, inquit, *ſolo miſerationis affectu contulimus, ut habeas pro exilio & catena pallii ornamentum, non ad Eccleſiæ, cui incardinandus es, perpetuum inſtitutum, ſed ad tuum ſpecialem, certique temporis uſum*. Data eſt hæc Epiſtola, *in menſe Februario*, *indictione prima*, ideoque anno 868. Anno poſtea 871 idem Pontifex Hadrianus II, Rege, Clero, ac populo poſtulantibus, Actardum ad Sedem Metropolitanam Turonenſem tranſtulit, ut conſtat ex ejus Epiſtolis 27, 28, & 29, Tom. 3 Concil. Galliæ, eo anno datis.

XVIII. *Anaſtaſium Cardinalem olim depoſitum in Synodo Romana iterum damnat.*

Eodem anno octingenteſimo ſexageſimo octavo Hadrianus II Papa Synodum Romæ celebravit menſe Octobri, in qua Anaſtaſium Tituli ſancti Marcelli Presbyterum Cardinalem, quem à Leone IV depoſitum fuiſſe oſtendimus, cùm in nova crimina incidiſſet, rursùs damnavit, ut nos docet Annaliſta Bertinianus ad eundem annum ſcribens: *Hadrianus Papa congregans Synodum, ſupradictum Anaſtaſium hoc modo, ſicut ſubſequitur, poſt damnationes in eum latas, iterum condemnavit*. Refert poſtea excommunicationem Anaſtaſio Presbytero à Leone Papa inflictam, in locis publicis deſcriptam fuiſſe, eaque recitata, ſubdit; eum, poſt Leonis IV mortem, *quam non debuerat introire Eccleſiam* invaſiſſe, ejuſque Synodi picturam dejeciſſe, *quam beatiſſimus Papa Benedictus atque egregius reſtauravit, & lucifluis coloribus decoravit*. Deinde idem Annaliſta recitat ſententiam Hadriani Papæ adversùs eundem Anaſtaſium in Synodo latam, in qua ait, Nicolaum Papam eum in gremio Eccleſiæ ſuſcepiſſe, ſed ipſum deprædatum eſſe Patriarchium, & furatum Synodales ſcripturas, ac beneficiorum ſuorum immemorem, hominem, ad Eleutherium Arſenii filium miſiſſe, exhortantem homicidia perpetrari, quæ & facta ſunt, ideoque ſe nihil in ejus anathemate vel cauſa adjungere, vel minuere, *niſi ut omni communione Eccleſiaſtica privatus exiſtat, donec de omnibus, quibus impetitur, ſibi coram Synodo rationem ponat, & qui cum eo in locutione, cibo, vel potu communicaverit pari excommunicatione cum eo teneri* annexum declaret. *Prolata ſententia in conſpectu totius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ante hunc eundem Anaſtaſium apud S. Praxedem poſitum, anno Pontificatûs Domni Adriani Summi Pontificis & univerſalis Papæ II per IV Idus Octob. indict. II*, ſed legendum, *& univerſalis Papæ I*, nam menſe Octobri anni 868, quo indictio II in curſu erat à Kalendis Septembris, Hadrianus numerabat adhuc annum Pontificatûs primum; cùm ex dictis ordinatus fuerit menſe Decembri anni 867. Extat hæc Synodus Tomo VIII Concil. pag. 129, & ſeqq.

XIX. *Aliam Romæ Synodum cogit contra Photium.*

Aliam eodem anno octingenteſimo ſexageſimo octavo Synodum contra Photium, Romæ celebravit Hadrianus Papa hac occaſione. Diximus ſuperiùs Baſilium Imperatorem Orientis, ejecto Photio è throno Conſtantinopolitano, ſanctum Ignatium legitimum Patriarcham reſtituiſſe, eamque in rem miſſum ab eodem Baſilio Romam, Baſilium Regium Spatharium; à S. Ignatio Joannem Metropolitam Silæi; & à Photio Petrum Metropolitam Sardenſem, qui ultimus in itinere naufragio periit. Legati Romam pervenientes, Nicolaum Papam ad Deum migraſse invenerunt, cui Hadrianus II ſucceſſerat die decima quarta Decembris anni 867. Is ſtatim atque Baſilii Imperatoris, & Ignatii Patriarchæ literas legit, Synodum congregavit, de qua loquuntur Guillelmus Bibliothecarius in Vita ejuſdem Hadriani, & Anaſtaſius Bibliothecarius in Præfatione ad VIII Synodum, & cujus Acta inſerta ſunt Actioni ſeptimæ ejuſdem Octavæ Synodi œcumenicæ. Huic Synodo Romanæ, præter Hadrianum Papam, ſubſcripſerunt Epiſcopi viginti novem, Presbyteri Romanæ Eccleſiæ novem, & quinque Diaconi. In ea Joannes Metropolita Silæi S. Ignatii Legatus librum Photii Summo Pontifici exhibuit, & in terram projecit, cum hoc anathemate: *Tu maledictus Conſtantinopoli, ſis Romæ iterùm maledictus. Te miniſter Diaboli Photius novus Simon mendacii compilator aptavit: Te miniſter Chriſti Nicolaus novus Petrus veritatis amator attrivit*, ut refert Guillelmus Bibliothecarius in Hadriani Vita laudata, in qua & ait, Baſilium Spatharium, Imperatoris Legatum *calce ſuo*, *enſeque cylbrum* percutiiſſe, & dixiſſe: *Credo in hoc Opuſculo Diabolus habitat, quia per os complicis ſui Photii, per quæ ſe dicere nequit, eructat*. Refert deinde, cùm eo tempore, quo nefarius ille codex, ſeu liber urebatur, imber vehemens decideret, ad pluviam quaſi ad olei guttas flammam convaluiſſe: quo miraculo omnes cùm Latini, tùm Græci ſtupefacti Deo laudes dixére; Nicolai Papæ memoriæ bene precati ſunt, & Hadrianum præconiis extulére.

XX. *Quid in hac Synodo ſtatuerit.*

Tribus Allocutionibus Hadriani Ponti-

ficis

ficis ad Patres conſtat hæc Synodus, poſt quas, & poſt eorundem Patrum ſupplicationem pro damnatione Photii, & reconciliatione Lapſorum, Hadrianus ſententiam tulit, quinque capita continentem. Primò, Conciliabulum à Photio, & ejus fautore Michaele Imperatore per vim, & tyrannidem contra Romanam Eccleſiam, ejuſque auctoritatem, Conſtantinopoli coactum, Epheſino Latrocinio comparat, impiaque ejus Acta penitus abolenda decernit, ignique pabulum & diris execrationibus devovet. Secundò, idem ſtatuit de illis, quæ contra S. Ignatium ab eodem Imperatore, & Photio ſcripta, actaque ſunt. Tertiò, Photium rurſus anathemate percellit. *Verùm tamen*, inquit, *ſi viva voce, ſuoque ſcripto, & manu promittat ſe omnia à Nobis & anteceſſore noſtro decreta ſubiturum, dictique Conciliabuli Acta damnaturum, à laicorum gratia, & communione non excludemus*. Quartò, lapſos, qui tam impio Conciliabulo, vel ſubſcripſerant, vel aſſenſerant, ſi decretis Nicolai Papæ obtemperaverint, ad Ignatii communionem redierint, & Conciliabuli commenta flammis inventa tradiderint, in communionem recipit: ſin minus, eos communione privat. Baſilium verò Imperatorem, cujus nomen in dicti Conciliabuli Actis falsò inſcriptum cognoverat, alienum prorſus ab omni ſuſpicione mala declarat, atque in albo piorum Auguſtorum, ſi ad finem uſque perſeveraverit, reponit. Quintò denique, omnes qui Acta Conciliabuli Photiani vel abſconderint, vel propugnarint, & non potius palam fecerint, atque in rogum conjecerint, ſi ſint Clerici è gradu dejicit, ſi ſint laici eidem anathemati ſubjicit. Sicque terminata eſt illa Synodus Romana.

Concilium Cpolitanum IV, Generale VIII contra Photium.

XXI. *Synodus generalis VIII juſſu Hadriani PP. à Baſilio Imp. convocatur.*

POſt Synodum Romæ anno 868, de qua mox egimus, celebratam, Hadrianus II Pontifex Donatum Epiſcopum Oſtienſem, Stephanum Epiſcopum Nepeſinum, & Marinum Eccleſiæ Romanæ Diaconum Conſtantinopolim miſit, ut præeſſent Concilio generali, quod ea in urbe, per induſtriam Baſilii Imperatoris celebrari jubebat, ut conſtat ex ejus ad eundem Imperatorem Epiſtola, Actioni primæ ejuſdem Concilii inſerta. *Volumus autem*, inquit Hadrianus, *per veſtræ pietatis induſtriam Conſtantinopoli numeroſum celebrari Concilium, cui noſtri quoque Legati præſidentes, delictorum, hominumque diſcrimine perſpecto, ſtatim cuncta impii Conciliabuli exemplaria ab iis, qui illa retinent, ablata, ignibus concremanda tradant*. Idem habet Anaſtaſius Bibliothecarius in Præfatione Octavæ Synodi ad Hadrianum II. *Miſſiſque*, inquit, *cum auctoritate Apoſtolica Vicariis, & Epiſtolis decretalibus, juſſiſti fieri Conſtantinopoli Synodum*. Legatis proficiſcentibus libellum dedit Pontifex, cui omnes ſubſcriberent, alioquin ad conſeſſum, & Judicium Synodale non admitterentur. *Præcepit* Legatis, ut legitur in ejus Vita, *ut omne ſcandalum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſolerter ſopirent, conſecratiſque à Methodio, & Ignatio ſub ſatiſfactione libelli, quem de ſcrinio ſuſceperant, proprias Eccleſias redderent. Photianis verò ſub eadem, ac diſtrictiori ſatiſfactione communicarent quidem, ſed Sacerdotum judicium uſque ad Sedis Apoſtolicæ ſententiam, manente Sanctiſſimi Papæ Nicolai judicio, protelarent*. Licèt porrò Hadriani Papę juſſu celebrata fuerit Synodus, eam tamen à Baſilio Imperatore convocatam conſtat ex Actionibus I, VIII, & X.

XXII. *Legati Pontificii honorificè à Baſilio Imperatore excipiuntur.*

Legatos Pontificios honorificentiſſimè excepit Baſilius Imperator, literaſque Apoſtolicas *per ſemet ſuſcipiens* oſculatus, die ſequenti his inter alia verbis allocutus eſt: *Nos cum omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitis, atque Epiſcopis cenſuram Sanctæ matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ per biennium præſtolantes, propter Deum petimus ut Dei negotium viriliter peragatur, ac tandem aliquando auctoritate veſtri Sacri Collegii, tam peſtifera Photianæ tergiverſationis ſcandala propellantur, quatenus unitas & tranquillitas optatæ diutius, juxtà decretum Sanctiſſimi Papæ Nicolai, reſtituatur*. Legati Sanctæ Sedis Apoſtolicę reſponderunt: *Et nos ideo venimus, ideo miſſi ſumus: ſed neminem Orientalium veſtrorum unquam in noſtram Synodum ſuſcipere poſſumus, niſi oblato libello, cujus formam de ſcrinio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ſumpſimus, nobis fuerit ſatisfactum*. Ad id Baſilius Imperator & Ignatius Patriarcha *dixerunt, quia novum hoc & inauditum de libello proferendo aſſeritis, neceſſe eſt, ut tenoris illius formam videamus, nec mora libelli forma prolata eſt, & de Latino in Græcum converſa omnium notitiæ declaratur. Quorum quidam libellum proferentes in Sancta Synodo reſederunt, proferre nolentes extra Synodum inglorii relicti ſunt, ſed dictim fervore Sancti Spiritus temperati, promiſſa libelli ſatisfactione ad unitatem ſacræ Synodi reverſi ſunt*, inquit Auctor Vitę Hadriani II laudatus.

XXIII. *Synodus non fuit numeroſa, & quare.*

Et hęc una eſt ex cauſis, quę impedierunt quominus Synodus numeroſa fuerit in principio; Actioni enim primę pręter Apoſtolicos, Sedium Orientalium Legatos, & Ignatium Patriarcham, duodecim tantùm Epiſcopi interfuêre, & hoc poſtquam Legati Romani Pontificis, Ignatius & Legati

Digitized by Google

SEC. IX. HADRIANUS II.

gati ſedium Patriarcharum dixiſſent: *Ingrediantur Epiſcopi omnes quotquot laboraverunt & certaverunt pro verbo veritatis, utpote conſentanei Ignatii Sanctiſſimi Archiepiſcopi Conſtantinopoleos*. Secundam rationem tam parvi numeri Epiſcoporum nos docet Anaſtaſius, abſentiam ſcilicet eorum, qui paulatim advenientes & libello ſubſcribentes, numerum augebant; in margine enim Actionis V hęc verba appoſuit: *Nota, quòd per ſingulas Actiones paulatim multiplicetur numerus Epiſcoporum, quoniam cùm in principio Synodi non omnes ſunt in urbe reperti, tunc ſolùm recipiebantur in Synodali Conventu, cùm ſingulos à ſuis Eccleſiis venientes Romanum libellum propria manu ſcripſiſſe pateſceret*. Tertiam tandem cauſam adducit idem Anaſtaſius, longam ſcilicet tyrannidem Photii, qui fautores ſuos ad Epiſcopatus provexerat, qui omnes à Synodo ſunt rejecti, utpote ab intruſo conſecrati; nam ad ſubſcriptiones in Actione X factas, ait: *Non te ſcandalizet ſubſcribentium paucitas, quia dum Photius diu tyrannidem exercuiſſet, & in loca eorum fautores ſuos tantummodo provexiſſet, quorum nullus in hac Synodo eſt receptus, iſti ſoli ex piorum Patriarcharum conſecratione ſuſceptibiles ſunt inventi. Verùm quotquot ſub Nicolao, & Adriano Summis Pontificibus Epiſcopi fuerunt, hujus Synodi ſenſui conſenſerunt, licèt hęc paucitas Gregi illi pro ſui juſtitia comparetur, cui Dominus dixit: nolite timere puſillus Grex*. Synodo enim Epiſcopi tantùm centum & novem ſubſcripſere, qui numerus *puſillus* dici poteſt, reſpectu habito ad numerum eorum, qui prioribus Conciliis Oecumenicis ſubſcripſerunt. Nicetas quidem in Vita S. Ignatii ſcribit adfuiſſe tantùm Epiſcopos *centum & duos*, ſed ibi non numerat tres Romanos Legatos, nec Ignatium Patriarcham Conſtantinopoleos, nec etiam Patriarchalium ſedium Orientis Legatos, quia hos omnes tanquam Synodi primates habet.

XXIV. *Hadrianus PP. et per Legatos præfuit.*

Synodo præfuit Hadrianus Papa per Legatos ſuos; Actio enim prima his verbis inchoatur: *Convenientibus Donato & Stephano Epiſcopis, & Marino diacono locum tenentibus Adriani Archiepiſcopi Senioris Romæ, & Ignatio Archiepiſcopo Conſtantinopoleos novæ Romæ, & Vicariis Orientis*, &c. paucis interpoſitis: *Sanctiſſimi Vicarii Senioris Romæ dixerunt: Ergo & omnem dubitationem emittamus è cordibus veſtris, & verbis, & operibus certificemus vos, quia ſecundùm ea, quæ mandata, & juſſa ſunt nobis diſponemus. Ergo habemus Epiſtolas ad Imperatorem & Patriarcham, & ſi jubetis legantur*. Ubi, uti moris eſt præſidum, Legati omnium primi nominantur, & loquuntur. Denique Actioni X Hadriani Papæ Legati omnium Epiſcoporum primi ſubſcribunt. Nec refert, quòd Baſilius & Conſtantinus Imperatores Actionibus VIII & X præſidentes dicantur; præfuiſſe enim dicuntur non auctoritate, ſed ſolo ſeſſionis honore, quem ipſis, uti Eccleſiæ defenſoribus detulit Synodus, non verò ut controverſiarum fidei, vel cauſarum Eccleſiaſticarum Judicibus. Certè Baſilius Auguſtus dici nequit præſes Synodi, quippe qui ſoli Actioni VI interfuerit, cujus rei hanc ipſe rationem reddit: *Noſtrum Imperium in nulla hujus Concilii Actione ſeu Conſeſſu adfuit, ne quis diceret à Regia potentia maximeque judicium fuiſſe corruptum*. Nec etiam obſtat, quòd priùs Imperatoribus acclamatum ſit, quàm Romanis Pontificibus. Is enim honor & grati animi ſignificatio à Patribus exhibita religioſiſſimo Principi, cui tot nominibus obſtricta erat univerſa Eccleſia, nullam Imperatoris auctoritatem ſignificat in cauſis Eccleſiaſticis & moderamine Synodi, ſed tantùm in iis, quæ ordinem, & politiam externam, ac executionem decretorum Eccleſiæ ſpectant. Alioquin ipſa etiam Imperatrix dici deberet præfuiſſe Synodo, cùm & ipſi, ante Pontifices Romanos acclamatum ſit Actione IX: denique quòd Imperatores rogati ſint à Legatis Romani Pontificis, ut ante omnes ſubſcriberent, merum id fuit teſtimonium reverentiæ & urbanitatis Legatorum; invicem enim certabunt, ſive Romanus Pontifex, & ejus Legati, ſive Synodus tota & Imperator, uter alterum ampliori honore proſequeretur, ut liquet ex Actione X. Primi tamen omnium ſubſcripſere quinque exemplaribus, quæ ſecundùm morem pro quinque Patriarchalibus ſedibus facta ſunt, Donatus Epiſcopus Oſtienſis, & duo alii Romanæ Sedis Legati, poſtea Vicarii Patriarcharum, ac S. Ignatius, & poſt illos Baſilius, Conſtantinus & Leo Imperatores.

XXV. *Octava Synodus inchoatur.*

Inchoata eſt œcumenica Synodus octava in celeberrimo Sanctæ Sophiæ Templo Conſtatinopoli anno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo nono, Hadriani II Romani Pontificis ſecundo, Baſilii Imperatoris tertio, die quinta menſis Octobris, feria quarta, Indictione tertia. Conſidentibus in illo Templo Sedis Apoſtolicæ Legatis, Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano, & Vicariis ſedium Orientalium, ac præſentibus Illuſtriſſimis Patriciis, quos Imperator adeſſe juſſerat, ut omnia ſecundùm juris regulas fieri curarent, admiſſi ſunt in Synodum Epiſcopi duodecim, qui ab Ignatii & Sedis Apoſtolicæ partibus ſoli conſtanter ſteterant, qui ideo tanquam omninò incorrupti, ſine Romani libelli profeſſione recepti ſunt, dicentibus Legatis: *Sedeant ſecundùm ordinem ſuum, quia digni ſunt: & beatos, & ter beatos hos æſtimamus*. Deinde lectum

eſt

Digitized by Google

eſt ſcriptum ab Imperatore miſſum, quo Epiſcopos hortabatur, ut ſemotis privatis affectibus, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatum componerent, quod ſummo totius Synodi applauſu exceptum eſt. Mox rogati ſunt Apoſtolicæ Sedis Legati, ut legationis ſuæ tenorem, ac ejus, à quo miſſi erant, mandatum exhiberent. Iis res inſolens viſa eſt: *Hoc nos*, inquiebant, *uſque nunc non invenimus, ut Vicarii Senioris Romæ à quolibet examinentur utrum talem exiſtimationem habeant*. Sed cùm Bahanes Patricius, qui id Epiſcoporum & Senatûs nomine poſtulaverat, reſpondiſſet, in injuriam & contemptum Sedis Apoſtolicæ hanc non vergere petitionem; ſed ob Rodoaldum & Zachariam, Legatos olim Nicolai Papæ id exigi, qui ejuſdem Pontificis mandata tranſgreſſi fuerant; Legati Epiſtolam Hadriani Papæ protulêre, quæ, jubente Synodo, lecta eſt. Poſtea eorum, qui Orientis Patriarcharum perſonam gerebant, diſcuſſæ ſunt legationes.

XXVI. *In prima Actione legitur & approbatur libellus ab omnibus ſubſcribendus.*

Tandem, jubentibus Legatis Apoſtolicis, lectus eſt libellus, de quo ſupra, cui ſubſcribere deberent univerſi Epiſcopi, Sacerdotes, Clerici, & Monachi, quo nimirum cunctas primùm hæreſes execrari, & inter alia Iconomachiam, anathema Photio dicere debebant, donec Sedis Apoſtolicæ decretis paruiſſet; Actaque Conciliabuli contra ejuſdem Sedis Apoſtolicæ reverentiam congregati eodem anathemate percellere, ſe denique amplecti Synodos à Nicolao I, & Hadriano II ejus ſucceſſore in cauſa Photii, & Ignatii celebratas profiteri deberent. Ad quem locum Marca lib.5 de Concordia Sacerdotii, & Imperii cap.14 num.6 notat, plena & integra auctoritate uſos eſſe Legatos Apoſtolicæ Sedis, quòd non ſolùm primum Conſeſsûs locum occuparint, interlocutionibus ſuis Synodi ordinem conſtituerint, & uniuſcujuſque ſentententias rogarint; ſed etiam quòd ante omnia iis, quæ à Nicolao I & Hadriano II decreta erant adversùs Hæreticos & Schiſmaticos, ſe obtemperaturos Epiſcopi lapſi profiteri debuerint, libellumque eo modo ſubſcriptum Legatis tradere. Lecto itaque libello, eodemque omnium una voce laudato atque probato, lecta eſt pariter ac approbata definitio Legatorum ſedium Patriarchalium jam antea facta, cùm ipſi annum integrum illic morati eſſent, expectantes Legatos Apoſtolicæ Sedis, quæ quidem non aliud continebat, niſi ut in omnibus obediretur Romani Pontificis decretis. Poſt hæc Legati Apoſtolici recenſuerunt, quomodo ritè & auctoritate legitima Nicolaus Papa Photium abſentem damnaſſet: Legati verò Patriarcharum probaverunt, nunquam ab ulla Patriarchalium Sedium Orientalium Photium receptum eſſe. Ex quorum reſponſione redargutum eſt falſitatis Conciliabulum Photii adversùs Nicolaum Papam, cui mentitus fuerat interfuiſſe & ſubſcripſiſſe Legatos ſedium Patriarchalium Orientis. His denique abſolutis, ſecutæ ſunt acclamationes in Synodis fieri conſuetæ, quæ & in fine reliquarum Actionum ſingularum repetitæ ſunt.

XXVII. *In ſecunda Actione Epiſcopi lapſi reſtituuntur.*

Actio ſecunda habita eſt nonis Octobris, in eaque quam plurimi Epiſcopi, qui à SS. Methodio & Ignatio olim ordinati, lapſi deſciverant in partes Photii, juſſi ſunt ingredi, lectoque libello ab his oblato, quo veniam à Synodo deprecabantur, culpam omnem ſuam in vexationes Photii refundentes, Legati Apoſtolici dixerunt: *Suſcipimus vos ſecundùm præceptionem Sanctiſſimi Papæ noſtri Adriani, propter confeſſionem libelli pœnitentiæ veſtræ*. Lapſi verò Epiſcopi dixêre: *& nos adoramus Vos, & ſuſcipimus Vos Judices, & judicium veſtrum tanquam ex perſona Filii Dei habemus*. Deinde ſubſcripsêre libello directo à Romana Sede, quem poſitum ſuper lignum Sanctæ Crucis, & ſuper Sancta Dei Evangelia aſſumentes, Patriarchæ ſuo Ignatio obtulerunt, à quo ritu ſolemni, dignitatis receptis inſignibus, in ſuo ordine ſedere ſinguli juſſi ſunt, aliqua tamen injuncta jejuniorum & orationum pœnitentia, quod idem erga Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos pœnitentes obſervatum. Omnes porrò illi, tam Præſules, quàm Clerici rogarunt admitti per interceſſionem Sanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ, & SS. Apoſtolorum, & Sanctiſſimi Papæ Nicolai. Ita enim planè mox poſt obitum Orientales coluerunt eum ut Sanctum. Cæterum Ignatius Epiſcopis, cæteriſque Clericis lapſis & Pœnitentibus ordinum inſignia non reddidit, niſi ut delegatus à Sedis Apoſtolicæ Vicariis, ut enim ſcribit Nicetas in ejus Vita; *Patriarchæ Ignatio in Synodo non erat auctoritas agendi quæ vellet: Romanis enim, pro antiqua Eccleſiaſtica Traditione, judicandi poteſtatem permittebat*.

XXVIII. *In Actione tertia Epiſcopi libello à Sede Apoſtolica tranſmiſſo ſubſcribere nolentes rejiciuntur.*

Tertia Actio celebrata eſt quinto Idus Octobris, in qua Theodulus Metropolita Ancyranus, & Nicephorus Metropolita Nicænus, qui à Methodio, vel Ignatio ordinati erant, libello à Romana Sede tranſmiſso ſubſcribere detrectarunt, dicentes profeſsionem in ſua conſecratione factam proteſtatos eſse ſemper ſervandam, ſed libellum Romanum non eſse neceſsarium, ideoque à Synodo rejecti ſunt. Quare Anaſtaſius Bibliothecarius in Notis ad Octavam Synodum commemorat, quoſdam Epiſcopos, qui libello ſubſcripſerant, pœnituiſse chirographi, *& ad Sanctiſſimum Ignatium, atque ad Baſilium Imperatorem accedentes ſecretò* dixiſse, *non bene factum fuiſſe, quòd Eccleſiam Conſtantinopolitanam* tan-

Digitized by Google

SÆC. IX. HADRIANUS II.

tanta ſubjectione Romanæ ſubdi Eccleſiæ permiſerint, ita ut hanc ei tanquam Dominæ ancillam tradiderint. Quibus verbis Imperator commotus, juſſit iis, quos Legatis Apoſtolicis ad obſequium deſtinaverat, ut ipſis chirographa ſuffurarentur, quod & factum eſt. *Quo Vicarii reverſi comperto, talia inter cætera Imperatori dixêre: Nos quidem Romam ob amiſſa chirographa, redire non audebimus, tu tamen inchoatæ pro Eccleſiæ ſtatu pietatis, nihil omnino mercedis lucraberis.* Verùm Anaſtaſius, qui cum collegis ſuis, Ludovici Auguſti Legatis aderat, obtinuit ab Imperatore, ut chirographa illa Apoſtolicis Legatis redderentur, eoſque his verbis compellavit Imperator: *Ego quidem ut magiſtram Eccleſiaſticorum negotiorum Sedem Apoſtolicam per meos Legatos adii: & ideo veſtram præſentiam præſtolatus ſum, ut veſtro decreto, & ſolertiâ noſtrâ, Eccleſia noſtra remedia ſanitatis perciperet, & nos non noſtris motibus, ſed veſtræ ſententiæ pareremus. Ergo Chirographa, quæ à noſtris Sacerdotibus, & cunctis Clericis ſalubriter exegiſtis, recipite, & ſpirituali patri noſtro Sanctiſſimo Papæ repræſentate, ita ut ſi quis eorum per abrupta vitiorum ſolito incedere more tentaverit, his quodammodo habenis ab eo refrænetur, & ad rectum juſtitiæ tramitem revocetur.* In hac eadem tertia Actione recenſitæ ſunt, Epiſtola Baſilii Imperatoris ad Nicolaum Papam, Epiſtola Ignatii ad eundem Pontificem, quæ Hadriano ejus ſucceſſori tradita eſt, & Epiſtola Hadriani ad Ignatium, quam *canonicè ſcriptam, & plenam juſtitiæ* Synodus dixit. Tandem cùm deprehenſum fuiſſet Theodorum Cariæ Metropolitam, poſt libelli ſubſcriptionem à Synodo jam ſuſceptum, ex iis fuiſſe, qui in latrocinali Synodo Photii, depoſitioni, & anathemati Nicolai Papæ ſubſcripſerat, illius cauſa Romani Pontificis judicio reſervata eſt, ut diſcimus ex Notis Anaſtaſii Bibliothecarii.

XXIX. *In Actione quarta Epiſcopi Photiani rejecti & quare.*

Quarta Actio habita eſt tertio Idus Octobris. Introducti ſunt in Synodum Zacharias, atque Theophilus pſeudo-Epiſcopi à partibus Photii, quos Legati Apoſtolici conſenſêre ut admitterentur, Synodica decreta, & ſententiam Nicolai Papæ ut audirent; contenderunt enim, Romani Pontificis ſententiam retractari non poſſe, nec rurſus audiendos, qui jam damnati eſſent. Admiſſi ſunt itaque illi ſchiſmatici Antiſtites, & ultimo loco ſtare juſſi. Cùmque ſe & Photium, cujus nomine ad Nicolaum Papam legatione quondam functi eſſent, ab eodem Nicolao receptos impudenter aſſererent, Legati Apoſtolici ex Epiſtolis Nicolai ad Michaelem Imperatorem, & ad ipſum Photium, facilè probarunt, Photii ordinationem à Romana Sede nuſquam fuiſſe ſuſceptam, imò ipſum ſemper inter laicos recenſitum. Probarunt inſuper hos duos pſeudo-Epiſcopos antequam Romam ingrederentur, duplicem libellum porrexiſſe; unum fidei, alterum, quo ſe Apoſtolicæ Sedis decreta jurabant obſervaturos, antequam admitterentur ad communionem laicam, non Epiſcopalem. Deinde interrogati ſunt illi Photianarum partium Antiſtites, vellentne ſubſcribere libello à Romana Sede ad Synodum tranſmiſſo; ſed cùm reſpondiſſent: *Nec audire eum volumus*, jubentibus Legatis Apoſtolicis, foras projecti ſunt. Gloriatus eſt poſtea Photius, quòd hi, aliique non pauci ſuis partibus conſtanter ſtetiſſent, ut videre eſt in ejus Epiſtola ex exilio ad Epiſcopos ſuæ factionis ſcripta, quam refert Baronius anno 871.

XXX. *In Actione quinta introducitur Photius.*

Quinta Actio celebrata eſt decimo tertio Kalendas Novembris. Citatus eſt Photius laicus per laicos, ut ſe coram Synodo ſiſteret. Præcepto Imperatoris Baſilii juſſus eſt invitus ad Synodum duci. Qui cùm non tantummodo conteſtaretur, nihilque ad interrogata reſponderet, affirmans impudenter, ſe Chriſti exemplo tacere cùm judicaretur; eidem undique licèt convicto & condemnato, tempus ad reſipiſcendum à Synodo benignè impertitum eſt; quod tamen ipſe recuſavit accipere. Viri inſipientiam, temeritatem, ac ſuperbiam Bahanes Illuſtriſſimus Patricius demiratus, ipſi inducias conceſſit, ut ſaluti ſuæ conſuleret; ſed cùm, affectato ſilentio, immotus maneret, à Synodo dimiſſus eſt, ut videret, quid ſibi conveniens eſſet.

XXXI. *In ſexta Actione Schiſmatici Photium defendere fruſtrà tentant.*

Octavo Kalendas Novembris ſextò convenit Sancta Synodus, cui Actioni intereſſe voluit Baſilius Imperator. Conati ſunt aliqui Epiſcopi ſchiſmatici Photium defendere: qui ab orthodoxis confutati, & ab ipſo Imperatore præclara admodum, atque humillima exhortatione admoniti ſunt, & interrogati, an in tam manifeſto Judicio, totius Eccleſiæ conſenſu comprobato, acquieſcerent; ſed illis impudenti voce renuentibus, ſapienter reſpondit Imperator: *Vos principali manu Synodos inordinatas ſoli ac ſingulariter ſine Patriarchicis thronis facientes, Sanctas vocare auſi eſtis; & huic præſenti, quæ ab omnibus Patriarchalibus thronis celebrata eſt, Dei cooperatione ac gratia, qui imperium nobis commiſit, detrahere non erubeſcitis. Utique noſtis & Vos, & univerſitas quę ſub cœlo, quia protectione veri Dei noſtri quinque Patriarchę orbis terrarum recta ſentiunt, & non eſt læſio fidei: & ideo quidquid judicavit neceſſariò debetis recipere.* Sed cùm ſchiſmatici ad reſipiſcentiam adduci non poſſent, adhuc ſeptem dierum induciæ iis datæ ſunt, ut ſi ad Eccleſiæ unitatem redirent, miſericordiam Sanctæ Synodi experirentur.

Atque

Digitized by Google

Atque finis impoſitus eſt ſextæ Actioni.

XXXII. *In Actione VII. Photius præſens damnatur.*

Quarto Kalendas Novembris ſeptimam Actionem Patres celebrarunt, in eamque rursùs ex Baſilii Auguſti mandato, & Legatorum Apoſtolicorum permiſſu introductus eſt Photius, qui cùm baculo innixus ingrederetur, juſſus eſt à Marino, uno ex Legatis, illum deponere, quòd ſignum eſſet dignitatis paſtoralis: *Tollite*, dixit, *baculum de manu ejus: ſignum eſt enim dignitatis paſtoralis, quod habere nullatenus debet: quia lupus eſt, & non paſtor*. Introductus eſt etiam cum eo Gregorius Syracuſanus quondam Epiſcopus. Sed cùm eorum impudentia magis ac magis augeretur, recitatæ ſunt damnationes ſæpiùs adversùs eos à Romanis Pontificibus Nicolao I & Hadriano II promulgatæ, iiſdemque anathematiſmi Synodales additi, qui jubentibus Legatis Apoſtolicis ex ambone pronunciati ſunt, Hos verò ſecutæ ſunt acclamationes pleniſsimæ dictæ Imperatoribus atque Imperatrici, Romaniſque Pontificibus Nicolao, & Hadriano, Ignatio Patriarchæ, & Legatis Apoſtolicis, aliarumque ſedium Patriarchalium.

XXXIII. *Ejus damnatio ſubſcripta calamis ſanguine Chriſti tinctis.*

Hic non prætermittendum quòd in Theodoro Papa jam diximus referri à Niceta in vita Sancti Ignatii, Epiſcopos nempè ſubſcribentes damnationi Photii, in majorem hominis deteſtationem, intinxiſſe calamum in ſanguinem Chriſti: *à Legatis Romanis*, inquit, *ipſoque Imperatore, & toto Senatu admonitus Photius, ut veniam precaretur, & ſaltem tanquam laicus ad fidelium communionem reciperetur, ſuperbo & contumaci animo conſilium penitus repudiavit. Ergo communi omnium, æquiſſimoque judicio damnatur, abdicatur, anathemateque percellitur, veluti violator & adulter, maximarumque calamitatum, & infinitarum offenſionum, ac ſcandalorum in Eccleſia Dei auctor, & pronunciat Synodus juxta Nicolai Papæ ſententiam, quâm primùm Photius maturo cum judicio, canonicaque ſeu Synodica fuerat depoſitione damnatus. Subſcripſére depoſitioni calamis, non modò atramento, ſed in quo penitus contremiſces, ut eos qui ea norant aſſeverantes audivi, ipſo Salvatoris ſanguine tinctis. Ita, inquam, demum Photium exauctorarunt, damnaruntque, undeque omnes ab illo ſacris initiatos*, ut legitur in laudata Ignatii Vita Tomo VIII Concil. pag. 1231. Simile exemplum in Theodoro Papa retulimus.

XXXIV. *In Actione VIII Photii ſcripta comburuntur.*

Octava Actio habita eſt Nonis Decembris, in eaque, præſente ac rogante Baſilio Imperatore, combuſta ſunt cuncta chirographa, quæ ab omni hominum genere Photius extorſiſſet, unà cum omnibus ejuſdem ſcriptis contra Nicolaum Papam, & Ignatium Patriarcham, ac detectæ falſitates in his ab eodem impoſtore commiſſæ: adversùs verò falſarios, per quos ipſe impoſturas confinxiſſet, à Legatis Apoſtolicis juſſus eſt legi canon Concilii Romani ſub Martino Papa, adverſus eos conditus, qui falſa, corruptaque monumenta, Epiſtolas, ſubſcriptiones, teſtimonia ſupponebant, quo ipſis uſque ad obitum interdicitur Eccleſiæ aditus. Poſtea verò occaſione quorundam Iconomachorum in Synodum introductorum, lectum eſt capitulum Nicolai Papæ contra Iconomachos, contra quos, ſicuti & in Photium, repetiti ſunt anathematiſmi: & iteratis acclamationibus gratulatoriis finita eſt Actio octava; poſt quam Legati Pontificii *in ipſis Theophaniis* anni 870, Leonem Baſilii Imperatoris filium, & poſtea ſucceſſorem, *Sapientem* dictum Imperatorem coronarunt, ut ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius in Scholio ad Actionem VIII hujus Synodi. *Nam cùm hæc ageretur Actio*, inquit, *in ipſis Theophaniis coronatus eſt in Imperatorem iſte Leo filius à Vicariis* (nempè Pontificis Romani) *& Ignatio Patriarcha*.

XXXV. *In Actione nona recipitur Legatus Alex. & agitur de falſis teſtibus qui Photio adhæſerant.*

Anno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo, pridie Idus februarias nona Actio eſt celebrata, in eaque admiſſus eſt Legatus à Michaele Patriarcha Alexandrino miſſus, nomine *Joſeph* Archidiaconus ejus Eccleſiæ, ejuſdemque Patriarchæ lectæ ſunt literæ ad Baſilium Imperatorem, quibus teſtabatur ſe huc uſque Saracenorum tyrannide fuiſſe prohibitum ne ſcriberet. Perlectâ Epiſtolâ, Legatus ille Alexandrinus, quæ in octo præcedentibus Actionibus geſta erant Patriarchæ ſui Michaelis, & Eccleſiæ ejuſdem nomine omnia rata habuit, ſententiâ ſuâ ſuper intemerata Evangelia, & lignum vivificæ crucis poſitâ. Sicque ſuppletum eſt quod deeſſe videbatur univerſali Synodo, quæ tunc perfectiſſima eſt, cùm nullus deeſt Patriarcharum. Poſt hæc intromiſſi ſunt multi viri Illuſtres, qui ſuaſione Photii, & impulſione Michaelis quondam Imperatoris contra Ignatium protulerant falſum teſtimonium. Hi crimen confeſſi pœnitentiam à Synodo perceperunt, agendam in jejuniis, orationibus, & eleemoſynis, aliiſque pietatis, & pœnitentiæ operibus, quæ ibi recenſentur: data tamen Ignatio facultate diſpenſandi cum ovibus ſuis de diuturnitate temporis, moderandi ſcilicet pro cauſa. Deinde actum de rerum ſacrarum illuſoribus ejuſdem Michaelis Imperatoris tempore, qui confeſſi ſunt ſe mimos in Eccleſia egiſſe, ac illuſiſſe Sacerdotio, jubente eodem Imperatore. Hi verò ad pœnitentiam reſervati ſunt, in alio Conventu ipſis imponendam. Impoſita eſt autem Canone XVI.

XXXVI. *In Actione ultima canones conduntur, & Synodi definitio legitur.*

Actio decima & ultima habita eſt die ultima menſis Februarii, in eaque primùm omnium juſſi ſunt legi canones à Patribus

con-

conditi, omnes numero viginti ſeptem, quibus imprimis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ opportunitatibus conſultum eſt: videlicet de confirmatione eorum, quæ pro Ignatio, & contra Photium acta eſſent: deque abrogatione cunctorum geſtorum Photii, & collatorum ipſi, & ab ipſo aliis factorum miniſteriorum, & ut qui hactenus obſtinato animo ei adhæſiſſent Epiſcopi, licet conſecrati fuiſſent à Methodio, vel Ignatio, vel etiam poſthàc reſipiſcerent, nullam penitùs ſpem reſtitutionis Epiſcopatûs haberent. Item de confirmatione cultus Sanctarum Imaginum, aliiſque pluribus, quæ legi poſſunt apud Natalem Alexandrum Sec. IX & X Differt. IV. Canonibus conditis & promulgatis, lecta eſt in eodem Conſeſſu definitio Synodi, in qua omnibus hæreſibus, quæ hucuſque emerſerant, & à præcedentibus Conciliis fuerant proſcriptæ, anathemate percuſſis, Photii damnatio confirmata eſt, necnon eorum, qui ipſi pertinaciter adhæſerunt. Cùmque poſt hæc Baſilius Imperator exploraſſet, an omnes Synodi definitioni ac decretis aſſenſum præberent, conclamarunt univerſi: *Omnes ita ſapimus, omnes ita prædicamus, omnes concinentes & conſentientes promptè ſubſcribimus. Hoc eſt veritatis judicium, hoc juſtitiæ decretum, hæc eſt canonum expoſitio, hæc Eccleſiaſticæ ordinationis defenſio.* Deinde primus ſubſcribendi locus Imperatori delatus eſt à Synodo honoris gratiâ; at ipſe pietatis, ac Regiæ humilitatis argumentum dedit, aſſeruitque ſeſe ſubſcripturum poſt Legatos Sedis Apoſtolicæ, & aliorum Patriarcharum, quandoquidem ita placeret Patribus. Primo itaque loco ſubſcripſère Legati Romani Pontificis; ſecundùm hos Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, tum aliorum Patriarcharum Vicarii; poſt ipſos Baſilius Auguſtus, Epiſcopi tandem CI.

XXXVII. *Patres confirmationem Synodi ab Hadriano PP. petunt.*

Præter Encyclicam Epiſtolam ad Epiſcopos & univerſos Chriſti fideles, ſancta Synodus dedit Epiſtolam ad Hadrianum Papam, Concilii confirmationem ab eo rogans his verbis: *Igitur libenter oppidò & gratanter imitatrice Dei Sanctitate veſtra omnium noſtrûm Conventum, & univerſalis hujus atque Catholicæ Synodi conſenſum & conſonantiam recipiente, prædica eam magis ac veluti propriam, & ſolicitiùs confirma evangelicis præceptionibus & admonitionibus veſtris, ut per ſapientiſſimum magiſterium veſtrum etiam aliis univerſis Eccleſiis perſonet & ſuſcipiatur veritatis verbum, & juſtitiæ decretum.* Hadrianus Synodum confirmavit, ut probat ejus ad Baſilium Imperatorem Epiſtola, quæ legitur in calce Actorum, ab eoque tempore recepta eſt ut Synodus œcumenica, ab ipſis etiam Græcis Orthodoxis, apud quos in tanta fuit veneratione, ut ejus Breviarum ad valvas magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ cum inſigni elogio affixerint. Græci tamen poſteriores ſchiſmatici ſeptem tantùm Synodos œcumenicas profeſſi ſunt.

XXXVIII. *Græci Bulgaros CPolitanæ Sedi ſubjiciunt.*

Solidum Illyricum ad Patriarchatum Occidentis pertinuiſſe, ſed Leonem Iſaurum Imperatorem illud per vim ab eodem avulſiſſe, ſub Gregorio II ſuperiùs jam oſtendimus. Sed cùm Bulgari provincias, quibus conſtabat, nempe Daciam, Prævalim, Dardaniam, ac Myſiam ſuperiorem, occupaſſent, eiſque novæ Bulgariæ nomen, quo & hodie regio illa appellatur, dediſſent, & ſub Nicolao Papa fidem Chriſtianam recepiſſent, magna poſt Synodum Octavam Conſtantinopoli habita eſt altercatio, utri Eccleſiæ, Romanæ, an Conſtantinopolitanæ eidem Bulgari ſubjici deberent. Michael enim Bulgarorum Princeps Oratores ſuos Conſtantinopolim miſit, qui dixère: *Cui Eccleſiæ ſubdi debeamus, à Vobis, qui vices ſummorum Patriarcharum geritis, noſſe deſideramus*, ut inquit Guillelmus Bibliothecarius in Vita Hadriani II. Solutâ igitur & penitus abſolutâ Synodo, congregatis in unum Baſilio Imperatore, Apoſtolicæ Sedis, & aliorum Patriarcharum Legatis, unà cum Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano, & auditis Bulgarorum Legatis, Græci contendebant, eos recèns ad fidem converſos, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubjici debere, quòd eorum regio, antequam ipſi eam occupaſſent, Græcorum pareret imperio, & Græcos Sacerdotes haberet. Contra verò Apoſtolici Legati conteſtabantur, jura ſedium non ſequi regnorum diviſiones, ſed & omnes in Illyrico Provincias, quas Bulgari habitabant, antiquitùs ſolitas fuiſſe à Romana Eccleſia immediatè adminiſtrari, ipſoſque Bulgaros, qui nihil ad imperium Græcorum pertinerent, cùm fidem Chriſtianam ſuſceperunt, ſponte ſe eidem Romanæ Eccleſiæ ſubjeciſſe, ſacros ab ea miniſtros quærentes, quibus in omnibus obedirent, ut in Nicolai Papæ Pontificatu diximus. Hæc conſtant ex Guillelmo Bibliothecario in Vita Hadriani II, ubi argumenta refert, quibus Græci prætenſum ſuum jus in Bulgarorum Eccleſias tuiti ſunt, quæ haud difficili negotio à Legatis Apoſtolicis diluta, qui & Græcos Judices hac in cauſa recuſarunt. Hi tamen temerario ac iniquo judicio hanc ſententiam pronunciarunt: *Bulgarorum Patriam ex Græcorum poteſtate dudum fuiſſe, & Græcos Sacerdotes habuiſſe comperimus Sanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ: à qua, quia per Paganiſmum receſſerat, nunc per Chriſtianiſmum reſtitui judicamus.*

XXXIX. *Hadrianus PP. Ignatium CP. Epiſt. hac de re arguit.*

Verùm Legati Apoſtolici huic ſententiæ præcipitanter & ſine ullo jure redditæ interceſſerunt, eamque tanquam ab inferioribus, ideoque haud legitimis Judicibus la-

latam reſpuerunt, totamque cauſam ſupremæ Apoſtolicæ Sedi reſervantes; interim Ignatium graviter conteſtati ſunt, ne Eccleſiæ Romanæ jura minueret, à qua ipſe propriæ Eccleſiæ reſtitutus eſſet. Ignatius Legatorum Apoſtolicorum admonitionibus his verbis reſpondit: *Abſit à me, ut ego his præſumptionibus contra decorem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ implicer, qui nec ita juveniliter ago, ut mihi ſubripi valeat, nec ita ſeniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo, ipſe omittam.* Ipſe nihilominus Bulgarorum diœceſim jure Patriarchico regendam ſuſcepit, Romaniſque Presbyteris ejectis, Græcos illuc Presbyteros miſit, eique genti Theophylactum Epiſcopum ordinavit. Qua de re graviter eum arguit Hadrianus Papa in Epiſtola ad ipſum data, quam Baronius anno 871 num. 15 recitat. Imò & graviter expoſtulavit idem Pontifex cum Baſilio Imperatore in Epiſtola ad ipſum ſcripta, quæ extat in Octavæ Synodi codice Anaſtaſii, & ab eodem Baronio refertur ibidem num. 10 hac occaſione data.

XL. *Diſpenſationem decretorum Synodi VIII recuſat.*

Anno octingenteſimo ſeptuageſimo primo Baſilius Imperator, & Ignatius Patriarcha ad Hadrianum Papam Romam miſerunt Theognoſtum, apud Conſtantinopolitanos Monaſterii Fontis Hegumenum, & Eccleſiæ Sanctæ Sophiæ *Scevoſilacem*, ſeu vaſorum cuſtodem, a Pontifice petiturum, ut quæ in Synodo octava remanſerant indefinita definiret, atque diſpenſaret in his, quę ibidem ſtatuta eſſent, de non recipiendis promotis à Photio, vel qui ſubſcripſerant illius Pſeudo-Synodo adversùs Nicolaum Papam. Ad quæ reſcribens Hadrianus Epiſtolam, *quarto Idus Novembris, indictione quinta* datam, primò de Legatis Apoſtolicæ Sedis ſugillavit Imperatorem, quòd abſque Præſidio ita illos remiſerit, ut apud regiones ſub ejuſdem Imperio conſtitutas à piratis capti fuerint: deinde queſtus eſt de Ignatio, quòd Bulgaris Antiſtitem à ſe ordinatum mittere præſumpſerit. *Verum tamen*, inquit, *ſaltem nunc jam dictum Reverendiſſimum Præſulem ab illius regionis diſpoſitione ſalubribus monitis, quæſumus, coercere: alioquin nec ipſe canonicam effugiet ultionem: nec illi, qui Præſulatus, vel alterius officii ſibi nomen illuc uſurpant cum excommunicatione, qua jam tenentur adſtricti, etiam proprii gradûs jactura carebunt.* Negat tandem Hadrianus ſe diſpenſaturum cum Photianis, niſi nova emergente causâ, quòd non ſit moris Romanorum Pontificum, pro libitu proprio deceſſorum ſanctionibus, vel Synodorum œcumenicarum decretis derogare.

XLI. *Ejuſdem Synodi Acta in Latinum verti curat.*

Synodo Generali Octava abſoluta Anaſtaſius Bibliothecarius Acta Romam detulit, & Hadriano Papæ præſentavit, qui ei commiſit, ut ea in linguam Latinam verteret, ut ipſemet in ſua ad eam Verſionem Præfatione his verbis teſtatur: *Unde factum eſt, ut eiſdem loci Servatoribus in prædones incidentibus, & codicem ipſum cum omnibus ſupellectilibus ſuis amittentibus, ego codicem, quem detuleram, Romam veniſſe dignoſcerer, quem Sanctitas veſtra grato ſuſcipiens animo, mihi ad transferendum in Latinam tradidit dictionem, ad quod opus ego idoneum me eſſe denegavi, licèt in interpretandis ex Archivo in Romanum ſermonem ſcripturis præſenti tempore quoddam conamen arripere nitar, & nonnulla jam ad ædificationem plurimorum, & præcipuè veſtri deceſſoris hortatu interpretatus edidiſſe dignoſcar. Verùm vicit juſſio tanti Pontificis, dum non deeſt obedientia prompti miniſtri.* Et hæc ſatis de iis, quæ reſpiciunt Octavam Synodum Generalem. Nunc ad alia Hadriani geſta redeundum.

XLII. *S. Leonis III brachium Salomoni minoris Britanniæ Regi mittit.*

Anno octingenteſimo ſexageſimo nono Salomon minoris Britanniæ Rex literas ad Hadrianum Pontificem dedit, quibus hanc præfixit Inſcriptionem: *Domino ac Beatiſſimo Apoſtolicæ Sedis Rom. Hadriano, Salomon Britanniæ Rex flexis genibus, inclinatoque capite, in Chriſto feliciter pacis diuturnitatem.* Iis literis Pallium petiit Feſtiniano Antiſtiti Dolenſi, quod à Nicolao Pontifice denegatum fuiſſe tradit, quia ipſe Salomon ea de re ad eum ſcribens, ſuum nomen ipſius Nicolai nomini præpoſuerat, & literas abſque ſigilli impreſſione minus etiam idonea Legato deferendas tradiderat. Petiit quoque iiſdem literis ſacras Reliquias pro monaſterio, quod ædificabat: muneraque miſit, auream ſtatuam magnitudinis ipſius Hadriani tam in altitudine, quàm in latitudine, cum lapillis diverſi generis; aliaque plurima cum trecentis ſolidis denariorum quotannis deinceps perſolvendis. Ad Salomonem reſcribens Hadrianus miſit brachium Sancti Leonis Papæ tertii. Quod verò ad pallium attinet, traditur quoque in eodem Hadriani reſponſo, illud conceſſum eſſe. Sed eum locum falſatum fuiſſe à quodam Petro Dolenſis Epiſcopi Clerico, habebatur apud Innocentium Papam III lib. 2 Epiſt. 79, ex editione verò Baluzii 82, ſcripta in controverſia de pallio & Archiepiſcopatûs jure, inter Turonenſem & Dolenſem Antiſtites. Tam Salomonis, quàm Hadriani literæ extant apud Argentræum lib. 2 Hiſt. Britannię cap. 27. Verùm mihi magna ſuſpicio eſt, hanc Hadriani II ad Salomonem Regem Epiſtolam non ſolùm falſatam eſſe, ut ex Innocentio III ſcripſit Baronius, ſed etiam ut ſuppoſitam omnino rejiciendam eſſe; nam in inſcriptione, Hadriani Papæ nomen poſtponitur nomini Salomonis, quod directè pugnat conſuetudini inductę à Nicolao I Hadriani II imme-

diato deceſſore, de qua Leone III locuti ſumus, diximus, quę Nicolaum certa lege ſibi ſumpſiſſe, cùm Epiſcoporum, tum Regum etiam nominibus ſuum pręponere, quod & conſtanter feciſſe Hadrianum II legimus in omnibus ejus Epiſtolis Tomo VIII Conciliorum relatis. Porrò Salomon minoris Britannię Dux, anno tantùm 868 à Carolo Calvo Francorum Rege, ob egregiè navatam in bello contra Normannos operam, dictus eſt Rex; ſed Salomone, anno 874, cum filio, occiſo, idem Carolus Calvus tunc Imperator, mandavit, ut impoſterum, qui Britannię pręeſſent, à Regis nomine abſtinerent; quod & factum eſt, ejuſque ſucceſſores poſtmodum Duces tantùm appellati ſunt.

XLIII. *Carolum Regem Franc. monet ut abſtineat ab uſurpatione regni Lotharii.*

Eodem anno octingenteſimo ſexageſimo nono, Lothario Rege, ut ſuperius num. X diximus, mortuo, cùm Carolus Calvus Francorum Rex regnum ejus occupaſſet; expoſtulante Ludovico Imperatore, ab Hadriano Pontifice decreta eſt ad eundem Carolum Legatio duorum Epiſcoporum, quâ cùm ipſos, tum regni Epiſcopos atque Proceres excommunicationis comminatione admonuit abſtinere à Lotharii regno, quòd pertineret ad Ludovicum Imp. Lotharii fratrem & Legitimum ſucceſſorem. Hæc referunt Aimoinus lib.5 cap.24, & Annaliſta Bertinianus ad annum 869, extantque nonnullę Hadriani Papæ Epiſtolæ ad eos miſſæ, quæ dicuntur datæ Nonis Septembris. Sed antequam Legati ad Carolum perveniſſent, congregato V Idus ejuſdem menſis Septembris Concilio, regnum à Legitimo ſucceſſore ablatum, & Carolo attributum, qui *poſt hæc ab Epiſcopis cum benedictione Sacerdotali* Rex eſt coronatus, inquit idem Annaliſta, qui & ſcribit Legatos Hadriani anno 870 auditos à Rege Carolo, qui ad Romanum Pontificem placandum, Anſegiſum Abbatem monaſterii Sancti Michaelis, & Lotharium laicum direxit *cum Epiſtolis ad domnum Apoſtolicum, ſed & pannum ad altare S. Petri de veſtimentis ſuis aureis compoſitum, cum duabus coronis aureis, & gemmis ornatis* miſit, quod idem etiam ſcribit Aimoinus.

XLIV. *Rurſum pro eadem re Legatos miſit.*

Cùm autem, intentatis à Ludovico Germaniæ Rege minis adversùs Carolum fratrem pro regno Lotharii nepotis ab eo occupato, idem Carolus timore perculſus eſſet, eundem Ludovicum accepit in partem ejuſdem regni; cujus extant Acta diviſionis inter utrumque pridie Idus Martii anni 870 Aquiſgrani confecta. Quæ cùm audiſſet Hadrianus Papa, novam in Gallias miſit legationem cum diverſis literis ad utrumque Regem, eorumque Epiſcopos atque proceres, datis quinto Kalendas Julii, pro reſtituendo prædicto Lotharii regno, Ludovico Imperatori ipſius fratri: interminans, niſi obedirent, penetraturum ſe in Gallias, & in contemptores dignam daturum ultionem. Sed & alias dedit Epiſtolas ad Epiſcopos in Caroli regno conſtitutos; quibus eos gravi comminatione exagitans, illud maximè inculcavit, ut ſi Carolus Sedi Apoſtolicæ obtemperare recuſaret, ipſi ſe ab ejus communione ſejungerent, ſi vellent cum Apoſtolica Sede communicare, alioquin fore ut indignos reſpuendos. Ceterùm his omnibus Epiſtolis, amaro nimis, ut videtur, animo conſcriptis, nihil aliud quærebat Pontifex, quàm ut jus cuique ſuum tribueretur, & omnes Deo conciliarentur; præſertim cùm jura ipſa legitima Regum Francorum antiquitùs inviolabiliter conſervata, clamarent regnum Francorum non ex electione, aut uſurpatione, ſed ex ſucceſſione deberi. Sed nihil, vel parum profecit Sanctus Pontifex; Carolus enim Legatos, re infecta, dimiſit, partemque Lothariani regni retinuit: Lodovicus verò Germaniæ Rex, partem, quæ ſibi obtigerat, anno 872 Ludovico Imperatori reſtituit, qui eodem anno *vigilia Pentecoſtes Romam venit, & in craſtino coronatus ab Hadriano Papa* (ob partem ſcilicet regni Lotharii, ſibi à Ludovico Germaniæ Rege redditam) *poſt celebrata Miſſarū ſolemnia, unà cum eo ad Lateranenſe palatium cum pompa equitando coronatus perrexit*, inquit Annaliſta Bertinianus ad annum 872, qui ad annum 871 jam ſcripſerat, Ludovicum Imperatorem mandaſſe Apoſtolico Hadriano, ut obviam illi in tranſitu itineris ſui, versùs Ravennam veniret, quatenus de Sacramento, quod Adalgiſo Beneventano Duci coactus fecerat, *illum & ſuos abſolveret*, à quo ideo, non verò à Joanne VIII, ut plerique omnes ſcribunt, Ludovicus Imperator abſolutus fuit.

XLV. *Carolomanni Caroli Regis filii patrocinium ſuſcepit.*

Carolomannus Caroli Calvi Regis filius Senonenſis diaconus, juramenti bis patri ſuo præſtiti reus, acerbè exceptus eſt à patre, qui eum ſuâ gratiâ & beneficiis omnibus privavit, atque regni ſui finibus expulit. Cùmque inſuper Epiſcopos adigere, ut eum excommunicarent, & congregato exercitu illum opprimere velle diceretur, hæc mala ſtuduit avertere Hadrianus Papa, ſcribens ad Carolum Regem, ut Carolomannum filium in gratiam ſuſciperet, eique priſtina beneficia & honores redderet, donec ſaltem mitteret Legatos, qui ſalvo utriuſque honore, diſſidii cauſam cognoſcerent, ac Principem ad officium, ſi ab eo defeciſſet, revocarent. Cùm enim Carolomannus per oratores & literas ad Apoſtolicam Sedem confugiſſet, Hadrianus ad eam appellationis vocem excitatus, & filii perduellis mendaciis præventus, eas ad Carolum Regem literas dedit. Scripſit & ad

Digitized by Google

ad Proceres regni Caroli, & Lotharii quondam Regis, ipſos avertens ab armis contra Carolomannum capiendis ſub pœna excommunicationis. Scripſit denique ad Epiſcopos utriuſque regni, prohibens ne contra ipſum excommunicationis ſententiam jacularentur, quam alioquin injuſtam fore declarat, & in ipſos excommunicantes retorquendam. Datæ ſunt hæ literæ III Idus Julias, anno 871 Carolomannus poſtea poſt Synodum Duziacenſem, eo anno, menſe Auguſto celebratam, patri reconciliatus fuit, ſed anno 873 in Concilio Sylvanectenſi depoſitus eſt ab omni Eccleſiaſtico gradu, & à patre excœcatus, ut legitur in Annaliſta Bertiniano.

XLVI. *Hincmarus Laudunenſis Epiſc. à Caroli Regis gratia excidit.*

Nunc agendum nobis eſt de cauſa Hincmari Laudunenſis Epiſcopi, ex qua maximæ ſimultates exortæ inter Hadrianum Papam, Carolum Calvum Regem, & Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum, Hincmari Laudunenſis avunculum, quam ex Ludovico præſertim Cellotio, qui librum de eadem publicavit, & ex Natalis Alexandri diſſertatione VIII Sæculi IX, & X in ſummam contraham. Mortuo Pardulo Laudunenſi Epiſcopo, Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus hunc Epiſcopatum Hincmaro Juniori, ex ſorore nepoti, Regis favore impetravit, eoque inſcio Carolus Rex adminiſtrationem quoque Palatinam ei commiſit, & externarum, ſive ſæcularium poteſtatum interventu, Abbatiam quandam ei contulit. Sed anno octingenteſimo ſexageſimo octavo, Hincmarus Junior à Caroli Regis gratia, hac occaſione excidit, ut ad eum annum narrat Annaliſta Bertinianus. Placitum quoddam in diœceſi Laudunenſi cùm idem Rex haberet, Luidonis filius de Hincmaro præſente coram eodem Rege conqueſtus eſt, quòd cum dato exenio, ſeu munere, patris ſui Beneficium ab ipſo impetraſſet, eo fuiſſet deinde per injuriam ab eodem privatus & excluſus. Eam ob rem Rex vehementer in Hincmarum Juniorem commotus, ipſum in frequenti Procerum corona convitiis & opprobriis proſcidit, & deinde ei diem dixit, quo ad cauſas ſuas, id eſt, ad ſæculare tribunal ſe ſiſteret, facti illius rationem redditurus, ſuoque nomine, nullo Coepiſcoporum conſcio, Advocatum nominaret. Sed Hincmarus ad locum nominatum ſæcularis judicii non venit, quòd relicto Eccleſiaſtico judicio, non auderet ſæculare adire judicium. Rex bona illius omnia per Vicecomitem ipſius pagi proſcripſit. Tum per Cancellarium Palatii prohibuit, ne ſubditorum Laudunenſis Eccleſiæ quiſquam obſequium ullum Epiſcopo deferret, ullumve ſubſidium de facultatibus Eccleſiaſticis præberet, tandemque cauſæ illius cognitionem infamibus perſonis commiſit, quas ſacræ profanæque leges à judicandi munere repellunt, ut habet Hincmarus Remenſis in Epiſtola XXIX ad Carolum Regem, qui & Epiſtola XXXV ad ipſum & Hincmarum Juniorem data teſtatur, eum levitate ſua, ſuperbiâ & contumaciâ Regis animum commoviſſe. Tandem tamen Hincmarus Remenſis à Carolo Rege obtinuit, ut Hincmaro nepoti reſtituerentur omnia, quibus fuerat ſpoliatus, donec legitimo judicio lites omnes finitæ eſſent.

XLVII. *De eo queritur apud Hadrianum PP.*

Diu gratiâ Regis, & pace multis laboribus ab avunculo partâ imprudens Epiſcopus Laudunenſis potitus non eſt; de ejus enim facinore conqueſtus eſt apud Romanum Pontificem Hadrianum, avunculo ſuo ac Metropolitano, ceteriſque Epiſcopis inconſultis. Acerbiſſimè tulit Rex Carolus ſe ab Epiſcopo ad Apoſtolicam Sedem traduci, ut rerum Eccleſiaſticarum pervaſorem. Improbarunt etiam Antiſtites præcipitem Hincmari Laudunenſis impetum, qui intempeſtivo ad Papam confugio ſe provincialis Synodi judicio, reclamantibus canonibus, ſubducere volebat; & regem cum Pontifice committendo, vulnus refricabat, quod ſanari facilè potuiſſet, ut liquet ex Hincmaro Remenſi in Opuſculo LV, cap. ſeptimo. Aliud præterea accidit, quo Regis in Hincmarum Laudunenſem magis commotus eſt animus. In gratiam *Nortmanni Comitis* ſibi amiciſſimi, Paulliacum villam, & res alias olim Eccleſiæ ſuæ à Rege reſtitutas, eidem Regi libens volenſque tradidit, ut eas eidem Comiti in Beneficium daret. Deinde mutatâ ſententiâ ea repetere cœpit, ac per vim extorquere conatus eſt, quibus ſponte ceſſerat. Nortmannum tradere abnuentem, quæ jure ſe poſſidere arbitrabatur, apud Hadrianum Pontificem accuſavit, tanquam rerum Eccleſiaſticarum pervaſorem. Mandatum ab eodem Pontifice impetravit, quo Hincmaro Remenſi jubebat, ut Nortmannum excommunicaret, *niſi præſentialiter ſe omnibus Laudunenſis Eccleſiæ rebus exueret*, à cujus mandati executione abſtinuit ſenior Hincmarus, quòd Nortmannum res Eccleſiæ non invaſiſſe certò ſciret. Laudunenſis Epiſcopus prudentis avunculi moras impatienter ferens, cum armatorum hominum manu, & permixta vulgi multitudine, venit in villam, irruit in domum, in qua Nortmanni conjux de partu jacebat, & direpta omnis generis ſupellectile, nobilem mulierem languentem immaniter ejecit. Poſtea Nortmannum ipſum, eadem vi aggreſſus, à poſſeſſione expulit, omniaque ejus bona corraſit. Quæ omnia conſtant ex Synodo Duziacenſi anno 871 celebrata parte 3 cap. 15, & ex Epiſtola Synodica ejuſdem Concilii, ex Hadriani II Epiſtola XL, & Hincmari Remenſis Epiſtolâ XXXV.

diato deceſſore, de qua Leone III locuti ſumus, diximus, quę Nicolaum certa lege ſibi ſumpſiſſe, cùm Epiſcoporum, tum Regum etiam nominibus ſuum pręponere, quod & conſtanter feciſſe Hadrianum II legimus in omnibus ejus Epiſtolis Tomo VIII Conciliorum relatis. Porrò Salomon minoris Britannię Dux, anno tantùm 868 à Carolo Calvo Francorum Rege, ob egregiè navatam in bello contra Normannos operam, dictus eſt Rex; ſed Salomone, anno 874, cum filio, occiſo, idem Carolus Calvus tunc Imperator, mandavit, ut impoſterum, qui Britannię pręeſſent, à Regis nomine abſtinerent; quod & factum eſt, ejuſque ſucceſſores poſtmodum Duces tantùm appellati ſunt.

XLIII. *Carolum Regem Franc. monet ut abſtineat ab uſurpatione regni Lotharii.*

Eodem anno octingenteſimo ſexageſimo nono, Lothario Rege, ut ſuperius num. X diximus, mortuo, cùm Carolus Calvus Francorum Rex regnum ejus occupaſſet; expoſtulante Ludovico Imperatore, ab Hadriano Pontifice decreta eſt ad eundem Carolum Legatio duorum Epiſcoporum, quà cùm ipſos, tum regni Epiſcopos atque Proceres excommunicationis comminatione admonuit abſtinere à Lotharii regno, quòd pertineret ad Ludovicum Imp. Lotharii fratrem & Legitimum ſucceſſorem. Hæc referunt Aimoinus lib. 5 cap. 24, & Annaliſta Bertinianus ad annum 869, extantque nonnullę Hadriani Papæ Epiſtolæ ad eos miſſæ, quæ dicuntur datæ Nonis Septembris. Sed antequam Legati ad Carolum perveniſſent, congregato V Idus ejuſdem menſis Septembris Concilio, regnum à Legitimo ſucceſſore ablatum, & Carolo attributum, qui *poſt hæc ab Epiſcopis cum benedictione Sacerdotali* Rex eſt coronatus, inquit idem Annaliſta, qui & ſcribit Legatos Hadriani anno 870 auditos à Rege Carolo, qui ad Romanum Pontificem placandum, Anſegiſum Abbatem monaſterii Sancti Michaelis, & Lotharium laicum direxit *cum Epiſtolis ad domnum Apoſtolicum, ſed & pannum ad altare S. Petri de veſtimentis ſuis aureis compoſitum, cum duabus coronis aureis, & gemmis ornatis* miſit, quod idem etiam ſcribit Aimoinus.

XLIV. *Rurſum pro eadem re Legatos miſit.*

Cùm autem, intentatis à Ludovico Germaniæ Rege minis adversùs Carolum fratrem pro regno Lotharii nepotis ab eo occupato, idem Carolus timore perculſus eſſet, eundem Ludovicum accepit in partem ejuſdem regni; cujus extant Acta diviſionis inter utrumque pridie Idus Martii anni 870 Aquiſgrani confecta. Quæ cùm audiſſet Hadrianus Papa, novam in Gallias miſit legationem cum diverſis literis ad utrumque Regem, eorumque Epiſcopos atque proceres, datis quinto Kalendas Julii, pro reſtituendo prædicto Lotharii regno, Ludovico Imperatori ipſius fratri: interminans, niſi obedirent, penetraturum ſe in Gallias, & in contemptores dignam daturum ultionem. Sed & alias dedit Epiſtolas ad Epiſcopos in Caroli regno conſtitutos; quibus eos gravi comminatione exagitans, illud maximè inculcavit, ut ſi Carolus Sedi Apoſtolicæ obtemperare recuſaret, ipſi ſe ab ejus communione ſejungerent, ſi vellent cum Apoſtolica Sede communicare, alioquin fore ut indignos reſpuendos. Ceterùm his omnibus Epiſtolis, amaro nimis, ut videtur, animo conſcriptis, nihil aliud quærebat Pontifex, quàm ut jus cuique ſuum tribueretur, & omnes Deo conciliarentur; præſertim cùm jura ipſa legitima Regum Francorum antiquitùs inviolabiliter conſervata, clamarent regnum Francorum non ex electione, aut uſurpatione, ſed ex ſucceſſione deberi. Sed nihil, vel parum profecit Sanctus Pontifex; Carolus enim Legatos, re infecta, dimiſit, partemque Lothariani regni retinuit: Lodovicus verò Germaniæ Rex, partem, quæ ſibi obtigerat, anno 872 Ludovico Imperatori reſtituit, qui eodem anno *vigilia Pentecoſtes Romam venit, & in craſtino coronatus ab Hadriano Papa* (ob partem ſcilicet regni Lotharii, ſibi à Ludovico Germaniæ Rege redditam) *poſt celebrata Miſſarũ ſolemnia, und cum eo ad Lateranenſe palatium cum pompa equitando coronatus perrexit*, inquit Annaliſta Bertinianus ad annum 872, qui ad annum 871 jam ſcripſerat, Ludovicum Imperatorem mandaſſe Apoſtolico Hadriano, ut obviam illi in tranſitu itineris ſui, versùs Ravennam veniret, quatenus de Sacramento, quod Adalgiſo Beneventano Duci coactus fecerat, *illum & ſuos abſolveret*, à quo ideo, non verò à Joanne VIII, ut plerique omnes ſcribunt, Ludovicus Imperator abſolutus fuit.

XLV. *Carolomanni Caroli Regis filii patrocinium ſuſcipit.*

Carolomannus Caroli Calvi Regis filius Senonenſis diaconus, juramenti bis patri ſuo præſtiti reus, acerbè exceptus eſt à patre, qui eum ſuâ gratiâ & beneficiis omnibus privavit, atque regni ſui finibus expulit. Cùmque inſuper Epiſcopos adigere, ut eum excommunicarent, & congregato exercitu illum opprimere velle diceretur, hæc mala ſtuduit avertere Hadrianus Papa, ſcribens ad Carolum Regem, ut Carolomannum filium in gratiam ſuſciperet, eique priſtina beneficia & honores redderet, donec ſaltem mitteret Legatos, qui ſalvo utriuſque honore, diſſidii cauſam cognoſcerent, ac Principem ad officium, ſi ab eo defeciſſet, revocarent. Cùm enim Carolomannus per oratores & literas ad Apoſtolicam Sedem confugiſſet, Hadrianus ad eam appellationis vocem excitatus, & filii perduellis mendaciis præventus, eas ad Carolum Regem literas dedit. Scripſit &

ad

Digitized by Google

ad Proceres regni Caroli, & Lotharii quondam Regis, ipſos avertens ab armis contra Carolomannum capiendis ſub pœna excommunicationis. Scripſit denique ad Epiſcopos utriuſque regni, prohibens ne contra ipſum excommunicationis ſententiam jacularentur, quam alioquin injuſtam fore declarat, & in ipſos excommunicantes retorquendam. Datæ ſunt hæ literæ III Idus Julias, anno 871 Carolomannus poſtea poſt Synodum Duziacenſem, eo anno, menſe Auguſto celebratam, patri reconciliatus fuit, ſed anno 873 in Concilio Sylvanectenſi depoſitus eſt ab omni Eccleſiaſtico gradu, & à patre excœcatus, ut legitur in Annaliſta Bertiniano.

XLVI. *Hincmarus Laudunenſis Epiſc. à Caroli Regis gratia excidit.*

Nunc agendum nobis eſt de cauſa Hincmari Laudunenſis Epiſcopi, ex qua maximæ ſimultates exortæ inter Hadrianum Papam, Carolum Calvum Regem, & Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum, Hincmari Laudunenſis avunculum, quam ex Ludovico præſertim Cellotio, qui librum de eadem publicavit, & ex Natalis Alexandri diſſertatione VIII Sæculi IX, & X in ſummam contraham. Mortuo Pardulo Laudunenſi Epiſcopo, Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus hunc Epiſcopatum Hincmaro Juniori, ex ſorore nepoti, Regis favore impetravit, eoque inſcio Carolus Rex adminiſtrationem quoque Palatinam ei commiſit, & externarum, ſive ſæcularium poteſtatum interventu, Abbatiam quandam ei contulit. Sed anno octingenteſimo ſexageſimo octavo, Hincmarus Junior à Caroli Regis gratia, hac occaſione excidit, ut ad eum annum narrat Annaliſta Bertinianus. Placitum quoddam in diœceſi Laudunenſi cùm idem Rex haberet, Ludonis filius de Hincmaro præſente coram eodem Rege conqueſtus eſt, quòd cum dato exenio, ſeu munere, patris ſui Beneficium ab ipſo impetraſſet, eo fuiſſet deinde per injuriam ab eodem privatus & excluſus. Eam ob rem Rex vehementer in Hincmarum Juniorem commotus, ipſum in frequenti Procerum corona convitiis & opprobriis proſcidit, & deinde ei diem dixit, quo ad cauſas ſuas, id eſt, ad ſæculare tribunal ſe ſiſteret, facti illius rationem redditurus, ſuoque nomine, nullo Coepiſcoporum conſcio, Advocatum nominaret. Sed Hincmarus ad locum nominatum ſæcularis judicii non venit, quòd relicto Eccleſiaſtico judicio, non auderet ſæculare adire judicium. Rex bona illius omnia per Vicecomitem ipſius pagi proſcripſit. Tum per Cancellarium Palatii prohibuit, ne ſubditorum Laudunenſis Eccleſiæ quiſquam obſequium ullum Epiſcopo deferret, ullumve ſubſidium de facultatibus Eccleſiaſticis præberet, tandemque cauſæ illius cognitionem infamibus perſonis commiſit, quas ſacræ profanæque leges à judicandi munere repellunt, ut habet Hincmarus Remenſis in Epiſtola XXIX ad Carolum Regem, qui & Epiſtola XXXV ad ipſum & Hincmarum Juniorem data teſtatur, eum levitate ſua, ſuperbiâ & contumaciâ Regis animum commoviſſe. Tandem tamen Hincmarus Remenſis à Carolo Rege obtinuit, ut Hincmaro nepoti reſtituerentur omnia, quibus fuerat ſpoliatus, donec legitimo judicio lites omnes finitæ eſſent.

XLVII. *De eo queritur apud Hadrianum PP.*

Diu gratiâ Regis, & pace multis laboribus ab avunculo partâ imprudens Epiſcopus Laudunenſis potitus non eſt; de ejus enim facinore conqueſtus eſt apud Romanum Pontificem Hadrianum, avunculo ſuo ac Metropolitano, ceteriſque Epiſcopis inconſultis. Acerbiſſimè tulit Rex Carolus ſe ab Epiſcopo ad Apoſtolicam Sedem traduci, ut rerum Eccleſiaſticarum pervaſorem. Improbarunt etiam Antiſtites præcipitem Hincmari Laudunenſis impetum, qui intempeſtivo ad Papam confugio ſe provincialis Synodi judicio, reclamantibus canonibus, ſubducere volebat; & regem cum Pontifice committendo, vulnus refricabat, quod ſanari facilè potuiſſet, ut liquet ex Hincmaro Remenſi in Opuſculo LV, cap. ſeptimo. Aliud prætereà accidit, quo Regis in Hincmarum Laudunenſem magis commotus eſt animus. In gratiam *Nortmanni Comitis* ſibi amiciſſimi, Paullacum villam, & res alias olim Eccleſiæ ſuæ à Rege reſtitutas, eidem Regi libens volenſque tradidit, ut eas eidem Comiti in Beneficium daret. Deinde mutatâ ſententiâ ea repetere cœpit, ac per vim extorquere conatus eſt, quibus ſponte ceſſerat. Nortmannum tradere abnuentem, quæ jure ſe poſſidere arbitrabatur, apud Hadrianum Pontificem accuſavit, tanquam rerum Eccleſiaſticarum pervaſorem. Mandatum ab eodem Pontifice impetravit, quò Hincmaro Remenſi jubebat, ut Nortmannum excommunicaret, *niſi præſentialiter ſe omnibus Laudunenſis Eccleſiæ rebus exueret*, à cujus mandati executione abſtinuit ſenior Hincmarus, quòd Nortmannum res Eccleſiæ non invaſiſſe certò ſciret. Laudunenſis Epiſcopus prudentis avunculi moras impatienter ferens, cum armatorum hominum manu, & permixta vulgi multitudine, venit in villam, irruit in domum, in qua Nortmanni conjux de partu jacebat, & direpta omnis generis ſupellectile, nobilem mulierem languentem immaniter ejecit. Poſtea Nortmannum ipſum, eadem vi aggreſſus, à poſſeſſione expulit, omniaque ejus bona corraſit. Quæ omnia conſtant ex Synodo Duziacenſi anno 871 celebrata parte 3 cap. 15, & ex Epiſtola Synodica ejuſdem Concilii, ex Hadriani II Epiſtola XI, & Hincmari Remenſis Epiſtolâ XXXV.

Digitized by Google

XLVIII. *Excommunicatio ab eo lata irritatur.*

Haud mitiùs ſe geſſit cum Amalberto Hincmarus Laudunenſis, cui cùm ereptum beneficium Rex juſſiſſet reſtitui, ipſum armata manu ex illo ejecit. Quin & eundem Amalbertum excommunicavit, quamvis è Laudunenſi diœceſi non eſſet, ſed ex Remenſi: nec Archiepiſcopo Remenſi obſecutus eſt jubenti, ut ſententiam contra canones latam immutaret, uti Refert Hincmarus ſenior in laudato Opuſculo LV cap. 2. Hinc nova Regis Caroli, & Hincmari Remenſis in Laudunenſem offenſio. Sævìit, & in Clericos propriæ Eccleſiæ, eoſque neque confeſſos, neque convictos excommunicavit, ſeu omni officio Eccleſiaſtico ipſis interdixit. Dies quinque duravit ferale juſtitium, quibus & infantibus multis Baptiſmus, & morientibus Viaticum, & Chriſtiana ſepultura defunctis defuit. Tum Clerici Metropolitanum appellarunt Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum, qui communioni ac ſacris miniſteriis eòs reſtituit, & excommunicationem irritavit. Mox grandi canonum, & veterum Patrum Collectione, factum ſuum probavit, & latæ excommunicationis probavit iniquitatem, ut conſtat ex capp. 28, 30, 32, & 33 laudati Opuſculi LV. Cùmque huic Collectioni aliam oppoſuiſſet Hincmarus Laudunenſis, à Metropolitani obedientia ſe ſubducere volens, hanc luculenter exploſit Hincmarus Remenſis.

XLIX. *Hincmarus Laudunenſis Sedem Apoſt. appellat.*

Ad Synodos tandem perducta hæc cauſa eſt. Primùm ad Vermerienſem, quam Carolus Rex convocavit ad octavum Kalendas Maij, indictionis ſecundæ, ſeu anni 869, ad quam eundem Hincmarum Laudunenſem vocari præcepit. Ante hanc Synodum idem Laudunenſis Antiſtes Regem, plurimoſque aliarum diœceſeon homines excommunicarat, quibus illum ægrè reconciliavit Hincmarus Remenſis, ne recentes Injurias Synodali Judicio perſequerentur, ut ipſe teſtatur in dicta Epiſtola XXXV. Unde præſtitit ſe Synodo Hincmarus Laudunenſis; ſed cùm difficilem ſibi exitum fore ſentiret, ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Licentiam tamen eundi Romam, quò etiam ab Hadriano Papa vocabatur, obtinere tunc à Rege, & ab Epiſcopis non potuit. Qua de re conqueſtus eſt in Pitaciolo, quod citat Hincmarus Remenſis in laudata Epiſtola XXXV. Anno poſtea 870 altera Synodus apud Attiniacum Palatium celebrata, ad quam Epiſcopi ex decem provinciis convenére. Sed Hincmarus Laudunenſis ante definitionem ejuſdem Synodi, contra ſacros canones, & ſine ulla neceſſitate, vel ratione fuga lapſus, regularem definitionem expectare contempſit. Tum Pitaciolum miſit, quò Romam eundi licentiam poſtulabat. Deinde neſcio quibus machinationibus ſæculares Judices à Rege impetravit, qui non ſolùm cauſas nondum cognitas ac diſcuſſas judicarent; ſed etiam negotia coram ejus Majeſtate per electos Judices finita retractarent. Hi quædam ex definitis refricarunt, & immutarunt, quædam ex definiendis judicarunt: quo facinore graviter contra canones peccavit Laudunenſis Antiſtes, qui ab Eccleſiaſticis Judicibus, ad Eccleſiaſticos majoris auctoritatis Judices, & non à majoribus ad minores, nec ab Eccleſiaſticis ad ſæculares, neque à conſenſu partium electis provocari permittunt, ut obſervat Hincmarus Remenſis in ſæpe laudata Epiſtola XXXV, ubi hanc hiſtoriam commemorat.

L. *Hadrianus PP. aſſuffragatur.*

Poſt Synodum Attiniacenſem Hincmarus Laudunenſis, qui Sedem Apoſtolicam appellaverat, faventem habuit Hadrianum Papam, qui graves & acerbas pro ipſo literas ſcripſit Carolo Regi, & Hincmaro Remenſi Metropolitano, quibus ipſos increpabat, quòd appellantem Epiſcopum Romam ire prohiberent. Id conſtat ex Epiſtola Caroli Regis ad Hadrianum, poſt Synodum Duziacenſem, de qua mox, data; & ex Epiſtola poſteriore Epiſcoporum ejuſdem Concilii ad eundem Pontificem, quas MSs. laudat Cellotius in Vita Hincmari Laudunenſis § 13, & ſeqq. Hadriano reſpondit Hincmarus Epiſtolâ XLI, malevolum quendam ejus Sanctitati obrepſiſſe, & verbis aut literis mendacia ſuggeſſiſſe. In poteſtate autem ſua non eſſe, ut eum Romam mittat abſque mandato Regis: imò nec ſibi fas eſſe à regno ejus exire abſque ejus licentia. Ad literas verò Pontificis reſcripſit alias Carolus Rex ſtylo acerbiori, quas compoſuit Hincmarus Remenſis mandato Regis. Ejus Epiſtolæ partem recitat Baronius anno 871 num. 93, & ſeqq. ſcripta eſt enim, ut ex ejus tenore patet, poſt Synodum Duziacenſem eo anno congregatam, in qua depoſitus eſt Hincmarus Laudunenſis.

LI. *Hincmarus Laudunenſis in Synodo Duziacenſi deponitur.*

Acris illa de ejuſdem Hincmari Laudunenſis appellatione cum Hadriano Papa contentio ultra Duziacenſem Synodum perſeveravit. Indicta eſt hæc Synodus à Carolo Rege ad menſem Auguſti anni 871, ut Annales Bertiniani ad eum annum referunt. In ea Synodo Rex Actorem ſe contra Hincmarum Laudunenſem præſtitit, libellumque proclamationis Patribus obtulit, quo conqueſtus eſt de calumniis ab ipſo contra ſuam majeſtatem apud Romanum Pontificem confictis; quòd ad Lotharium Regem defectionem eſſet meditatus; quòd ſacramentum fidelitatis ſibi præſtitum violaſſet; & tandem quòd omnes ſibi infideles, contra ejus mandata, clanculum emiſiſſet, miſſoſque Regios armata manu à ſacræ Juſſionis executione prohibuiſſet. Hincmarus Remenſis Metropolitanus eidem Synodo

Digitized by Google

nodo libellum expoſtulationis obtulit contra eundem Hincmarum Laudunenſem, qui capita querimoniarum plurima continebat. Hic ter ad Synodum vocatus tandem advenit, & cum ipſo communicata eſt expoſtulatio Caroli Regis adversùs ipſum patribus oblata, necnon Epiſtola Hadriani Papæ, quâ ipſi auctoritate Sancti Spiritûs præcipiebat, ut Metropolitano ſuo per omnia, ſecundùm ſacros canones ſubjectus eſſet, *ſalvo duntaxat Apoſtolicæ Sedis Synodico proclamandi Judicio*. Ipſi datæ induciæ, ut reſponderet. Poſt trinam rursùs citationem, ægrè ſtitit ſe Synodo; interrogatus, nihil ſe reſponſurum conteſtatus eſt. Ab Hincmaro Metropolitano reſpondere juſſus ad objecta, illum recuſavit, appellationem ad Sedem Apoſtolicam ingerens. Recuſatione nulla judicata, iterum Synodi juſſu ab Hincmaro Metropolitano interrogatus, appellationem ad Romanum Pontificem oppoſuit, Romamque citavit accuſatores. Fruſtratoriæ appellationis nulla habita ratio. Contumaciter ſilens, ex verbis, ſcriptis, & ſubſcriptionibus ſuis, legitimiſque teſtimoniis convictus eſt ſeditionis, calumniæ, inobedientiæ, perjurii, & infidelitatis in Regem; pervaſionis, diſtractionis rerum Eccleſiaſticarum, excommunicationis temerè & injuſtè latæ, contemptûs & inobedientiæ, & contumaciæ erga Metropolitanum, &c. Patres ſententiam rogati, ipſum depoſitione dignum judicarunt, *ſalvo per omnia Apoſtolicæ Sedis judicio*. Omnium acceptis ſuffragiis, Hincmarus Metropolitanus ſententiam depoſitionis in eum protulit, cui poſt ipſum VII alii Metropolitani, XIII Epiſcopi, Chorepiſcopus unus, Presbyteri VI, & Archidiaconi duo, Epiſcoporum abſentium Vicarii pariter ſubſcripſére.

LII. Hadrianus PP. jubet eum Romam mitti. Denique Patres Synodicam Epiſtolam ad Hadrianum Papam ſcripſerunt, cauſæ totius relationem continentem, quâ rogarunt ſententiam adversùs Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum latam ab Apoſtolica Sede confirmari. Hæc Synodica dicitur data *VIII Idus Septemb. præſentis IV indictionis*, quia ſcilicet, ut obſervat Criticæ Baronianæ Auctor ad annum 869 num. 21, licèt Romæ, hoc ſæculo & proximè ſequentibus indictio à Kalendis Septembris initium duceret; in Gallia tamen, poſt Ludovici Pii obitum, indictio Conſtantiniana, à VIII Kalend. Octobris ſeu à die 24 Septembris cœpta, ſæpe obtinuit, ut demonſtrant duo exempla, quæ ibidem in medium adducit, quibus hoc tertium adjici poteſt, die enim 8 Idus Septembris anni 871, quo hæc Synodica certo certius data, jam currebat quinta indictio à Kalendis Septembris inchoata, ſed indictio Conſtantiniana quinta, die tantùm 24 Septembris inchoanda erat. Quæ hìc obiter dicta ſint. Scripſit & ex eadem Synodo privatam Epiſtolam ad eundem Hadrianum Pontificem Hincmarus Remenſis Metropolitanus. Orarunt Antiſtites omnes ſummo conſenſu, ut Actardum Epiſcopum Nannetenſem à Britonibus ſede ſua ejectum, qui Synodi relationem ad ejus Sanctitatem deferebat, Legationemque ab eadem Synodo ad Sedem Apoſtolicam ſuſceperat, Eccleſiæ Metropolitanæ Turonenſi præficeret. Id lubentiſſimè conceſſit Hadrianus Papa; ſed Synodum Duziacenſem, & Synodi ſententiam in Hincmarum Laudunenſem latam confirmare noluit, quod, *cùm clamaret in Synodo ſe ad Sedem Apoſtolicam velle incunctanter venire, atque in præſentia ejus pro objectis ſibi ab adverſario criminibus reſpondere, damnationis in eum fuerit prolata ſententia*. Juſſit illum mitti Romam, & cum eo *accuſatorem idoneum, qui nulla poſſet auctoritate legitima reſpui*, ut cum Synodali Conventu ſecundùm morem, Judicium retractaretur. Vetuit interim, quouſque cauſa illius refricata fuiſſet, atque finita, alterum Epiſcopum in Eccleſia Laudunenſi ullatenus ordinari, ut conſtat ex ejuſdem Hadriani Epiſtola ad Epiſcopos Synodi Duziacenſis a Baronio anno 871 num. 74 recitata, & ex altera ad Carolum Regem paulò aſperiori, à Baronio itidem anno 870 num. 28 relata, quâ cùm ejus offenſam Majeſtatem perſpexiſſet, aliam reſcripſit longè honorificentiorem, atque mitiorem, quâ ejus virtutes effuſè primùm commendavit, ut ejus animum deliniret. Ad hæc literas aſperiores, Româ anno 871 etiam miſſas ſic excuſat, ut à ſe ſcriptas neget, ſed ab Officiis, dum ipſe ægrotaret, ſuo nomine. Erat porrò Duziacum, villa in pago Noſomagenſi ad fluvium Charem, cujus mentionem facit Flodoardus in Chronico, & in Hiſtoria Remenſi, diciturque hodie *Douzi lez prez*. Quem exitum poſtea, mortuo Hadriano, hæc cauſa habuerit, videbitur in Joannis VIII ejus ſucceſſoris Pontificatu.

LIII. Hadriani PP. mors. Hadrianum enim Papam hujus nominis II anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ſupremum diem obiiſſe, inter omnes convenit, cùm certò conſtet ex Annaliſta Bertiniano Joannem VIII ejus ſucceſſorem XIX Kalendas Januarii ejuſdem anni conſecratum eſſe; ſed nullus ex Antiquis menſem, vel diem ejus mortis notavit, nec divinari poteſt, cùm Guillelmus Bibliothecarius in ejus Vita aſſerat tantùm, illum *annos quinque* ſediſſe, numero rotundo loquens, nam quidam Catalogi Pontificum Rom. habent eum ſediſſe *annos IV, menſes XI, dies XII*, quo pacto obiiſſet die vigeſima ſexta menſis Novembris anni 872, & Sedes vacaſſet die 18. Sed quidquid ſit de die mortis Hadriani, cùm con-

Digitized by Google

conſtet de die ordinationis Joannis VIII, hoc ſufficit ad Chronologiam Pontificiam ſtabiliendam.

LIV. *Ejus ſanctimonia.* Tanta in pauperes charitate fuit inſignis Hadrianus II, ut eam Deus miraculo illuſtrarit, antequam Pontifex diceretur, multiplicationis ſcilicet denariorum, quos magnæ egenorum catervæ viritim erogabat, ut pluribus legitur initio ejus Vitæ, à Guillelmo Bibliothecario ſcriptæ, in qua etiam ſcribit, cum tantæ fuiſſe *hoſpitalitatis & largitatis, ut non immeritò beato Job in his valeret comparari; nam ab infantia creverat cum eo miſeratio, & de utero matris cum ipſo egreſſa* erat. Sepultus eſt ſanctus hic Pontifex ad ſanctum Petrum.

JOANNES VIII. *Pontif. CIX.*

Anno Domini DCCCLXXII.

I. *Joannes VIII ordinatur Papa.* Defuncto, circa finem menſis Novembris anni octingenteſimi ſeptuageſimi ſecundi Hadriano II, ut mox oſtenſum eſt, Joannes octavus, natione Romanus, ex Patre Gundo, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, non multò poſt electus eſt, & conſecratus die decimâ quarta menſis Decembris ejuſdem anni, ut teſtatur Annaliſta Bertinianus, qui ad eum annum ſcribit; *Adrianus Papa moritur, & Joannes Archidiaconus Romanæ Eccleſiæ, XIX Kalendas Januarii in locum ejus ſubſtituitur*; cùm enim dies illa in Dominicam incideret, conſtat prædictum Annaliſtam ibi loqui de ejus conſecratione, ſicuti & Aimoini Continuatorem, quem ſub Aimoini nomine citat Baronius. Nec quemquam movere debet, quòd tam breve fuerit interpontificium, cùm non expectandi eſſent Legati Imperatoris, qui conſecrationi adeſſent; tunc enim, ut in eodem Annaliſta legitur, Ludovicus Imperator erat in Campania, ideoque citò ejus Legati Romam pervenire potuerunt.

II. *Ravennæ Concilium celebrat.* Anno octingenteſimo ſeptuageſimo quarto, ut ſcribit Rubeus lib. 5. Hiſtoriæ Ravennatis, Joannes Papa Conventum 74 Epiſcoporum Ravennæ coegit, in eoque litem inter Urſum Ducem Venetiarum, & Petrum Patriarcham Gradenſem compoſuit. Nam Senatore Epiſcopo Torcellano mortuo, Petrus Patriarcha Gradenſis Dominicum Altinatis Monaſterii Abbatem confirmare & conſecrare abnuerat, quòd ſibi virilia ſuccidiſſet. Petrus à Duce perterritus Romam perrexit, & cauſam à Romano Pontifice cognoſci poſtulavit. Hinc cum Joanne Papa Ravennam perrexit, quò etiam Hendelmarius Aquilejenſis Patriarcha, & Leo Caprulenſis Epiſcopus, ceterique ejuſdem Provinciæ Epiſcopi advocati. *Qui tamen quoniam advenêre confecto jam conventu, communione privati ſunt. Quamquam haud ita diu poſt, Ducis precibus, reſtituuntur. Eccleſiæ Torcellanæ bona Dominico tamen permiſſa.*

III. *Carolum Calvum Imp. coronat.* Poſtero anno octingenteſimo ſeptuageſimo quinto Ludovicus Imperator hujus nominis II, ſævum morbum nactus, die decima tertia Auguſti mortem Mediolani oppetiit, nulla relicta prole virili. Quare magna inde pro imperio & regno Italiæ adſciſcendo certamina concitata ſunt. Etenim ad hanc uſque diem ejuſmodi decus à patre vivente, maximo natu filio deferri, ſubſequente Summi Pontificis conſecratione, conſueverat, ut ex dictis manifeſtum eſt. Carolus Calvus Franciæ, & Ludovicus Germaniæ Reges certatim animum ad Italiam, atque ad Imperium adjecerunt, haud dubiâ ſpe, ejus fore utrumque, qui prior armatus in Italiam deſcendiſſet, ac partâ Joannis Pontificis gratiâ, ſolemnia ab illo inſignia recepiſſet. Italiæ Principes & Comites Tuſculani ipſi, qui in civitate Romana opibus excellebant, antiquam imperandi Majeſtatem ad Italos reverti cupiebant. Verùm cùm Joannem Pontificem adiiſſent, ut eum in ſuam ſententiam pertraherent, ab eo, in unum Carolum Calvum converſo, rejecti ſunt. Carolus Rex Kalendis Septembris iter in Italiam arripuit, teſte Annaliſta Bertiniano, & *quibuſdam de Primoribus ex Italia ad ſe non venientibus, pluribus autem receptis, Romam invitante Papa Joanne perrexit, & XVI Kal. Januarii ab eo cum gloria magna in Eccleſia Sancti Petri ſuſceptus eſt*, & in die Natalis Chriſti Imperator ab eodem Pontifice coronatus. Idem enim Annaliſta, qui annum ab eo die exorditur, ſubdit: *Anno Domini 876 in die Nativitatis Domini, Beato Petro multa & pretioſa munera offerens* (ſcilicet Carolus Calvus) *in Imperatorem unctus & coronatus, atque Romanorum Imperator appellatus eſt.*

IV. *Caroli electionem in Synodo Ticinenſi & Pontigonenſi confirmari curat.* Anno ſequenti octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto Joannes Papa cum Carolo Imperatore Nonis Januarii, ut ait Continuatur Aimoini, Româ ſolvens, Ticinum petiit, et in eadem civitate Conventus Epiſcoporum & Comitum celebratus eſt menſe Februario, in quo imperium eidem Carolo Romæ collatum, omnium conſenſu à Joanne Pontifice, ibi præſente, iterum confirmatum eſt. Poſt hæc Joannem Epiſcopum Tu-

Digitized by Google

Tuſcanienſem, Joannem Aretinum & Anſegiſum Senonenſem in Galliam Joannes Pontifex Legatos direxit, qui præeſſent Concilio Pontigonenſi menſe Junio ejuſdem anni celebrato, in cujus ſecunda actione confirmata eſt etiam à Gallicanis Epiſcopis electio Imperatoris, & Acta Synodi, ſeu Conventus Ticinenſis. Eidem Synodo Pontigonenſi præter duos Legatos memoratos, Joannem ſcilicet Tuſcanienſem, & Joannem Aretinum ſubſcripſêre Archiepiſcopi VI, & Epiſcopi XLIII. Erat porrò Pontigo villa Regia, ſita in Pago Portenſi ad fluvium, qui haud procul à Victoriaco in Matronam devolvitur, Gallicè *Pontion*, de qua legendus Mabillon. lib.4 de Re diplom. pag.317.

V. *Anſegiſum Archiepiſc. Senonenſem Primatem in Galliis dicit.*

Quod attinet ad Anſegiſum Senonenſem Archiepiſcopum, is cùm poſt mortem Ludovici II Imperatoris, à Carolo Calvo Romam miſſus fuiſſet, ipſique Imperium à Joanne VIII & Italiæ Primoribus, ut deferretur, effeciſſet, Carolus literas ab eodem Pontifice obtinuit, quibus Primatus in Galliam, & Germaniam Cis-Rhenanam eidem Archiepiſcopo conferebatur, tam in convocandis Synodis, quàm definiendis quibuſcumque emergentibus dubiis. Quæ literę cùm lectæ fuiſſent in prima Actione Synodi Pontigonenſis, reclamarunt alii Galliarum Archiepiſcopi, ac præcipuè Hincmarus Remenſis, hæc fieri contra antiquos canones, & ſedium ſuarum privilegia. Verumtamen Carolus Anſegiſo favens, eum ſupra alios omnes ordinatione antiquiores ſedere fecit juxta Legatos Apoſtolicos. Joannis Papæ literæ referuntur à Sirmondo Tomo 3 Conciliorum Galliæ. De eo Primatu legendi Natalis Alexander ſec. IX & X par. 1 cap. 5 art. 1. §. 3, & Gerardus Dubois in Hiſt. Eccleſ. Pariſ. lib. 8. cap. 1.

VI. *Formoſum Epiſc. Portuenſem damnat.*

In Actione ſexta ejuſdem Synodi Pontigonenſis lecta eſt Epiſtola ejuſdem Joannis Papæ de damnatione Formoſi Epiſcopi Portuenſis, Gregorii Nomenclatoris, & conſentientium eis, delata per Leonem Epiſcopum ejuſdem Pontificis nepotem, & Petrum Foroſempronienſem, alios Joannis Legatos. Baronius ait, ſe neſcire cur Formoſus damnatus fuerit, ſed literæ Joannis Papæ *ad univerſos Gallos, & Germanos*, 11 *Kalend. Maji* 876 datæ, quæ ordine ſunt 319, ejus damnationis cauſam nos edocent. Formoſus Nicolai Papæ tempore, unà cum aliis ad Bulgaros directus fuit, Bulgarique eum ſibi Archiepiſcopum *importuniſſimè*, deprecati ſunt. Ait autẽ Joannes VIII in laudata Epiſtola: *Formoſum Portuenſem Epiſcopum, qui à beatæ memoriæ Domno prædeceſſore noſtro Papa Nicolao in Bulgarũm patriam deſtinatus, noviter in Chriſto regeneratis Regis* (nempe Michaelis) *animos adeò ſuis calliditatibus vitiavit, ut terribilibus ſacramentis eum ſibi obſtrinxiſſe teſtatus ſit, ne ſe vivo quemlibet Epiſcopum à Sede Apoſtolica ſuſcepiſſet: ſeque eidem terribilibus nihilominus juramentis, ut ad eum quantocius reverti debuiſſet, obſtrictum fuiſſe profeſſus ſit, quique à nobis proficiſcendi illùc licentiam, literas & neceſſaria adjutoria impetravit: quoniam jam dudum per ambitionem à minori Eccleſia ad majorem, videlicet Sanctam Sedem Apoſtolicam proſilire conatus, plurimos ſibi conſolatores effecit, & nunc per repertam hypocriſim retrorſum rediens, ſine licentia vel conſcientia noſtra propriam parœchiam deſeruit, Urbe diſceſſit, & contra ſalutem Reip. dilectique filii noſtri Caroli à nobis electi & ordinati Principis, cum ſuis fautoribus conſpiravit: niſi amodò intra diem decimum, ideſt, 3 Kal. Maji præſentis nonæ indictionis, præſentiam ſuam nobis ſatiſfaciendo monſtraverit, auctoritate Dei omnipotentis, Sanctorumque Apoſtolorum Petri & Pauli Eccleſiaſticâ communione privatum eſſe decernimus.* Hic eſt ille Formoſus, qui anno poſtea 891 ſummum Pontificatum adeptus eſt.

VII. *Imperium Carolo confirmat in Synodo Rom.*

Abſoluta Synodo Pontigonenſi, cùm Carolus Imperator Legatos Apoſtolicos cum ſuis Miſſis ad Ludovicum Germaniæ Regem fratrem ſuum direxiſſet, ei nunciatum eſt, præfatum Ludovicum Regem V Kalendas Septembris Francofordiæ obiiſſe; ejuſque morte lætus, filiorum ejus regnis inhians, exercitum in Germaniam duxit, omniaque prædis & populationibus infeſtavit. Ludovicus Germaniæ Rex defuncti filius, cùm nihil a patruo Imperatore obtinere poſſet, Rhenum trajecit, Imperatoris legiones diſjecit, & ad ipſa ſigna penetravit. Imperator ipſe vix inſequentium manus evaſit. Ingens victoribus præda ceſſit, auri, argentique immane pondus: impedimenta omnia, & gaza regia direpta. *Acta eſt hæc ſtrages VIII Idus octobris*, ut legitur in Annaliſtis Bertiniano & Metenſi. Poſt eam, cùm filii Ludovici Germaniæ Regis nuper defuncti, cum Carolo de Imperio, ipſi in duabus Synodis, Ticinenſi & Pontigonenſi confirmato, contenderent; Carolus Imperator, menſe Februario ſubſequentis anni octingenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi Adalgarium Epiſcopum Aeduenſem Romam direxit, pro agenda Synodo à Papa Joanne, ut ſibi totius Synodi conſenſu Imperium adversùs eoſdem iterum confirmaretur. De hac Synodo hæc habet Annaliſta Bertinianus ad annum 877. Imperator *veniens ultra Jurum uſque ad Urbam, obviam habuit Adalgarium Epiſcopum, quem menſe Februario Romam direxerat pro agendo Synodo à Papa Joanne: cujus exemplar iiſdem Adalgarius pro magno munere Imperatori detulit. Summa verò ejuſdem Synodi poſt multas & multiplices laudes Imperatoris hæc eſt, ut electio & promotio ad Imperialia ſceptra anno præterito Ro-*

ma

Digitized by Google

ma celebrata (die nempe 25 menſis Decembris Natali Chriſti ſacro anni 875, à quo iſte Annaliſta annum 876 exorditur) *ex tunc & nunc & in perpetuum firma & ſtabilis maneat. Quam ſi quis perturbare aut violare tentaverit, cujuſcunque ſit ordinis & dignitatis, vel profeſſionis, anathemate uſque ad ſatisfactionem teneatur omni tempore adnexus. Patratores & incitatores hujus conſilii, ſiquidem Clerici fuerint, deponantur, laici verò & Monachi perpetuo anathemate feriantur: ut quia Synodus anno præterito* (ideſt 876) *apud Pontigonem hinc habita ſecus Andranacum nihil profuit, uſquequaque iſta debeat prævalere.* Ea Synodus ad initium circiter Julii anni 877 pertinet, ut oſtendit Annotator Baronii ad annum 876 quo eam celebratam exiſtimavit Baronius.

VIII. *Vercellis cum Imp. colloquium habet, & Romam redit.* Inter hæc cùm ſtatus Romanæ urbis & adjacentium provinciarum ob Saracenorum infeſtationes valde infelix eſſet, Joannes Papa Petrum Epiſcopum Foroſempronii & Petrum Epiſcopum Senogalliæ ad Carolum Imperatorem miſit, *per quos tam verbis, quàm literis eum Joannes Apoſtolicus Romam vocavit: quatenus, ſicut promiſerat, Sanctam Romanam Eccleſiam, à Paganis, quibus infeſtabatur, eriperet, atque defenderet*, inquit Annaliſta Bertinianus laudatus, qui poſtea ſubdit: *Nunciavit etiam inter alia iſdem Adalgarius Imperatori, quoniam Joannes Papa obviam illi Papiam veniret. Quamobrem præmiſit Odacrum ſecundi ſcrinii Notarium, Goiramnum Comitem, & Pippinum, atque Heribertum ad procuranda ipſius Papæ ſervitia. Ipſe autem feſtinatò perrexit ad eum, quem obviam habuit apud Vercellas civitatem. Et eo recepto cum honore maximo, perrexerunt ſimul uſque Papiam. Ubi eis nunciatum eſt non incerta relatione Carolomannum Hludovici fratris ſui filium cum maxima multitudine bellatorum ſuper eos venire. Quapropter relinquentes Papiam venerunt ad Tardunam* [ideſt Dertoſam] *& conſecrata Richildis à Papa Joanne in Imperatricem, mox retorſum fugam arripuit cum theſauro versùs Moriennam. Imperator autem aliquandiu unà cum Joanne Papa in eiſdem locis immorans, expectavit Primores regni ſui, Hugonem Abbatem, Boſonem, Bernardum Arvernicum Comitem, itemque Bernardum Gothiæ Markionem, quos ſecum ire juſſerat. Qui unà cum aliis regni Primoribus (exceptis paucis & Epiſcopis) adversùs eum conſpirantes conjuraverant. Et comperiens eos non venturos, ut audierunt ipſe & Papa Joannes appropinquare Carolomannum, Imperator poſt Richildem fugam arripuit, & Papa Joannes versùs Romam concitè feſtinavit.* Refert poſtea idem Annaliſta Carolomannum mendaci nuncio territum, Imperatorem nempe & Papam cum maxima bellatorum multitudine venire, fugam arripuiſſe & in Germaniam reverſum eſſe; Carolum verò Imperatorem tranſito monte Cinifio, in loco, *qui Brios dicitur*, perveniſſe, ubi *undecimo die poſt venenum hauſtum in viliſſimo tugurio mortuus eſt II Nonas Octobris.* Carolo in regnum Gallicum, non verò in Imperium ſucceſſit Ludovicus Balbus ejus filius.

IX. *Duziacenſem Synodum confirmat.* Sed antequam ceteras Joannis Papæ res geſtas proſequamur, hìc non omittendum, inter cetera negotia, quæ Romæ cum Joanne Pontifice confecit Carolus Imperator poſt ſuam inaugurationem, anno 875 in die Natali Chriſti peractam, non poſtremum fuiſſe, confirmationem Concilii Duziacenſis, in quo Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus depoſitus fuerat, ut diximus in ſuperiori Pontificatu. Carolus enim Imperator Pontifici res ab homine malè geſtas, communes omnium querelas, & legitimam Synodi cognitionem coram enarravit, illumque induxit, ut mox ad Hincmarum Remenſem ejus Metropolitanum literas daret, quibus ratum habuit ejus judicium, & alium in depoſiti locum ſuſſici juſſit. Eam Epiſtolam *anno Dominicæ Incarnationis 876 Nonis Januarii, indictione IX* datam refert Sirmondus Tomo 3 Concil. Gall. pag. 422. In Hincmari Laudunenſis locum electus eſt Hedenulſus; ipſe verò Hincmarus, poſt duos annos in cuſtodia tranſactos, oculis privatus eſt. De eo mox ſermo redibit.

X. *Ravennæ Synodum celebrat.* Priuſquam Joannes Papa anno 877 cum Carolo Imperatore Vercellis colloqueretur, Româ exierat, & menſe Auguſto Ravennæ numeroſam CXXX Epiſcoporum Synodum congregarat, cujus decreta Holſtenius in Collectione Romana publicavit, cum hoc titulo: *Joannis Papæ VIII Synodus Ravennæ habita cum 130 Epiſcopis anno Chriſti 877, menſe Auguſto, Ind. X.* Nec differri poteſt hæc Synodus cum Chifſletio in probationibus Hiſtoriæ Trenorcienſis pag. 249, & in ipſa Hiſtoria pag. 119 ad menſem Novembrem ejuſdem anni 877, quia, ut obſervat Annotator Baronii ad eundem annum, num. XI, illa, vivente adhuc Carolo Imperatore celebrata, cùm Joannes VIII in Epiſtola 63 ad Carolomannum Bajoariæ Regem *data menſe Novembri, Indictione XI*, de hac Synodo loquens dicat: *Affuit Reverendiſſimus & confrater noſter Adalgarius Sanctæ Auguſtodunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Miſſus etiam Imperialis, deferens nobis præcepta Imperialia, & privilegio Sedis Apoſtolicæ roborata ex quodam monaſterio Fleviniaco nomine, quod eſt ſitum in pago Alſenſi in parochia jam dictæ Auguſtodunenſis Eccleſiæ: quod munificentiâ & liberalitate Chriſtianiſſimi Imperatoris, & piiſſimi Auguſti Karoli jam dictæ matri Eccleſiæ conſtat unitum.* Vivebat ergo tempore

Digitized by Google

pore Synodi Carolus Imperator, qui obiit II Nonas Octobris. Certè veroſimile non eſt, Imperio vacante, Pontificem & Epiſcopos ſe *Imperiali decreto* congregatos dixiſſe. Illius Synodi ſuperſunt tantùm capitula 19 ad diſciplinam, & immunitatem Eccleſiaſticam reſtituendam ſpectantia, & præterea Epiſtola, qua poſſeſſio Flaviniaci monaſterii Adalgario Æduenſi Epiſcopo confirmatur, quam Holſtenius non viderat, quæque edita eſt, ex Tabulario Eccleſiæ Æduenſis à Domno Violeo in Vindiciis Reliquiarum Sanctæ Reginæ Virginis & Martyris, à Chifletio loco laudato, & à Labbeo in Conciliorum Collectione Tomo IX.

XI. *Cogitur ſolvere tributum Saracenis.*

Joannes Pontifex, auxilio Caroli, in quò tantoperè ſperaverat, ſe deſtitutum, reliquos verò Principes ſibi infenſos videns, ob id quòd adeò Carolo ſtuduiſſet, quò ſe liberaret ab ingruentibus Saracenis jam jam Urbem invaſuris, nullam aliam viam invenit, niſi, ut ſummo Chriſtianorum Principum dedecore, annui viginti quinque millium mancuſorum argenti (erat genus nummorum hujus temporis) penſitatione tributi eos quieſcere faceret. Id enim teſtatur Joannes ipſe in Epiſtola 89 ad Carolomannum Regem, dum queritur, poſt Saracenos ſedatos, à Chriſtianis Principibus Romanam Eccleſiam pati preſſuram. Ad hujus tributi ſolutionem adactus fuit Joannes Papa, quia cùm *Docibilis* Dux Cajetæ Garilianum arcem ad Lirim amnem in finibus Campaniæ condidiſſet, eamque anno ſuperiori 876, ut captivos ſuos recuperare poſſet, Saracenis ad habitandum conceſſiſſet, hi multum Chriſtiani ſanguinis effundebant; nihil enim accidere potuit Romanæ urbi, & ditioni pernicioſiùs, quàm illius arcis traditio Saracenis facta. Hinc idem Joannes Papa Epiſtolâ 21 ad Carolum Calvum Imperatorem data *XVII Kalend. Decemb. Indict.* X, anno ſcilicet 876, calamitates à Saracenis illatas his verbis enarrat: *Chriſtianorum ſanguis effunditur, devotus Deo populus continua ſtrage vaſtatur. Nam qui evadit ignem vel gladium, præda efficitur, captivus trahitur, & exul perpetuus conſtituitur. En civitates, caſtra, villæ deſtitutæ habitatoribus pereunt, & Epiſcopi hàc illacque diſperſi, ſola illis Apoſtolorum limina derelicta ſunt in refugium, cùm Epiſcopia eorum in ferarum ſint redacta cubili, & ipſis vagis & ſine tectis inventis, non jam eis liceat prædicare, ſed mendicare.* Quæ Saracenos Garilianum arcem jam occupaſſe, quando ea Epiſtola ſcripta, manifeſtum faciunt. Ex ea poſtea ejecti ſunt anno 916, cùm ibi *annis fermè quadraginta conſtituti* fuiſſent, ut inquit Leo Oſtienſis lib. 5 cap. 43; de ea arce ſermo redibit in Joannis X Pontificatu.

XII. *Imò & Roma exire.*

Interim Romæ, Caroli Imperatoris morte audita, Lambertus Comes Spoletanus, & Adalbertus Marchio Tuſciæ, qui villas & civitates Eccleſię Romanę prædati fuerant, ob idque excommunicati fuerant, novo tumultu concitato Joannem Papam per arma captum in carcerem condiderunt, ac Patriarchium & fundos ejus diripuerunt. Ille verò ope ſuorum elapſus, parum ſe tutò in Urbe eſſe exiſtimans, ad Ludovicum Balbum Francorum Regem, cujus patrem Imperiali corona donaverat, ſibi proficiſcendum putavit. Lambertus enim, & Adalbertus, aliis Epiſcopis, & Clericis atque Monachis peſſimè habitis, Proceres in verba Carolomanni Bajoariæ Regis jurare fecerant, & omnia in Urbe ita confuſa erant, ut per multos dies clauſis portis Eccleſiæ Sancti Petri, ipſoque Altari cilicio obducto, nullum illic officium divinum celebratum fuerit. Quæ fusè narrat ipſemet Joannes in Epiſtola 84 ad Joannem Archiepiſcopum Ravennatem, & in 85 ad Berengarium Comitem ex Regia ſtirpe oriundum.

XIII. *In Gallias venit.*

Româ itaque ſolvens Joannes Papa circa finem menſis Aprilis anni octingenteſimi ſeptuageſimi octavi, Arelatem pervenit in die Pentecoſtes, ſeu die undecima Maii, ut ſcribit Annaliſta Bertinianus ad eundem annum: *Joannes Papa iraſcens contra Landbertum & Adalbertum Comites, quia villas, & civitatem ejus prædati ſunt, eis horribiliter excommunicatis, Româ exiit, & navigio Arelatum in die Sancto Pentecoſtes appulit, ſuoſque Nuncios ad Boſonem Comitem miſit: & per ejus auxilium uſque Lugdunum venit: & inde miſſos ſuos ad Regem Ludovicum Turonis miſit: mandans, ut ei obviam veniret, quò ſibi commodum foret.* Baronius quidem ſcribit ex Epiſtola 184 Joannis Papæ ad Branimirum Principem conſtare, Pontificem ipſo die Aſcenſionis Domini, ſeu die prima Maii Arelate Miſſam celebraſſe; ſed hæc non cohærent cum Epiſtola, quam Joannes, Romæ adhuc conſiſtens, ad Joannem Archiepiſcopum Ravennatenſem eodem anno 878 ſcripſit, ordine 84, hæc enim dicitur *data quarto Kal. Maii Indictione undecima.* Cùm ergo Pontifex adhuc Romæ eſſet die 28 Aprilis, non potuit die prima Maii Arelate Miſſam celebrare. Standum itaque videtur Annaliſtæ Bertiniano, & Continuatori Aimoini, qui aſſerunt, Pontificem Arelatem appuliſſe *in die Sancto Pentecoſtes*. Idem Baronius ſcribit, Joannem Arelate exiſtentem Roſtagno illius urbis Archiepiſcopo vices ſuas per Gallias commiſiſſe, quod probat ex ejus Epiſtolis 93, 94, & 95. Sed eas Epiſtolas Joanni VIII falsò adſcriptas, & ſuppoſititias eſſe oſtendit Natalis Alexander Sæc. IX, & X, cap. 1 Art. 11.

Digitized by Google

Arelate Lugdunum venit Joannes Pontifex; inde Legatos miſit ad Ludovicum Balbum Regem; qui direxit ei obviam quoſdam Epiſcopos, petens, ut uſque Trecas veniret; ipſe enim propter infirmitatem uſque ad Kalendas Septembris ad eam urbem accedere non potuit. Intereà Joannes Papa ad Kalendas Auguſti Concilium Trecis celebrandum indixit, ut conſtat ex ejus Epiſtola 91 ad Angelbergam Auguſtam, Ludovici II quondam Imperatoris viduam. Synodus tamen *III Idus Auguſti* ſolùm inchoata, ut liquet ex Breviario Actorum ejuſdem Synodi, ex veteri codice deſcripto à Sirmondo Tom. 3 Concil. Gall. pag. 473. In ea Synodo confirmata eſt excommunicatio Lamberti & Adalberti, qui Romanam Eccleſiam, & Pontificem vexabant. Promulgata eſt etiam & iterum aggravata excommunicatio adversùs Formoſum Epiſcopum Portuenſem, Gregorium Nomenclatorem, & Georgium Magiſtrum militum, jam antea ab eo Pontifice lata. Decretum ab eo editum contra laicos, qui viventibus uxoribus, alias ducebant, Synodi Ravennatenſis canones ibidem fuêre confirmati, & alii prætereà ſex conditi.

XIV. *Synodum Trecis habet.*

XV. *Burdigalenſem Archiep. ad tam liter.*

In eadem Synodo decretum ab eodem Pontifice editum eſt contra Epiſcopos, qui à minori ad majorem Eccleſiam tranſmigrabant. Cui occaſionem dedit Frotarius, qui à Burdigalenſi Eccleſia ad Bituricenſem Archiepiſcopatum tranſierat, rogante Carolo Calvo, quia Burdigala à Normannis vaſtata fuerat; ſed pro ea tranſlatione diſpenſationem obtinuerat ab ipſo Joanne Pontifice, ut conſtat ex ejus Epiſtolis 8 ad Carolum Calvum Imperatorem, 13 ad Clerum, & plebem Bituricenſem, & 14 ad Epiſcopos ejuſdem provinciæ. Sed cùm in Ludovici Balbi animum ſuſpiciones quædam contra Frotarii fidelitatem irrepſiſſent, negotium ei faceſſivit apud Pontificem, qui ideo ipſum convenit per literas, ut Synodo adeſſet, migrationis ſuæ rationem redditurus, ut ex ipſius Pontificis literis compertum eſt.

XVI. *Permittit Hincmaro Laudunenſi ut ſacrum faciat, & parte reddituum Epiſcopatus fruatur.*

Memorabilis eſt querela Hincmari Laudunenſis quondam Epiſcopi cæci, qui libellum, ſeu proclamationem Joanni Papæ in eadem Synodo obtulit contra Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum, quo Sedis Apoſtolicæ æquitatem implorabat, quove omnium animos ad commiſerationem commovit: *Tranſmiſſus ſum*, inquit, *in exilium, in quo per duos annos ſumus, ſed aliquanto tempore ferro vinctus cuſtoditus ſum, duobus annis fermè peractis inſuper vexatus ſum, & uſque modò retentus, ad Vos & ad veſtræ priſtinæ ſerenitatis præſentiam, mox ut venire dimiſſus potui, protinus acceſſi.* Lecto libello, *dixit Papa Joannes*, teſte annaliſta Bertiniano, ut *Hedenulphus* (quem non multò ante diximus electum Laudunenſem Epiſcopum in locum Hincmari) *ſua auctoritate ordinatus Epiſcopus ſedem ſuam teneret, & Epiſcopale miniſterium ageret, & Hincmarus cæcus, ſi vellet Miſſam cantaret, & partem de rebus Epiſcopii Laudunenſis haberet. Et cùm Hedenulphus apud eumdem Papam peteret, ut illum ab ea ſede abſolveret, dicens ſe eſſe infirmum, & velle intrare monaſterium, hoc obtinere non potuit. Sed præceptum eſt illi ab eo, conſentiente Rege atque Epiſcopis Hincmari fautoribus, ut ſedem ſuam teneret, & Epiſcopale miniſterium ageret. Qui fautores Hincmari audientes quòd Papa Joannes dixerit, ut ſi vellet Hincmarus cæcus, miſſam cantaret, & Rex conſentiret, ut partem de Epiſcopio Laudunenſi haberet: inſperatè aliarum provinciarum Epiſcopi, ſed & aliarum regionum Metropolitani, ſine præceptione Papæ, Hincmarum veſtimentis Sacerdotalibus indutum in præſentiam ipſius Papæ adduxerunt, & ſignum benedictionis ſuper populum dare fecerunt. Sicque Synodus illa finita eſt*, & quidem *quarto Idus Septembris*, quo die, teſte eodem Annaliſta, Hincmari cauſa agitata. Sed inde inferri non debet, Hincmarum Laudunenſem in ſedem reſtitutum fuiſſe; ut enim inquit Cellotius in ejus Vita § 21, gratia hæc fuit, non judicium; permiſſio, non ſententia; non eſt retractata cauſa; Acta Concilii, in quo depoſitus fuerat, non ſunt reſciſſa; imò potiùs confirmatus in ſede Epiſcopali Hedenulphus, à qua & ſucceſſoris poſſeſſione, & orbitate ſua excludebatur Hincmarus, qui inglorius in ſua illa Sacerdotali parte non multò poſt obiit.

XVII. *Ludovicum Balbum Regem, non Imperatorem coronat.*

Antequam Synodus ſolveretur, Joannes Papa Ludovicum Balbum Francorum Regem coronavit, ut habet idem Annaliſta: *Et coronatus Ludovicus à Joanne Papa VII Idus Septembris invitavit eumdem Papam ad domum ſuam, & opiparè paſcens honoravit eum multis Donis ipſe & uxor ſua, & remiſit eum ad Trecas civitatem. Poſtea verò per miſſos ſuos petiit eundem Papam, ut uxorem illius in Reginam coronaret, ſed obtinere non potuit.* Ex hac coronatione Baronius & alii intulerunt, Ludovicum Balbum Carolo Calvo patri in Imperium ſucceſſiſſe; ſed hec coronatio Regia fuit, non Imperialis, licèt Joannes Imperium in Ludovicum transferre ſtuduerit, ob idque à Romanis vexatus, Urbe evadere coactus ſit, uti refert Sigebertus in chronico. Unde ipſemet Joannes in Epiſtola 82 ad Ludovicum, & Carolomannum fratres Ludovici Balbi filios, vocat Carolum divæ memoriæ Imperatorem, Ludovicum verò Balbum ſolùm Regem appellat. Sed rem evincit diploma ipſius Ludovici Balbi, ab eo pro Eccleſia Nivernenſi datum 4 *Idus Septembris*, triduo poſt coronationem ſuam, in quo ſe tan-

Digitized by Google

tantùm Regem appellat his verbis: *Ludovicus miſericordia Dei Rex*. Rex ergo fuit, non Imperator. Videatur Sirmondus in Notis ad hoc Concilium Trecenſe II, ubi de hoc vulgari errore agit. Cur porrò Joannes Papa Reginam coronare recuſarit, mihi incompertum eſt.

XVIII. *Walæ Metenſi Epiſc. pallium concedit.*

Pridie antequam Ludovicus Balbus coronaretur, Joannes Papa pallium conceſſit Walæ Epiſcopo Metenſi, qui Adventio ſucceſſerat menſe Aprili anni 877. Literæ hac de re à Wala obtentæ extant Tomo IX Concil. pag. 239 in Appendice Epiſtolarum Joannis Papæ VIII, in quarum calce legitur: *Scriptum per manum Georgii Scrinarii S. R. E. in menſe Septembri, Indictione* XII, *data 7 Idus Septemb. per manum Walperti humillimi Epiſcopi Sanctæ Portuenſis Eccleſiæ, anno Domini propitio Pontificatûs domni noſtri Joannis Summi Pontificis & univerſalis Papæ in ſacratiſſima Sede Beati Petri Apoſtoli ſexto, Indictione* 12; qui characteres certò denotant annum 878; quo menſe Septembri in curſu erat annus ſextus Joannis Papæ, & Indictio 12 à Kalendis ejuſdem menſis inchoata. Harum literarum meminit Flodoardus lib. 3, cap. 23. Sed Bertulphus Archiepiſcopus Trevirenſis eas ſuſcipere noluit, unde in Chronico Sancti Trudonis lib. 2 part. 1 cap. 15 legitur: *Waloni anno ordinationis ſuæ ſecundo* [legendum, tertio] *ob reverentiam dignitatis regni Lotharingiæ, cujus Metis civitas caput fuit, Joannes Papa pallium tranſmiſit, & quibus feſtis hoc uſurus fuerit, patentibus literis indulſit. Super quo uſu ab Archiepiſcopo Trevirenſi Bertulpho ut pallium deponeret, admonetur. Cui idem Walo reſpondit, ſe non primum, ſed quintum fuiſſe Epiſcopum, quem Sedes Apoſtolica pallii honore dignata fuit, primò ſcilicet Urbitium, ſecundò Rodegangum* [ſeu Crodegangum] *Pippini tertii, Francorum Regis ex ſorore nepotem, tertiò Angilramnum, quartò verò Drogonem Caroli Magni filium, quintus extiti. Sed præfato Bertulpho his aſſertionibus non contento, Hincmarus Rhemorum Archipræſul ad ſedandam talis controverſiæ litem, Metenſem Walonem, ut ſuo Metropolitano obediret, informavit, ſicque prætermiſſo pallio, diſcordia quievit.* Wala tamen, ſeu Walo Archiepiſcopus vocatus reperitur in epitaphio ipſi poſt mortem, quæ anno 882 contigit, poſito, ut ad eum annum num. 12 videre eſt in Critica Baroniana.

XIX. *Romam redit.*

Synodo Trecenſi, die decima menſis Septembris anni 878 abſoluta, *Papa Joannes*, ut proſequitur idem Annaliſta Bertinianus, *Trecas movens, Cavillonem petiit, indeque per Mortennam iter agens per Cluſas montis Cinifii Italiam à Boſone & uxore illius deductus, introivit*. Nam cùm ipſe Ludovicus Rex, ob corporis imbecillitatem, ex recenti morbo contractam, Pontificem in Urbem reducere non valeret, Boſonem Comitem, poſtea Burgundiæ Regem, cum eo voluit proficiſci; quem quidem Boſonem ab eodem Joanne Papa adoptatum eſſe in filium tradit continuator Aimoini, nimirum ut dum Boſo mandata adminiſtraret, Joannes liberius vacare poſſet rebus divinis. Hanc enim ſuæ adoptionis rationem reddidit ipſe in Epiſtola 119 tunc ſcripta ad Regem Carolum cognomento Craſſum, Alemanniæ Regem. Annaliſta Fuldenſis, qui cùm anno 882 opus ſuum abſolvit, de Joanne Papa ſcribit: *Aſſumpto Boſone Comite, qui propria uxore veneno extincta, filiam Hludovici Imp. de Italia per vim rapuerat, cum magna ambitione in Italiam rediit, & cum eo machinari ſtuduit, quomodo regnum Italicum de poteſtate Carlomanni auferre, & ei tuendum committere potuiſſet*; ex quo forsàn factum eſt, ut anno 879 Carolus Craſſus Carolomanni Bajoariæ & Italiæ Regis frater, Rex pariter Italiæ coronaretur.

XX. *Cogitat de Regis Italici electione.*

Carolo Calvo Imperatore, ineunte Octobri anni 877 mortuo, Carolomannus, Ludovici quondàm Germaniæ Regis filius, Rex Bajoariæ, omnium voluntate Rex Italiæ ſalutatus, poſtquam provinciam ordinavit, in Bajoariam regreſſus eſt, ut habet Annaliſta Fuldenſis, & ſcribit Hermannus Contractus juxtà editionem Caniſianam: *Karlmannus*, inquit Annaliſta Fuldenſis, *Optimates Italiæ ad ſe venientes ſuſcepit, & diſpoſita, prout voluit, regione, reverſus eſt in Bajoariam*. Unde Sigonius lib. 5 de Regno Italiæ notat, extare in Longobardia multa diplomata, quibus ipſe Carolomannus Bavariæ atque Italiæ Regem ſe inſcribit, quæ tamen omnia in Bavaria data ſunt. Joannes item Papa ad eum ſcripſit Epiſtolam 68, *menſe Novembri, Indictione* 11, ideoque anno 877 datam, qua reſpondet Pontifex ſe miſſurum ad eum Legatos cum literis ea continentibus, quæ ipſe debeat Romanæ Eccleſiæ concedere, iiſque peractis, ſeſe rursùm honorificè miſſurum, qui eum cum tota decentia *ad limina Apoſtolorum ductare ſtudeant*. Anno tamen 879 Carolus Craſſus dictus eſt etiam Rex Italiæ, *quia*, ut inquit Joannes Papa in Epiſtola 155, *Carolomannus corporis, ſicut audivimus, incommoditate gravatus, regnum retinere jam nequit: de novi Regis electione ut pariter conſideremus, Vos prædicto adeſſe tempore* [nempe Romæ ad Calendas Majas, ubi Synodum indixerat, ex Continuatore Aimoini lib. 5 cap. 39) *valide oportet, & ideo antea nullum abſque noſtro conſenſu Regem debetis recipere. Nam ipſe, qui à nobis eſt ordinandus in Imperium, à nobis primùm atque potiſſimùm debet eſſe vocatus atque electus*. Cùm verò Pontificis animus erga Carolum Craſſum propenſior eſſet, eum, ut

Digitized by Google

ut Romam Legatos mittat, atque demum ipſe veniat, hortatus eſt Epiſtolis 160, & 181. Cùm tamen Pontificis animus adhuc fluctuaret, & de Ludovico Caroli Craſſi fratre aſſumendo agere cœpiſſet, anno 879, teſte Annaliſta Bertiniano, Carolus in Longobardiam perrexit, & regnum illud obtinuit, & quidem poſt diem 8 menſis Julii, ut oſtendit Annotator Baronii ad eumdem annum num. 8. Carolus poſtea in die Natalis Domini anni 880 à Joanne Papa coronatus eſt Imperator, ut mox dicetur.

XXI. *Photius ſedem Cpolitanam occupat.*

Priùs enim agendum nobis eſt de reſtitutione Photii in ſedem Patriarchalem Conſtantinopolitanam, à Joanne VIII Papa facta, quæ occaſionem dedit Baronio exiſtimandi, Joannem VIII ob nimiam facilitatem in eo reſtituendo, contumeliæ loco *Papiſſam* dictum fuiſſe. Cùm Sanctus Ignatius Patriarcha die 23 menſis Octobris anni 877 ad Deum tranſiiſſet, ut probat Criticæ Baronianæ Auctor, Photius jam inde ab Imperatore Baſilio ab exilio revocatus, cùm ſeſe in Principis animum penitùs inſinuaſſet, ejus facilitate abuſus, Proceribus in partes tractis, in Patriarchalem ſedem nova tyrannide irrepſit, in domeſticos & familiares S. Ignatii ſævilt, Epiſcopos pleroſque, partim muneribus & honoribus illectos; partim calumniis concuſſos & perterritos in communionem ſuam pertraxit, paucos eam fugientes immaniter & dirè vexari curavit. Hæc conſtant ex Niceta in Vita S. Ignatii, & ex Epiſtola Styliani & Symmiſtarum ad Stephanum V Pontificem maximum.

XXII. *Joannes PP. Legatos Cpolim mittit.*

Joannes Pontifex, qui Ignatium Patriarcham ſemel iterumque monuerat, ut Conſtantinopolitanos Clericos univerſos è Bulgaria revocaret, ejuſdem Ignatii mortis adhuc inſcius, Paulum Anconitanum, & Eugenium Oſtienſem Epiſcopos Conſtantinopolim miſit cum Epiſtola ordine 78, *data indictione XI, decima ſexta menſis Aprilis* anni 878, qua eum dignitate privabat, niſi mandatis Apoſtolicis ante dierum 30 decurſum pareret. Eadem die ſcripſit ad Baſilium Imperatorem, ſeque duos prædictos Legatos, qui Conſtantinopolitanam & Bulgaricam Eccleſias viſitarent, mittere ſignificavit Epiſtolâ 80. Scripſit tandem ad Michaelem Bulgariæ Regem literas ordine 75, & 77, quibus eum hortatur, ut ad Romanæ Eccleſiæ gremium redeat, doletque quòd Græcos ſequatur. Photius Pauli, & Eugenii Legatorum Sedis Apoſtolicæ conſtantiam fruſtrà tentavit, illum enim ad communionem admittere recuſarunt. Quare per Theodorum Santabarenum nequiſſimum Monachum & Abbatem, quem Patrarum Metropolitam creaverat, ad Joannem Papam ſcripſit, ſe vim à tota Eccleſia & Republica perpeſſum, ut Patriarchale ſolium aſcenderet, mentitus. Quod ut ipſi faciliùs perſuaderet, Petri à Secretis miniſterio & fraude, Metropolitarum omnium ſubſcriptiones & ſigilla ſurfuratus eſt, arcanam prædii cujuſdam emptionem prætendens, ut refert Nicetas laudatus.

XXIII. *Photium in Sedem reſtituit.*

Baſilius Imperator ineunte anno 879 Legationem ad Joannem Papam decrevit, quâ Photium in Sedis Apoſtolicæ communionem ſuſcipi, & in Patriarchali Sede confirmari ardentibus votis poſtulabat, ut liquet ex ejuſdem Pontificis Epiſtola 169 *ad Gregorium Primicerium, & Bajulum Imperialem*, data die tertia menſis Aprilis anni 879, qua ei ſignificat, ſe ejus Epiſtolam accepiſſe, ſe paratum ad Conſtantinopolitanas turbas ſedandas, & Legatos Baſilii Imperatoris honorificè excepturum quando in Italiam pervenerint. Imperiales Legati Romam pervenientes præter omnem ſpem obtinuére, quæ pro Photio petiére, ut conſtat ex Epiſtola 199 ejuſdem Pontificis ad Baſilium, ejuſque filios, data *menſe Auguſti die 16 Indictione duodecima*, qua eis ſignificat, ſe propter pacis & unitatis Eccleſiaſticæ bonum, de deceſſorum ſuorum, & Synodi œcumenicæ decretis diſpenſare, & Photium in communionem recipere, ea lege, ut is in Synodo, coram Sedis Apoſtolicæ Legatis celebranda, veniam poſtularet. Eam prætereà conditionem reſtitutioni Photii adjecit, ut Bulgariam Eccleſiæ Romanæ reſtitueret. Decrevit denique, ut poſt ejus obitum nuſquam è Laicis & Curialibus, ſed ex Clero Conſtantinopolitano Patriarcha eligeretur.

XXIV. *Cauſæ quibus permotus Joannes PP. Photio faverit.*

Cur gratiæ Imperatoris captandæ, quàm ſervandorum hac in cauſa canonum ſtudioſior fuerit Joannes Papa, plures intercelliſſe cauſas conjicit Baronius: nimirum potentiam Græcorum in Italia; cùm jam Beneventani atque Capuani, ut teſtatur Curopalates, à Francis defeciſſent ad Baſilium: deinde ejuſdem promiſſiones de liberanda Italia, ac præcipuè ipſa Romana Eccleſia ab incurſionibus Saracenorum, & infeſtationibus Comitum vicinorum Romanæ urbi; deque revocanda ſub Romanam ditionem Bulgarorum Eccleſia: Præterea quòd prætexebatur bonum pacis, & unionem Eccleſiarum, quæ ob rejectum Photium maximo ſchiſmate dividerentur: denique quòd mendaci relatione Baſilius Imperator Joannem Papam deceperit, dum ſuis literis teſtatus eſt, reſtitutionem Photii deſiderari etiam ab iis, qui à ſanctis Methodio & Ignatio ordinati olim fuiſſent. „ Hæc ſunt, inquit Baronius, quæ permo„ vere Pontificem potuerunt, ut quod nul„ lus fecerat prædeceſſorum, ipſe omnium „ maxima admiratione tentare auſus fuerit, „ atque perficere. Ità doctiſſimus Annaliſta, qui poſtea, valdè culpabilem habitum

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe, ob reſtitutum Photium, Joannem Pontificem oſtendere conatur; hincque accidere potuiſſe exiſtimat, ut ob nimiam animi facilitatem, & mollitudinem, abjecta penitus omni virilitate, idem Joannes non Papa, ut deceſſores Nicolaus, & Hadrianus, ſed *Papiſſa* fuerit contumeliæ loco dictus; ſicque nomen contumeliæ tranſierit poſteris rerum inſciis in veritatis opinionem, fueritque à pluribus decantatum Joannem octavum Papam fuiſſe fœminam.

XXV. *Joannes PP. ob reſtitutionem Photii non culpandus.*

Sed Petrus de Marca lib. 3 de Concordia Sacerdotii, & Imperii cap. 14 nu. 4 jure merito cenſet, Ioannem excuſatione dignum. Ignatio functo, inquit, „ Photius, toties damnatus, ſedem ſuam recepit ſuffragiis Orientalium Epiſcoporum, „ adnitente Baſilio Imperatore; ſed illa „ reſtitutio integra eſſe non poterat, niſi „ à Sede Apoſtolica probaretur. Quare Jo„ annes VIII rogatus ab Imperatore, ut „ Eccleſiæ paci conſuleret, neceſſitate ce„ dens, Leonis, Gelaſii, Felicis, & Con„ cilii Africani auctoritate fretus, qui in „ rerum anguſtiis temperandas eſſe regulas „ docent, de conſenſu ceterorum Patriar„ charum Photium anathemate liberavit, „ illique ſedem retinere conceſſit, ea le„ ge, ut coram Synodo cogenda miſeri„ cordiam peteret. De conſenſu inquam „ ceterorum Patriarcharum, & Epiſcopo„ rum Joannes Photium ſolvit, ut videre „ eſt in Epiſtola germana ejuſdem Joannis; „ quanquam in Epiſtola à Photio corru„ pta hic conſenſus deſit. Ita Marca, qui „ paulò poſt addit: Ceterum à culpa Jo„ annem liberat Principis, & ceterorum „ Patriarcharum, totiuſque Synodi Orien„ talis conſenſus, quem datum fuiſse Jo„ annes ſuis literis ſignificat. Profert au„ tem ad confirmationem ſententiæ ſuæ „ exempla Athanaſii, Chryſoſtomi & Fla„ viani, qui à Synodis damnati cùm fuiſ„ ſent, à Sede Apoſtolica in integrum re„ ſtituti ſunt. Quibus exemplis quoque Photium à Joanne reſtitutum ſcribit Ivo, cùm de jure diſpenſationum loquitur. Quod attinet ad conjecturam Baronii, Joannem VIII ob nimiam facilitatem contumeliæ loco *Papiſſam* dictum fuiſſe, ſicque jactatam fabulam locum dediſſe Joannæ Papiſſæ, arbitrantis, ex eo ruere ſcripſit ejus Annotator, & nos cum eo, quòd hæc fabula exeunte tantùm ſæculo decimo tertio, à viro rei Hiſtoricæ imperito excogitata fuerit, qui hanc prætenſam Papiſſam non ſub finem, ſed circa medium ſæculi noni, inter Leonem IV, & Benedictum III ſediſſe ineptiſſimè ſcripſit.

XXVI. *Photius pſeudo-Synodum C.poli celebrat.*

Cum Legatis Imperialibus Ioannes Papa Conſtantinopolim direxit Petrum Tituli ſancti Chryſogoni Presbyterum Cardinalem, quem duobus aliis Legatis, Paulo & Eugenio, de quibus ſupra, Conſtantinopoli exiſtentibus, adjunxit. Petrus menſe Novembri ejuſdem anni 879 Conſtantinopolim pervenit. Photius Pontificis literas & Commonitorium, ſpecie quidem eas in Græcam linguam vertendi ab iiſdem Legatis elicuit, ſed revera, ut eas pro arbitrio truncaret, & interpolaret. Quæ ab eo deleta ſint, quæ addita, quæ immutata oſtendit Baronius eodem anno ex exemplaribus, quæ in Joannis VIII Regiſtro ſervata ſunt. Hac adornata fraude Photius Synodum habuit, in qua Epiſcopi 380 ei addicti, cum Orientalium Patriarcharum Vicariis, & ipſis Legatis Apoſtolicis interfuére, imò & Baſilius Imperator cum duobus filiis ſuis. Ipſi præfuit Photius, quamvis cauſa propria ageretur, Legatis Apoſtolicis Legationis ſuæ auctoritatem indigniſſimè prodentibus. Photius in ſedem reſtitutus eſt ab iiſdem Legatis, qui Epiſcopalia indumenta & dignitatis inſignia ei obtulerunt Joannis Papæ nomine, quamvis de implendis conditionibus, ſub quibus ipſum reſtituebat Pontifex, ne quidem cogitaret. Pſeudo-Synodus inchoata menſe Novembri, & menſe Martio anni 880 abſoluta, quinque Actionibus conſtat; in quarum ſecunda auditæ ſunt palinodiæ, tam ſcriptis, quàm viva voce factæ nomine aliarum ſedium Patriarchalium, ex verſione ipſius Photii, de miniſterio exhibito octavæ Synodo œcumenicæ, ſub Hadriano Papa & Ignatio habitæ, contra quam acriter conclamatum eſt. Unde Photius hanc pſeudo-Synodum *Octavam* poſtea nominavit, & *Generalem* in abolitionem legitimæ Octavæ Oecumenicæ ſub Hadriano Papa celebratæ. Ex quo grande malum illud evenit, ut pro germana octava, à Græcis Schiſmaticis accepta ſit Synodus hæc Photiana, qui eam venerantur, & ut divinum quoddam oraculum obſervant. In Actis porrò hujus Concilii multa eſſe ab impoſtore Photio ſuppoſita, non ſolùm Baronius laudatus, ſed & Allatius in peculiari Tractatu *de Octava Synodo Photiana* aſſerere non dubitat.

XXVII. *Legati Apoſtolici de ea referunt Joanni PP.*

Abſoluta menſe Martio anni 880 pſeudo-Synodo Photiana, Paulus, Eugenius, & Petrus Sedis Apoſtolicæ Legati prævaricatores Romam rediére, Baſilii Imperatoris, & Photii literas ad Joannem Pontificem perferentes, cui diſſimulabant omnia, quæ in pſeudo-Synodo contra ſanctorum Pontificum Nicolai, & Hadriani, atque Synodi octavæ œcumenicæ decreta, necnon contra ipſius Joannis mandata egerant, agique permiſerant; nihilque aliud retulére, quàm redditam, reſtitutione Photii, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pacem; Bulgariam quoque Eccleſiæ Romanæ

næ reſtitutam; Imperatorem denique claſſem mittere, quæ Italiam à Saracenorum incurſionibus tueretur. Id enim Baſilii Auguſti literæ confirmabant, ut liquet ex Epiſtola 251 Joannis VIII ad ipſum *data Idibus Auguſti Indict. XIII*. In eadem Epiſtola ſignificat Pontifex, ſe approbare quæ pro Photio in Synodo acta eſſent, ſed addit: *Et ſi fortaſſe noſtri Legati in eadem Synodo contra Apoſtolicam præceptionem egerint, nos non recipimus, nec judicamus alicujus extare firmitatis*. Suſpicatus quippe eſt Pontifex, Legatos mandata ſua in multis capitibus prætergreſſos, quia Photii literæ continebant, omnia ſecundùm Joannis Pontificis votum ceſſiſſe, tantùm ſe miſericordiam coram Synodo non rogaſſe, quod proprium illud ſit eorum, qui aliquid iniquè geſſerunt.

XXVIII. *Joannes PP. Acta in ea Synodo reſcindit.*

Ex his Joannis Papæ literis ad Baſilium Imperatorem, Idibus Auguſti anni 880 datis, & ex iis, quas ad Photium eodem tempore ſcripſit, à Baronio relatis, conſtat Joannem Papam menſe Auguſto adhuc dubitaſſe de Legatorum ſuorum prævaricatione. Sed cùm poſtea, quæ ab illis Conſtantinopoli acta erant, accepiſſet, anno 881 Marinum Diaconum, qui vice Hadriani II octavæ Synodo Oecumenicæ cum aliis Legatis præfuerat, ac Photium damnarat, nova legatione exornatum Conſtantinopolim direxit cum mandatis, ut cuncta, quæ in hac Pſeudo-Synodo geſta eſſent, auctoritate Apoſtolica reſcinderet, quod incredibili magnanimitate Marinus præſtitit. Hoc Apoſtolicæ libertatis facinus Imperatoris adeò commovit animum, ut gentium jure, & legationis Pontificiæ majeſtate violata, Marinum in carcerem conjecerit, eumque triginta diebus captivum detinuerit. Hæc conſtant ex literis Stephani V, vulgò VI, à Baronio anno 885 num. 9 & ſeqq. relatis, ad Baſilium Imperatorem datis. Denique de his omnibus certior factus Joannes Papa, deceſſorum ſuorum Nicolai, & Hadriani II ſententiam in Photium confirmavit, novoque ipſum damnavit anathemate, ut docet ſeries Synodicarum ſententiarum, & decretorum Pontificum Romanorum, extans apud Epiſtolam Formoſi Papæ ad Stylianum, in appendice Actorum Græcorum Synodi VIII Oecumenicæ, à Matthæo Radero Latio donatorum. Ex his porrò evinci mihi poſſe videtur, Marinum illum Epiſcopum, & ſanctæ Sedis Arcarium, qui anno 881 à Joanne Papa Neapolim miſſus eſt, quique detulit Epiſtolam 294 ejuſdem Pontificis ad Athanaſium Neapolitanum Epiſcopum, quam Baronius eodem anno num. 11 refert, diverſum eſſe à Marino, qui hanc legationem Conſtantinopolitanam eodem anno obivit; ideoque ex hac Epiſtola probari non poſſe, Marinum, qui poſtea Pontifex dictus eſt, fuiſſe Epiſcopum.

XXIX. *S. Methodium Moravorum Apoſtolum Romam vocat.*

Eodem anno octingenteſimo octogeſimo primo ſanctus Methodius Moravorum Apoſtolus, cujus ſupra in Hadriano II mentionem fecimus, Romam venit, & quidem vocatus à Joanne Papa, quòd calumniam apud eum paſſus eſſet, quaſi aliter doceret, quàm coram Apoſtolica Sede profeſſus fuiſſet. Sed ſanctus Archiepiſcopus palam exponens, quam profiteretur, & prædicaret fidem, ab eodem Pontifice verus probatus Apoſtolus, ad opus miniſterii redire juſſus eſt. Alium quoque Joannes Pontifex ſub ipſo conſecravit Epiſcopum nomine Wichinum. Methodio revertenti, menſe Junio Joannes Epiſtolam ordine 247 dedit, ad ejus provinciæ Principem, nomine Sfentopulcrum, qua novæ illi coaleſcenti Eccleſiæ permiſit lingua Sclavonica in Officiis uti, adeò ut etiam Miſſæ eadem lingua cantarentur, dummodo *Evangelium Latinè legeretur, & poſtmodum Sclavonica lingua translatum in auribus populi Latina verba non intelligentis* annunciaretur, ut fuſius in ejuſdem Hadriani II Pontificatu oſtendimus.

XXX. *Auxilium petit à Carolo Craſſo contra Saracenos.*

Cùm Carolomannus Bajoariæ & Italiæ Rex XI Kalendas Aprilis anni octingenteſimi octogeſimi objiſſet, ut ſcribit Annaliſta Bertinianus, Carolus Craſſus ejus frater ſolus Italiæ regno præfuit. Ad hunc Joannes Papa eodem anno, circa finem menſis Octobris, Epiſtolam ordine 249 ſcripſit, nuncians Saracenos à Græcis victos, ſeque ab iiſdem Saracenis valde premi, ideoque poſtulat, ut ſibi quàm citiſſimè auxilio veniat: *Poſtremò*, inquit, *fili cariſſime, quod ſciſcitamini de Græcis atque Iſmaelitis & cæteris quibuſque exteris nationibus, vel concivibus, qualiter res agatur, breviſſimè reſpondemus*, &c. *Græcorum navigia in mari Iſmaelitarum victorioſiſſimè ſtraverunt phalanges, & eos prout Dominus voluit, debellati ſunt. Sed nos tamen tam ipſi jam dicti Iſmaelitæ, quàm alii convices noſtri impugnant ac perſequuntur. Data III Kalend. Novemb. Indict. 14, ideoque anno* 880.

XXXI. *Carolum Craſſum Imp. coronat.*

Carolus Craſſus Rex tunc in obſidione civitatis Vienneniſs, contra Boſonem anno octingenteſimo ſeptuageſimo nono Burgundiæ, ſeu Arelatis Regem dictum, cum Ludovico & Carolomanno Francorum Regibus, Ludovici Balbi quondam Regis filiis detinebatur, ut refert Annaliſta Bertinianus ad annum 880, qui ſubdit: *Carolus autem, qui ſe unà cum ſobrinis ſuis Viennam obſeſſurum promiſerat, mox ut quædam ſacramenta utrimque inter eos facta fuerunt, ab ipſa obſidione receſſit, & in Italiam perrexit; indeque Romam veniens, à Joanne Papa ſe in die Nativitatis Domini in Imperatorem*

Digitized by Google

torem conſecrari obtinuit. Joannes itaque Papa Carolum Craſſum anno octingenteſimo octogeſimo, in die Natalis Domini Imperatorem coronavit, non verò anno 881, ut ſcribit Baronius, qui in eam opinionem abiit, quòd non adverterit Sigebertum, Hermannum Contractum, Reginonem, Annaliſtam Metenſem, alioſque quoſdam, ſcribentes hanc inaugurationem factam anno 881, annum exordiri à die Natalis Chriſti, ideoque annum 881: ab eo die annò 880 inchoare, quo ideo anno Carolus Craſſus Imperiali benedictione ſublimatus eſt. Quod confirmatur ex Epiſtola Joannis Papæ ordine 269 ad Carolum Imperatorem, quæ dicitur *data 4 Kalendas Aprilis indictione* 14, ideoque anno 881, nam ſi menſe Martio illius anni jam erat Imperator, profectò anno 880 imperium inierat, cùm, ipſo fatente Baronio, in die Natali Chriſti coronatus fuerit.

XXXII. *Ovetenſem Eccleſiam Gallæciæ Metropolim facit.*

Alphonſus Magnus hujus nominis III, Legionis & Aſturiarum Rex, poſt varias victorias de Saracenis reportatas, non multò poſt ordinationem Joannis VIII, Presbyteros duos Romam ad eum miſit, qui ab eo peterent, ut Eccleſia Beati Jacobi Apoſtoli conſecraretur, & Concilium celebraretur, ut narrat Sampirus Aſturicenſis Epiſcopus, cujus Hiſtoriam Sandovallius publicavit. Epiſtola Joannis Papæ ad Alphonſum, ſeu Adelfonſum, qua ei concedit, ut Ovetenſis Eccleſia Gallæciæ Metropolitana efficiatur, eſt ordine 309 in Regiſtro Epiſtolarum Joannis VIII. Ea verò, quâ monet, ut Eccleſia Sancti Jacobi Compoſtellana conſecretur, eſt ordine 310. Conſecrata eſt itaque Eccleſia illa, & Concilium celebratum anno 876, ut probat Annotator Baronii ad annum 882 ex eodem Sandovallio in Notis & diſſertationibus ad eam Sampiri Hiſtoriam pag. 245.

XXXIII. *Conſtitutionem edit de jure Cardinalium S. R. Eccl.*

Baronius refert ex Vaticanæ Eccleſiæ monumentis Joannis Papæ VIII conſtitutionem de jure Cardinalium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, qua ſtatuit, ut bis in menſe ad aliquem Titulum convenirent, de reformatione Cleri, & Chriſtianæ plebis acturi, Clericorum & Laicorum querimonias audituri, juſque ipſis dicturi: Quod ſicut Pontifex Moyſi, ita Cardinales Septuaginta Seniorum, qui ſub eo judicabant, formam gerant in Eccleſia. Monaſteriorum diſpoſitionem & Abbatum inſtitutionem iis committit Cardinalibus, qui fuerant ex monaſteriis aſſumpti. Jubet quoque ut ob eamdem Eccleſiaſticę diſciplinæ ſolicitudinem bis in hebdomada ad palatium Apoſtolicum convenirent, juxtà Leonis quarti deceſſoris ſui decreta; tandemque addit: *Sancimus de parochiis noſtris, quantumque Pontifici competit, pontificali beneficio vos in perpetuum poſſidere, & in principalibus Eccleſiis juxta primatum veſtræ conſecrationis viciſſim officia divina peragere, & earum oblationibus, ſalva ſemper Cardinalium Diaconorum priſca conſuetudine, æqualiter participare tam propter uſum veſtrum, quàm in Eccleſiarum veſtrarum luminarium concinnationes.*

XXXIV. *Moritur.*

Cùm juxta Marianum Scotum, Luitprandum, Honorium Auguſtodunenſem, Martinum Polonum, tres codices Colbertinos, & duos à Schelſtratio in fine Appendicis ad Opus Chronologicum Antiquitatis Eccleſię publicatos, Joannes VIII Papa *annos decem & dies duos* ſederit, è vita migravit die decima quinta, vel decima ſexta menſis Decembris anni octingenteſimi octogeſimi ſecundi; cùm, ex dictis, die decima quarta Decembris anni 872 conſecratus fuerit. Unde continuator Anonymus Annaliſtę Fuldenſis, à Marquardo Frehero editus, & à Ducheſnio Tomo 2 recuſus, qui ab anno 882 opus ſuum inchoat, & abſolvit cum anno nongenteſimo, ſcribit ad initium anni 883 renunciatum eſſe Carolo Craſſo Imperatori, pręſulem Apoſtolicę Sedis Joannem, ab iis, qui ejus theſaurum & dignitatem anhelabant, malleolo percuſſum expiraſſe. Obiit itaque Joannes menſe Decembri, cùm initio ſequentis menſis, mors ejus Carolo Imperatori renunciata fuerit. Iſtum porrò Annalium Fuldenſium Continuatorem citabimus ſub nomine Annaliſtę Freheriani. Quę nomine Joannis VIII ad Photium ſcripta circumfertur Epiſtola contra proceſſionem Spiritûs Sancti à Filio, & additionis vocis *Filioque* ad Symbolum, ipſi per calumniam affícta eſt, inquit Baronius ad annum 879, ubi eam Epiſtolam recitat.

MARINUS I, ſeu MARTINUS II *Pontif. CX.*

Anno Domini DCCCLXXXII.

I. *Marinus I. fit Papa.*

CUM nullus Antiquorum annotarit diem mortis Joannis VIII, aut interpontificium, quòd poſt mortem ejus fuit, divinari non poteſt, quo die Marinus ex Galleſio Faleriorum in Etruria ortus, ex patre Palumbo Presbytero, Archidiaconus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ejus ſucceſſor conſecratus fuerit. Sed ſolùm conjicere poſſumus, ejus ordinationem contigiſſe circa finem menſis Decembris ejuſdem

anni

Digitized by Google

anni octingenteſimi octogeſimi ſecundi. Annaliſta enim Freherianus, in morte Joannis VIII à nobis laudatus, poſtquam ſcripſit, mortem Joannis renunciatam eſſe Carolo Craſſo Imperatori initio anni 883, addit: *Nec mora apparuit, in cujus vice omni populo Romano unanimiter conformante, Marinus, qui in id tempus Romana in urbe Archidiaconus tenebatur, ordinari compactum eſt*. Non multò itaque poſt mortem Joannis VIII ordinatus eſt Marinus.

II. *Erat antea Archidiaconus, non Epiſcopus.*

Ex hoc Annaliſtæ Freheriani loco etiam habemus, Marinum fuiſſe Archidiaconum Romanæ Eccleſiæ, non verò Epiſcopum, vel Bulgarorum, vel alterius ſedis. Poſtulatus quidem fuerat Archiepiſcopus à Bulgaris, Hadriano II Eccleſiam Romanam regente, ſed nullum indicium eſt, ex quo appareat, eum tunc fuiſſe ordinatum Archiepiſcopum ab eodem Hadriano. Verum eſt etiam Græcos Marinum pro vero Pontifice Romano agnoſcere recuſaſſe, quòd Photio pſeudo-Patriarchæ Conſtantinopolitano ordinationem ſuam non ſignificaſſet, & tres legationes contra eum ſuſcepiſſet, ac prætexuiſſe illum fuiſſe antea Bulgarorum Epiſcopum, ac proinde non potuiſſe ad Sedem Romanam transferri. At Stephanus V, vulgò VI, in Epiſt. à ſe ad Baſilium Imperatorem data, quam refert Baronius anno 885 num.9 & ſeqq. dicit eos id apertè oſtendere non poſſe, ſubditque: *Quod objicitur de canone, cùm tamen id nunquam fuerit: multitudo tamen ſanctorum patrum, & illorum auctoritas & judicium potuit, illum conſtituere in primo gradu*. Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico ſcribit, credibile eſſe, mortuo Sancto Methodio Moravorum Apoſtolo & Archiepiſcopo, Marinum illius gentis fuiſſe ordinatum Epiſcopum, nulli ſedi adſtrictum, licèt in Moraviam nunquam profeſſus ſit; ſed hæc conjectura ſtare non poteſt, cùm S. Methodius uſque ad annum circiter octingenteſimum nonageſimum quartum in vivis fuerit, ut eo anno num.18 videre eſt in Critica Baronii; & prætereà anno electionem Marini antecedente, ſcilicet 881, Joannes Papa alium ſub Methodio Epiſcopum pro Moravis conſecraverit, nempe Wichinum, ut in ejus Pontificatu num. 29 diximus. De Marino vide dicta ibidem num.28, ubi oſtenſum eſt, eum diverſum fuiſſe à Marino Epiſcopo & Sanctæ Sedis Arcario.

III. *Ejus Legationes ante Pontificatum.*

Marinus ante Pontificatum tribus vicibus legationem obierat Conſtantinopoli in cauſa Photii. Primò ſub Nicolao ad Photium excommunicandum. Secundò ſub Hadriano II ad eundem deponendum, & reſtituendum Sanctum Ignatium, ac Oecumenicam Synodum celebrandam. Tertiò denique ſub Joanne VIII ad reparandam ruinam, quæ facta fuerat per tres Legatos ab eodem Pontifice pro reſtitutione Photii miſſos; de quibus legationibus, ſuis locis locuti ſumus, ex quibus & conſtat, Marinum ſingulari prudentia, & invicto in gerendis Eccleſiæ rebus animo tantam celebritatem nominis ſibi peperiſſe, ut ſummo Pontificatu dignus facilè judicatus ſit.

IV. *Marinus rurſus Photium damnat.*

Ut primùm Marinus Pontificiam dignitatem adeptus eſt, Photium rursùs damnavit, omniaque ejus acta reſcidit. Quod impatientiſſimè ferens Baſilius Auguſtus, Romam ſcribere auſus eſt, ipſum non eſſe legitimè electum Pontificem, quòd alterius Eccleſiæ fuiſſet Epiſcopus, multaque alia in ipſum effutiit. Sed calumnias Baſilii in Marinum confictas rejicit Stephanus Papa V in laudata ad Baſilium Imperatorem Epiſtola: *Quicumque*, inquit, *dicunt, Marinum fuiſſe antea Epiſcopum, ac proinde non potuiſſe ad aliam ſedem transferri, oſtendant illi apertè. Scito dilecte & omni bonore digne Imperator, quòd licèt illi impedimento fuiſſet, quod objicitur de canone, cùm tamen id nunquam fuerit: multitudo tamen ſanctorum Patrum*, & cætera num.2 recitata, poſteaque pluribus exemplis probat, potuiſſe ab una ſede ad aliam transferri, etiam ſi verum fuiſſet, eum antea fuiſſe Epiſcopum, quod tamen antea negaverat. Marinum porrò excommunicaſſe Photium teſtantur Auctor Breviarii Græci Synodi Conſtantinopolitanæ VIII, & ejuſdem Breviarii Græci Additamentum.

V. *Formoſum Epiſcopum Portuenſem reſtituit.*

Idem Pontifex Marinus Formoſum Epiſcopum Portuenſem à Joanne VIII deceſſore excommunicatum, ſede depoſitum, & jurare coactum, ſe nunquam Romam vel ad Epiſcopatum rediturum, reſtituit in Epiſcopatum, & à juramento abſolvit, quo etiam promiſerat, ſe in communione laica perpetuò manſurum; quod teſtatur Auxilius lib. 2 de ordinationibus Formoſi cap. 20. In locum Formoſi ordinatus fuerat Epiſcopus Portuenſis, Walpertus, ut conſtat ex ſubſcriptione Epiſtolæ Joannis VIII, qua Walæ Metenſi Epiſcopo Pallium concedit, de qua in ejus Pontificatu num. XVIII; ſed mihi incompertum eſt, an Walpertus ille hoc tempore adhuc in vivis eſſet; de Formoſo lege dicta in Nicolao primo & in eodem Joanne VIII.

VI. *Fulconi Remenſi Archiep. pallium mittit.*

Anno octingenteſimo octogeſimo ſecundo, die ſeptima menſis Decembris, paulò ante Marini conſecrationem, & quibuſdam diebus ante Joannis VIII obitum, vitâ exceſſit Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, eique ſubſtitutus fuit Fulco, vir primariæ nobilitatis, qui poſtea Francorum regnum ſub Carolo Simplice Rege moderatus eſt. Fulco audita Marini Papæ ordinatione, literas ad eum ſcripſit, de quibus hæc habet Flodoardus in Vita ipſius Fulconis: *Succeſſit in Epiſcopatu Remenſi Fulco*

Digitized by Google

 Fulco vir nobilis & palatinis aſſuetus officiis. Qui, fidei ſuæ tenorem Marino Papæ delegans, pallium ab eo anteceſſorum ſuorum de more ſuſcepit. Cui etiam litteras miſit pro concedendo debito Remenſis Eccleſiæ privilegio, atque pro commendatione Regis Carolomanni, in quibus ſe ſignificat ab eodem Papa dudum fuiſſe cognitum, tempore Joannis Papæ, quando cum Carolo Imp. idem Fulco fuerat Romæ.

VII. *Dominicæ Crucis partem ad Angliæ Regem mittit.* Eodem anno octingenteſimo octogeſimo tertio *Marinus Papa Scholam Anglorum Romæ exiſtentem, Ælfredo Rege deprecante, à tributo liberam fecit, qui etiam Regi præfato dona tranſmittens plurima, dedit ei inter cetera portionem non modicam illius Crucis ſalutiferæ, in qua Dei Filius pro ſalute mundi pependit*, inquit Matthæus Weſtmonaſterienſis, qui res Anglicanæ Eccleſiæ accuratè proſequutus eſt. Simeon item Dunelmenſis in Hiſt. de Geſtis Regum Angl. ad annum 884 loquitur de donis à Marino Papa ad Ælfredum Regem tranſmiſſis; ſed Auctor Chronici Saxonici ad annum 1154 deducti, & à paucis annis Oxonii vulgati, ad annum 883, habet: *Marinus inſignis ille Papa miſit lignum Domini Ælfredo Regi. Eodem item anno detulerunt Sigbelmus & Æthelſtanus eleemoſynas Romam, quas Ælfredus Rex eò* (ſe miſſurum) *voverat.*

VIII. *Solemniacenſi monaſterio privilegium concedit.* Synodus Sueſſionenſis III anno 866 celebrata, Solemniacenſis monaſterii ordinis Benedictini, in diœceſi Lemovicenſi ſiti privilegium innovarat, quo libertas eligendi Abbatem ſecundùm Regulam S. Benedicti Monachis confirmabatur. Eidem monaſterio privilegium conceſſit Marinus Papa, quo ipſum in tuitionem Sedis Apoſtolicæ recepit, dona temporalia ab ipſis liberè adminiſtrari, & in eorum uſum cedere ſtatuit, prohibuitque, *ne ullus Epiſcoporum ſeu Comitum, manſionaticum ibi, vel paratas, vel ſtationes exigeret.* Electionis quoque libertatem ipſis confirmavit, adjecto terribili anathemate in eos, qui alium Abbatem ibi ſtatuere præſumpſerint, *niſi quem ejuſdem loci Monachi ſecundùm authenticam & Regularem inſtitutionem ex ſe ipſis elegerint ordinandum.* Loci denique, propter Normannorum incurſus, muniendi licentiam ipſis conceſſit.

Marianus Scotus, Luitprandus, Honorius Auguſtodunenſis, Martinus Polonus in Chronico, & plerique Catalogi habent, IX. *Mortem obit.* Marinum Papam ſediſſe *annum unum & menſes quinque*. Cùm ergo exeunte menſe Decembri anni octingenteſimi octogeſimi ſecundi ordinatus fuerit, mors ejus menſe Majo anni octingenteſimi octogeſimi quarti contigit, die incerto. Baronius quidem, & Papebrochius mortem Marini cum menſe Februario illigant, ſed ſine teſte, & contra præfatorum Scriptorum & Catalogorum fidem, ejus Pontificatum mutilarunt. Porrò Marinum, ſeu *Martinum II*, ut recentes Scriptores eum appellant, malis artibus Pontificatum adeptum eſſe, & nihil dignum memoria egiſſe, falsò ſcribit Platina, ut ex dictis liquet.

HADRIANUS III *Pontif. CXI.*

Anno Domini DCCCLXXXIV.

I. *Hadrianus III Marino ſuccedit.* MArino Papa ad meliorem vitam translato, Hadrianus III, natione Romanus, ex patre Benedicto, electus eſt, & conſecratus Romanus Pontifex menſe, & die incertis; nullus enim Antiquorum diem mortis Marini, aut interpontificium, quod poſt mortem ejus fuit, annotavit, ſed ex duratione Sedis Hadriani conjicere ſolùm poſſumus, hunc vel circa finem Maji, vel initio menſis Junii ejuſdem anni octingenteſimi octogeſimi quarti Pontificium thronum aſcendiſſe.

II. *Decretum edit, ut Papa conſecretur ſine præſentia Legatorum.* Saraceni tunc temporis impunè Italiam, Eccleſiamque populabantur, nam menſe Septembri anni octingenteſimi octogeſimi quarti, teſte Leone Oſtienſi lib. 1 cap. 45, Caſinenſe monaſterium invaſerunt, & incenderunt, ipſumque Abbatem Bertarium ad Aram beati Martini crudeliſſimè obtruncarunt. Itali Regum incuriam indignati cogitarunt de Rege è ſua gente creando, qui præſens Italiam gubernaret, omnibuſque hoſtium irruptionibus maturiùs occurreret. „His rebus inſtincti, inquit Sigonius lib. 5 de Regno Italiæ ad annum „884, Hadrianum Pontificem adeunt, eumque ut ſalutari decreto impoſterum Rei„publicæ caveat, orant. Hadrianus, ſive „proximo Joannis, ſi negaret, exemplo „deterritus, ſive Romæ atque Italiæ lau„de, ſaluteque permotus, facilè peten„tium in poteſtate fuit, ac ſtatim duo in„ſignia decreta fecit: unum pro Romano„rum libertate, *ut Pontifex deſignatus* „*conſecrari ſine præſentia Regis, aut Le*„*gatorum ejus poſſet*: alterum pro digni„tate Italiæ, *Ut moriente Rege Craſſo ſine* „*filiis, regnum Italicis Principibus unà* „*cum titulo Imperii traderetur*. Quibus rebus auditis Craſſus in Italiam ſe recepit. Ejuſdem decreti Hadriani de ordinando Romano Pontifice ſine præſentia Legatorum

Digitized by Google

rum Imperialium, mentionem faciunt Platina, & Ciaconius, ſed nullum ad id probandum teſtem proferunt. Illud tamen ab eo Pontifice emiſſum fuiſſe, ex eo conjici poteſt, quòd Stephanus V Hadriani III ſucceſſor, abſque eorundem Legatorum præſentia conſecratus fuerit, ut ſuo loco dicetur.

III. *Photium in communionem recipere recuſat.*

Hadrianus Papa à Baſilio Græcorum Imperatore ſolicitatus, ut cum Photio ceu legitimo Patriarcha in rebus fidei, & religionis communicaret, à deceſſoris ſui Marini ſententia dimoveri non potuit, cumque ſemper ut damnatum ab Eccleſia execratus eſt, & ut laicum inſectatus, Baſilius ejus conſtantiam intuitus, magna indignatione commotus, evomens, quam in ſe continuerat, iram, contumelioſas ad Hadrianum Papam literas dedit, quæ eo defuncto Romam perlatæ, Stephano ipſius ſucceſſori redditæ ſunt. Stephani Papæ ad eas reſponſum refert Baronius anno 885.

IV. *In Franciam pergit.*

Jam in morte Joannis VIII diximus Annaliſtam Fuldenſem, qui anno 882 Opus ſuum abſolvit, continuatum eſſe ab Anonymo, quem vocavimus Annaliſtam Freherianum, Sed præter illum alius Anonymus à Lambecio Tomo 2 Bibliothecæ Cæſareæ editus, idem opus continuavit, quem ideo *Lambecianum* appellabimus, Hic autem Annaliſta ad annum 885 hæc habet de morte Hadriani Papæ: *Imperator cum ſuis apud Franconofurt colloquium habuit, miſſiſque Romam nunciis Hadrianum Pontificem invitavit in Franciam. Voluit enim, ut fama vulgabat, quoſdam Epiſcopos irrationabiliter deponere, & Bernhartum filium ſuum ex concubina hæredem regni poſt ſe conſtituere; & hoc quia per ſe poſſe fieri dubitavit, per Pontificem Romanum, quaſi Apoſtolica auctoritate perficere diſpoſuit. Cujus fraudulenta conſilia Dei nutu diſſipata ſunt.*

V. *In itinere moritur.*

Nam, ut pergit idem Continuator Lambecianus, *Pontifex Romanus ab Urbe digreſſus, & Heridano* (ſeu Pado) *flumine tranſito, vitam præſentem finivit, ſepultuſque eſt in monaſterio Nonantulis. Quod cùm Imperator comperiſſet, contriſtatus eſt valdè, eò quòd in tali negotio voti compos effici non potuit*. Nonantulanum monaſterium ſitum erat milliario quinto à Mutina in Orientem trans Panarum ſeu Scultennam fluvium. Annaliſta verò Freberianus ſcribit; *poſt obitum Carolomanni Regis* (qui contigit menſe decembri anni 884, ut ad eum annum legere eſt in Critica Baronii) *qui tunc Galliam rexerat, Cæſar regnum ipſum aggreditur, receptiſque primoribus, & diſpoſitis ibi rebus, prout voluit, remeavit in Franciam ad edictum Placitum Wormacenſe obviam Apoſtolico, Sed dum ipſe Papa jam medio itineris ſpatio foret, correptus celeri infirmitate expiravit*. Hadrianum III in itinere defunctum docet etiam Guillelmus Bibliothecarius in Vita Stephani V.

VI. *Nonantulæ ſepelitur.*

Ex his corruit opinio Ciaconii ſcribentis, Hadrianum III in Baſilica Sancti Petri ſepultum eſſe. Corruit & Nonantulanorum Monachorum traditio, cui Ughellus Tomo VI Italiæ Sacræ in Epiſcopis Mutinenſibus adhæſit, exiſtimantium Hadrianum primum in ſuo monaſterio ſepulturam accepiſse; non enim Hadrianus I, ſed Hadrianus III eo in loco ſepulturam nactus eſt; Hadrianus verò I Romæ, ut ſuo loco oſtendimus. Luitprandus, Marianus Scotus, Ordericus Vitalis lib. 2, & plerique Catalogi habent Hadrianum III ſediſse annum unum, & menſes quatuor; quare mortuus eſt menſe circiter Septembri anni octingenteſimi octogeſimi quinti, ſicque menſes illi dicendi ſunt incompleti; nam Stephani V ejus ſucceſſoris initium ante finem menſis Septembris conſignari non poteſt, ut ejus & Formoſi duratio manifeſtum facient. Sigonius laudatus ſcribit, Hadrianum III ante Pontificatum appellatum fuiſſe Agapetum, indeque Mabillonius in præfatione ad partem II Sæculi VI Benedictini § 12 ait hunc primum fuiſſe, qui nomen mutaverit; ſed præterquam quòd nullus ante Sigonium id in literas miſit, niſi dicamus Sigebertum, & Marianum Scotum, qui Agapetum interponunt inter Marinum & Hadrianum III, ex uno Hadriano, Agapeto antea dicto, duos Pontifices feciſſe, communiter creditur Joannem XII fuiſſe primum ex Pontificibus Romanis, qui, cùm antea Octavianus vocaretur, Joannes dici voluit; quod & Mabillonius ipſe jam antea ſcripſerat in Præfatione ad Sæculum V Benedictinum § 1 num. 7.

STEPHANUS V, aliis VI, *Pontif. CXII.*

Anno Domini DCCCLXXXV.

I. *Stephanus V inthronizatur.*

NUncio de Hadriani III Papæ morte Romam perlato, *Romani cives, qui multa tam locuſtarum devaſtatione, quàm pluviæ ſterilitate, ſeu famis inopia paſſi fuerant incommoda, credentes ſe poſſe* Stephani natione Romani, de Regione via lata, Tituli SS. Quatuor Coronatorum presbyteri *ſanctitate relevari*, *conventu ſanctiſſimorum Epiſcoporum & totius Clericalis ordinis, necnon nobilium Senato*rum

rum, *& virorum illuſtrium cœtu*, *acclamantibus omnibus unà cum populo*, poſtularunt eum in Pontificem, omneſque cum Joanne Epiſcopo Ticinenſi Miſſo Caroli Craſſi Imperatoris pro tuitione Urbis, ad eundem Titulum SS. Quatuor Coronatorum pergentes, eum licèt reluctantem ad patriarchium Lateranenſe traxerunt, & inthronizaverunt, inquit Guillelmus Bibliothecarius in ejus Vita.

II.
Conſecratur ſine præſentia Legatorum Imp.

Adveniente autem, ſubdit idem Guillelmus, *proximo die dominico ad Beatiſſimi Apoſtolorum Principis limina omnis Romana Eccleſia eum honorabiliter detulit. Ubi etiam conſecratus Pontifex Miſſarum ex more celebravit ſolemnia.* Ex his patet ſtatim ordinatum fuiſſe Stephanum, antequam Legatos Imperator mitteret, qui ejus ordinationi intereſſent. Quod etiam disertè nos docet Annaliſta Lambecianus, de quo in ſuperiori Pontifice locuti ſumus, his verbis: *Romani Pontificis ſui morte comperta, Stephanum in locum ejus conſtituerunt. Unde Imperator iratus, quòd eo inconſulto illum ordinare præſumpſerunt, miſit Liutvvardum* [Epiſcopum Vercellenſem] *& quoſdam Romanæ Sedis Epiſcopos, qui eum deponerent; quod perficere minimè potuerunt. Nam prædictus Pontifex Imperatori per Legatos ſuos pluſquam 30 Epiſcoporum nomina, & omnium Presbyterorum & Diaconorum, Cardinalium, atque inferioris gradûs perſonarum, necnon & laicorum principum regionis ſcripta deſtinavit, qui omnes unanimiter eum elegerant, & ejus ordinationi ſubſcripſerant.* Imperator cùm unanimem Cleri conſenſum accepiſſet, ira ejus deferbuit, & Stephanum Papam honorificè habuit. Ex quibus intelligimus verum eſſe, quod ſuperiùs diximus, Hadrianum nempe III decreto ſuo ſtatuiſſe, *ut Pontifex deſignatus conſecrari ſine præſentia Regis, aut Legatorum ejus, poſſet;* alioquin Clerus Romanus, contra Eugenii II decretum, uſumque receptum, non permiſiſſet Stephanum V ordinari ſine præſentia Legatorum Imperialium. Hæc conſecratio peracta eſt circa finem menſis Septembris anni octingenteſimi octogeſimi quinti.

III.
Stephani PP. virtutes, ac ſanctimonia.

Stephanus nobili genere natus erat, Hadriano II familiaris, Marino Papæ amiciſſimus fuit, à quo presbyter Cardinalis Tituli SS. Quatuor Coronatorum creatus eſt. Caſtitate, doctrina, caritate in pauperes, omnique genere virtutum ſummam promeritus eſt dignitatem. Eo ipſo, quo electus eſt, die, & priuſquam ad palatium Lateranenſe perveniret, pluvia diu optata, poſt longam ſiccitatem & annonæ penuriam, tanta cœlitus conceſſa eſt, *ut aperto judicio Deus oſtenderet, tanti almigeri viri meritis, ac precibus omnibus ſe velle propitiare populis*, inquit idem Guillelmus, qui poſtea ſubdit, eum, Lateranenſe Patriarchium cùm expilatum inveniſſet, inolita jam peſſima conſuetudine, ut poſt obitum Pontificis univerſa palatii Apoſtolici ſupellex diriperetur, paterna bona pauperibus erogaſſe: miniſtros probitatis & ſapientiæ opinione claros elegiſſe: orphanos quotidie aluiſſe: nobiles ad paupertatem redactos vocaſſe ad convivium, & verbo Dei ſimul refeciſſe: miſſæ ſacrificium ſingulis diebus celebraſſe, niſi caritatis officiis vacandum eſſet: tandemque locuſtas, quæ ſata & vineas longe lateque depaſcebantur, poſt longam orationem juxta Eccleſiam Sanctorum Apoſtolorum, aquâ benedictâ extinxiſſe.

IV.
Stephanus PP. ſcribit ad Baſilium Imp. & Photium exſecratur.

Idem Stephanus Papa, cùm accepiſſet literas, quas, ut diximus, Baſilius Imperator blaſphemiis atque convitiis plenas ſcripſerat ad Hadrianum III Pontificem, tam adversùs eum, quàm contra Marinum ejus deceſſorem, hunc vindicat à calumnia, & antea fuiſſe Epiſcopum negat: quod etſi verum fuiſſet, impedimentum tamen canonicum non eſſet, ut ſummus Pontifex eligeretur: perſtans inſuper ipſe Stephanus cum iiſdem ſuis deceſſoribus in execratione atque deteſtatione Photii, egregiam reſcripſit ad Imperatorem Epiſtolam, quam refert Baronius ex codice Columnenſi, quâ objecta diluens, inſuper eum redarguit, quòd pro eodem Photio excommunicato tantopere laborans, Romanam Eccleſiam adeo afficeret contumeliis, cui cùm omni veneratione ſubditus eſſe deberet; & quòd Pontificum ſe Judicem conſtitueret, quorum ſacris doctrinis dirigendus eſſet. Deinde gratulatur ei quòd ex filiis ſuis unum Sacerdotio dicaſſet; iſta ſuggerens, quò Imperatorem induceret, ejecto Photio, ipſum inſtituere Patriarcham, quod & poſtea evenit, ut mox dicetur. Ad poſtremum rogat Imperatorem, ut opituletur Romanæ urbi adverſus Saracenorum incurſiones.

V.
Photio à Sede exturbato Stephanus ab eo Diaconus ordinatus ſubſtituitur.

Hę literæ ſcriptæ anno octingenteſimo octogeſimo quinto, Baſilio Imperatore mortuo, Conſtantinopolim pervenêre (hic enim Imperator naturę debitum ſolvit die prima Martii anni octingenteſimi octogeſimi ſexti) & Leoni ejus filio & ſucceſſori, qui *Sapiens* ſive *Philoſophus* cognominatus eſt, redditæ fuêre. Leo cùm eas legiſſet & expendiſſet, captata mox occaſione, quòd Photius conſilium iniiſſet de eligendo in Imperatorem cognato ipſius Photii, hunc è Sede Conſtantinopolitana penitus exturbavit, & in Armeniacorum monaſterium *Bardi* dictum detruſit; Stephanum verò Principem fratrem ſuum, annos circiter ſexdecim natum, Patriarcham deſignavit, & inaugurari juſſit: moxque *Stylianum* cognomento Mapam Neo-cęſarienſium in Euphrateſia provincia Metropolitam, & alios ejus in Photiana perſecutione commilitones, Epiſco-

Digitized by Google

ſcopos, Presbyteros, Diaconos, alioſque veritatis & pietatis ſectatores, his verbis eſt allocutus: *Noſtrum ex Deo Imperium, perpenſa veritate, iniquum illum hominem Photium è Sede Patriarchali ejecit, & veſtram perſecutionem ſedavit. Nec ullo pacto cogam quemquam veſtrum, ut inviti cum illo communicetis, quin potius oro pietatem veſtram, ut communicetis cum fratre meo, & fiat unum ovile. Sin autem inconſultis Romanis, qui Photium damnaverunt, nolueritis fratri meo convenire, quoniam videlicet à Photio Diaconus fuit ordinatus, venite, ſcribamus, & mittamus unà Romam ad Pontificem, ut diſpenſet abſolutionem anathematis iis, qui à Photio fuerunt ordinati.* Id docet Auctor Additamenti, quod Stephani V, vulgò VI, literis ad Imperatorem Baſilium Græcis annexum reperitur.

VI. *Legatio ab Oriente ad Stephanum PP. pro diſpenſatione.*

Scripſit igitur Leo Auguſtus ad Stephanum V Pontificem maximum, ſcripſit & Stylianus tam ſuo, quàm omnium Sacerdotum Orientis Catholicæ communionis nomine, illumque rogarunt, ut infractorum in ordinatione Stephani Patriarchæ canonum veniam concederet, & populo ignoſceret, qui fraude Photii deceptus, poſt obitum Sancti Ignatii, rursùs Photio adhæſerat. Non extat quidem Leonis Imperatoris Epiſtola, ſed Epiſtola Styliani breviter repetit ab initio omnia Photii ſcelera, declarat quomodo eum Leo ejecerit, rogatque ut, damnans eum, benignè diſpenſet cum aliis Epiſcopis, qui ab eo decepti fuiſſent; ut ita pax omnimoda reſtituatur Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ. Cujus quidem Epiſtolæ notanda ſunt maximè verba, quibus hoc petitur à Stephano Papa: *Quoniam verò ſcimus*, inquit Stylianus, *quòd veſtra Apoſtolica Sede corrigi, & juxtà canones corripi debemus; hac de cauſa humilibus his noſtris literis tuam oramus venerabilitatem, ut miſericorditer nobiſcum agas*, & plura alia ejuſmodi.

VII. *Stephanus PP. diſpenſationem ſuſpendit.*

Stephanus Pontifex cùm nonnullam diſſentionem inter Styliani, & Imperatoris literas animadvertiſſet, timuit, ne ſibi obreperetur; Leo enim Imp. ſcripſerat, Photium ſponte ſe abdicantem quietam vitam elegiſſe; Stylianus verò Photium à Catholicis ejectum aſſerebat; quamobrem Pontifex diſpenſationem, quam rogabant, ſuſpendit, juſſitque ab utraque parte Legatos mitti, quibus auditis poſſet ſententia pronunciari. Nam ſi acquieviſſet iis, quæ ſcripta erant ab Imperatore de Photio ſe abdicante, ejus ſeſſionem illegitimam quodammodo probare videri potuiſſet: nullus enim locus eſſe poterat renunciationi, ei qui nunquam legitimè ſediſſet: *Nos igitur*, inquit Stephanus, *abſque diligenti inquiſitione qualecumque judicium proferre non poſſumus. Quapropter nunc ſententiam prorogavimus; & opus eſt utriuſque partis religioſiſſimos Epiſcopos mitti, ut perpensâ omni dubitatione, & veritate utrimque manifeſtata, dicere poſſimus quod Deus voluerit. Romana enim Eccleſia inſtar ſpeculi & exemplaris reliquis Eccleſiis conſtituitur. Et quodcumque definierit, in ſempiternum manet incorruptum: & hac de cauſa ſententias magna cum inquiſitione ferre decet.* Anno poſtea 889 Leo Auguſtus & Orientales Epiſcopi Legatos cum literis ad Stephanum Papam miſerunt; ſed eæ, poſt mortem Stephani, Formoſo ejus ſucceſſori redditæ ſunt, de quibus ideo in ejus Pontificatu ſermo erit.

VIII. *Lingonenſem Epiſc. conſecrat.*

Iſaac Lingonenſis Eccleſiæ præſule mortuo, Aurelianus Archiepiſcopus Lugdunenſis, inconſulto Clero & populo Egilonem quemdam Monachum, nuper de ſæculo venientem ordinaverat, eiſque nolentibus præpoſuerat. Eglone hominem exuente, ne in id ipſum incurrerent, concordi voto Clerus & populus Theutboldum Lingonenſis Eccleſiæ Diaconum elegerunt, cumque ab ipſo Stephano Papa Epiſcopum ſibi conſecrari petierunt. Pontifex Theutboldum eidem Aureliano Lugdunenſi direxit, ſcribens, ut ſi Cleri populique vota in eum concordarent, & ſacri canones non obviarent, manus ipſi imponere non differret. Quod fieri ſi ratio prohiberet, id ipſum ſibi reſcriberet, interim tamen alterum ibi ordinare, nullo modo, ſe inconſulto, præſumeret. Simulque & Oirannum Senogallienſem Epiſcopum à ſuo latere miſit executorem. Hæc conſtant ex literis Stephani Papæ ad Fulconem Archiepiſcopum Remenſem, de quibus agit Flodoardus lib. 4 Hiſt. Remenſis cap. 1. Verùm cùm Aurelianus mandata Pontificis diſtuliſſet, Pontifex Theutboldum Romam venientem, Epiſcopum conſecravit, juſſitque Fulconi Remenſi Archiepiſcopo, ut ipſum in poſſeſſionem mitteret, et extraneum quemdam ab Aureliano in angulo conſecratum & intruſum ejiceret, *cùm ille*, inquit, *inter Epiſcopos non habeatur, qui neque à Clero electus, neque à populo eſt expetitus.*

IX. *Confuſio rerum Italicarum poſt mortem Caroli Craſſi Imp.*

Carolo Craſſo Imperatore, menſe Decembri anni octingenteſimi octogeſimi ſeptimi, è regno Germaniæ dejecto, Arnulphus Carolomanni quondàm Regis, Caroli Craſſi fratris, filius nothus, Germaniæ Rex dictus eſt. Cùmque idem Carolus Craſſus menſe Januario anni ſequentis octingenteſimi octogeſimi octovi obiiſſet, quidam Itali Berengarium filium Eberhardi, qui Ducatum Forojulienſem tenebat, Regem ſibi ſubſtituerunt. Quidam Widonem filium Lamberti, Spoletinorum Ducem, Regia dignitate ſublimandum decernunt. *Ex qua diſſenſionum controverſia, tanta ſtrages ex utraque parte poſtmodum facta eſt, tantuſque humanus ſanguis effuſus, ut juxtà Dominicam* vo-

SEC. IX. STEPHANUS V.

vocem regnum in ſe ipſum diviſum deſolationis miſeriam penitus incurrerit, inquit Annaliſta Metenſis ad annum 888. Uterque porrò Princeps natione Francus erat, & Berengarius à Carolo Magno genus ducebat, ut probat Hadrianus Valeſius in Præfatione ad Carmen Poetæ Anonymi *de Laudibus Berengarii Aug.* ex quo & habemus, Berengarium Ticini Regem Italiæ coronatum eſſe, qua ex urbe à Widone expulſus eſt, ipſeque Wido Italiæ ſe Regem dixit.

X. *Stephanus PP. Arnulphum Regem Germaniæ Romam vocat.*

Regia dignitas inter duos diviſa Italiam in duas contrarias factiones diſtraxit, & vix ullus fuit, qui alterum Regem voluerit, qui alteri exitium, ſi potuiſſet, non comparaſſet. In hac rerum confuſione Stephanus Pontifex jam dictum Arnulphum Germaniæ Regem Romam vocavit, ut Italiæ regnum capeſſeret. Quod teſtatur Hermannus Contractus juxta editionem Henrici Caniſij, ad annum 890, ſcribens: *Arnolfus Rex habito in Pannonia de diverſis, colloquio, à Zuentibaldo Duce Marahenſi* (ideſt Moravienſi) *ex verbis Apoſtolici enixè rogatur, ut Romam veniens, Italiamque ſub ſui ditione retinens, à tantis eam eruat Tyrannis. Quod ille aliis præpeditus ad præſens facere diſtulit.* Idem tamen Arnulphus Romam poſtea venit, & à Formoſo Papa coronatus eſt Imperator, ut ſuo loco dicetur.

XI. *Widonem coronat Imperatorem.*

Cùm itaque nullum ex Germania auxilium ſperaret Stephanus Pontifex anno octingenteſimo nonageſimo primo Widonem Romam accerſivit, eumque Imperatorem coronavit. Licet enim Baronius, aliique non pauci, inquit Auctor Criticæ ad annum 891 num. 2, hanc coronationem in eum annum diſtulerint, eamque Formoſo Papæ adſcripſerint, non videtur tamen dubitandum, quin Sigonius in lib. 6 de Regno Italiæ, ex probo aliquo Antiquitatis monumento hauſerit, quod ſcribit, Widonem nempè à Stephano Pontifice *IX Kalendas Martii* anni 891 coronatum eſſe Imperatorem, cùm dies 21 Februarii eo anno in dominicam inciderit, quibus diebus Imperatores coronari ſolitum erat. Hæc epocha certa redditur ex literis ab eodem Sigonio relatis, in quibus *Wido & Lambertus filius ejus Imperatores* vocantur, quæ literæ dicuntur datæ *annis Imperii eorum II & I, die 20 menſis Julii, Indictione X*, quæ currebat menſe Julio anni 892, ideoque ſi eo die Wido annum II Imperii numerabat, ante eumdiem anno 891 coronatus fuerat, ideoque à Stephano Papa, non à Formoſo. Widonem porrò, antequam eſſet Rex Italiæ, Stephanus Papa in filium adoptaverat, Flodoardus enim lib. 4 Hiſt. Remenſis cap. 1 refert Fulconem Archiepiſcopum Remenſem ſcripſiſſe ad Stephanum Papam hujus nominis V, *pro Widone affine ſuo, quem idem Papa in filium adoptaverat*. De iis literis loquitur Baronius anno 885. Aliæ hujus epochæ probationes in Critica Baroniana legendæ.

SEC. IX. STEPHANUS V.

XII. *Ludovic. in Burgundiæ Regem eligitur.*

Boſo, Richildis uxoris Caroli Calvi Imperatoris frater anno 879 in Concilio Mantalenſi, Burgundiæ & Provinciæ Rex conſtitutus fuerat; ſed eo, anno octingenteſimo octogeſimo ſeptimo, è vivis exempto, regnum Burgundiæ, ſeu Arelatenſe in magna fuit perturbatione, præſertim poſt Caroli Craſſi mortem, quæ, ex dictis, ineunte anno 888 contigit; ex una enim parte Normanni cuncta penitus devaſtabant; ex alia verò Saraceni Provinciam depopulantes, terram in ſolitudinem redigebant. Quæ cùm accepiſſet Stephanus Papa à Bernoino Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, qui pro quibuſdam Eccleſiæ ſuæ, & totius regni neceſſitatibus, ſedem adierat Apoſtolicam, ſcripſit ad omnes ejuſdem regni Arelatenſis Epiſcopos, hortans, ut Ludovicum ejuſdem Boſonis Regis filium, Regem conſtituerent. Epiſcopi itaque & Proceres regni Arelatenſis Valentiam anno Chriſti octingenteſimo nonageſimo convenientes, Regis nomen dicto Ludovico detulerunt, eumque in Regem ungendum decreverunt, juxtà monita Stephani Romani Pontificis, cujus ſcripta in ea Synodo lecta ſunt. Hæc conſtant ex Actis ejuſdem Synodi à Sirmondo publicatis, quæ etiam extant Tomo IX Concil. pag. 424. Hic eſt ille Ludovicus, *Orbus* dictus, qui poſtea coronatus eſt Imperator, ut ſuo loco referemus, cujusque varia ſuperſunt diplomata, Viennæ ut plurimùm data.

XIII. *E vita migrat.*

Stephanum Papam *annos ſex & dies quatuordecim* ſediſſe, ſcribit Guillelmus Bibliothecarius in ejus Vita; ſed de diebus, quibus ſupra anno ſedit, nihil certi definiri poteſt; cùm MS. Codex Colbertinus libri Pontificalis, aliqui Catalogi, & Martinus Polonus in Chronico habeant tantùm *dies novem*. Sed quidquid ſit de diebus, cùm omnes fermè Catalogi, ac ejus epitaphium, mox referendum, habeant, eum ſediſſe *annos ſex*, è vita migravit circa finem menſis Septembris anni octingenteſimi nonageſimi primi; conſecratus enim fuerat circa finem ejuſdem menſis anno octingenteſimo octogeſimo quinto.

XIV. *Quintus non ſextus dicendus.*

Baronius ejus epitaphium à Manlio ex antiquis monumentis Eccleſiæ Vaticanæ, ut ipſe ait, conſervatum refert, ex quo conſtat, eum dictum, & dicendum Stephanum V, non VI, in eo enim inter alia legitur:

Hic tumulus QUINTI ſacratos continet artus
Præſulis eximii Pontificis STEPHANI:
Bis ternis annis populum qui rexit & Urbem.

Quare perperam Baronius loco, *quinti*, repoſuit

SÆC. IX. STEPHANUS V.

poſuit, *ſexti*. Certè hunc fuiſſe ordine quintum, aſſerit etiam Frodoardus in Fragmento de Pontificibus Romanis ſæpiùs laudato. Cùm autem illud epitaphium extaret adhuc tempore Manlii in atrio veteri Eccleſiæ Sancti Petri, dicendum eum ſepultum eſſe in eadem Baſilica.

XV. *Ejus ſermo.* Extat apud Guillelmum Bibliothecarium Concio, quam habuit in maleficos, & eos, qui more gentium dæmones conſulebant, quibus palàm imprecatus eſt. Eadem concione populum ad reverentiam ſacris Templis habendam eſt adhortatus, & à confabulationibus in domo Dei deterruit. Extat etiam ille ſermo apud Baronium anno 890. Addit tandem Guillelmus Stephanum ordinandis Eccleſiis, præſertim Vaticana Sancti Petri, & Liberiana, redimendis captivis, ſublevandis pauperibus omnia ſua impendiſſe.

FORMOSUS *Pontif. CXIII.*

Anno Domini DCCCXCI.

I. *Formoſus fit Pontifex Rom.* PAucis à Stephani V morte diebus, Formoſus, ex patre Leone, ad regendam Eccleſiam à Portuenſi Epiſcopatu translatus, inthronizatus eſt, & coronatus circa finem menſis Septembris ejuſdem anni octingenteſimi nonageſimi primi; cùm enim, ex infra dicendis, nunc certè conſtet, eum obiiſſe die quarta Aprilis anni octingenteſimi nonageſimi ſexti; & juxtà Catalogos Romanorum Pontificum, ſederit annos IV, menſes VII, vel potius juxtà Marianum Scotum, Stellam, & Platinam, annos IV, menſes VI, retrocedendo pervenitur ad finem circiter menſis Septembris, vel initium Octobris anni 891, quo ideo tempore ad Romanam Sedem evectus eſt. Tumultuariam fuiſſe Formoſi electionem, Sergiumque Romanæ Eccleſiæ Diaconum, quorundam factione, contra ipſum, Antipapam creatum fuiſſe ſcribit Luitprandus lib. 1 cap. 8, ubi addit, partem Formoſi ſuperiorem evaſiſſe, ac Sergium expuliſſe. Sed Luitprandum in hoc falli, oſtendemus in Joanne IX, in cujus electione Sergius electus fuerat. Formoſum inthronizatum & coronatum dixi, non autem conſecratum; quia, ut ſcribit Jacobus Cajetanus Cardinalis in Ordine Romano XIV apud Mabillonium Tomo 2 Muſei Italici pag. 254, *Epiſcopus, qui in Papam electus eſt, non conſecratur denuò, ſed benedicitur aliquo die dominico, quo & coronatur.* Hæc autem benedictio, quia fiebat loco conſecrationis, dicitur aliquando ab Antiquis conſecratio, ut videbitur in Leone IX.

II. *A Portuenſi ad Romanam Eccleſiam tranſlatus.* Mabillonius in Præfatione ad Sæculum V Benedictinum § 1 num. 6 exiſtimat ab iſto Pontifice incœpiſſe labem illam, quam à Romanis Pontificibus paſſa eſt Eccleſia ſæculo decimo, quæ tam magna fuit, ut etiam actum fuiſſet de illa Sanctiſſima Sede, ſi monſtris violari, atterive potuiſſet: „Ad id temporis, inquit, eam tenuerant „plerique piiſſimi Pontifices, nec quiſquam „ferè omnium ejus ſanctitatem antea, ma„jeſtatemque temeraverat, quin humana, „ſi qua ipſis excidiſſent, errata, illuſtri pœ„nitentiæ exemplo diluiſſent. Inviolabi„lis apud eos erat Canonum ſacrorum au„ctoritas, qua ſuam ipſi poteſtatem ultrò „moderabantur. Et ne longius exempla „ſumamus, ita ſæculo nono vixerant poſt „Leonem tertium, ejuſque ſucceſsores piiſ„ſimos Nicolaus primus re & nomine Ma„gnus, Hadrianus II, & Stephanus VI „(vel potius V). *Sed ò lugenda Roma*, „(inquit Arnulphus Aurelianenſis Antiſtes „apud Gerbertum, in Actis Synodi Re„menſis) *quæ noſtris majoribus clara Pa„trum lumina præbuiſti, noſtris temporibus „monſtruoſas tenebras futuro ſæculo famo„ſas offudiſti*, à Formoſo Pontifice incœ„pit mali labes, ſive is cauſa fuerit, ſeu „occaſio. Nempè hic Portuenſis primùm „Epiſcopus, à Joanne VIII in ordinem „redactus eſt in Synodo Romana, inter„poſito juramento, ſe in comunione laica „perpetuò permanſurum. Hujus exaucto„rationis cauſæ tres. Prima, quòd à Ni„colao I in Bulgariam miſſus, Bulgaro„rum Regem Sacramento obſtrinxiſset, „ne alium Epiſcopum, ipſo ſuperſtite, à „Sede Apoſtolica ſuſciperet. Deinde quòd „contra præſcripta canonum per ambitum „ab Eccleſia Portuenſi ad Romanam pro„ſilire conatus eſſet. Poſtremò, quòd in„conſulto Pontifice propriam deſeruiſſet „Eccleſiam; & relicta Urbe, contra rei„publicæ, & imperii ſalutem, cum ſuis „fautoribus conſpiraſſe crederetur. Mari„nus Pontifex à depoſitione & juramento „abſolvit Formoſum, qui poſt Hadria„num III, & Stephanum VI (ſeu potius „V) in ſupremum illum thronum ſubli„matus eſt, primuſque infauſtum transla„tionis exemplum in illa ſede præbuit, „vir ceteroqui *vera religione, divinarum„que Scripturarum, & doctrinarum ſcientiâ „clariſſimus*, teſte Luitprando lib. 1 cap. 8. „Ita Mabillonius.

Sed ei aſſentiri non poſſum in eo quod

ſcribit

SÆC. IX. FORMOSUS. ſcribit, Formoſum fuiſſe vel cauſam, vel occaſionem maximæ illius labis, quam paſſa eſt Romana Eccleſia ſæculo decimo, III. *Idque abſque violatione canonum.* ſaltem ex eo capite, quòd *contra præſcripta canonum* ad Romanam Sedem è Portuenſi proſilierit: hoc enim, ut ſuperius diximus, non erat canonicum impedimentum, ne Summus Pontifex eligeretur; quod eruitur ex Stephani V ejus deceſſoris Epiſtola ad Baſilium Imperatorem, à Baronio anno 885 relata, in qua Marinum Pontificem vindicans à calumnia, antea Epiſcopum ordinatum fuiſse negat; quod etiamſi verum eſſet, potuiſse tamen in ſede Principis Apoſtolorum collocari: *Quid verò*, inquit, *magnus ille Gregorius cognomento Theologus? Nonne Nazianzo translatus eſt? Et Meletius Sebaſtâ Antiochiam: Et Doſitheus, Seleuciâ Tarſum Ciliciæ? Et Reverentius, Archiphænice Tyrum? Joannes, Gordoniâ Proconneſum? Theodorus, Apameâ Selymbriam? Alexander, Cappadociâ Hierapolim? & multi alii diverſis in locis translati ſunt è ſuis ſedibus ad alienas?* Joannes etiam VIII non damnavit Formoſum, ex eo quòd crederet ejus translationem eſſe contra præſcripta canonum, ſed quia *per ambitionem, à minori Eccleſia*, ſcilicet Portuenſi, *ad majorem*, ſcilicet Romanam *proſilire conatus* fuiſſet, ut legere eſt in ejus Epiſtolæ fragmento à nobis in ejus Pontificatu num. VI relato. Quare Stephanus VI, vulgò VII Formoſi ſucceſſor, ſævitiæ ſuæ ac odio in Formoſum mortuum, ſolam juſtitiæ umbram prætexere potuit, ideoque hæc Eccleſiæ labes ab illo Stephano initium mihi ſumpſiſſe videtur, non verò à Formoſo, qui, teſte Luitprando, ab eodem Mabillonio laudato, religionis integritate, divinarumque Scripturarum ſcientiâ clariſſimus fuit. De translatione Formoſi vide dicenda in Stephano VI, de qua pariter legendum caput 20 libri 2, quem de ordinationibus Formoſi ſcripſit Auxilius ad Leonem Nolanæ Eccleſiæ Epiſcopum; quod Opus anno 1655 inſeruit ſuo de ſacris Ordinationibus operi Joannes Morinus. Formoſi elogium in fine Pontificatûs ex eodem Auxilio recitabimus.

IV. *Formoſus PP. Legatos in Orientem mittit.* Photio pſeudo-Patriarcha Conſtantinopolitano anno 886 ſede dejecto, & Stephano Leonis Imperatoris fratre, ab eodem Photio jam ante Diacono ordinato, Patriarcha dicto, miſſi ſunt anno 889 Romam à Leone Auguſto & Epiſcopis Orientalibus Legati, qui à Stephano Papa veniam infractorum canonum pro lapſis rogarent. Sed hi Legati, mortuo jam Stephano V, Romam pervenerunt; quare literæ Orientalium Formoſo Stephani ſucceſſori redditæ ſunt, qui eodem anno 891, quo ad Pontificatum evectus eſt ad Orientales ſcribens, duo diſtinxit lapſorum genera: ſæculares veniâ dignos ſcripſit, non verò Sacerdotes; quia Photius, inquit, *dignitatem præbere non potuit, qui dignitatem non habebat. Nihil dare potuit Photius præter damnationem, quam habuit per impoſitionem obliquæ manus, & damnationem præbuit. Quomodo dignitatem potuit accipere, qui particeps factus eſt condemnato?* Addit Photium foveri, cùm pro iis, qui ab ipſo ſunt ordinati, miſericordia rogatur. Graviſſimas propterea pœnas illis deberi, quibus Eccleſia Conſtatinopolitana tot fœdata vitiis purgatur. Verùm benignitatem & fraternam dilectionem ſuadere ut alia toleret, alia penitus è medio tollat. Hanc ob cauſam mittere ſe Legatos Religioſiſſimos Epiſcopos Landenulphum Capuanum, & Romanum, quibus cum & Styliano Neocæſarienſium in Euphrateſia Metropolitano, ad quem Epiſtola dirigitur, necnon cum Theophilacto Ancyræ Metropolita, omnia tranſigantur. Duas tamen conditiones præſcribit; primam, ut ante omnia confirmetur Photii damnatio: *Ut ita ante omnia in Photium prævaricatorem & legum everſorem ſententia à prædeceſſoribus œcumenicis Pontificibus Synodicè prolata, necnon à noſtra Humilitate confirmata, perpetuo tempore immutabilis permaneat.* Secundam, *Ut qui à Photio fuerant ordinati, oblatis libellis ſe deliquiſſe fateantur, & pœnitentiæ veniam deprecentur, pollicentes ſe nunquam tale quid commiſſuros.* Extat hæc Epiſtola Tomo IX Concil. pag. 428. Photium porrò hoc eodem anno 891 in exilio mortuum eſſe, colligit Annotator Baronii ex Breviario Græco Synodi Conſtantinopolitanæ VIII, quod extat Tomo VIII Concil. pag. 1422. Sed quidquid ſit de mortis ejus anno, certum eſt, eo etiam vivente, nefarium ſchiſma, cujus auctor fuerat, extinctum eſſe, & utramque Eccleſiam in concordiam rediiſſe, quæ rupta non eſt ante Michaelis Cerularii tempora, ut ſuo loco dicetur.

Anno octingenteſimo nonageſimo ſecundo Formoſus Pontifex Epiſcopis regni V. *Synodum Viennæ cogi jubet.* Arelatenſis præcepit, ut Synodum in urbe Viennenſi celebrarent, ad quam Paſchalem, & Joannem Epiſcopos, Legatos miſit, qui eidem præeſſent. Celebrata eſt itaque illa Synodus eodem anno, præſidentibus iiſdem Legatis, & canones quatuor in ea conditi, quos Baronius in Appendice Tomi XII ex codice Maſſoniano, qui nunc eſt in Bibliotheca Archiepiſcopi Toloſani, ut ſcribit Sirmondus in Nota ad illud Concilium, edidit. Sed Joannes Le Maire in libello Gallico de differentia Schiſmatum & Conciliorum Eccleſiæ, narrat ſe legiſſe in codice MS. monaſterii Athanacenſis propè Lugdunum extructi, Gallicè *l'Abbaye d'Aiſnay*, quintum ejuſdem Concilii canonem,

Digitized by Google

SÆC. IX. FORMOSUS.

nem, qui non reperitur in Baronianis Annalibus, nec in Binii, Sirmondive Conciliis. Hic canon poſt alios quatuor legitur nunc Tomo IX Concil. pag. 434.

VI. Synodum Romæ habendam indicit.

Cùm triſtiſſima eſſet hoc ſæculo Eccleſiæ Africanæ, Saracenorum jugo preſſæ, facies, Formoſus Papa, ut diſſidiis inter Epiſcopos Africanos exortis, necnon Orientalis Eccleſiæ hæreſibus & ſchiſmatibus afflictæ malis mederetur, Synodum Romæ, mediante menſe Majo indictionis decimæ, ſeu anni 892, celebrandam indixit, ad quam Fulconem Archiepiſcopum Remenſem vocavit. Sed hæc Synodus dilata eſt in Kalendas Martii indictionis undecimæ, ſeu anni 893. Hæc conſtant ex Flodoardo lib. 4 Hiſtoriæ Remenſis cap. 2, apud quem Formoſus Papa Fulconi Remenſi Archiep. per literas ſignificaſſe dicitur, *regionis Africanæ Legatos inſiſtere, reſponſa petentes pro dudum exorta inter Epiſcopos ipſarum provinciarum ſchiſmata. Diverſarum quoque partium legationes diverſa reſponſa petentes inſtare. Cujus rei gratia generalem Synodum die Kalendarum Martii indictionis undecimæ ſe incboare diſpoſuiſſe*. Utrum hæc Synodus celebrata, & quid in ea decretum ſit, deficientibus antiquis monumentis incompertum eſt.

VII. Remenſi Eccleſiæ privilegium concedit.

Idem Frodoardus loco laudato refert, Formoſum Papam, rogante Fulcone Archiepiſcopo, Eccleſiæ Remenſi privilegium conceſſiſſe, quo plurimas poſſeſſiones eidem Eccleſiæ reſtitutas, auctoritate Apoſtolica confirmavit, ſanxitque, *Ut nemo Regum, nullus Antiſtitum, nemo quilibet Chriſtianus, vel res ipſius Eccleſiæ ſuis compendiis applicet, neque ſub ſuo dominio teneat, præter ipſius civitatis Epiſcopum. Sed & eandem Metropolim non ultra conſtitutionem canonicam ſine regulis Eccleſiaſticis, conniuente Paſtore, manere cogat: neque aliter, ibi Epiſcopum, niſi ut ſacri canones jubent, conſtitui faciat. Promulgans etiam ac ſtatuens, ut ea, quæ idem venerabilis Præſul Fulco de villis hujus Eccleſiæ, & facultatibus earum, uſibus Eccleſiaſticorum ornamentorum, vel luminarium, ſeu ſtipendiis Canonicorum, ac Monachorum, atque Sanctimonialium, ſeu Matriculariorum, & hoſpitum, vel pauperum conſtituerat, perpetuò inconvulſa permaneant; hanc auctoritatem ſui decreti ſub anathematis vinculo violatoribus innodatis corroborans*. Ita Frodoardus, qui poſtea refert aliud privilegium eidem Fulconi miſſum à Formoſo pro monaſterio Avennaco; atque pro alio monaſterio in honorem ſancti Calixti Papæ, & Martyris conſtructo.

VIII. Caroli Simplic. Francorum Regis jura tuetur.

Pro Caroli Simplicis adhuc pueri provectione ad regni Francorum regimen, ad Odonem Comitem Pariſienſem, Roberti Andegavorum Comitis, cognomento *Fortis*, filium, qui, ut ſcribit Annaliſta Metenſis, Rex à Francis creatus fuerat, & Regiam poteſtatem uſurparat, literas dedit Formoſus Papa; eumque monuit, ut Carolum Simplicem, Ludovici Balbi quondam Regis filium, legitimum Principem bello laceſſere deſineret, donec Fulco Remenſis Archiepiſcopus, qui Caroli jus tuebatur, Apoſtolicam Sedem adiiſſet. Scripſit etiam ad Epiſcopos Gallicanos, jubens, ut Odonem convenirent, ab invaſione regni Caroli revocarent, & ad pacem hortarentur. Scripſit denique ad Carolum, cui gratulatus eſt devotionem erga Sedem Apoſtolicam; ſanctiſſima ei dedit præcepta pro recta regni adminiſtratione, eulogiaſque miſit, ſeu dilectionis & benedictionis Apoſtolicæ pignus. Quæ omnia conſtant ex eodem Frodoardo laudato. Incertum porrò eſt, an hæ Formoſi Epiſtolæ datæ ſint ante, vel poſt Caroli coronationem, quæ à Fulcone Remenſi facta eſt die 28 Januarii anni 893, ut oſtendit Annotator Baronii ad annum 892 num. 8 ex ejuſdem Principis diplomatis, quorum unum exhibet ex Hiſtoria Abbatiæ Trenorcienſis Chifflетii.

Cùm Wido, quem à Stephano Papa V anno 891 Imperatorem coronatum diximus, anno 894 obiiſſet, ei ſucceſſit Lambertus ejus filius, jam antea, anno ſcilicet 892, ab eo in Imperii conſortium adſcitus. Poſt Widonis Imperatoris mortem tantæ in Italia perturbationes & confuſiones fuerunt, ut Lambertus ejus filius cum Berengario Eberhardi filio Italiæ ſeu Longobardiæ regnum partiri coactus fuerit. Sed cùm tyrannidem exerceret, Formoſus Papa ad eam compeſcendam, Arnulphum Germaniæ Regem, quem Stephanus V Papa invitaverat ad regnum Italiæ capeſſendum, in Italiam evocavit, ut refert Annaliſta Freherianus, qui Annales Fuldenſes continuavit: *Iterum Rex* Arnulphus, inquit ad annum 895, *à Formoſo Apoſtolico per Epiſtolas & miſſos Romam venire invitatus eſt. Rex verò cùm, conſilio Epiſcoporum ſuorum, petitionibus ſuis ſatisfacere decreverit, menſe Septembri de Francia & Alemannia Italia* (legendum Italiam) *promovit exercitum. Venientes quippe ultra Padum, ibi diviſo exercitu Alemannos per Boloniam ad Florentinam urbem ire permiſit, ipſe cum Francis per ſuperiores partes Alpium curtem, quæ dicitur Turris, ſic uſque civitatem Lunam progreditur. Ibi Natale Domini celebravit*. IX. Arnulphum Germaniæ Regem Romam vocat.

Narrat poſtea idem Annaliſta Arnulphum cum exercitu propter nimiam aeris intempeſtatem, & immoderatam effuſionem imbrium, poſt multos exhantlatos labores, Romam tandem perveniſſe, ſed inveniſſe, Ageldrudem Widonis Imperatoris viduam, Lamberti etiam Imperatoris matrem portas in circuitu murorum omnes ita X. Arnulphus Romam expugnat.

præ-

Digitized by Google

SÆC. IX. FORMOSUS.

præoccupaſſe, *ut omnibus pariter ad domum Sancti Petri introitus denegaretur. Quod Rex moleſtè accipiens, in commune conſilium cum omni exercitu ad Eccleſiam Beati Pancratii convenit. Poſt ſolemnitate miſſarum celebrata Rex exercitum unanimiter interrogavit quid facto opus ſit. Conveniunt omnes cum lacrymis fidem promittentes confeſſionem coram Sacerdotibus publicè agentes, indicto anius diei jejunio, bello Urbem expugnare in commune acclamatum eſt........ nec mora, advenerunt murum, lapidibus defenſores murorum depellunt, multitudo virorum portis ſe conſtipat, alii ſecuribus & ſpadis portam, & vectes ferratos incidunt, alii murum perfodiunt, alii per ſcalam muros aſcendunt. Sicque Dei providentia, firmiſſima & nobiliſſima urbs, nullo ex parte Regis de tanto exercitu ſuccumbente, jam veſperaſcente die, nobiliter cum triumpho expugnata eſt, Apoſtolico* (ſcilicet Formoſo) *& Urbe de inimicis liberato*.

XI. *A Formoſo PP. Auguſtus dicitur.*

Omnis namque Senatus Romanorum, ſubdit Annaliſta, *necnon Græcorum Scola cum vexillis & crucibus ad pontem Milvium venientes Regem honorificè cum hymnis & laudibus ſuſcipientes ad Urbem perduxerunt. Jam Apoſtolicus paterno amore diligendo Regem ante Paradiſum, loco qui dicitur gradibus Sancti Petri, ſuſcipiens, & honeſtè ad Baſilicam Beatorum Principum Apoſtolorum lætificando introduxit, & ſecundùm morem anteceſſorum ſuorum Imperialem conſecrationem capiti ſuo imponens, Cæſarem Auguſtum appellavit: diſpoſitis ibi multimodis rebus, omnis Romanorum populus ad Sanctum Paulum cum juramento Imperatori fidem promittentes. Juramentum verò illud, ne quem lateat, hic inſerere propoſuimus.* „ Juro per „ hæc omnia Dei myſteria, quòd ſalvo „ honore & lege mea, atque fidelitate Do„ mini Formoſi Papæ, fidelis ſum & ero o„ mnibus diebus vitæ meo Arnulpho Impe„ ratori, & nunquam me ad illius infide„ litatem cum aliquo homine ſociabo, & „ Lamberto filio Agildrudæ, & ipſi ma„ tri ſuæ ad ſæcularem honorem numquam „ adjutorium præbebo, & hanc civitatem „ Romam ipſi Lamberto & matri ejus Agil„ drudæ, & eorum hominibus per aliquod „ ingenium aut argumentum non tradam. *Poſt hæc autem Conſtantinus & Stephanus, qui majores inter Senatum erant, rei majeſtatis, eſſe accuſati ſunt, quia cum Agildrude prius Urbem capiendam conſpiravere. Quos Rex ſine mora comprehendi, & ſecum in Bajoariam transferri præcepit. Urbem verò ad ſuas manus cuſtodiendam Faroldo cuidam vaſſallo conceſſit. Ipſe 15 tandem die poſtquam venerat ab Urbe digreſſus eſt.* Hæc omnia contigêre ante diem quartum menſis Aprilis anni 894, quo, ex mox dicendis, obiit Formoſus Papa, imò & contigiſſe ante diem primum menſis Martii, oſtendit ad eum annum Annotator Baronii. Ex his apparet deceptum eſſe Annaliſtam doctiſſimum, quando ſcripſit, Arnulphum per ſurreptionem à Formoſo Papa unctum fuiſſe Imperatorem, cùm literis, & miſſis, contra Lamberti tyrannidem evocatus ab eodem Pontifice, Romam venerit, ut non ſolùm iſte Annaliſta, ſed etiam Regino, Luitprandus lib. 1 cap. 8, Sigebertus, & alii teſtantur. Præterea falsò dicitur, Formoſum priùs coronaſſe Vvidonem & Lambertum filium in Imperatores, Vvido enim, ex ſuperius dictis, à Stephano V coronam Imperii acceperat.

SÆC. IX. FORMOSUS.

XII. *Formoſus ad Arnulphi coronationem per ſurreptionem adductus non eſt.*

Sed Arnulphum Romam expugnaſſe, non ſolùm *hortatu*, ut ſcribit Luitprandus, vel *conſenſu*, ut habet Regino, verùm etiam *mandato Formoſi Papæ* nos docet Hermannus Contractus juxta editionem Caniſianam, qui de hac Arnulphi profectione Romana, ait: *Magna pluviarum inundatione exercitu fatigato, & plurimis equis inde amiſſis, Peringario* (ſeu Berengario) *etiam à fidelitate ejus deficiente, & ad Lampertum* (ſeu Lambertum) *ſe conferente, Arnulphus Rex tandem Romam venit, eamque, Angiltrudâ Widonis vidua cum filio Lamberto machinante, obſeratam inveniens, mandato Formoſi Papæ intus incluſi, celebratis apud Sanctum Pandracium* (legendum Pancracium) *Litaniis, eam oppugnat: expugnataque citius urbe ingreſſus, à domino Papa honorificè ſuſceptus, Imperatorque coronatus eſt, & diſpoſitis ibi rebus, primoribuſque ſacramento ſubactis Angildrudam perſequi ſtatuens, infirmari cœpit, metuenſque morbum graviorem, de Italia ſtatim redire acceleravit. Quo reverſo Peringarius & Lampertus diviſo inter ſe regno Italiæ tyrannidem exercuêre.* Quæ certè evincunt Arnulphum à Formoſo Papa per ſurreptionem non fuiſſe coronatum Imperatorem. Quod ſpectat ad Concilium à Joanne IX celebratum, ex quo Baronius anno 896 num. 1, & anno 904 num. 9 intendit probare coronationem iſtam fuiſſe ſubreptitiam, illud Concilium non loquitur de unctione Imperiali Arnulphi, ſed de unctione Berengarii, ut videre eſt apud Ipſummet Baronium, & in Actis Conciliorum pag. 504, ubi refertur canon VI ejuſdem Concilii.

XIII. *Ser his de diſſidio Hamburgenſi & Colonienſi Epiſcoporum.*

Henſchenius in Commentario prævio ad vitam Sancti Anſcharii Archiepiſcopi Hamburgenſis § 20, recitat Epiſtolam Formoſi Papæ ad Adalgarium Hamburgenſem itidem Archiep. de diſſidio, quod verſabatur inter Colonienſem & Hamburgenſem Archiepiſcopos, Hermanno Colonienſi ſatagente ſubjacere ſibi Bremenſem Eccleſiam, quæ, ut diximus in Nicolao primo, Hamburgenſi unita fuerat. Anſcharius, ejuſque ſucceſſor Rembertus Archiepiſcop. Ham-

Digitized by Google

SÆC. IX. FORMOSUS. burgenſes modum aliquem ſubjectionis Colonienſi Antiſtiti detulerant. Verùm Adalgarius, qui Remberto ſubrogatus fuit, eum neglexit. Indeque urgente Hermanno, ſeu Herimanno Colonienſi Archiepiſcopo, major recruduit difficultas, quam explicat, exaggeratque miſsâ ea de re ad Adalgarium Epiſtola laudata Formoſi Pontificis, in qua diſpenſativè cenſet, Bremenſem Eccleſiam ad ſubſidium Archiepiſcopi Hamburgenſis, cum aliquo tamen ſubjectionis reſpectu permanere poſſe, donec fundatis novis Epiſcopatibus, Hamburgenſi Antiſtiti ſubjiciendis, Bremenſem Eccleſiam recipiat Colonienſis: *diſpenſativè cenſemus*, inquit Formoſus, *quatenus quoad uſque divina ſuffragante gratia prælibata Hammaburgenſis Eccleſia in tantum dilatetur, ut Epiſcopia inſtituere valeat, jam memoratam Bremenſem Eccleſiam ad ſubſidium habeat .... dilatata autem Hammaburgenſi Eccleſia largitore omnium bonorum amminiculante, & fundatis Epiſcopiis, ſæpe memorata Coloniæ ſedes Bremenſem Eccleſiam recipiat*. Sed de hac controverſia infra ſermo redibit.

XIV. Tandem Formoſus Pontifex, quem Anaſtaſius in Nicolao primo *magnæ Sanctitatis* Epiſcopum, Luitprandus verò num. 2 laudatus, *vera religione, divinarumque Scripturarum & doctrinarum ſcientia* clariſſimum appellat, vitam cum morte commutavit ipſo Paſchatis die anni octingenteſimi nonageſimi ſexti, ideoque die quarta Aprilis, ut disertè docet Annaliſta Freherianus mox citatus, qui Arnulphi Imperatoris coronatione relata, ſubdit: *At Romæ Formoſus Papa defunctus die Sancto Paſcha*. Eumdem diem ejus morti aſſignat Hermannus Contractus juxta editionem Caniſii. Sedit itaque, ut num. 1 diximus, annos quatuor, & menſes ſex; dies enim, quibus præter illos annos & menſes ſedit, detegi non poſſunt. Sed quidquid ſit de diebus, ex annis & menſibus apparet, initia anteceſſorum Formoſi, & deceſſorum Joannis VIII, à nobis, ex Baronii Annotatore accuratè fuiſſe conſignata, licèt dies, quibus ordinati fuêre, detegi non potuerint.

XV. Formoſi virtutes, & elogium. De Formoſo magnificum texit elogium Auxilius in libello, quem ex MS. codice Fiſcamnenſi eruto *ſuper cauſa & negotio Formoſi Papæ*, per modum dialogi ſcripto edidit Joannes Mabillonius Tom. IV Analectorum. In eo qui Formoſum defendit, inter alia hæc de eo habet: *Is eſt profectò ille, qui in omni vita ſua tantæ gravitatis forma extitit, ut vinum non biberet, carnis guſtum neſciret; fœmineæ copulæ expers, octogenarius virgineum ſuum corpus hominem exuens terræ commendaret. Iſte etiam gentes Vulgarorum, vitam Sanctitatis prædicatione confirmans, ut verus Apoſtolicus ad fidem adduxit. Et cum tanta probitate prædicatus toto mundo ut alter Lucifer illuxiſſet, vim paſſus in ſepulchro, buſta diruta, oſſa fracta uti quoddam Memphiticum, ejectus eſt extra publicum. Cui tanto viro examinato ut aurum, nil juvare potuêre Scholæ clamantes:* O' *parcite ſepulto! eſt nullum cum mortuis certamen: ſed fuit in eo licitum quod libitum. Neque enim ipſis Apoſtolis datum eſt de mortuis præjudicare*. Et ne quis dicat magnam fidem hac in re non habendam Auxilio, qui à Formoſo Papa, in Italia degens, ordinatus fuerat, audiendus Frodoardus in fragmento de Pontificibus Romanis ab eodem Mabillonio Sæculo III Benedictino parte II edito, & à nobis ſæpius laudato, in quo legitur de Formoſo,

Præſul hic egregius Formoſus laudibus altis
Evehitur, caſtus, parcus ſibi, largus egenis.
Bulgaricæ genti fidei qui ſemina ſparſit,
Delubra deſtruxit, populum cæleſtibus armis
Inſtruxit, tolerans diſcrimina plurima. promptus
Exemplum tribuens, ut ſint adverſa ferenda,
Et bene viventi metuenda incommoda nulla.

De inaudito facinore Stephani VI, vulgò VII, qui Formoſum de ſepulchro ejectum, tribus abſciſſis digitis in Tiberim jactari præcepit, agemus in ejuſdem Stephani Vita. Sed hìc interim in anteceſſum obſervandum, Luitprandum lib. 1 cap. 8 hæc habere, quæ Formoſum Religioſiſſimum Pontificem fuiſſe evincunt: *Quantæ autem auctoritatis*, inquit, *quantæque religionis Papa Formoſus fuerit, hinc colligere poſſumus, quoniam dum à piſcatoribus poſtmodum eſſet inventus, atque ad B. Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiam deportatus, Sanctorum quædam imagines hunc in loculo poſitum venerabiliter ſalutarunt. Hoc namque à religioſiſſimis Romanæ urbis ſæpe audivi*. Ex quibus inferre licet obreptum fuiſſe Joanni VIII, in cujus offenſionem incurrit ob calumnias in ipſum confictas.

BONIFACIUS VI *Pontif. CXIV.*

Anno Domini DCCCXCVI.

I. *Bonifacius VI inter Pontifices Rom. numerandus.*

ANnaliſta Freherianus, Formoſi Papæ morte relata, ſcribit: *In ejus locum conſecratur Bonifacius, qui podagrico morbo correptus vix 15 dies ſupervixiſſe reperitur.* Bonifacius itaque natione Romanus, Hadriani filius, dictus eſt Pontifex poſt Formoſum; ſed cùm conſtet ex Canone 3 Concilii Romani ſub Joanne IX celebrati, Bonifacium primò de Subdiaconatu, poſtmodum de presbyteratu depoſitum, populari manu in Sancti Petri Sedem evectum eſſe, Baronius, aliique eum ſecuti, hunc inter Pontifices Romanos non numerandum cenſent. Verùm præter Annaliſtam Freherianum laudatum hoc tempore viventem, Frodoardus in Fragmento de Pontificibus Romanis, inter Formoſum & Stephanum VI hunc Bonifacium etiam memorat, & laudato Annaliſtæ ſuffragatur, ſcribenti eum ſediſſe diebus quindecim:

Hinc ſubit ad modicum vates Bonifacius almus.
Ter quinos hic in arce dies explevit honoris:
Culmina mox mutans, ſuperat faſtigia celſa,
In qua brevi ſpatio quæſita cacumina ſcandens,
Inter Apoſtolici Proceres deſcribitur albi.

Martinus Polonus in Chronico, S. Antoninus, Platina, Onuphrius, Ciaconius, & alii hunc etiam Bonifacium inter Pontifices Romanos legitimè electos, & conſecratos collocant, eo forſan fundamento, quòd Bonifacius ille, qui dictus eſt Pontifex anno 985, nuncupatus ſit hujus nominis *ſeptimus*, alterque Bonifacius S. Cœleſtini ſucceſſor hujus nominis *octavus* appellatus reperiatur. De Bonifacio VI ob Sedis brevitatem, nihil memoria dignum invenitur, inquit Ciaconius, qui poſtea ſubdit eum obiiſſe Romæ, & ſepultum eſſe ad Sanctum Petrum, ſed unde id hauſerit, me latet.

STEPHANUS VI, aliis VII *Pontif. CXV.*

Anno Domini DCCCXCVI.

I. *Stephanus VI Ordinatur PP.*

QUibus menſe & die conſecratus ſit Stephanus VI, vulgò VII, natione Romanus, ex patre Joanne Presbytero, incompertum eſt; illud ſolùm conſtat, ejus ordinationem peractam eſſe anno octingenteſimo nonageſimo ſexto, ante diem vigeſimum menſis Auguſti, quod Annotator Baronii eruit ex ejus reſcripto in Archivis Eccleſiæ Narbonenſis aſſervato, in favorem Arnuſti Archiepiſcopi dato, & à Catello pag. 773 Comment. Linguadocii recitato, quod ſic incipit: *Stephanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Reverendiſſimo & Sanctiſſimo Confratri noſtro Arnuſto Epiſcopo*, &c. *Scriptum per manum Nicolai Scriniarii S. R. E. in menſe Auguſto indict.* 14. *Benè valete. Datum* 13 *Kal. Septembris, per manum Stephani Epiſcopi Sanctæ Eccleſiæ Nepeſinæ, Arcarii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, imperante Domino piiſſimo Auguſto Arnulpho à Deo coronato magno Imperatore anno primo.* Sedebat itaque Stephanus VI die 20 menſis Auguſti anni 896, indictione 14 notati.

II. *Arnulphum, & poſtea Lambertum Imp. agnoſcit.*

Ex eodem reſcripto nobis etiam innoteſcit, Stephanum Papam ſui Pontificatûs initio, Arnulphum uti verum & legitimum Imperatorem agnoviſſe, licèt poſtea eum deſeruerit, & ad Lamberti partes tranſierit, quod manifeſtum facit privilegium in favorem monaſterii Vezeliacenſis à Dacherio Tomo 3 Spicilegii relatum, in quo habetur: *Scriptum per manus Samuël Notarii & Scriniarii S. R. E. imperante Domino noſtro Landeberto piiſſimo Auguſto, à Deo coronato magno Imperatore, indictione* 15, quæ auſpicata eſt Romæ Kalendis Septembris ejuſdem anni 896, & obtinuit uſque ad finem menſis Auguſti anni 897, intra quod tempus privilegium illud emiſſum, & Stephanus, deſerto Arnulpho, Lamberti Imperatoris partes ſecutus eſt, ex odio forſàn quod conceperat contra Formoſum, à quo Arnulphus Romam vocatus, Imperialem unctionem ſuſceperat; vel potius ex odio, quo in Arnulphum flagrabat, in Formoſum Pontificem ſævit, ut mox ex Hermanno Contracto oſtendimus.

III. *Pſeudo-Synodum contra Formoſum PP. celebrat.*

Nam Stephanus Pontifex eodem anno octingenteſimo nonageſimo ſexto in finem vergente, ſcilicet circa initium menſis Decembris, latrocinali Romæ convocata Synodo, ſepulchrum Formoſi violavit, ipſumque mortuum exhumari juſſum, in judicium vocavit, & in cathedra Pontificia cum Sacerdotalibus indumentis collocatum, his verbis, tanquam viventem ſacrilegè compellavit: *Cùm Portuenſis eſſes Epiſcopus, cur*

Digitized by Google

cur ambitionis ſpiritu Romanam univerſalem ſedem uſurpaſti? Tum ſacris veſtibus exutum, tribus abſciſſis digitis in Tiberim jactari præcepit, *cunctoſque, quos ipſe ordinaverat, gradu proprio depoſitos iterum ordinavit*, inquit Luitprandus lib. 1 cap. 8, ubi Raimundum Epiſcopum alloquens, ſubdit: *Quod quàm malè egerit, pater Sanctiſſime in hoc animadvertere poteris, quoniam & ii qui à Juda Domini noſtri Jeſu Chriſti proditore ante proditionem, ſalutem, ſeu benedictionem Apoſtolicam perceperant, eâ poſt proditionem, propriique corporis ſuſpenſionem minimè ſunt privati, niſi quos improba fortè fœdaverant flagitia. Benedictio ſiquidem, quæ à Miniſtris Chriſti impenditur, non per eum qui videtur, ſed qui non videtur, ſacerdotem infunditur. Neque enim qui rigat eſt aliquid, neque qui plantat: ſed qui incrementum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis*, & cetera numero ultimo Pontificatûs Formoſi à nobis relata.

IV. *Iſtius Synodi epocha.* Tam execrandum Stephani VI facinus referunt etiam Annaliſta Freherianus, & Hermannus Contractus juxta editionem Caniſianam, uterque ad annum 896. Prior enim, poſtquam mortem Bonifacii VI retulit, ſcribit: *In cujus ſedem ſucceſſit Apoſtolicus nomine Stephanus, vir famâ infamandus, qui anteceſſorem ſuum Formoſum inaudito more de ſepulchro ejectum, & per advocatum ſuæ reſponſionis depoſitum foras extra ſolitum ſepulturæ Apoſtolicæ locum ſepeliri præcepit.* Hermannus verò Contractus de eodem Stephano ſcribit: *Qui tyrannis favens, & Arnulphum odiens, Formoſum Papam octavo poſt obitum menſe effoſſum, & in ſella poſitum, loquente pro eo diacono, criminatum, & quaſi convictum degradavit*, &c. Quo ex loco confirmatur noſtra conjectura, Stephanum nempe, Arnulphum deſeruiſſe ob conceptum & in eum & in Formoſum odium; & præterea Synodum illam latrocinalem contra Formoſum habitam eſſe menſe circiter Decembri ineunte, octavo ſcilicet poſt Formoſi obitum menſe. Hæc omnia Stephani VI Acta, jubente Concilio Romano, ſub Joanne IX, tanquam impia & nefaria igni ſunt tradita.

V. *An Formoſi tranſlatio à Portuenſi ad Romanam Sedem fuerit canonica.* Duplex porrò tunc quæſtio exorta eſt. Prima, an Formoſi promotio ad Pontificiam dignitatem fuiſſet Canonica. Secunda, an Epiſcopus depoſitus, & degradatus valide ordines conferret. Qui Formoſi ordinationes irritas eſſe, ideòque à Stephano VI jure iteratas contendebant, hac potiſſimùm ratione freti erant, quòd Concilii Nicæni canone XVI prohibetur, ne Epiſcopus, Presbyrer, aut Diaconus à civivitate in civitatem transferatur: quod ſi factum fuerit, hoc prorſus in irritum ducatur, & præterea quòd Canonibus 1, & 2 Concilii Sardicenſis decernitur, ut Epiſcopus, qui ex avaritia, aut ambitione ſedem mutaverit, nec laica fruatur communione, licèt excuſet ſe, quòd populus eum poſtulaverit. Unde cenſebant Formoſum, velut iſtius violati Canonis reum, à Sacerdotali gradu ad laicorum ſortem excidiſſe, qui nempè à Portuenſi Epiſcopatu ad Romanum transvolarat, adeoque nec ipſum fuiſſe legitimum Pontificem, nec conſequenter ordinationes ſacras Canonicè conferre potuiſſe. Sed Auxilius cap. 20 libri 2 de ordinationibus Formoſi reſpondet, canonibus Nicænis & Sardicenſibus migrationes Epiſcoporum non prohiberi, quæ neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ poſtulante fiunt: quod auctoritate Concilii Calchedonenſis, Sancti Leonis, & Gregorii Pontificum, necnon Sancti Gregorii Nazianzeni, aliorumque, quorum tranſlationes & migrationes ab Eccleſia ſunt approbatæ, exemplis confirmat. Certè Stephanus Papa V in Formoſi Pontificatu num. III à nobis laudatus, pluribus exemplis oſtendit, quòd etiamſi Marinus Papa antea fuiſſet Epiſcopus, quod tamen negat, id propterea non fuiſſet canonicum impedimentum ad ejus promotionem in Pontificem Romanum. Formoſus autem *neceſſitatis cauſa de Portuenſi Eccleſia pro vitæ merito ad Apoſtolicam Sedem provectus eſt*, ut inquiunt Patres Concilii Romani ſub Joanne IX, canone tertio, quod ſufficiebat, ut ejus promotio eſſet canonica; *quia quod fit præter regulam, modò fit ex juxta cauſa, non infringit regulam*, ut ait Symmachus Papa in Epiſtola ordine XII ad Avitum Viennenſem Epiſcopum. Ad alias objectiones contra Formoſum, ejuſque ordinationes reſpondet Auxilius duobus illis libris. Obſervandum autem eſt canones Conciliorum Nicæni, & Sardicenſis non potuiſſe extendi ad ordinatos à Formoſo antequam eſſet Pontifex, quos tamen gradibus ſuis privatos ſupponit Luitprandus numero ante ſuperiorem à nobis laudatus, ut ejus verba legenti manifeſtum eſt.

VI. *Cultus erga Apoſtolicam Sedem.* Etſi autem tanta nefaria crimina Stephanum Papam infamarent, nullus tamen fuit principalium Sedium Epiſcoporum, qui ob id ſe ſubtraheret ab obedientia, quæ impertiri ſoleret Romanæ Eccleſiæ Pontificibus; probè ſcientes omnes, primæ Sedis Pontificem minorum ſedium non ſubjacere judicio. Unde inter Fulconem magni nominis, & auctoritatis Remenſem Archiepiſcopum, & eundem Stephanum Papam magnam intercurriſſe literarum conſuetudinem refert Frodoardus lib. 4 Hiſtoriæ Remenſis capp. 4 & 6, in quibus etiam Fulco vocatus dicitur à Stephano ad Synodum Ravennæ celebrandam; ſed ipſum ſe excuſaſſe, quòd ob bellorum fragores, præ-

ſens

Digitized by Google

ſens ipſe per ſe adeſſe minimè poſſet, ſed id per Legatos Honoratum Catalaunenſem & Rodulphum Laudunenſem expleturum. De qua quidem Synodo mentio nuſquam alibi.

VII. Stephani PP. interitus.

Non diù in Pontificatu vixit Stephanus, Sede enim pulſus, detruſus eſt in carcerem, atque ibi ſtrangulatus, ut nos docet ejus epitaphium ipſi à Sergio III poſitum, quod anno 900, cui mortem ejus affixit, refert Baronius ex Petro Manlio, qui vixit ſub Pontificatu Alexandri III. Illud porrò epitaphium congruit cum verſibus Frodoardi, qui in fragmento de Romanis Pontificibus, de Stephano ſexto hæc habet:

Tum ſextus Stephanus ſacra regmina culmine carpit,
Durus qui noſtris, propriis ac durior inſtat.
Sæva quidem legat vivis, truciora ſepultis;
Fulconemque minis, Formoſum concutit actis.
Concilium gregat infauſtum, cui præſidet atrox;
Prædeceſſorem abjiciens ponenſque patronum.
Viſus ab hinc meritis dignam incurriſſe ruinam,
Carptus & ipſe, ſacraque abjectus ſede, tenebris
Carceris injicitur, vinclisque innectitur atris,
*Et ſuffocatum crudo premit ultio * lato.* * legendum puto *letho*.

Quoad annum mortis Stephani, eum eſſe octingenteſimum nonageſimum ſeptimum, invictè demonſtratur ex reſcriptis Romani Papæ ejus ſucceſsoris, datis menſe Octobri indictionis primæ, quæ initium ſumplit Kalendis Septembris ejuſdem anni 897; unde plures Catalogi, & Hermannus Contractus, Stephano adſcribunt annum unum ſedis, & menſes circiter duos. Verum quidem eſt extare privilegium monaſterio Sancti Vincentii ad fontes Vulturni à Stephano conceſsum, quod dicitur datum *menſe Septemb. indict. IV per manum Stephani Primicerii anno Pontificatûs Domini Stephani ſexti quinto*, ideoque anno nongenteſimo; ſed ea ſubſcriptio tam in indictione, quàm in anno Stephani mendoſa eſt. Nam Ducheſnius, qui Tomo 3 varia excerpta Chronici ejuſdem monaſterii publicavit, pag. 691 in margine rectè monuit, Chronographum illum Anonymum, ibi & alibi in annorum computis ſæpius erraſse. Imò ex illo reſcripto evertitur opinio Baronii; ſi enim, ut ipſe ſcribit, Formoſus menſe Decembri anni 896 mortuus ſit, & Bonifacius anno ſequenti ineunte dictus ſit Pontifex, quo pacto Stephanus VI Bonifacii ſucceſsor dici poteſt numeraſse annum Pontificatûs quintum menſe Septembri anni nongenteſimi? Ex quo evincitur ſubſcriptionem illam, & in indictione, & in anno Pontificatûs Stephani mendosè deſcriptam eſse.

Gratianus diſtinct. 63 cap. 28, & ex eo Baronius anno 816 num. 101 referunt decretum Stephani Papæ, ſtatuentis ut Romanus Pontifex *electus, præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur*. Cùmque Gratianus non dicat, quotus ordine ſit ille Stephanus, Baronius, aliique illud Stephano IV, vulgò V, adſcribunt, & figmentum ſchiſmaticorum eſse arbitrantur. Sed ex ejus lectione, inquit Annotator Baronii ad annum 897, apparet, illud fœtum eſſe Stephani VI, vulgò VII. Quod ut pateat, hic integrum illud recitare juvat:

VIII. Ejus decretum de ordinatione Pontificis Rom.

Quia ſancta Romana Eccleſia, cui auctore Deo præſidemus, à pluribus patitur violentias. Pontifice obeunte: quæ ob hoc inferuntur, quia abſque Imperiali notitia Pontificis fit conſecratio: nec canonico ritu & conſuetudine ab Imperatore directi interſunt Nuncii, qui ſcandala fieri vetant; volumus, ut cùm inſtituendus eſt Pontifex, convenientibus Epiſcopis & univerſo Clero eligatur præſente Senatu, & populo, qui ordinandus eſt. Et ſic ab omnibus electus præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur. Nulluſque ſine periculo ſui, juramenta vel promiſſiones aliquas, nova adinventione audeat extorquere, niſi quæ antiqua exigit conſuetudo, ne Eccleſia ſcandalizetur, & Imperialis honorificentia minuatur. Eo decreto reſcinditur illud Hadriani III, qui ſanxerat, ut mortuo Pontifice, novus conſecraretur abſque præſentia Legatorum Imperialium.

IX. Nec Stephano IV nec ſchiſmaticis adſcribendum.

Illud decretum non poteſt eſſe latum à Stephano IV, cùm ante ejus Pontificatum nunquam fuerit conſuetudo, ut Imperiales Legati conſecrationi Romani Pontificis intereſſent, quod tamen auctor iſtius decreti disertè teſtatur. Secundò, poſt mortem Stephani IV, ſedére Paſchalis I, & Eugenius II, in quorum ordinationibus aliud ſervatum non eſt, quàm quod uſus ferebat, ut nempè Pontifex ordinatus Legatos ad Imperatorem mitteret ad confirmanda pacta, quæ poſt Caroli Martelli tempora cum Regibus Francorum, & Carolo Magno Imperatore fuerant ſancita. Contrà verò ante Stephanum VI diu mos ille obtinuerat, ut ex dictis liquet. Tertiò hæc verba, *Eccleſia à pluribus patitur violentias Pontifice obeunte*, & iſta, *nulluſque ſine periculo ſui juramenta vel promiſſiones aliquas*, &c. nonniſi tempori, quo ſedit Stephanus VI, convenire poſſunt, ut intruſio quorundam Pontificum, & ſcandala in Eccleſiam exorta oſtendunt. Quartò, ante Stephanum IV ordinationes factæ abſentibus Legatis Imperialibus non poterant non eſſe canonicæ, cùm nullus eſſet canon, ſeu regula Eccleſiaſtica, quæ eæ prohiberentur; contra verò poſtquam Eugenius II idem præcepit, ut ſuo loco diximus, quando id non ſervabatur, in eam Regulam

Eccle-

cur ambitionis ſpiritu Romanam univerſalem ſedem uſurpaſti? Tum ſacris veſtibus exutum, tribus abſciſſis digitis in Tiberim jactari præcepit, *cunctoſque, quos ipſe ordinaverat, gradu proprio depoſitos iterum ordinavit*, inquit Luitprandus lib. 1 cap. 8, ubi Raimundum Epiſcopum alloquens, ſubdit: *Quod quàm malè egerit, pater Sanctiſſime in hoc animadvertere poteris, quoniam & ii qui à Juda Domini noſtri Jeſu Chriſti proditore ante proditionem, ſalutem, ſeu benedictionem Apoſtolicam perceperant, ed poſt proditionem, propriique corporis ſuſpenſionem minimè ſunt privati, niſi quos improba fortè fœdaverant flagitia. Benedictio ſiquidem, quæ à Miniſtris Chriſti impenditur, non per eum qui videtur, ſed qui non videtur, ſacerdotem infunditur. Neque enim qui rigat eſt aliquid, neque qui plantat: ſed qui incrementum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis*, & cetera numero ultimo Pontificatûs Formoſi à nobis relata.

IV. *Illius Synodi epocha.* Tam execrandum Stephani VI facinus referunt etiam Annaliſta Freherianus, & Hermannus Contractus juxta editionem Caniſianam, uterque ad annum 896. Prior enim, poſtquam mortem Bonifacii VI retulit, ſcribit: *In cujus ſedem ſucceſſit Apoſtolicus nomine Stephanus, vir famâ infamandus, qui anteceſſorem ſuum Formoſum inaudito more de ſepulchro ejectum, & per advocatum ſuæ reſponſionis depoſitum foras extra ſolitum ſepulturæ Apoſtolicæ locum ſepelire præcepit.* Hermannus verò Contractus de eodem Stephano ſcribit: *Qui tyrannis favens, & Arnulphum odiens, Formoſum Papam octavo poſt obitum menſe effoſſum, & in ſella poſitum, loquente pro eo diacono, criminatum, & quaſi convictum degradavit*, &c. Quo ex loco confimatur noſtra conjectura, Stephanum nempe, Arnulphum deſeruiſſe ob conceptum & in eum & in Formoſum odium; & præterea Synodum illam latrocinalem contra Formoſum habitam eſſe menſe circiter Decembri ineunte, octavo ſcilicet poſt Formoſi obitum menſe. Hæc omnia Stephani VI Acta, jubente Concilio Romano, ſub Joanne IX, tanquam impia & nefaria igni ſunt tradita.

V. *An Formoſi tranſlatio à Portuenſi ad Romanam Sedem fuerit canonica.* Duplex porrò tunc quæſtio exorta eſt. Prima, an Formoſi promotio ad Pontificiam dignitatem fuiſſet Canonica. Secunda, an Epiſcopus depoſitus, & degradatus valide ordines conferret. Qui Formoſi ordinationes irritas eſſe, ideòque à Stephano VI jure iteratas contendebant, hac potiſſimùm ratione freti erant, quòd Concilii Nicæni canone XVI prohibetur, ne Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus à civivitate in civitatem transferatur: quod ſi factum fuerit, hoc prorſus in irritum ducatur, & præterea quòd Canonibus 1, & 2 Concilii Sardicenſis decernitur, ut Epiſcopus, qui ex avaritia, aut ambitione ſedem mutaverit, nec laica fruatur communione, licèt excuſet ſe, quòd populus eum poſtulaverit. Unde cenſebant Formoſum, velut iſtius violati Canonis reum, à Sacerdotali gradu ad laicorum ſortem excidiſſe, qui nempè à Portuenſi Epiſcopatu ad Romanum transvolarat, adeoque nec ipſum fuiſſe legitimum Pontificem, nec conſequenter ordinationes ſacras Canonicè conferre potuiſſe. Sed Auxilius cap. 20 libri 2 de ordinationibus Formoſi reſpondet, canonibus Nicænis & Sardicenſibus migrationes Epiſcoporum non prohiberi, quæ neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ poſtulante fiunt: quod auctoritate Concilii Calchedonenſis, Sancti Leonis, & Gregorii Pontificum, necnon Sancti Gregorii Nazianzeni, aliorumque, quorum translationes & migrationes ab Eccleſia ſunt approbatæ, exemplis confirmat. Certè Stephanus Papa V in Formoſi Pontificatu num. III à nobis laudatus, pluribus exemplis oſtendit, quòd etiamſi Marinus Papa antea fuiſſet Epiſcopus, quod tamen negat, id propterea non fuiſſet canonicum impedimentum ad ejus promotionem in Pontificem Romanum. Formoſus autem *neceſſitatis cauſa de Portuenſi Eccleſia pro vitæ merito ad Apoſtolicam Sedem provectus eſt*, ut inquiunt Patres Concilii Romani ſub Joanne IX, canone tertio, quod ſufficiebat, ut ejus promotio eſſet canonica; *quia quod fit præter regulam, modò fit ex juxta cauſa, non infringit regulam*, ut ait Symmachus Papa in Epiſtola ordine XII ad Avitum Viennenſem Epiſcopum. Ad alias objectiones contra Formoſum, ejuſque ordination s reſpondet Auxilius duobus illis libris. Obſervandum autem eſt canones Conciliorum Nicæni, & Sardicenſis non potuiſſe extendi ad ordinatos à Formoſo antequam eſſet Pontifex, quos tamen gradibus ſuis privatos ſupponit Luitprandus numero ante ſuperiorem à nobis laudatus, ut ejus verba legenti manifeſtum eſt.

VI. *Cultus erga Apoſtolicam Sedem.* Etſi autem tanta nefaria crimina Stephanum Papam infamarent, nullus tamen fuit principalium Sedium Epiſcoporum, qui ob id ſe ſubtraheret ab obedientia, quæ impertiri ſoléret Romanæ Eccleſiæ Pontificibus; probè ſcientes omnes, primæ Sedis Pontificem minorum ſedium non ſubjacere judicio. Unde inter Fulconem magni nominis, & auctoritatis Remenſem Archiepiſcopum, & eundem Stephanum Papam magnam intercurriſſe literarum conſuetudinem refert Frodoardus lib. 4 Hiſtoriæ Remenſis capp. 4 & 6, in quibus etiam Fulco vocatus dicitur à Stephano ad Synodum Ravennæ celebrandam; ſed ipſum ſe excuſaſſe, quòd ob bellorum fragores, præ-

ſens

ſens ipſe per ſe adeſſe minimè poſſet, ſed id per Legatos Honoratum Catalaunenſem & Rodulphum Laudunenſem expleturum. De qua quidem Synodo mentio nuſquam alibi.

VII. *Stephani PP. interitus.* Non diù in Pontificatu vixit Stephanus, Sede enim pulſus, detruſus eſt in carcerem, atque ibi ſtrangulatus, ut nos docet ejus epitaphium ipſi à Sergio III poſitum, quod anno 900, cui mortem ejus affixit, refert Baronius ex Petro Manlio, qui vixit ſub Pontificatu Alexandri III. Illud porrò epitaphium congruit cum verſibus Frodoardi, qui in fragmento de Romanis Pontificibus, de Stephano ſexto hæc habet:

Tum ſextus Stephanus ſacra regmina culmine carpit,
Durus qui noſtris, propriis ac durior inſtat.
Sæva quidem legat vivis, tructora ſepultis;
Fulconemque minis, Formoſum concutit actis.
Concilium gregat injuſtum, cui præſidet atrox;
Prædeceſſorem abjiciens ponenſque patronum.
Viſus ab hinc meritis dignam incurriſſe ruinam,
Carptus & ipſe, ſacraque abjectus ſede, tenebris
Carceris injicitur, vinclisque innectitur atris,
Et ſuffocatum crudo premit ultio lato.* * legendum puto *letho*.

Quoad annum mortis Stephani, eum eſſe octingenteſimum nonageſimum ſeptimum, invictè demonſtratur ex reſcriptis Romani Papæ ejus ſucceſsoris, datis menſe Octobri indictionis primæ, quæ initium ſumpſit Kalendis Septembris ejuſdem anni 897; unde plures Catalogi, & Hermannus Contractus, Stephano adſcribunt annum unum ſedis, & menſes circiter duos. Verum quidem eſt extare privilegium monaſterio Sancti Vincentii ad fontes Vulturni à Stephano conceſsum, quod dicitur datum *menſe Septemb. indict. IV per manum Stephani Primicerii anno Pontificatûs Domini Stephani ſexti quinto*, ideoque anno nongenteſimo; ſed ea ſubſcriptio tam in indictione, quàm in anno Stephani mendoſa eſt. Nam Ducheſnius, qui Tomo 3 varia excerpta Chronici ejuſdem monaſterii publicavit, pag. 691 in margine rectè monuit, Chronographum illum Anonymum, ibi & alibi in annorum computis ſæpius erraſse. Imò ex illo reſcripto evertitur opinio Baronii; ſi enim, ut ipſe ſcribit, Formoſus menſe Decembri anni 895 mortuus ſit, & Bonifacius anno ſequenti ineunte dictus ſit Pontifex, quo pacto Stephanus VI Bonifacii ſucceſsor dici poteſt numeraſse annum Pontificatûs quintum menſe Septembri anni nongenteſimi? Ex quo evincitur ſubſcriptionem illam, & in indictione, & in anno Pontificatûs Stephani mendosè deſcriptam eſse.

Gratianus diſtinct. 63 cap. 28, & ex eo Baronius anno 816 num. 101 referunt decretum Stephani Papæ, ſtatuentis ut Romanus Pontifex *electus, præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur*. Cùmque Gratianus non dicat, quotus ordine ſit ille Stephanus, Baronius, aliique illud Stephano IV, vulgò V, adſcribunt, & figmentum ſchiſmaticorum eſse arbitrantur. Sed ex ejus lectione, inquit Annotator Baronii ad annum 897, apparet, illud fœtum eſſe Stephani VI, vulgò VII. Quod ut pateat, hìc integrum illud recitare juvat: *Quia ſancta Romana Eccleſia, cui auctore Deo præſidemus, à pluribus patitur violentias. Pontifice obeunte: quæ ob hoc inferuntur, quia abſque Imperiali notitia Pontificis fit conſecratio: nec canonico ritu & conſuetudine ab Imperatore directi interſunt Nuncii, qui ſcandala fieri vetant; volumus, ut cùm inſtituendus eſt Pontifex, convenientibus Epiſcopis & univerſo Clero eligatur præſente Senatu, & populo, qui ordinandus eſt. Et ſic ab omnibus electus præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur. Nulluſque ſine periculo ſui, juramenta vel promiſſiones aliquas, nova adinventione audeat extorquere, niſi quæ antiqua exigit conſuetudo, ne Eccleſia ſcandalizetur, & Imperialis honorificentia minuatur.* Eo decreto reſcinditur illud Hadriani III, qui ſanxerat, ut mortuo Pontifice, novus conſecraretur abſque præſentia Legatorum Imperialium.

VIII. *Ejus decretum de ordinatione Pontificis Rom.*

Illud decretum non poteſt eſſe latum à Stephano IV, cùm ante ejus Pontificatum nunquam fuerit conſuetudo, ut Imperiales Legati conſecrationi Romani Pontificis intereſſent, quod tamen auctor illius decreti disertè teſtatur. Secundò, poſt mortem Stephani IV, ſedêre Paſchalis I, & Eugenius II, in quorum ordinationibus aliud ſervatum non eſt, quàm quod uſus ferebat, ut nempè Pontifex ordinatus Legatos ad Imperatorem mitteret ad confirmanda pacta, quæ poſt Caroli Martelli tempora cum Regibus Francorum, & Carolo Magno Imperatore fuerant ſancita. Contrà verò ante Stephanum VI diu mos ille obtinuerat, ut ex dictis liquet. Tertiò hæc verba, *Eccleſia à pluribus patitur violentias Pontifice obeunte*, & iſta, *nulluſque ſine periculo ſui juramenta vel promiſſiones aliquas*, &c. nonniſi tempori, quo ſedit Stephanus VI, convenire poſſunt, ut intruſio quorundam Pontificum, & ſcandala in Eccleſiam exorta oſtendunt. Quartò, ante Stephanum IV ordinationes factæ abſentibus Legatis Imperialibus non poterant non eſſe canonicæ, cùm nullus eſſet canon, ſeu regula Eccleſiaſtica, quæ eæ prohiberentur; contra verò poſtquam Eugenius II idem præcepit, ut ſuo loco diximus, quando id non ſervabatur, in eam Regulam Eccle-

IX. *Nec Stephano IV nec ſchiſmaticis adſcribendum.*

Digitized by Google

Eccleſiaſticam peccatum eſſe, dici poterat. Denique decreti Stephani VI confirmatio in Concilio Romano à Joanne IX facta, rem extra controverſiam ponit, cùm in eo laudatum decretum de verbo ad verbum canone X recitatum ſit, & ab omnibus approbatum, ex quo & Baronius, qui illud decretum recitat ad annum 904, intelligere poterat, non eſſe figmentum ſchiſmaticorum. Vide dicta in Stephano IV, & in Eugenio II.

ROMANUS *Pontif. CXVI.*

Anno Domini DCCCXCVII.

I. *Romanus fit Papa.* SUblato Stephano VI, Romanus, patria Galeſianus, Conſtantini filius Romanam Sedem occupavit, & quidem ante diem decimum quintum menſis Octobris ejuſdem anni octingenteſimi nonageſimi ſeptimi, quod nos docent duæ ejuſdem Romani Pontificis Epiſtolæ à Baluzio in Appendice ad Marcam Hiſpanicam num. 58, & ſeq. recitatæ, quarum prior Riculfo Epiſcopo Helenenſi, ſeu Roſſilioni data eſt, cujus hæc ſubſcriptio: *Scriptum per manum Gregorii Scriniarii S. R. E. in menſe Octobri indictione prima, Idibus Octobris per manum Stephani nomine Calatoris ſanctæ Sedis Apoſtolicæ imperante D. N. piiſſimo PP. Aug. Lamberto à Deo coronato magno Imperante anno VI, & Pontificatûs* (legendum Conſulatûs) *anno VI Indictione prima.* Eodem tempore *Servus Dei* Epiſcopus Gerundenſis privilegium obtinuit his verbis inchoatum, ſicut prior Epiſtola: *Romanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Reverentiſſimo*, &c. ſic autem deſinit: *Scriptum per manum Sergii Scriniarii S. R. E. in menſe Octobri, Indictione prima.* Quare Romanus ante diem 15 Octobris anni 897 Romanæ Eccleſiæ præerat. Baluzius quidem ponit Indictionem quartam loco primæ; ſed error illi natus, quòd crederet annum illum ſextum Lamberti Imperatoris concurrere cum anno nongenteſimo; cùm tamen, ut probat Annotator Baronii, Lambertus dictus ſit Imperator anno 892, ideoque annus ille ſextus inchoaretur anno 897, quo Epiſtolæ illæ datæ.

De hoc Pontifice nihil habet Baronius præter nomen. Platina, & ex eo Ciaconius & Oldoinus ſcribunt, eum Stephani VI decreta actaque in Formoſum abrogaſſe & Formoſum reſtituiſſe, ſed nullum teſtem ad id probandum adducunt. Martinus Polonus in Chronico, & quidam Catalogi habent, eum ſediſſe menſes tres, & dies 22, vel 23, quibus ſtandum videtur, cùm Frodoardus in ſæpe laudato Fragmento de Pontificibus Romanis, Stephani VI morte narrata, habeat. II. *Moritur.*

Poſt hunc luce brevi Romani regmina ſurgunt,
Quatuor haud plenos tractans is culmina mēſes
Æthere ſuſcipitur, meritos fortitus honores.

Quo pacto dicendum Romani Papæ mortem contigiſſe circa finem menſis Januarii anni octingenteſimi nonageſimi octavi. Marianus Scotus numero rotundo loquens, ſcribit Romanum ſediſſe menſibus quatuor.

THEODORUS II *Pontif. CXVII.*

Anno Domini DCCCXCVIII.

I. *Theodorus II Romano ſuccedit.* THeodorus hujus nominis II, Photii filius, natione Romanus, menſe, & die incertis, in Romani locum ſuffectus eſt, Sedemque Romanam diebus tantum viginti rexit; Hermanno Contracto, Mariano Scoto, Honorio Auguſtodunenſi, Martino Polono, & pleriſque Catalogis teſtibus, ex quibus corrigendus Frodoardus in fragmento de Romanis Pontificibus, in cujus textum exſcriptores poſuerunt *bis ſenos dies*, loco, *bis denos*, ut animadvertit Mabillonius.

Quo rapto breviore ſubit faſtigia ſorte
Dilectus Clero Theodorus, pacis amicus.
Bis ſenos * *Romana dies, qui jura gubernans,*
Sobrius, & caſtus, patria bonitate refertus;
Vixit pauperibus diffuſus amator & altor.
Hic populum docuit connectere vincula pacis.
Atque Sacerdotes concordi ubi junxit honore,
Dum propriis revocat diſſectos ſedibus, ipſe
Complacitus rapitur decreta ſede locandus.

* al. denos.

Quæ verba, *atque Sacerdotes*, &c. disertè innuunt Theodorum, ordinatos à Formoſo, & ſuis ſedibus à Stephano dejectos, in priſtinos gradus revocaſſe, quod etiam teſtatur Auxilius lib. 2 cap. 2, ubi docet, eum Formoſi corpus ad Apoſtolicam tumbam reduxiſſe: *Eos*, inquit, *quos Stephanus Papa in Eccleſia veſtiri prohibuit* (quia ſcilicet fuerant à Formoſo ordinati, quem ipſe damnarat, II. *Ordinatos à Formoſo reſtituit, & corpus ejus ſepulturæ reddit.*

Digitized by Google

mnarat, velut ſi revera in laicorum ordinem redactus, nonniſi ſacrilegè ordinationes quaſcumque celebraſſet) *Papa Theodorus, qui utique de Formoſi ordinatione non fuit, & veſtiri, & ſuum agere officium præcepit: ejuſque corpuſculum, quod pertinaciter ejectum fuerat, cum exultatione ad Apoſtolicam tumbam reduxit*. Idem ſcribit Sigebertus in Chronico ad annum 903. *Theodorus Romanæ Eccleſiæ 115 præſidet. Hic contra Stephanum Papam ſentiens, reconciliavit ordinatos à Formoſo, quos Stephanus per vim Romæ intus & non foris exordinaverat, nec tamen præſumpſerat eos iterum conſecrare* (Luitprandus tamen lib. I cap. 8 ſcribit, Stephanum ordinatos à Formoſo iterum ordinaſſe). *His reconciliatis Theodorus Papa libros abrenunciationis reddidit, & igni cremari præcepit*. Idem tandem innuit Auctor Faſciculi temporum: *Theodorus*, inquit, *omnes actus Stephani reprobans, facta Formoſi approbavit*. Sub Theodoro itaque contigit id, quod in Formoſo, ex Luitprando loco mox laudato narravimus, nempe cùm Formoſi corpus ad Baſilicam Principis Apoſtolorum deferretur, quaſdam Sanctorum Imagines illud venerabiliter ſalutaſſe. Obiit Theodorus II ante menſem Julium ejuſdem anni 898; Joannes enim IX ejus ſucceſſor Pontificatum iniit circa menſem Julium ex infra dicendis.

JOANNES IX *Pontif. CXVIII.*

Anno Domini DCCCXCVIII.

I. *Sergio pulſo, Joannes IX ordinatur.* THeodoro Papa mortuo, Sergius Romanæ Eccleſiæ Presbyter electus eſt Pontifex, ſed eo, antequam ordinaretur, Româ pulſo, Ioannes XI patria Tiburtinus, Rampoaldi, ſeu Rampaldi filius, Ordinis Benedectini Monachus Diaconus, electus eſt & ordinatus. Id conſtat ex ejuſdem Sergii, qui poſtea dictus eſt Pontifex hujus nominis III, epitaphio infra referendo, & ex iis, quæ habet Frodoardus in Fragmento de Romanis Pontificibus, ubi relata Theodori II, morte, ſubdit.

Joannes ſubit hinc, qui fulſit in ordine nonus.
Pellitur electus patria quò Sergius urbe.
Romulidumque gregum quidam traduntur abacti.

Joannis porrò IX ordinationem, menſe circiter Julio in finem vergente anno octingenteſimo nonageſimo octavo contigiſſe, ex eo colligitur, quòd ſederit annos duos, & dies quindecim, & obierit circa initium menſis Auguſti anni nongenteſimi, ut in ejus morte oſtendemus.

II. *Romæ Synodum celebrat.* Idem Frodoardus poſt laudata verba, de eodem Joanne IX, pergit:

Conciliis tamen is ternis docuiſſe refertur
Dogma ſaluſiferum, novitaſque aboleta malorum,
Et firmata fides doctrinis tradita patrum.

Ex tribus illis Conciliis, quæ Frodoardus à Joanne IX coacta fuiſſe aſſerit, duo tantùm ſuperſunt, Romanum nempe, & Ravennatenſe, quæ ipſo primo Pontificatûs Joannis anno celebrata eſſe ex eo conjicit Baronianæ Criticæ Auctor, quòd Joannes Papa diro, quo laborabat Eccleſia, mederi malo cuperet, metu Sergianorum, qui ob repulſam Sergii in armis erant; & parte alia Lambertus Imperator, vellet Imperialem ſuam unctionem confirmari. Sed Romani Concilii epocha validius ſtabilitur ex obſervatione ejuſdem Auctoris probantis, Lambertum Imperatorem eodem anno 898 occiſum; ex eo enim evincitur, Concilium Romanum eodem anno ante Lamberti obitum, habitum eſſe; cùm in eo ejus unctio Imperialis confirmata fuerit.

III. *In eo Acta contra Formoſum reſcindit.* In eo Concilio Romano Acta pſeudo-Synodi Romanæ à Stephano VI contra Formoſum coactæ, infirmata ſunt canone primo his verbis: *Synodum tempore piæ recordationis Stephani Papæ deceſſoris noſtri celebratam, in quam venerabile corpus Formoſi venerandi Papæ de ſepultura violata per terram tractum eſt, & quaſi ad judicium deductum, judicari & damnari præſumptum eſt: quod nunquam deceſſorum noſtrorum temporibus factum fuiſſe traditum eſt, penitus abdicamus: & ut ulterius præſumatur fieri per quodlibet Spiritûs Sancti Judicium interdicimus: quia ad judicium vocari mortuus non poteſt; cùm perſona, quæ ad judicium vocatur, ideo vocetur, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. Et omnibus patet quòd mortui cadaver, pro ſe non reſpondere, nec ſatisfacere poteſt*. Idem Concilium Sergium & ſocios damnatos reſtitui vetuit: violatores ſepulchri, cadaveriſque Formoſi damnavit, & Formoſum, *quia neceſſitatis cauſa de Portuenſi Eccleſia pro vitæ merito ad Apoſtolicam Sedem provectus eſt*, Pontificem confirmavit; ſtatuens nihilominus canone tertio, *ne quis id in exemplum trahat*, ſacris legibus id prohibentibus: *quippe quod neceſſitate aliquoties inductum eſt, neceſſitate ceſſante in auctoritatem ſumi non eſt permiſſum*. Ordinati à Formoſo, & à Stephano VI exaugurati,

ad

Digitized by Google

ad priſtinos gradus reſtituti, veniâque conceſſa Epiſcopis, Presbyteris, & ceteris Clericis, qui eidem Stephani VI Synodo interfuerant, vetitumque fuit, ne vis illis inferretur. De promotione Formoſi vide dicta in ejus Pontificatu, & in Stephano VI.

IV. *Imperium Lamberto confirmat, & Berengario aufert.*

Duodecim canonibus ſeu Capitulis conſtat iſtud Concilium, in quorum ſexto Imperialis Lamberti unctio confirmatur; illa verò Berengarii per ſubreptionem extorta rejicitur his verbis: *Unctionem itaque ſacri Chriſmatis in ſpiritualem filium noſtrum dominum videlicet Lambertum excellentiſſimum Imperatorem actam, perpetua ſtabilitate, dignitatibus decoratam, firmam & in æternum ſtabilitam eſſe, Sancto ſuffragante Spiritu, decernimus. Illam verò barbaricam Berengarii, quæ per ſurreptionem exorta eſt, omnimodis abdicamus.* Sigonius lib. 6 de Regno Italiæ, & Rubeus lib. 5. Hiſt. Ravenn. ſcribunt, non Imperialem unctionem Berengarii, ſed Arnulphi reſciſſam eſſe, quod etiam contendit Annotator Baronii. Sed præter quàm quòd nullum codicem MS. Actorum hujus Concilii proferunt, in quo legatur nomen *Arnulphi*, loco nominis *Berengarii*, non video Joannem IX, & Patres hujus Concilii dicere potuiſſe unctionem Arnulphi fuiſſe *barbaricam* & *per ſurreptionem* extortam, cùm conſtet Formoſum, cujus Acta in hoc Concilio confirmata ſunt, non ſolùm literis, ſed etiam Miſſis invitaſſe Arnulphum, ut Romam veniret, huncque ejuſdem Pontificis mandato Romam expugnaſſe, ut in Formoſo diximus. Quòd ſi dicas Berengarium, non ante annum 814 coronatum eſſe Imperatorem, & nulla ejus ante illum annum extare diplomata, in quibus anni ejus imperii notentur, reſpondebo Berengarium, qui teſte Hermanno Contracto in eodem Formoſo à nobis laudato, poſt reditum Arnulphi ex urbe Roma, Lambertum coegit, ut ſecum Italiæ regnum divideret, vel à Stephano VI, vel à Romano ejus ſucceſſore Imperialem unctionem, ſine dubio *barbaricè; & per ſurreptionem* extorſiſſe; ſed mirum non eſſe ejus diplomata non exprimere annos imperii, cùm non multò poſt ejus coronatio in iſto Concilio Romano abrogata fuerit, & ideo ſe in Imperatorem iterùm à Joanne X coronari curaverit. Poëta quidem Anonymus ab Hadriano Valeſio publicatus, in carmine Panegyrico de laudibus Berengarii Auguſti lib. 4 ait, Berengarium cùm conoratus eſt Imperator à Joanne X anno 914, nec dum diademate imperii vultum cluſiſſe; ſed cùm poëta ille totus effuſus ſit in Berengarii laudes, tacuit primam ejus unctionem Imperialem, utpote barbaricam, & ut talem abrogatam, & ſignificat tantùm eum, licèt ab anno 902, quo Ludovicum Boſonis filium Imperatorem excæcavit, & Italiâ expulit, multas victorias retuliſſet, nondum tamen fuiſſe coronatum Imperatorem, quia non decebat, inquit:

Ad ſummum tranſire gradum, niſi ſæpe vocatum?

ne ſcilicet hæc ſecunda coronatio, reſcinderetur, ſicut prior, quæ *barbaricè*, & per ſurreptionem extorta fuerat, ut in laudato Romani Concilii canone dicitur.

V. *Decretum edit de ordinatione Pontificis Rom.*

In eodem Concilio Romano, ad vitanda diſſidia, quæ in comitiis Pontificiis oriebantur, cum maxima Eccleſiæ offenſione, decretum eſt, ne Pontifices Romanos, qui deſignati eſſent, jus eſſet conſecrari, niſi in conſpectu Imperialium Legatorum. Decretum itaque Hadriani III, qui contrarium ſtatuerat, abrogatum, & illud Stephani VI confirmatum, quod cùm iiſdem penitus verbis conceptum ſit, hic illud iterum exſcribere ſupervacaneum eſt, cùm jam in ejus Pontificatu relatum ſit. Sed licèt illud decretum ab iſto Concilio Romano confirmatum fuerit, fatendum tamen eſt, mortuo eodem anno Lamberto Imperatore, qui illud procuraverat, effectum non habuiſſe ante Ottonem Magnum Imperatorem, qui illud renovavit.

VI. *Alterum Ravennæ Concilium cogit.*

Poſt Concilium Romanum, eodem anno Joannes Papa alterum Ravennæ celebravit, præſente Lamberto Imperatore, cujus Sigebertus in Chronico & Vincentius Bellovacenſis in Speculo Hiſtoriali meminêre, in quo præcedens Romanum confirmatum eſt. In eo decretum, ut Sanctorum Patrum Regulæ, & Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii, & Ludovici II Imperatorum Capitularia de Eccleſiaſticis decimis ſervarentur: & qui ea violaret, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, & Sanctione Sanctæ Synodi excommunicationi ſubjaceret. Denique Lambertum Imperatorem hortatus eſt Pontifex ad tuitionem Eccleſiæ, ad illicitas conjunctiones in territoriis Sancti Petri prohibendas, cæteraque ſcelera coërcenda. Huic Concilio adfuêre Epiſcopi LXXIV.

VII. *Scribit ad Stylianum Neocæſareæ Metropolitam.*

Stylianus cognomento Mapa, Neocæſareæ Metropolita, de quo ſæpe locuti ſumus, qui parte Sancti Ignatii Conſtantinopolitani contra Photium tanto ardore defenderat, poſt denegatam à Formoſo Papa veniam pro lapſis & pro ordinatis à Photio, quam ipſe cum Orientalibus Epiſcopis petierat, relicto tandem veritatis tramite, cum Photianis ſocietatem iniit anno 898 & Romanæ Eccleſiæ oblatravit. Non habuit quid illi objiceret præter inconſtantiam doctrinæ, & ſententiarum pugnantiam. In Epiſtola enim, quam eodem anno ſcripſit ad Joannem Papam, petens licentiam communicandi cum Photianis, ait,

Ste-

phanum V in eadem re & Epiſtola contraria ſcripſiſſe, ut qui in prima Epiſtolæ parte jure Photium ejectum, in poſtrema eundem pro legitimo Antiſtite habendum affirmat. Hanc licentiam ei denegavit Joannes Papa, ut conſtat ex ejus Epiſtola ad Stylianum Tomo IX Conciliorum, & in Annalibus Baronii ad annum 905 recitata, licèt, ut probat Annotator Baronii, ea ſcripta ſit anno 898, ſeptennio nempe poſt Epiſtolam Formoſi eadem de re ſcriptam, de qua ſuperius egimus.

VIII. *Argrinum in Epiſcopatum Lingonenſem reſtituit.*

Clerus & populus Lingonenſis Eccleſiæ queſti ſunt apud Joannem Papam Eccleſiam ſuam omni paſtorali ſolatio deſtitutam eſſe, *ex quo Argrinus venerabilis Epiſcopus ab ipſa per ſubreptionem quorundam receſſit Eccleſia*, licèt omnes eum concorditer elegiſſent, nullumque alium poſt ipſum ſponte ſuſcepiſſent Epiſcopum. Quare Joannes IX literis *menſe Majo indict.* 2 datis, & Tomo IX Concil. recitatis, Argrinum eis canonicè reſtituit, *non ſententiam*, inquiens, *prædeceſſoris noſtri Stephani reprehendentes, ſed utilitatis ac neceſſitatis causâ, canonicè in melius commutantes*. Aliis literis *V Idus Maji, indict.* 2. Ideoque anno 899, etiam datis & ibidem relatis, idem Pontifex Carolum Simplicem Francorum Regem hortatur, ut Argrini reſtitutioni faveat. Eam reſtitutionem confirmavit poſtea Benedictus IV.

IX. *Pataviensem Epiſcopatum in quinque dividit.*

Joannes Pontifex Archiepiſc. unum & tres Epiſcopos in Slavorum, ſeu Moravorum terris, priùs Patavienſi Epiſcopo ſubjectis, creavit; nam Wichinum pro Moravis à Joanne VIII Epiſcopum ordinatum, Nitriæ reſidentem, in Epiſcopatum Patavienſem tranſtulit, & ex uno Epiſcopatu Patavienſi quinque fecit. Qua de re Theotmarus Saliſburgenſis Archiepiſcopus, & alii Bajoariæ Epiſcopi conqueſti ſunt apud eum Epiſtolâ, quæ extat Tomo IX Concil. pag. 498. *Venerunt*, inquiunt, *ut ipſi promulgaverunt de latere veſtro tres Epiſcopi, videlicet Joannes Archiepiſcopus, Benedictus, & Daniel Epiſcopi in terram Sclavorum, qui Maraci* (idest Moravi) *dicuntur, quæ Regibus noſtris & populo noſtro, nobis quoque cum habitatoribus ſuis ſubacta fuerat, tam in cultu Chriſtianæ religionis, quàm in tributo ſubſtantiæ ſæcularis, quia exinde primum imbuti*. Paulò poſt: *Intrantes prædicti Epiſcopi in nomine veſtro, ut ipſi dixerunt, ordinaverunt in uno eodemque Epiſcopatu unum Archiepiſcopum* [*ſi tamen in alterius Epiſcopatu Archiepiſcopium eſſe poteſt*] *& tres ſuffraganeos ejus Epiſcopos abſque ſcientia Archiepiſcopi, & conſenſu Epiſcoporum in cujus fuerunt diœceſi*. Oſtendunt poſtea id ſacris canonibus repugnare, & Epiſtolam ſic concludunt: *Eſt enim, ut præmiſimus, unus Epiſcopatus in quinque diviſus. Ideo ſi quid fraus malignâ Sclavorum calliditate adduxerat, juſtitia vertat. Voſque virtute ex alto induti, & Apoſtolica poteſtate armati, juxta Prophetam*: quod fractum eſt alligate, quod infirmum conſolidate, quod abjectum reducite, *ut deinceps populus, & fidei integritate gratuletur, & Sancta Eccleſia tranquilla devotione lætetur*. Illum Archiepiſcopatum, & tres Epiſcopatus in parochia, ſeu diœceſi Patavienſi à Joanne IX inſtitutos, neque ab eodem Pontifice, neque à Benedicto IV ejus ſucceſſore ſuppreſſos fuiſſe; ſed invaſione Hungarorum, ineunte ſæculo decimo facta, ſimul cum omnibus fere Eccleſiis in partibus Bajoariæ remotioribus extinctos teſtatur Aventinus lib. 4. Annalium Bojorum *pag.* 286.

X. *Reſpondet ad conſulta Herivei Remenſis Archiep.*

Fulcone Archiepiſcopo Remenſi occiſo, ordinatus eſt in ejus locum *anno nongenteſimo dominicæ Incarnationis pridie nonas Julii* Heriveus, ut legitur in Excommunicatione *hominum Balduini Comitis Flandriæ propter occiſionem Fulconis Remenſis Archiepiſcopi ab illis perpetratam*, quam ex veteri codice MS. eruit & publicavit Ducheſnius Tomo II pag. 585. Heriveus ſtatim conſuluit Joannem Papam de Normannis nuper ad fidem converſis, quorum plurimi baptizati fuerant, & poſt baptiſmum gentiliter vixerant, atque Paganorum more Chriſtianos interfecerant, Sacerdotes trucidarant, atque ſimulachris immolantes idolothyta comederant. Ad Herivei conſulta reſpondit Joannes IX, quòd ſi tyrones in ſchola Chriſtianæ fidei non eſſent, canonica experirentur judicia; ſed quia rudes ſunt, mitiùs cum eis agendum, quàm ſacri ſtatuant canones: *ne fortè*, inquit, *inſueta onera portantes, importabilia illis fore, quod abſit, videantur, & ad prioris vitæ veterem, quem expoliaverunt, hominem, antiquo inſidiante adverſario, relabantur. Et quidem ſi inter eos aliqui inventi fuerint, qui ſecundùm canonica ſtatuta ſe per pœnitentiam macerare, & tanta commiſſa ſcelera dignis lamentationibus expiare maluerint, eos canonicè judicare non reſpuatis*. Extat hæc Joannis Papæ Epiſtola Tomo IX Concil. pag. 483.

XI. *Mortalitatem exuit.*

Ex hoc loco planè evertitur opinio Papebrochii ſcribentis in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum, Joannem IX obiiſſe die vigeſima ſexta menſis Martii anni nongenteſimi; cùm eodem anno reſponſa dederit ad Conſulta Herivei, qui die tantùm ſexta menſis Julii ordinatus eſt Archiepiſcopus Remenſis. Standum eſt itaque Chronologiæ Annotatoris Baronii, qui ait, Joannem Papam vix ante initium menſis Auguſti ad Herivei Epiſtolam reſpondere potuiſſe; ideoque cùm in variis Catalogis dicatur ſediſſe *an-*

Digitized by Google

SÆC. IX. JOANNES IX. *nos duos & dies quindecim*, ejus initium à medio circiter Julio anni 898, & ejus mortem ab initio menſis Auguſti anni nongenteſimi removeri non poſſe. SÆC. IX. JOANNES IX.

BENEDICTUS IV *Pontif. CXIX.*

Anno Domini DCCCC.

SÆC. X. I. *Sæculi decimi facies*

CUm Benedicto IV optimo Pontifice incipit ſæculum decimum, quod ferreum, deformitate plenum, & obſcurum appellat Baronius ad annum 900; qui & ad annum 912 narrat, quæ tunc facies eſſet Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cùm Romæ dominarentur potentiſſimæ æquè ac ſordidiſſimæ meretrices, quarum arbitrio mutabantur Sedes, & dabantur Epiſcopatus. Bellarminus pariter lib. 4 de Romano Pontifice cap. 12 nullum ſæculum decimo *indoctius*, aut *infelicius* extitiſſe literis mandavit. Mabillonius tamen in præfatione ad Sæculum V Benedictinum § 1 num. 7 ſcitè ſcribit, inter illas funeſtas tempeſtates ita Eccleſiam ſuam Deum non deſeruiſſe, ut boni aliqui Pontifices malis permixti non fuerint, quales Stephanus VIII, Leo VII, Agapitus II, qui ab Auctore Vitæ S. Brunonis Epiſcopi Colonienſis *miræ ſanctitatis*, & in Metropolitanis Salisburgenſibus Tomo I pag. 56, *Sanctæ memoriæ* Pontifex appellatur, & ante eum Marinus II, qui teſte Leone Oſtienſi lib. 1 cap. 60, Siconi Epiſcopo Capuano *ignorantiam canonum, literarum inſcitiam, familiaritatem ſæcularium, temerariamque transgreſſionem exprobravit*. Sed præter laudatos à Mabillonio Pontifices, alios plures fuiſſe hoc ſæculo optimos ex eorum Actis manifeſtè patebit, & quidem cum majori certitudine, quàm ex illis elogiis, *ſanctæ memoriæ*, vel *miræ ſanctitatis*; ſimiles enim locutiones ſæpè uſurpantur, quando ſermo eſt de malis Pontificibus; cujus rei ſufficiat hîc exemplum adducere de Stephano VI, vulgò VII, quem Joannes IX in canone primo Concilii, quod anno 898 Romæ celebravit, *piæ recordationis* Papam appellat, licèt eum peſſimum fuiſſe Pontificem inter omnes conveniat. Deinde idem Mabillonius num. 9 ex ſancto Auguſtino oſtendit, Novatores Romanorum Pontificum exemplis malè abuti ad impugnandam Eccleſiæ incorruptam veritatem, & unitatem. Denique numeris ſequentibus, non ſolùm viros zelo Apoſtolico præſtantes in Italia, & alibi extitiſſe hoc ſæculo, ſed & viros doctos, quorum operâ Eccleſiæ doctrina, & diſciplina adversùs corruptos mores inviolatæ permanſerint, pluribus demonſtrat. Annotator verò Baronii ſcribit, hoc ſæculum, inſcitiæ, & ignorantiæ vocari non poſſe, niſi ob Scriptorum paucitatem, ſi ejus cum præcedentibus, aut ſubſequentibus comparatio fiat: complures enim in eo floruiſſe, nunc notius eſt, quàm ætate Bellarmini, ut ex Catalogis Scriptorum Eccleſiaſticorum manifeſtum fit. Et ex ejuſdem Auctoris Notis & Additionibus in Baronium conſtat, decimo Sæculo claruiſſe multos inſigni ſanctitate Epiſcopos, & Abbates, Monachos, & Sanctimoniales, ac viros & mulieres, cujuſcunque generis ac conditionis, quorum plures etiam refert Mabillonius laudatus: ac tandem hoc ſæculo Normannos, Moſcovitas, Suevos, Polonos, Sclavos, ac Hungaros Chriſti religioni nomen dediſſe; plures Epiſcopatus erectos; plura magni nominis monaſteria condita, & plures Eccleſias largè dotatas. SÆC. X.

II. *Benedictus IV Joanni IX ſuccedit.*

Sed ut ad inſtitutum meum redeam, inter bonos Pontifices ſæculum decimum aperuit Benedictus hujus nominis IV, natione Romanus, ex patre Mummolo, quem ſtatim poſt Joannis IX obitum, Pontificem ordinatum ex eo deducitur, quòd, ex mox dicendis, jam ſederet die trigeſima menſis Auguſti ejuſdem anni nongenteſimi. Certè expectandi non fuére Legati Imperatoris, qui juxta decretum Joannis IX in Concilio Romano editum, conſecrationi Pontificis intereſſent; mortuus enim erat Lambertus Imperator, ſeu potius occiſus, anno 898, ut probat Annotator Baronii; Berengarii unctio in eodem Concilio abrogata fuerat, & Arnulphus, à Formoſo Papa Imperator coronatus, ſub finem anni 899 in Germania obierat. Valdè itaque probabile eſt Benedictum IV ſtatim ac electus eſt, ſaltem dominica ſequenti fuiſſe in Romanum Pontificem conſecratum.

III. *Synodum Romæ in cauſa Argrini Lingonenſis Epiſc. celebrat.*

Benedictus, ubi ſolium Apoſtolicum conſcendit, Synodum Romæ in Lateranenſi Baſilica celebravit, in qua Joannis IX deceſſoris ſui decretum confirmans, Argrini reſtitutionem in Epiſcopatum Lingonenſem, nondum executioni mandatam, confirmavit, datis ea de re Epiſtolis, quæ extant Tomo IX Concil. unâ ad Galliarum Epiſcopos, & Principes, alterâ ad Clerum & populum Lingonenſem, quibus Argrinum in omnia Eccleſiæ ſuæ jura reſtituit. Prior Epiſtola dicitur data *per manum Sergii S.R.E. Scriniarii in menſe Auguſto, indictione III*, data II *Kal. Septembris per manum Leonis Dei pietate Primicerii*

Sanctæ

Digitized by Google

SÆC. X. BENEDICTUS IV.

Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, *anno Domini Benedicti Papæ primo, Anno II poſt obitum Landeberti Imperatoris Auguſti, indictione III*, ideoque anno 900. Ex ea Epiſtola conſtat reſtitutionem Argrini factam eſſe in Synodo, cujus alibi mentio non reperitur. Poſterior Epiſtola dicitur *data II Kal. Septembris per manum Sergii Scrinarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, indictione tertia*. Benedictus itaque IV die trigeſima Auguſti anni nongenteſimi jam Pontifex Romanus erat. Porrò neſcio à quo acceperit Natalis Alexander, Benedictum Argrino uſum Pallii conceſſiſſe, cujus nulla mentio eſt in dictis duabus Epiſtolis. In Chronico Sancti Benigni valdè laudatur Argrinus, diciturque plurima contuliſſe in monaſterium S. Benigni, & relicto Epiſcopatûs honore, biennio ante mortem ſuam, in eodem Monachum induiſſe. Depoſitio ejus in Cathedrali Eccl. Lingonenſi agitur IX Kal. Junii.

IV. *Ludovicus Rex Arelat. Italiam ingreditur.* Ludovicus Boſonis filius, Burgundiæ ſeu Arelatenſis Rex in Synodo Valentina anno 890 dictus, anno 899 magno cum exercitu in Italiam perrexit; ſed Berengarius Italiæ Rex cum multo majore ei occurrit, atque illum ita circumvenit, ut copiam evadendi omnem ademerit. Hac difficultate oppreſſus Ludovicus miſſis nunciis Berengarium obſecravit, ut ſe incolumem redire permitteret; ſeque, ſi id faceret, nullis unquam impoſterum conditionibus Italiam repetiturum eſſe, jurejurando aſſeruit. Quo accepto Berengarius, mitis, ſincerique ingenii vir ipſum haud gravatè dimiſit. Sed idem Ludovicus à Principibus Italiæ evocatus, *cupiditate regnandi oblitus jusjurandi venit concitus in Italiam*, anno ſcilicet nongenteſimo, ut ſcribit Luitprandus lib. 2 cap. 10, Regino in Chronico, ubi duplicem Ludovici profectionem Italicam confundit, & anno 898, loco ſcilicet non ſuo recitat, ſcribit: *Inter Ludovicum, & Berengarium in Italia plurimæ congreſſiones fiunt: multa certaminum diſcrimina viciſſim ſibi ſuccedunt. Noviſſimè Ludovicus Berengarium fugat, Romam ingreditur, ubi à Summo Pontifice coronatus, Imperator appellatur*. A' quo Pontifice Ludovicus, hujus nominis III, Imperator coronatus fuerit in controverſia eſt, Baronio, aliiſque multis eam inaugurationem Joanni IX adſcribentibus.

V. *A Benedicto IV Imperator coronatur.* Sed Ludovicum à Benedicto IV corona Imperiali Romæ exornatum fuiſſe anno nongenteſimo invictè probatur, ex diplomate ejuſdem Imperatoris à Florentinio in Comment. *de Rebus ad Mathildem Comitiſſam ſpectantibus* lib. 3 pag. 114 recitato, ſcriptoque linguâ barbarâ à Thoma Notario ejuſdem Ludovici, *anno Imperii Domini Ludovici primo, menſe Februario, indictione quarta*, cujus hoc eſt initium: *Dum domnus Ludovicus Sereniſſ. Imp. Aug. à Regale dignitate Romam ad ſummum Imperialis culminis apicem per Sanctiſſ. ac ter Beatiſſ. ſummi Pontificis, & univerſalis PP. D. Benedicti dexteram adveniſſet, atque cum eo Reverentiſſ. Patre cum Sanctiſſ. Romanis ſeu Italicis Epiſcopis, adque regni ſui Ducibus, & Comitibus, ceteriſque Principibus, & Judicibus, eorum nomina*, &c. *Et reliqui plures in Palacio, quod eſt fundatum juxta Baſilicam Beat. Petri Principis Apoſtolorum, in Laubia magiore ipſius Palacii pariter cum eodem Summo Pontifice in judicio reſediſſet*. Refertur poſtea judicium in deciſione cujuſdam cauſæ habitum. Ex hoc diplomate habemus, Ludovicum à Benedicto IV, non verò à Joanne IX Corona Imperiali ornatum eſſe, & quidem ante finem menſis Februarii anni 901, quo indictio quarta, in eo diplomate memorata, in curſu erat. Hæc inauguratio facta eſt poſt diem 30 menſis Auguſti anni 900; eo enim die Benedictus IV ſcripſit Epiſtolam mox memoratam ad Galliarum Epiſcopos in cauſa Argrini Lingonenſis Epiſcopi, quæ dicitur data *anno II poſt obitum Landeberti Imperatoris Auguſti*, ideoque eo die nondum Ludovicus dictus erat Imperator, alioqui ejus imperii annus in hac Epiſtola notatus fuiſſet. Eundem annum nongenteſimum Ludovici inaugurationi aſſignat Chronicon Caſaurienſe Tomo V Spicilegii Dacheriani, in quo dicitur *Tertius Ludovicus regni & Imperii coronam accepiſſe 900 Dominicæ Incarnationis anno currente*. Sed ex dictis, & ex aliis probationibus, apud Annotatorem Baronii legendis, eruitur, Benedictum IV unxiſſe in Imperatorem Ludovicum poſt diem 30 menſis Auguſti anni 900, & ante finem Februarii anni 901.

VI. *Benedictus PP. ad Deum tranſit.* Poſtquam Benedictus IV Papa *annos tres, & menſes duos* ſediſſet, ut legitur in Catalogis VII & VIII Criticæ Baronianæ præfixis, vivere deſiit initio menſis Octobris anni nongenteſimi tertii, unde in ſeptimo ex laudatis Catalogis habetur: *Cœpit ann. Dom. 900, ſedit ann. III, menſes II*; conſecratus enim fuerat menſe Auguſto. Ex ejus epitaphio à Manlio edito, & à Baronio relato, habemus eum fuiſſe Pontificem effuſæ in pauperes caritatis, & natalibus, & pietate clarum. Idem iiſdem ferè verbis de eo refert Frodoardus in Fragmento de Pontificibus Romanis, unde magna mihi ſuſpicio eſt, epitaphii conditorem hæc ex Frodoardo, vel potius Frodoardum ex epitaphii conditore hæc accepiſſe.

Tum ſacra conſurgunt Benedicti regmina quarti,
Pontificis magni, meritò qui nomine tali
Enituit, cunctis ut dapſilis atque benignus.

SÆC. X. BENEDICTUS IV.

Huic generis necnon pietatis ſplendor opimus
Ornat opus cunctum, meditatur juſſa Tonātis.
Prætulit hic generale bonum lucro ſpeciali.
Deſpectas viduas, inopes, vacuoſque patronis,
Aſſidua ut natos proprios bonitate fovebat:
Mercatuſque polū indignis ſua cuncta refudit.

Dolendum certè eſt omnia tanti Pontificis geſta, injuriâ temporum periiſse, & in tenebris eſſe ſepulta; nihil enim de eo ſupereſt præter duas laudatas Epiſtolas in cauſa Argrini Lingonenſis Epiſcopi ſcriptas.

L E O V *Pontif. C X X.*

Anno Domini DCCCCIII.

I. *Leonis V brevis Pontificatus.*

BEnedicto IV ſtatim ſubrogatus eſt Leo hujus nominis V, patria Ardeatinus, de loco, qui appellatur Priapi, quem Platina ex Sigeberto, tradit à Chriſtophoro ejus familiari & presbytero in vincula conjectum, & Sede pulſum. Leoni idem Sigebertus tribuit dies 30 ſedis, quidam Catalogi habent dies 40, & alii menſem unum & dies 26, aut 27, ideoque ſedit ad ſummum uſque ad finem circiter menſis Novembris ejuſdem anni nongenteſimi tertii. Certè Chriſtophorus ejus ſucceſſor menſe decembri ejuſdem anni jam ſedebat, ut mox videbitur. De Leone VII hæc tantùm habet Frodoardus in Fragmento de Pontificibus Romanis:

Poſt quem celſa ſubit Leo jura, notamine quintus;
Emigrat ante ſuum quàm Luna bis impleat orbem.

Leonem in vinculis præ doloris anguſtia obiiſſe ſcribit Sigonius.

CHRISTOPHORUS *Pontif. CXXI.*

Anno Domini DCCCCIII.

I. *Chriſtophorus Sedem Rom. occupat.*

LEonem Pontificem *poſt triginta dies ordinationis ſuæ Chriſtophorus Presbyter ſuus capiens, & in carcerem trudens per invaſionem Romanæ Eccleſiæ* 119 *præſidet*, inquit Sigebertus in Chronico. Chriſtophorus itaque patria Romanus, ex patre Leone Pontificatum invaſit circa finem menſis Novembris anni nongenteſimi tertii. Eum jam ſediſſe die 25 Decembris ejuſdem anni oſtendit ſubſcriptio ejus diplomatis à Dacherio Tomo VI Spicilegii pag. 315 relati, quo confirmat privilegia Abbatiæ Corbejenſis in diœceſi Ambianenſi ſitæ, quæ talis eſt: *Scriptum per manum Sergii Scrinarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Decembri, Indictione VII, ſeptimo Kal. Januarii, imperante domino noſtro piiſſimo Auguſto Ludovico à Deo coronato Imperatore ſanctiſſimo.* Labbeus quidem in editione Conciliorum, illud diploma ex eodem Dacherio referens, mutavit Indictionem VII in XI; Papebrochius verò in Conatu Chronico-Hiſtorico eamdem Indictionem VII in VIII mutavit, ſed eam in Dacheriano Spicilegio puram eſſe oſtendit Annotator Baronii ad annum 903.

II. *Ex ea ejicitur.*

Frodoardus in Fragmento de Pontificibus Romanis convenit cum Martino Polono, & cum Catalogis, in quibus Chriſtophoro adſcribuntur menſes VI vel VII, ait enim:

Chriſtophorus mox ſortitus moderamina ſedis,
Dimidio, ulteriuſque parum, diſpenſat in anno.

Quare cùm Sedem Romanam, pulſo Leone V, occuparit circa finem menſis Novembris anni nongenteſimi tertii, ex ea à Sergio dejectus eſt circa initium menſis Junii anni nongenteſimi quarti. Marianus Scotus in Chronico dicit, Chriſtophorum fuiſſe Cardinalem Tituli ſancti Damaſi, & poſtea monachum factum eſſe, forſan, quia, ut ait Platina, in monaſteria tanquam in carceres Clerici malè de Eccleſia meriti, tum relegabantur. Ciaconius addit, à Sergio poſtea è monaſterio extractum Chriſtophorum in vincula conjectum, ac in illa miſera conditione mortuum, ad ſanctum Petrum ſepultum eſſe. Certè Chriſtophorum in Vaticana Eccleſia ſepultum credidit Manlius referens hoc epitaphium tanquam Chriſtophori foret.

Hìc pia Chriſtophori requieſcunt membra ſepulti.

SER-

Digitized by Google

SERGIUS III *Pontif. CXXII.*

Anno Domini DCCCCIV.

I. *Sergius III Chriſtophorum excipit.* SErgius hujus nominis III, natione Romanus, ex patre Benedicto, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter, ut dicitur in Concilio Romano ſub Joanne IX, Theodoro II Papa mortuo, electus fuit Pontifex, ſed antequam ordinaretur Româ pulſus eſt, profuguſque latuit per ſeptem annos, ab anno nempe octingenteſimo nonageſimo octavo ad annum nongenteſimum quartum, quo factione Adelberti Tuſciæ Marchionis, Chriſtophoro Sede pulſo, & in carcerem conjecto Romanam Eccleſiam occupavit. Id conſtat non ſolùm ex ejus epitaphio, infra referendo, ſed etiam ex Frodoardo in Fragmento de Pontificibus Romanis:

Sergius inde redit, dudum qui lectus ad arcem
Culminis, exilio tulerat rapiente repulſam:
Quo profugus latuit SEPTEM volventibus annis.
Hinc populi remeans precibus, ſacratur honore
Pridem deſignato, quo nomine tertius exit
Antiſtes.

Ordinatus eſt itaque Sergius anno nongenteſimo quarto, ineunte circiter menſe Junio, cùm conſtet, ex dicendis in ejus morte, eum Sedem tenuiſſe annis ſeptem & amplius, mortuuſque ſit exeunte circiter Auguſto anni 911.

II. *Utrum nomen mutaverit.* Baronius ad annum 844 num. 1 ſcribit, Sergium III primum fuiſſe ex Pontificibus Romanis, qui nomen ſibi mutavit, & id reverentiæ cauſa: „ Cùm enim, inquit, il„ le Petrus vocaretur, indignum putavit eo„ dem ſe vocare nomine, quo Chriſtus pri„ mum ejus Sedis Pontificem Principem Apo„ ſtolorum ex Simone Petrum nominaverat. Sed cùm ex ſolo ejus epitahio Annaliſta doctiſſimus habeat, Sergium III dictum fuiſſe Petrum, mirum eſt illum hoc epitaphium anno 701 num. 8 Sergio primo tribuiſſe. Quare poſtea Onuphrii Panvinii ſententiam ad annum 955 ſecutus eſt, ſcripſitque Joannem XII primum fuiſſe, qui nomen mutaverit, cùm antea Octavianus vocaretur. Quod autem volunt aliqui recentes Sergium III, ob nominis turpitudinem nomen mutaſſe, quia ſcilicet antea appellabatur *Os porci*, ſeu *Bucca porci*, id refelletur in Sergio IV.

III. *Sergii vita turpis.* Sergii Pontificatum infamavit turpitudo vitæ ejus, ſi Luitprando Ticinenſi horum temporum Scriptori fides ſit adhibenda. Hic enim lib. 2 cap. 13 teſtatur ipſum ex Marozia nobili ſcorto genuiſſe filium Joannem dictum, qui & ipſe Pontificatum poſtea ejus nominis undecimus adeptus eſt. Erat verò iſta Marozia, filia Theodoræ nobilis Romanæ fœminæ, Senatoriâque ortæ propagine, quæ cùm excellens eſſet pulchritudine, ingenioque verſutiſſima, conſuetudine potentiſſimorum Tuſciæ Marchionum, adeo & ipſa potens eſt reddita, ut cùm Romana munitio Sancti Angeli poſſideretur ab iiſdem Marchionibus, hæc peſſima fœmina eam inhabitans, Urbis dominium ſit conſecuta, illudque in poſteros propagare curaverit. Acceſſit verò ad potentiam ejus, quòd eadem Marozia ex Adelberto Tuſciæ Marchionem filium ſuſceperit, nomine Albericum, qui patris potentiâ Urbi dominatus eſt; ac demum Adelberto mortuo, loco ipſius regnans in Tuſcia filius ejus ex Berta conjuge, Wido nomine, eamdem Maroziam, poſt Sergii obitum in uxorem acceperit, teſte eodem Luitprando laudato.

Licèt autem tantum invaluiſſet meretricum imperium, ut pro arbitrio legitimos creatos Pontifices dimoverent, & alios intruderent; magno tamen Dei miraculo & peculiari erga Sedem Sancti Petri ejus providentiæ curâ non eſt inventus qui ea de cauſa, ſe ab ipſa Eccleſia Romana abſcinderet ſchiſmate, vel hæreſi eam impugnaret; ſed omnes ubique gentium eidem fidei vinculo, & obedientiæ nexu juncti perſtiterunt. Quod autem ad Sergium III attinet, ab eo Colonienſis Archiepiſcopus apud Krantzium Hiſt. Saxon. lib. 3 cap. 1, & lib. 2 cap. 24 reperitur petiiſſe & accepiſſe Pallium: & Adamus Bremenſis lib. 1 cap. 42 ſcribit, eumdem Sergium, ad preces Adalgarii Hamburgenſis, ſeu Bremenſis Archiepiſcopi, Bremenſem Eccleſiam à poteſtate & juriſdictione Colonienſis Archiepiſcopi, cui Formoſi Papæ auctoritate addicta fuerat, exemiſſe, & privilegia Bremenſis Eccleſiæ renovaſſe. Ceterùm ſi iis, quæ de Sergio III refert Luitprandus laudatus, deneganda non ſit fides, quæ de eodem habent Frodoardus, & Joannes Diaconus oſtendunt, eum poſtea ad meliorem frugem rediiſſe, quibus conſonat ejus epitaphii conditor. IV. *Providentia Dei erga Eccleſiam Rom.*

Quamvis enim Platina & Ciaconius ſine teſte ſcribant Sergium III Lateranenſem Baſilicam, quæ Stephani VI tempore corruerat, reſtituiſſe; Mabillonius tamen in Appendice II Ordinis Romani, quæ V. *Sergius Baſilicam Lateranenſem reſtaurat.*

eſt

Digitized by Google

eſt Joannis Diaconi Junioris liber de Eccleſia Lateranenſi § 17 ſermonem habet de caſu & reparatione dictæ Baſilicæ Lateranenſis, quo tempore fuit facta à Sergio III. Ait autem Joannes Diaconus: *Permanſit ab eodem tempore* (nempe Conſtantini M.) *licèt ſeparatio parietum & tectorum curvatio ejus ruinam ante oſtenderent, per aliquot annos uſque ad tempus Stephani piæ memoriæ VI. Tempore autem illius ruit, & fuit in ruinis diſſipata & comminuta uſque ad tempus, quo revocatus eſt Dominus Sergius Presbyter, & electus, de exilio, & conſecratus eſt Romanorum tertius Præſul*, &c. *Poſt ordinationem igitur ſuam Dominus Sergius III Papa triſtabatur nimium ſuper deſolationem hujus nobiliſſimi Templi. Non enim erat ſpes neque ſolatium moralis de reſtitutione illius. Cùmque omnibus una eſſet deſperatio de ejus deſolatione, & humanum deeſſet auxilium, ad divinæ pietatis converſus juvamen, in qua ſemper habuit fiduciam, incipiens ab antiquis laborare fundamentis, fine tenus opus hoc conſummavit, & decoravit ornamentis aureis & argenteis*, quæ ſigillatim enumerantur ibidem. Quæ enumeratio his verbis clauditur: *Hæc omnia devotus tibi præparavit, & non ceſſabit, dum ſpiritus ejus rexerit artus, præparare, & offerre tibi dominus Sergius Papa tertius.* Ex quibus verbis eruitur Joannem Diaconum Scriptorem libelli de Eccleſia Lateranenſi ſcripſiſſe, vivente adhuc Sergio III, vel loqui in perſona Auctoris tunc viventis, quod aliis Scriptoribus contigiſſe infrà videbimus.

VI. *Vitam cum morte commutat.*

Licèt Hermannus Contractus, & Martinus Polonus conveniant cum pleriſque Catalogis Sergium III annos ſeptem, & menſes tres ſediſſe, non conveniunt tamen in diebus, quibus ſupra annos & menſes Sedem tenuit; ſed quidquid ſit de diebus, certum eſt ejus Pontificatûs durationem fuiſſe plus quàm ſeptem annorum: Frodoardus enim numero primo à nobis laudatus, ſubdit.

Petri eximia quo ſede recepto
Præſule gaudet ovans annis ſeptem amplius orbis,
Ipſe favens Cleri cenſura in culmine rapto
Falce ferit pervaſores.

Sergius itaque, qui circa initium menſis Junii anni 904 ordinatus fuerat, è vivis abiit circa finem menſis Auguſti anni 911. Certè dici non poteſt, eum ordinatum die nona menſis Junii anni 905, obiiſſe die 24 Septembris anni 912. Nam primum evertitur ex eo quòd Rubeus lib. 5 Hiſt. Ravenn. pag. 253 varia acta publica exhibet, quibus Joannes X, cùm eſſet Archiepiſcopus Ravennenſis, bona Eccleſiæ ſuæ compoſuit, & ad veterem ditionem adduxit, quæ ſcripta ſunt *indictione octava, Idibus Julii, Sergii Pontificis ſecundo*, qui ideo conſecratus fuerat 904 ante diem 15 Julii, quo die anno 905, ſecundum Pontificatûs annum jam numerabat. Ejus etiam mors differri non poteſt in annum 912, & diem 24 Septembris, hoc enim pacto octo & amplius annis ſediſſet, contra laudatorum Scriptorum, & ipſiuſmet ejus epitaphii fidem.

VII. *Ejus Epitaphium Sergio I perperam adſcriptum.*

Baronius quidem anno 701 num. 8 ex Manlio in Monumentis Baſilicæ Vaticanæ refert Sergii epitaphium, quod credit eſſe Sergii primi; ſed ejus lectio, & mentio Theodori Papæ, poſt cujus mortem electus fuerat, manifeſtè oſtendunt, referendum illud eſſe ad Sergium Theodori ſucceſſorem, quæ certè convenire alteri Sergio nequeunt, quàm tertio. Nam Sergius, de quo ibi ſermo, poſt electionem Urbe pulſus, poſt ſeptem annos à ſua electione, & morte Theodori *Papa ſacratur*, ut dicitur in epitaphio, quod convenire nequit Sergio primo, qui quadraginta poſt Theodori primi mortem annis ordinatus eſt, ut ex dictis liquet. Epitaphium verò his verbis concipitur, & convenit cum verſibus Frodoardi laudatis:

Limina quiſquis adis Papæ metuenda Beati,
Cerne pii Sergii excubiaſque Petri.
Culmen Apoſtolicæ Sedis is jure paterno
Electus tenuit, ut Theodorus obit.
Pellitur Urbe pater, pervadit ſacra Joannes,
Romuleoſque greges diſſipat ipſe lupus.
Exul erat patria ſeptem volventibus annis,
Poſt populi multis Urbe redit precibus.
Suſcipitur, Papa ſacratur; Sede recepta
Gaudet: amat Paſtor agmina cuncta ſimul.
Hic invaſores Sanctorum falce ſubegit
Romanæ Eccleſiæ, judiciiſque Patrum.

ANASTASIUS III *Pontiſ.* CXXIII.

Anno Domini DCCCCXI.

I. *Anaſtaſius integris moribus Pontifex.*

POſt unum, aut alterum vacationis Sedis diem, Anaſtaſius hujus nominis Tertius, natione Romanus, ex patre Luciano, Sergio III ſucceſſor datus eſt circa finem menſis Auguſti ejuſdem anni nongenteſimi undecimi. *Hunc Pontificem*, inquit Platina, *hac una in re laudare poſſumus, quòd neminem eorum, qui ante ſe in Pontificatu fuere, ignominia aliqua notaverit, vel maledicentia proſecutus ſit: mode-*

Digitized by Google

SÆC. X. ANASTASIUS III. *ſtè enim & integrè vixit, nec in ſe quicquam habuit, quo reprehendi poſſit*. Quod & confirmat Flodoardus, qui in Fragmento de Pontificibus Romanis, poſtquam de Sergio ſermonem habuit, ſcribit:

Quo rebus adempto
Humanis, in Anaſtaſium ſacra concinit aula,
Tertius hoc Præſul retinet, qui nomine Romæ,
Sedis Apoſtolicæ blando moderamine rector,
Sentiat ut Chriſtum veniæ ſibi munere blandum.

Geſta ab Anaſtaſio memoriâ digna ad nos non pervenêre. Illud ſolùm obſervat Sigonius lib.6 de regno Italiæ, Anaſtaſium, expoſcente Berengario Italiæ Rege, Ticinenſem Eccleſiam plurimis, iiſdemque magnificis ornamentis decoraſſe, ejuſque Antiſtiti conceſſiſſe umbellæ uſum, equoque vehi albo, crucem præviam in itinere habere, & in Conciliis à læva Pontificis aſſidere. Ciaconius addit, hunc Pontificem Diaconiam Sancti Hadriani vetuſtate collabentem reſtituiſſe, Altareque in ea propriis manibus conſecratum dedicaſſe.

II. *E vivis exceſſit.* Cùm juxta Marianum Scotum, Hermannum Contractum ex editione Caniſii, Martinum Polonum, & omnes ferè Catalogos Anaſtaſius III ſederit annos duos & menſes circiter duos, annoque 911 circa finem menſis Auguſti dictus fuerit Pontifex, obiit medio circiter menſe Octobri anni nongenteſimi decimi tertii, non verò die 25 Novembris anni nongenteſimi decimi quarti, ut ſcribit Papebrochius. Certè, ut mox videbitur, Lando ejus ſucceſſor jam ſedebat die quinta Februarii ejuſdem anni nongenteſimi decimi quarti. Sepultus eſt Anaſtaſius in Vaticana Sancti Petri Baſilica, ut conſtat ex ejus epitaphio olim à Manlio exſcripto:

Vatis Anaſtaſii requieſcunt membra ſepulchro,
Sed nunquam meritum parvula claudit humus.
Rexit Apoſtolicam blando moderamine Sedem
Tertius exiſtens ordine Pontificum.
Ad Chriſtum pergens peccati vincula ſperat
Omnia clementer ſolvere poſſe ſibi.
Undique currentes hujus ad limina templi,
Ut præſtet requiem, poſcite corde Deum

LANDO *Pontif. CXXIV.*

Anno Domini DCCCCXIII.

I. *Landonis ordinatio, & obitus.* Anaſtaſium Papam excepit Lando, patriâ Sabinus, Trani filius, circa diem decimum ſextum menſis Octobris ejuſdem anni nongenteſimi decimi tertii, certè ante menſem Februarium anni nongenteſimi decimi quarti; Rubeus enim lib. 5 Hiſt. Ravenn. pag.253 ait Landonis Papæ mentionem haberi *in tabulis ab Joanne Ravennatum Archiepiſcopo, indictione ſecunda, ſcriptis nonis Februarii*, quæ indictio in annum 914 incidit, quo ideo, die quinta Februarii Lando jam Pontificatum gerebat. De Landone hæc habet Flodoardus in Fragmento de Pontificibus Romanis; in eo enim poſt verſus de Anaſtaſio jam recitatos legitur.

Lando dein ſummam Petri ſubit ordine Sedem.
Menſibus hanc coluit ſex ut deniſque diebus,
Emeritus Patrum ſequitur quoque fata priorum.

Mabillonius, qui hoc Flodoardi Fragmentum parte 2 ſæculi 3 Benedictini publicavit ex apographo pervetuſto Bibliothecæ RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum ſuburbii Sancti Germani Pariſienſis, non advertit corrigendum eſſe primum ex his verſibus, in quo habetur: *Quando dein*, pro *Lando dein*, quare in obſervandis ad dictum Fragmentum ſcribit, Flodoardum prætermiſiſſe Landonem, quod incredibile eſt, & ex eo rejicitur, quòd nemo ſibi perſuaſerit Frodoardum Anaſtaſio menſes tantùm ſex, & dies decem attribuiſſe, cùm hos verſus ſcripſerit ſub Leone VII, qui anno 936 Eccleſiæ præerat, & ex omnibus Scriptoribus, & Catalogis conſtet, Anaſtaſium plus quàm duos annos ſediſſe. Non itaque Flodoardus Landonem prætermiſit, cujus meminére Marianus Scotus, Sigebertus, aliique plures, ſed imperitus Librarius pro *Lando dein*, ſcripſit *Quando dein*; ideòque hæc emendatio certa, & Lando obiiſſe dicendus eſt circa diem vigeſimum ſextum menſis Aprilis anni nongenteſimi decimi quarti; cùm circa diem decimum ſextum Octobris ſuperioris conſecratus fuerit, & ex Flodoardo Sedem Sancti Petri tenuerit *menſibus ſex, ut deniſque diebus.*

JOAN-

Digitized by Google

SÆC. X. JOANNES X.

JOANNES X *Pontif. CXXIV.*

Anno Domini DCCCCXV.

I. *Joannes X inthronizatur.* MOrtuo Landone, Theodora meretrix impudentiſſima, de qua in Sergio III locuti ſumus, in Joannis Ravennatenſis Archiepiſcopi ſpeciei decorem vehementer exardens, hunc Pontifici mortuo ſubrogari procuravit: *Theodoræ autem mens perverſa*, inquit Luitprandus lib. 2 cap. 13, *ne amaſii rariſſimo concubitu uteretur, ducentorum milliariorum interpoſitione, quibus Ravenna ſequeſtratur à Roma, Ravennatis hunc Sedis Archiepiſcopatum coegit deſerere, Romanumque (proh nefas!) ſummum Pontificium uſurpare.* Joannes itaque natione Romanus, Joannis filius, primùm Bononienſis Epiſcopus electus, ut ibidem jam dixerat Luitprandus, tum Archiepiſcopus Ravennas conſecratus, Romanus Papa inthronizatus eſt, & coronatus circa finem menſis Aprilis ejuſdem anni nongenteſimi decimi quarti. *Indigebat hujuſcemodi Pontifice tum quidem & Eccleſia & Italia*, inquit Platina; utraque quippe à Saracenis vexabatur, & Joannes *ſpiritus militares magis, quàm religioni deditos geſſit.*

II. *Saracenos è Gariliano pellere meditatur.* Certè Joannes Papa, inquit Sigonius lib. 6 de Regno Italiæ, non iiſdem artibus, quibus cœpit Pontificatum, etiam geſſit, ſed Eccleſiæ, atque Italiæ mirè utilis fuit. Cauſam rei benè gerendæ dedére Saraceni. Hoc enim Pontifice conſtituto, auctus eorum, qui Garilianum inſederant, numerus, acrem Pontificem in ſui perniciem incitavit. Garelianus, ſeu Garilianus mons eſt in Latio, Romæ vicinus cum munitione cognomine, ad Gariliani fluminis, ſeu Liris oſtium, & ad mare Tyrrhenum, quam arcem Saraceni occupabant ab anno 876, ut in Joannis VIII Vita diximus. Ex ea munitione *multas civitates debellantes* vi ceperant, & *nemo etiam ab occaſu ſive ab Arcturo orationis gratia ab beatiſſimorum limina Apoſtolorum tranſire poterat, qui ab his aut non caperetur, aut immodico pretio dato dimitteretur*, inquit Luitprandus lib. 2 cap. 12.

III. *Berengarium Italiæ Regem Romam vocat.* Saracenis itaque vicina Urbi loca in dies magis incurſantibus, Joannes Papa conſuluit Landulfum Beneventanorum & Capuanorum Principem, qui reſpondit, mittendum eſſe ad Græcorum Imperatorem, cujus ditiones Saraceni etiam depopulabantur, & Camerinos atque Spoletanos ad auxilium invitandos. Hæc conſtant ex Luitprando laudato cap. 14. Prætereà Joannes Pontifex, ut Berengarius Italiæ Rex auxilium adverſus eoſdem Saracenos præſtaret, eundem Romam vocavit, ut Imperatorem eum inungeret, quod & fecit anno nongenteſimo decimo ſexto, & quidem ipſo die Paſchatis, ſeu die 24 Martii, ut diſcimus ex poëta Anonymo, ab Henrico Valeſio publicato, & notis illuſtrato, in Carmine Panegyrico de Laudibus Berengarii Auguſti, qui lib. 4 diſertis verbis aſſerit, Berengarium niſi victis vi hoſtibus, & niſi prius à Romanis vocatum, ad coronam Imperialem pervenire non decuiſſe. Rogatus eſt ergo Berengarius à Joanne X, quia mons Garilianus, quem poëta Charybdim Romæ propinquam appellat, à Saracenis occupatus, eum privabat opibus, rebuſque, quas Majores Berengarii, Reges Francorum, Imperatoreſque Romanorum beato Petro, ſeu Eccleſiæ Romanæ donarant. Joannes prætereà Papa dona miſit Berengario, eumque precatus eſt, ut memor diei Judicii, Eccleſiæ Romanæ res ſuas à Saracenis direptas reſtitueret, pro tanto beneficio Imperium Romanum conſecuturus.

Victus precibus & muneribus Joannis Papæ Berengarius Rex, copias omnes ſuas adeſſe jubet, quæ ipſum Romam iturum, ac diadema, nomenque Imperatorium recepturum comitentur. Ita Poëtam laudatum rectè explicat Hadrianus Valeſius. Deſcribit poſtea idem Poëta quanta pompa Berengarius Romæ exceptus fuerit. Franci, Longobardi, Saxones, Anglique in ſcholas, turmaſque diviſi, patriâ quiſque linguâ laudes ei dixére, & Petrus Papæ frater, ac Theophylacti Conſulis Romanorum filius, illum ad Joannem Pontificem deduxére, in gradibus Baſilicæ beati Petri Apoſtoli, vel in atrio ſuper gradus ejus Baſilicæ ſedentem. Poſtquam Berengarius omnes gradus ejuſdem Baſilicæ conſcendit, Joannes Papa, qui in ſella aurea conſidebat, aſſurrexit Regi demum, eumque oſculatus eſt. Poſt Baſilicæ ingreſſum, & factam à Berengario profeſſionem, fuſaſque ad ſepulchrum beati Petri preces, Joannes Papa ei in palatio ſuo cœnam exquiſitiſſimam dedit, tandemque die Dominicæ Reſurrectionis, ſeu Paſchatis, quo die Chriſtus, Deus & homo è ſepulchro ſuo ſurrexit, eum coronâ Imperiali exornavit, ut ait idem Poëta: IV. *Eum Auguſtum coronat.*

Mox croceis mundum lâpas phœbea quadrigis
Luce Deus quâ factus homo proceſſit ab antro
Tumbali, perflat. Populus concurrit ab Urbe
Cer-

SÆC. X. JOANNES X. *Cernere veſtitum trabea Imperiique corona Auguſtum.*

Tum Berengarius literas dedit, quibus omnium ſuperiorum Principum donationes confirmabantur; & quicunque pagi, ſeu regiones, ac urbes Baſilicæ Sancti Petri datæ olim fuerant à Pippino, & à Carolo Magno, eidem Baſilicæ, ac Joanni Papæ concedebantur, & nominatim exprimebantur, quæ pluribus Poëta canit.

V. *Et quidem anno 916.* Berengarius itaque ipſâ ſacrâ Paſchatis die, qua Chriſtus *ab antro tumbali* ſurrexit, quæque anno 916 cum die 24 Martii concurrebat, à Joanne Papa Imperatoriis inſignibus donatus eſt. Eam autem inaugurationem eo anno, non verò anno 915, peractam eſse invictè demonſtrat Berengarii Conſtitutio, recitata Tomo 2 Bullarii Caſſinenſis pag. 40, qua facultatem concedit monaſterio Sanctæ Juliæ Brixienſis ædificandi caſtellum in portu Ticini, quæ his verbis clauditur: *data VIII Kal. Junii anno Dominicæ Incarnat. 916, Domini verò Berengarii ſereniſſimi Regis XXIX, Imperii autem ſui primo, indictione IV.* Cùm itaque ex dictis, die Paſchatis coronatus ſit Imperator, ejus coronatio pertinet ad annum 916, alioquin eo anno, octavo Kalendas Junii annum Imperii ſecundum numeraſſet.

VI. *Saracenos ex Gariliano monte deturbat.* Joannes Papa non ſolùm Berengarii, ſed & Conſtantini Græcorum Imperatoris copiis, quas abſque mora claſſibus advectas direxerat, Saracenos aggreſſus eſt, eoſque ex Gariliana arce deturbavit. Quomodo ſe res habuerit narrat Luitprandus laudatus: *Cùmque per Garelianum flumen conſcenderent, adfuit & Papa Joannes cum Landulfo pariter Beneventanorum Principe potentiſſimo, Camerinis etiam atque Spolettinis. Horrida denique inter eos pugna exoritur. Verùm dum Chriſtianorum partem Pœni* [ideſt Africæ Saraceni] *prævalere conſpicerent, in Gareliani montis ſummitatem confugiunt, anguſtaſque tantùm vias defendere moliuntur. Ex parte verò illa, qua difficilior erat aſcenſus, Pœniſque ad fugiendum aptior, Græci caſtrum die illa conſtituunt, in quo reſidentes, Pœnos ne fugerent, obſervabant, quotidieque oppugnantes non mediocriter trucidabant. Græcis igitur, Latiniſque quotidie confligentibus. Dei miſeratione Pœnorum ne unus quidem ſuperfuit, qui non aut gladio trucidaretur, aut vivus continuò caperetur. Viſi ſunt autem à religioſis fidelibus in eodem bello Sanctiſſimi Apoſtoli Petrus, & Paulus, quorum precibus Chriſtianos credimus meruiſſe, quatenus Pœnos fugarent, & ipſi victoriam obtinerent.* Gariliana itaque arx, ex cujus expugnatione tantam ſibi gloriam, & univerſæ Italiæ, ac Eccleſiæ utilitatem comparavit Joannes Papa, capta eſt anno nongenteſimo decimo ſexto, annis quadraginta poſtquam à Saracenis occupata fuerat, ut ſcribit Leo Oſtienſis lib. 5, & certum reddit Lupus Protoſpata in Chronico ſcribens; *Anno 916 exiſſe Agarenos de Garilano, Indictione quarta*, poſtquam Berengarius à Joanne Papa unctus eſt in Imperatorem, tanto beneficio in anteceſſum obligatus. SÆC. X. JOANNES X.

VII. *Altheimenſi Concilio per Legatum præſidet.* Eodem anno octingenteſimo decimo ſexto Petrum Ortanenſem in Aprutio citeriori Epiſcopum in Rhætiam miſit, qui ſuo nomine præeſset Concilio, quod eodem anno apud Altheim celebratum eſt. Ipſo anno, inquit Hermannus Contractus juxta editionem Caniſii ad annum 916, *apud Altheim Synodus habita.* Memoratur illud Concilium ab Aventino in Annal. Bojorum lib. 4, ubi ait: *Anno ab orbe ſervato 916, indictione quarta, duodecimo Kalendas Octobris regni Conradi piiſſimi, & Chriſtianiſſimi Regis quinto Concilium Sacerdotum frequens apud Altheim in pago Rhætiæ cogitur ab Ottonenſi* [legendum Ortanenſi] *Epiſcopo, Legato Joannis X Pont. Max.* Hujus Concilii, quod deeſt Tom. IX Concil. Labbei, plures canones collegit Antonius Pagius in Critica Baroniana, ex variis titulis Burchardi & Ivonis. In Præfatione apud Burchardum lib. II cap. 68. Patres Concilii dicunt congregatam eſse Synodum *præſente videlicet domini Joannis Papæ Apocriſario Sanctæ Ortenſis Eccleſiæ venerabili Epiſcopo. Hoc quatenus diabolica ſemina in noſtris partibus exorta extirpare, & nefandiſſimas machinationes quorundam perverſorum hominum ſedare, & eliminando purgare deberet. Tranſacto igitur triduano jejunio, & ſacris litaniis more debito celebratis convenimus in Eccleſia Sancti Joannis Baptiſtæ, & mœſti conſedimus. Tum demum præfatus S. Petri, & domini Joannis Papæ miſſus proferens chartam Apoſtolicis literis inſcriptam, qua monebamur, arguebamur, & inſtruebamur de omnibus ad veram religionem Chriſtianæ fidei pertinentibus. Quæ omnia (ut juſtum & dignum erat) humiliter accepimus, diligenter tractavimus, & devoto affectu omnimodo amplectebamur . . . . Deinde hortatu domini Petri* (Joannis ſcilicet Papæ Legati) *contra noſmetipſos & vitia irati, adjuvante primò Sancto Spiritu & miſerante, capitula infra notata ad correptionem tam noſtram, quàm Chriſtiani populi ſtatuendo collegimus.* Ortanenſem illum Epiſcopum vocatum fuiſſe Petrum, non ſolùm ex mox laudatis verbis habemus, ſed & ex Capitulo XI, in quo legitur: *Apoſtolica auctoritate interdicit eis Petrus ſancti Petri & Papæ miſſus,* &c. Verum quidem eſt in Capitulo X ita legi: *Auctoritate Sancti Petri ego Joannes Vicarius Apoſtolici,* &c. Sed ibi legendum puto, *auctoritate Sancti Petri ego Joannis*

Digitized by Google

Vicarius Apoſtolici, ut ex duobus locis laudatis, in quibus dicitur Petrus, eruitur. Porrò in Geographia Synodica à Nicolao Samſone edita, Altheimum inter Salisburgum & Dingalvingam locatur, eſtque in inferiori Bavaria.

VIII. *Compoſtellam Legatum miſit.* Baronius refert ex Ambroſio Morales lib. 15 cap. 47 Chronic. Hiſpaniæ, anno circiter nongenteſimo decimo octavo Joannem X Pontificem nomine ſuo Legatum miſiſſe Compoſtellam ad venerandum corpus B. Jacobi Apoſtoli, literaſque dediſſe ad ejus loci Epiſcopum, dictum Siſenandum, virum ſanctiſſimum, ut juges preces pro ſe funderet apud eundem ſanctum Apoſtolum, ut propitius ſibi eſſet in hac vita, & in hora obitûs ſui. Qua occaſione idem Epiſcopus Siſenandus, & Ordonius Rex Legionenſis Joannem Presbyterum ad Pontificem legarunt, qui ejuſdem Regis pretioſa munera & literas detulit.

IX. *Pacem cum Eccleſ. Cpolitana reſtituit.* Cùm pax aliquantulum turbata fuiſſet inter Romanam, & Conſtantinopolitanam Eccleſias, occaſione quartarum Leonis Sapientis quondam Imperatoris Orientis nuptiarum, quas Græci, Nicolao Myſtico Patriarcha Conſtantinopolitano duce, velut fornicationem fuerant execrati; Legati verò Sedis Apoſtolicæ licitas ſecundùm ſe propugnaverant, eaſque œconomiæ causâ permittendas, quamvis Eccleſiæ Græcæ ſeverior diſciplina illas prohiberet; Nicolaus Patriarcha pro perfecta concordia inter Clerum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & cum Eccleſia Romana conſtituenda, unà cum Conſtantino Orientis Imperatore, anno nongenteſimo vigeſimo Legatos ad Joannem Papam miſit, rogavitque ut Legatos viciſſim Conſtantinopolim deſtinaret, ad mutuam fovendam pacem. Quod præſtitit Joannes Pontifex, hancque legationem impoſuit Theophylacto, & Carolo Epiſcopis, ut conſtat ex Epiſtola Nicolai Patriarchæ ad Simeonem Bulgariæ Principem, quam refert Baronius ad annum 917. Sed hæc referenda eſſe ad annum 920 oſtendit Auctor Criticæ Baronianæ ad annum 916 num. 1.

X. *Archiepp. Hamburgenſi, & Remenſi Pallia miſit.* Joannem Pontificem Unni Archiepiſcopo Hammaburgenſi pallium miſiſſe refert idem Baronius ad annum 917 ex Adamo Bremenſi lib. 1 cap. 47. Pallium item conceſſit idem Pontifex Seulfo Remenſi Archiepiſcopo, poſt mortem Herivei anno nongenteſimo vigeſimo ſecundo dicto, ut idem Annalium Eccleſiaſticorum parens teſtatur ad annum 923, & confirmat Frodoardus ſæpè laudatus in fragmento de Pontificibus Romanis, de Joanne X ſcribens:

Pontifici hic noſtro legat ſegmenta Seulfo.

XI. *Controverſiam de Epiſcopatu Tungrenſi finivit.* Anno nongenteſimo vigeſimo primo, & ſequenti agitata eſt cauſa inter Hilduinum, & Richerium Abbatem Prumienſis monaſterii. Hilduinus, favente Henrico Germaniæ Rege, cui magnam auri argentique ſummam dederat, electus eſt Tungrenſis Epiſcopus, & ab Herimanno Colonienſi Archiepiſcopo per violentiam ejuſdem Henrici conſecratus. Sed omnes tam Clerici, quàm laici Eccleſiæ Tungrenſis Carolum, dictum Simplicem, Francorum Regem adierunt ab eo petentes, ut Richerium, quem concorditer elegerant, Pontificem illis daret. Quæ conſtant ex Epiſtola ejuſdem Caroli Regis ad Epiſcopos regni ſui, quæ extat Tom. IX Concil. pag. 571. Totius controverſiæ ſummam compendio refert etiam Flodoardus in Chronico anno 920. Cauſa ad Joannem Pontificem perducta eſt. Joannes ſcripſit ad Herimannum, eique præcepit, ut Romam cum Hilduino, & Richerio accederet ad hanc controverſiam finiendam, cujus Epiſtola extat ibidem pag. 574 ſimul cum Epiſtola ejuſdem Herimanni ad Richerium, qua mittit ei literas Joannis Papæ. Tandem Flodoardus ad annum 922 ſcribit: *Richarius, qui Romam profectus fuerat propter Epiſcopium Tungrenſe, reverſus eſt, ordinatus à Joanne Papa Epiſcopus, Hilduino ab ipſo Papa excommunicato.*

XII. *Cum Hugone Italiæ Rege fœdus iniit.* Berengario Imperatore anno nongenteſimo vigeſimo ſecundo à ſuis occiſo, Italienſes omnes cœperunt inter ſe diſſidere, ut ſcribit Luitprandus lib. 2 cap. 3; ſed tandem anno nongenteſimo vigeſimo ſexto Hugo Arelatenſium ſeu Provincialium Comes in Italiam feſtinavit. Cùmque Piſas perveniſſet, *affuit Romani Papæ Joannis ſcilicet Ravennatis nuncius. Affuerunt etiam penè omnes Italienſes Nuncii, qui hunc, ut ſuper eos regnaret, invitabant. Is autem, ut erat longo ex tempore hæc cupiens, percitus venit Papiam, cunctiſque convenientibus regnum ſuſcepit. Poſt paululum Mantuam abiit, ubi & Joannes Papa ei occurrens fœdus cum eo percuſſit. Quo tempore Berta matre Hugonis Regis mortua, Wido filius ejus, quem ex Adelberto genuerat, ſicut prædiximus, Tuſciæ Marchiam tenebat, qui Maroziam ſcortum Romanum ſibi uxorem acceperat*, inquit Luitprandus lib. 3 cap. 4.

XIII. *In carcerem mittitur, & ſuffocatur.* Marozia Widonis Tuſciæ Marchionis uxor, quæ Theodoræ matri in Principatum Urbis ſucceſſerat, à Joanne Papa abhorrens cum Widone marito, de ejus ejectione *cœpit vehementer tractare, atque hoc propter invidiam, quam in Petrum fratrem Papæ habebant: quoniam quidem illum Papa, quaſi fratrem proprium honorabat. Contigit itaque Petro Romæ degente, Widonem clam multos habuiſſe milites congregatos. Cùmque die quadam Papa cum fratre paucis-que aliis in Lateranenſi Palatio eſſet, Widonis, & Maroziæ milites ſuper eos irruentes, Petrum fratrem ipſius ante oculos interfe-*

terfecerunt, *eundem verò Papam comprehendentes*, *cuſtodiæ manciparunt*, *in qua non multò poſt defunctus*. *Ajunt enim quòd cervical ſuper os ejus poſuerint*, *ſicque eum peſſimè ſuffocarint*, inquit Luitprandus lib. 3 cap. 12. Joannes itaque X Papa è Sede dejectus eſt anno nongenteſimo vigeſimo octavo, poſtquam, ut habet Frodoardus in Chronico, ſediſſet annos quatuordecim, & paulò amplius. Princeps fuit, inquit Rubeus lib. 5 Hiſt. Ravenn. *ſive ſacroſanctam ſummæ dignitatis majeſtatem*, *vel ejus præclarè acta*, *omni Italiæ hoc tempore admodum ſalutaria*, *ſpectemus*, *hoc nequaquam exitu* dignus: *ſed quem fœminæ ſtudium extulit*, *odium fœminæ abſtulit*. Certè præſumi non poteſt eum malum habuiſſe exitum, ſicuti nec ſuum malè adminiſtraſſe Epiſcopatum, ut ex ejus geſtis ſuperiùs memoratis apparet.

XIV. *Sedis ejus duratio.* De Joanne X Flodoardus in fragmento de Pontificibus Romanis, poſtquam de Landone ejus deceſſore verba fecit, hæc habet.

Surgit ab hinc decimus ſcandens ſacra jura Joannes.
Rexerat ille Ravennatem moderamine plebem.
Inde petitus ad hanc Romanam percolit arcem,
Bis ſeptem qua prænituit paulò amplius annis.
Pontifici hic noſtro legat ſegmenta Seulfo.
Munificiſque ſacram decorans ornatibus aulam,
Pace nitet dum Patricia deceptus iniqua,
Carcere conjicitur, clauſtriſque arctatur opacis.
Spiritus at ſævis retineri non valet antris:
Emicat immò æthra decreta ſedilia ſcandens.

Ex his patet deceptum eſſe Baronium, quem ſequitur Oldoinus, quando ſcripſit, Joannem X anno nongenteſimo duodecimo Pontificem dictum eſſe, & ſediſſe annos ſexdecim. Flodoardo enim ſuffragantur Hermannus Contractus, Marianus Scotus, omneſque ferè Catalogi, in quibus legitur Joannem X ſediſſe annos quatuordecim, paucos menſes, & dies aliquot. Cùm itaque, ipſo fatente Baronio, è ſede dejectus ſit anno 928, & Marianus Scotus, Honorius Auguſtodunenſis, & Catalogi plerique ſupra annos XIV addant menſes duos, & dies tres, ſedit uſque ad finem circiter menſis Junii anni 928, à quo ſi retrocedas, pervenies ad finem circiter Aprilis anni 914, quo ideo anno, & menſe deſinente, Pontificalem thronum aſcendit.

LEO VI *Pontif. CXXVI.*

Anno Domini DCCCCXXVIII.

I. *Leonis VI ordinatio, virtutes, & obitus.* LEonem hujus nominis VI Joanni X ſtatim ſubrogatum fuiſſe, deſinente menſe circiter Junio ejuſdem anni nongenteſimi vigeſimi octavi, ſequentium Pontificum uſque ad Leonem VII Chronologia confirmabit. Hunc Leonem VI Baronius, & Papebrochius ex Onuphrio in Chronico, Chriſtophori Primicerii filium dicunt, quod cùm ſine teſte gratis aſſeratur, gratis etiam negari poteſt. Joannes Stella, ab eodem Papebrochio laudatus, de vita ac morte hujus Pontificis ſic loquitur: *Vir bonus* fuit, *qui nihil tyrannicum in vita præſetulit*; *imò revocare ad concordiam cives*, *temeritate ac ſtultitia priorum Pontificum adhuc tumultuantes*, *componereque res Italicas*, *pacare externum hoſtem*, *propulſare barbaros ab Italiæ cervicibus conatus eſt*. *Sed dum in his laudabiliter operibus verſaretur*, *ſexto Pontificatûs ſui menſe moritur*, *& in B. Petri Baſilica ſepelitur*. Ita Stella in libro, quem de Pontificibus Romanis uſque ad Julium II ſcripſit; quæ accepit ex antiquiori Scriptore, Platina nempe, qui tamen hæc ſine teſte aſſerit. De eodem Pontifice hæc habet Flodoardus ſæpius laudatus in Fragmento de Pontificibus Romanis:

Pro quo celſa Petri ſextus Leo regmina ſumens,
Menſibus hæc ſeptem ſervat, quiniſque diebus,
Prædeceſſorumque petit conſortia Vatum.

Cùm itaque Leo VI ſederit tantùm menſibus ſeptem & quinque diebus ex Flodoardo, objit circa initium menſis Februarii anni nongenteſimi vigeſimi noni: cum autem detruſum in carcerem, ibique defunctum, non dicit Flodoardus in Chronico à Baronio hanc in rem citatus, imò potiùs contrarium eruitur ex verſibus ejuſdem Flodoardi mox relatis.

Digitized by Google

STEPHANUS VII, aliis VIII *Pontif. CXXVII.*

Anno Domini DCCCCXXIX.

I. *Stephani VII ordinatio, & mors.*

DIE circiter tertia menſis Februarii ejuſdem anni nongenteſimi vigeſimi noni Stephanus, natione Romanus, ex parte Theudemundo, ut ex vetuſto codice Vaticano de Romanis Pontificibus, ſcribit Baronius, Pontifex hujus nominis VII, aliis VIII Leoni VI ſubrogatus eſt, *cujus vita manſuetudinis & religionis plena fuit*, ut ait Platina, & ex eo Joannes Stella in libro de Pontificibus Romanis. Idem Platina rectè aſſerit, Stephanum ſediſſe annos duos, menſem unum & dies duodecim; Flodoardus enim in Fragmento de Romanis Pontificibus eamdem Sedis durationem ei adſcribit:

Septimus hinc Stephanus binos præfulget in annos,
Aucto menſe ſuper, biſſeno ac ſole jugato,
Depoſitâ poſt quod ſpatium ſibi ſede locatur.

Ab hoc calculo non diſſentiunt Honorius Auguſtodunenſis, Martinus Polonus, & varii Catalogi, ex quibus alios emendandos liquet. Obiit itaque hic Pontifex circa diem decimum quintum menſis Martii anni nongenteſimi trigeſimi primi.

JOANNES XI *Pontif. CXXVIII.*

Anno Domini DCCCCXXXI.

I. *Joannes XI ſuccedit Stephano VII.*

CUM Stephanus VII circa diem decimum quintum menſis Martii anni nongenteſimi trigeſimi primi vivendi finem feciſſet, Joannes hujus nominis undecimus, Sergii III ex Marozia ſcorto filius, ſi fides ſit Luitprando lib. 2 cap. 13, Widonis Tuſciæ Marchionis, Maroziæ tum mariti, potentiâ Pontifex conſtitutus eſt. Joannes tunc juvenis valde erat, ſi Sergio Papa & Marozia natus ſit, quam juniorem tunc etiam fuiſſe, ex eo deducit Baronius, quòd ſua pulchritudine Hugonem Italiæ Regem, poſt Mariti Widonis obitum ad nuptias provocarit.

II. *Abbatiam Cariloci monaſterio Cluniac. ſubjicit.*

Joannis XI res in Pontificatu geſtæ in obſcuro ſunt, ſilentibus hujus temporis Scriptoribus. Præterquam quòd nunquam ſui juris fuit Joannes, ſed partim in cuſtodia Alberici fratris, Widonis & Maroziæ filii, qui Patricius erat, & Romæ dominabatur; partim in poteſtate Hugonis Italiæ Regis vitrici ſui, cui poſt Widonis Marchionis obitum, eadem Marozia nupſerat. Supereſt adhuc privilegium, quod hic Pontifex conceſſit Sancto Odoni Cluniacenſi Abbati ſecundo, quo Abbatiam *Carilocum* dictam, in diœceſi Matiſconenſi poſitam, Odoni ſeu monaſterio Cluniacenſi, poſtulante Hugone Burgundiæ Rege, addixit 7 *Kal. Januarii anno II Pontificatûs, indict.* 5, ſeu potiùs VI, in Italia à Kalendis Septembris anni 932 inchoata. Iſtius reſcripti Joannis XI meminit Mabillonius Sæculo V Benedictino in Elogio Sancti Odonis num. 26. Sed non refert ubi extet.

III. *Remenſi Archiep. Pallium mittit.*

Flodoardus in Chronico ad annum 933 in Hiſtoriæ Remenſis libro 4 cap. 14, & in libello de Romanis Pontificibus ſcribit, Joannem Papam Artaldo Remenſi Archiepiſcopo Pallium direxiſſe: *Anno nongenteſimo trigeſimo tertio*, inquit, *Miſſi Remenſis Eccleſiæ Giſo & Amalricus Roma redeuntes Pallium Artaldo Præſuli deferunt*. In libro verò de Pontif. Rom. de Joanne XI loquens, ait:

Artaldus noſter ſub quo ſacra pallia ſumit.

Ideo porrò Flodoardus vocat Artaldum noſtrum, quia ipſe Eccleſiæ Remenſis Canonicus erat, unde in ſuis verſibus ſubinde de Archiepiſcopis Remenſibus mentionem ingerit.

IV. *Captivus à fratre detinetur.*

Eodem anno nongenteſimo trigeſimo tertio Joannes Papa ab Alberico fratre in cuſtodiam miſſus eſt hac occaſione. Mortuo Widone Tuſciæ Marchione, Senioris Alberici filio, cui Marozia Albericum juniorem pepererat; cùm eadem Marozia Hugoni Italiæ Regi, Widonis demortui uterino fratri, nupſiſſet, dotemque inceſtûs dominium Romanæ urbis attuliſſet, Albericus matris hortatu aquam ad abluendas Hugonis manus infudit, ſed cùm non tam admodum ſcitè præbuiſſet, Hugo correctionis gratia ei alapam impegit, qua contumelia Albericus provocatus, Romanos ad defectionem impulit, atque Hugonem ex Urbe fugere coegit: *Joannem* verò *Papam ſub cuſtodia detinuit, matrem quoque ſuam Maroziam clauſam ſervans, & Romam contra Hugonem Regem tenens*, inquit Flodoardus in Chronico ad annum 933.

Joannem Pontificem in cuſtodia ab Alberico

berico fratre detentum, vixiſſe uſque ad annum nongenteſimum trigeſimum ſextum, ex eo conſtat, quòd idem Flodoardus ad

V. *Vitam cum morte commutat.* eum annum ſcribit: *Joanne Papa fratre Alberici defuncto, Leo quidam Dei ſervus Romæ Papa conſtituitur.* Unde ſecundùm omnes ferè Catalogos, *annos quatuor & menſes decem* Eccleſiam Romanam rexit. Mortuus eſt itaque initio menſis Januarii anni nongenteſimi trigeſimi ſexti, poſtquam annos quatuor & menſes decem incompletos ſediſſet; ordinatus enim fuerat circa medium menſis Martii anni nongenteſimi trigeſimi primi. Verum quidem eſt apud eundem Flodoardum in libello de Romanis Pontificibus legi, Joannem ſediſſe annos ferè duos, ſed locus ille mendosè deſcriptus eſt, ut mox oſtendam.

Nato Patriciæ hinc cedunt pia jura Joanni:
Undecimus Petri hoc qui nomine ſede levatur
Vi vacuus, ſplendore carens, modò ſacra miniſtrans.
Fratre à Patricio juris moderamine rapto,
Qui matrem inceſtam rerum faſtigia mœcho
Tradere conantem decimum ſub clauſtra Joannem
Quæ dederat, clauſtri vigili & cuſtode ſubegit.
Artoldus noſter, ſub quo ſacra pallia ſumit,
Papaque obit, nomen geminum fere nactus in annum.

Sed loco, *geminum fere nactus in annum*, legendum, *quintum fere nactus in annum*. Nam Flodoardus, qui jam in Chronico ſcripſit, Joannem anno nongenteſimo trigeſimo tertio in cuſtodia detentum, & mortuum anno nongenteſimo trigeſimo ſexto, non potuit poſtea ſcribere eum ſediſſe *ferè* duos annos, alioquin ſibi ipſi contradiceret; quod dici non poteſt, cùm libellum illum de Pontificibus Romanis ſcripſerit ſub Leone VII, Joannis XI immediato ſucceſſore, à quo Romæ benignè exceptus eſt, ut ipſemet in fine libelli teſtatur; hæc autem Romæ notiora erant, quàm ut ipſum latére potuerint. Præterea ſi Joannes XI annos tantùm duos ſediſſet, ut exiſtimat Papebrochius in Paralipomenis ad Conatum Chronico-Hiſtoricum, Leo VII non anno 936, ut habet Flodoardus in Chronico, ſed anno 933 Pontificatum ſuſcepiſſet, quod nemo ſibi perſuaſerit, cùm die nona menſis Februarii anni 938 tertium tantùm Pontificatûs annum numeraret, ut infrà videbitur.

LEO VII *Pontif. CXXIX.*

Anno Domini DCCCCXXXVI.

I. *Leo VII fit Papa.* JOanne Papa fratre Alberici defuncto, Leo quidam ſervus Dei Romæ Papa conſtituitur, inquit Flodoardus in Chronico ad annum 936. Fuit hic natione Italus, patria Romanus, ſi Sancto Antonino, Onuphrio Panvinio, aliiſque fides. Eum initio menſis Januarii anni nongenteſimi trigeſimi ſexti conſecratum eſſe Pontificem Romanum, conſtat ex ejus Epiſtola ad Hugonem Francorum Principem, & monaſterii Sancti Martini Turonenſis Abbatem, quam ex Tomo II Spicilegii Dacheriani in nonum Conciliorum Tomum Labbeus inſeruit, quæque dicitur ſcripta *per manum Theodori Notarii & Scriniarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Januario, & indictione undecima,* quæ anno 936 in curſu erat, quo, die nona Januarii, ſedebat Leo Papa, ut numero ultimo oſtendetur.

II. *Vetatne in Monaſterium S. Martini detur aditus mulieribus.* Ex ea Epiſtola diſcimus quàm inſigni zelo curaret Leo Pontifex ſacrorum locorum cultum & reverentiam. Siquidem intelligens, quòd *nulli unquam fœminæ intra ambitum monaſterii* Sancti Martini Turonenſis, *etiam ſub tempore Paganorum permittebatur acceſſus*; idque tranſlato illo in urbem jam non obſervari, negligentiam in hoc coarguit Hugonis Abbatis, obſecrans, ut curam adhibeat, *quatenus per totum veteris muri ambitum, uſque ad viam, quæ juxta latus Baſilicæ Aquilonare vergit, nulla deinceps fœmina licentiam habeat commorandi, ſed nec intrandi quidem: ſi quis verò de miniſtris hoc Apoſtolicum interdictum neglexerit, aut aliqua fœmina intrare præſumpſerit, tamdiu excommunicatus vel excommunicata ſit, quouſque promiſſa emendatione abſolvi mereatur,*

III. *Jus Metropolicum à Saliſburgenſi ad Laureacenſem Eccleſiam transfert.* Eugenium Papam hujus nominis II ſuppreſſum Laureacenſis Metropolis nomen reſtituiſſe, & Urolpho ejuſdem Sedis Antiſtiti pallium miſiſſe, jam ſuo loco diximus; ſed Urolpho circa annum 837 demortuo, iterum ſuppreſſum fuiſſe Archiepiſcopatum Laureacenſem. Verùm Leo Papa hujus nominis ſeptimus, anno circiter nongenteſimo trigeſimo ſeptimo jus Metropolicum à Civitate Saliſburgenſi ad Laureacenſem tranſtulit, ut conſtat ex ejus Epiſtola ad *Gerhardum Laureacenſem Epiſcopum*, quæ extat eodem Tomo IX Concil. pag. 595, qua & Pallium mittit, Quod confirmat altera ejuſdem Pontificis Epiſtola ibidem recitata, dataque *Regibus, Ducibus, Epiſcopis &c. & cæteris per Galliam, Germaniam, Bauvariam, Alemanniam commoranti-*

Digitized by Google

SÆC. X. LEO VII.

morantibus. In ea ſiquidem Leo Pontifex ait: *Gerhardus Sanctæ Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus cauſâ orationis ad limina veniens Apoſtolorum, noſtram Apoſtolicam præſentiam viſitare, & benedictionis gratiam à nobis percipere ſolicitè ſtuduit: multa, quæ reprehenſione digna ſunt, noſtris auribus lacbrymoſis vocibus intimavit: tota cordis intentione à noſtra Apoſtolica auctoritate, de his, quæ contra canonum regulam, & decreta majorum in veſtris geruntur provinciis, quærens conſilium*, &c. *De quibus ergo Apoſtolicam Sedem conſuluit, & qualia nos ei reſponſa dedimus per hos noſtros apices vobis intimare curamus*. Et poſtquam ad Gerhardi conſultationes ſigillatim reſpondit, ſubdit: *Præter hæc Eberhardo Duci Bavariorum noſtra auctoritate injungimus, ut præfato Gerhardo Archiepiſcopo in omnibus auxilium præſtet*. Ex quibus conſtat Gerhardum à Leone Pontifice dictum eſſe Archiepiſcopum, Pallioque donatum, & ſic Metropolitanum declaratum. Eſt porrò hæc ultima Leonis Epiſtola egregia decretalis circa varios abuſus, quos adversùs veterum rituum puritatem obrepſiſſe, apud Gallos & Germanos, ex eodem Gerhardo Archiepiſcopo Romam profecto, Leo Pontifex intellexerat. Magna poſtea inter Archiepiſcopos Laureacenſem & Salisburgenſem orta eſt controverſia, quæ ex infra dicendis, ab Agapito Papa II compoſita eſt.

IV. *S. Odonem Abbatem Cluniacenſem Romam vocat.*

Florebat hoc tempore in Gallia Sanctus Odo Cluniacenſis Abbas ſecundus, cujus Vitam, à Joanne Monacho ejus diſcipulo ſcriptam, exhibet Mabillonius Sæculo V Benedictino. Ex ea Vita diſcimus hunc Sanctum Abbatem ſemel & iterum à Romanis Pontificibus in Italiam accitum, ut afflictis Eccleſiæ rebus prudentiâ & auctoritate ſua conſuleret. Albericus enim Maroziæ filius cum Hugone Italiæ Rege de dominio Urbis contendebat. Leo Pontifex ipſo ſui Pontificatûs initio Odonem Romam acceſſivit, quem ſequeſtrem hujus componendæ pacis fuiſſe teſtatur Joannes laudatus in ejus Vita, ubi & aſſerit etiam à Leone Papa vocatum, ut collapſam in Urbe Monaſticam diſciplinam reſtitueret, & *Monaſterium intra Eccleſiam Beati Pauli Apoſtoli, ut olim fuerat*, reædificaſſe, *cogente domno Papa, & univerſis ordinibus ſacræ Sedis*. Hinc verò factum, ut Cluniacenſe nomen per ejus Monaſterii alumnos in diverſas provincias diſpertitos, fuerit brevi tempore mirificè propagatum. Ceterùm Hugo cum Alberico pacem pepigit, filiamque ſuam Aldam ei in conjugem dedit, pro qua pace concilianda Sanctus Odo iterum Romam profectus eſt anno 938, & quidem accitu ejuſdem Leonis Papæ, ut legere eſt in laudata ejus Vita.

SÆC. X. LEO VII.

V. *E vivis excedit.*

Tandem Leo Pontifex, qui anno 936 ante diem nonum menſis Januarii, ut ſuperius dictum eſt, Pontificatum adeptus erat, circa diem decimum octavum Julii anni nongenteſimi trigeſimi noni è vivis exceſſit, cùm Honorius Auguſtodunenſis, Martinus Polonus, & Platina ſcribant, eum ſediſſe annos tres, menſes ſex, & dies decem, quod idem legitur in pleriſque Catalogis. De eo Flodoardus, libellum ſuum de Romanis Pontificibus abſolvens, ait:

Septimus exurgit Leo, nec tamen iſta volutans,
Nec curans apices mundi, nec celſa requirens:
Sola Dei quæ ſunt alacri ſub pectore volvens,
Culminaque evitans, oblata ſubire renutans,
Raptus at erigitur, dignuſque nitore probatur
Regminis eximii, Petrique in ſede locatur.
Sed minime adſuetam linquit decoramine curam,
Deditus aſſiduis precibus, ſpeculamine celſus.
Affatu lætus, ſapiens, atque ore ſerenus.
Qui me viſentem Ætherei pia limina Petri
Jocundè excipiens, animo quæſita benigno
Admiſit, favitque piè, ſtuduitque modeſte:
Semina grata ferens, epulis recreavit utriſque
Corporis atque animæ: benedixit, & oſcula libans,
Ac geminans dono cumulatum muneris almi,
Pergere lætantem amplexu dimiſit honoro.
Quem Pater Omnipotens alacrem cultuque venuſtum
Attollat, ſervetque diu, digno excolat actu:
Et cum Præſulibus Sanctis, conſortia quorum
Promeruit, Sedis præſtet ſuper æthera ſedem:
Cum quibus æternum maneat præclarus in ævum.

Ex quibus patet Leonem ſeptimum, invitum & renitentem, ad ſummum Pontificatum evectum, & Pontificem tot tantiſque virtutibus præditum parem clariſſimis Pontificibus meritò habitum iri, ſi ejus Pontificatus diuturnior, & geſta literis fuiſſent commendata. Flodoardo enim teſti oculato, cùm, Leone adhuc vivente, libellum illum de Romanis Pontificibus abſolverit, Romæque ab eo exceptus fuerit, tutò fides adhiberi poteſt. Quantum doloris concepiſſet Leo ex miſerabili Eccleſiæ ſtatu, & quàm ſtrenuè pro collata ſibi poteſtate graſſantibus malis mederi conaretur, probant duæ ejus literæ à Mabillonio Sæc. 5 Benedict. pag. 907, & ſeq. recitatæ, quarum priores continent privilegium ab eodem conceſſum monaſterio Floriacenſi, datæque ſunt anno 938, die nona Januarii, anno Pontificatûs ſui tertio, indictione II, ideoque probant etiam eum Pontificem dictum anno 936 ante eum diem; poſteriores verò, licèt in fine mutilæ, nos docent ſtudium ejus in rem monaſticam, & præcipuè in S. Benedictum, quem his in literis *egregium Patrem noſtrum domnum Beatiſſimum*

tiſſimum Benedictum appellat, ex quibus Mabillonius rectè colligit Leonem ante Pontificatum inſtituto Benedictino fuiſſe addictum, ideoque à Flodoardo num. 1 laudato dici *ſervum Dei* fuiſſe, quia eo nomine Monachi cenſeri ſolent apud Antiquos.

STEPHANUS VIII, aliis IX *Pontif. CXXX.*

Anno Domini DCCCCXXXI.

I. Leoni VII ſuccedit Stephanus VIII.

LEoni ſeptimo ſtatim ſubrogatum fuiſſe Stephanum hujus nominis VIII, vulgò IX, ex Sedis ejus duratione conſtabit. Hunc Stephanum plerique omnes poſt Platinam natione Germanum fuiſſe ſcribunt, ſolo, quod ſciam, Ciaconio excepto, qui eum Romanum dicit, ſed in Germania educatum; de quo nihil habent Hermannus Contractus, Marianus Scotus, & Sigebertus; ſicuti nec de hoc quod ſcribunt aliqui, eum ſcilicet Ottonis Germaniæ Regis operâ à Romanis electum, poſthabitis Cardinalium ſuffragiis, eamque ob rem Alberico tyranno inviſum fuiſſe, & ab ejus factionis hominibus in ſeditione ita vultu deformatum, ut ob inhoneſta vulnera prodire in publicum non poſſet. „ Id „ uſquequaque probare non poſſum, inquit Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtori„ co, cùm Otto Rex Germaniæ eatenus „ nihil juris habùerit in Italia, neque ei „ electioni ſe immiſcere potuerit, bellis do„ meſticis occupatiſſimus, & longiùs abſens, „ quàm ut nuntium de morte Leonis ac„ ciperet ante electionem ſucceſſoris: niſi „ fingere velimus duobus vel tribus menſi„ bus vacaſſe ſedem. Hæc conjectura mihi valde probabilis apparet, nam prætérquamquod vel nullum, vel breviſſimum fuit interpontificium, nullus ex Auctoribus mox laudatis id in literas miſit, neque ullus alius Scriptorum, qui Martinum Polonum præceſſerunt, & ipſe Martinus refert ſolum Stephanum in ſeditione mutilatum abditiorem aliquandiu vitam duxiſſe, cùm ob inhoneſta vulnera prodire in publicum erubeſceret.

II. Sacrilegè à ſeditioſis mutilatur.

Licèt autem improbabile ſit, Ottonem Germaniæ Regem Stephani electioni ſe immiſcuiſſe, eamque factam à Romanis, poſthabitis Cardinalibus, non idem tamen dicendum de ſacrilegio in eum ab Alberici, ut creditur, fautoribus commiſſo, quod Baronius narrat ex veteri libro de Romanis Pontificibus, in quo legebatur, Stephanum Papam ita vultu vulneribus deturpatum, à publico abſtinuiſſe congreſſu hominum, licèt revera non dedecori, ſed ornamento eſſent quæque ſtigmata propter juſtitiam à Satanæ miniſtris illata, & eò pulchriora, quò magis perſpicua ſpectantibus eſſent. Idem, ut jam dixi, refert Martinus Polonus, & poſt eum Joannes Stella ita ſcribens: *Hic cùm Pontificatum ſuſcepiſſet, ita Romanorum ſeditionibus vexatus eſt, ut nil memoria dignum ab eo geri potuerit: quia ab eis tam turpiter mutilatus, tamque ignominiosè mulctatus fuit, ut quoad vixit, in publicum prodire non fuerit auſus.*

III. Remenſi Archiep. Pallium mittit.

Controverſia hoc tempore verſabatur inter Artoldum Archiepiſcopum Remenſem, quem à Joanne XI pallio donatum vidimus, & Hugonem Heriberti Remorum Comitis filium, qui cùm eſſet annos tantùm quinque natus, ejuſdem Eccleſiæ Antiſtes dictus fuerat. Heribertus Comes, Hugonis pater, Remenſi urbe iterùm in poteſtatem redacta, Artoldum, quem Rodulphus Rex ante plures annos ordinari curaverat, abdicare & cedere coegit anno 940, Synodoque anno ſequenti apud Sueſſiones congregatâ, Hugonem filium, Remorum Archiepiſcopum conſecrari curavit, cùm annum dumtaxat vigeſimum primum attigiſſet. In ea Synodo juſſus eſt ceſſare Artaldus, eo quòd juraſſet, ſe nunquam in eum Archiepiſcopatum intromiſſurum: Hugoque receptus, eo quòd, Clero, populoque petente vocatus eſſet, qui & ordinatus eſt Epiſcopus à Præſulibus, qui apud Sueſſiones convenerant, & Romam Legati miſſi ſunt, qui à Stephano Papa pallium pro eo peterent, quod & obtinuerunt; Flodoardus enim in Chronico ad annum 942 ſcribit: *Legati Remenſis Eccleſiæ Româ regreſſi pallium deferunt Hugoni Epiſcopo ab Stephano Papa tranſmiſſum.* De hac Synodo Sueſſionenſi legendus idem Flodoardus lib. 4 Hiſtoriæ Remenſis capp. 28, & 29; de prædicta verò controverſia inter Artaldum & Hugonem agetur infra in Concilio Ingelheimenſi ſub Agapito II.

IV. Legatum in Gallias mittit.

Eodem anno nongenteſimo quadrageſimo ſecundo Francorum Proceribus adverſùs Ludovicum Regem, Caroli Simplicis filium, *Tranſmarinum* dictum, rebellantibus, vel eum recipere detrectantibus, Stephanus Papa Damaſum Epiſcopum legatum in Gallias miſit; qui attulit literas Apoſtolicæ Sedis ad Principes regni, ceteroſque Franciæ vel Burgundiæ habitatores, ut Regem ſuum reciperent, adjuncta excommunicationis pœna, niſi ante Natale Domini Regi adhærerent, Legatoſque Romam dirigerent, ut teſtatur idem Flodoardus in Chronico ad annum 942.

Pax

Digitized by Google

SÆC. IX. STEPHANUS VIII. ... Pax inter Hugonem Italiæ Regem, & Albericum Romanæ urbis Principem, à Sancto Odone Cluniacenſi Abbate Leonis

V. S. Odonem Abbatem Cluniac. Romam vocat. VII nomine ſancita, non multò poſt rupta eſt. Quare idem Sanctus Abbas à Stephano Papa iterum Romam accitus videtur, ut eam redintegraret; cùm ex ejus vita conſtet eum anno nongenteſimo trigeſimo nono profectionem Romanam ſuſcepiſſe. Sed mox gravi infirmitate correptus, & Sancti Martini precibus levatus Turonas rediit, ubi obiit 14 Kalendas Decembris anni nongenteſimi quadrageſimi ſecundi, quem diem notat Joannes Monachus in ejus Vita; annum verò habemus ex Flodoardo in Chronico ad eundem annum ſcribente: *Dominus Odo Abbas pro pace agenda inter Hugonem Regem Italiæ & Albericum Romanum Patricium apud eundem Regem laborabat*. Paucis interpoſitis: *Domnus Odo venerabilis Abbas multorum reſtaurator monaſteriorum Sanctæque Regulæ reparator Turonis obiit, & ſepultus eſt apud Sanctum Julianum*. Pro eadem pace laboraſſe poſtea Agapetum II ſuo loco dicetur. SÆC. X. STEPHANUS VIII

VI. Moritur. Eodem denique anno nongenteſimo quadrageſimo ſecundo, non multò poſt Sanctum Odonem, ineunte ſcilicet circiter menſe Decembri, vitam etiam cum morte commutavit Stephanus Papa. Annum mortis habemus ex Sigeberto in Chronico, & ex Hermanno Contracto, tam ex editione Piſtoriana, quàm ex Caniſiana. Menſem nobis ſuppeditant Martinus Polonus, Catalogi, & alii Antiqui, qui paſſim ei annos tres tribuunt, & in pleriſque adduntur menſes quatuor, & dies quinque; ex quo ſequitur eum obiiſſe circa initium Decembris anni nongenteſimi quadrageſimi ſecundi; cùm circa diem decimum octavum Julii anni nongenteſimi trigeſimi noni Leoni ſeptimo ſubrogatus fuerit.

MARINUS II, ſeu Martinus III *Pontif.* CXXXI

Anno Domini DCCCCXLII.

I. Marinus II. fit Pont. Rom. IN locum Stephani VIII Marinus hujus nominis II, ab aliis Martinus III dictus, natione Romanus, ſine mora ſubrogatus eſt. Secundo nonas Februarii anni nongenteſimi quadrageſimi tertii jam ſedebat, ut conſtat ex ejus reſcripto ad Vezeliacenſem Abbatem Tomo 3 Spicilegii Dacheriani pag. 464 recitato, quod dicitur *ſcriptum per manus Azzonis Scrinarii S.R.E. in menſe Februario, Indictione I, Datum II Nonas Februarii per manum Benedicti Epiſcopi, & Bibliothecarii S. Sedis Apoſtolicæ: anno Deo propitio Pontificatûs Domini noſtri Marini ſummi Pontificis, & univerſalis Papæ in ſacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli anno I, menſe Februarii, Indict. I*, quæ indictio anno 943 in curſu erat.

II. Ejus virtutes. Marinus II, inquit Joannes Stella, fuit *vir manſuetiſſimus, atque placabilis, qui omiſſis bellorum contentionibus, totum ſe religioni dedit, templa reſtaurans, pauperesque mira pietate fovens, & tandem moriens in B. Petri Baſilica ſepelitur*. Eadem ferè ſcribit Platina, ſed neuter dicit, à quo id acceperit. Baronius tamen ex veteri codice Vaticano refert, Marinum fuiſſe natione Romanum, qui omiſſis inſanabilibus tumultibus bellicis totum ſe tradidit ad componendam Eccleſiam, tam in Cleri, quàm in Monachorum reformatione, in Baſilicarum reſtauratione, & cura pauperum: literis verò egiſſe, ut inter Chriſtianos Principes mutuò decertantes pax componeretur. Quod verò addit, Marinum jam olim fuiſſe dono prophetiæ imbutum, res geſtas Udalrici Epiſcopi Auguſtenſis declarare; id quidem legitur in Vita ejuſdem Sancti Udalrici à Gerardo Presbytero ejus familiari ſcripta, & apud Sigebertum in Chronico ad annum 942; ſed Annotator Baronii ad annum 910 num. 5 & ſeqq. oſtendit Udalricum Sergio III, non verò Marino I, aut II ſedente, Romam veniſſe, ideoque in laudata Udalrici Vita Sergii nomen loco Marini ſubſtituendum eſſe, quem errorem Sigebertus non animadvertit.

III. Privilegia ab eo concessa. Præter privilegium à Marino Papa Vezeliacenſi Abbati conceſſum, cujus ſubſcriptionem mox retulimus, extat aliud ejuſdem Pontificis Solemniacenſi Abbati datum apud Ughellum Tomo I col. 133 cum hac clauſula, *Scriptum per manum Zachariæ Scriniarii S.R.E. menſe Majo, Indictione I, bene valete. Datum pridie Idus Junias per manum Valentini Portuenſis Epiſcopi, regnante in perpetuum domino Deo noſtro, anno Pontificatûs Domini Marini univerſalis Papæ II, Indictione I*. Qua ex Formula, *regnante in perpetuum Domino Deo noſtro*, quæ adhibita eſt, quia licet Hugo, & filius ejus Lotharius Italiæ regnum obtinerent, coronam tamen imperii nunquam obtinuerant, ex ea, inquam, formula, Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico infert, formulam iſtam, *Chriſto regnante*, antiquiorem eſſe, quàm putent aliqui, qua de re videri poteſt Tractatus Joannis Beſlii, poſt Hiſtoriam Comitum Pictavienſium, & Ducum Aquitaniæ pag.

123

Digitized by Google

123, & ſeqq. Legendus pariter Mabillonius Sæculo VI Benedictino parte 1 pag. 641, ubi quædam exempla hujus formulæ, *regnante Chriſto*, exhibet ſub Roberto Francorum Rege, initio ſcilicet undecimi ſæculi. Extat & aliud monumentum Marini, quo continetur privilegium conceſſum Sancti Vincentii Monaſterio ſuper Vulturni fontes, apud Baronium anno 944.

IV. *Marinus PP. Capuanum Epiſc. increpat.*

Idem Marinus Pontifex ſcripſit Siconi Epiſcopo Capuano, eique *ignorantiam canonum, litterarum inſcitiam, familiaritatem ſæcularium, temerariamque tranſgreſſionem exprobravit*, teſte Leone Oſtienſi lib. 1 cap. 60, eò quòd Diacono ſuo, contra inſtituta divina & humana, in beneficium dediſſet Eccleſiam Sancti Angeli, quam prædeceſſor ſuus Monachis Benedictinis conceſſerat, ut ibi monaſterium conſtruerent; mandavitque, ut eandem Eccleſiam ſine dilatione reſtitueret, ut monaſterium conſtrueretur, quod tam ab ipſius Epiſcopi, quàm ab omnium ſucceſſorum ſuorum inquietudine & moleſtia liberum extaret, ſub cuſtodia & poteſtate monaſterii Sancti Benedicti, quod tunc Capuæ erat, perpetuò eſſe conſtituit. Diaconum verò illum, cui Eccleſiam eandem Epiſcopus ipſe conceſſerat, præter quàm in officio Altaris, ab omni ipſius Epiſcopi conſortio alienum eſſe mandavit, quibus in rebus niſi obtemperaſſet Epiſcopus, Sacerdotali ſe honore privatum, & excommunicationis nodis adſtrictum ſciret.

V. *Supremum diem obiit.*

Baronius ex veteri codice Vaticano de Romanis Pontificibus ſcribit, Marinum II ſediſſe annos tres, menſes ſex, & dies tredecim, cui plerique Catalogi conſentiunt; nam Marianus Scotus, & Martinus Polonus, qui ultra annos tres, & menſes ſex, habent dies quatuordecim, diem ejus emortualem includunt. Cùm itaque Marinus ordinatus fuerit ineunte circiter decembri anni nongenteſimi quadrageſimi ſecundi, ſupremum diem obiit paulò ante medium menſem Junium anni nongenteſimi quadrageſimi ſexti, ad quem annum Flodoardus in Chronico ſcribit: *Marinus Papa deceſſit, cui ſucceſſit Agapitus*, quem jam die decima quinta Junii ejuſdem anni ad Summum Pontificatum evectum fuiſſe mox oſtendemus.

AGAPETUS II *Pontif. CXXXII.*

Anno Domini DCCCCXLVI.

I. *Agapetus II Marino II ſuccedit.*

Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico perperam ſcribit, Agapetum hujus nominis II, natione Romanum, ordinatum eſſe Pontificem die nona menſis Auguſti anni nongenteſimi quadrageſimi ſexti. Rubeus ſiquidem in Hiſtoria Ravennatenſi lib. 5 meminit literarum, quæ *nono Kal. Jul. indict. VII anno quarto Agapiti Pont. Max. Hlotharii autem Regis decimo nono* ſcriptæ aſſeruntur, die ſcilicet 23 menſis Junii anni 949; aliarumque, in quibus annus octavus ejuſdem Pontificis, cum 17 Kal. Julii, ac indictione XI connectitur, qui character eſt anni 953. Ex quibus convincitur Agapetum paulò ante medium menſis Junii anni nongenteſimi quadrageſimi ſexti Apoſtolico throno impoſitum fuiſſe; cùm die decima quinta ejuſdem menſis & anni jam Romanæ Eccleſiæ præeſſet. Fuit Agapetus monaſteriorum adversùs invaſiones Principum acerrimus defenſor, ut Leo Oſtienſis lib. 1 cap. 62 teſtatur.

II. *Pacem inter Hugonem Regem, & Albericum conciliare tentat.*

Statim ac rerum adminiſtrationem ſuſcepit Agapetus, conatus eſt Albericum Conſulem ſeu Patricium, vetere libidine dominandi, urbiſque potiundæ incenſum, cum Hugone Italiæ Rege in concordiam adducere; ſed cùm Hugo eodem anno nongenteſimo quadrageſimo ſexto Italiam reliquerit, ut oſtendit Annotator Baronii, incertum, quem illa pacis tractatio effectum habuerit; illud certum poſt Agapeti II mortem Alberici filium Octavianum ſub Joannis duodecimi nomine Pontificem Romanum creatum eſſe.

III. *Hugonis Remenſis ſubdolam legationem recipit.*

Artaldus, ſeu Artoldus, quem in Stephano VIII vidimus Remenſi ſede dejectum, Hugone in ea conſtituto & Pallio donato, eodem anno nongenteſimo quadrageſimo ſexto à Ludovico Franciæ Rege in eam reſtitutus eſt, ut ſcribit Flodoardus in Chronico. Ad has turbas ſedandas coacta eſt anno nongenteſimo quadrageſimo ſeptimo Virduni Synodus, ad quam cùm Hugo venire recuſaſſet, Epiſcopatus Remenſis Artaldo adjudicatus eſt, alteraque indicta Synodus in annum ſequentem nongenteſimum quadrageſimum octavum. Hugo probè ſciens quanti ponderis eſſet Romani Pontificis auctoritas in ejuſmodi definiendis controverſiis, Sigeboldum Clericum ſuum Romam legavit ad Agapetum Papam, tradens ei literas falſas, quas finxit conſcriptas ab Epiſcopis Remenſis diœceſis, quibus petebatur, ut Epiſcopatus Remenſis eidem Hugoni ab Apoſtolica Sede confirmaretur. Harum literarum fide, ab eodem Pontifice doloſè ſurripuit literas ad Epiſcopos Galliæ atque Germaniæ, ut

Digitized by Google

SÆC. X. AGAPETUS II.

Hugo Remenſis Eccleſiæ ſedere deberet Epiſcopus. Celebrata eſt Idibus Januarii anni nongenteſimi quadrageſimi octavi Moſomenſis Synodus, anno ſuperiori indicta, ad quam veniens Hugo, eam ingredi noluit, ſed per Clericum ſuum Agapeti Papæ literas miſit. Sed Hugo, qui ad duas Synodos evocatus venire contempſerat, à communione & regimine Remenſis Epiſcopii abſtinere juſſus eſt, donec ad univerſalem Synodum, quæ indicebatur, ſeſe purgaturus occurreret, dicentibus Epiſcopis & Abbatibus, non eſſe dignum vel congruum, ut mandatum Legationis Apoſtolicæ, quam dudum Rotbertus Archiepiſcopus coram Regibus, & Epiſcopis tam Galliæ, quàm Germaniæ ſuſceperat, intermitteretur propter illas literas, quas inſidiator Artaldi præſulis exhibebat. Hugo huic judicio obedire noluit; Artaldus verò proclamationis literas ad Romanam Sedem direxit. Hæc conſtant ex Flodoardo laudato.

IV. *Engilenheimenſi Concilio per Legatum præſidet.*

Agapetus igitur Papa Vicarium ſuum Marinum Epiſcopum Polymartienſem in Gallias miſit, tum ut perduelles Ludovico Tranſmarino Regi ad officium & obedientiam revocaret, tum ut cauſam Remenſis Eccleſiæ cognoſceret. *Anno ab Incarnatione Domini 948, indictione VI, ſeptimo Idus Junias, anno Sereniſſimi Regis Ottonis XIII*, (legendum XII) *ipſo quoque cum illuſtriſſimo Rege Ludovico in præſentia manente, ſancta & generalis Synodus apud Engilenheim, in Eccleſia Sancti Remigii Confeſſoris Chriſti in pago Nagauvi dicto collecta eſt, præſidente videlicet domni Agapiti Papæ Apocriſario, venerabili Polymartienſis Eccleſiæ Epiſcopo, Marino* &c. ut legitur in præfatione hujus Concilii Tomo IX Concil. pag. 623. In hoc Artaldus in Remenſem ſedem reſtitutus eſt, & Hugoni, qui eam uſurpabat, anathema dictum, & ejus ordinatoribus, atque ab eo ordinatis dicta dies. Hugo prætereà Comes Ludovico Tranſmarino Francorum Regi perduellis excommunicatus, & decem canonibus, quædam diſciplinæ capita conſtituta, quorum ſexto ſtatuitur, *ut paſchalis hebdomada feſtivè tota celebretur, & in Pentecoſte ſecunda, tertia, quarta feria, non minus quàm dies Dominicus, ſolemniter honorentur.* Septimo, ut in Letania majore, ſeptimo ſcilicet Kalendas Maii, qui dies S. Marco Evangeliſtæ ſacer eſt, jejunium ſicuti in Rogationibus ante Aſcenſionem Domini obſervetur. Octavo, ut laici oblationes Altaris ſibi non vindicent. Nono, ut Decimarum cauſæ non apud ſæculares Judices, ſed in Synodo diſcutiantur. Decimo denique, inceſtæ nuptiæ prohibitæ. Eſt porrò Engilenheimium oppidum Germaniæ in Colonienſi diœceſi, ubi erat Palatium regale.

SÆC. X. AGAPETUS II.

V. *Idem Trevirenſ.*

Idem Agapeti Papæ Legatus Marinus Epiſcopus Concilio Trevirenſi eodem anno 948 coacto præfuit, in eoque Hugonis Comitis confirmata eſt excommunicatio, donec reſipiſceret, & coram eodem Legato ſatisfaceret. Quod ſi præſtare nollet, Romam proficiſceretur à Summo Pontifice abſolvendus. Excommunicati ſunt & duo Pſeudo-Epiſcopi ab Hugone Sedis Remenſis pervaſore damnato ordinati, Tetbaldus, & Ivo; necnon Adelmus Laudunenſis Clericus, quòd Tetbaldum excommunicatum in Eccleſiam introduxiſſet. Hildegarium etiam Bellovacenſem Epiſcopum per literas convenit idem Marinus Agapeti Papæ Legatus, ut coram ipſo ſe ſiſteret, vel Romam ſe conferret, rationem redditurus coram domino Papa pro illicita ordinatione prædictorum Tetbaldi & Ivonis, cui interfuerat. Hæc habentur ex Flodoardo in Chronico.

VI. *Engilenheimenſe confirmat.*

Acta Engilenheimenſis Concilii cùm ſuſcepiſſet Agapetus Pontifex, ea in Synodo Romana confirmavit. Hujus Synodi Romanæ meminit Flodoardus laudatus ad annum 949: *Agapitus*, inquit, *Papa Synodum habuit apud Sanctum Petrum, in qua damnationem Hugonis Epiſcopi apud Ingulenheim factam confirmavit: excommunicans etiam Hugonem Principem, donec Ludovico Regi ſatisfaciat.*

VII. *Hamburgenſis Eccleſiæ privilegia innovat.*

Eodem anno nongenteſimo quadrageſimo nono, vel potiùs ſuperiori, Otto Germaniæ Rex ſubactis Danis, Haraldum eorum Regem cum uxore & filio parvulo baptiſmum ſuſcipere curavit, eumque à ſacro fonte ſuſcepit. Tunc *Dania Ciſmarina*, inquit Adamus Bremenſis lib. 2 cap. 2, *quam Jutlant incolæ appellant, in tres diviſa Epiſcopatus Hammaburgenſi Archiepiſcopatui eſt ſubjecta. Servantur in Bremenſi Eccleſia præcepta Regis, quæ ſignant Ottonem Regem in ſua ditione regnum Danicum tenuiſſe; adeò ut etiam Epiſcopatus illi donarit. In privilegiis autem Romanæ Sedis videri poteſt, quòd Agapitus Papa Hammaburgenſi Eccleſiæ de ſalute gentium congratulatus, omnia quæ à deceſſoribus ſuis Gregorio, Nicolao, Sergio, & ceteris Bremenſi Archiepiſcopatui conceſſa ſunt, & ipſe conceſſit Adaldago* Hamburgenſi Archiepiſcopo. *Cui etiam ſua vice jus ordinandi Epiſcopos tam in Dania, quàm in Septentrionis populis Apoſtolica auctoritate conceſſit.* Agapetus itaque Hamburgenſi Metropoli privilegia à deceſſoribus conceſſa innovavit, & quidem anno 948, Adaldagi duodecimo, qui, ipſo Baronio teſte, Unnoni Archiepiſcopo Hamburgenſi ſucceſſit anno nongenteſimo triceſimo ſexto, ideoque ejus Sedis annus duodecimus abſolvebatur anno 948.

VIII *Ottonem Germaniæ Regem in Italiam vocat.*

Lothario Italiæ Rege, anno nongenteſimo

Digitized by Google

teſimo quinquageſimo, veneno è medio ſublato, Berengarius, Berengarii quondam Regis & Imperatoris nepos, Italiæ regnum invaſit, ut teſtatur Flodoardus in Chronico. Sed Adelhais Lotharii defuncti uxor, intra munitionem Canuſinam ſe continens, literis Ottonem Germaniæ Regem ad ſui liberationem vocare non deſtitit. At non Adelhaidis tantùm literis, ſed & Agapeti Papæ Epiſtolâ vocatum Ottonem Regem, ut liberaret Italiam à tyrannide Berengarii, Baronius teſtari ait Anonymum, qui olim ſcripſit Vitas Romanorum Pontificum. Equidem cùm Sanctiſſimus Pontifex vidiſſet, Berengarium manum miſiſſe in perſonas Eccleſiaſticas, ab eis tributum exigentem, haud diutius id tolerandum ratus, auxilium à Rege maximè pio expetendum putavit, quod & feliciter conſecutus eſt, ut legi poteſt apud Auctores hujus temporis.

IX. *Diſſenſionem Archiepp. Laureacenſi & Salisburgenſi componit.* Tomo IX Conciliorum pag. 618 extat Agapeti Papæ Epiſtola ad Gerardum Laureacenſem Archiepiſcopum, qua diſſidium Eccleſiarum Laureacenſis, & Salisburgenſis componit: diſſidium enim erat inter illos duos Archiepiſcopos, ob ſuſceptum in una provincia ab utroque Pallium. Laureacenſis Eccleſia antiquitùs Metropolitana fuerat, & ab ea in ſuperioris, atque inferioris Pannoniæ provincias fidei gratia emanarat. Sed Hunnis illas provincias devaſtantibus, Arno primus Salisburgenſis Eccleſiæ dictus eſt Archiepiſcopus, ſed nunc, inquit Agapetus, *ab hoſtibus Sanctæ Laureacenſi Eccleſiæ quiete & inhabitandi ſecuritate conceſſa, non alibi quàm ibidem Fraternitatis tuæ cathedram oportet haberi*. Deinde Laureacenſem Eccleſiam in culmen Metropolitanum ſublimat, denuòque Gerardo Pallium concedit. Utque omnis diſſenſio tollatur, Salisburgenſi Eccleſiæ Occidentalem Pannoniam attribuit, Laureacenſi verò, utpote antiquiori, benedictionis & Sedis honorem, Orientalem Pannoniam, regiones Avarorum, Moravorum, Sclavorum, poteſtatem liberè prædicandi per omnes Sclavorum terras, Epiſcopos ibi ordinandi, omniaque auctoritate Apoſtolica conſtituendi. Nullus porrò eſt temporis character, quo dignoſci poſſit annus, quo data eſt hæc Epiſtola; ſed eam datam oportet ante annum nongenteſimum quinquageſimum quartum, quo Gerardus, ſeu Haroldus excæcatus eſt. Hæc diſſenſio poſt aliquot annos recruduit, ut ſuo loco dicetur.

X. *S. Brunoni Colonienſi Pallium mittit.* Wicfredum Colonienſem Antiſtitem anno 953 defunctum, ejuſque loco Sanctum Brunonem Ottonis Germaniæ Regis fratrem ordinatum eſſe ſcribit Flodoardus in Chronico. Bruno non multò poſt ſuam ordinationem Legatum ad Agapetum Papam miſit pro Pallio accipiendo. Pontifex ad eum miſit *Reliquias de proprio corpore Sancti Pantaleonis Martyris, & privilegium Apoſtolicæ ſublimitatis auctoritate traditum, quo & eodem Pallio, præter conſuetudinem, Sacerdos Domini, quoties vellet, indui permiſſus eſt*, inquit Rotgerus Monachus in ejuſdem Sancti Brunonis Vita cap. 23, qui antequam referat, Brunonem Romam ad Agapetum Papam direxiſſe Hadamarum Abbatem Fuldenſem, qui ei pallium attulit, cap. 21 de Galliarum vaſtatione per Hungaros verba facit, & capite antecedenti de pace per Brunonem conciliata: Hungari autem anno 954 in Gallias irrupêre, eodemque anno die decima ſeptima Decembris Ottonem inter Regem & Luidolfum filium pax ſancita, ideoque Brunoni Pallium miſit Agapetus anno nongenteſimo quinquageſimo quinto.

XI. *Item S. Odoni Archiep. Cantuariæ.* Florebat tempore Agapeti Papæ Sanctus Odo, qui è Schireburnenſi Sede ad Cantuarienſem evectus eſt, *qui cùm eſſet in habitu Clericali cùm eligeretur, conſtanter cœpit reniti, ne morem majorum, qui eum in eadem Sede præceſſerant, ambitione ſua turbare videretur. Nullum enim viderat ad id tempus Cantuarienſis Eccleſia Archiepiſcopum niſi monachili ſchemate indutum fuiſſe*, inquit Gervaſius Monachus Cantuarienſis in Actis Pontificum Cantuarienſium, qui addit, vocatum tunc fuiſſe è monaſterio Floriacenſi Abbatem in Angliam, qui eum habitu monachico induit, ſicque gaudentibus cunctis, Odonem factum Archiepiſcopum Cantuariæ, & ab Agapeto Papa Pallium accepiſſe.

XII. *Ad Deum tranſit.* Agapetus tandem Pontifex, vir innocens, & Reipublicæ Chriſtianæ amator, bonis operibus plenus ad Deum tranſiit anno nongenteſimo quinquageſimo ſexto, poſtquam ſediſſet annos decem, cum aliquibus menſibus & diebus, apud Marianum Scotum, Martinum Polonum, ac quinque ex Catalogis Baronianæ Criticæ præfixis, mendosè deſcriptis. Quonam verò menſe, vel die obierit, cùm nemo Antiquorum prodat, recentiores id ſuo arbitratu divinant, inquit Baronius. Certè dici non poteſt Joannem XII ejus ſucceſſorem die 23 Martii anni 956 conſecratum eſſe, ut ſcribit Papebrochius; Rubeus enim in Hiſtoriæ Ravennatenſis libro 5 refert donationem quandam Petro Archiepiſcopo Ravennenſi & ejus ſucceſſoribus factam 13 *Kal. Septemb. Indict. 6. Ravennæ anno Joannis Pont. Max. ſeptimo*, die ſcilicet 20 Auguſti anni 963, ex qua deducitur, Joannem XII, Agapeti II ſucceſſorem, die 20 Auguſti an. 956 nondum conſecratũ fuiſſe, alioquin eo die anno 963, non ſeptimum, ſed octavum Pontificatûs annum numeraſſet. Indeque inferre licet Agapetum eodem die non-

nondum mortuum fuiſſe. Sedit itaque annos decem, menſes circiter tres; cùm Pontificatum inierit anno nongenteſimo quadrageſimo ſexto, ante diem decimum quintum menſis Junii, & poſt diem 20 Auguſti anni 956 è vivis exceſſerit, bonis, ut jam dixi, operibus plenus; in Vita enim Sancti Brunonis Archiepiſcopi Colonienſis laudata, *miræ Sanctitatis*, & in Metropoli Salisburgenſi Tomo I pag. 56 *Sanctæ memoriæ* Pontifex appellatur.

JOANNES XII *Pontif. CXXXIII.*

Anno Domini DCCCCLVI.

I. *Joannes XII Sedem Rom. occupat.*

OCtavianus, natione Romanus, Clericus, & Urbis Patricius, Alberici quondam Patricii filius, Agapeto mortuo Sedem Apoſtolicam invaſit, licèt annos tantùm circiter octodecim natus, nomineque mutato, Joannes hujus nominis XII appellari voluit. Luitprandus Ottonem Imperatorem de hoc Pontifice ita loquentem inducit: *Puer eſt, facilè bonorum mutabitur exemplo virorum*. Hunc Pontificem poſt Alberici Patris mortem, & Agapeti obitum Sedem Romanam occupaſſe ſcribit Flodoardus in Chronico ad annum 954. *Alberico*, inquit, *Patricio Romanorum defuncto, filius ejus Octavianus cùm eſſet Clericus, Principatum adeptus eſt. Quique poſtea defuncto Agapeto, ſuggerentibus Romanis, Papa Urbis efficitur*. Licèt fuerit valde flagitioſus, ut conſtat ex ejus actis, & potiùs intruſus, quàm electus ſit, accedente tamen Eccleſiæ conſenſu legitimus Pontifex fuit: ſatius quippe viſum eſt, Pontificem colere quamvis penè puerum, nec legitimis ſuffragiis electum, quàm ſchiſmate unitatem Eccleſiæ ſcindere. Primus iſte fuit, qui in Pontificatu nomen mutaverit, & ex Octaviano Joannes dici voluerit. Ordinatus eſt autem poſt diem 20 menſis Auguſti anno nongenteſimo quinquageſimo ſexto, ut numero ultimo Pontificatûs Agapeti II ejus deceſſoris oſtenſum eſt.

II. *In Principem Capuanum bellum movet.*

Poſtero anno, qui fuit Chriſti nongenteſimus quinquageſimus ſeptimus, Joannes Papa juvenili ardore ſpirans minarum & cædis militem ſcribit, auxiliares copias ex Spoletano Ducatu conducit, ducitque adversùs Pandulphum Principem Capuanum, qui auxilio fretus Giſulphi Principis Salernitani, Joanni reſtitit, atque in fugam actum ad propria remeare coëgit. Ad quem poſtea ipſe Joannes pacis legationem miſit, quam benigno Princeps ſuſcipiens animo, eidem fœdere junctus eſt. Hæc refert Baronius ex Hiſtoria Longobardorum Principum, Beneventanorum, & aliorum, quam antiquitus ſcriptam, aſſervatam fuiſſe ſuo tempore ait in Columnenſi Bibliotheca.

III. *Reſcriptum emittit pro monaſterio Humolarienſi.*

Cùm Sanctimoniales Humolarienſis Monaſterii, in quo Sancta Hunegundis virgo quieſcit & colitur, non ſatis honeſtè viverent, & regulari diſtrictioni ſubjici nollent, Ludovicus Traſmarinus Franciæ Rex, favente Regina, Artaldo Remenſi Archiepiſcopo, aliiſque conſulentibus, Moniales ex illo monaſterio removit, eamdemque Abbatiam Abbati Regulari in perpetuum conceſſit anno 948, ut conſtat ex diplomate ejuſdem Regis eo anno dato, & à Mabillonio Sæculo II Benedict. recitato. Lotharius autem Ludovici Regis filius & ſucceſſor poſtulavit à Joanne Papa XII, ut quod à patre factum fuerat, Apoſtolica auctoritate fulciret, obtinuitque ab eo literas eodem Sæculo Benedictino pag. 1025 recitatas, quibus præcipit ut præfatam Abbatiam nemo unquam ſæcularium poſſideat, neque ex rebus ejuſdem quidquam ſibi aliquis uſurpet. In earum fine legitur: *Scriptum per manum Leonis Sacri Scrinii .... Sanctæ Sedis Apoſtolicæ in menſe Janu. pro indict. 14, datum 4 nonas Januarii per manum Georgii Secundi Epiſcopi Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, anno primo Domino propitio Pontificatûs D. Joannis S. P. & univerſalis Papæ*. Sed loco, *Indict.* 14, legendum *Indict.* 15, quæ in curſu erat menſe Januario anni 957; nam eo menſe, anno 956 Joannes XII nondum Pontificatum adeptus erat. De elevatione corporis Sanctæ Hunegundis agit Baronius anno 946. Eſt porrò Humolarienſe monaſterium, vulgò *Humblieres*, prope muros Auguſtæ Veromanduorum ad Suminam.

IV. *S. Dunſtanum Epiſc. Cantuar. Pallio donat.*

Sanctus Dunſtanus anno nongenteſimo quinquageſimo nono ad Cantuarienſis Eccleſiæ Epiſcopatum promotus, anno inſequenti Romam ad Apoſtolorum limina perrexit, Pallium à Joanne Papa petiturus, quod & obtinuit, ut teſtatur Willelmus Malmesburienſis lib. 1 de Geſtis Pontif. Angl. in Dunſtano, & Rogerius Hovedenus pag. 425 ſcribens: *Anno 960 Sanctus Dunſtanus ad Romuleam urbem profectus, indictione tertia Pallium à Joanne Papa ſuſcepit, ſicque per pacis itinera ad patriam remeavit*. Epiſtolam à Joanne Papa Dunſtano pro Pallio conceſſam, quæ mutila eſt apud Malmesburienſem laudatum pag. 212, in-

Digitized by Google

integram invenit Mabillonius, recitatque ſæculo V Benedictino in Obſervationibus præviis ad vitam S. Dunſtani.

V. *Ottonem Regem Germaniæ in Italiam vocat.*

Inter hæc cùm Joannes Papa multa indigna pateretur à Berengario Italiæ Rege, ejuſque filio Adelberto, à Patre in regni ſocietatem aſcito, Legatos miſit ad Ottonem Germaniæ Regem, Joannem Diaconum Cardinalem, & Azonem Scrinarium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, vocans eum ad defendendam Italiam, & Romanam Eccleſiam ab eorum tyrannide. Id ſi faceret promittens, ſe illum Auguſtalibus inſignibus ornaturum, ac Imperatorem Romanorum appellaturum, quæ dignitas vacabat à morte Berengarii Senioris. Hæc pluribus apud Luitprandum lib. 6, & Continuatorem Reginonis. Porrò ſic vocavit Joannes Papa Ottonem in Urbem, ut ante Legatis Sedis Apoſtolicæ ille juramento promitteret, ſibi, Romanæque Eccleſiæ fore benè conſulturum, omniaque Romanæ Eccleſiæ bona à tyrannis ſublata reſtituere. Quibus, juramento dato, Otto conſenſit, cujus formam decreto ſuo inſeruit Gratianus Diſtinct. 63 cap. *Tibi domino Joanni*. Ejus etiam promiſſionis meminit ipſe Joannes Papa apud Luitprandum laudatum, cùm per Legatos ad Ottonem miſſos, inſimularet ſervata ſibi non eſſe promiſſa.

VI. *In Imperatorem coronatur.*

Anno nongenteſimo ſexageſimo primo, Otto Rex in Italiam ire diſponens, Ottonem filium ſuum puerum ſeptennem Aquiſgrani in die Pentecoſtes Germaniæ Regem inungi fecit, & cum exercitu per Bavariam & Tridentinum in Italiam perrexit, ubi omnes penè Italiæ Epiſcopos & Comites obvios habuit, & nullo obſiſtente Papiam intravit, Berengario cum Willa uxore, filiiſque ſe in Caſtellis includentibus. Solemne Chriſti Natalitium Papiæ Otto celebravit, indeque cum lectiſſimo exercitu Romam perrexit, ut coronam Imperii à Joanne Papa promiſſam acciperet. Hæc conſtant ex Continuatore Reginonis, & Luitprando, paucíſque verbis perſtringuntur à Lamberto Schafnaburgenſi ad annum 962. *Otto Rex*, inquit, *perrexit Romam, eumque Joannes Papa gratanter ſuſcipiens, honorificè ſuper Cathedram Auguſtalem poſuit, & benedictione atque conſecratione ſua Imperatorem fecit*. Luitprandus ait, Ottonem miro ornatu, miroque apparatu ſuſceptum eſſe ab eodem Summo Pontifice, cui non ſolùm propria reſtituit, verùm etiam ingentibus auri & argenti gemmarum muneribus ipſum honoravit. Juſjurandum verò ab eodem Papa Joanne ſupra pretioſiſſimum corpus Sancti Petri, atque omnibus civitatis Proceribus, ſe nunquam Berengario atque Adelberto auxiliaturum, accepit. Hæc porrò Ottonis coronatio facta eſt ante diem 13 menſis Februarii ejuſdem anni nongenteſimi ſexageſimi ſecundi; eo enim die Otto diploma emiſit, de quo mox, in quo ſe Imperatorem vocat.

VII. *Otto Eccl. Rom. ablata reſtituit.*

Otto primus fuit ex Germanis, factis Imperii inſignibus & infulis exornatus, qui ſtatim Joanni Papæ oppida Eccleſiæ ad id tempus recuperata reſtituit, ut conſtat ex ejus diplomate, cujus autographum Romæ in caſtello Sancti Angeli aſſervari, ſcribit Baronius, dato *anno Dominicæ Incarnat. nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, indictione quinta, menſe Februarii, decimo tertio die ejuſdem menſis, anno verò domni Ottonis imperii invictiſſimi Imp. vigeſimo ſeptimo*. Erat quidem tum annus tantùm vigeſimus ſextus regni ejus Germanici, ſed in hoc diplomate annus primus Imperii, cum anno regni ejus 26 conjugitur, ſicque fit annus vigeſimus ſeptimus, cujus rei ſimile exemplum affert Annotator Baronii anno 853 num. 12, *per hoc noſtræ delegationis pactum*, inquit in eo diplomate Imperator, *confirmamus donationes, quas piæ recordationis Domnus Pippinus Rex, & poſtea Domnus Carolus excellentiſſimus Imperator B. Petro Apoſtolo ſpontanea voluntate contulerunt*. Quibus ex verbis Donatio à Ludovico Pio Romanæ Eccleſiæ facta ſuppoſititia demonſtratur, cùm ejus nulla fiat mentio, ubi facienda erat.

VIII. *Decernit ut Pontifex Romanus coram Legatis Cæſareis ordinetur.*

In eodem diplomate apud Baronium hæc verba leguntur: *Salva in omnibus poteſtate noſtra & filii noſtri, poſterorumque noſtrorum; ſecundùm quod in pacto & conſtitutione ac promiſſionis firmitate Eugenii Pontificis, ſucceſſorumque illius continetur, ideſt: Ut omnis Clerus, & univerſa populi Romani nobilitas propter diverſas neceſſitates, Pontificum irrationabiles erga populum ſibi ſubjectum aſperitates retundendas, Sacramento ſe obligent, quatenus futura Pontificum electio [quantum uniuſcuiuſque intellectus fuerit] canonicè & juſtè fiat; ut & ille qui ad hoc ſanctum atque Apoſtolicum regimen eligitur, nemine conſentiente conſecratus fiat Pontifex, priuſquam talem in præſentia Miſſorum noſtrorum, vel filii noſtri, ſeu univerſæ generalitatis faciat promiſſionem pro omnium ſatisfactione, atque futura conſervatione, qualem dominus & venerandus ſpiritualis pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur*. Ubi Otto loquitur de Leone IV, qui, ut oſtendit Annotator Baronii ad annum 847 num. 9 & ſeqq. decrevit, ut Romani Pontificis electio juſtè fieret, ac ſecundùm mores antiquos, ſcilicet, ut electus Pontifex non conſecraretur, niſi coram Miſſis Imperatoris, quod Eugenium jam antea decreto ſuo ſtatuiſſe, ſuo loco diximus. Idem poſtea ſtatuiſſe Sanctum Henricum Imperatorem viſuri ſumus.

Româ

Digitized by Google

Româ ſtatim Papiam rediit Imperator, ibique, teſte Reginonis Continuatore, Paſcha, quod anno 962 die trigeſima Martii contigit, celebravit.

IX. *Joannes PP. reſpondet ad Synodi Meldenſis conſultationem.*

Artaldus, qui in Concilio Engelheimenſi, ſeu Ingelheimenſi ſub Agapito II in Remenſem ſedem reſtitutus fuerat, Hugone ejuſdem Eccleſiæ invaſore expulſo, anno 961 mortuus eſt. Poſt cujus obitum adnitentibus quibuſdam Epiſcopis, ut Hugoni vacua jam ſedes redderetur: res diſcuſsa eſt in Concilio XIII Epiſcoporum, qui ad Matronam fluvium in pago Meldenſi convenerunt ſub medium menſis Aprilis anni 962. Sed quia Hugo in dicta Synodo Ingelheimenſi, præſide Marino Sedis Apoſtolicæ Legato, exauctoratus, & anathemate confixus fuerat, illiuſque Synodi Acta idem Agapetus II confirmaverat, Meldenſis Synodi Præſules, nihil ſibi de hac cauſa, inconſulto Romano Pontifice, ſtatuere auſi ſunt, ſed Joannem XII conſuluerunt, qui Hugonem rejiciendum reſpondit: *Legatio*, inquit Flodoardus in Chronico, *veniens ab Joanne Papa intimat præfatum Hugonem quondam Epiſcopum, tam ab ipſo Papa, quàm ab omni Romana Synodo excommunicatum. Sed & ab alia Synodo apud Papiam celebrata. Cujus legationis redditi certiores per Brunonem Archiepiſcopum, elegimus ad Epiſcopium Remenſe Odalricum illuſtrem Clericum*, quem Remis ordinatum ſcribit.

X. *Ottone Imp. Romam veniente Joannes PP. fugit.*

Intereà cùm Adalbertus Italiæ Rex, Berengarii pariter Regis filius huc illucque cum copiis diſcurreret, & Joannem Pontificem multipliciter in ſuum adjutorium ſollicitaret, Otto Imperator poſt Paſcha anni 963 Berengarium in Monte Sancti Leonis obſedit, totamque ibi æſtatem ſedens, ſepe Montem undique circumdedit, & ne aliquatenus pateret exitus, vel introitus prohibuit. Sed cùm Joannes Pontifex promiſſiones Imperatori factas oblivioni tradens, ab eo defeciſſet, & Adalbertum Romam intromiſiſſet, Imperator relicta obſidione cum exercitu Romam verſus perrexit: cujus Pontifex & Adalbertus metuentes adventum, plurimum theſaurum Sancti Petri rapientes fugæ ſubſidia petierunt. Tunc Româ in duas partes diviſâ, licèt quidam ab Imperatoris, alii à Joannis Papæ partibus ſtarent, omnes tamen Imperatorem cum honore debito in Urbem intromittunt, ſeque datis obſidibus, illius ditioni ſubjiciunt. Imperator plurimorum Epiſcoporum collecta multitudine Synodum coadunavit, & conſilio eorum, miſſa legatione, Pontificem profugum ad Apoſtolicam Sedem revocavit. Hæc conſtant ex continuatore Reginonis, qui ſubdit:

XI. *In pſeudo-Synodo Rom. deponitur.*

Illo tamen (nempè Joanne XII) *hoc omnibus modis renuente plebs Romana Leonem protoſcrinarium, virum ſtrenuum & induſtrium communi conſenſu in locum ejus elegit, & ordinavit: cui Synodo interfuerunt omnes propè Romani, & Italiæ Epiſcopi: Angelfredus etiam Aquilejenſis Patriarcha, qui tunc temporis etiam ibidem obiit. Sed & de noſtratibus interfuerunt Adaldagus* (Hamburgenſis) *& Henricus* (Trevirenſis) *Archiepiſcopi, Landuvardus* (Mindenſis) *& Otgerus* (Spirenſis) *Epiſcopi. Poſtea Joannes, qui & Octavianus, videns ſe eſſe depoſitum, ſera pœnitentia ductus, Adalberto disjungitur; Adalbertus verò ultrò in Corſicam revertitur.* Sed hanc Joannis Papæ exauctorationem, ab Ottone Imperatore, & à pſeudo-Synodo Romana tentatam, nullam fuiſſe & illegitimam pluribus oſtendit Baronius ad annum 963. Conciliabulum illud Romanum habitum eſt *Octavo Idus Novembris*, ut patet ex Epiſtola Synodica. Sedit itaque Joannes Papa ante exauctorationem annos ſeptem, & duos circiter menſes.

XII. *Leo VIII. in ejus locum ordinatur.*

Leonem autem hujus nominis VIII ordinatum eſſe Romanum Pontificem, ſeu potius Antipapam die ſexta Decembris ejuſdem anni nongenteſimi ſexageſimi tertii deducit Papebrochius ex Vita Joannis XII adhuc inedita, à Petro Bibliothecario ſcripta, in qua hæc verba leguntur: *Conſecraverunt eum* (ſcilicet Leonem) *Romanum Pontificem menſe Decembris in Lateranenſi palatio*. Quod extra dubium ponit privilegium Rodoaldo Sanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ Patriarchæ *datum in ſacratiſſima æde Petri Apoſtoli Idibus Decembris anno Pontificatûs Leonis primo, imperante Ottone anno II*; nulla enim eſt dies Dominicalis ante ſextum diem Decembris, quo menſe datum eſt privilegium, præter diem ſextum, ideoque eo die Leo, natione Romanus, ordinatus eſt Pontifex.

XIII. *Joannes XII à viris cæditur.*

Sequenti anno, nongenteſimo ſexageſimo quarto, Otto Imperator Berengarium in Monte Leonis obſeſſum cum uxore Willa cœpit, & in Bavariam miſit. Romani interim ab Imperatore defecerunt, ſed eorum inſidiis patefactis, obſides dederunt, & ſupra corpus Sancti Petri ſub jurejurando fidelitatem Imperatori promiſerunt. Cùmque poſtea idem Imperator Spoletinum, & Camerinum Ducatus ordinaturus exiſſet, non longè illo ab Urbe poſito, Joannem Pontificem in eam intromiſerunt. *Leo verò Papa*, inquit Continuator Reginonis, *vix cum paucis facultatum omnium nudus evaſit, & Imperatorem in Camerino Ducatu poſitum adiit, ibique Paſcha celebravit. Joannes autem, qui & Octavianus, Joannem Diaconum & Azonem Scrinarium crudeliter detruncavit, & Otgerum Spirenſem Epiſcopum comprehenſum, & flagellatum, aliquando licèt incommodè ſecum detinuit: ſed poſtea ſtatim tum ſpe impetrandæ ab Imperatore*

venia

Digitized by Google

veniæ remiſit. Quæ ſpes eum divina ordinatione fefellit. Nam II Idus Maij rebus humanis exceſſit. Joannes itaque XII, quem poſt diem 20 menſis Auguſti anni 956 ordinatum vidimus, ſedit uſque ad diem 14 menſis Maii anni 964, ideoque annos ſeptem menſes circiter novem.

SÆC. X. JOANNES XII.

LEO VIII Anti-Papa.

Anno Domini DCCCCLXIII.

I. *Leo VIII Joanne defuncto Romam redit.*

JOanne Papa hujus nominis XII in pſeudo-Synodo Romana, menſe Novembri anni 963 celebrata, Sede dejecto, Leo hujus nominis VIII, natione Romanus, S.R.E. Protoſcrinarius, ordinatus eſt in ejus locum, & quidem, ut in ejuſdem Joannis Pontificatu oſtendimus, die ſexta Decembris ejuſdem anni. Sed, ut ibidem diximus, Joanne, anno 964 Romam reverſo, Leo fugere coactus eſt. Cùmque Joannes die 14 Maii ejuſdem anni obiiſſet, Romani elegerunt in Romanum Pontificem Benedictum Romanæ Eccleſiæ Diaconum, eumque ordinatum Apoſtolicæ Sedi impoſuerunt. Joannes ante mortem, Romæ die 26 Februarij Synodum celebraverat, in qua Concilium ab Ottone, ipſique devotis Epiſcopis habitum, damnatum fuerat, ceu *proſtibulum favens adultero, invaſori ſcilicet alienæ ſponſæ*, Leoni VIII. In eadem Synodo damnatus fuerat Leo Antipapa, ſicuti & Epiſcopi, qui ipſum ordinaverant.

II. *Benedictum V à Sede dejicit.*

His non obſtantibus Otto Imperator, defuncto Joanne Papa, irâ inflammatus, quòd Romani Benedictum Pontificem ordinaſſent, cum eodem Leone Romam perrexit. Leo verò Conciliabulum ſtatim celebravit, in quo Pallium Benedicto abſtulit, & ſimul Pontificalem ferulam, quam manu geſtabat, quam ferulam idem Leo *fregit & fractam populo oſtendit. Deinde Benedictum in terra ſedere præcepit: cui caſulam, quam planetam vocant, cum ſtola pariter abſtulit. Poſt autem omnibus Epiſcopis dixit: Benedictum Sanctæ & Apoſtolicæ Sedis Romanæ invaſorem omni Pontificatûs & Presbyteratûs honore privamus: ob eleemoſinam verò Domini Imperatoris Ottonis, cujus ſumus operâ in ſedem debitam reſtituti, Diaconatûs eum ordinem habere permittimus, & non jam Romæ, ſed in exilium deſtinamus.* Ita habet Luitprandus lib. 6 cap. XI. Facta ſunt autem hæc die IX Kalendas Julii, quo Imperator Romam introiit, ut ſcribit Continuator Reginonis. Ex illo Conciliabulo conſtat, Leonem VIII prætexuiſſe ordinationem Benedicti V non fuiſſe legitimam, quia conſecratus fuerat contra decretum Ottonis Imperatoris, quo jubebatur, ut nullus conſecraretur Pontifex Romanus, præterquam in præſentia Miſſorum Cæſareorum; verùm in ejus Pontificatu oſtendemus, Romanos in ea ordinatione non peccaſſe.

III. *Infelix Eccleſiæ Rom. ſtatus.*

Infelicem hoc tempore Eccleſiæ Romanæ conditionem his verbis deſcribit Gerbertus Archiepiſcopatûs Remenſis invaſor, poſtea Papa ſub Silveſtri II nomine, in Actis Synodi Remenſis: *Vidimus*, inquit, *Ioannem cognomento Octavianum in volutabro libidinum, etiam contra eum Ottonem, quem Auguſtum creaverat, conſpiraſſet: quo fugato, Leo Neophytus* [dicitur laicus a Sigeberto in Chronico] *in Pontificem creatur: Sed Ottone Cæſare Româ diſcedente, Octavianus Romam redit, Leonem fugat, multâque cæde Primorum in Urbe debacchatus citò moritur. Cui Benedictum Diaconum, cognomento Grammaticum, Romani ſubſtituunt. Eum quoque Leo Neophytus cum ſuo Cæſare non multò poſt aggreditur, obſidet, capit, deponit, perpetuoque exilio in Germaniam dirigit.*

IV. *Nomen Salomonis loco nominis Papæ uſurpatum.*

In hac temporum caligine, & perplexitate, cùm duo aut tres viverent Papæ dicti, Aquitani, ut obſervavit Joannes Beslius in Hiſtoria Pictavienſium Comitum, & Ducum Aquitaniæ pag. 136, & poſt eum Papebrochius in Leone VIII, cùm vellent annum Pontificatûs conjungere cum annis Regis Francorum, loco nominis Pontificis, *Salomonis* nomen apponebant, ſive, ut ſignificarent Deum eſſe, cujus ſuprema ſapientia Eccleſiam regat, & Apoſtolicam Sedem conſervet, ſive ob aliam quamcunque cauſam, eos ad hujuſmodi formulam uſurpandam, inducentem. Hinc reperitur diploma *datum menſe Martio, feria III, Luna XXIV, Lothario Rege, Salomone regnante* anno 964. Poſt hæc autem cùm Benedictus & Bonifacius, uterque VII unitatem Eccleſiæ iterum diſtraxiſſent, aliud ſcriptum, in quo legitur: *Datum menſe Junio regnante Lothario Rege anno D. N. Jeſu Chriſti 974 Salomone Papa*. Ac denique tertium ſcriptum, contendentibus de Papatu Gregorio V, & Joanne XVI, in quo habetur: *Datum menſe Februario, regnante Hugone Rege, anno ab Incarnatione Domini Jeſu Chriſti 996, Salomone Papa*. Hæc porrò formula, *Salomone regnante*, vel, *Salomone Papa*, coincidere mihi videtur cum ea, de qua in Marino II locuti ſumus, *regnante Domino noſtro*, vel *Chriſto regnante*, de qua

Digitized by Google

qua idem Beſlius laudatus pag. 123.

V. *Leonis VIII Antipapæ obitus.*

Pontificatu malè uſurpato diu potitus non eſt Leo VIII, anno enim nongenteſimo ſexageſimo quinto, ex Reginonis Continuatore, ſupremum diem obiit, & quidem ineunte circiter menſe Martio; cùm enim ordinatus fuerit die ſexta Decembris anni nongenteſimi ſexageſimi tertii, & ex Mariano Scoto, ac Auctoribus Catalogorum ſederit annum unum, & menſes tres, pervenit ad initium Martii anni nongenteſimi ſexageſimi quinti. Etſi verò verus Pontifex non fuerit, dicendus eſt tamen Leo ordine VIII, ut eum vocant Antiqui, & ſupponit Sanctus Leo ſequens, qui non octavus, ſed nonus hujus nominis ab omnibus ſemper dictus eſt, quod in cauſa fuit, cur Leonem hunc, licèt Antipapam, octavum tamen nomine etiam appellaverimus.

VI. *Conſtitutio de inveſtituris ei falsò attributa.*

In Leonis VIII Pſeudo-Synodo Romana edita fertur Conſtitutio, qua Ottoni Imperatori, ejuſque ſucceſſoribus conceſſa eſt in perpetuum facultas eligendi Romanum Pontificem, & inveſtituras Epiſcopis tribuendi. Hanc Conſtitutionem Goldaſtus Tomo I Conſtitut. Imperial. ex Gratiano diſtinct. 63 cap. 23, Theodorico Niemo, & aliis refert, pluribuſque defendit. Imò Marca lib. 8 de Concordia capp. 12, & 29 à Leone VIII datam fuiſſe contendit. Verùm Baronii argumentis non reſpondet, quorum primum petitur à falſitate ſimilis conceſſionis ab Hadriano I Carolo Magno factæ & in prætenſa Leonis VIII Conſtitutione memoratæ, quaſi verè eam Hadrianus emiſiſſet; cùm ergo hujus falſitatem ex ipſomet Marca in Hadriano oſtenderimus, Baronii argumenta adverſus Leoninam nobis non poſſunt non probari. Quoad exemplar ejuſdem Conſtitutionis Leonis VIII à Theodorico Niemo, qui circa annum 1410 vixit, relatum, illud ab imperito quodam ſchiſmatico circa hujus ſæculi decimi finem excogitatum eſſe, multis probat Annotator Baronii, quæ apud ipſum legi poſſunt, pudet enim in refutatione tam putidi figmenti immorari.

BENEDICTUS V *Pontif. CXXXIV.*

Anno Domini DCCCCLIV.

I. *Benedictus V ordinatur renitente Imp.*

POſt mortem Joannis XII, quæ, ex dictis, die 14 Maii anni 964 contigit, cùm Otto Imperator veniſſet in civitatem Reatinam, *Romani nuntii ante ſuam præſentiam venerunt, qui ei mortem ſceleratiſſimi Joannis nunciaverunt, & de electione Benedicti Diaconi rogaverunt, ſed nihil ab eo obtinere potuerunt, taleque ab eo reſponſum acceperunt: Quando dimiſero enſem meum, tunc dimittam ut dominum Leonem Papam in cathedra ſancti Petri non reſtituam. Nuntii verò reverſi, ſine conſenſu & voluntate Imperatoris eundem Benedictum Diaconum in Romanum Pontificem* (*ordinaverunt*). *Quod audiens Imperator* &c. inquit Petrus Bibliothecarius in Vita Joannis XII adhuc inedita apud Papebrochium. Idem refert Chronographus Farfenſis mox laudandus. Benedictus itaque cognomento *Grammaticus*, ut vocatur in Actis Synodi Remenſis in Leonem VIII laudatis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus, natione Romanus circa finem menſis Maii ejuſdem anni 964 ordinatus eſt Pontifex, poſt reditum Legatorum Romanorum ex civitate Reatina.

II. *Leoni Antipapæ traditus deponitur.*

Ordinationem Benedicti V *audiens Imperator magis in furore, & irâ exarſit: undique circumvallavit civitatem Romanam, per diverſas civitates, & oppida cæpit deprædari, incendere, atque vaſtare, & funditus diſſipare; & in tantam penuriam, & captivitatem eam adduxit, ut modius furfuris venundaretur triginta denariis. Conſternati autem & afflicti Romani, & tam peſſimum malum ſufferre non valentes, innocentem Benedictum Imperatori tradiderunt, & dominum Leonem in Romanam, & Apoſtolicam Sedem ſuſceperunt ſpondentes ei obedientiam & domino Imperatori ſuper corpus B. Petri Apoſtoli*, inquit Petrus Bibliothecarius mox laudatus: Chronographus Farfenſis apud Ducheſnium Tomo 3 eadem prorsùs habet: *Romanorum Nuntii ad eum* (ſcilicet Ottonem) *in civitate Reatina venerunt, mortemque Joannis intimantes, Benedictum ei Diaconum petierunt, ſed minimè obtinére valuerunt. Revertentes autem Legati eundem elegerunt Benedictum ſine conſenſu Imperatoris. Unde Imperator magis irâ exarſit, & civitatem undique gyravit, & in tantam penuriam adduxit, ut modius furfuris venderetur triginta denariis. Coanguſtati verò Romani Innocentem Benedictum Imperatori tradiderunt, & Domnum Leonem Papam coacti receperunt, ſpondentes ei & Domino Imperatori ſuper corpus B. Apoſtoli Petri.*

III. *Ejus ordinatio fuit Canonica.*

Porrò electionis, & ordinationis Benedicti V validitas in dubium revocari non poteſt, licèt coram Legatis Cæſareis, ut Ottonis Imperatoris Conſtitutio ferebat, conſecratus non fuerit; Romani enim, mortuo Joanne XII, cùm viderent, Leonem VIII in locum Joannis contra ſacros

Digitized by Google

cros canones depoſiti ordinatum, non eſſe legitimum Pontificem, antequam tamen ad novi Pontificis electionem procederent, de electione à ſe facienda Imperatorem per Legatos monuére, qui cùm Antipapam palam foveret, & libertatem electionis, quæ fuerat fundamentum Conſtitutionis ab eo datæ, tolleret, Benedictum V eligere, eumque conſecrare, Imperatore etiam diſſentiente, potuére, ut Ditmarus, qui hoc ipſo tempore vivebat, lib. 2 rectè ſenſit, & ipſemet Otto Imperator innuit; conſenſit enim, ut reſtitueretur in Sedem, poſt mortem Leonis VIII, quod tamen Benedicti mors impedivit. Hæc Annotator Baronii ad annum *999*.

IV. *Benedictus PP. Hamburgum relegatur.* Benedictus itaque V in Conciliabulo Romano à Leone VIII Antipapa depoſitus, ut ſuperius dictum eſt, Adaldago Hammaburgenſi Archiepiſcopo ab Ottone Imperatore traditus eſt cuſtodiendus, ut refert Adamus Bremenſis lib. 2 cap. 6. *Reverſus autem*, inquit, *Archiepiſcopus in patriam, duxit in comitatu ſuo Benedictum Papam ordinatum, ſed ab Imperatore Ottone depulſum, quem ille in Hammaburg cuſtodiæ mancipari præcepit: Archiepiſcopus verò magno cum honore uſque ad obitum ejus detinuit. Nam vir ſanctus, literatuſque dicitur fuiſſe, & qui dignus Apoſtolica Sede videretur à populo Romano, niſi quòd per tumultum electus eſt, expulſo eo, quem ordinari juſſerat Imperator. Igitur apud nos in ſancta converſatione vivens, alioſque ſanctè vivere docens, cùm jam, Romanis poſcentibus, à Cæſare reſtitui deberet, apud Hamburg in pace quievit. Tranſitus ejus quarto nonas Julii contigiſſe ſcribitur.*

V. *Peſtis in exercitu Imp. ob exilium Benedicti PP.* Benedicto Papa Hamburgum relegato, Imperator Româ diſceſſit, ſed Dei vindicis pœnam non evaſit; nam ut ſcribit Luitprandus, *tanta exercitum ejus peſtis & mortalitas invaſit, ut vix ſanus quis à mane uſque ad veſperam, & à veſpere uſque ad mane ſe victurum ſperaret.* Ditmarus etiam in Chronico lib. 2 peſtem immiſſam ob exilium Benedicti teſtatur, ut potè injuſtè depoſiti. Antea autem ſcripſerat: *Romanorum præpotens Imperator Otto ſecundus* (ſic appellat Ottonem Magnum reſpectu habito ad ejus avum patrem Friderici, Ottonem pariter nominatum) *Valentiorem ſibi in Chriſto, Dominum Apoſtolicum Benedictum nomine, quem nullus abſque Deo* (ideſt præter Deum) *judicare poteſt, injuſtè, ut ſpero, accuſatum deponi conſenſit, &, quod utinam non feciſſet, exilio ad Hamaburg relegari præcepit.* Iniquam certè fuiſſe ſanctiſſimi hujus Pontificis depoſitionem, ex eodem Ditmari Chronico conſtat; in eo enim lib. 3 ſcribit apud Baronium anno *999*: *Raco* electus Bremenſis Epiſcopus *juſſu dilecti ſenioris ſui*, nempe Ottonis tertii Imperatoris, *oſſa ſupradicti Papæ Benedicti, ſicut ipſe prælocutus eſt, de Hamburg Romam reduxit. Namque pater venerabilis, Dominus, inquam, Apoſtolicus, dum in exilio eſſet in Chriſti ſervitio ſtudioſus, & adhuc Aquilonaris hæc pars optata pace gauderet: hic, inquit, fragile corpus meum debet reſolvi; & poſt hæc omnis iſta regio gentili gladio deſolanda, feriſque inhabitanda relinquetur, & ante tranſlationem meam non videbit indigena pacem firmam; quandocumque verò domi reſideo, Apoſtolica interceſſione, paganos quieſcere ſpero.* Quæ omnia, ut prædixit Sanctus Pontifex, eſſe ſecuta legitur in eodem Ditmari Chronico.

VI. *Benedictus PP. ad Deum tranſit.* Ex his patet Benedictum Papam Hamburgi objiiſſe anno nongenteſimo ſexageſimo quinto. Sed quoad diem mortis nihil ex Antiquis erui poteſt; ſolus Adamus Bremenſis laudatus ſcribit tranſitum ejus contigiſſe IV Nonas Julii. Quod autem ſpectat ad tempus, quo ſedit uſque ad depoſitionem, certum eſt errare Marianum Scotum, & Auctores Catalogorum, qui volunt eum ſediſſe menſes duos, & dies quinque, cùm conſtet eum electum poſt diem 14 Maji, Joannis XII emortualem, & depoſitum die 23 Junii ejuſdem anni nongenteſimi ſexageſimi quarti. Oſſa ejus, ex mox dictis, jubente Ottone III Imperatore, Hamburgo Romam reducta ſunt, in quam verò Eccleſiam ſacra hæc pignora delata fuerint, hactenus incompertum.

JOANNES XIII *Pontif. CXXXV.*

Anno Domini DCCCCLXV.

I. *Joannes XIII fit Papa.* Leone VIII Antipapa, ineunte circiter menſe Martio anni nongenteſimi ſexageſimi quinti demortuo, *Legati Romanorum, Azo videlicet Protoſcrinarius, & Marinus Sutrienſis Eccleſiæ Epiſcopus Imperatorem pro inſtituendo, quem vellet, Romano Pontifice in Saxoniam adeuntes, honorificè ſuſcipiuntur, & remittuntur, & Otgerus Spirenſis Epiſcopus, & Linzo* (alii legunt Luitprandus) *Cremonenſis Epiſcopus cum iiſdem Romam ab Imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Joannes Narnienſis Epiſcopus eligitur, Sedique Apoſtolicæ Pontifex intronizatur*, inquit Continuator Reginonis. Romani petierunt quidem, ut Benedictus V in Sedem

Digitized by Google

reſtitueretur, & Otto Imperator conſenſum præbuerat, ut ſupra ex Adamo Bremenſi diximus; ſed cùm inter hæc Benedictus obiiſſet, Joannes, natione Romanus, ex patre Joanne Epiſcopo, Narnienſis & ipſe Epiſcopus, inthronizatus eſt, & coronatus Pontifex hujus nominis XIII, die prima menſis Octobris, quæ eodem anno nongenteſimo ſexageſimo quinto cum dominica concurrebat. Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ ſcribit, hunc Pontificem antea appellatum fuiſſe Sergium, ſed refellitur ex Luitprando lib. 6, cap. xi, ubi ait, eum Joannem dictum, & Joannis XII legatione functum apud Ottonem Imperatorem.

II. *Roma pellitur.*

Statim ac Joannes XIII Pontificatum ſuſcepit, *majores Romanorum elatiore animo quàm oporteret inſequitur, quos in brevi inimiciſſimos & infeſtos patitur. Nam ab Urbis Præfecto & quodam Rotfredo comprehenditur, & Urbe expulſus in Campania cuſtodiæ mancipatur*, ſubdit Continuator Reginonis, cui refragari videtur Leo Oſtienſis innuens Joannem Papam non cuſtodiæ mancipatum, ſed à Pandulpho Principe Capuano honorificè receptum; libro enim 2 cap. 9 ſcribit: *Joannes Papa Romà pulſus exilio Capuam venit, & à memorato Principe Pandulpho rogatus, tunc primùm in eadem civitate Archiepiſcopatum conſtituit*. Hermannus Contractus Joannis Papæ reditum Romam malè quidem refert ad annum 969, ſed rectè ſcribit, eum *per decem & amplius menſes* in Campania afflictum fuiſſe, qui ideo Romam reverſus eſt circa finem anni nongenteſimi ſexageſimi ſexti.

III. *Capuam, Metropoli donat.*

Joannes Pontifex in Campania exiſtens, ad preces Pandulphi Principis Capuani, Capuam urbem Metropolica dignitate exornavit, ut ex laudatis Leonis Oſtienſis verbis manifeſtum eſt. Sirmondus quidem in ea, quam contra Salmaſium ſcripſit *Adventoria* exiſtimat, jam inde à Conſtantii Imperatoris temporibus Capuam fuiſſe Metropolim. Verum, ut Cantelius in Hiſtoria Metropolitanarum urbium parte 3 diſſert. 2 cap. 5, aliique obſervarunt, ejus rationes evincunt tantùm, Capuam fuiſſe Metropolim in ordine civili, non verò Eccleſiaſtico. In eo tamen fallitur Cantelius, quòd ſcribit anno tantùm nongenteſimo ſexageſimo octavo eam urbem à Joanne XIII Metropolica dignitate auctam, id enim ex citatis Leonis Oſtienſis verbis, quibus innititur Cantelius, refellitur, ut legere eſt in Baroniana Critica ad annos 965, & 968.

IV. *Legatum in Poloniam mittit.*

Licèt Sanctus Andreas Apoſtolus Scythiam Europæam, cujus appellatione univerſus Septentrio continetur, primus ex Achaja, Iſtro tranſmiſſo, ingreſſus, revelatæ à Chriſto veritatis lumen in Poloniam intulerit, ad Pontificatum tamen uſque Joannis XIII, annumque 965 nullus erat in Polonia, qui publico nomine religionem Chriſtianam palam profiteretur, ut oſtendit Stanislaus Lubienskius Epiſcopus Plocenſis in *Vitis & Serie Epiſcoporum Plocenſium*, ubi de initiis fidei in Poloniam introductæ diſſerit. Anno autem 965 *Mieciſlaus*, ſeu *Mieſco* Poloniæ Dux à Chriſtianis ſubditis ſuis, qui jam tum frequentes etiam ex Primoribus fidem Chriſtianam colebant, perſuaſus, primus ſe Chriſtianum Principem eſſe, palam profeſſus eſt, accepta eorumdem ſuaſionibus, in uxorem Dambrouca Boleſlai Bohemiæ Regis ſeu Ducis filia. Ubi iſta tam læta Joannes Pontifex accepit, ad Mieſconem Legatum miſit Ægidium Tuſculanum Epiſcopum, qui Ducem ac gentem in fide confirmaret, & ut Epiſcopales Sedes in Polonia conſtituerentur, ut teſtatur Chromerus in Hiſtoria Polonica. Licèt autem plures Epiſcopatus tunc inſtituti fuerint, Annotator tamen Baronii obſervat, Gueſnam non fuiſſe erectam in Metropolim ante annum milleſimum, & uſque ad illud tempus, tam eam, quam Cracoviam, aliaſque Sedes Epiſcopales hoc tempore erectas, Archiepiſcopo Moguntino ſubjectas fuiſſe, quidquid in contrarium dicant Polonicarum rerum Scriptores.

V. *Romam redit.*

Anno nongenteſimo ſexageſimo ſexto Otto Imperator Romam profectus eſt, ut teſtantur Continuator Reginonis, Lambertus Schafnaburgenſis, & Chronographus Hildesheimenſis. *Tunc Romani*, inquit Reginonis Continuator, *Imperatoris metuentes adventum, Rotfredo jam mortuo, è cuſtodia, qua tenebatur, Joannem Apoſtolicum abſolvunt, & veniam pro malis, quæ ei ingeſſerant, poſcentes, in locum & ſedem ſuam illum reſtituunt*. Romam itaque rediit Joannes XIII ſub finem ejuſdem anni, quo & Imperator Romæ Natalem Domini celebravit, *& excepto Præfecto Urbis, qui aufugerat, tredecim ex Majoribus Romanorum, qui auctores expulſionis Domini Joannis Papæ fuerant, ſuſpendio necare juſſit*, ut habet idem Continuator ad annum 967 quem à die nativitatis Chriſti anni 966 exorditur, ut alibi diximus.

VI. *Ravennæ Concilium celebrat.*

Imperator Romà anno 967 ſubdit, idem Auctor, *progrediens per Spoletum, Ravennam adiit: ibique Paſcha celebrans cum Domino Joanne Papa, plurimos ex Italia & Romania Epiſcopos coadunavit, & habita Synodo multa ad utilitatem Sanctæ Eccleſiæ adinvenit, & Apoſtolico Joanni urbem & terram Ravennatium, aliaque complura, multis retro temporibus, Romanis Pontificibus erepta, reddidit, eumque inde Romam cum magna lætitia remiſit*. Cùm enim Berengarius & Adalbertus ejus filius Italiæ Reges Exarchatum Ravennatenſem, & alia plura Eccleſiæ Romanæ abſtuliſſent, &

ea

Digitized by Google

ea reddi jam juſſiſſet Otto Imperator anno nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, eam reſtitutionem jam ante factam confirmavit. Habita eſt hæc Synodus Ravennatenſis in cauſa Eccleſiaſticæ diſciplinæ, in eaque Heroldus Salisburgenſis Archiepiſcopus, qui Eccleſias expoliaverat, theſaurum Paganis erogaverat, ſeque eis in Chriſtianorum necem & deprædationem junxerat, adversùs Imperatorem perduellis, qui licèt ob facinora excæcatus, & à Pontificibus Romanis Joannis XIII Deceſſoribus depoſitus, ſacris adhuc operabatur, excommunicatus eſt; & Fridericus in ejus locum electus, confirmatus eſt. Hic Heroldus idem eſt cum Gerardo, de quo in Agapeto II locuti ſumus.

VII. *Magdeburgum Metropolica dignitate ornat.*

In eadem Synodo Ravennæ celebrata, vel in alia ibidem anno nongenteſimo ſexageſimo octavo coacta, uti Auctor Criticæ Baronianæ oſtendit, Archiepiſcopatûs Magdeburgenſis inſtitutio facta, & Adelbertus, Monachus cœnobii Sancti Maximini Trevirenſis, Archiepiſcopus Magdeburgenſis dictus eſt, quem Romam pro Pallio à Joanne XIII ſuſcipiendo direxit Otto Imperator, ut teſtantur duo Chronographi Magdeburgenſes, quorum unus à Meibomio editus, alter verò adhuc ineditus eſt. Hæc poſterioris verba: Otto Imperator Adelbertum *Romam pro pallio à Domno Papa ſuſcipiendo direxit. Domnus autem Papa Joannes illius nominis XIII, & priùs Narnienſis Epiſcopus, juſtis petitionibus annuens, nihilque tarditatis impendens privilegio Apoſtolicæ auctoritatis eum dignum Archiepiſcopum decernens .... pallium ad miſſarum ſolemnia celebranda dedit anno Dominicæ Incarnat.* 968, *Indictione* 12, 15 *Kal. Novemb. hoc eſt in feſtivitate Sancti Lucæ Evangeliſtæ, anno Pontificatûs ipſius domni Joannis univerſalis Papæ quarto.* Idem habet prior Chronographus, qui addit, Joannem Papam ſanxiſſe Adelbertum *in ordine Eccleſiaſtico primatum habere omnium Eccleſiarum, Archiepiſcoporum, qui in Germania ſunt ordinati, in Gallia quoque Colonienſi, Trevirenſi Archiepiſcopis per omnia honore ſimilem eſſe*, &c. *Præterea ſtatuit eum eſſe Metropolitanum totius ultra Salam & Albiam Slavorum gentis tunc ad Deum converſæ, vel convertendæ, & ut ſecundùm deſiderium Imperatoris, in his civitatibus, in quibus olim barbari ritûs maxima viguit ſuperſtitio, ideſt, Cizi*, (vulgò Zeits) *Miſni* (vulgò Meiſſen) *Mersburg, Brandeburg, Pornam* (ſeu Poznan) *in honorem Domini Epiſcopia fundarentur, quorum Paſtores ſecundùm canonicam auctoritatem Magdeburgenſi Epiſcopo fidem & ſubjectionem debendo ſociarentur.* Quibus tamen ex verbis malè quis colligeret, omnes illos Epiſcopatus poſt Magdeburgenſem fundatos, cùm Epiſcopatus Brandeburgenſis circa annum 937 inſtitutus eſſet, ut habet Ditmarus lib. 3 pag. 32.

VIII. *Ottonem filium Ottonis Augusti Romam vocat.*

Continuator Reginonis, poſtquam mentionem fecit prioris Concilii Ravennatenſis anno 967 congregati, ſubdit: *Interea Papa Joannes & Imperator Regi Ottoni* (Ottonis Auguſti filio Germaniæ Regis) *litteras invitatorias miſerunt, & ut cum ipſis ad Natalem Domini Romæ celebrandum feſtinaret, juſſerunt. Tunc Rex pro diſponendis regni negotiis ante ſuum in Italiam iter, Wormatiam venit, ibique in primo ſuo Placito, Deo propitio, plurima futuræ prudentiæ ſimul & clementiæ indicia præmonſtravit .... Domino Imperatore in Italia commorante Legati Nicephori Græcorum Imperatoris Ravennæ ad eum venerunt, honorifica ſecum munera ferentes, & pacem ab eo vel amicitiam poſtulantes. Quibus honorabiliter ſuſceptis, decenterque remiſſis Dominus Imperator Nuncium ſuum eidem Græcorum Imperatori, pro conjungenda in matrimonium ſuo filio Regi Ottoni privigna ipſius Nicephori, filia ſcilicet Romani Imperatoris* (nempe Junioris, mariti Theophanonis, quam poſt illius mortem Nicephorus duxerat) *Conſtantinopolim dirigit: qui iterum eodem anno ante Natale Domini ad Imperatorem revertitur. Eodem anno, intrante Septembri menſe, Otto Rex Romam iturus decenti ſe comitatu egreſſus, memoriam Sancti Michaelis in Auguſta civitate celebravit.* Quibus verbis Auctor ille Continuationem ſuam abſolvens, de Ottone Juniori in conſortium Imperii à patre adſcito verba facere non potuit.

IX. *Eum coronat Imperatorem.*

Sed Ottonem Juniorem Germaniæ Regem eodem anno 967 in Chriſti Natalitiis à Joanne Papa coronatum eſſe Imperatorem aſſerit ipſemet Otto ſenior in literis, quas ſcripſit ad Germanos, quæ referuntur à Witichindo in fine libri 3, & à Baronio anno 968. *Filius noſter*, inquit, *in Nativitate Domini coronam à Domino Apoſtolico in Imperii dignitatem ſuſcepit. Scripta decimo quinto Kal. Februarii in Campania juxta Capuam.* Chronographus Hildesheimenſis eam etiam coronationem refert ad annum 967. *Ipſe Otto ſenior*, inquit ad eundem annum, *ſuſcepit eum* (nempe Ottonem filium) *& ſecum deduxit Romam, commendavitque illum Apoſtolico Joanni poſteriori, ut ab eo Auguſtalem benedictionem recepiſſet, ac Imperator Auguſtus foret appellatus à cunctis, qui eum agnoviſſent veluti Pater ejus.* Denique Lambertus Schafnaburgenſis, & Sigebertus Ottonem II anno 967 dictum Imperatorem disertè ſcribunt; licèt enim Sigebertus ejus coronationem conjungat cum anno 968, ab aliis tamen non diſcrepat, quia annum incipit à die Natalis Chriſti, à quo die ejus Imperii prima epocha deducitur, ut

Digitized by Google

ex pluribus ejus diplomatis conſtat.

X. *Sororem Bohemiæ Ducis Abbatiſſam conſecrat.*

Sancto Venceslao Bohemiæ Duce anno circiter 938 opera Drahomiræ matris, fœminæ in Chriſtianos immaniſſimæ occiſo, Boleslaus ejus frater, qui ambitione percipiendi principatûs, illius ſceleris cauſa fuerat, S. Venceslao ſucceſſit. Huic Boleslao, cui cognomen erat *ſævus* anno 967 Boleslaus cognomento *Pius* ſucceſſit *vir Chriſtianiſſimus, fide Catholicus, pater orphanorum, defenſor viduarum & Clericorum & peregrinorum, præcipuuſque Eccleſiarum fundator*, ut legitur in Chronico Magdeburgenſi MS. ad annum 967, à quo non diſſentiunt Æneas Sylvius in Hiſt. Bohem. cap. 15, & ſeq. Dubravius in Hiſt. Bohem. lib. 5, & Coſmas Pragenſis in Chronico Bohem. Chronographus verò Magdeburgenſis pergit. *Hujus fuit ſoror nomine Mlada, virgo ſacra, literis erudita, quæ cùm orationis gratia Romam veniſſet, & à Papa Joanne XIII hujus nominis benignè ſuſcipitur, ibique aliquandiu degens, monaſticis diſciplinis imbuitur. Dehinc Papa Conſilio Cardinalium, imò volens novæ Eccleſiæ ſubvenire, conſecrat eam Abbatiſſam, mutato nomine Mariam, dans ei Sancti Benedicti Regulam & Abbatialem virgam. Quæ Pragam rediens, & à fratre ſuſcepta, ei obtinuit literas Apoſtolici.*

XI. *Scribit ad eundem Ducem pro inſtitutione Pragenſis Epiſcopatus.*

Joannis Papæ literas *Boleslao Catholicæ fidei alumno* inſcriptas recitat Mabillon. Sæc. V Benedictino pag. 833 ex eodem Chronographo, in quibus inquit Pontifex: *Annuimus & collaudamus, atque incanonizamus, ut ad Eccleſiam Sancti Viti & Sancti Venezlai Martyrum fiat Sedes Epiſcopalis: ad Eccleſiam verò Sancti Georgii Martyris ſub Regula Sancti Benedicti, & obedientia filiæ noſtræ Mariæ ſororis tuæ, conſtituatur congregatio Monialium. Verumtamen non ſecundùm ritum, aut ſectam Bulgaricæ gentis, vel Ruziæ, aut Sclavonicæ linguæ: ſed magis ſequens conſtituta & decreta Apoſtolica, unum potiorem ad placitum Eccleſiæ totius, eligas in hoc opus Clericum, Latinis apprimè literis eruditum.* Narrat poſtea laudatus Chronographus, Eccleſiam Sancti Viti novo Epiſcopo decretam, ut juſſum fuerat à Joanne Papa, & Eccleſiam Sancti Georgii Abbatiſſæ, Ducis ſorori conceſſam: Dictmarumque Monachum, virum eloquentem ac literatum è Saxonia per Legatos evocatum, à Clero, Primatibus, & populo Epiſcopum Pragenſem electum, & ad Ottonem Imperatorem miſſum, ut in Epiſcopum Bohemis ordinaretur, qui à Willelmo ejuſdem Imperatoris filio, Archiepiſcopo Moguntino *conſecratus, in civitate Praga, modulante Clero & Duce, populoque concinente ſuſceptus, Eccleſias à fidelibus in multis locis conſtructas conſecravit, & multos gentiles baptizavit.*

XII. *A Joanne XIII Campanarum benedictio originem non ſumpſit.*

Baronius ad annum 968. num. 93 refert Joannem XIII Papam ſacris ritibus Deo conſecraſſe primariam Lateranenſis Eccleſiæ campanam miræ magnitudinis recèns ære fuſam, cui nomen Joannis Baptiſtæ impoſuit. *Qui ſacer ritus*, inquit, *in Eccleſia perſeveravit, ut eo modo, quo ipſe uſus eſt, campanæ in Eccleſiis collocandæ, Deo primùm, impoſito eis nomine, dicarentur.* Quibus verbis innuere videtur, benedictionem campanarum à Joanne XIII originem duxiſſe. Verùm Edmundus Martene lib. 2 de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 21 obſervat, ſignorum ſeu campanarum benedictionem antiquiorem in Eccleſia eſſe, in capitulario enim Caroli Magni anni 789 num. 18 ducentis ferè annis ante Joannem XIII, jubetur, *Ut Cloccæ non baptizentur.* Jam itaque Caroli Magni tempore uſus campanas benedicendi in Galliis & in Germania invaluerat. Addit Martene antiquos codices MSS. & Egeberti præſertim Pontificale, & Gellonenſe ejuſdem Caroli Magni tempore exaratum referre ritus & preces benedictionis, ſed nullos veteres codices Ritualium teſtari nomen alicujus Sancti campanis benedictis impoſitum fuiſſe, quod tamen Baronius ſcribit, teſtari veteres codices Rituales. Ea porrò benedictio dicitur adhuc baptiſmus, non quòd revera campanæ baptizentur eo baptiſmo, qui in remiſſionem peccatorum confertur: Sed quia præcipuæ, quæ in baptiſmo puerorum obſervantur ceremoniæ, in iis benedicendis peragantur, ut lotio, unctio, nominis impoſitio, quæ non tam baptiſmum, quàm baptiſmi ſigna & ſymbola repræſentare dicenda ſunt. Plura hac de re Edmundus Martene laudatus, & Lazarus Andreas Bocquillot in Tractatu Hiſtorico *de Liturgia ſacra*, ſeu *de Miſſa*, linguâ Gallicâ ſcripto, ubi de Campanis lib. 2 cap. 6 fusè agit. Legendus pariter Cardinalis Bona, qui ante eos de hac materia ſcripſit Rerum Liturgicarum lib. 1 cap. 22, ubi obſervat, campanam in ipſa conſecratione alicujus Sancti nomine inſigniri, ſive ut à ceteris proprio veluti nomine diſtinguatur, ſive quia ad pietatem magis conducere viſi ſunt primi hujus ritûs inſtitutores, ſi voce alicujus Sancti plebs ad Eccleſiam convocari diceretur.

XIII. *Joannes PP. Cpolim Legatos mittit pro conjugio Ottonis Junioris.*

Eodem anno nongenteſimo ſexageſimo octavo Otto Imperator, qui anno ſuperiori Legatum Conſtantinopolim miſerat, quem eodem anno reverſum ex Reginonis Continuatore diximus, rursùs alium Legatum, Luitprandum ſcilicet Cremonenſem Epiſcopum, miſit ad Nicephorum Phocam Græcorum Imperatorem, nuptiarum etiam cauſa inter Ottonem filium & Theophaniam Romani Junioris quondam Imperatoris & Theophanonis filiam. Eam legationem

Digitized by Google

SÆC. X. JOANNES XIII.

tionem anno 968 obitam, conſtat ex ejuſdem Relatione ab ipſomet Luitprando Legato ſcripta, in qua num. LXIV ſcribit, eo anno diem XX Julii in feriam ſecundam incidiſſe, quod contigit anno 968. Ex eadem Legatione, ſeu legationis Relatione conſtat eodem tempore à Joanne Pontifice miſſos etiam Legatos ad eundem Nicephorum Imperatorem pro iiſdem nuptiis contrahendis. Omnes illos legatos malè ab Orientalibus exceptos refert idem Luitprandus; Græci enim petebant, ut Roma & Ravenna Imperatori ſuo redderentur, & Romani Pontificis ordinatio coram ejus Legatis fieret. Primum conſtat, quia Luitprando legato Proceres reſponderunt: *Si datis quod decet, accipietis quod libet; Ravennam ſcilicet & Romam, cum his omnibus continuatis, quæ ab his ſunt uſque ad nos. Si verò amicitiam abſque parentela deſideratis, Romam liberam eſſe dominus tuus permittet*. Secundum eruitur ex his verbis; cùm enim Luitprandus dixiſſet, Ottonem Eccleſiam Romanam ditiorem ac liberiorem reddidiſſe, è Proceribus unus reſpondit, idem facturum ſuum Imperatorem cùm Urbi dominaretur, & coram ejus Legatis Romani Pontifices ordinarentur: *Sed hoc, ait Baſilius Parakimomenos, faciet, cùm ad nutum ſuum Roma & Romana Eccleſia ordinabitur*, reſpiciens *ad canam, & priſcam* conſuetudinem, de qua loquitur Anaſtaſius Bibliothecarius in Leone IV, quæ erat quidem nova & recens reſpectu Imperatorum Occidentis poſt Imperii renovationem, ſed vetus reſpectu Græcorum, qui à Juſtiniani Imperatoris tempore jus illud uſurpaverant, ut coram eorum Legatis fieret Romani Pontificis conſecratio, quod prætenſum jus Græci rursùs ſibi afferere volebant.

XIV. *Theophaniam ejus conjugem Augustam coronat.*

Repulſam itaque paſſus Otto Magnus à Nicephoro Phoca Imperatore, Theophaniam tandem impetravit à Joanne Tzimiſce Nicephori ſucceſſore, ad quem miſſi anno nongenteſimo ſeptuageſimo ex Occidente legati, ut dicitur in Chronico Flaviniacenſi pag. 166, qui novam ſponſam deducerent, Coloniæ ſcilicet Archiepiſcopus, ac duo Epiſcopi, Duceſque complures ac Comites. Anno tamen tantùm nongenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Theophania Romam de Conſtantinopoli venit, ad quem annum Chronographus Hildesheimenſis ſcribit: *Ottoni Imperatori Juniori venit Imperatrix Romam de Conſtantinopoli XVIII Kal. Maii Octavâ Paſchæ*. Theophaniam Ottoni à Joanne Papa ſacris ritibus conjunctam, & coronatam Imperatricem teſtatur Sigebertus ad annum 971. *Otto Imperator*, inquit, *Romæ Ottoni comparatori ſuo neptem Joannis Conſtantinopolitani Imperatoris Theophaniam nomine, à Joanne Papa coronatam, in legitimo matrimonio ſociavit*. Porrò Theophania dicitur à Sigeberto neptis Joannis Tzimiſcis Imperatoris, quia hic Theodoram Theophanonis matris Theophaniæ amitam, uxorem duxerat, ut inquit Ducangius in Familiis Auguſtis Byzantinis, Familia XIX.

XV. *Beneventanam Sedem Archiepiſcopalem dicit.*

Joannem Papam anno nongenteſimo ſexageſimo nono Romæ *ſeptimo Kalendas Junii* Concilium celebraſſe, habemus ex ejus Epiſtola Landulpho Archiepiſcopo Beneventano data, quæ extat in Appendice Tomi IX Concil. pag. 1238. Celebratum illud præſentibus Ottonibus Imperatoribus patre, & filio, necnon religioſis quamplurimis totius ordinis viris, & hortatu Ottonis Magnì cum conſenſu multorum Præſulum, Joannes Papa in eo Beneventanam cathedram in Metropolim erexit, *interveniéntibus Pandulpho Beneventanæ, & Capuanæ urbium Principe, ſeu Spoleti, & Camerini Ducatûs Marchione, & Duce, ſimulque Landulpho excellentiſſimo Principe filio ejus*. Beneventanæ Metropoli ſubjecit *Epiſcopos Sanctæ Agathæ, Abellini, Quintodecimi, Ariani, Aſculi, Bibini, Vulturariæ, Larini, Theleſiæ, Aliſæ*. In fine legitur: *Scriptum per manum Stephani Scrinarii S.R.E. in menſe maii, indictione XII*, quæ anno 969 in curſu erat. Et poſt ſubſcriptiones Epiſcoporum: *Datum VII Kal. Junii per manum Guidonis Epiſcopi Sanctæ Sylvæ-candidæ Eccleſiæ & Bibliotb. Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, anno Pontific. Domini noſtri Joannis XIII Papæ quarto, Imperatoris Ottonis Majoris VII, & Minoris II, Indict. ſupradicta duodecima, anno Dominicæ Incarnationis 969*. Poſtea Metropolis Beneventana modò plures, modò pauciores ſuffraganeos habuit.

XVI. *Pontificalium ornamentorum uſum Abbati Metenſi concedit.*

Ante Joannem XIII non invenimus Pontificalia ornamenta Abbatibus fuiſſe conceſſa. Sed Mabillonius in præfatione partis I ſæculi VI Benedictini § IV loquens de Pontificalibus ornamentis Abbatibus conceſſis, ex Spicilegii Dacheriani Tomo V pag. 142 obſervat, anno 970 Didericum ſeu Theodoricum Metenſem Antiſtitem à Joanne XIII obtinuiſſe, ut Abbas Sancti Vincentii Metenſis dalmaticâ, & ſandaliis uteretur. Poſtea ſandaliorum uſum à Leone Papa IX Geruino Abbati Centulenſi oblatum, ſed hunc, ut inſigniter modeſtus erat, hæc ornamenta recuſaſſe, conſtare ex ejuſdem Spicilegii Tomo IV pag. 597. Eodem Pontifice Leone IX Richarius Abbas Caſſinenſis Romam profectus, ab eo, teſte Chronico Caſſinenſi lib. 2 cap. 81, privilegium obtinuit *juxta morem prædeceſſorum ſuorum*, quo idem Pontifex *uſum ſandaliorum atque dalmaticæ, necnon & chirotecarum* in præcipuis feſtis ad Miſſarum ſolemnia, tam illi, quàm ſuccef-

Digitized by Google

SÆC. X. JOANNES XIII. ceſſoribus indulſit. Ex quo conſtat jam ante Leonem IX Abbatibus Caſſinenſibus ea Pontificalia ornamenta conceſſa fuiſſe. Idem ab eodem Leone tributum eſt Fulconi Abbati Corbejenſi, & Warino Abbati Sancti Arnulphi Metenſis, exceptis chirotecis. Quo tempore uſus mitræ Canonicis concedi cœperit, dicetur in eodem Leone IX; in Alexandro verò II, quo tempore Abbatibus.

XVII. *Londinenſe Concilium confirmat.* Anno nongenteſimo ſeptuageſimo primo Londini in Anglia celebratum eſt Concilium, quod tomo IX Concil. pag. 702 refertur, in quo Edgarus Angliæ Rex confirmavit celeberrima privilegia monaſterio Glaſtonienſi conceſſa, reſervata ſibi & hæredibus poteſtate baculum conferendi Abbati, qui à Monachis eligetur, ut fusè narrat Malmesburienſis lib. 2 de Reg. cap. 8, ubi addit, id confirmatum eſſe à Joanne Papa XIII: *Inclyto domno Joanni*, inquit, *Papæ, qui Octaviano in regiminis honore ſucceſſerat, direxit* (nempè Rex Edgarus) *idem chirographum Regiæ liberalitatis, orans, ut & ipſe hæc roboraret ſcripto Apoſtolicæ auctoritatis: qui benignè directam ſuſcipiens legationem, concordi aſſenſu Romani Concilii ſancita ab iis firmavit.* Hæc omnia acta eſſe anno 971 eruitur ex charta ab Edgaro Rege data, eodem Tomo IX Concil. & à Spelmanno relata ex antiquitatibus MSS. Glaſtonienſis monaſterii, quâ Rex Edgarus privilegia à ſuis deceſſoribus conceſſa confirmat, *Dunſtano Dorobernenſi*, inquit, *atque Oſuvaldo Eboracenſi Archiepiſcopo adhortantibus, conſentiente etiam* &c. In fine legitur: *Acta eſt hæc privilegii pagina, & confirmata apud Londinum communi conſilio omnium Primatum meorum anno ab Incarnatione Domini noſtri J. C. 971, Indict. XIV*; poſt ſubſcriptiones verò: *Hanc privilegii paginam Rex Edgarus XII anno regni ſui ſacro ſcripto apud Londoniam conſilio Optimatum ſuorum confirmavit. Eodemque anno Joannes Papa XIII hanc ipſam paginam Romæ in generali Synodo auctorizavit: cunctoſque potioris dignitatis viros, qui præfuerunt eidem Concilio, confirmare fecit, ad inſtantiam prædicti Regis Edgari, & beati Dunſtani, ac aliorum nobilium præſcriptorum. Et ad ſupplementum firmioris ſecuritatis idem Apoſtolicus dictum privilegium Apoſtolica ſuffulſit auctoritate, cujus hæc eſt ſeries.* Sequitur poſtea diploma confirmationis à Joanne XIII emiſſum. SÆC. X. JOANNES XIII.

Adalbero Remenſis Archiepiſcopus eodem anno nongenteſimo ſeptuageſimo primo Monachos in Moſomenſi cœnobio, quod eſt ſuper fluvium Moſam, pro Canonicis collocavit, Legatoſque miſit ad Joannem Papam, qui literis datis IX Kalendas Maii, anno Pontificatûs ſui ſeptimo, indictione XV, ut in earum fine legitur, cœnobium illud Apoſtolico privilegio munivit, quod in Concilio in pago Tardunenſi apud Montem Sanctæ Mariæ eodem anno, quo dictæ Joannis Papæ literæ datæ ſunt, ſcilicet nongenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, menſe Majo celebrato, promulgatum eſt, & decretum Adalberonis de ejuſdem cœnobii reformatione & Monachis in eo conſtitutis confirmatum. Hæc conſtant ex Sancti Arnulphi Lotharienſis adoleſcentis, Martyriſque Vita, ex literis ejuſdem Joannis Papæ XIII, & ex decreto Adalberonis, quæ extant Tomo IX Concil. pag. 705. XVIII. *Moſomenſe cœnobium Apoſtolico privilegio munit.*

Antiqui Romanorum Pontificum Catalogi paſſim habent Joannem XIII ſediſſe annos ſex, menſes undecim, dies quinque. Quare cùm in ejus epitaphio à Baronio relato legatur ejus depoſitionis dies 8 *Idus Septembris, ab Incarnatione Domini anno 972*, apparet, ordinationem ejus diei primæ menſis Octobris anni nongenteſimi ſexageſimi quinti rectè à nobis fuiſſe affixam. In eodem quidem epitaphio dicitur, eum ſediſſe *annos ſeptem*, ſed Auctor illius numero rotundo loquitur. Vitam itaque cum morte commutavit Joannes VIII, die quinta vel ſexta Septembris anni 972, poſtquam ſediſſet annos ſex, menſes undecim & dies quinque. XIX. *Moritur.*

BENEDICTUS VI *Pontif. CXXXVI.*

Anno Domini DCCCCLXXII.

I. *Benedictus VI ſuccedit Joanni XIII.* ONuphrius Panvinius in Chronico Eccleſiaſtico, quem Baronius ſequitur, poſt Joannem XIII collocat Donum, & poſtea Benedictum VI, & Bonifacium VII Antipapam; ſed Baronii Annotator obſervat, huic ſucceſſioni refragari Sigebertum in Chronico, & antiquiores Catalogos, qui poſt Joannem XIII exhibent Benedictum VI, quem eodem anno nongenteſimo ſeptuageſimo ſecundo poſt diem 28 menſis Novembris ordinatum Romanum Pontificem conſtat ex privilegio ab eo conceſſo Eldrado Abbati Vezeliacenſi, Tomo 3 Spicilegii Dacheriani pag. 463 relato, quod dicitur ſcriptum *per manum Stephani Nolani Epiſc. & Scrinarii S.R.E. in menſe Novembri, Indict. ſecunda, datum 4 Kal. Decemb. per manum Joannis Epiſcopi* (Bi-

Digitized by Google

[Bibliothecarii] *Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, anno primo Pontificatûs Domini Benedicti ſanctiſſimi VI Papæ, imperante Domno Ottone à Deo coronato magno Imperatore anno VI indict. II*, qui characteres ſunt anni 973, ideoque ordinatus eſt Benedictus anno 972 poſt diem 28 Novembris, alioquin eo die, anno 973, non annum primum, ſed ſecundum Pontificatûs numeraſſet; ex quo & corruunt opiniones Platinæ & Papebrochii, quorum prior ſcribit vacaſſe Sedem tantùm dies 13 poſt mortem Joannis XIII, poſterior verò Benedictum VI ordinatum die 22 Septembris anni 972.

II. *Salisburgenſi Epiſc. Apoſtolicas vices concedit.* De hoc Pontifice nihil ſupereſt præter Epiſtolam, quam ſcripſit ad Fridericum Salisburgenſem Epiſcopum, & ejus Comprovinciales, qua ipſi ejuſque ſucceſſoribus vices Apoſtolicas concedit *in tota Norica provincia, & in tota Pannonia, ſuperiori videlicet & inferiori, quomodo ſui anteceſſores eandem poteſtatem* ab ejuſdem Benedicti *ſuſcepére anteceſſoribus; ita ſcilicet ut nulli liceat in præfatis provinciis ſibi uſurpare pallium, nec Epiſcopos ordinare, nec ullum officium, quod ad Archiepiſcopatum pertinere debet, præter præfatum Archiepiſcopum, ejuſque ſucceſſores* &c. Reſcidit itaque Benedictus VI privilegium Agapeti II, qui Salisburgenſi Archiepiſcopo ſolam Pannoniam Occidentalem attribuerat; Laureacenſi verò, utpotè antiquiori, Orientalem Pannoniam, cum aliis Provinciis, ut videre eſt in ejus Vita. Quod privilegium à Benedicto VII reſtitutum eſſe ſuo loco dicemus. Extat Benedicti VI Epiſt. Tomo IX Concil. pag. 711, ſed ſine ullo temporis charactere.

III. *Eccleſiæ, & Imperii jura tuetur.* Benedicto VI ſedente mortuus eſt anno nongenteſimo ſeptuageſimo tertio, Nonis Maii Otto Imperator hujus nominis primus, cui ſucceſſit Otto II filius ejus, jam ante à Joanne XIII Imperator coronatus, Ottone II Germanicis, & Francicis bellis, quæ alieniſſimo tempore exarſerunt, implicito, & Regiorum armorum terrore procul admoto, inquit Sigonius lib. 7 de Regno Italiæ, Italici integræ parandæ libertatis avidi, palam grandiores atque alacriores ſibi ſpiritus aſciverunt. Nam & varias in populis ſeditiones excire, & multiplices in Provinciis tumultus conflare, & paſſim conſulatus in civitatibus inſtituere, & privatas turres in urbibus ædificare cœperunt. Imprimis autem Romæ apertè de antiqua recuperanda libertate tumultuatum. Hunc tumultum Cincius civis Romanus excivit. Hic quod tenere, Joanne XIII ſedente, Ottonis ſenis metu nequiverat, id ſe evicturum, Benedicto Eccleſiam, Ottone adoleſcente regnum obtinente ratus, negotium ingens majore animo, quàm conſilio iniit; ac anno 974 Benedictum VI jura Imperij atque Eccleſiæ retinentem nactus arripuit, atque in vincula traditum miſerè mori coëgit.

IV. *Ob id nefariè occiditur.* Benedictum VI anno nongenteſimo ſeptuageſimo quarto nefariè occiſum teſtatur Hermannus Contractus juxta editionem Caniſianam, ad eundem annum ſcribens: *Romæ Benedictus Papa criminatus à Romanis, & Creſcentio Theodoræ filio in caſtello Sancti Angeli cuſtodiæ mancipatus, ibique ſtrangulatus eſt*. Quantum præciſè temporis ſederit Benedictus VI incompertum, cùm non conſtet de menſe, & die quibus necatus eſt. Illud ſolùm conſtat Benedictum VII, qui Dono II ſucceſſit, die 25 menſis Martii anni nongenteſimi ſeptuageſimi quinti jam Eccleſiam Romanam gubernaſſe.

DONUS II *Pontif. CXXXVII.*

Anno Domini DCCCCLXXIV.

I. *Benedicto VI ſuccedit Donus II.* BEnedicto VI in carcere ſtrangulato *Bonifacius Ferrutii filius Papa ordinatus, & poſt unum menſem expulſus, Conſtantinopolim poſtea petiit*, inquit Hermannus Contractus ex editione Caniſii, qui tamen poſtea errat, ſcribens Bonifacio ſubſtitutum eſſe Benedictum VII. Expulſo enim Bonifacio, non Benedictus VII, ſed Donus II Sedem Romanam obtinuit, uti ſcribunt Marianus Scotus, Sigebertus, & Auctores veterum Catalogorum. Donum Papam, ejuſque ſucceſſorem Benedictum VII, ſine Ottonis Imperatoris auctoritate conſecratos, ſcribit Sigonius lib. 7 de Regno Italiæ. Poſt mortem Benedicti VI, inquit, Romani renovata veteri in Pontificiis Comitiis ambitione, neglecto Leonis IV Papæ decreto, quod Otto Magnus obſervari juſſerat, Pontifices, quos libido tulit, ſine Imperatoris auctoritate crearunt. Sed id mihi non omninò probatur; quia Donus II, ipſo fatente Sigonio, factione Tuſculanorum Comitum, qui à partibus Imperatoris ſtabant, electus eſt, & eo mortuo, Otto Imperator, ejuſque mater Adelhais ſanctum Majolum Abbatem Cluniacenſem ad Pontificatum evehere volebant, ut in Benedicti VII vita narrabimus, quod ſignum eſt in ejuſdem Benedicti ordinatione præſentes fuiſſe Legatos Imperiales. Sed quid-

Digitized by Google

quidquid hac de re ſit, cùm, antiquis monumentis deficientibus, ſciri non poſſit, quibus diebus, ac menſibus, tam iſti Pontifices, quàm plures alii hujus ſæculi ordinati ſint, ſcire ſufficiat Benedicti VI ordinationem poſt diem 28 menſis Novembris anni 972 contigiſſe, ideoque tam ejus, quàm Doni II Pontificatum prorogari non poſſe uſque ad diem 25 Martii anni 975, quia eo die, ex infra probandis, jam ſedebat Benedictus VII.

II. Meritum. Donus II *Benedicto Pontifici ſuffectus, multæ modeſtiæ, & integritatis vir fuit: & propterea nulla injuria affectus, neque ignominia notatus: qui tandem moriens in beati Petri Baſilica ſepultus eſt*, inquit Joannes Stella, quæ ſine dubio deſumpſit ex Platina, qui eadem totidem fere verbis refert: ſed neuter nos docet à quo id acceperit. Ceterùm licet Hermannus Contractus Donum II prætermiſerit, cùm tamen Marianus Scotus, Sigebertus, Gotfridus Viterbienſis, & Wernerus Rollewink, Compilatio Chronologica, Platina & Stella eum collocent poſt Benedictum VI, hæc Romanorum Pontificum ſucceſſio non videtur in dubium revocanda.

BENEDICTUS VII *Pontif. CXXXVIII.*

Anno Domini DCCCCLXXV.

I. S. Majolus Abbas Cluniac. Pontificatum Rom. recuſat. Cum factio Tuſculanorum Comitum Bonifacium VII, qui occiſo Benedicto VI, Pontificatum invaſerat, æquo animo ferre non valeret, & Bonifacius ad reſiſtendum par non eſſet, poſt menſem Baſilicâ Vaticanâ pretioſis rebus omnibus ſpoliatâ, Conſtantinopolim profugit, ut jam in Benedicto VI oſtenſum eſt, in ejusque locum ordinatus Donus II eorundem Comitum Tuſculanorum factione fultus; cujus mortem cùm accepiſſet Otto II Imperator, de alio Pontifice ei ſubſtituendo cogitavit. Syrus enim Monachus in Vita ſancti Majoli Abbatis Cluniacenſis lib. 3 cap. 8 ait, Ottonem II voluiſſe hunc ſanctum Abbatem ad Pontificatum evehere: *Non longo poſt tempore*, inquit, ſcilicet poſt expulſionem Saracenorum è Fraxineto, quæ contigit anno 973, *Romana Sede proprio viduata Paſtore* (nempè Dono) *idem Dei famulus, Ottonis ſecundi juncta cum matre prece, Italiam repetere à partibus eſt coactus Galliæ. A matre tunc, & filio honore ſuſceptus digniſſimo, ad culmen Apoſtolicæ dignitatis precibus impelli cœpit continuatis. Sed cui magis abjectio, quàm ut expeteretur exaltatio, nullatenus ad ſe promovere potuit ſublimitatis ambitio*, &c. *Imperatoris & ſanctæ matris iterum precibus alternis ad ipſum flagitatur ſucceſſibus: cum nobilibus qui aderant Antiſtites inſiſtebant, Imperialis quò fieret petitio ſupplicabant. At ille divina illuſtratus gratia ſolerti ſe ſtuduit excuſare prudentia.*

II. Benedictus VII inthronizatur. Cùm itaque S. Majolus à Romano Pontificatu ineundo ſeſe excuſaſſet, Otto II miſſos ſuos, coram quibus novi Pontificis ordinatio peragenda erat, Romam direxit, eiſque mandavit, ut Tuſculanorum Comitum partibus faverent, indeque Benedictus, hujus nominis VII, natione Romanus, ex patre David, Sutrinus antea Epiſcopus inthronizatus & coronatus eſt Romanus Pontifex, & quidem ante diem vigeſimum quintum menſis Martii anni nongenteſimi ſeptuageſimi quinti. Id conſtat ex eo, quòd cùm Otto II monaſterii Gemblacenſis confirmationem à Benedicto VII petiiſſet, & obtinuiſſet, factum eſt diploma, quod Lambecius Tomo 2 Bibliothecæ Cæſareæ pag. 898 & ſeqq. ex codice Cæſareo MS. integrum retulit, in cujus fine legitur: *Scriptum per manum Bonifacii Notarii Regionarii, & Scrinarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Martio indictione undecima. Benè valete. Datum VIII Kal. Aprilis per manus Stephani Epiſcopi & Bibliothecarii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ anno Pontificatûs Domini noſtri Benedicti ſanctiſſimi ſeptimi Papæ nono, imperante Domino noſtro Ottone à Deo coronato magno & pacifico Imperatore, anno decimo ſexto, in menſe & indictione, quibus ſupra*. Omnes illæ temporariæ notæ evincunt hoc diploma ab Ottone II impetratum anno 983, die 25 menſis Martii, ideoque & Benedictum VII anno 975 ante eum diem Pontificem conſecratum eſſe; alioquin anno 983 annum Pontificatûs nonum nondum auſpicatus eſſet. Auctor Criticæ Baronii Annalium, qui initium Pontificatûs Benedicti VII ex hoc diplomate eruit, duo alia memorat, unum ex Sæculi V Benedictini pag. 560, & alterum ex Hiſtoriæ Provinciæ Bouchei libro 9 pag. 44, ex quorum primo etiam deducit, Pontificatum Benedicti VII inchoandum eſſe ante diem primum menſis Aprilis, & ex altero ante diem 22 ejuſdem menſis anni 975, quę duo diplomata, ſuperioris à Lambecio relati genuinas eſſe notas Chronologicas non obſcurè indicant.

Ubi Benedictus VII Apoſtolicam Sedem adeptus eſt, Synodum celebravit, in qua Bonifacium VII, qui, ut num. I diximus, III. Bonifacium VII in Synodo Rom. damnat.

Digitized by Google

ximus Conſtantinopolim aufugerat, excommunicationis ſententiâ perculit. Id conſtat ex Epiſtola Adalberonis Remenſis Archiepiſcopi, & Stephani Romani Diaconi ad Theobaldum Epiſcopum Ambianenſem, quę extat Tomo IX Concil. pag. 721, in qua Stephanus Benedicti VII Papæ Legatus, & Adalbero in Concilio Remenſi congregati, eundem Theobaldum Ambianenſem excommunicant, quòd aliàs ab Hugone Pſeudo-Epiſcopo Remenſi ordinatus fuiſſet, & præſenti Synodo Remenſi intereſſe recuſaſſet: *Et quoniam*, inquiunt, *judicio Benedicti VII Papæ in Synodo, qua Boniſacius damnatus eſt, incurabilis repertus es, nec ejus filius Stephanus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus mederi tibi prævalet: velut morbidum & morboſum hircum ſeparamus te à grege Dominico, & ex auctoritate omnipotentis & Sanctæ Mariæ, ſanctique Petri Principis Apoſtolorum, damnamus te & excommunicamus*. Ejuſdem Synodi Romanæ à Benedicto VII celebratæ meminit etiam Gerbertus, Remenſis Archiepiſcopatûs invaſor, in Actis Remenſis Synodi à ſe, vel ejus juſſu ſcriptis cujus verba in Bonifacio VII recitabimus. Ejus denique Synodi mentio eſt in epitaphio Benedicti VII à Baronio anno 984 num. 1 recitato, in quo Bonifacius VII *Franco* vocatur. Ex his patet priùs Synodum hanc Romanam habitam, quàm Remenſem, ad quam idem Pontifex Legatum miſit dictum Stephanum Romanæ Eccleſiæ Diaconum, quæ prædictum Theobaldum, jam in Synodo Trevirenſi, præſidente Marino Apoſtolicæ Sedis Legato, anno 948 excommunicatum, ſecundo anathemate percuſſit.

IV. *Laureacenſis Archiep. literas ſuſcipit.*

Cùm Piligrinus anno nongenteſimo ſeptuageſimo primo electus fuiſſet Archiepiſcopus Laureacenſis, ægrè hoc tempore ferebat Benedictum VI jura ſui Archiepiſcopatûs imminuiſſe in favorem Friderici Archiepiſcopi Saliſburgenſis, ut ſuperius diximus. Benedicto itaque VII Romanam Eccleſiam regente, ad eum ſcripſit Epiſtolam à Lambecio lib. 2 Bibliothecæ Cæſareæ pag. 641 & ſeqq. recitatam, qua Pallium ab eo petens ſeſe excuſat à perſonali acceſſu ad SS. Petri & Pauli limina, quia inquit, *à Neophyta Ungrorum*, ſeu Hungarorum, *gente huc ire probibeor, apud quam fœdere pacto, ſub occaſione pacis fiduciam ſumpſimus operam exercere prędicationis*. Eum poſtea docet Hungaros ad Chriſti fidem ſuſcipiendam diſpoſitos, petit ut ad eos erudiendos mittantur Prædicatores, tandemque Pallium ſibi dari, & privilegia Eccleſiæ ſuæ aliàs conceſſa confirmari poſtulat, fideique confeſſionem mittit. Hæc Epiſtola extat etiam Tomo IX Concil.

V. *Laureacenſi Eccleſiæ antiqua jura reſtituit.*

Benedictus Papa his acceptis literis, alias dedit ad Epiſcopos Germaniæ ibidem extantes, in quibus aſſerit Piligrinum ad ſe miſiſſe Presbyteros, & Laureacenſis Eccleſię privilegia, quibus continebatur, quòd ætate Pontificatûs Symmachi Papæ, præfata Laureacenſis Eccleſia haberetur Metropolis; Saliſburgenſem autem Eccleſiam abuſam eſſe ſubjectione Laureacenſis Eccleſiæ Pontificatu, cùm tamen Laureacenſis privilegia *priora ſint Saltzburgenſibus*. Et paucis interpoſitis addit: *Sicut modernis temporibus Sanctę memorię Agapitus Papa* [hujus nominis II] *terminos earundem parochiarum ab invicem diſtinxit; ſic & ipſi diffinimus, ita quoque ut Sancta Saltzburgenſis Eccleſia ſuperioris Pannoniæ Epiſcopos babeat ſuffraganeos .... ſancta autem Laureacenſis Eccleſia in inferioris Pannoniæ atque Mæſiæ regiones, quarum provinciæ ſunt Avaria, atque Moravia, in quibus ſeptem Epiſcoporum parochiæ antiquis temporibus continebantur, ſuique Antiſtites Archiepiſcopalem deinceps babeant poteſtatem*. Deinde addit, ſe Piligrino Pallium direxiſſe, atque ei in prædictis provinciis *Apoſtolicam auctoritatem, & vicem* delegare. Lambecius autem loco laudato obſervat, eas literas anno 977 datas, ex eo conſtare, quòd eodem anno Otto II Imperator diploma emiſerit, cujus epitomen recitat, quo Metropolitanam Laureacenſis Eccleſiæ dignitatem confirmavit, quodque dicitur, *datum III Nonas Octob. anno Domini 977, Indict. 6, anno regni Dn. Ottonis Imperatoris Auguſti XVII. Actum in civitate Ratisbona*, qui annus 17 eſt annus regni Germanici, quod ſuſceperat anno 961, ut ſuo loco diximus. Porrò Piligrinus ultimus fuit Laureacenſium Archiepiſcoporum, qui enim anno 992 ſecundùm antiquum MS. Bibliothecæ Cæſareæ, ei ſucceſſit, non jam amplius Laureacenſis fuit Archiepiſcopus, ſed ſolùm Pataviensis Epiſcopus, & tam ipſe, quàm omnes ſucceſſores deinceps caruerunt Archiepiſcopali Pallio, inquit idem Lambecius.

VI. *Eccleſiam S. Bonifacii dat Sergio Damaſci Epiſcopo.*

Baronius ad annum 975 refert Saracenos, qui Damaſcum tenebant, omninò à Chriſtianis diſſidentes, ne Joannem Tzimiſcem Orientis Imperatorem admitterent, eorum Epiſcopum Sergium inter alios foras ejeciſſe. Qui Romam veniens à Benedicto VII Papa benignè exceptus eſt, reperienſque Bonifacii, & Alexii Baſilicam Sacerdotalibus penè officiis deſtitutam, camdem à Pontifice petiit, ut ſibi liceret eandem cùm Monachis colere, quod & obtinuit, in eaque collegit Monachos, & obſervantiam monaſticam reſtituit, ubi quatuor annos degit, ibique ſancto fine quievit anno Chriſti 981, ut teſtis eſt inſcriptio ad ejus ſepulchrum inciſa, quam idem Baronius recitat ad annum 977, quo Sergius prædictam Baſilicam à Benedicto Papa obtinuit,

Digitized by Google

tinuit, ibique licèt Græcus, non Græcos, ſed Latinos Monachos inſtituit, Regulam Benedictinam ſervantes. In eo poſtea monaſterio Sanctus Adalbertus relicto Pragenſi Epiſcopatu, idem inſtitutum ſectatus eſt, antequam ad Epiſcopatùm redire cogeretur.

VII. *Giſlero Archiep. Magdeburgenſi Pallium tradit.*

Sancto Adelberto primo Magdeburgenſi Epiſcopo, de quo in Joanne XIII locuti ſumus, anno nongenteſimo octogeſimo primo ad Deum migrante, Clerus & populus Ochtricum Archipræſulem elegerunt, & Legatos ad Ottonem II in Italia tunc agentem direxerunt, qui ei hanc electionem nunciarent. Hi Giſileri Merſburgenſis Epiſcopi ſuffragium, qui apud Imperatorem tunc plurimùm valebat, implorantes, legationis ſuæ ſecretum ei aperuerunt. Sed Giſilerus Archiepiſcopatum Magdeburgenſem ab Imperatore poſtulavit & impetravit, Romamque veniens in Concilio Romano à Benedicto VII Papa ad Sedem Magdeburgenſem evehitur, inquit Chronographus Magdeburgenſis MS. in Bibliotheca Regia aſſervatus apud Annotatorem Baronii ad annum 983 num. 7, & ſeqq. Alter verò Chronographus Magdeburgenſis à Meibonio publicatus, aſſerit, Giſilerum, ſuſcepto à Benedicto Papa Pallio, Archiepiſcopatum Magdeburgenſem ab Ottone Imperatore, *III Idus Septembris, ut mos exegit*, ſuſcepiſſe, & *I Kalend. Decemb.* ſolemni ritu à Clero & populo Magdeburgi ſuſceptum fuiſſe. Prior autem Chronographus, & Ditmarus lib. 3 ſcribunt, Giſilerum corruptis pecuniâ Optimatibus, maximèque Romanis Judicibus; Archiepiſcopatum obtinuiſſe rejecto Ochtrico Monacho ac Scolaſtico Magdeburgenſi.

VIII. *Roma contra Simoniacos Concilium celebrat.*

Verùm longe diverſa de Giſilero ſcribit Adamus Bremenſis lib. 2 cap. 1. *Apud Magdeburgum quoque*, inquit, *defuncto Pontifice Adalberto, Gesbilarius ſucceſſit in cathedram, vir Sanctus, qui novellos Winulorum populos doctrina & virtutibus illuſtravit*. Falſum de Giſilero rumorem ſparſum fuiſſe etiam deducitur ex Epiſtola Benedicti VII, in Concilio Romano eodem anno 981 congregato data, quam Baluſius edidit cap. 10 lib. 6 de Concordia Sacerdotii & Imperii, ex quo translata eſt in Tomum IX Concil. pag. 1244. Ea enim Epiſtola adverſus ordinationes ſimoniacas præſente Ottone II, qui eidem Concilio interfuit, ſcripta, ex qua etiam demonſtratur tantum abeſſe, ut Concilium Romanum, ad quod Giſilerus venit, ſimoniacis faverit, ut in eo lecta fuerint capitula de Sacris canonibus adversùs ſimoniacos edita: *Notum eſſe volumus omnibus*, inquit Benedictus VII, *Catholicis & orthodoxis Archiepiſcopis*, &c. *Qualiter Synodum aggregatum eſt in Eccleſia B. Petri Apoſtolorum Principis, ante ſacratiſſimum ejus corpus, unà cum domno Ottone Sereniſſimo Imperatore Auguſto, ſpirituali filio noſtro*, &c. *& ibidem perlecta ſunt capitula de ſacris canonibus, qualiter liceret Epiſcopo de ſacris ordinibus aliquod ſumere præmium*. Recitat poſtea canonem 2 Concilii Calchedonenſis, & canonem 30 Apoſtolorum contra ordinationes ſimoniacas, & paulò poſt ait: *Unde nos, cariſſimi fratres & dilectiſſimi filii, ſollicitè vigilare oportet, qui paſtoralem curam in noſtris ovibus exercendam ſuſcepimus, ne eas lupinis dentibus lacerandas tradamus .... nam ſi quilibet presbyterorum, aut diaconorum, gratis donum Spiritûs Sancti ab Archiepiſcopo, ſive à Metropolitano ſuo accipere non potuerit, ſtudeat venire ad Sanctam Matrem Romanam Eccleſiam Catholicam atque Apoſtolicam, & in eadem Epiſcopalem benedictionem accipiet ſine omni ſimoniaca hæreſi*. Falsò itaque tam Ditmarus, quàm Chronographus Magdeburgenſis laudati ſcribunt, Romanos Judices à Giſilero pecuniâ corruptos, ipſiſque omnia venalia fuiſſe. Hæc Epiſtola nullo temporis charactere inſignitur, ſed ex morte Adalberti Magdeburgenſis Archiepiſcopi, quæ anno 981 contigit, rectè deducitur illud Concilium eodem anno congregatum.

IX. *Ad Deum migrat.*

Baronius anno 984 num. 1 refert epitaphium Benedicti VII, ex quo conſtat, eum ad Chriſtum abiiſſe die X menſis Julii, indictione 12, poſtquam Apoſtolicam Sedem rexiſſet annis novem. Obiit itaque Benedictus anno nongenteſimo octogeſimo quarto indictione duodecima notato, poſt Sedem annorum novem, & aliquot menſium, quos conditor epitaphii negligit. Certè dubium nullum eſſe poteſt, quin menſes aliquot ſupra annos ſederit, cùm ordinatus fuerit ante diem 25 Martii anni 975, & die decima Julii anni 984 obierit. Catalogi ferè omnes annos novem ei etiam adſcribunt; ſed Catalogus VIII ex præfixis Criticæ Baronianæ, & Marianus Scotus addunt menſes ſex; Catalogus verò VII, menſes quinque.

JOAN-

JOANNES XIV *Pontif.* CXXXIX.

Anno Domini DCCCCLXXXV.

I. *Joannes XIV fit Pontifex Rom.*

BEnedicto VII mortuo, ceſſaſſe Sedem *dies* 20, ſcribit Marianus Scotus, octavus verò ex Catalogis Criticæ Baronianæ præfixis, habet *dies quinque*. Sed cùm neuter numerus ad dominicum diem ducat, quo tamen Pontificum Romanorum ordinationes fieri ſolitæ erant, dies vacationis mendosè deſcriptos eſſe oportet. Illud ergo ſolùm dici poteſt, breve fuiſſe interpontificium, quia Ottone II Imperatore, anno 983 defuncto, Imperium vacabat, ideoque expectandi non erant Legati, qui novi Pontificis conſecrationi aſſiſterent. In locum itaque Benedicti VII electus eſt Petrus Epiſcopus Papienſis, Ottonis quondam II Imperatoris Archicancellarius, qui in Pontificatu vocatus eſt Joannes hujus nominis decimus quartus. Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico ſcribit, huic Pontifici mutandi nominis non eam cauſam fuiſſe, quæ Octaviano, ſeu Joanni XII, & Franconi, ſeu Bonifacio VII, „ ſed aliam plenam reverentiæ erga Apoſtolorum Principem: ob quam etiam ſucceſſorum nemo, poſtquam mutandorum Pontificibus nominum conſuetudo invaluit, Petri nomen ſibi arrogare præſumpſit. Eſt autem res omninò admiratione & conſideratione digna, quòd cum *Petri* nomen, jam inde à Conſtantini Magni ætate fuerit Romæ frequentatum [ut conſtat ex Romanorum Synodorum ſubſcriptionibus] ad hæc tamen uſque tempora nemini contigerit, cui *Petri* nomen obtigiſſet, etiam Petri ſucceſſorem fieri in Apoſtolica Sede; quod neſcio an mero caſui poſſit adſcribi. Ita Papebrochius.

II. *A Bonifacio VII. incarceratur, & occidi.*

Hermannus Contractus juxta editionem Henrici Caniſii de Joanne XIV ſcribit: *Sedit menſibus 8, eumque Bonifacius Verrucii filius, priùs, relegato Benedicto, malè ordinatus, de Conſtantinopoli, quò fugerat, reverſus, comprehendit, & in caſtello Sancti Angeli relegatum, fame, &, ut perbibent, veneno enecuit, ejuſque Sedem CXL Papa invaſit*. Baronius refert ejuſdem Joannis XIV epitaphium, quod ait extare in Baſilica Sancti Petri, in cujus fine legitur: *Subjectis placidus, pauperibuſque pius. Defunctus eſt Joannes Papa menſis Auguſti die* 20. Illud tamen epitaphium non refertur à Romano Canonico, quod ſignum eſt ejus tempore non extaſſe. Sed ſi illud monumentum genuinum ſit, Joannes XIV per menſes quinque & amplius *ſquallore carceris affectus*, ut verbis utar Gerberti Remenſis ſedis invaſoris in ſua Synodo Remenſi, peremptus eſt à Bonifacio VII, vel, ut loquitur Hermannus Contractus laudatus, *fame, aut, ut perbibent veneno* necatus eſt; nam, ex mox probandis in Bonifacio VII, hic menſe Martio anni nongenteſimi octogeſimi quinti jam Romanam Sedem invaſerat, ideoque eo menſe in cuſtodia detinebatur Joannes XIV, in qua mortuus eſt die 20 Auguſti ejuſdem anni juxta illud epitaphium. Sediſſe autem Joannem die 22 menſis Februari anni 984, conſtaret ex inſtitutione ſodalitii plurimorum Sacerdotum pro animabus defunctorum inſtituti tempore *Dom. Joannis XIV Pap. menſe Februarii die 22 indict. 12, anno Domin. Incarnat.* 984, ſi illud monumentum, quod eo anno refert Baronius, legitimum eſſet; ſed cùm eo anno, die tantùm 10 Julii obierit Benedictus VII, ut legitur in ejus epitaphio ab ipſo etiam Baronio relato, magna mihi ſuſpicio eſt, hoc monumentum, quod Baronius ſcribit adhuc extare in Diaconia SS. Martyrum Coſmæ & Damiani, longe poſt hæc tempora ab aliquo Chronologiæ Pontificiæ imperito exaratum fuiſſe. Illud itaque ſolùm certò conſtat, Joannem XIV poſt diem 10 Julii anni 984 Pontificem creatum, & menſe Martio anni nongenteſimi octogeſimi quinti jam à Bonifacio Sede dejectum, & in S. Angeli caſtello incluſum, quod ultimum mox probabitur.

BONIFACIUS VII Antipapa.

Anno Domini DCCCCLXXXV.

I. *Bonifacius VII. Rom. Sedem tyrannicè occupat.*

BEnedicto Papa hujus nominis VI, anno 984 in caſtello Sancti Angeli cuſtodiæ mancipato & ſtrangulato, Bonifacius, natione Romanus, Ferrutii filius, antea dictus Franco, S. R. E. Diaconus, ejus loco ordinatus eſt Romanus Pontifex; ſed cùm poſt menſem unum expulſus fuiſſet, Conſtantinopolim petiit, Vaticanâ prius

Digitized by Google

SÆC. X. BONIFACIUS VII.

Baſilicâ pretioſis rebus omnibus ſpoliatâ, in ejuſque locum ordinatus eſt Donus II, ut ſuperius oſtendimus. Dono II mortuo, conſecratus eſt Benedictus VII, cui anno 984 Joannes XIV ſucceſſor datus. Cùm verò Otto II menſe Decembri anni 983 obiiſſet, idem Bonifacius, *priùs relegato Benedicto*, hujus nominis VI, *malè ordinatur, de Conſtantinopoli, quò fugerat, reverſus* Joannem XIV *comprehendit, & in caſtello Sancti Angeli relegatum, fame, &, ut perhibent, veneno enecuit, ejuſque Sedem CXL Papa invaſit*, inquit Hermannus Contractus juxta editionem Caniſii ad annum 985. Bonifacium jam menſe Martio ejuſdem anni Sedem Romanam denuò invaſiſſe, demonſtrant chartæ, quarum mentionem facit Rubeus lib. 5 Hiſt. Ravenn. pag. 629. Ait enim in Archivio Eccleſiæ Ravennenſis reperiri multas tabulas datas *anno nongenteſimo octogeſimo quinto à partu Virginis, qui annus ibi primus Bonifacii Pontificis Maximi indictione 13 ſcribitur, Idibus Martii*, ideoque die 15 Martii illius anni Bonifacius VII Romanam Sedem occupabat.

II. *Duæ ejus invaſiones.* Prioris Bonifacii invaſionis præter Hermannum Contractum in Doni II Vita, & numero ſuperiori à nobis laudatum, meminit Gerbertus Remenſis Archiepiſcopatûs invaſor in Actis Remenſis Synodi à ſe, vel ſuo juſſu ſcriptis: *Succedit Romæ*, inquit, *in Pontificatum horrendum monſtrum Malefacius* (ita Bonifacium VII appellat) *cunctos mortales nequitia ſuperans, et jam prioris Pontificis* (nempe Benedicti VI) *ſanguine cruentus. Sed etiam hic fugatus, & in magna Synodo damnatus eſt*, à Benedicto ſcilicet ſeptimo. Secundæ itidem ejus invaſionis meminit idem Gerbertus ſcribens, eum *poſt obitum divi Ottonis II, inſignem virum Apoſtolicum Petrum, Papienſis Eccleſiæ priùs Antiſtitem*, dictum *Joannem XIV, data Sacramentorum fide, ab arce Urbis* dejeciſſe, depoſuiſſe, & *ſqualllore carceris affectum* peremiſſe.

III. *Repentina morte interiit.* Sed duorum Pontificum crudeliſſimus interfector Bonifacius, Petri cathedram diu tyrannicè non occupavit; nam poſt aliquot menſes, ultore Deo punitus, repentina morte interiit, de quo hæc refert Baronius ex veteri Pontificum Romanorum Vaticano codice: *Repentina morte interiit, & in tantum eum odio habuerunt ſui, ut poſt mortem cæderent eum, et lanceis vulnerarent, atque per pedes traherent, nudato corpore, uſque ad Campum, qui eſt ante caballum Conſtantini* (ita tempore illo vocabatur equeſtris ſtatua Marci Aurelii Antonini Imperatoris) *ibi projecêre eum, atque dimiſerunt. Tunc mane venientes Clerici, & videntes eum ita turpiter & cum dedecore jacentem cæſum & lanceatum, collegerunt & ſepelierunt.* Cæſar Raſponus de Baſilica Lateranenſi lib. 1 cap. 18 inquit, in eadem Baſilica jacere Bonifacium ſeptimum, ſed incerto loco; quia tumulus, vel in ædis incendio conſumptus, vel aliò translatus eſt. In eodem codice Vaticano legitur, Bonifacium ſediſſe menſes quatuor: Gotfridus verò Viterbienſis, Joannes Stella, & quidam alii menſes ſex ei tribuunt; ſed cùm hiſtoria Pontificia hujus temporis adeò ſit confuſa, ſcire ſufficiat, poſt ejus mortem, Joannem Roberti filium fuiſſe electum, & poſt hunc Joannem XV, qui menſe Decembri anni nongenteſimi octogeſimi quinti jam legitimè ſedebat, ut mox oſtendetur. Hunc porrò Bonifacium, licèt Antipapam, hujus nominis ſeptimum vocavimus, quia Bonifacii Pontifices poſt hunc ſequentes, ſe appellaverunt, primus quidem Bonifacius VIII, & poſterior Bonifacius IX.

JOANNES filius Roberti, Electus.

Anno Domini DCCCCLXXXV.

I. *Joannes filius Roberti eligitur Papa.* JOannem Roberti filium ante Joannem XV electum fuiſſe Romanum Pontificem nos dubitare non ſinunt Marianus Scotus, Gotfridus Viterbienſis, & plures antiqui Catalogi, qui inter Benedictum VII & Joannem XV, duos alios Pontifices Joannis nomine appellatos exhibent; & Joanni Roberti filio, ſicuti & Marianus Scotus menſes quatuor aſſignant. Certè Chronicon Malleacenſe, ſeu Sancti Maxentii, ad annum uſque 1134 perductum, quod extat Tomo 2 Bibliothecæ Labbei ex codice MS. deſcriptum, rem extra controverſiam ponere videtur, licèt in anno fallatur: poſtquam enim de rebus anno 983 geſtis verba fecit, ſubdit: *Sequenti anno tres Apoſtolici apud Romam mortui ſunt*, Joannes ſcilicet XIV, Bonifacius VII, & Joannes filius Roberti, qui omnes anno 985 obierunt, quod Chronographus ille tanquam rem notatu dignam obſervavit. Ex quibus ſucceſſio Pontificum à nobis repræſentata confirmatur; cùm præſertim ex dicendis conſtet, Joannem XV eodem anno 985 menſe Decembri jam Pontificatum obtinuiſſe.

II. *Non eſt dicendus Joannes XV.* Iſte Joannes ab Hermanno Contracto, Joanne Stella, Baronio, aliiſque quibuſ-

dam

SÆC. X. JOANNES ELECTUS dam prætermiſſus, in quibuſdam Catalogis Joannes XV vocatur. Sed cùm ex pluribus chartis alterius Joannis, qui ei ſucceſſit, conſtet hunc ſeſe in iis Joannem XV appellaſſe, apparet vel Joannem Roberti filium fuiſſe tantùm electum, non conſecratum, vel verum Pontificem non fuiſſe, & conſequenter nec Joannem XV appellandum eſſe, ne turbetur Chronologia, ad quam ejus notitia pertinet. Quod in cauſa fuit cur ejus meminerimus, licèt inter Romanos Pontifices numerandus non ſit, ſicut Stephanus Electus, quem memorat Anaſtaſius Bibliothecarius, quamvis eum non numeret inter Romanos Pontifices, ut ſuo loco diximus. Quod porrò dicitur à quibuſdam eum ſediſſe menſes quatuor, parum veroſimile videtur; incredibile enim eſt, eum per quatuor menſes Sedem Romanam occupaſſe, & tamen conſecratum non fuiſſe. Sed quidquid hac de re ſit, ſi ordinatus fuit, dicendum eſt, ejus ordinationem non fuiſſe canonicam, ideoque ejus ſucceſſorem vocaſſe ſe Joannem XV, eumque è numero Pontificum excluſiſſe. SÆC. X. JOANNES ELECTUS.

JOANNES XV *Pontif. CXL.*

Anno Domini DCCCCLXXXV.

I. *Joannis XV Pontificatus epocha.* POſt Bonifacii VII interitum, & mortem Joannis, filii Roberti, alter Joannes, natione Romanus, ex patre Leone Presbytero, de Regione Gallinæ Albæ, dictus eſt Romanus Pontifex hujus nominis XV, ordinatus menſe circiter Decembri ejuſdem anni nongenteſimi octogeſimi quinti, quod demonſtrat ejus Epiſtola de confirmatione bonorum & poſſeſſionum monaſterii Cuxanenſis in Catalaunia ſiti, quam ex chartulario ejuſdem monaſterii eruit Baluzius in Appendice Marcæ Hiſpanicæ pag. 934, quæ his verbis deſinit: *Scriptum per manus Stephani Notarii Regionarii, & Scriniarii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ in menſe Decembrio, indictione XIV*, quæ Kalendis Septembris anni 985 inchoata eſt. Rubeus præterea in Hiſt. Ravenn. lib. 5 pag. 269 Joannem Archiepiſcopum Ravennenſem *anno ſecundo Pontificatûs Joannis quinti decimi menſe Decembri, indictione XV*, quædam Prædia jure emphyteutico locaſſe aſſerit, anno ſcilicet 986: ſi ergo menſe Decembri illius Chriſti anni, ſecundum ſui Pontificatûs Joannes XV exorſus erat, certè anno 985 eodem menſe jam eum ſuſceperat.

II. *Joannes XV non XVI appellandus.* Hunc Pontificem dicendum eſſe Joannem XV demonſtratur ex ejus diplomatibus, quorum unum refert Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ pag. 134 ſcriptum in favorem Eccleſiæ Portuenſis *per manus Stephani Scriniarii ſacri palatii menſe Junio. Datum VII Kal. Julii per manus Joannis Epiſcopi Nepeſinæ Eccleſiæ & Bibliothecarii S. Sedis Apoſtolicæ, anno Pontificatûs Domini noſtri Joannis ſanctiſſimi decimi quinti Papæ VII, indictione V*, ideſt anno Chriſti 992. Alterum diploma refertur à Baronio, eſtque pro canonizatione ſancti Udalrici Auguſtenſis Epiſcopi, in cujus fine legitur: *Datum tertio Kalendas Februarias* [ſed legendum tertio Nonas Februarias, ut mox conſtabit] *per manum Joannis Epiſcopi ſanctæ Nepeſinæ Eccleſiæ, & Bibliothecarii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ anno Pontificatûs Domini noſtri Joannis ſanctiſſimi XV Papæ octavo, menſe dicto & indictione ſexta*, quæ anno 993 Romæ in curſu fuit uſque ad kalendas Septembris. Poſt quæ diplomata dubitare non poſſumus, quin Joannes iſte dicendus ſit hujus nominis XV, ideoque quin Joannes Roberti filius è numero Pontificum ab eo expunctus ſit.

Baronius, Auctore neſcio quo, ad annum 985 refert, Joannem XV à Creſcentio Numentano, qui titulo Conſulatûs munitionem Sancti Angeli poſſidere aggreſſus eſt, vexatum feceſſiſſe in partes Tuſciæ. Sed Creſcentium, cognita Pontificis indignatione, qua iratus Ottonem III Germaniæ Regem contra ſe cum exercitu in Italiam vocabat, honorifica legatione eundem Joannem Pontificem acceſſiſſe & redire rogaſſe; & Joanni in Urbem revocato occurriſſe omnes, & piis officiis, & obſequiis Chriſti Vicarium Petri ſucceſſorem honoraſſe, ſeque illi ſubjeciſſe, ſicque aliquandiu Romanam Eccleſiam tranquilla pace potitam eſſe. Idem ante Baronium ſcripſerat Joannes Stella, & ex hoc Ciaconius. Joannes autem Stella id ſine dubio deſumpſit ex Wernero Rollewink in Faſciculo Temporum, nullum enim alium Wernero antiquiorem inveni, qui hæc referat. Sed quidquid ſit, certum eſt falli Sigonium lib. 7 de Regno Italiæ exiſtimantem, Creſcentium Numentanum, anno tantùm 993 ingenti favore populi Conſulatum adeptum, Urbem turbare cœpiſſe, & de Imperii titulo ſibi aſciſcendo cogitaſſe. Nam anno 989 exeunte, aut ineunte 990, quo Legati Hugonis Francorum Regis, & Epiſcoporum Galliæ adverſùs Arnulphum Remenſem Archiepiſcopum, ad Joannem XV miſſi Romam perve- III. *A Creſcentio tyrannidem exercente vexatur.*

Digitized by Google

venerunt, jam Creſcentius tyrannidem exercebat, uti dixerunt Epiſcopi in Synodo Remenſi anno 991 adverſus Gerbetum congregata: *Regii, & noſtri Legati Romam profecti, & Epiſtolas Pontifici porrexerunt, & ab eo indignè ſuſcepti ſunt. Sed, ut credimus, quia Creſcentio nulla munuſcula obtulerant, per triduum à palatio recluſi, nullo accepto reſponſo redierunt, quod peccatis noſtris exigentibus provenire non eſt dubium, ut Romana Eccleſia, quæ mater & caput Eccleſiarum omnium eſt, per tyrannidem oppreſſa debilitetur*. Ex quo & patet, deceptum Joannem Stellam, quando ſcripſit, Creſcentium & ſeditioſos Pontificis pedibus provolutos veniam petiiſſe, *atque ita ad concordiam* redactos, *vitam ſimili quiete uſque in finem* perduxiſſe. Quæ enim de Creſcentio infra in Gregorio V, & Joanne Placentino Antipapa, dicto Ioanne XVI, narrabimus, demonſtrabunt Creſcentium uſque ad mortem Romæ tyrannidem exercuiſſe.

IV. *Hamburgenſi Archiep. Pallium mittit.*

Adaldago Hamburgenſi Archiepiſcopo anno nongenteſimo octogeſimo octavo vitam cum morte commutanti ſucceſſit Libentius, natione Italus, qui Adaldagum ex Italia redeuntem comitatus erat, ut ſcribit Adamus Bremenſis lib. 2 cap. 19, & ſeq. Ad Libentium Joannes Papa eodem, vel ſequenti anno Pallium miſit, eodem Adamo Bremenſi teſte, qui hunc Archiepiſcopum ſcribit fuiſſe virum literatiſſimum, & *in quo nihil reprehenſibile vel inimicus poſſit objicere*. Ejus poſtea virtutem, abſtinentiam, humilitatem, caritatem, aliaſque virtutes commemorat.

V. *S. Adalbertum Pragenſem Epiſcopum in ſuam Sedem redire jubet.*

Dictmarus, quem ſub Joanne XIII primum Pragenſem Epiſcopum ordinatum diximus, obiit anno nongenteſimo octogeſimo tertio, in cujus locum ſubrogatus eſt Adalbertus; qui anno nongenteſimo nonageſimo relicto Epiſcopatu Romam venit, & in monaſterio Sanctorum Bonifacii & Alexii, de quo in Benedicto VII locuti ſumus, monachum induit. Sed cùm in eo monaſterio integro quinquennio monachi vitam profeſſus eſſet, Willigiſus *Archiepiſcopus Moguntinus beati Præſulis gregem ſine paſtore ire conſpiciens, miſit Legatos cum literis, per quos Domnum Apoſtolicum de Sancti viri reditu interpellat*, inquit primus Auctor Vitæ S. Adalberti cap. 25 apud Bollandum ad diem 23 Aprilis, & apud Mabillonium Sæc. V Benedictino pag. 846. *Facta eſt*, ſubdit idem Auctor, *Romæ Synodus pro hac cauſa, & oritur utrimque litigium grande, ex una parte eorum, qui Monachum perdere timuerunt; ex alia eorum, qui paſtorem ſuum cum auctoritate quæſierunt. Cùmque invicem diu pugnantibus ſententiis utraque pars diu decertaret, tandem dubiam Nunciorum Primas* (qui in alia Vita appellatur *Radla*, ac frater Boleſlai Bohemiæ Ducis) *vix promeruit victoriam. Hic ipſe Primas frater erat Ducis, cujus terræ, cui exigebatur Epiſcopus, præfuit. Tum Apoſtolicus non tam voluntate, quàm jure Dei permotus, talia reſpondit: Reddimus quod juſtè quærunt; quamvis de bono patre jam degeneraſſent filii, & dabimus eum hac lege: Si audierint eum, teneant cum Dei benedictione, faciantque ſub ipſo fructum centuplum: Si autem à conſueta iniquitate ſua recedere nolunt, hic noſter abſque periculo ſui capitis malorum conſortia declinet*. Synodus hæc habita eſt anno tantùm 994, poſt quinquennium ſcilicet à Monachatu Sancti Adalberti, ut ex ejus Vita eruitur, ad quem etiam annum refertur in codice MS. apud Serarium pag. 720, ut notat Mabillonius laudatus pag. 858, ideoque à Joanne XV Papa S. Adalbertus Pragam redire juſſus eſt. Sed cùm Pragam perveniſſet, & Pragenſes in carnalem partem relaberentur, iterum anno 995 Romam petiit, & in eodem monaſterio ſe recepit, iterum abdicato Epiſcopatu Pragenſi, ad quem denuò redire coactus eſt anno 996.

VI. *Inter Angliæ Regem & Normanniæ Ducem pacem conciliat.*

Obortâ inter Ethelredum Angliæ Regem, & Richardum Normannorum Ducem controverſiâ, Joannes Pontifex anno nongenteſimo nonageſimo Leonem Chorepiſcopum Trevirenſem Apoſtolicæ Sedis Apocriſarium creavit, eumque in inſulam Britanniæ de pace Legatum miſit, cujus ſolertiâ optatæ pacis fructum retulit. Malmesburienſis lib. 2 de Reg. cap. 10 Epiſtolæ Joannis Papæ exemplar recitat, ad omnes fideles datæ, in qua Pontifex ait, Leonem cum exhortatoriis ex Urbe magnis viarum intervallis à ſe miſſum ad oram Maritimam, *in die Nativitatis Domini* perveniſſe *ante conſpectum Regis præfati*, conſilioque cum eo habito de pace, Legatos ex Anglia datos trajeciſſe in Galliam, & perveniſſe Rotomagum uſque *ad Richardum Marchionem*, ſeu Ducem, ac denique Rotomagi Ethelredum inter, & Richardum pacem ſanxiſſe *Kalendis Martii anno ab Incarnat. Domini 991 indict. quarta*. Hæc Epiſtola extat Tomo 9 Concil.

VII. *Primus ſolemnibus canonizationibus dat initium.*

Anno nongenteſimo nonageſimo tertio Joannes Pontifex Synodum, exeunte menſe Januario, Romæ celebravit, in qua ſanctum Udalricum Auguſtenſem Epiſcopum canonizavit, ut conſtat ex diplomate canonizationis, quod extat apud Baronium, & eodem Tomo 9 Conciliorum, in cujus fine legitur: *Data tertio Kalendas Februarias* (legendum *tertio Nonas Februarias*, quod deducitur ex ipſomet reſcripto Apoſtolico, in quo legitur pridie Kalendas Februarias Pontificem Romæ Synodum congregaſſe, ut libellus de Vita & miraculis Udalrici recitaretur; quare ſi Synodus

SÆC. X. JOANNES XV.

dus die ultima Januarii congregata fuit, die antecedenti canonizatio fieri non potuit) *per manum Joannis Epiſcopi*, & cetera num. 2 à nobis recitata. Et hæc prima eſt ſolemnis canonizatio, de qua controverſia eſſe non poteſt; nam quod ait Baronius, jam tempore Leonis III ſolemnes Sanctorum canonizationes in uſu fuiſſe, à nobis in ejus Pontificatu rejectum eſt, & oſtenſum, hunc ſanctum Pontificem Sanctum Suidbertum non canonizaſſe. Primum itaque indubitatæ fidei monumentum (inquit Mabillonius in Præfatione Sæculi V Benedictini num. XCIX & ſeq. ex quo excerpemus, quæ de ea materia in medium adduxit) de ſolemni per Romanum Pon„tificem canonizatione invenimus diploma „Joannis XV, qui in frequenti Epiſcopo„rum Conventu, ad preces Liutulfi Epi„ſcopi Auguſtani, Udalricum ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum in Sanctorum album retulit anno *993* (apud Mabillonium erro„re typographi legitur *995*) „Joannis literas damus integras in fine Vitæ Sancti Udalrici.

VIII. Canonizationis forma.

„Sed fragmentum huc adducere ju„vat ad probandam canonizationis for„mam: *Cùm Conventus eſſet factus in pa„latio Lateranenſi pridie Kalendas Februa„rias, reſidente Joanne Sanctiſſimo Papa cum „Epiſcopis & Presbyteris, adſtantibus dia„conibus & cuncto Clero, ſurgens Reve„rentiſſimus Liutolfus Auguſtæ Epiſcopus, „inquit: Domine Sanctiſſime præſul, ſi vo„bis placet & omnibus Epiſcopis & Presby„teris hic reſidentibus, libellus, quem præ „manibus habeo, coram Vobis legatur de „Vita & miraculis venerabilis Udalrici, „Sanctæ Auguſtanæ Eccleſiæ dudum Epiſco„pi, & quod libitum fuerit Vobis decerna„tur.* Iis perlectis ſanxit Pontifex, *qua„tenus memoria Udalrici jam præfati vene„rabilis Epiſcopi divino cultui dicata exi„ſtat, & in laudibus Dei devotiſſimè per„ſolvendis ſemper valeat proficere.* Id ve„rò ea ratione à Liutulfo factum exiſti„mamus, ut S. Udalrici cultus, quem „ipſe in ſola Auguſtenſi Eccleſia inſtituere „poterat, latiùs propagaretur auctoritate „Romani Pontificis, quod alii poſtea in „religionem verterunt.

IX. Quædam Canonizationes inſigniores ante Alexandrum III.

„In Gallia quidem Richardus Cor„bejæ Abbas, miſſis ad Joannem XX „Legatis, ut ſcribit Gerardus, Adalhar„di Abbatis elevationem fieri impetravit „anno 1020, quod etiam de Paſchaſio „Radberto conceſſum eſt anno 1073; in „Alamannia verò Nortpertus Abbas ad „Sanctum Gallum *adminiculante Henrico „Imp. & conjuge ejus Agnete, hoc obtinuit „apud Dominum Apoſtolicum Clementem ſe„cundum, recitata Vita beatæ Wiboradæ, „ejuſque miraculis, de tamdiu neglecta re „ab ipſo Papa redargutus, quatenus ipſam „præeunte Theodorico Conſtantienſi Epiſcopo „canonizaret, & pro ſancta haberi præcipe„ret, & anniverſarium ipſius diei ſolemni„zandum inſtitueret*, ut ſcribit Burchar„dus Monachus in cap. 6. Sub hæc Leo „IX anno 1053 Gerardum Tulli-Leuco„rum Epiſcopum, Sanctis adnumerari præ„cipit, *annuente ac laudante Synodo La„teranenſi*, decernens, ut ex hoc ſanctus „haberetur, colereturque IX Kal. Majas „tam Tulli-Leucorum, quàm ubique ter„rarum, ſicut ceteri Sancti. Literas Pon„tificias habes ad calcem hujus libri. „Wolfgangum item Ratiſponenſem An„tiſtitem eodem honore decoravit idem „Pontifex; cujus item permiſſu elevatum „eſt corpus Sancti Bertini, tametſi inter „Sanctos jam honorati, ut in Sæculo III „Benedictino legitur. Refert poſtea Mabillonius plures alias Sanctorum canonizationes ante Alexandrum III factas, ſcilicet Petri Anagnienſis Epiſcopi per Paſchalem II, S. Hugonis Gratianopolitani Antiſtitis, & Sturmii Abbatis Fuldenſis per Innocentium II, ac S. Henrici Imperatoris per Eugenium III, de quibus, ſuis locis, ſermo erit; quibus addere poterat canonizationem S. Godehardi Hildesheimenſis Epiſcopi ab eodem Innocentio II factam. Ibidem etiam obſervat tum ex diplomate Joannis XV, tum ex Epiſtola Udalrici Conſtantienſis Epiſcopi ad Calliſtum II, de qua in hujus Pontificis Vita loquemur, tum ex literis Eugenii III pro canonizatione S. Henrici Imperatoris, examen pro illis canonizationibus in Conciliis generalibus fieri debuiſſe, & tempore ejuſdem Calliſti II morem jam receptum fuiſſe conſulendi Sedem Apoſtolicam ſuper Sanctorum canonizatione. Sed hoc non obſtante ante Alexandrum III Metropolitanos antiquum morem quodammodo retinuiſſe, tum annuendo ſimul cum Papa Sanctorum elevationi & canonizationi, tum etiam ſola auctoritate, utrumque pro Eccleſia ſua præſtando. Qua de re vide dicenda in Alexandro III.

SÆC. X. JOANN. XV.

X. Legatio ad Joannem PP. adverſus Arnulphum Remenſem Epiſcopum.

Arnulphus Lotharii quondàm Francorum Regis filius naturalis anno nongenteſimo octogeſimo octavo, ab Hugone & Roberto Francorum Regibus dictus eſt Archiepiſcopus Remenſis; ſed cùm poſtea ab iis defeciſſet, ut ſtaret à partibus Caroli Lotharingiæ Ducis, anno Chriſti nongenteſimo nonageſimo Hugo Rex & Remenſis diœceſeos ſuffraganei contra eum ad Joannem Papam Legatos miſêre, eumque infidelitatis & inſignis proditionis reum fecêre, poſtulantes, ut ſibi liceret ei Archiepiſcopatum abrogare; non tantùm quia Carolo Urbem tradiderat contra fidei ſacramentum, ſed etiam quòd contra jus gentium

& captivitatis, in qua ipſe videri volebat detineri, ſub ſignis Caroli milites collegiſſet, & vocatus ab Epiſcopis venire contempſiſſet. Id conſtat ex ejuſdem Hugonis Regis & Epiſcoporum literis ad Joannem Papam, quæ extant Tomo IX Concil. Sed, ut num. 3 jam diximus, nullo accepto à Papa reſponſo, in Gallias redierunt anno 991.

XI. *Arnulphus in Synodo Remenſi deponitur.*

Cùm itaque Legati illi, qui ad Joannem XV miſſi fuerant, ut Pontifex in dejectione Arnulphi & in novi Archiepiſcopi ordinationem Hugoni Regi & Epiſcopis Galliarum ſuffragaretur, Româ re infecta rediiſſent, Synodum Remenſem Rex convocavit, ad eamque captivus ductus eſt Arnulphus, quia, Lauduno ab Aſcelino, ſeu Adelberone Epiſcopo Laudunenſi, Hugoni Regi tradito, Arnulphus, qui ibi cum Carolo Lotharingiæ Duce agebat, captus fuerat. Habita eſt Synodus die decima ſeptima menſis Junii anni nongenteſimi nonageſimi primi, indictione quarta, ut docet accurata editio Actorum ejus apud Ducheſnium Tomo IV pag. 101. Duabus ſeſſionibus, bidui ſpatio Concilium peractum. Priori conſeſſu in utramque partem cauſa Arnulphi diſcuſſa; & poſteriori, cui Hugo, & Robertus Reges interfuere, extortus eſt ab Arnulpho libellus abdicationis. Poſt latam in Arnulphum ſententiam, ſucceſſorem illi ſubſtitui Gerbertum Hugo Rex poſtulavit, quòd ejus operâ multis in rebus utiliter uſus fuiſſet, ipſeque Roberti filii Regis præceptor extitiſſet. Gerbertus itaque in Archiepiſcopum Remenſem inauguratus eſt reluctante Seguino Senonenſi Archiepiſcopo, quem aliqui in ejus depoſitionem conſenſiſſe perperam ſcripsêre; cùm Seguinum eidem reſtitiſſe, optimè Baronius probarit, qui & Arnulphi depoſitionem abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ decretam, nullam fuiſſe pluribus etiam probat.

XII. *Joannes PP. ejus Judices à ſacris abſtinere jubet.*

Cùm hæc audiſſet Joannes Papa, Epiſcopos, qui in cauſa Arnulphi Judices ſederant, à ſacris abſtinendos juſſit. Quare Remenſis Eccleſiæ Archidiaconus, Hugonis Regis & Epiſcoporum nomine, ad Pontificem miſſus eſt, qui ſcripta Apologetica pro Synodo, & Hugonis Regis, Pontificem ad colloquium Gratianopoli habendum invitantis Epiſtolam ſecum detulit. Inter Epiſtolas Gerberti à Ducheſnio ex exemplari Sirmondi editas, trigeſimæ octavæ ad Joannem Papam datæ tenor hic eſt: *Sanctiſſimo veſtro Apoſtolatui ſubripi me cujuſpiam pervaſionis reum videri, dolore vehementer afficior, & totis viſceribus ingemiſco. Eo quippe animo in Eccleſia Dei hactenus verſatus ſum, ut multis profuerim, neminem læſerim. Non ergo Arnulphi peccata prodidi; ſed publicè peccantem reliqui; non ſpe, ut mei æmuli dicunt, capeſcendi ejus honoris, teſtis eſt Deus, & qui me noverunt, ſed ne communicarem peccatis alienis.*

XIII *Legatum mittit pro reſtitutione Arnulphi.*

Anno autem nongenteſimo nonageſimo quinto idem Joannes Pontifex Leonem monaſterii Sanctorum Alexii & Bonifacii Abbatem Legatum in Gallias miſit, qui IV Nonas Junii Moſomi (urbs eſt ad Moſam in Campania ſita, vulgò *Mouſon*) Concilium habuit, in quo lectis Joannis Papæ literis, Gerbertus auditus cauſam ſuam magno ardore proſecutus eſt, ſed à ſacris abſtinere juſſus uſque ad Synodum Remenſem. Quam Synodum indixit Leo Pontificis Legatus ad Kalendas Julii ejuſdem anni. In ea Gerbertus depoſitus, & Arnulphus ſedi ſuæ reſtitutus eſt auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Sed licèt hæc reſtitutio facta fuerit anno 995, ſedem tamen ſuam non recepit Arnulphus, niſi annis poſt Leonis Legationem & Synodum Remenſem tribus, jam demortuo Hugone Rege, Roberto ejus filio regnante, & Gregorio V Eccleſiam Romanam regente, ut conſtat ex Aimoino in Vita Sancti Abbonis Floriacenſis Abbatis, & ex Abbonis ad Gregorium V Epiſtola ibidem deſcripta.

XIV. *Moritur.*

Marianus Scotus, Martinus Polonus, & Auctores Catalogorum unanimi ferè conſenſu docent, Joannem XV Papam undecimum Sedis annum inchoaſſe, ſed cùm dies ejus emortualis incompertus ſit, quot menſes ac dies ſupra annos decem Pontificatum geſſerit, divinare potis non eſt. Baronius quidem refert ex Manlio epitaphium, in quo dicitur Joannem mortuum die ſeptimâ Maji. Sed de hujus epitaphii ſinceritate meritò dubitat Papebrochius, tum propter ſilentium Romani Canonici, Manlio antiquioris atque fidelioris, tum propter alias rationes, quæ apud ipſum legi poſſunt. Illud ergo tantùm certum, Joannem XV obiiſſe anno nongenteſimo nonageſimo ſexto, ut teſtatur Chronographus Hildensheimenſis, ad eum annum ſcribens: *Indictione IX Joannes Papa objit*. Indictio autem IX in curſu erat anno 996. *Summus ipſis diebus Pontifex* Joannes XV, inquit prior Auctor Anonymus Vitæ S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi, qui hoc tempore vivebat, num. 30, *acerrima febre correptus, corpus terræ, animam cœlo, utraque in ſua dimiſit exordia*. Quæ verba Joannem optimum fuiſſe Pontificem non obſcurè indicant.

XV. *Ejus doctrina, & rei militaris peritia.*

Joannes XV *fuit vir tanto magiſtratu digniſſimus*, inquit Joannes Stella, *utpote imprimis in re militari exercitatiſſimus, & inſigni doctrina clariſſimus, quique & nonnulla edidit librorum volumina*. Idem ſcribunt Sanctus Antoninus, & Wernerus Rollewink in Faſciculo Temporum, Joanne Stella antiquiores: *Iſte Joannes*, ait Wernerus, *fuit in armis eruditus, & plures libros*

Digitized by Google

 bros compoſuit. Idem habet Martinus Polonus: *Hic fuit*, inquit, *in armis erudittiſſimus*, *& multos libros compoſuit*. Cùm itaque omnes illi Auctores, non eruditione tantùm & doctrinâ, ſed etiam arte militari Joannem inclaruiſſe aſſerant, immeritò veretur Papebrochius, ne Stella pro re literaria malè legerit, Joannem fuiſſe rei militaris exercitatiſſimum, quæ nihil, inquit, magnoperè confert ad dignum Pontificem faciendum. Nam præterquamquod Joanni Stellæ ſuffragantur S. Antoninus, Wernerus, & ipſis antiquior Martinus Polonus, ipſe Stella, non in re tantùm militari, ſed & in re literaria Joannem exercitatiſſimum fuiſſe ſcripſit, unum enim aliud non excludit; licèt autem rei militaris peritia nihil conferat ad dignum Pontificem, multum tamen confert ad dignum Principem fac[illegible]dum, & conſequenter in laudem cedere poteſt Romani Pontificis, qui non ſolùm in ſpiritualibus principatum obtinet, ſed & maximus Princeps eſt ratione dominii temporalis. Quare Sanctus Leo hujus nominis IX Conſtantino Monomacho Græcorum Imperatori ſcribens, de expeditione à ſe contra Normannos ſuſcepta, ut legere eſt in ejus Vita à Wiberto conſcripta lib. 2 cap. 10, *non tantùm exteriora bona*, inquit, *pro liberatione ovium Chriſti cupiens impendere*, *ſed ſuper impendi ipſeque optans*, *viſum eſt mihi ad teſtimonium nequitiæ ipſorum nihil ſic expedire ad repreſſionem contumaciæ*, *quàm humanam defenſionem undecumque attrahendam fore*: *audiens ab Apoſtolo*; *Principes non ſine cauſa gladium portare*, *ſed miniſtros Dei eſſe*, *vindices in ira omni operanti malum*. Jam etiam ſuperius vidimus Joannem X Saracenos, totam Italiam, ipſamque urbem Romam devaſtantes, collectis undique copiis & auxiliis, è Gariliano monte expuliſſe, quod toti Italiæ & Eccleſiæ mirè utile fuit. De Sancti Leonis expeditione vide dicenda in ejus Pontificatu, & Baronium ad annum 1053 num. 13 & ſeqq. ubi refellit Petrum Damiani eam reprehendentem. Vide dicenda in Gregorio VII num. 20.

GREGORIUS V *Pontif. CXLI.*

Anno Domini DCCCCXCVI.

I. *Romani Legatos ad Ottonem pro eligendo Pontifice mittunt.*

POſt Joannis XV mortem Sedem ceſſaſſe diebus 6, tradit Marianus Scotus; ſed diuturnius fuiſſe interpontificium, non obſcurè indicat prior Auctor Vitæ Sancti Adalberti Pragenſis Epiſcopi, qui hoc ipſo tempore vivebat, apud Mabillonium Sæculo V Benedictino. *Hoc ipſo tempore*, inquit Auctor ille num. 30, *iter agit Romam Rex Francorum* (ita Germaniæ Reges ſæpe vocati reperiuntur) *Otto tertius pulcri Cæſaris pulcherrima proles*, *decurſis quippe puerilibus annis*, *cùm jam velut lanugine barbæ floreret*, *& virtus major annis Imperatoriam ſibi expoſceret dignitatem*. *Roma autem cùm caput mundi*, *& urbium domina ſit*, *ſola reges imperare facit*; *cùmque Principis Sanctorum corpus ſuo ſinu refoveat*, *meritò Principe terrarum ipſa conſtituere debet*. *Summus ipſis diebus Pontifex* (nempe Joannes XV) *acerrima febre correptus*, *corpus terræ*, *animam cœlo*, *utraque in ſua dimiſit exordia*. *Rex autem Otto Alpium nives multo milite tranſmeans juxta ſacram urbem Ravennam regalia caſtra metatus eſt*. *Ibi in ejus occurſum veniunt Epiſtolæ cum Nuntiis*, *quas mittunt Romani Proceres*, *& Senatorius ordo*; *primò illius adventum*, *velut toto tempore paternæ mortis non viſum*, *totis viſceribus deſiderare*, *ac debita fidelitate pollicitantur exſpectare*. *Deinde in morte domni Apoſtolici*, *tam ſibi*, *quàm illis non minimam invectam eſſe partem incommodorum annuntiant*, *& quem pro eo ponerent*, *regalem exquirunt ſententiam*.

II. *Gregorius V eligitur, & ordinatur.*

Erat tum in capella Regis, ſubdit idem Auctor, *quidam Clericus Bruno*, *ſecularibus literis egregiè eruditus*, *& ipſe Regio ſanguine genus ferens*, *magnæ indolis*, *ſed* (*quod minus bonum*) *multum fervidæ juventutis*. *Hunc quia Regi* (Ottoni) *placuit*, *à majoribus electum*, *Maguntinus Archipræſul Willigiſus*, *& ſuus collega Adelbaldus Epiſcopus adduxerunt Romam*. *Proinde à Romanis honorificè acceptum ad hoc ordinati Epiſcopi Apoſtolico honore promulgarunt*. Quæ omnia intra ſex dies vacationis Sedis, quos memorat Marianus Scotus, fieri non potuerunt. Cùm itaque dies ordinationis Brunonis, qui in Pontificatu dictus eſt Gregorius hujus nominis V, divinari non poſſit, ſufficiat hìc annotare, ejus ordinationem peractam eſſe anno 996, ante diem 31 Maji, quo, ex mox dicendis, Ottonem Imperatorem coronavit, & poſt diem 28 menſis Aprilis ejuſdem anni 996, quod ultimum eruitur ex diplomate, quo privilegium Abbatiæ S. Ambroſii anno 998 confirmavit Tomo IX Concil. pag. 555; ejus enim hæc eſt ſubſcriptio: *Datum IV Kal. Majas per manum Joannis Epiſcopi S. Albanenſis Eccleſiæ*, *& Bibliothecarii S. Apoſtolicæ Sedis*, *anno*, *Deo propitio*, *Pontificatûs domni Gregorii ſummi Pontificis & univer-*

SÆC. X. GREGORIUS V.

verſalis quinti Papæ, in ſacratiſſima Sede Beati Petri Apoſtoli ſecundo: imperante domno Ottone tertio, à Deo coronato, magno, & pacifico Imperatore, anno II, in menſe & indict. ſupra ſcripta XI. Scriptum per manus Petri Notarii & Scrinarii S. R. E. in menſe Aprili & indictione undecima. Quod ſi anno 998, die 28 Aprilis, Gregorius ſecundum Pontificatûs annum adhuc numerabat, certè poſt eum diem anno 996 primum exorſus erat.

III. Ottonem III Imperatorem coronat.

Paucis poſt ordinationem Gregorii Papæ diebus, Otto Germaniæ Rex Romam pervenit, & ab eo coronam Imperialem accepit; laudatus enim Auctor vitæ S. Adalberti, ſtatim poſt ſuperiora verba ſcribit: *Superveniens etiam Rex Romano more egregiè accipitur. Deinde magno gaudio omnium Imperatorium attigit apicem. Lætantur cum Primoribus minores civitatis, cum afflicto paupere exultant agmina viduarum, quia novus Imperator dat jura populis, dat jura novus Papa.* Hanc Ottonis tertii coronationem peractam eſſe in ſolemnitate Pentecoſtes, quæ anno 996 concurrebat cum die 31 Maji, docet nos Chronicon Hildenſheimenſe ad eundem Chriſti annum, *Indict.* IX, inquit, *Joannes Papa obiit. Unde Imperator in Italia poſitus, rumore incitatus, præmiſſis quibuſdam Principibus, publico conſenſu & electione fecit in Apoſtolicam Sedem ordinari ſuum nepotem Domnum Brunonem, Ottonis filium, qui Marchiam Veronenſem ſervabat, impoſito nomine Gregorii, à quo & ipſe proximo ſolemni Pentecoſtes Imperator & Patricius conſecratur.* Chronographo iſti Hildenſheimenſi, cujus Chronicon extat Tomo 3 Hiſtoricorum Francorum deſinens anno 1137, major fides videtur adhibenda, quàm Chronologo Saxoni MS. qui apud Papebrochium in paralipomenis ad Conatum Chronico-Hiſtoricum ait, Ottonem tertium *12 Kalend. Junii in ipſa Aſcenſionis Chriſti feſtivitate* à Gregorio V Imperatorem conſecratum; nam Chronographus Hildensheimenſis in omnibus aliis hanc narrationem ſpectantibus, Auctorem laudatum Vitæ S. Adalberti Pragenſis tunc viventem, conteſtem habet.

IV. Synodum Romæ celebrat.

Secundus Scriptor Vitæ ejuſdem S. Adalberti refert, Gregorium Papam Romæ Synodum congregaſſe, in qua huic ſancto, qui iterum Pragenſi Epiſcopatu abdicato Romam redierat in Monaſterium SS. Bonifacii & Alexii, injunctum fuit, ut ad Epiſcopatum ſuum rediret; ſed cùm vix adduci poſſet, ut locum peteret, ubi *animarum fructum* non faciebat, à Gregorio V obtinuit, ut ad externas & incultas gentes ſeſe conferret. Reverſus igitur in Germaniam S. Adalbertus, cùm, viſione in ſomnis facta, ſe martyrem futurum intellexiſſet, Polonis, Bohemis, & Hungaris fidem annuntiavit, & intra breviſſimum tempus multa peregit; in Hungaria Geiſam Hungarorum Regem baptizavit, & poſtea ejus filium, cui Stephani nomen impoſuit, tandemque IX Kalendas Maii anno 997 martyrio coronatus eſt. Ex eadem Synodo Romana Gregorius Papa dedit Epiſtolam ad Herluinum Cameracenſem Antiſtitem, ejuſque ſucceſſores, in qua narrat ſe Herluinum Epiſcopum conſecraſſe: *Quoniam verò*, inquit, *ſicut omnibus penè notum eſt, interveniente hac re, quæ inter Arnulſum Remenſis Eccleſiæ Archipræſulem, & Gerbertum invaſorem ejus excrevit, idem prædictus Herluinus præſul, illorum odiis, Remis canonico more conſecrari nequivit: ejus conſecratio ad Apoſtolicam Sedem uſque ad nos haud injuſtè pervenit.* Hanc Epiſtolam, quæ extat Tomo IX Concil. pag. 1245 in Synodo datam, ac præſente Ottone III Imperatore, docet Baldrici Noviomenſis Chronicon lib. 1 cap. 3.

V. In ea non instituti Electores Septem.

Ad hanc pariter Romanam Synodum, & ad Gregorium V Baronius, omneſque Geſtorum Pontificalium Scriptores, imò & Conciliorum Collectores referunt inſtitutionem *Electoralis Collegii*, ſeu Septem Virorum, penes quos ſolos eſſet Imperatoris eligendi poteſtas. Sed ſilentium omnium Antiquorum uſque ad medium ſæculum decimum tertium ſufficeret ad eam opinionem evertendam, etiamſi aliæ probationes deeſſent, ex quibus paucas hic afferam. Primò quidem Wippo Presybter teſtis oculatus electionis Conradi Salici Imperatoris, quæ facta eſt anno 1024, in Vita ejuſdem Conradi refert ſummorum nomina ſive Pontificum, ſive ſæcularium Principum, *qui tunc in regnis vigebant, quorum conſiliis conſuevit Francia* (nempè Teutonica) *Reges eligere*, paulòque poſt ſcribit: *Italiam tranſeo, cujus Principes in brevi convenire ad Regiam electionem* [nempè Conradi Salici, quam deſcribit] *nequiverunt, qui poſtmodum in urbe Conſtantienſi cum Archiep. Mediolanenſi, & reliquis Principibus occurrentes Regi, ſui effecti ſunt, & ei fidelitatem libenti animo juraverunt.* Poſt pauca pergit Wippo: *Supra memorati Epiſcopi, & Duces, ceterique potentes . . . . . . ne reſpublica diutius ſine Rege nutaret*, &c. *Tandem condicta eſt dies, notatuſque locus, fit publicus conventus, qualem me vidiſſe antea non memini*, &c. *Inter Moguntiæ confinia, & Wormatiæ locus eſt, amplitudine planitiei cauſa multitudinis maximè receptabilis*, &c. *Ibi dum conveniſſent cuncti Primates, &, ut ita dicam, vires & viſcera regni, cis & citra Rhenum caſtra locabant. Quò dum Galliam à Germania dirimat, ex parte Germaniæ Saxones cum ſibi adjacentibus Sclavis: Franci Orientales, Norici, Alemanni convenêre. De Gallia verò Franci,*

qui

Digitized by Google

qui ſuper Rhenum habitant, Ribuarii, Lotharingi coadunati ſunt. Refert poſtea Wippo Conrados duos inter multos, qui eligendi eſſent, ſequeſtratos: *In his duobus,* inquit, *id eſt in majori Chunone* (ita Conradum appellat) *& juniore diu pendebat reliqua nobilitas,* &c. *Archiepiſcopus Moguntinenſis, cujus ſententia ante alios accipienda fuit ...... elegit majorem Chunonem ſuum in Dominum & Regem,* &c. *Hanc ſententiam cæteri Archiepiſcopi, & reliqui ſacrorum ordinum viri indubitanter ſequebantur,* &c. *Tunc ſinguli de ſingulis regnis eadem verba electionis ſæpiſſimè repetebant.* Hæc fuſius ex Scriptore, qui electioni præſens fuit, narrata, ut manifeſtè conſtet Conradi Salici electionem, quæ viginti ſex circiter annis poſt Gregorii V mortem facta eſt, ad ſolos Septem Electores non fuiſſe coarctatam, & ipſos etiam Italos ad eam evocatos, ideoque jure ſuffragii potitos eſſe, quia nempè Rex Germaniæ, qui eligendus erat, Longobardorum regno præeſſe debebat.

VI. *Electores VII initio ſæculi XII nondum [in]ſtituti.*

Lotharius etiam Saxonum Dux, mortuo Henrico hujus nominis V abſque prole, electus eſt Imperator ab Epiſcopis & Proceribus Germaniæ. *Moguntinus enim Archiepiſcopus,* inquit Ordericus Vitalis, lib. 12 pag. 882, *qui potentia & ſtrenuitate pollebat, providentiaque ſua, ne ſchiſma, vel inordinata ſurreptio Imperii fieret, præcavebat,* EPISCOPOS ET PROCERES TOTIUS REGNI *cum exercitibus ſuis convocavit, cum quibus unà collectis de Imperatore conſtituendo tractavit. Inſignia quidem ab Imperatrice procuraverat ornamenta Imperii, antequam de tanto præſumpſiſſet negotio fari: Excellentiſſimi, inquit, Barones, qui adſiſtitis in hac planicie, me, quæſo, ſolerter audite, & prudenter intendentes his quæ dicam, obedite. Pro commoditate omnium veſtrum, & plurimorum, qui non adſunt, laboro .... Imperator noſter ſine prole defunctus eſt: cui Deo fidelis & devotus, Eccleſiæque filiis utillimus ſucceſſor ſapienter inquirendus eſt.* Refert poſtea Ordericus electum eſſe Lotharium, qui teſte Dodechino Abbate in Chronico, *tertio Kalend. Septembris* anni 1125 electus, ac Aquisgrani *Idibus Septembris inunctus* eſt Germaniæ Rex. Ex quibus deſtruitur commentum adſtruens Septem Electores à Gregorio V in Romana Synodo fuiſſe inſtitutos.

VII. *Neque initio ſæculi XIII.*

Sæculo decimo tertio ineunte Electorum numerus nondum ad ſeptenarium coarctatus erat; Arnoldus enim Lubecenſis, qui anno 1209 Chronico ſuo finem impoſuit, ad annum Chriſti 1208, de Ottonis IV electione loquens, ait: *Indicta eſt Curia in Halberſtad, ubi convenerat maxima pars Prælatorum, & Principum Saxoniæ, & Thuringiæ, nec defuit Herbipolenſis Chonradus. Omnes igitur Principes, qui convenerant, unanimi conſenſu Ottonem Romanum Principem, & ſemper Auguſtum elegerunt. Archiepiſcopo, qui primam vocem habere videbatur, inchoante, proſequente verò Bernardo Duce cum Marchione Miſnenſi, & Landgravio Thuringiæ, ad quos electio Regis pertinere videbatur.* Fridericus item II in publicis Comitiis anno 1210 electus fuit, ut ad eum Chriſti annum his verbis docet Abbas Urſpergenſis: *Tunc Principes Alemanniæ, Rex videlicet Bohemiæ, Dux Auſtriæ, Dux Bavariæ, & Landgravius Thuringiæ, & alii quamplures convenientes Fridericum Regem Siciliæ elegerunt in Imperatorem coronandum.* Sed Principes illi, & Officiales valdè diverſi erant ab Electoribus, & Officialibus hodiernis, ut videre eſt apud Leibnitzium in præfatione Codicis diplomatici, ubi fusè agit de Electorum origine, & obſervat ſub Friderico II formam aliquam accepiſſe Electorale munus, primamque verorum Electorum mentionem legi in Brevi Alexandri IV Gerardo Moguntino directo: et in eo ſeptem Electorum numerum non notari, qui expreſſis verbis legitur in literis Urbani IV *Richardo electo Regi Romanorum* datis *apud urbem veterem ſecundo Kalend. Septemb.* ſine ulla alia chronologica nota. Refertur hoc reſcriptum in prodromo novi Codicis diplomatici ſect. 4, & in eo hæc verba leguntur: *proponere curaverunt quaſdam conſuetudines circa electionem novi Regis Romanorum in Imperatorem poſtea promovendi, apud Principes vocem in hujuſmodi electione habentes, qui ſunt ſeptem numero, pro jure ſervari: & fuiſſe hactenùs obſervata à tempore, cujus memoria non exiſtit.* Sectione autem 8 Electores diſertè dicuntur, *Archiepiſcopus Trevirenſis, Archiep. Colonienſis, Bohemiæ Dux, Comes Palatinus, Saxoniæ Dux, & Marchio Brandeburgicus,* narraturque Archiepiſcopum Colonienſem procuratorio nomine agere pro Archiepiſcopo Moguntino, ad quem pertinet electionis diem præfigere, & ejus defectu ad Comitem Palatinum.

VIII. *Medio ſæculo XIII numerus ille prævaluit.*

Egregium hoc monumentum oſtendit electioni Alphonſi Caſtellæ Regis, & Richardi Comitis Cornubiæ, Angliæ Regis fratris, quæ facta eſt anno 1257, Septem Principes Electores interfuiſſe; ſed Matthæi Paris Auctoris coævi teſtimonium demonſtrat, numerum Septem Electorum fuiſſe tunc rem novam, & ſine contradictione non admiſſam; ait enim ad annum 1258: *Hi ſunt maximi Principes in Alamannia ad quorum nutum pendet electio ipſius Regis, quod eſt quaſi arrha Imperii Romanorum. Archiepiſcopus Colonienſis, Archiepiſcopus Moguntinus, Archiepiſcopus Trevirenſis, Rex Bohemiæ, Comes Palatinus de Rheno, Dux Auſtriæ, Dux Sueviæ, Dux Polo-*

Digitized by Google

Poloniæ, *Marchiſius Brandeberg*, *Dux de Meran*, *Dux Brabantiæ*, *qui & Lovanii*, *Landgravius Thuringiæ*, *Marchio Miſniæ*, qui omnes proinde electionis jure potiri contendebant, ideoque ſeptem Electorum poſſeſſio nondum plenè ſtabilita erat. Septem virorum numerum adhuc eo tempore difficultatem paſſum eſſe, liquet etiam ex Alberto Stadenſi, & ex Erkone de Repkavio in Speculo Saxonico, qui uterque Scriptor circa annum 1260 floruit. Ex quibus omnibus liquet, inſtitutionem Septem virorum, ſeu Septem Imperii Electorum Gregorio V Papæ malè adſcriptam eſſe.

IX. *Pontifex Rom. Electiones Impp. approbare, vel reprobare poteſt.*

Certum tamen eſt, tam ante, quàm poſt ſeptenarium illum numerum Electorum in uſum vocatum, Pontifices Romanos, à quibus renovatum eſt Imperium Occidentale, jus ſuum illæſum conſervaſſe, & electiones aut approbaſſe aut reprobaſſe. Jus illud Romani Pontificis recognoverunt ſucceſſores Caroli Magni, qui Imperatoris nomen ſibi aſſumere non præſumebant, antequam à Summo Pontifice coronati, benedictique eſſent, quod teſtatur Ludovicus II Imperator Caroli M. abnepos, ad Baſilium Imperatorem Græcorum ſcribens, apud Ducheſnium Tomo 3 Hiſt. Franc. *Francorum Principes*, inquit, *primò Reges*, *deinde verò Imperatores dicti ſunt*, *ii duntaxat*, *qui à Romano Pontifice ad hoc oleo ſancto perfuſi ſunt*. Idem non obſcurè indicat Monachus Anonymus Auctor vitæ Sancti Adalberti Pragenſis Epiſcopi, numero primo à nobis laudatus, qui ſedente Gregorio V ſcripſit, ait enim: *Roma autem cùm caput mundi*, *& urbium domina ſit*, *& vocetur*, *ſola Reges imperare facit*; *cùmque Principis Sanctorum corpus ſinu ſuo refoveat*, *meritò Principem terrarum ipſa conſtituere debet*; antea autem dixerat, Ottonem III *Imperatoriam ſibi* expoſcentem *dignitatem*, Romam profectum eſſe, ut eam aſſequeretur. Ideo porrò hic Auctor vocat Imperatorem *Principem terrarum*, quia Germaniæ Reges jus habent, ut Imperatores appellentur, utque primum inter Principes Chriſtianos locum obtineant, quod jus promanat à Romanis Pontificibus, qui ſe ad eos confirmandos & coronandos obſtrinxerunt, modò nullus occurreret in electione defectus, ut ait Innocentius III mox laudandus.

X. *Electorum jus à Pontifice Rom. emanat.*

Certum pariter eſt jus eligendi Imperatores à Romanis Pontificibus emanaſſe. Diſertè illud teſtatur Innocentius III in Epiſtola ad Bertholdum Zaringiæ Ducem poſt Ottonis IV Imperatoris electionem. Ibi enim cap. *venerabilem de electione* Innocentius ait: *Illis Principibus jus*, *& poteſtatem eligendi Regem*, *in Imperatorem poſtmodùm promovendum recognoſcimus*, *ut debemus*, *ad quos de jure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere*; *præſertim cùm ad eos jus*, *& poteſtas hujuſmodi ab Apoſtolica Sede pervenerit*, *quæ Romanum Imperium in perſona magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos*. *Sed & Principes recognoſcere debent*, *& utique recognoſcunt*, *ſicut iidem in noſtra recognovêre præſentia*, *quod jus & auctoritas examinandi perſonam electam in Regem*, *& promovendam ad Imperium*, *ad nos ſpectat*, *qui eum inungimus & coronamus*. *Eſt enim regulariter & generaliter obſervatum*, *ut ad eum examinatio perſonæ pertineat*, *ad quem impoſitio manûs ſpectat*. *Nunquid enim ſi Principes non ſolùm in diſcordia*, *ſed etiam in concordia ſacrilegum quemcumque*, *vel excommunicatum*, *tyrannum*, *fatuum*, *vel hæreticum eligerent*, *aut paganum*, *nos inungere*, *conſecrare*, *aut coronare hominem hujuſmodi deberemus? Abſit omninò*. Idem aſſerit Clemens V in Concilio Viennenſi in Clementina, *Romani Principes*, *de jurejurando*. Et hæc ſatis de Electoribus ſacri Romani Imperii. Nunc ad Gregorium V redeamus.

XI. *Gregorius PP. Roma pulſus Ticini Concilium celebrat.*

Chronographus Hildensheimenſis num. 3 laudatus, poſtquam dixit Ottonem III à Gregorio V Imperatorem conſecratum eſſe, ſubdit: *Habitoque cum Romanis Placito*, *quendam Creſcentium*, *quia priorem Papam* (nempè Joannem XV) *injuriis ſæpè laceravit*, *exilio ſtatuit deportari*. *Sed ad preces novi Apoſtolici Imperator omninò remiſit*: *ſed non multò poſt Imperatore Urbe excedente*, *idem Creſcentius dominum Apoſtolicum nudum omnium Romana urbe expulit*. Hic eſt ille Creſcentius Nomentanus, qui, ut diximus in Joanne XV, jam anno 990 tyrannidem Romæ exercebat, quique anno 997 Gregorium V Româ expulit, & Joannem Placentinum Epiſcopum intruſit in Sedem Romanam, ut infra in ejuſdem Joannis geſtis videbitur. Româ Ticinum fugit Gregorius Papa, ibique Concilium celebravit, ut ſcribit idem Chronographus Hildensheimenſis ad annum 997. *Papa Ticini adunato plurium Epiſcoporum Concilio*, *præfatum Creſcentium anathemate perculit*. *Interea Joannes Placentinus Epiſcopus Conſtantinopoli remeans*, *Romam intromiſſus*, *Apoſtolicam Sedem factione Creſcentii invaſerat*. *Unde ab univerſis Epiſcopis Italiæ*, *Germaniæ*, *Franciæ*, *& Galliæ excommunicatur*. *Imperator quoque*, *ut Romanorum centinam purgaret*, *Italiam perrexit*. Eandem Joannis Placentini invaſionem factam operâ Creſcentii memorat Chronographus Magdeburgenſis ineditus, qui & anno 998 Ottonis III profectionem Romanam ita refert.

XII. *In Sedem ab Ottone III reſtituitur.*

Anno Domini 998 Imperator tantis præſumptionibus compertis, *ſecundam profectionem paravit in Italiam*. *Cui venerabilis Papa*

Digitized by Google

pa Gregorius Papæ obviam factus , dum ei peſſima Joannis , & Creſcentii narraſſet geſta, ille diu divino commotus zelo Romam quantocius perrexit cum Apoſtolico . Quod audientes præfati miniſtri ſathanæ , Joannes quidem fugam init ; Creſcentius verò præſidio , quod veterem Romam , & Leoninam attingit, caſtellum ſe cum ſuis incluſit . Tunc quidem non tantùm Imperatoris , quantùm Chriſti amici , inſequentes Joannem, comprehenderunt eum : ſed timentes , ne ſi eum ad Auguſtum deſtinarent , impunitus abiret, linguam ei & nares amputarunt , oculoſque pariter eruerunt . Hoc itaque mulctato divinitus domnus Papa Gregorius Sedem Apoſtolicam honorificè recepit , eamque uſque ad obitum ſuum liberè inſedit . Cùm autem, ex infrà dicendis , Joannes Placentinus è Sede Romana fugerit circa initium menſis Martii anni 998, ut tradit Auctor Vitæ Sancti Nili Hegumeni apud Baronium anno 997 num. 23,& huic Joanni in Catalogis menſes X attribuantur , liquet eum ſedem invaſiſſe initio circiter menſis Maii anni 997 menſe Martio anni 998 captum, & linguam oculoſque ei erutos .

XIII. *Placentinam Eccleſiam Ravennenſi reſtituit.*

Imperator igitur , pergit laudatus Chronographus, *Romam adveniens* , anno 998 poſt initium menſis Martii , *Sanctiſſimam illic Chriſti Reſurrectionem celebravit, ſtatimque poſt Albas ſcalis & machinis arcem , quam Creſcentius inſederat , hactenus omnibus inexpugnabilem ,fortiter expugnat, illumque captum decollari, & è ſummo præcipitatum in patibulo pedibus juſſit ſuſpendi.* Huc revocanda videtur Epiſtola Gregorii V ad Joannem Ravennatenſem Epiſcopum, qua Placentinam Eccleſiam à Joanne Ravennatenſi ablatam , & Metropolitanam dictam , eidem reſtituit , aitque : *Placentinam Eccleſiam injuſtè tibi à meo anteceſſore ablatam , & contra Canones ſub nomine Archiepiſcopatûs locatam , tibi tuiſque ſucceſſoribus* refutamus *in perpetuum* , ideſt ablatam dimittimus , & in tuum jus transferimus , ut pluribus exemplis oſtendit Ducangius in Gloſſario , voce , *refuto* . Sed cùm hæc Epiſtola data ſit *Indictione X* , *Nonis Julii* , ideſt anno 997, quo tempore veroſimile valde eſt Joannem Placentinum jam Eccleſiam Romanam invaſiſſe , ſi verum ſit hunc eam tenuiſſe per menſes X, vel data eſt alibi quàm Romæ , vel poſt ejus invaſionem Gregorius V aliquanto tempore Romæ ſubſtitit , quod ultimum non videtur admittendum ; vel tardius quàm menſe Majo ſchiſma Joannis inchoatum eſt .

XIV. *Roberti Franc. Regis inceſtas nuptias in Synodo Rom. reprobat.*

Anno nongenteſimo nonageſimo octavo Gregorius V in Sedem ſuam reſtitutus Concilium Romæ celebravit, quod extat Tomo IX Concil. pag. 772 octo canonibus conſtans, in quorum tertio per errorem legitur celebratum *præſidente D. Ottone III Auguſto Cæſare & D. Gregorio V Papa*, cùm Gregorius ipſe dicat ſe præfuiſſe, ita ſubſcibens: *Ego Gregorius ſancto-Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ præſul præfui & ſubſcripſi*. In illo itaque canone loco *præſidente*, legendum puto, *præſente D. Ottone III Auguſto Cæſare, & D. Gregorio V Papa præſidente*. Habitum illud præcipuè contra inceſtas nuptias Roberti Francorum Regis, qui, Odone Campaniæ Comite, anno circiter 995 mortuo, Bertam hujus viduam, Conradi Burgundiæ Regis ac Mathildis filiam, uxorem duxerat: *Illa autem commater ejuſdem fuerat Regis. Idem namque Rex filium ipſius de ſacro ſuſceperat lavacro*, ut legitur in veteri MS. Floriacenſi à Ducheſnio Tomo 4 pag. 85 publicato. Gallicani Præſules hujuſmodi affinitatis & cognationis rationem non habentes illas nuptias probarant : imò Erchambaldus Turonenſis Archiepiſcopus, aliique plures Epiſcopi illas præſentia ſua cohoneſtarant . Verùm Gregorius Papa nuptias illas inceſtas reputavit, ut conſtat ex canone primo hujus Concilii : *Ut Rex Robertus conſanguineam ſuam Bertam, quam contra leges in uxorem duxit, derelinquat, & ſeptem annorum pœnitentiam agat, ſecundùm præfixos Eccleſiaſticos gradus , judicatum eſt . Quod ſi non fecerit, anathema ſit. Idemque de eadem Berta fieri præceptum eſt.* Robertus poſtea Bertam dimiſit, ſed poſt annum milleſimum, & uxorem duxit Conſtantiam Willelmi I Comitis Provinciæ filiam, cognomento *Candidam* , ut pluribus probat Annotator Baronii ad annum 998. Ex quo & ſequitur, Epiſtolam, quæ dicitur à Gregorio V ſcripta ad Conſtantiam Reginam Roberti Regis uxorem menſe Novembri anni 998, in qua dicit ſe mittere Petrum Cardinalem Epiſcopum Legatum , ipſamque orat, ut eos qui villas Juliani, ut creditur, Andegavenſis prædati fuerant, Eccleſiaſtica Regiaque auctoritate coerceri curaret , ac Synodum Provincialem ea de cauſa haberi, eam, inquam Epiſtolam vel ſuppoſititiam eſſe, vel potius ab alio Pontifice quàm à Gregorio V fuiſſe ſcriptam. Hæc Epiſtola extat eodem Tomo IX Concil. pag. 756 ex Burchardo lib. 11 cap. 22, & ex Apographo Sirmondi, quod deſcripſerat ex codice S. Georgii Andegavenſis.

XV. *Quoſdam Epiſcopos Gall. in ea Synodo à communione ſuſpendit.*

Epiſcopi Gallicani, qui huic matrimonio conſenſerant, & Archiepiſcopus Turonenſis à ſacra communione canone ſecundo ſuſpenſi ſunt: *Erchembaldum Turonenſem Archiepiſcopum talis conjugii conſecratorem, cum omnibus Epiſcopis, qui conſentientes interfuerunt his inceſtis nuptiis Regis, & Bertæ conſanguineæ ſuæ, à ſacroſancta communione ſuſpendimus, donec ad hanc*

San-

Digitized by Google

Sanctam Sedem Apoſtolicam veniant ſatisfacturi. Baronius, qui hoc Concilium non viderat, quia poſt ejus mortem editum eſt Tomo IX Concil. refert fragmentum Epiſtolæ Leonis Papæ IX ad Henricum Regem Roberti filium, in qua Pontifex ſcribit, Epiſcopos Gallicanos *poſt ad Sedem Apoſtolicam venientes*, *cum ſatisfactione*, *ſuſceptâ pœnitentiâ*, rediiſſe *ad propria*. Ejus Epiſtolæ partem refert Ivo Carnotenſis part. 9 cap. 8.

XVI. *Merſeburgenſem Epiſcopatum in eadem Synodo reſtituit.*

Giſilerius Merſeburgenſis Epiſcopus tenebat tunc temporis Archiepiſcopatum Magdeburgenſem, unde in hac Synodo Romana accuſatus eſt, *quòd duas parochias teneret*, ut ſcribit Ditmarus loquens de ſecundo adventu Ottonis III ad Romanam urbem, & de hac Synodo. Quare Canone tertio ſtatutum eſt, ut Epiſcopatus Merſeburgenſis à Sede Apoſtolica & ab Ottone I fundatus, ab Ottone verò II deſtructus, *in proprium honorem redeat*. De Giſilerio autem Canone quarto ſtatutum eſt: *Si Giſilarius Sanctæ Magdeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus potuerit canonicè comprobare, quòd per ambitionem de minori Sede Merſeburgenſi, ad majorem Magdeburgenſem non migraverit: ut non deponatur, judicatum eſt. Sed ſi populi & Cleri invitatione migravit, in eadem permaneat Metropoli. Quòd ſi abſque eorum invitatione & electione migravit, non tamen per ambitionem & avaritiam factum eſſe conſtiterit, ad priorem redeat ſedem. At ſi per ambitionem & avaritiam negare non potuerit: definitum eſt, amittat utramque*. Docet autem Ditmarus hanc rem repoſitam fuiſſe *ad Concilium Provinciale Germaniæ*, ut ſcilicet examinaret, an Giſilerius per ambitionem ad Magdeburgenſem Eccleſiam migraſſet. Porrò Giſilerius à Benedicto Papa VII Pallium ſuſceperat, ut teſtatur Chronographus Magdeburgenſis à Meibomio publicatus, ex quo conſtat, eum de Simonia accuſatum, ab eodem Pontifice in Concilio Romano abſolutum fuiſſe, alioquin Pallium ab eo non recepiſſet. Vide dicta in Benedicto VIII. Alii Canones quatuor Tom. IX Concil. legendi.

XVII. *Arnulphum Remenſem Archiep. in Sedem reſtituit.*

Cùm Arnulphus Remenſis Archiepiſcopus à Joanne XV Sedi ſuæ reſtitutus fuiſſet, & tamen poſt mortem Hugonis Francorum Regis, quæ contigit die 24 Octobris anni 997, adhuc in carcere detineretur, *Gregorius, qui Joanni in Apoſtolica ſucceſſerat Sede, non ſolùm claritate generis, verùm etiam probitate clarus mentis, toti regno Francorum anathema ſe invecturum comminatus* eſſet, Robertus Rex ad placandum Pontificem, Abbonem Abbatem Floriacenſem Romam direxit, qui regreſſus *ad Regem, à quo miſſus fuerat, cuncta pro quibus ierat, perfecta nunciat: Arnulphum Remenſem cuſtodia exemptum Pontificatui reſtituit: Pallium illi à Domno Papa directum reddidit. Poſt hæc per internuncios ipſi venerabili Apoſtolico Domno Gregorio amicabiles plenaſque reverentiæ dirigit literas, in quibus innoteſcit, ſe cuncta, ut juſſerat, perfeciſſe*, inquit Aimoinus in Vita ejuſdem S. Abbonis, qui & ejus literas ad Gregorium Papam refert. Arnulphus itaque anno tantùm 998, jubente Gregorio V, in Sedem ſuam reſtitutus eſt, Palliumque ab eodem Pontifice miſſum accepit.

XVIII. *Gerbertum poſtea Papam Eccleſiæ Raven. præficit.*

Joanne Ravennatenſi Epiſcopo mortuo, Gerbertus, qui Sede Remenſi cedere coactus fuerat, Ottonis III Imperatoris favore à Gregorio Papa Ravennenſi Eccleſiæ præfectus eſt, ac Pallio donatus, auctuſque dominio temporali urbis, jure cudendæ monetæ, & Comaclenſi comitatu, confirmatis omnibus privilegiis, quibus Eccleſia, & Epiſcopi Ravennates ab aliis Pontificibus ornati fuerant. Epiſtola Gregorii V eâ de re ad Gerbertum data extat Tomo IX Concil. pag. 753, diciturque data 4 *Kal. Maji indictione* 11, ideoque anno 998. Gerbertus itaque eo anno Sedem Ravennatem obtinuit; quod & confirmatur ex ejus epitaphio, in quo, poſtquam de ejus ad Remenſem & poſtea ad Ravennatenſem Archiepiſcopatum promotione mentio facta eſt, dicitur:

Poſt annum Romam mutato nomine ſumpſit
Ut toto Paſtor fieret Orbe novus.

Quare cùm poſt annum unum ab adepto Archiepiſcopatu Ravennenſi dictus ſit Romanus Pontifex, & in omnium ſententiâ Gregorio V ſucceſſerit anno 999, Ravennenſi Sedi præfectus fuiſſe dicendus eſt anno 998.

XIX. *Gregorii V mors, ſepultura, & virtutes.*

Cùm conſtet ex ſuperius dictis Gregorium V ordinatum fuiſſe Romanum Pontificem poſt diem 28 Aprilis, & ante diem 31 Maji anni 996, & ex ejus epitaphio mox referendo conſtet etiam, eum obiiſſe die 18 Februarii, poſtquam ſediſſet annos duos *& menſes circiter octo*, neceſſariò dicendum eſt epitaphii conditorem, menſes Majum & Februarium, quibus ordinatus & mortuus eſt, ab illo numero excluſiſſe, quod denotatur illo adverbio, *circiter*, paulò amplius quàm menſes octo, ſupra annos duos, eum ſediſſe ſignificante; cùm neminem lateat, adverbium illud, & ſimilia modò exceſſum, modò defectum ſignificare; ideoque Gregorius V ſedit annos duos, menſes octo completos, & inſuper aliquos dies menſis Maji, & aliquos menſis Februarii, qui ibidem negliguntur, obiitque die 18 Februarii anni nongenteſimi nonageſimi noni. Illud epitaphium, quod adhuc in Baſilica S. Petri prope Altare S. Andreæ extare aſſerit, quodque recitat Romanus Canonicus hic ex-

Digitized by Google

exſcribendum duxi, tum quia ex eo de die ejus obitûs nobis conſtat, tum quia ex eo Gregorii V liberalitas in pauperes, ejus genus, & alia quædam nobis innoteſcunt.

Hic quem tegit humus, oculis vultuque decorum,
Papa fuit quintus nomine Gregorius:
Ante tamen Bruno Francorum regia proles,
Filius Ottonis de genitrice Judith.
Lingua Theutonicus, Wangia doctus in urbe:
Sed juvenis cathedram Sedit Apoſtolicam
Ad binos annos & menſes circiter octo,
Ter ſenos Februo connumerante dies.
Pauperibus dives, per ſingula ſabbata, veſtes
Diſtribuit numero cautus Apoſtolico.
Uſus Franciſca, vulgari, & voce Latina,
Inſtituit populos eloquio triplici.
Tertius Otto ſibi Petri commiſit ovile,
Cognatis manibus unctus in Imperium:
Eruit & poſtquam terrenæ vincula carnis,
Equivoci dextro conſtituit lateri.
Deceſſit XII Kal. Martii.

Hic porrò *equivoci* nomine conditor epitaphii Sanctum Gregorium Magnum intelligit, qui, ut inquit Romanus presbyter apud Papebrochium, *ſepultus eſt ante ſecretarium ante columnas porticalium*, alibi autem idem Presbyter loquens de Gregorio V, ait: *Requeſcit ante ſecretarium juxta Pelagium Papam* hujus nominis primum, de quo ſimiliter dixerat, ſepultum eſſe *ante ſecretarium B. Petri*. Gregorii V humilitatem commendat Rupertus Abbas in Vita Sancti Heriberti Colonienſis Archiepiſcopi ſcribens, eum ægrè ad Sacerdotium ſe promoveri conſenſiſſe, indignum ſe adeò ſublimi gradu conteſtantem.

XX. *Gregorius ex Luidolfo Ottonis M. filio originem non duxit.*

Guillilmannus in peculiari Tractatu *de Origine & Stemmate Conradi Salici* Imperatoris Friburgi in Briſgovia anno 1609 typis edito; Blondellus in pleniori Aſſertione Genealogiæ Francicæ Tomo II pag. 35, paſſimque omnes poſt eos rerum Pontificiarum & Germanicarum Scriptores aſſerunt, Gregorium V originem ducere à Luidolfo Ottonis Magni Imperatoris filio. Sed eum deſcendere à Luidgarda ejuſdem Ottonis Magni filia, ita ſolidè demonſtravit Criticæ Baronianæ Auctor, ut nulla hac de re impoſterum controverſia eſſe poſſit. Quod ſic oſtenditur. Otto Magnus ex Editha priori conjuge ſuſcepit Luidolphum, qui, teſte Hermanno Contracto in Chronico, mortuo anno 948, Herimanno Alemanniæ Duce, Idam ejus filiam, & quidem unicam, uxorem duxit, Alemanniæque, ſeu Sueviæ Ducatum, & defuncti hæreditatem obtinuit. Luidolfus in Italia obiit anno 957, uti habent Regino, Hermannus Contractus, aliique Chronographi: Hermannus autem addit, eum reliquiſſe Ottonem filium adhuc puerulum, & tunc Burchardum Alemanniæ Ducatum, Luidolphi morte vacuum, accepiſſe. Tum idem Hermannus tradit, anno 973 Burchardo defuncto Ottonem Luidolphi filium, paternum Alemanniæ Ducatum, recepiſſe; annoque 978 cùm Henricus Bajoariæ Dux adversùs Ottonem II Imperatorem rebellaſſet, eundem Ottonem Luidolphi filium, jam Alemanniæ ſeu Sueviæ Ducem, Bajoariam accepiſſe; unde à Ditmaro lib. 3 *Bavariorum Dux* diſertè appellatur. Tandem idem Hermannus ad annum 982 ſcribit: *Ipſo anno Otto Dux Suevorum & Noricorum* (ſeu Bajoariorum) *obiit. Et poſt eum Conradus Dux Alemanniæ* (ſeu Sueviæ) *factus eſt, Henricuſque Ducatum Bajoariæ recepit*. Non dicit Hermannus hunc Conradum Ottonis filium fuiſſe, ex quo deducitur Ottonem iſtum Alemanniæ Ducem, Luidolphi filium improlem obiiſſe, quod confirmat Arnulphus Hiſtoricus Mediolanenſis, qui lib. 1 de Ottonis III Imperatoris morte loquens, ait: *In quo* (nempe Ottone III) *omnium eſt Ottonum conſumpta propago*, quod de Ottonis Magni linea maſculina neceſſariò explicandum eſt; nam Conradum Salicum, ideoque Gregorium V ejus patruum, ex genere Ottonis Magni linea fœminina originem duxiſſe mox certò conſtabit.

XXI. *Sed ex Luidgarda ejuſdem Ottonis M. filia.*

Ex eodem Ottone Magno, & ex Editha nata eſt Luidgarda, quæ juxta Witichindum lib. 2 nupſit Conrado Lotharingiæ Duci. Ex hoc Conrado & Luidgarda natus eſt Otto Dux Franconiæ ſeu Francorum, ut teſtatur Wippo Presbyter in Vita Conradi Salici Imperatoris. Ex Ottone Franconiæ Duce, teſte eodem Wippone ibidem, nati ſunt quatuor filii, *Hetzel*, ſeu *Henricus* Pater Conradi Salici; *Chuno*, ſeu *Conradus*, Auſtraſiorum ſeu Carinthiæ Dux, cujus mortem recitat Hermannus Contractus ad annum 1012, ubi eum vocat, Carentanorum ſeu Auſtraſiorum Ducem, aitque fratrem fuiſſe Gregorii V Papæ. Hunc Conradum filium fuiſſe Ottonis Ducis nati *ex filia Magni Ottonis* aſſerit etiam Monachus Anonymus in Vita B. Adelberonis Metenſis Epiſcopi, quæ recitatur Tomo I Bibliotecæ Labbeanæ. Tertius filius Ottonis Franconiæ Ducis, ibidem à Wippone memoratus, eſt *Bruno Apoſtolicæ Sedis Romanæ Eccleſiæ Papa effectus*, qui *mutato nomine Gregorius appellatus eſt*. Quartus denique eſt *Willelmus*, qui *factus Argentinenſis Eccleſiæ Epiſcopus miro modo eam ſublimavit*. Iſte Otto Franconiæ Dux eos quatuor filios ſuſcepit ex Juditha uxore, ut conſtat ex epitaphio Gregorii V. Hæc confirmantur ex Chronico Regum Francorum ab Auctore Anonymo, Conrado Salico contemporaneo ſcripto, à Lambecio Tomo 2 Bibliothecæ Cæſareæ pag. 393 pu-

publicato, ex quo & Conradi Salici, ac conſequenter Gregorii V ejus patrui, ut ex Hermanno Contracto mox laudato patet, genealogia confirmatur: *Conradus Dux* [Lotharingiæ ſcilicet, inquit Chronographus iſte] *qui fuit ex progenie Conradi prædicti* (Conradi nempe Germaniæ Regis hujus nominis primi) *accepit filiam primi Ottonis Imp.* (videlicet Luidgardam) *ex quo fuit Otto Dux* (ſcilicet Franconiæ). *Otto Dux filios habuit duos. Unus nomine Cono* (ſeu Conradus) *& alter Hezil* (ideſt Henricus). *Ex iſto natus fuit Cono, qui modò Rex eſt*, ideſt Conradus Salicus, qui tunc regnabat. Quòd ſi Conradus Salicus natus eſt ex Henrico Ottonis Franconiæ Ducis filio, fuit nepos ex patre Gregorii V, qui, teſte Wippone laudato, natus eſt, ſicut Henricus, ex eodem Ottone Duce, ex quo conſequens eſt, Gregorium V ex Luidgarda Ottonis M. filia originem ducere, non verò ex Luidolpho ejuſdem Ottonis M. filio. His adde Ottonem Luidolphi filium ſemper vocari Alemanniæ ſeu Sueviæ Ducem; Ottonem verò Conradi Lotharingiæ Ducis & Luidgardæ filium, ſemper Franconiæ ſeu Francorum, aut Wormatiæ Ducem; quia Palatinatus, & urbes Wormatia ac Spira ad eum ſpectabant; nam, ut obſervabit Leibnitzius in præfatione ad Codicem diplomaticum Rerum Germanicarum, ſuperior & inferior Palatinatus membra erant Ducatûs Franconiæ. Tandem Auctor Anonymus genealogiæ S. Arnulphi, Conradum Salicum, & conſequenter Gregorium V ex filia Ottonis M. progenitum etiam affirmat. Ad rationes Guilſilmanni contra hanc opinionem, reſpondet Auctor Criticæ Baronii ad annum 1024. Porrò ut hæc clariora evadant arborem Genealogicam hìc apponere viſum eſt.

Arbor Genealogica Gregorii V Pontificis Maximi. Otto Magnus Imperator primam uxorem duxit Editham, ex qua nati

Luidolphus

Alemanniæ ſeu Sueviæ Dux ex Witichindo in fine lib. 2. Ex Luidolpho & Ida uxore Herimanniæ Alemanniæ etiam Ducis filia natus eſt

Otto

Alemanniæ & Bajoariæ Dux ex Hermanno Contracto, ex quo & eruitur hunc annum 982 improlem obiiſſe.

Luidgarda

Nupta Conrado Lotharingiæ Duci ex Witichindo in fine lib. 2. Ex Luidgarda & Conrado natus eſt

Otto

Francorum ſeu Franconiæ Dux ex Wippone in Vita Conradi Salici. Ex Ottone natus eſt

Bruno

Dictus in Pontificatu Gregorius V tertius Ottonis Franconiæ Ducis filius ex eodem Wippone.

JOANNES XVI Antipapa.

Anno Domini DCCCCXCVII.

I. *Joannes XVI fit Antipapa.*

JAM in Gregorio V diximus, Joannem Placentinum Epiſcopum, initio circiter menſis Maji anni nongenteſimi nonageſimi ſeptimi Apoſtolicam Sedem invaſiſſe, & Gregorium V fugiſſe, ac Ticini Concilium congregaſſe, in eoque Creſcentium, cujus ope Joannes dictus erat Antipapa, ſed & ipſum Joannem anathemate perculiſſe; deinde Ottonem III Imperatorem Romam veniſſe, & Joannem fugâ lapſum, atque comprehenſum à quibuſdam amicis Imperatoris, qui *timentes, ne, ſi eum ad Auguſtum deſtinarent, impunitus abiret, linguam ei & manus amputarunt, oculoſque pariter eruerunt*, quæ retulimus partim ex Chronico Hildesheimenſi, partim ex Magdeburgenſi inedito. Nunc oſtendendum quis fuerit Joannes ille Placentinus, & cur locum obtineat inter Romanos Pontifices, Joannis nomine nuncupatos, cùm fuerit Antipapa.

II. *Ejus patria, & corrupti mores.*

Hoc etiam anno 997, inquit Chronographus Magdeburgenſis, *Creſcentius quidam diabolica fraude deceptus, Romam, abſente Papa Gregorio, invaſit: Joannemque quendam Calabritanum* (*quem domnus Impe-*

Digitized by Google

SÆC. X. JOANNES XVI.

perator Otto III pro Græci Imperatoris filia ſibi matrimonio acquirenda, cum Bernvvardo Epiſcopo, Conſtantinopolim miſerat, & inde revertentem cum Græcorum Legatis, ſe indigno ſuſcepit honore) eumque non tam Papam Apoſtolicum, quam Apoſtatam conſtituens, Legatos Imperatoris ſub ejus cuſtodia Romæ retinuit. Hic ergo Joannes, natione Græcus, conditione ſervus, aſtu calidiſſimus, Imperatorem Auguſtum Ottonem II ſub paupere adiens habitu, ob interventum ſuæ dilectæ contectalis Theophanu Auguſtæ, Regia primùm eſt alitus ſtipe: Dein percurrente tempore, vulpinâ, qua nimium callebat verſutiâ, præfatum eatenus circumvenit Auguſtum, ut pro loco ac tempore, ſatis clementi ab eo gratia donatus, penè inter primos uſque ad defunctionem ſuam, carus haberetur. Poſt dormitionem verò II Ottonis, regnante jam III Ottone filio ſuo, quem ab ipſo matris utero divina ſequebatur miſeratio, præfatus Joannes ingenita ſibi circa eos calluit ſecuriùs aſtutia, quod Regis infantiâ, & Primatûm ejus permittebatur incuriâ. Ad hæc defuncto Placentinæ urbis Epiſcopo, vir bonæ indolis ei ſubeligitur: quo indecenter ejecto, Præfatus Joannes, non Paſtor, ſed mercenarius, eamdem non regendam, ſed devaſtandam ſuſcepit Eccleſiam: quam cum aliquot annis teneret, avaritiæ diabolicæ inebriatus veneno, tantum ſe extulit ſupra ſe, ut etiam Romæ ipſam B. Petri Apoſtoli Sedem, uti prædictum eſt, Antichriſti membrum verè effectus, fornicando potius pollueret, quam venerando inſederet. Ex quibus habemus Joannem XVI Antipapam, fuiſse natione Græcum ex Calabria, & corruptis adeo moribus extitiſſe, ut antequam fieret Antipapa, Placentinam Sedem etiam invaſerit. Baronius eum appellat *Philagatum* ex Auctoritate Vitæ S. Nili Hegumeni, ex quo etiam oſtendit, eum tam Ottonem III, quàm Gregorium V ex fonte baptiſmatis ſuſcepiſſe, Nilumque nihil prætermiſiſſe, ne iſte Antipapa malè haberetur. Sed ei linguam & nares amputatos, oculoſque pariter erutos jam vidimus.

III. *Joannes deponitur, & cæcatur.*

Finem ſchiſmatis à Joanne Pſeudo-Pontifice excitati, his verbis refert Chronographus Hildensheimenſis ad annum 998: *Prædictus invaſor Joannes*, inquit, *ab Imperatore cæcatus, & truncatus deponitur, & Creſcentius decollatus cum duodecim ſuis ante Urbem ſuſpenditur*. Idem ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis ad eundem Chriſti annum: *Creſcentius ab Imperatore decollatus cum duodecim ſuis ante Urbem ſuſpenditur. Joannes Pſeudo-Papa cæcatur*. Laudatus Auctor Vitæ S. Nili tradit hæc accidiſse in quadrageſima, quæ anno 998 inchoata eſt die ſecunda Martii, cùm Paſcha celebratum ſit die 17 Aprilis. Unde cum Auctore Criticæ Baronii diximus, ſchiſmatis initium, menſe circiter Majo anni 997 inchoandum, cùm in Catalogis huic Joanni Pſeudo-Papæ menſes decem attribuantur.

IV. *Dicendus Joannes XVI, & quare.*

Idem Annotator Baronii ſubdit, in Catalogis, in quibus hic Joannes cum numero exprimitur, Joannem XVII vocari, Joanne ſcilicet Roberti filio in cenſum relato, & Joanne XVI appellato. Verùm cùm Joannes Gregorii V deceſſor, ſe ipſum Joannem XV in ſuis reſcriptis nominarit, Joannem iſtum, licèt Antipapam, Joannem XVI appellandum, quòd duo ſubſequentes Pontifices ejuſdem nominis, ejus aliqualem rationem habuerint, alterque ſe Joannem XVII, alter Joannem XVIII in reſcriptis nuncuparit. Quod optima ratione ab utroque factum exiſtimat Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtori-
„ co. Licèt enim, inquit, non fuerit un-
„ quam verus Pontifex hic Joannes XVI,
„ tamen extabant ſub eo nominis numero
„ ſparſæ toto Orbe, pro occaſionum diver-
„ ſitate. Epiſtolæ, ac Bullæ: quæ ne cum
„ veri deinde Pontificis actis confunderen-
„ tur, ſi hic quoque (nempè Joannes XVII)
„ vocaretur XVI, neceſſe habuit Silveſter
„ II deceſſor permittere, ut vocaretur Jo-
„ annes XVII. Hoc verò etiam nos ſeque-
„ mur, ne ſi cum Baronio, & recentiori-
„ bus paſſim velimus, expuncto pſeudo-
„ Papa, imminuere numerum, publicis, &
„ privatis eorundem ac ſequentium tempo-
„ rum Actis adverſemur. Hæc Papebrochius, quibus mihi videtur addi poſſe, Silveſtrum II ad preces Sancti Nili Hegumeni, qui ex mox dictis, nihil prætermiſit, ne hic Antipapa malè haberetur, cùm Romam et ipſum Imperatorem adierit ad ejus gratiam impetrandam; vel ut Ottoni III, quem Joannes Placentinus de ſacro fonte ſuſceperat, arrideret, permiſiſſe ut iſte Joannes etiam poſt depoſitionem nominaretur Joannes XVI; ex quo factum ſit, ut Joannes ſequens ſe Joannem XVII appellarit. Idem Papebrochius laudatus ibidem opinatur, hunc Joannem Romæ ex vulnerum dolore mortuum, & Laterani ſepultum eſſe, eique poſitum epitaphium, quod in Cæſare Raſpono mutilum per conjecturam ſupplevit:

Hic tumulus (falſo) *qui Præſulis dicitur eſſe*
Summi: Joannes hic quoque dictus erat.

Hæc vox *falſo*, ſuppleta fuit à Papebrochio, deeſt enim in Cæſare Raſpono, qui ait multos putare, quòd ſit epitaphium Joannis XIV, ſed hunc in Vaticano ſepultum fuiſſe: quod idem veriſimilius æſtimat Papebrochius de Joanne XV. Verùm hoc epitaphium non eſt Joannis XVI Antipapæ, ſed Joannis XVII, ut in ejus vita videbitur.

SILVESTER II *Pontif. CXLII.*

Anno Domini DCCCCXCIX.

I. *Silveſter II ſuccedit Gregorio V.*

GRegorio V die decima octava menſis Februarii anni 999 vita functo, Gerbertus, natione Aquitanus, à Remenſi Archiepiſcopatu, ut ſuperius dictum eſt, Joannis XV auctoritate depoſitus, & poſtea Ravennenſis Archiepiſcopus à Gregorio V dictus, inthronizatus eſt Romanus Pontifex die ſecunda Aprilis, in quam eo anno Dominica Palmarum incidebat, dictus Silveſter hujus nominis II. Gerbertus primùm Monachus Aureliacenſis in Aquitania, tum Abbas Bobienſis in Italia fuit. Cùm poſtea Remenſem Archiepiſcopatum invaſiſſet, bonorum Eccleſiaſticorum pervaſores, collecta ſuffraganeorum Synodo, fulminibus Eccleſiaſticis terruit, & ad ſatisfaciendum Eccleſiæ compulit. Hæc Synodus recitatur Tomo IX Concil. pag. 740. Antea Hugoni Franciæ Regi multis in rebus utilis, ejus filii Roberti præceptor fuit. Italiam quoque luſtravit, ubi ab Ottone II Abbatiâ Sancti Columbani, ſeu Bobienſi donatus eſt. Huic Imperatori adeò charus fuit, ut illi filium ſuum Ottonem III literis erudiendum tradiderit, ſimul cum Roberto Hugonis Capeti Francorum Regis filio. Dum Archiepiſcopatum Remenſem adminiſtraret, à docendo ſaltem privatim non deſtitit, ut patet ex ejus Epiſtola 41 ad Hervæum Bellovacenſem Epiſcopum data. Quos verò præſens docere non poterat, literis ſuis docere ſatagebat; imprimis autem Ottonem III Imperatorem, diſcipulum olim ſuum, à quo nonnunquam de certis quæſtionibus conſulebatur. Extat ejuſdem Imperatoris Epiſtola ſub hoc titulo: *Gerberto Philoſopho peritiſſimo, atque tribus Philoſophiæ partibus laureato.*

II. *Ottonis III Imp. opera.*

In brevi Chronico Aureliacenſis Abbatiæ à Mabillonio Tomo II Analectorum publicato, in Raymundo Caturcenſi, ejuſdem monaſterii Abbate dicitur: *Qui curat erudiendum Gerlentium* (ita Gerbertus appellatur) *adoleſcentem obſcuro loco natum: ſed quia ingenio erat vafer, præclarus in literis evaſit. Hic impetrata licentia propter aviditatem ſapientiæ multa circuibat regna, & ad notitiam Imperatoris pervenit: qui eum Remis ſtatuit Epiſcopum, deinde Ravennæ, poſtea in Summum Pontificem evexit.* Gerbertus ipſe in Epiſtola XVI Raymundum Magiſtrum ſuum appellat, quem Mabillonius ibidem Raymundum Abbatem fuiſſe probat. Eadem fermè, quæ Auctor illius brevis Chronici, habet Ademarus Monachus, qui hoc tempore vivebat, in Chronico; de eo enim ſcribit: *Gerbertus, natione Aquitanus, ex infimo genere procreatus, Monachus à pueritia Sancti Geraldi Aureliacenſi cœnobio, cauſa ſophiæ primò Franciam, dein Cordubam luſtrans, cognitus à Rege Ugone Remis Archiepiſcopatu donatus eſt, & iterum cognitus ab Imperatore Ottone, Archiepiſcopus Ravennæ factus eſt.* Idem legitur in Chronico Malleacenſi. Quare licèt Conſtitutio Ottonis III, quam Goldaſtus Tomo I Conſtitut. Imperial. pag. 40 exhibet, in qua Otto III affirmat ſeſe elegiſſe, & feciſſe Silveſtrum II Papam, ſit purum figmentum poſt ſæculum XI excogitatum; negari tamen non poteſt, quin Gerbertus operâ Ottonis III ad ſummum Pontificatum pervenerit. Falſitatem, & ſuppoſitionem illius Conſtitutionis pluribus oſtendit Annotator Baronii ad annum 999 num. 3.

III. *In Gallia obſcuro loco natus erat.*

Ex his refellitur opinio Abrahami Bzovii, qui in libello Romæ edito, cujus eſt epigraphe, *Silveſter II Cæſius Aquitanus Pontifex maximus*, multis contendit gentem Cæſiam Italam, quæ nobiliſſima eſt, Gerbertum, poſtea ſub Silveſtri II nomine Papam edidiſſe. Nam præter Auctores laudatos, qui disertè aſſerunt Gerbertum fuiſſe natione Aquitanum, & *obſcuro loco*, vel *infimo genere* procreatum, Petrus Frizon in Gallia purpurata Bzovium refellit auctoritate Glabri Rodulphi auctoris ab iſto ævo non multum diſtantis, qui lib. 1 cap. 4 ſcribit: *Is Gerbertus è Galliis oriundus extitit, minorum etiam gerens proſapiam, ſed tamen ingenio accerrimus, artiumque liberalium ſtudiis pleniſſimè inſtructus.*

IV. *Senonenſis Eccleſiæ Primatum confirmat.*

Superiùs in Joanne VIII vidimus Anſegiſum Archiepiſcopum Senonenſem ab eo Pontifice Primatum Galliæ obtinuiſſe. Hunc Primatum, qui, aut Archiepiſcoporum incuriâ, aut deſuetudine abrogatus videbatur, Seguinus Archiepiſcopus reſtituit: quo, anno 999, ut prodit Odorannus in Chronico, mortuo, Leothericus ejus in ſede Senonenſi ſucceſſor, eundem Primatum à Silveſtro II confirmari curavit: *Anno milleſimo* inquit Auctor Chronici Sancti Petri Vivi Senonenſis, *acclamante Clero & populo electus eſt in Epiſcopatu dominus Leothericus ipſius Eccleſiæ Archidiaconus, cui reſiſtebant plurimi Clericorum cupientes Epiſcopium. Qua de re Romam adiit Gerbertum Papam, qui & Silveſter dictus eſt,*

Digitized by Google

SÆC. XI. SILVESTER II.

eſt, cujuſque diſcipulus in Remenſium urbe fuerat juvenis. Quem ille gratantem recepit, cum benedictione Apoſtolica remittit, & totius Galliæ primatum dedit. Unde rediens Senonis cum pace ſuſceptus eſt à Clero & populo honorificè. Volentes autem eum inthronizare, prohibuit Frotmundus Comes natus ex mala progenie: habebat enim filium Clericum nomine Brunonem, quem volebat Epiſcopum facere. Quare domnus Leothericus iterum Papam adiit, qui mittens literas ſuas ad ſuffraganeos Eccleſiæ Senonenſis juſſit, ut congregati in unum Apoſtolica auctoritate eum ordinarent, qui juſſa complentes ordinaverunt eum apud Sanctæ Faræ monaſterium. Ad hunc Leothericum plures extant Fulberti Carnotenſis Epiſtolæ, quarum trigeſima prima inſcripta eſt *Leutberico Patri, ac Primati* ſuo. Primatum poſtea Galliæ Gregorius VII ad Archiepiſcopum Lugdunenſem tranſtulit, ut ſuo loco dicetur.

V. *Stephano Hungariæ Regi privilegia concedit.*

Silveſter Papa Stephanum Hungarorum Principem Sanctiſſimum Regio nomine, Regiaque corona cohoneſtavit; Crucem ante ipſum, ceu Apoſtolatûs Inſigne geſtari juſſit; Eccleſias in ejus ditionibus conſtitutas ipſi ordinandas reliquit; Strigonienſem Eccleſiam, eo regnante, Metropolim inſtituit; ceteros Epiſcopos, gentemque totam Apoſtolica benedictione confirmavit, ſi fides Cartuitio Epiſcopo in Vita ejuſdem Sancti Stephani Hungarorum Regis, quæ extat apud Surium ad diem 20 Auguſti, ubi ſcribit, Legatis Stephani Regis coronam petentibus, Silveſtrum Papam reſpondiſſe: *Ego ſum Apoſtolicus, at ille meritò Chriſti Apoſtolus dici poteſt, cujus opera tantum populum ſibi Chriſtus acquiſivit: qua de cauſa quemadmodum divina gratia ipſum docebit, Eccleſias Dei unà cum populo, noſtra vice ei ordinandas relinquimus.*

VI. *Ejus auctoritate Boleslaus non eſt dictus Rex Poloniæ.*

Quod attinet ad coronationem Boleslai Polonorum Principis, quam ab Ottone III Imperatore, Silveſtri Papæ auctoritate factam volunt Oldoinus in Notis ad Ciaconium, & Joannes Palatius in Vita Sylveſtri II, rejicitur à Baronio, & quidem rectè; Wippo enim, quem Baronius non legerat, in Vita Conradi Salici Imperatoris, ad annum primum ejus regni ait: *Eodem anno Borislaus Scalavigena Dux Bolanorum* (ideſt Polonorum) *inſignia Regalia & Regium nomen in injuriam Regis Chunradi ſibi aptavit, cujus temeritatem cita mors exinanivit. Filius autem ejus Miſico ſimiliter rebellis, fratrem ſuum Ottonem, quoniam Regis* (nempè Conradi nondum coronati Imperatoris) *partibus favebat in Rubbiam provinciam pepulit*, ideſt in Ruſſiam. Quare Boleslaus Poloniæ Princeps ab Ottone III Regio nomine donatus non fuerat. Oldoinus & Palatius innituntur auctoritate Stanislai Lubienskii, qui in Serie Epiſcoporum Plocenſium, dum de Martiali ſecundo Epiſcopo Plocenſi verba facit, Baronii opinionem refellit ex epitaphio Boleslai, *Chrobri* cognominati, in quo is dicitur nomen Regium à Cæſare obtinuiſſe. Sed illud epitaphium longè poſt Boleslai mortem poſitum eſſe, laudatum Wipponis, Auctoris coætanei teſtimonium demonſtrat. Certè, ut ait Baronii Annotator, ex quo hæc deſumpta, præfatum Boleslai epitaphium Longini, Michovii, & Cromeri ætate ignotum fuit.

VII. *S. Heribertum Archiep. Colon. Pallio donat.*

Sanctus Heribertus Ottonis III Imperatoris Cancellarius anno nongenteſimo nonageſimo nono electus & conſecratus eſt Archiepiſcopus Colonienſis, ut idem Baronii Annotator probat. Lambertus Monachus Tuitienſis, qui Vitam ejus viginti circiter poſt ejus obitum annis ſcripſit, teſtatur eum Epiſcopum à Colonienſibus deſignatum, Ravennâ, ubi ad diſcordes reconciliandos ab Imperatore miſſus fuerat, Romam advolaſſe, ut Epiſcopatum detrectaret, & cùm non poſſet, manſiſſe *paulò plus duobus menſibus apud Cæſarem*, ſubditque: *Accepto pallio explevit brevi prolixum viæ ſpatium, & in Vigilia Natalis Chriſti Coloniæ in Cathedra ſua ſublimatur, & inungitur à ſuffraganeis Chriſmate Principalis olei.* Rupertus Tuitienſis Abbas, qui hujus ſancti Antiſtitis Vitam etiam ſcripſit, quæ recitatur à Bollando ad diem 16 Martii, disertè cap. 1 aſſerit S. Heribertum dictum Archiepiſcopum anno 999: *Beneventi*, inquit, *Pontificalis ei bonor datus eſt VII Idus Junii* (Bollandus legendum monet Julii). *Et exinde Romam profectus, pallium ab Apoſtolicæ Sedis præſule accepit.* Quare tam juxta Lamberti, quàm Ruperti mentem S. Heribertus à Silveſtro II pallio donatus eſt, non verò à Gregorio V, qui die 18 Februari ejuſdem anni 999 jam obierat. Baronius, qui vult S. Heribertum à Gregorio V Pallium recepiſſe, refert ad numerum 17 anni 999 diploma Ottonis III *datum nonis Maji anno Dominicæ Incarnationis CMXCIX*, in quo Heribertus ſe Cancellarium inſcribit, qui ideo nondum erat Archiepiſcopus Colonienſis, & conſequenter Pallium à Gregorio V recipere non potuit, qui, ex mox dictis, menſe Februario mortuus eſt.

VIII. *Vitam cum morte commutat.*

Silveſter Papa *ſanctè, & prudenter adminiſtrato Pontificatu*, ut ſcribit Ciaconius, obiit die duodecima Maji anni milleſimi tertii, ut conſtat ex epitaphio ipſi à Sergio Papa hujus nominis IV poſito, quod hic tranſcribere abs re non erit, quia ex eo Bennonis calumnia in ipſum conficta, ab aliis ſimplicioribus & nimis credulis Scriptoribus excepta, funditus ſubvertitur.

SÆC. XI. SILVESTER II.

Iſte locus mundi Silveſtri membra ſepulti
Venturo Domino conferat ad ſonitum.
Quem dederat mundo celebrem doctiſſima virgo,
Atque caput mundi, culmina Romulea.
Primum Gerbertus meruit Francigena ſedem
Remenſis populi, Metropolim patriæ:
Inde Ravennatis meruit conſcendere ſummum
Eccleſiæ regimen nobile, ſicque potens.
Poſt annum Romam mutato nomine ſumpſit,
Ut toto Paſtor fieret Orbe novus.
Cui nimium placuit, ſociali mente fidelis,
Obtulit hoc Cæſar Tertius Otto ſibi.
Tempus uterque comit clara virtute ſophiæ,
Gaudet & omne ſæclum, frangitur omne reū.
Clavigeri inſtar erat Cælorum ſede potitus
Terna, ſuffectus cui vice paſtor erat.
Iſte vicem Petri poſtquam ſuſcepit, abegit
Luſtrali ſpatio ſpicula. Morte ſui
Obriguit mundus; diſcuſſa pace, triumphus
Eccleſiæ nutans dedidicit requiem.
Sergius hunc loculum miti pietate Sacerdos,
Succeſſorque ſuus compſit amore ſui.
Quiſquis ad hūc tumulū devexa lumina vertis,
Omnipotens Domine dic, miſerere ſui.
Obiit anno Dominicæ Incarnationis MIII,
Indict. I. M. Maii. D. XII.

Cùm itaque Silveſter II obierit die undecima Maii, & poſtridie ſepultus ſit; Catalogi enim ei Sedis annos quatuor, menſem unum, ac dies novem tribuunt, apparet ejus ordinationem diei ſecundæ Aprilis anni 999 rectè à nobis fuiſſe affixam. Nec refert quòd in epitaphio dicatur Sedis ejus *luſtrale ſpatium* fuiſſe, nam ab anno 999 ad 1003 quinque anni intercurrunt, ſi annos incompletos pro completis numeremus, quod aliquando Hiſtorici faciunt, & potiori jure Poetæ.

IX. *A calumnia vindicatur.*

Benno pſeudo-Cardinalis, Auctor ſchiſmaticus commentus eſt, & ſcriptis mandavit, Silveſtrum II Papam Hiſpali artem magicam & negromantiam didiciſſe, Dæmonem familiarem habuiſſe; etiam ex quo fuit Pontifex ipſum conſuluiſſe de duratione vitæ ſuæ, ab eoque reſponſum tuliſſe, quòd ante moriturus non eſſet, quàm Miſſam celebraſſet in Jeruſalem, & alia abſurda & inepta. Quam fabulam Sigebertus ad annum 998, quamvis de ea dubitanter loquatur, Martinus Polonus, aliique in Commentarios ſuos retulére. Sed hanc tanto Pontifici calumniam impactam, ſolum illud epitaphium, quod adhuc in Vaticana Baſilica legitur, everteret, quando ſilentium antiquorum Hiſtoricorum deeſſet, & coævi Scriptores Gerbertum ſeu Silveſtrum II laudibus non exornarent, ejuſque eximia merita non prædicarent, ſicut prædicant Ditmarus Merſeburgenſis Epiſcopus lib. 6, Helgaldus Floriacenſis Monachus in Vita Roberti Regis Francorum, aliique. Occaſionem dedit fingendi ipſum magicis artibus deditum fuiſſe, ſumma ejus in Mathematicis peritia, in novis horologiis, aliiſque machinis excogitandis, acerrimum ingenium, in perficiendis induſtria, quæ rudi ſæculo ineruditis hominibus abſque familiari genio, & Dæmonis ope fieri non poſſe videbantur. Rumorem ineptum fortè auxit ſumma ejus felicitas, quòd nempe vir ignobilis amicitiam Principum obtinuiſſet, & ad Sedem Pontificiam provectus eſſet. Sed quidquid ſit de occaſione hujus calumniæ, rectè ſcripſit Papyrius Maſſo in Gregorio VII, confictam eſſe illam fabulam à Bennone in gratiam Henrici IV Imperatoris, cujus vitam Benno ſcripſit contra Gregorium VII: *Si quis Bennonem legit*, inquit, *odium ejus in omnes retrò Pontifices uſque ad Gregorium VII, & maximè in Hildebrandum exactè conſiderat, nullam ei fidem habendam exiſtimabit. Odii enim natura eſt, ut nec dormire cum veritate, nec vigilare poſſit. Ergo librum illum plenum maledictis, & à Cæſarianæ factionis homine, ut apparet, dictatum facilè reſpuo.*

X. *Ejus ſcripta.*

Plurima ſcripſit Gerbertus, ſeu Silveſter II; Acta nempè Concilii Moſomienſis, & Epiſtolas virulentas adversùs Romanorum Pontificum decretales. Sed potitus honore, quem fortè per ambitum concupivit, omnibus numeris ſuum implevit officium, nec leviſſima prætermittens, quæ ad defenſionem Eccleſiæ ſpectabant. Scripſit pariter librum *de Sphæra*, ſermonem *de informatione Epiſcoporum*. Utrumque edidit Mabillonius Tomo II veterum Analectorum, & huic ultimo hic eſt titulus: *Sermo Gerberti Philoſophi Papæ urbis Romæ, qui cognominatus eſt Sylveſter de informatione Epiſcoporum*. Neque dubium eſſe poteſt, quin proprius Gerberti fœtus ſit, cùm is Philoſophus appellaretur ex dictis num. I. De hoc libello ipſemet Gerbertus in ejus circiter medio ait: *Coarctet nos licèt libelli prolixitas properare ad finem, ſollicitudo tamen fraterni retardat amoris*. Ita nihil omittebat Gerbertus, ut munere ſibi impoſito præclarè fungeretur; libellum enim illum ſcripſit ad ſuffraganeos ſtatim ut Ravennenſem Archiepiſcopatum iniit, in quo teſtatur, quanto dolore afficiatur, quòd ſimoniæ labes invaluiſſet. Scripſit inſuper epigramma elegantiſſimum in Imaginem Severini Boetii, quod habetur apud Baronium in Appendice ad Tomum VII. Opera ejus inedita ſunt: Liber *de Arithmetica*, ſeu *de numeris* ad Conſtantinum Monachum Floriacenſem extabat MS. apud Joannem Maſſonum Papirii fratrem. Item *de Geometria* liber MS. olim in Bibliotheca Farneſiana. *Dialogus* inter ipſum & Leonem Nuntium Apoſtolicum; *de compoſitione Aſtrolabii* liber; *de Rhetorica* liber 1; *Oratio* Moſomii habita, quæ an alicubi adhuc deliteſcant, nondum ſe comperiſſe ait

Wil-

Digitized by Google

SÆC. XI. SILVESTER II. Willelmus Cave in Hiſtoria literaria. Epiſtolas CLX, dum adhuc ſedem Remenſem teneret, ſcriptas ediderunt Papirius Maſſonus, & Ducheſnius in Scriptoribus Francicis Tomo 2, quæ inde translatæ ſunt in Bibliothecæ Patrum Tomum XVII.

XI. Non eſt Auctor Vitæ S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi. Baronius ad annum 1003 num. 6 ait à ſe viſam Sancti Adalberti Pragenſis Epiſcopi & Martyris Vitam *Silveſtri Papæ* nomine ſcriptam, cujus eſt exordium: *Eſt locus*, &c. Eandem Vitam ex Bibliotheca Caſinenſi erutam Romæ poſtea Abrahamus Bzovius publicavit, & *Silveſtro ſecundo*, ut ait, vindicavit. Ad hæc Henricus Caniſius Tomo VI Antiq. Lect. & Freherus ad calcem Chronici Bohemorum eandem Vitam, quæ prior eſt inter Adalberti Vitas, ediderunt, hancque Freherus Coſmæ Pragenſis Eccleſiæ Decano attribuit. Verùm has opiniones Henſchenius ad diem 23 menſis Aprilis, quo S. Adalbertus colitur, & Mabillonius Sæc. V Benedict. vanas eſſe contendunt, eamque Vitam Monachi Anonymi fœtum eſſe docent. SÆC. XI. SILVESTER II.

JOANNES XVII *Pontif. CXLIII.*

Anno Domini MIII.

I. Joannes XVII fit Papa. IN Catalogo Romanorum Pontificum ordine VIII ex præfixis Tomo I Criticæ Baronianæ dicitur, poſt Silveſtri II mortem ceſſaſſe Sedem *dies triginta tres*, qui videntur accuratè deſcripti, quia ducunt ad diem decimum tertium menſis Junii, qui anno milleſimo tertio fuit dominicalis, quo ideo Joannes XVII, natione Romanus, qui dicebatur *Sicco*, ordinatus fuit. Non mirum autem tamdiu vacaſſe Sedem; mortuo enim anno 1002 Ottone III Imperatore, cùm ejus ſucceſſor Sanctus Henricus Bavariæ Dux coronam Imperii non ſuſcepiſſet, exiſtimandum difficillimas extitiſſe factiones in electione Pontificum; Hugonis Tuſciæ Marchionis ſucceſſore ex una, Comitibus Tuſculanis ex alia parte ſeſe immiſcentibus electioni faciendæ. Hunc Joannem dicendum eſſe hujus nominis XVII conſtat ex dictis in Joanne pſeudo-Papa hujus nominis XVI, & ex iis quæ in ſequenti Pontificatu dicemus. Nam Joannes ſequens ſe ipſum *decimum octavum* appellat in reſcripto, de quo ibidem ſermo erit; ex quo neceſſariò ſequitur, hunc Joannem dictum eſſe decimum ſeptimum.

II. Illuſtri loco natus erat. Onuphrius Panvinius, Genebrardus, Baronius, Ciaconius, & alii ſcribunt, hunc Joannem dictum eſſe Sicconem, ſed ſine teſte. Verùm in quarto & quinto ex Catalogis Pontificum Romanorum Criticæ Baronianæ præfixis, circa annum 1130 exaratis, hic Pontifex disertè dicitur *Sicco*, cujus familia, inquit Joannes Palatius, hodie juncta *Paſchaliicorum* familiæ, quæ Venetiis implet numerum Senatorium, ſuo in ſtemmate hunc Joannem Pontificem numerat. Unde, ſubdit, meritò de Siccorum familia Franciſcus Sfortia Dux Inſubriæ diplomate dato anno 1485, die 22 Junii dixerit: *Non neſcii quo ſplendore, quantave exiſtimatione*, Siccorum *domus ornata ſit, quæ inter primarias nedum Inſubriæ, verùm Italiæ familias connumerari poteſt*. Hæc Palatius, ex quibus refelluntur tam Platina, quàm Panvinius, & Ciaconius ſcribentes, vel eum ex ignobili familia natum, vel familiam ejus & patriam propter ignobilitatem ignorari.

III. Moritur. Hujus Pontificis Acta omnia perierunt, quæ pauca fuiſſe demonſtrat brevis ejus Pontificatus. Ei enim paſſim Scriptores, & Catalogi menſes tantùm quinque adſcribunt; ſed cùm in ſex ex laudatis Catalogis, addantur dies viginti quinque ſupra menſes quinque, obiiſſe dicendus eſt eodem anno milleſimo tertio, die ſeptima menſis Decembris. Joannes Diaconus Junior in libello de Eccleſia Lateranenſi, teſtatur hunc Pontificem Sicconem dictum, & Joannem XVII appellatum in ea Eccleſia ſepultum cum hoc epitaphio:

Cernitur hic tumulus, qui præſul dicitur eſſe,
Summi Joannis, ſic quoque dictus erat.

Iſte Joannes XVII Papa, inquit idem Joannes Diaconus apud Mabillonium Tomo 2 pag. 561, ſed neque hic, neque in Cæſare Raſpono apud Papebrochium in Joanne XVI, bene legitur, *Joannes hic quoque dictus erat*, legendum enim, ut de ſe patet, *Siccoque dictus erat*; nam omnes Catalogi à nobis laudati habent, Joannem XVII dictum eſſe Sicconem, ut ex mox dictis conſtat.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNES XVIII Pontif. CXLIV.

Anno Domini MIII.

I. *Joannes XVIII excipit Joannem XVII.*

LAudatus numero primo ſuperioris Pontificatûs Catalogus Romanorum Pontificum ordine VIII, & Auctor magni Chronici Belgici pag. 95 habent, poſt mortem Joannis XVII ceſſaſſe Sedem *dies novemdecim*. Quo pacto Joannes XVIII, natione Romanus, qui dicebatur *Faſanus*, ordinatus eſt die vigeſima ſexta menſis Decembris ejuſdem anni milleſimi tertii, Sancto Stephano proto-Martyri ſacra, quæ etiam eo anno cum dominica concurrebat. Superius promiſimus nos probaturos, cum ſe vocaſſe Joannem XVIII, quare fides noſtra nunc liberanda. Gerardus Du-Bois in lib. 10 Hiſt. Eccleſiæ Pariſienſis cap. 3 refert donationem à Raynaldo Pariſiorum Epiſcopo Canonicis ejuſdem Eccleſiæ factam, quam Joannes XVIII reſcripto ſuo confirmavit, quod in hæc verba deſinit: *datum IV Non. Decembris per manus Petri Abbatis & Cancellarii ſacri Lateranenſis Palatii anno III, Pontificatûs domini Joannis octavi decimi, & univerſalis Papæ in ſacratiſſima Sede Beati Petri Apoſtoli Indictione* 5, quæ Kalendis Septembris anni 1006 in Italia initium ſumpſit. Qua ex ſubſcriptione conſtat, hunc Pontificem ſe ipſum *decimum octavum* appellaſſe, ideoque & deceſſorem ſuum Joannem XVII dictum, & tandem ex neceſſaria conſecutione, Joannem Placentinum Pſeudo-Papam dictum fuiſſe Joannem XVI, quod ſine perturbatione Hiſtoriæ, & Lectoris incommodo mutari non poteſt; eo magis quòd Joannes Gregorii V deceſſor, ſe Joannem XV conſtanter appellarit, ut ſuo loco dictum eſt.

II. *Legatum mittit pro conſecratione Archiepiſcopi Magdeburgenſis.*

Ipſo ſui Pontificatûs initio Joannes XVIII Legatum in Germaniam miſit ad conſecrationem novi Archiepiſcopi Magdeburgenſis, cui Eccleſiæ, ab Ottone Magno erectæ, conceſſum fuerat à Romano Pontifice privilegium, ut nonniſi per Romanum Pontificem ejus conſecratio fieri deberet. Sed cùm ob Urbis tumultus, de quibus loquitur Sergius IV in Epitaphio Silveſtri II, ipſe Pontifex intereſſe non poſſet; nec electus ſe Romam conferre, miſſus eſt à Joanne Papa Legatus Apoſtolicus ad hoc munus explendum. Fuit Epiſcopus conſecratus Tagmon, qui juxta profetiam S. Wolfgangi Epiſcopi Ratiſponenſis, Giſilero, octavo Kalendas Februarii anni milleſimi tertii demortuo, in Archiepiſcopatum Magdeburgenſem ſucceſſit. Hæc conſtant ex Ditmaro lib. 5 prope finem, qui ſubdit Tagmonem quarto Nonas Februarii in obviatione juſti Simeonis, ſive in purificatione B. Virginis, conſecratum eſſe à Willigiſo Archipræſule Moguntino, præſente Rege, & Romano Nuntio, omnibuſque Coepiſcopis ad hæc faventibus. Conſecratio itaque hæc facta eſt anno 1004, quo ſedebat Joannes XVIII; eodem enim menſe anni 1003 Silveſter II adhuc in vivis erat.

Sanctus Elphegus, qui poſt S. Ethelvvoldi Vintonienſis Epiſcopi mortem, agente S. Dunſtano Cantuarienſi Archiepiſcopo, in illius locum ſubrogatus fuerat, *anno incarnatæ divinitatis milleſimo ſexto, indictione quarta*, de Sede Vintonienſi ad Cantuarienſem translatus, paucis diebus evolutis Romam profectus eſt, Joanne XVIII Eccleſiam Romanam regente: *Perveniens Romam*, inquit Osbernus Monachus in ejus Vita apud Bollandum ad diem 19 Aprilis, *Romano Pontifici præſentiam exhibuit, colloquia quæſivit. Qui dum omnem loquendi opportunitatem tribuiſſet, tanto inter loquendum ſibi fœderati ſunt amore, ut eum idem Apoſtolicus propria Apoſtolatûs ſui ſtolâ circumdaret, & ad memoriam cœleſtis Clavigeri coram omni Romano Senatu honoraret.* Elphegum Romam pro petendo pallio perrexiſſe teſtantur idem Osbernus, & Malmesburienſis apud Baronium anno 1006 n. ult. Non ſolùm itaque pallio donatus Elphegus, ſed & ipſâ Pontificis ſtolâ majoris honoris gratia circumdatus eſt à Joanne XVIII. Reverſus poſtea in Angliam, ubi à Danis captus, & male habitus, tandemque ab iis anno 1012 crudeliter occiſus eſt. III. *S. Elphegum Archiep. Cantuar. Pallio donat, & propria ſtola circumdat.*

Sanctus Henricus Germaniæ Rex Bambergam, Franconiæ oppidum, à puero dilexerat, & Sanctæ Cunegundi uxori in dotem aſſignarat. Cùm itaque *in ſobole acquirenda nulla ſpes* remaneret, ut ipſemet in Synodo Francofordienſi dixit, Epiſcopatum in eadem civitate inſtituit, literaſque obtinuit à Joanne Papa, quibus Epiſcopatûs illius erectionem confirmat, quæ referuntur Tomo IX Concil. pag. 785, in quarum fine legitur: *Scriptum per manus Petri Notarii & Scrinarii S. R. E. in menſe Junio, Indict.* 5, ideſt anno Chriſti 1007. Hoc privilegium magnus Epiſcoporum numerus in Synodo Francofurti habita unanimiter laudarunt, & ſuis ſubſcriptionibus corroborarunt, ut in fine laudati reſcripti Apoſtolici legitur. Quare cùm literæ Joannis Papæ datæ ſint menſe Junio IV. *Bambergenſi Epiſcopatus inſtitutionem confirmat.*

Digitized by Google

nio anni 1007, Concilium illud Francofordienſe, in quo lectæ ſunt, celebratum dici debet eodem anno, quo Hermannus Contractus ex editione Caniſii, & Chronographus Wirziburgenſis à Baluzio Tomo I Miſcellaneorum editus, hanc inſtitutionem referunt. Nec refert quòd in tabulario Eccleſiæ Bambergenſis eodem Tomo IX Concil. Synodus Francofordienſis dicatur habita *anno 1007, indictione 5 Kal. Novembris, regnante piiſſimo ac Sereniſſimo Henrico ſecundo, anno regni ſui VI*, & indictio 5 menſe Septembri anni 1006 more Romano initium ſumpſerit, ibi enim indictio initium ſumit, vel a Natali Chriſti, vel à Kalendis Januarii, vel mendosè deſcripta eſt; quod conſtat tum ex literis Joannis Papæ, quæ anno 1007 menſe Junio datæ ſunt ante Synodum Francofordienſem, tum ex anno 6 regni Henrici, qui eodem menſe anni 1006 inchoatus eſt.

V. *S. Brunonem ad Ruſſos Apoſtolum deſtinat, eique Pallium miſit.*

Eodem Henrico II Germaniæ Rege regnante, Sanctus Bruno, Ruſsorum Apoſtolus dictus, quia Ruſſis Pruſſiæ vicinis Evangelium annunciavit, à Tagmone Archiepiſcopo Magdeburgenſi conſecratus fuit Epiſcopus cum licentia Domini Papæ, Palliumque ab eodem Pontifice miſſum accepit, ut ſcribit Ditmarus Merſeburgenſis Epiſcopus lib. 6, qui Brunonem Conſcholarem ſuum vocat. Hic autem Pontifex alius eſſe non poteſt quàm Joannes XVIII, qui, ex mox dictis, Legatum Apoſtolicum in Saxoniam pro conſecratione dicti Tagmonis miſit; ideoque Bruno Joanne XVIII Eccleſiam regente, à Tagmone conſecratus eſt, cùm aliunde conſtet ex eodem Ditmaro Sanctum Brunonem circa annum 1008 cum decem & octo ſociis martyrio coronatum eſſe: *Poſt mortem glorioſiſſimi Imperatoris* Ottonis III, inquit Ditmarus loco laudato, Bruno, *regnante tunc ſecundo Domini gratiâ Henrico, ad Merſeburg veniens, benedictionem cum licentia Domini Papæ Epiſcopalem ab eo petiit, & ejus juſſione ab Archiepiſcopo Tagmone conſecrationem, & quod ipſe detulit huc pallium ibidem ſuſcepit*. Refert poſtea Brunonem ad lucrum animarum, laborem grandis & diverſæ viæ ſubiiſſe, tandemque in Pruſſia *XVI Kalend. Martij* decollatum *cum decem & octo ſociis*; quod martyrium Marianus Scotus, & Abbas Urſpergenſis anno octavo ſupra milleſimum conſignant. Ditmarus porrò Pruſſos & Ruſſos vicinos eſſe dicit, quod confirmat Helmoldus in Chronico Sclavorum lib. 1, qui *Pruzorum* nomine etiam Livoniam, & Samogitiam complectitur, & cis mare Suevicum, primos ab oriente *Ruzos* locat, dein Polonos, *qui à Septentrione Pruzos habeant, ab Auſtro Boëmos*. Pruſſi autem circa annum 1170, quo Helmoldus chronicon ſuum abſolvit, *necdum lumen fidei cognoverant*, ut ipſemet loco laudato ſcribit. Ruſſia itaque illa, ad quam S. Bruno perrexit, non erat Ruſſia Alba, ſed provincia quædam Pruſſiæ, & Poloniæ vicina. Ruſſorum enim gentem in multos populos diviſam fuiſſe, & Ruſſiam Albam, ſeu, ut nunc loquimur, Moſcoviam, anno 988 regnante Volodomiro fidem Chriſtianam ſuſcepiſſe, oſtendit Annotator Baronii Tomo 3. De Sancto Brunone & ſociis legendus Bollandus ad 14 diem menſis Februarii.

VI. *Bellilocenſi monaſterio privilegium concedit.*

Fulco Nerra Comes Andegavenſis Jeroſolymis reverſus ultra Augerem fluvium Belloloco prope caſtrum Lochiarum Sanctiſſimæ Trinitati monaſterium conſtruxit, cujus conſecrationis ritum, cùm Turonenſis Archiepiſcopus, in cujus diœceſi monaſterium illud poſitum, celebrare recuſaſſet, quia Fulconis votum Deo gratum eſſe non poſſe conteſtabatur, niſi prædia & mancipia Eccleſiæ Turonicæ ſurrepta priùs reſtitueret, Joannes XVIII Papa, ut Marca lib. 4 de Concordia cap. 8 n. 2, & San-Marthani in Abbatibus Bellilocenſibus pag. 149 demonſtrant, ipſum locum *ſub tuitione & defenſione SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſucceſſorumque noſtrorum*, inquit, *bujus Sanctæ Sedis Pontificum, humiliter deprecando & commendando poſui, ut nullius dominatio Regis & Principis, ſeu Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut cujuſcumque dignitatis perſonæ, præfatum monaſterium inquietare, vel diſturbare, ſeu minuere audeat . . . . Statuimus autem eidem monaſterio Apoſtolicæ auctoritatis privilegium, ut nullo modo ab ullo Archiepiſcopo, vel Epiſcopo Sententiam excommunicationis ſuſtineat, neque pro aliquo jure, nec ordinatione quamcumque moleſtiam vel ab eiſdem Epiſcopis cogatur ſuſtinere, ut ſit quietus idem locus ſub jure & defenſione BB. Apoſtolorum Petri & Pauli Pontificum ſuæ Sedis bujus in perpetuum. Quòd ſi aliquis rebellis contra hanc noſtram auctoritatem, ſcilicet Archiepiſcopus, vel Epiſcopus quicumque ipſum locum excommunicare voluerit, ipſe ſit excommunicatus, & locus iſte abſolutus in æternum & in ſæculum ſæculi* Hæc refert Baronius ad annum 997 num. 20, & ſeqq. quia Joannem illum perperam exiſtimavit, fuiſſe Joannem Placentinum Antipapam. Sed contra privilegium illud reclamavit Hugo Turonenſis Archiepiſcopus, ut in Sergio IV Joannis XVIII ſucceſſore dicetur.

VII. *Communionem Eccleſiæ CP. cum Rom. procuravit.*

Conſtantinopolitanam Eccleſiam cum Romana, Joannis XVIII tempore, communione conjunctam fuiſſe, eruit Baronius, non ſolùm ex epitaphio ejuſdem Pontificis, ſed etiam ex Epiſtola Petri Antiocheni Epiſcopi ad Michaëlem Cœrularium ab ipſo, anno Chriſti milleſimo quinquage-

Digitized by Google

SÆC. XI. JOANNES XVIII.

geſimo quarto ſcripta, in qua hæc verba leguntur: *Cùm Conſtantinopolim quadraginta ab hinc annis veniſſem, inveni tempore beatæ memoriæ Patriarchæ Domini Sergii prædictum Papam Joannem in ſacra miſſa und cum aliis Patriarchis ſanctiſſimis relatum. Quomodo verò deinceps ejus relatio & commemoratio è medio ſublata ſit, & quanam de cauſa, ignoro.* Quo tempore & qua de cauſa ea inter utramque Eccleſiam communio rupta ſit, dicetur infra in Joanne XIX.

VIII. E vivis excedit.

Marianus Scotus, Wernerus Rollewinc, & Auctores variorum Catalogorum Romanorum Pontificum rotundo numero loquentes ſcribunt, Joannem XVIII ſediſſe annos quinque; ſed cùm ex dictis conſecratus fuerit die 26 Decembris anni 1003, & Sergius IV ejus ſucceſſor die decima ſeptima menſis Junii anni milleſimi noni nondum ſederet, ut infra oſtendetur, ne cogamur comminiſci interpontificium menſium quinque & ferè ſex, dicendum eſt Joannem XVIII circa finem menſis Maji anni milleſimi noni obiiſſe, ſicque ſediſſe annos quinque & menſes quinque, menſis enim & dies ejus mortis certò detegi non poſſunt.

SERGIUS IV *Pontif. CXLV.*

Anno Domini MIX.

I. Sergius IV inthronizatur.

SErgius hujus nominis IV, natione Romanus, ex patre Martino, antea Petrus Epiſcopus Albanenſis, inthronizatus & coronatus eſt Pontifex Romanus eodem anno nono ſupra milleſimum, menſe & die incertis; certè poſt diem decimum ſeptimum menſis Junii; nam Ughellus Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 528 refert ejus diploma, quod his verbis abſolvitur: *Scriptum per manus Joannis Scriniarii S. R. E. in menſe Junio, Indictione X . . . . . Datum XV Kalendas Julii per manum Gregorii Epiſcopi & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, anno, Domino propitio, Pontificatûs Domini Sergii quarti Papæ in ſacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli, tertio, indictione decima*, qui characteres ſunt anni milleſimi duodecimi; quare ſi eo Chriſti anno, die decima ſeptima Junii adhuc tertium Pontificatûs annum numerabat, illum inierat anno milleſimo nono poſt eundem diem.

II. Antea dictus fuit: Os porci.

Hunc Pontificem, non verò Sergium II, ut platina & Godefridus Viterbienſis in Chronico ſcripſêre, ante Pontificatum vocatum fuiſſe *Os porci*, vel *Bucca porci* habemus ex Catalogis Criticæ Baronianæ Tomo primo præfixis, & ex Ditmaro Auctore hoc tempore vivente, qui lib. 6 ſcribit: *Huic* (nempe Joanni) *ſuccedebant Sergius, qui vocabatur Bucca porci, atque Benedictus, ambo præclari & conſolidatores noſtri.* Ex Catalogis verò laudatis, ſecundus, tertius, quartus, & quintus, poſt Joannem, qui vocatur Fatton, ſeu Faſanus, ſcribunt: *Sergius, qui vocatur Os Porci.*

III. Legatum in Franciam mittit pro conſecratione Monaſterii Bellilocenſis.

Joannes XVIII, ut in ejus Pontificatu diximus, monaſterio Bellilocenſi, in diœceſi Turonenſis Archiepiſcopi ſito, amplum privilegium conceſſit, quod, ut ſcribit Petrus de Marca lib. 4 de Concordia cap. 8 num. 2, Hugonem Turonenſem Archiepiſcopum commovit, qui ſtatim Romam accedens, ſummis precibus à Sergio IV, qui nuper Joanni XVIII ſucceſſerat, contendit, ut monaſterii conſecrationem ſibi juxta canones & Juſtiniani legem permitteret. Verùm repulſus eſt Hugo, hac exceptione, quòd Fulconi Comiti Andegavenſi liberum fuerit in fundo ſuo, propriaque hæreditate monaſterium conſtruenti, ipſum, ejuſque conſecrationem Romanæ Eccleſiæ conferre, quia *cujus eſt hæreditas, ipſius & conſecratio*. Quare Hugo accepta è manibus Gregorii Silvæ Candidæ Epiſcopi virgulâ, jus omne, quod ſibi competebat, in Romanam Eccleſiam tranſtulit. Sergius verò IV in Gallias Petrum Vipernenſis Eccleſiæ Epiſcopum direxit, monaſterium illud vice ſua conſecraturum, uti narrat ibidem Marca ex ejuſdem Sergii reſcripto. Conſecratio autem illa facta eſt anno milleſimo decimo, ut teſtatur Chronicon Turonenſe MS. ac diploma eodem anno datum. Hæc refert Baronius ad annum 997 ex Glabro lib. 2 cap. 4, ſed hic perperam aſſerit, Pontificem aliquid tentaſſe contra canones, & Turonenſi Archiepiſcopo repugnante factam eſſe Bellilocenſis Eccleſiæ conſecrationem.

IV. Decidit litem inter Hamburgenſem & Verdenſem Epiſcopos.

Lis erat inter Libentium Archiepiſcopum Hamburgenſem, & Bernarium Epiſcopum Verdenſem de parochia Ramſola dicta, quam hic intra terminos ſuæ diœceſis eſſe dicebat; contra verò Libentius ſibi vindicare conabatur, eò quòd Sanctus Anſcharius, primus provinciæ illius Apoſtolus, fugiens incendium urbis Hamburgi, illic erexiſſet oratorium, collocaſſet reliquias, & Monachorum conventum. Quare Libentius anno decimo ſupra milleſimum Oddonem Legatum ad Sergium Papam pro definienda lite, & componenda diſcor-

ſcor-

Digitized by Google

SÆC. XI. SERGIUS IV. ſcordia, miſit. Prævaluit apud Pontificem tanti memoria Præſulis, ob idque Libentio Archiepiſcopo Hamburgenſi cauſam adjudicavit. De his agunt Adamus Bremenſis lib. 1 cap. 13, & lib. 2 cap. 32, & Cranzius lib. 3 cap. 48.

V. Mortalitatem explet. Sergium Papam anno duodecimo ſupra milleſimum obiiſſe tradunt Marianus Scotus, & Sigebertus, qui eodem pariter anno Benedicti VIII ejus ſucceſſoris ingreſſum recenſent; licèt enim ex ſubſcriptione diplomatis Sergii, quam numero primo retulimus, conſtet Sergium die 17 Junii ejuſdem anni 1012 adhuc in vivis fuiſſe, ex duabus tamen chartis à Baronio relatis, conſtat pariter Benedictum VIII eodem anno ſediſſe. Primam refert anno 1012 num. 5 in hæc verba: *Datum VI Kalendas Januarii per manus Benedicti Epiſcopi Portuenſis, & Bibliothecarii S. Apoſtolicæ Sedis, anno, Deo propitio, Pontificatûs domini Benedicti ſanctiſſimi octavi Papæ, octavo, Imperante domino piiſſimo Imperatore Auguſto Henrico anno ſexto, indictione tertia, menſe Decembris die* 26, legendum die 27, qui dies concurrit cum VI Kal. Januarii. Quòd ſi Benedictus VIII anno tantùm 1013 Pontificatum iniiſſet, die 27 Decembris anni 1019, quo illa charta certiſſimè exarata, annum octavum nondum numeraſſet, ideoque ante diem 27 Decembris anni 1012 Pontificatum ſuſceperat. Sed & ex alia charta à Baronio anno 1019 num. 6 itidem relata, liquet Benedictum VIII jam fuiſſe Papam die XXIII Novembris anni 1012; hæc enim his verbis inchoatur: *In nomine Domini Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti anno, Deo propitio, Pontificatûs domini Benedicti ſummi Pontificis & univerſalis octavi Papæ in ſacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli, octavo, imperante Domino piiſſimo perpetuò Auguſto Henrico à Deo coronato magno Imperatore anno ſexto, indictione tertia, menſis Novembris die* 23. Indictio tertia cum menſibus Novembris, & Decembris in illis duobus chartis conjuncta, & annus ſextus Henrici Imperatoris, ſunt certiſſimi characteres anni milleſimi decimi noni, quo ideo anno Benedictus VIII, die 23 Novembris jam numerabat annum Pontificatûs octavum, ideoque illum ſuſceperat anno 1012 ante eundem diem. Ex quibus neceſſariò ſequitur Sergium IV obiiſſe poſt diem 17 Junii, & ante diem 23 Novembris ejuſdem anni 1012. SÆC. XI. SERGIUS IV.

VI. Ejus Epitaphium & virtutes. Sergium IV fuiſſe in pauperes liberalem, aliiſque multis virtutibus ornatum habemus ex ejus epitaphio, quod Cæſar Raſponus lib. de Baſilica Lateranenſi cap. 8 ſcribit non longè fuiſſe ab introitu, & ab Oratorio ſancti Thomæ. Tale autem eſt.

Quiſquis ad hæc tēdis ſublimia limina, Lector,
Et caperis tantæ nobilitate Domus;
Intentis oculis aulæ percurrere raras
Deſine materias, arte juvante manus.
Lumina cum greſſu pendente arguta coercens,
Reſpice ſolicitus, quid velit hic titulus.
Hic tumulata jacent Paſtoris membra ſereni,
Quem decus Eccleſiæ contulit Omnipotens:
Pauperibus panis, nudorum veſtis opima,
Doctor & egregius qui fuit in populo.
Jura Sacerdotis, lætas dum videt ariſtas,
Cœtibus æquavit naviger Angelicis.
Albanum regimen luſtro venerabilis uno
Rexit: poſt ſummum ducitur ad ſolium,
In quo mutato permanſit nomine, Præſul,
SERGIUS EX PETRO: ſic vocitatus erat.
Ductus mente pia, Jeſu, dic, parce Redemptor:
Utque vicem capiat, dic, Deus hunc habeas.

Sequebatur poſtea notula Chronologica, quæ ſine dubio eraſa erat, cum diverſimode deſcribatur apud Baronium, Ciaconium & Raſponum, ideoque hîc eam omittimus. Ex hoc Epitaphio liquet etiam Sergium IV ante Pontificatum dictum fuiſſe Petrum, & per quinquennium Albanenſi Eccleſiæ præfuiſſe. Licèt Sergius IV nullo publico cultu donatus ſit, ejus tamen memoria in Menologio Benedictino legitur die 18 menſis Auguſti, inquit Mabillonius in Indice Sanctorum prætermiſſorum Sæculi VI Benedict. part. 1, qui dies eſt forſan ejus mortis; obiit enim ex dictis poſt diem 17 Junii, & ante diem 23 Novembris anni 1012.

BENEDICTUS VIII *Pontif. CXLVI.*

Anno Domini MXII.

I. Benedictus VIII fit Papa. CUm menſis & dies mortis Sergii IV divinari non poſſint, certò etiam ſciri nequit, quibus menſe & die inthronizatus fuerit Benedictus VIII ejus ſucceſſor natione Tuſculanus, ex patre Gregorio Comite Tuſculano, dictus antea Joannes Epiſcopus Portuenſis. Illud ſolùm conſtat ex probatis in morte Sergii IV, Benedictum poſt diem 17 Junii, & ante diem vigeſimum tertium menſis Novembris anni milleſimi duodecimi Pontificatum ſuſcepiſſe. Quod in hac Chronologiæ Pontificiæ obſcuritate ſcire ſufficit.

Benedictus VIII legitimè in ſummum Pontificem electus, in Germaniam ad Henricum Regem fugere coactus eſt, Româ expulſus à Gregorio quodam, qui ſchiſma faciens Apoſtolicam Sedem invaſit, ut te- II. Sede pulſus ad Germaniæ Regem perfugit.

Digitized by Google

ſtatur Ditmarus in fine lib. 6; ubi poſtquam locutus eſt de Joanne cognomento Phaſano, ſeu de Joanne XVIII; *Huic*, inquit, *ſuccedebant Sergius, atque Benedictus ambo præclari & conſolidatores noſtri. Papa Benedictus Gregorio cuidam in electione prævaluit: ob hoc iſte ad Nativitatem Dominicam* [anni 1012] *ad Regem in Palithi* (locus erat in Saxonia haud longè à Merſeburg, ubi, teſte eodem Ditmaro lib. 6 cap. 80, Rex Natale Domini celebravit) *venit cum omni paratu Apoſtolico, expulſionem ſuam omnibus lamentando innoteſcens.* De hoc ſchiſmate & profectione Benedicti in Germaniam neque Hermannus Contractus, nec Lambertus Schafnaburgenſis, nec Marianus Scotus, nec Sigebertus quidquam habent, ſolus Wernerus Rollewink in Faſciculo Temporum ſcribit: *Schiſma XIII Eccleſiæ fuit inter Benedictum octavum, & quendam alium intruſum: ſed poſt Benedictus obtinuit, ejecto iterum intruſo.*

III. *In Sedem reſtituitur.*

Henricus Germaniæ Rex collecto exercitu Romam perrexit circa finem anni decimi tertii ſupra milleſimum; idem enim Ditmarus teſtatur, eum 11 Kalendas Octobris è Saxonia diſceſſiſſe per Bavariorum fines atque Suevorum, & inde uſque ad Romam properaſſe, ubi anno tantùm milleſimo decimo quarto pervenit, teſte Chronici Hildensheimenſis Auctore, qui annum à Natali Chriſti incipiens, annum 1014 ita orditur: *Natalem Domini Rex Papiæ celebravit.* S. Henrici Regis poſtea Imperatoris ad vindicandam injuriam Apoſtolicæ Sedi illatam Romam adventu perterritus Gregorius pſeudo-Papa ſchiſmaticus, relictâ Urbe aufugit: Benedictus verò Pontifex, quem Rex præmiſerat, eandem Petri Cathedram recepit. Ceterum Henricum Regem præmiſiſſe Romam Benedictum ex eo poſſumus intelligere, quòd Rodulphus Glaber hujus temporis Scriptor in fine libri I, ait, venienti Henrico in Urbem, Benedictum obviam proceſſiſſe.

IV. *S. Henricum Imp. coronat.*

Cùm Benedictus Papa Henrico Regi Romam venienti coronam Imperialem conferre decreviſſet, pro inſigni Imperiali Regi conferendo, juſſit, inquit Glaber laudatus, fabricari aureum pomum, atque circumdari per quadrum pretioſiſſimis quibuſque gemmis, ac deſuper auream crucem inſeri. Erat autem inſtar ſpeciei hujus mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumſiſtere perhibetur, ut dum illud reſpiceret Princeps, terreni imperii foret ei documentum, non aliter debere imperare vel militare, quàm ut dignus haberetur vivificæ Crucis tueri vexillo: in ipſo etiam diverſarum Gemmarum decoramine, videlicet Imperii culmen plurimarum virtutum ſpeciebus exornari oportere. Venienti, & urbi jam appropinquanti Henrico obviam proceſſit pius Pontifex, quodque pararat ſtemma & inſigne Imperii, eidem obtulit, ac paulò poſt in Urbem introductum unà cum Cunegunde conjuge ejus ſanctiſſima, titulo & corona Imperii decoravit. Chronographus Hildensheimenſis, qui, ut jam dixi, annum à Natali Chriſti inchoat, annum 1014, ita exorditur: *Natalem Domini Rex Papiæ celebravit. Inde comitatu Regali Romam pergens, Imperialis coronæ Diadema à Sancti Petri Vicario Benedicto, ſexto Kal. Martias* (legendum decimo ſexto Kal. Martias, ut mox oſtendetur) *cum generali electione ſuſcepit. Ejuſque contectalis Domna Cunigunda idem Deo annuente promeruit.*

V. *Tempus & Pompa coronationis.*

Tempus & pompam inaugurationis hujus ſignantius exprimit Ditmarus initio libri 7; *Decurſis*, inquit, *à Dominica Incarnatione poſt millenarii plenitudinem numeri annis tredecim, & in ſubſequentis anni ſecundo menſe, ac hebdomada tertia, anno autem regni ejus* (Henrici) *decimo tertio, & die Dominica, ac ſexto Kalendas Martii* (legendum decimo ſexto Kalendas Martii, quia dies 14 Februarii, ſeu decimus ſextus ante Kalendas Martii anno 1014 coincidit cum die Dominica, non autem ſextus ante Kalendas Martii, qui eo anno incidit in feriam quartam) *Henricus Dei gratia Rex inclytus à Senatoribus duodecim vallatus, quorum ſex raſi barba, alii prolixa myſticè incedebant cum baculis, cum dilecta ſuimet conjuge Chunigunde ad Eccleſiam Sancti Petri, Papa expectante, venit. Et antequam introduceretur, ab eodem interrogatus, ſi fidelis vellet Romanæ patronus eſſe, & defenſor Eccleſiæ; ſibi autem ſuiſque ſucceſſoribus per omnia fidelis, devota profeſſione reſpondit. Et tunc ab eodem inunctionem & coronam cum contectali ſua ſuſcepit. Priorem autem coronam ſuper Altare Principis Apoſtolorum ſuſpendi præcepit. Eodem die Papa eis cœnam ad Lateranum fecit copioſam.* Hic porrò non omittendum S. Henricum Imperatorem globum illum aureum cum cruce, Imperii ſtemma ſibi à Benedicto Pontifice donatum, ut numero ſuperiori diximus, protinus miſiſſe *ad Cluniacenſem monaſterium Galliarum, quod etiam tunc temporis habebatur religioſiſſimum cæterorum, cui & alia dona plurima contulerat ornamentorum*, inquit Glaber laudatus.

VI. *S. Henricus Romanæ Eccleſiæ olim data confirmat.*

S. Henricus Imperator Romæ exiſtens diploma edidit, quo patrimonia Eccleſiæ Romanæ ab anteceſſoribus quondàm collata Benedicto Pontifici, ejuſque ſucceſſoribus, gratitudinis ergo, & pietatis in Principem Apoſtolorum amore confirmavit. Baronius, qui illud diploma recitat, ait ſe illud contuliſſe cum quatuor exemplaribus, in quibus omnibus addititium eſt nomen Ludovici Pii Imperatoris: *Exarchatum Ravennatem,*

tem,

tem, inquit Imperator Henricus, *cum integritate, cum urbibus, civitatibus, oppidis, & caſtellis, quæ pia recordationis Dominus Pippinus, & Dominus Carolus, & Dominus Ludovicus, & Otto, & itidem Otto filius ejus, prædeceſſores videlicet noſtri, B. Petro Apoſtolo & prædeceſſoribus veſtris jam dudum per donationis paginam contulerunt*, &c. Cùm enim Donatio Ludovici Pii ſuppoſititia ſit, ut ſuo loco probavimus, Otto Imperator in diplomate anno 962 dato, nullam ejus mentionem facit, quę tamen facienda fuiſſet, ſi Ludovicus, uti Pippinus & Carolus, aliquam donationem Eccleſiæ Romanæ feciſſet. In diplomate autem Henrici, Ludovici Pii nomen addititium eſſe, ſequentia ejuſdem diplomatis verba demonſtrant: *Per hoc noſtræ delegationis pactum confirmamus donationes, quas pia recordationis Pippinus Rex & poſtea domnus Carolus excellentiſſimus Imperator, ac deinceps Ottones piiſſimi, beato Petro Chriſti Apoſtolo ſpontanea voluntate contulerunt*, ubi Ludovici Pii nomen tacetur, quia in præcedentibus etiam tacitum fuerat, ut obſervavit Annotator Baronii.

VII. *Statuitur ut Rom. Pontificis conſecratio coram miſſis ſuis fiat.*

Eodem tamen diplomate Henricus Imperator expreſſis verbis confirmat conſtitutiones Eugenii II, & Leonis IV Pontificum Romanorum, quibus præcipitur, ut Pontifex, qui electus fuerit, non conſecretur, niſi in præſentia miſſorum Imperialium: *ſecundum quod*, inquit, *in pacto & conſtitutione, ac promiſſionis firmitate Eugenii Pontificis, ſucceſſorumque illius continetur, ut omnis Clerus, & univerſi populi Romani nobilitas propter diverſas neceſſitates, & Pontificum irrationabiles erga populum ſibi ſubjectum aſperitates, ſacramento ſe obliget, quatenus futura Pontificum electio, quantum uniuſcujuſque intellectus fuerit, canonicè & juſtè fiat; & ut ille, qui ad hoc ſanctum regimen eligetur, nemine conſentiente conſecratus fiat Pontifex, priuſquam talem in præſentia Miſſorum noſtrorum, ſeu univerſæ generalitatis, faciat promiſſionem pro omnium ſatisfactione, ac futura conſervatione, qualem Domnus & venerandus ſpiritualis pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur.* Decretum illud Henrici Imperatoris, de Pontificis Romani conſecratione coram Legatis Cæſareis facienda, locum habuiſſe indicat Petrus Damiani, qui Alexandro II Papa ſedente, ait in lib. 2 Epiſt. 20, electionem Pontificiam *per Epiſcoporum Cardinalium fieri debere principale judicium, itaut ſecundo loco jure præbeat Clerus aſſenſum; tertio, popularis favor attollat applauſum; ſicque ſuſpendendam eſſe cauſam, uſque dum Regiæ Celſitudinis conſulatur auctoritas, niſi periculum fortaſſis immineat, quòd rem quantocius accelerare compellat.* Sed hic mos tandem non multò poſt Petrum Damiani, certè hoc eodem ſæculo undecimo, per Romanorum Pontificum cum Imperatoribus diſſidia penitus exolevit, ut ex dicendis conſtabit.

VIII. *Benedicto PP. perſuadet, ut Symbolum Romæ in Miſſa cantetur.*

Idem Henricus Imperator antequam Româ diſcederet, interrogavit Romanos Presbyteros cur poſt Evangelium Symbolum non canerent in Miſſarum celebratione, quod teſtatur teſtis oculatus Berno Augienſis Abbas in libro de rebus ad Miſſam pertinentibus, ubi cap. 2 ſcribit: *Romani Symbolum poſt Evangelium uſque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati cur ita agerent, me coram aſſiſtente, audivi eos hujuſmodi reſponſum reddere, videlicet, quòd Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando ullâ hæreſeos fæce infecta, ſed ſecundùm S. Petri doctrinam in ſoliditate Catholicæ fidei permaneret inconcuſſa. Et ideo his magis neceſſarium eſſe illud Symbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæreſi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea deſiit, quàm omnium conſenſu id domino Benedicto Apoſtolico perſuaſit, ut ad publicam Miſſam illud decantarent.* Illud Bernonis teſtimonium viros eruditos Cardinales Baronium & Bonam, Hugonem Menardum, alioſque veterum rituum ſcrutatores ſagaciſſimos adduxit, ut crederent, ante ſæculum undecimum nullum fuiſſe in Miſſa apud Romanos Symboli uſum. Sed Edmundus Martene lib. 1 de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 4 art. 5 num. 11 aſſerit Symboli in Miſſa recitationem longè antiquiorem in Eccleſia Romana exiſtere, quam illi Auctores exiſtiment; quod probat tum ex Ordinibus Romanis II, V & VI à Mabillonio Muſæi Italici Tomo 2 publicatis, tum ex Amalarii Abbatis Egloga in Ordinem Romanum, edita à Baluſio in Appendice ad Capitularia Regum Francorum, in qua agit de Symbolo. Tum idem oſtendit ex Walafrido Strabone, ex Leone III Papa, & ex Joanne VIII, ex quibus confici concludit, toto ſæculo nono ſymbolum in Miſſa apud Romanos dictum fuiſſe. Ad Bernonis verò teſtimonium reſpondet, Bernonem non negare abſolutè apud Romanos ſymbolum in Miſſa dictum fuiſſe, ſed *decantatum*, quia revera ſolemni modulatione, ut in aliis Eccleſiis non cantabatur, ſed ſolùm recitabatur ad eum ferè modum, quo in Eccleſia Lugdunenſi Epiſtola, quæ alibi præcinitur, à Subdiacono alta, clara & diſtincta voce abſque ulla cantûs inflectione legitur. Hujus reſponſionis teſtem profert Leonem III, qui in Collatione cum Legatis Concilii Aquiſgranenſis, de qua in ejus Vita egimus; *quod verò*, inquit, *aſſeritis, ideo vos ita cantare ſymbolum, quoniam alios in iſtis partibus*

Digitized by Google

tibus vobis priores audiſtis cantaſſe. *Quid ad nos? Nos enim id ipſum non cantamus, ſed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo aut docendo addere quippiam eidem ſymbolo inſerendo præſumimus.* Henricus itaque Imperator Benedicto Papæ tantùm perſuaſit, ut Symbolum in Miſſa Romæ cantaretur, quod antea tantùm legebatur. Porrò ut ad Henricum Imp. redeam, hic Româ *Papiam rediit. Ibi ſanctum Paſcha feriavit. Inde namque regrediens Pentecoſtem Babenberg* (ideſt Bambergæ) *feſtivè peregit*, inquit Chronographus Hildensheimenſis laudatus.

IX. *Benedictus PP. Saracenos vincit, & ex Hetruria pellit.*

Anno Chriſti milleſimo decimo ſexto Benedictus magnanimus Pontifex Saracenos Eccleſiæ littora invadentes, parato exercitu, milite moto expugnavit, & ex Hetruria expulit. Rem narrat Ditmarus lib. 7. *In Longobardia*, inquit, *Saraceni navigio venientes, Lunam civitatem fugato Paſtore, invadunt, & cum potentia, ac ſecuritate fines illius regionis inhabitant, & uxoribus incolarum abutuntur. Quod cùm Domno Apoſtolico nomine Benedicto fama deferret, omnes Sanctæ matris Eccleſiæ tam Rectores, quàm Defenſores congregans, rogat, ac præcipit, ut inimicos Chriſti talia præſumentes, viriliter ſecum irrumperent, & adjuvante Domino occiderent. Inſuper ineffabilem navium multitudinem tacitè præmiſit, quæ eis redeundi poſſibilitatem interciperent. Hoc Rex Saracenus animadvertens, primò indignatur, & tandem paucis comitatus naviculâ imminens periculum evaſit. Sui verò omnes conveniunt, & adverſantes prius irruunt hoſtes, eoſque mox fugantes, miſerabile dictu, tres dies, & noctes proſternunt. Reſpexit tandem Deus gemitu piorum placatus, & odientes ſe fugavit, & in tantum devicit, ut nec uno de his relicto interfectorum, & eorundem ſpoliorum multitudinem victores numerare nequirent. Tum regina eorum capta ob audaciam jure plectitur. Aureum capitis ejus ornamentum, invicem gemmatum, Papa præ ceteris vendicavit, poſt quam Imperatori ſuam tranſmiſit partem, quæ mille libris computabatur. Diviſa omni præda, victrix turba, læta mente ad propria revertitur, ut triumphanti Chriſto dignas perſolveret odes. Rex autem prædictus morte conjugis, & ſociorum admodum turbatus, Summo Pontifici ſaccum caſtaneis refertum miſit, & per hujus procuratorem tot ſe in proxima æſtate milites eſſe laturum intimavit. Perſpecta hac legatione Papa marſupium eidem milio plenum internuncio talibus dictis reddidit: Si non ſufficiat ſibi Apoſtolicam ſatis læſiſſe dotem, ſecundò veniat, & tot loricatos, vel plures ſe hic inventurum pro certo ſciat.* Hæc Ditmarus narrat, dum de rebus anno 1016 geſtis verba facit. Porrò *Luna*, quam invaſerant Saraceni, appellatur hodie *Luca*, (*) eſtque Civitas libera, à qua aliqua loca pendent.

X. *Invaſores bonorum monaſterii Cluniacenſis excommunicat.*

Tomo IX Concil. pag. 810 extat Epiſtola Benedicti VIII Papæ ad Epiſcopos Burgundiæ, Aquitaniæ, & Provinciæ, Burchardo ſcilicet Archiepiſcopo Lugdunenſi, aliiſque decem & octo, quà Archiepiſcopis, quà Epiſcopis, quorum ſedes & nomina in eadem deſignantur, in qua Pontifex ait, ſeſe *in præſentia Deo devoti domini Roberti Regis Francorum, Principumque ejus & Optimatum, qui cum eo venerant ad Limina Apoſtolorum, & reclamatoria legatione* Odilonis Cluniacenſis Abbatis percepiſſe, terras & poſſeſſiones ejuſdem monaſterii ita à quibuſdam diripi, ut monachi ſolitam curam ſupervenientium hoſpitum & pauperum non poſſint exercere. Quare eos invaſores anathemate percellit, & nominatim quoſdam ex illis; mandatque præfatis Epiſcopis, ut illos ſimiliter excommunicent, & Preſbyteris ſibi commiſſis excommunicare præcipiant. Omnibus præterea Principibus præfatarum provinciarum munus benedictionis & abſolutionis mittit, eo fine ut prædicti loci adjutores & defenſores ſemper exiſtant. Quo præciſè anno Robertus Rex Francorum Romam, orationis causâ adierit, certò ſciri non poteſt, ideoque nec quo anno Epiſtola data ſit; ſed Annotator Baronii multis probat hæc contigiſſe anno 1018, vel aliquo ex tribus ſubſequentibus. Data eſt Epiſtola *Kal. Septemb.* ſine alia nota Chronologica.

XI. *Judæos pro immani ſcelere in imaginem Chriſti decollari jubet.*

Baronius ad annum 1017 ex fragmentis Hiſtoriæ Aquitanicæ & Francorum poſt recenſitos Manichæorum errores, atque ſupplicia, refert his diebus in Paraſceve poſt crucem adoratam uſque ſabbatum ſanctum circa veſperam, concuſſam eſſe Romam à vi ventorum, & penè omnes Romanos, tam Chriſtianos, quàm Judæos mortuos eſſe. Quemdam verò Judæum Chriſtianis intimaſſe, in Paraſceve in Synagoga Judæorum imaginem Chriſti deluſam eſſe, ſicut fecerant Domino parentes eorum. Quod Benedictus Papa ſolicitè inquirens & probans, mox Judæos, qui hoc egerant, juſſit decollari, quibus decollatis ceſſaverunt venti. Cùm autem nova hæreſis Manichæorum, cujus occaſione Clerici Aurelianenſes cremati ſunt, & Concilium Aurelianenſe celebratum, referri debeat ad annum 1022, ut oſtendit Annotator Baronii, hoc pariter ſupplicium, Judæis, propter immane illud ſcelus irrogatum, ad illum circiter annum pertinet; cùm, eodem Baronio teſte, recitetur in iis fragmentis poſt illud Concilium, & poſt punitionem Manichæorum.

XII. *Proficiſcitur in Germaniam.*

Benedictum Papam anno decimo no-

no

[*] *Error, nam Luna ad Mare Tyrrhenum ſita, jam everſa, indeque Sarzano Epiſcopio translato.*

no ſupra milleſimum iterum in Germaniam profectum eſſe diſertè teſtatur Chronographus Hildensheimenſis ad eum Chriſti annum: *Eo anno*, inquit, *in Paſcha Papam de Roma Bavenberg* [ideſt Bamberge] *hoſpitio ſuſcepit*, Henricus ſcilicet Imperator. Huic Chronographo ſuffragantur Lambertus Schafnaburgenſis & Marianus Scotus in Chronicis. Hermannus Contractus, qui in priori editione Chronici ſui, hanc profectionem Germanicam anno 1019 rectè etiam affinxit, ait Benedictum Bambergæ Eccleſiam Sancti Stephani dedicaſſe. Wippo presbyter Scriptor coævus in Vita Conradi Salici Imperatoris loquens de Epiſcopatu Bambergenſi à S. Henrico Imp. fundato, ait: *Ad cujus dedicationem domnum Apoſtolicum nomine Benedictum aſcivit, cujus authoritate ad tutandum locum privilegia publicâ ſtipulatione confirmavit.* Auctor Vitæ S. Cunegundis apud Surium die 3 Martii meminit Baſilicæ S. Stephani illic erectæ, *ad quam*, inquit, *dedicandam Benedictum Papam, quem præfatus Deo dignus Imperator Henricus ad confirmandum Bambergenſem Epiſcopatum advocaverat, venire rogavit.* Tunc Henricus Imperator ipſam civitatem Bambergenſem cum juribus ſuis plenè ſubjecit Romanæ Eccleſiæ. Leo enim Oſtienſis lib. 1 cap. 47 ſcribit: *Hic idem Auguſtus ex ſui patrimonii ſumptibus conſtruxit Eccleſiam ad honorem S. Georgii, quam advocato Benedicto Papa conſecrari fecit; Epiſcopalemque in ea ſedem conſtituens, Beato Petro ex integro obtulit, ſtatuto per annos ſingulos cenſu, equo uno optimo albo, cum ornamentis omnibus & phaleris ſuis, centumque marchis argenti. Poſtmodum Leo nonus Papa Vicariatûs gratia, Beneventum ab Henrico Conradi filio recipiens, prædictum Bambergenſe Epiſcopium, ſub ejus ditione remiſit, equo tantùm, quem prædiximus, ſibi ſervato.* De hac Bambergæ & Beneventi permutatione agemus in Leone IX. Interim hîc obſervandum, plures Bambergæ à S. Henrico fuiſſe Eccleſias erectas, nempe S. Stephani, S. Georgii, & S. Petri, quam ultimam Joannes Patriarcha Aquilejenſis dedicaverat, ut ex Vita S. Cunegundis, ex Ditmaro lib. 6, Hermanno Contracto, aliiſque liquet.

XIII. *Guidonem Aretinum Auctorem Micrologi de Methodo cantan. ad Romam vocat.*

Benedicto VIII ſedente, Guido Aretinus, Monachus Benedictinus in Italia cum maxima omnium admiratione, novam addiſcendi muſicam rationem invenit; adeò ut puer paucis menſibus addiſceret, quod pluribus annis vix homo quilibet pollens ingenio addiſcere potuiſſet. Delata res eſt ad Benedictum Papam, qui Guidonem Romam ad ſe accerſendum curavit. Guido igitur Romam adiit, ut conſtat ex ejus Epiſtola ad Michaelem Monachum S. Mariæ Pompoſiani monaſterii data, quam refert Baronius anno 1022. *Multum itaque*, inquit Guido, *Pontifex meo gratulatus adventu, multa colloquens & diverſa perquirens, noſtrumque velut quoddam prodigium ſæpe revolvens Antiphonarium, præfixaſque ruminans regulas, non prius deſtitit, aut de loco, in quo ſedebat, abſceſſit, donec unum verſiculum inauditum ſibi, voti compos ediſceret, & quod vix credebat in aliis, tam ſubito in ſe cognoſceret. Quid plura? infirmitate cogente, Romæ morari non poteram vel modicum, æſtivo fervore in locis maritimis ac paluſtribus nobis minante excidium. Tandem condiximus, mox hieme redeunte, me illuc debere reverti, quatenus hoc ipſum prælibato Pontifici* [ſcilicet Benedicto VIII, quem jam nominaverat] *ſuoque Clero debeat propalari.* Novam illam cantandi methodum, *ſolmiſicationem* vocant muſici, ſeu *gammam* cum notis Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La; cujus arte pueri & puellæ in manu ſua cantandi peritiam facilius diſcere cœpêre, quàm voce magiſtri, aut ullius inſtrumenti, inquit Trithemius. Guido muſicum ſuum opus *Micrologum* inſcripſit, illudque Theobaldo Aretino Epiſcopo dicavit. Hinc Domnizo Presbyter in carmine de Geſtis Comitiſſæ Mathildis, agens de Theobaldo Aretino Epiſcopo ait:

Micrologum librum ſibi dictat Guido peritus,
Muſicus & Monachus, necnon Eremita beandus,

Micrologi voce Scriptores mediæ & infimæ ætatis intellexêre librum in epitomes ſpeciem editum, indeque in Vita S. Theofredi Abbatis c. 10 dicitur: *Denique quodam tempore familiari ſemotus obſequio Micrologum cudens de Lapſu mundi, ſenario determinat eum ſermone rythmico.* Extat alius Micrologus, ſeu liber *de Eccleſiaſticis obſervationibus*, ſive *de divinis officiis* inſcriptus, 62 capitibus conſtans, cujus cùm Auctor ignoretur, libri ſui nomine Micrologus appellatur, quem Anonymum Gregorii VII tempore vixiſſe; ex capite XIV ejuſdem certum & indubitatum redditur; indeque Baronius, Bona Cardinalis lib. 2 Rer. Liturgic. cap. 20 art. 4, aliique accuratè ſcripsêre, illum ſub ſæculi undecimi finem vixiſſe. Extat ille Micrologus de divinis officiis in Bibliotheca Patrum editionis Lugdunenſis. Sed ut ad Benedictum Papam redeam obiter hîc notandum, eum à Guidone Aretino in prædicta Epiſtola ad Michaelem Abbatem vocari hujus nominis octavum: *Summæ Sedis Apoſtolicæ*, inquit, *Antiſtes Benedictus octavus, qui Romanam gubernat Eccleſiam.* Ex quo patet perperam Ciaconium eum appellare Benedictum VII.

XIV. *Sacras Reliquias ad Caſinenſe monaſterium dirigit.*

Anno vigeſimo tertio ſupra milleſimum idem Benedictus Pontifex multas Sanctorum Reliquias ex Lateranenſi Baſilica ſumptas ad monaſterium Caſinenſe miſit, ut teſtatur Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 28. De

etiam

SÆC. XI. BENEDICTUS VIII.

etiam argentea ſcrinia, inquit, plurimis ſanctorum referta Reliquiis, intra ipſum Altare honorificè ſunt in marmore ſuperiori ſuſpenſa, quæ Reverendiſſimus Papa Benedictus ob amorem & reverentiam ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti, de ſacrario Lateranenſis palatii ſumpta ad Caſinenſem direxit Eccleſiam, primo Theobaldi Abbatis noſtri anno, Dominicæ verò Incarnationis milleſimo vigeſimo tertio; interdicens omnino, ne quis hinc aliquid ex iis auferre præſumat. Sunt autem iſtæ reliquiæ de ligno Domini, de Sanguine Domini, de veſtimentis Domini, de lapide Sancti Sepulchri; de velo Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, Andreæ, Joannis, Jacobi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, & Matthiæ: ſpongia cum ſanguine Sancti Protomartyris Stephani, Laurentii, Stephani Papæ, Martini Epiſcopi, Prudentii, & aliorum quorundam Sanctorum ab eodem Leone Oſtienſi memoratorum.

XV. *Concilia Romæ, & Ticini celebravit.* Duo Concilia toto Pontificatûs ſui tempore celebraſſe dicitur Benedictus VIII. Primum Romæ anno 1015 habuit, è cujus Actis nihil ſupereſt præter privilegium cœnobio Fructuarienſi collatum, quod ex Ferdinandi Ughelli Tomo 2 Italiæ Sacræ, pag. 996, translatum eſt in Labbeanam Conciliorum editionem. Aliud etiam Ticini celebravit, ſed quo anno, incertum, cùm nullâ Chronologicâ notâ inſigniatur; in quo adverſùs Clericos incontinentes, eorumque concubinas & filios leges latæ ſunt. Eccleſiæ dedecus, & bonorum Eccleſiaſticorum ſecutam ex libidine Clericorum dilapidationem gravi ac luculentâ oratione Pontifex expoſuit. Tum canones ſeptem promulgavit, qui extant eodem Tomo IX Concil. ſicuti & decretum Henrici Imperatoris, quo hic à Pontifice rogatus, his canonibus vim & auctoritatem publicæ legis per omnes ditiones ſuas addidit. Huic Synodo præter Benedictum Summum Pontificem ſubſcripſêre Archiepiſcopus Mediolanenſis, & quinque alii Epiſcopi. Celebrata eſt *Papiæ Kal. Auguſti imperante domino H. Glorioſiſſimo Auguſto*, ideoque poſt annum 1013. Henricus enim dictus eſt Auguſtus die decima quarta Februarii anni milleſimi decimi quarti.

XVI. *Naturæ debitum ſolvit.* Benedictum Papam anno milleſimo vigeſimo quarto ſupremum diem obiiſſe teſtantur Hermannus Contractus, Marianus Scotus, & Sigebertus in Chronicis. Wernerus in Faſciculo Temporum, Auctor Magni Chronici Belgici, & plerique Catalogorum Auctores ei aſſignant annos Sedis undecim, menſes undecim, & dies 21. Sed cùm ex dictis menſis & dies ejus ordinationis detegi non poſſint, ita nec menſis & dies ejus mortis. Illud ſolùm certò conſtat Joannem XIX ejus fratrem & in Pontificatu ſucceſſorem nondum ſediſſe die ſexta Junii anni 1024, ſed ordinatum eſſe ante menſem Octobrem ejuſdem anni; ideoque & Benedictum VIII ante menſem Octobrem ex hac vita migraſſe. Vide in Joanne XIX num. 1.

XVII. *SS. Odilonem & Romualdum maximè coluit.* Sanctiſſimos viros Odilonem Abbatem Cluniacenſem, & Romualdum Camaldulenſis ordinis fundatorem magnoperè coluit Benedictus VIII, ut teſtatur Petrus Damiani in Vita ejuſdem Odilonis apud Surium die prima Januarii: *Apoſtolicus igitur iſte*, inquit, *quem diximus, Benedictus, dum adhuc viveret, beatum virum affectuosè dilexit, reverenter excoluit, & Apoſtolorum limina frequentanti neceſſarii ſumptûs opima ſæpe ſubſidia miniſtravit*. Id confirmat Jotſaldus Monachus in Vita, & Virtutibus ejuſdem S. Odilonis apud Mabillonium Sæc. VI Benedictino parte I pag. 683, ubi poſtquam retulit Odilonem Regibus fuiſſe acceptum, ſubdit: *Non prætereundi ſunt etiam illi Sacerdotes & Apoſtolici viri, Silveſter, Benedictus, Joannes, & in ultimis piæ memoriæ Clemens, quorum gratiam ita promeruit, ut tanquam ex fratribus unus extiterit*. Et infra pag. 701: *Præerat quondam Apoſtolicæ Sedi Senior Benedictus .... Qui beatum Odilonem clara affectione diligebat, & ſummo ſtudio excolebat, & quoties arcis Romanæ mœniis ſui præſentiam vir beatus intuliſſet, larga liberalitate neceſſitudinum juvamen exhibebat*. Sanctum etiam Romualdum Benedictus Pontifex mirificè obſervavit, quem diu extra Italiam moras nectentem, Apoſtolicis literis in Italiam revocavit, Romamque venire præcepit, prout idem Petrus Damiani in ejuſdem Romualdi Vita teſtatur apud Surium die 19 Januarii.

XVIII. *Odilonis precibus de purgatorii pœnis liberatur.* Pœnis purgatorii Benedictum Papam expiatum ejusdem Sancti Odilonis interceſſione, non ſolùm Petrus Damiani in laudata B. Odilonis Vita, & in Epiſtola ad Nicolaum II Pontificem apud Baronium anno 1024 memoriæ prodidit; ſed & Jotſaldus Monachus jam laudatus pag. 701. Eandem etiam hiſtoriam refert Sigebertus in Chronico ad annum 1025. *Joanni Papæ*, inquit, *Stephanus* (legendum Benedictus) *frater ſuus apparens dixit, ſe infernalibus pœnis cruciari, ſed ſperare ſe interventu Odilonis Abbatis Cluniacenſis veniam poſſe conſequi, pro quo Odilo tandiu orando laboravit, donec ſibi revelaretur, ſe pro illo eſſe exauditum*. Ad quæ verba Mabillonius in Notula ad Vitam S. Odilonis obſervat, Sigebertum illis verbis, *infernalibus pœnis*, nihil aliud quàm piaculares purgatorii flammas deſignare voluiſſe. Sed obſervandum præterea falli Sigebertum in eo quod ſcribit, Benedictum Joanni XIX Papæ fratri ſuo apparuiſſe; ex Petro enim Damiani,

Digitized by Google

ni, & ex Jotſaldo Monacho laudatis apparet, eum apparuiſſe Joanni Portuenſi Epiſcopo, qui à Joanne XIX miſſus eſt ad Monaſterium Cluniacenſe: Joannes autem XIX nunquam fuit Epiſcopus Portuenſis, ut mox oſtendetur.

SÆC. XI. BENEDICTUS VIII.

JOANNES XIX *Pontif. CXLVII.*

Anno Domini MXXIV.

I. *Joannes XIX Benedicto VIII germano fratri ſuccedit.*

QUibus menſe, vel die anni vigeſimi quarti ſupra milleſimum, Joannes hujus nominis XIX, Benedicti VIII germanus frater, Pontificium thronum conſcenderit, incertum; illud ſolùm certò conſtat ejus ordinationem peractam eſſe poſt diem ſextam menſis Junii, & ante menſem Octobrem ejuſdem anni 1024. Primum liquet ex libro 5 Hiſt. Ravenn. Rubei, in quo mentio fit chartæ à Joanne Papa datæ *octavo Idus Junii, quæ Pontificatus Joannis VI, Imperii Conradi IV, indict. XIII ſcribitur*, qui characteres ſunt anni 1030, quo, die ſexta Junii Joannes numerabat adhuc annum Pontificatûs ſextum, ideoque nondum eo die anno 1024 ad eum evectus fuerat. Secundum eruitur ex privilegio Patriarchæ Aquilejenſi ab eodem Pontifice conceſſo, quod refertur ab Ughello Tomo 5 Italiæ Sacræ pag. 48, diciturque *ſcriptum per manus Joannis Cardinalis, & Cancellarii vice Petri Diaconi menſe Septembri indictione decima* (legendum undecima, ut demonſtrat Annotator Baronii anno 1024 num. 1.) *Datum per manus Boſſonis Epiſcopi & Bibliothecarii S. R. E. in menſe & indictione ſupraſcripta in ſacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli anno quarto, Deo propitio, Pontificatûs Domni Joannis Summi Pontificis & univerſalis noni decimi Papæ*. Hi caracteres conveniunt menſi Septembri anni 1027, ideoque eo menſe, anno 1024 jam ordinatus erat, cùm tunc numeraret annum Pontificatûs quartum. Ex hac etiam ſubſcriptione, & ex alia ab eodem Ughello Tom I pag. 108 recitata, certò liquet hunc Joannem non vigeſimum, ſed decimum nonum appellatum fuiſſe. Id etiam liquet ex ejus diplomate, quo facultatem concedit Epiſcopo Silvæ Candidæ divina officia certis diebus celebrandi in Eccleſia S. Petri in Vaticano, relato à Mabillonio Tomo 2 Muſei Italici pag. 154, & ſeqq. dicitur enim datum *anno Pontificatus domini noſtri Johannis Summi Pontificis, & univerſalis XIX Papæ....... Menſe Decembris indict.* 10, ſeu anno 1026.

II. *Erat antea laicus.*

Joannem Papam ante Pontificatum Epiſcopum Portuenſem extitiſſe ſcribit Ciaconius, ſed ſine dubio fallitur; nam Glaber lib. 4 cap. 1 à Baronio laudatus, ait: *Erat quippe Joannes iſte cognomento Romanus, frater illius Benedicti, cui in Epiſcopatum ſucceſſerat, largitione pecuniæ, repente ex laicali ordine neophytus conſtitutus Præſul: ſed inſolentia Romanorum hujuſmodi adinvenit palliatæ ſubdoloſitatis ridiculum, ſcilicet, ut quemcumque pro ſuo libitu in præſentiarum ad Pontificatûs officium delegerint, mutato nomine, quod illi prius fuerat, aliquo magnorum Pontificum nomine illum appellari decernunt*. Quibus ex verbis conſtat, hunc Pontificem nomen mutaſſe, & Joannem ſe appellaſſe, ac inſuper ante Pontificatum adeptum, non fuiſſe Epiſcopum Portuenſem, ſed ex laicali ordine ad Pontificatum aſſumptum; quod ultimum etiam teſtatur Hermannus Contractus in Auctiori Chronico, quæ res cùm eſſet inaudita, nullum enim hujuſmodi exemplum in electione Romanorum Pontificum præceſſerat, Glabri animum forsàn ita commovit, ut ſcripſerit Joannem *largitione pecuniæ* fuiſſe Pontificem conſtitutum, quod etiam Chronographus Virdunenſis, ſeu Hugo Flaviniacenſis Chronici Virdunenſis Auctor, qui ineunte ſæculo XII floruit, literis mandavit.

III. *Laici virtutibus neceſſariis ornati eligi poterant.*

Sed quidquid ſit, ſi ceteræ virtutes eo gradu dignæ Joanni non defuerint, id haud magis ei in vituperium verti debet, quàm ſancto Ambroſio, aliiſque, qui è ſtatu laicali ſubitò ſancti Præſules extiterunt; & ad eum meritò transferri poteſt, quod Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis ſcripſit ad Guidonem Silvanectenſem Epiſcopum de ordinatione Ebuli, qui anno 1023, ex laico ad Remenſem ſedem evectus eſt in locum Arnulphi eo anno mortui: *Amor juſtitiæ*, inquit Fulbertus Epiſtola 38 juxta Ducheſnium 17, *qui tuam, pater, animam imbuit ab nativitate, fecit eam offenſam, & ab exceſſibus cautam. Cujus rei fidem cùm ex aliorum dictis, tum ex literis tuis evidenter accepi. Sed ab ordinatione Ebuli Remenſis Archiepiſcopi non valde tibi timendum puto eſſe, ſi eſt, ut dicitur, ab infantia Chriſtianus, ſano ſenſu, ſacris literis eruditus, ſobrius, caſtus, amator pacis, & dilectionis, nullo crimine, nullâ infamiæ notâ turbatus; tandemque à Clero, & populo ſuæ Civitatis electus. Magni etenim viri, ut optimè noſti, Ambroſius Mediolanenſis, & Germanus Autiſſiodorenſis, aliique nonnulli, quia tales in laico habitu extiterunt, ſubitò nobis ſancti Præſules exierunt. Domnus verò*

Digitized by Google

rò Papa, cujus animadverſionem te revereri ſignificaſti, non eſt quòd tibi meritò debeat ſuccenſere, ſi te graviter collapſæ ſanctæ Remenſi Eccleſiæ aliquam ſpem reſurrectionis audieris providiſſe.

IV. Joannes PP. Univerſalis titulum Patriarchæ CP. concedere recuſat.

Glaber loco laudato refert Græcos miſſa ad Joannem Pontificem circa annum milleſimum vigeſimum quartum legatione, ab eo obtinere tentaſſe, ut *liceret Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo orbe, ſicut Roma in univerſo, univerſalem dici & haberi*, multaque donorum xenia Romam tam Pontifici, quàm ceteris, qui ſuæ parti favere conſpicerent, miſiſſe. Quod obtinere non potuerunt, quia cùm fama de his per univerſam Italiam decurriſſet, vehemens commotio extitit, & Willelmus Abbas monaſterii Divionenſis ſancti Benigni brevem hac de re ad Pontificem, ſed ſermone pungentem, Epiſtolam miſit, quam recitat, ex ipſo Baronius, qui dolet, quòd ea mendoſa & verbis truncata ſit. Eandem Epiſtolam refert Hugo Flaviniacenſis Abbas, qui in Chronico Virdunenſi de Joanne XIX ſcribit: *à quo cùm requiſiſſet Conſtantinopolitanus Antiſtes, ut ſua Eccleſia, ſicut & Romana, univerſalis diceretur, & donis eum, Romanoſque, qui Curiæ præerant innumeris flecteret; ita ut clanculò tentarent concedere quod rogabatur, omnis ob hoc vehementiſſimè commota eſt Italia. Sed Galliarum Epiſcopi, & Abbates, his obviare conati ſunt, quidam in perſona ſua, quidam verò literis miſſis Sedem Apoſtolicam viſitantes, & tantum opprobrium, & dedecus auctoritatibus ad medium prolatis, quibus contradicere fas non eſſet, à Romana Eccleſia propulſantes. Nec defuit in his Petri Richardi* (Abbatis Virdunenſis) *authentica præſentia, imò omninò ſategit, ut Conſtantinopolitana præſumptio confutata quieſceret, filium ſe Romanæ Eccleſiæ, dum matris honori providebat, oſtendens. Inter alios quoque Willelmus Abbas eximius* (ſancti Benigni Divionenſis) *Epiſtolam Papæ miſit corpore brevem, ſed materia ingentem, & ſermone locupletem, quam hic inſerere non piguit*. Eam Epiſtolam poſtea recitat, quam ſicut & narrationem ſuam ex Glabro ſine dubio deſumpſit. At neque Glaber, neque Hugo Flaviniacenſis ſcribunt, Pontificem voluiſſe Græcis patrocinari; ſed tantùm Græcos, Pontificem & eos, qui Curiæ præerant, clanculò tentaſſe ad obtinendum quod rogabant. Ex quo ad ſummum inferri poteſt, falſum per Italiam & Gallias rumorem ſparſum eſſe, Joannem ſcilicet Pontificem paratum fuiſſe Græcis concedere quod petebant. Verùm nihil penitus ab eo impetrare potuiſſe Græcos, docent Epiſtolæ Leonis Papæ IX ad Michaelem Conſtantinopolitanum Patriarcham, quibus expoſtulat de hujuſmodi titulo, *Oecumenicus*, quem reclamante ſemper Apoſtolica Sede contra jus faſque uſurpaſſent. Ex quibus apertè cognoſcitur, Legatos Græcorum à Joanne XIX fuiſſe repulſos.

V. Conrado Regi Germaniæ in Italiam venienti occurrit.

Sanctus Henricus Imperator obiit III Idus Julii anni 1024, & quidem ſine liberis. Ei in regnum Germaniæ eodem anno ſucceſſit Conradus *Salicus* dictus, qui anno 1026 *circa tempus Quadrageſimæ cum exercitu Italiam adiit, & Paſcha Vercellis acto, totam, præter Lucam urbem Tuſciæ, Italiam in eis Romanis partibus ſibi ſubjugavit*, inquit Hermannus Contractus in Auctiori Chronico. Conrado in Italiam venienti occurriſſe Joannem Papam ſcribit Glaber initio lib. 4. *Cui* (ſcilicet Conrado) *protinus in deſcenſu Alpium, quem Curiam Gallorum licèt corruptè vocant, in oppido Cumis* (legendum Comi, ut obſervat Baronius) *occurrit cum ſummo apparatu Papa Romanus, ut ante ſpoponderat*. Quid cum Conrado Rege egerit Pontifex nullus memoriæ tradidit, ſed conjectura eſt inter eos actum de electione & coronatione Conradi in Imperatorem; Wippo enim in Vita ejuſdem Conradi ſcribit, hunc natalem Domini ejuſdem anni 1026, à quo die annum 1027 incipit, Eporediæ celebraſſe, ibique Rodulphi Regis Burgundiæ Legatos veniſſe, *promittentes illum Romam venturum ad electionem & conſecrationem Imperatoriam Regis Chuonradi*, de quibus ideo inter Papam & ipſum Conradum jam actum fuerat. Quod eò ſecuriùs dicendum, quòd Glaber loquens de electione Conradi in Regem Germaniæ, in exordio lib. 4 ſcribit, Pontificem Rom. ſcilicet Joannem XIX, mandaſſe, *ut ſuſcepto quantocius Germaniæ ſceptro Romam pergeret, ſuſcepturus totius Italiæ coronam*.

VI. Eum coronat Imperatorem.

Eporediæ Conradus Rex *triumphando Romanam viſitat arcem*, inquit idem Wippo, qui poſtea pergit: *Igitur Rex Chuonradus Romam ingreſſus eodem anno, ut ſupra, id eſt, à Nativitate Salvatoris 1027, indictione decima, à Papa Joanne & univerſis Romanis Regio honore mirificè receptus eſt: & in die ſancto Paſchæ, qui eo anno ſeptimo Kalendas Aprilis terminabatur, à Romanis ad Imperatorem electus, Imperialem benedictionem à Papa ſuſcepit, Cæſar & Auguſtus Romano nomine dictus*. Idem ſcribit Wolferus diſcipulus & æqualis S. Godehardi Epiſcopi Hildenſheimenſis in ejus Vita apud Mabillonium Sæc. VI Benedict. part. I num. 28. *Rex autem Natale Domini feſtum Eporediæ* (nunc Ivrea, urbs eſt Epiſcopalis in finibus Salaſſorum ſub Metropoli Taurinenſi ad Duriam fluvium) *initiavit; inde ad limina Apoſtolorum tendens, feria tertia ante Cœnam Domini Romam felici proſperitate gaudens intravit, & in ſancto Reſurre-*

ſurrectionis Domini die coronam Imperialis honoris à beato Joanne Apoſtolorum Vicario glorioſè percepit. Wippo addit, uxorem ejus etiam coronatam eſſe Auguſtam: *Quin etiam*, inquit, *Regina Giſela Imperatricis conſecrationem & nomen ibidem accepit. His ita peractis in duorum Regum præſentia Rudolphi Regis Burgundiæ, & Cnutonis Regis Anglorum, divino officio finito, Imperator duorum Regum medius ad cubiculum ſuum honorificè ductus eſt*.

VII. *Germaniæ Reges quando Imperatores dicti.* Ex his porrò Vvipponis Presbyteri, in Aula Conradi Salici viventis, verbis liquidiſſimè conſtat, Imperatores à Romanis electos eſſe, & conſequenter eos, qui contendunt, Germaniæ Reges ſtatim ab electione dictos fuiſſe Imperatores, nomen ſuum viris doctis deridendum præbere; Vvippo enim ibi diſtinctè aſſerit Conradum *à Romanis ad Imperatorem* electum, & poſtea *Imperialem coronam à Papa* ſuſcepiſſe, eoque pacto inquit, *Cæſar, & Auguſtus Romano nomine dictus* eſt. Antequam autem electus ſit & coronatus, eum ſemper Regem appellat, & poſtea ſemper Imperatorem, quas etiam loquendi formulas uſurpat Vvolferus Auctor Vitæ S. Godehardi laudatus; nam uſque ad numerum 28, in quo Conradum à Papa corona Imperiali donatum aſſerit, eum ſemper vocat Regem, deinceps verò ſemper Imperatorem. Res itaque certiſſima eſt, Germaniæ Reges vi electionis non fuiſſe, nec ſe appellaſſe Imperatores, ſed tantùm poſtquam à Romanis electi, Imperialem benedictionem à Romano Pontifice ſuſceperant.

VIII. *Canutus Angliæ Rex privilegia pro Anglis à Joanne PP. & ab Imp. obtinet.* Canutum ſeu Cnutonem Anglorum Regem, præcedentium Angliæ Regum exempla, & fides certa, penes Apoſtolorum Principem ſummam eſſe poteſtatem ligandi atque ſolvendi, movére, ut Romanam peregrinationem inſtitueret, ut ipſemet in ſuis ad Epiſcopos Angliæ literis à Baronio anno 1027, & Tomo IX Concil. pag. 861 relatis, indicat. Ex ultimis verò Vvipponis verbis numero ante ſuperiorem laudatis apparet, Malmesburienſem, Vvigornienſem, Huntindonienſem, aliosque Britannicarum rerum Scriptores, hoc Romanum Canuti iter perperàm aliis annis, quàm 1027 conſignaſſe. In iis ad Epiſcopos Angliæ literis refert Canutus quanta benignitate à Joanne Papa, à Conrado Imperatore, & à Rodulpho Burgundiæ Rege ſuſceptus ſit, à quibus, inquit, obtinui, *ut homines mei tam mercatores, quàm alii orandi gratiâ viatores, abſque omni angaria clauſurarum, & telonearïorum, firma pace Romam eant, & redeant*. Deinde dicit: *Conqueſtus ſum iterum coram Domino Papa, & mihi valdè diſplicere dixi, quòd mei Archiepiſcopi in tantum angariebantur immenſitate pecuniarum, quæ ab eis expetebantur, dum pro pallio accipiendo ſecundùm morem, Apoſtolicam Sedem expeterent, decretumque eſt ne id deinceps fiat. Cuncta enim quæ à Domino Papa, & ab Imperatore, & à Rege Rodulpho, ceteriſque Principibus, per quorum terras nobis tranſitus eſt ad Romam, pro meæ gentis utilitate poſtulabam, libenter annuerunt*, &c. Tandem ſolvi jubet, quæ debentur, eleemoſynas, decimas, & denarium, quos Romam ad ſanctum Petrum mittere Angli debebant.

IX. *Joannes PP. conſulitur an S. Martialis Apoſtolus vel Confeſſor dicendus ſit.* Cùm anno 1023 in Concilio Pictavienſi agitata eſſet quæſtio, an Sanctus Martialis Lemovicenſis Epiſcopus primus Apoſtoli, vel Confeſſoris nomine vocandus eſſet, nihilque decidi potuiſſet, res delata eſt ad Synodum Parìſienſem anno 1024 congregandum. Lemovicenſes Martialem vocandum eſſe *primùm Confeſſorem*, non *Apoſtolum* contendére; Pariſienſes verò eum etiam Apoſtoli nomine præter ceteros XII poſſe appellari. Robertus tandem Rex pro Pariſienſibus concluſit, & ſententia Synodi Romam ad Joannem XIX Papam tranſmiſſa, ut eam ipſe ſua auctoritate confirmaret. Hæc conſtant ex Concilio Lemovicenſi II, anno 1031 habito, Tomo IX Concil. pag. 870 recitato. Hugo Abbas Sancti Martialis Lemovicenſis è Synodo Pariſienſi redux Lemovicam, primus omnium inter Apoſtolos Martialem ſcripſit, ut legitur in Commemoratione *Abbatum Lemovicenſium Baſilicæ Sancti Martialis Apoſtoli* ab Ademaro ſcripta, quæ extat Tomo 2 Bibliothecæ Labbei. Sed Jordanus Lemovicenſis Epiſcopus eum increpavit, & novitatis arguit, dicens ſervandum eſſe morem antiquum, juxta quem Confeſſoribus, non verò Apoſtolis Martialis annumerabatur. Et ne civitas turbaretur, ſcripſit eam in rem ad Joannem XIX Pontificem, ad Jordanem Lemovicenſem, ceteroſque Galliarum Epiſcopos dedit Epiſtolam, quæ nunc extat Tomo IX Concil. in qua de Sancti Martialis Apoſtolatu ſcribit; *Huic* (nempe Martiali) *modò quidam veſtrorum, ut audivimus, detrahere præſumunt, quaſi nihil ſit ei commune cum Apoſtolis, ſed cum Confeſſoribus. Hi verò non loqui, ſed inſanire videntur: quia gravati faſcibus peccatorum, in cœlis judicare contendunt. Petrum denique noſtrum, cui claves cœlorum commiſſæ ſunt, Confeſſorem dicimus, quia Chriſtum confeſſus eſt, dicens*: Tu es Chriſtus filius Dei vivi: *& Apoſtolum dicimus, quia ab ipſo Domino ad prædicationem eſt miſſus; martyrem nominamus, quia prædicando Chriſtum, martyrio vitam finivit; Principem Apoſtolorum credimus, quia Apoſtolos conſtituit, ſicut eſt Marcus baptiſmate filius, & Matthias ſorte electus, Lucas diſcipulus Apoſtoli Pauli, Barnabas, & quàm plures. An forte nolunt hos recipi inter Apo-*

 ſto-

Digitized by Google

ſtolos, eo quòd ab Apoſtolis ſunt electi & miſſi: qui Martialem, eo quòd non ſit de duodeno numero, Apoſtolica dignitate nolunt clarum videri?

X. *Apoſtolum dicendum definit.*

Non putant alios Apoſtolos, niſi illos duodecim: & ubi eſt quod dicit Apoſtolus Paulus Philippenſibus? Neceſſarium autem exiſtimavi Epaphroditum fratrem, cooperatorem & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos. *Silam quoque & Judam ab Apoſtolis Apoſtolos nominatos invenimus. Anglorum enim Eccleſia uſque hactenus Beatiſſimum Gregorium, quem nos Confeſſorem dicimus, proprium ſuum Apoſtolum nominat. Romani Pontifices, quia vice Apoſtoli funguntur, Apoſtolici nominantur. Cùm igitur Apoſtoli nomen non ſit numeri, ſed ſuffragii, quicumque, revelante Deo, ad prædicandum mittitur, & ſua pia exhortatione & exemplo commiſſum ſibi divinitùs populum à poteſtate diaboli liberat, non incongruè Apoſtolus dici poteſt, quia Apoſtolus* Miſſus *dicitur*. Deinde concludit: *Nos verò in firma petra ædificati, hunc, de quo loquimur, Martialem........ Apoſtolum nominari poſſe, & æquè Apoſtolica officia in divinis myſteriis exhiberi ſibi cenſemus*. Subjungit Pontifex, ut *celebritas tanti Apoſtoli in toto terrarum orbe excelſius recolatur*, ædificaſſe ſe ac dedicaſſe in ejus honorem pulcherrimum Altare in Baſilica Sancti Petri, *ubi quotidie ipſius ſancti memoria devotiſſimè veneratur*.

XI. *Gerundenſi Epiſc. Pallium concedit.*

Anno milleſimo trigeſimo Petrus Epiſcopus Gerundenſis ad Apoſtolicam Sedem acceſſit, dixitque Joanni XIX Pontifici liberaturum ſe triginta captivos, ſi vel duodecim in anno vicibus ſibi concederet uſum pallii. Pontifex redimendorum Chriſtianorum à Saracenis in Hiſpania captorum cupidine flagrans, ejus petitioni condeſcendit, eique poteſtatem geſtandi pallii duodecim diebus illi aſſignatis conceſſit. Hoc nos docuit Baluzius lib. 4 Marcæ Hiſpanicæ, qui poſtea in Appendice, ejuſdem Pontificis Epiſtolam ad Petrum Epiſcopum Gerundenſem datam, de privilegio pallii recitat, datam *menſe Aprili, indictione tertia decima*, ideoque anno 1030. Sed illud privilegium perſonale tantùm fuit; in ea enim Pontifex ait: *Zelo Dei, qui eos proprio ſanguine redemit, accenſi, petitioni tuæ condeſcendimus, Palliumque geſtandum duodecim in anno vicibus tibi ſolummodo conceſſimus, in Natale videlicet Domini, in Epiphania, in Cœna Domini, in Reſurrectione Domini, in die lunæ Reſurrectionis, in Aſcenſione Domini, in Pentecoſtem, in feſtivitate omnium Sanctorum, in Aſſumptione Sanctæ Mariæ, & in feſto Sancti Saturnini, in uno Concilio diœceſis veſtræ*, ubi tamen ſunt tantùm dies undecim, licet Pontifex dicat duodecim, unum itaque à Librario omiſſum omninò dicendum eſt.

XII. *Epiſcopalem Sedem Pampilonæ reddit.*

Baronius ad annum 1032 num. 4 refert ex Mariana lib. 8 cap. ult. eo anno Joannem Papam ad preces Sancii Majoris Regis Navarræ atque Caſtellæ, conceſſiſſe Monachis Monaſterii Leirenſis facultatem creandi Epiſcopum Pampilonenſem. Antiquis enim temporibus Pampilonenſes Epiſcopi, ob barbarorum incurſiones, ſedem tranſtulerant in Leirenſe monaſterium, quod in Pyrenæis jugis ſitum eſt. Sed Stephanus Garibayus in Annalibus regnorum Caſtellæ, Luſitaniæ, Aragoniæ, Navarræ Hiſpano ſermone editis lib. 4 cap. 24 refert ex antiquis ſcripturis in Eccleſia Pampilonenſi aſſervatis, ſedem Epiſcopalem, quæ jamdiu in Leirenſe monaſterium translata fuerat, Era 1066, ſeu anno Chriſti 1028 [Era enim Hiſpanica ibi uſurpata triginta octo annis præcedit Eram vulgarem] redditam fuiſſe Eccleſiæ Pampilonenſi. Sanctius Major Navarræ Rex hanc in rem ſolemne die 29 menſis Septembris anni 1023 Pampilonæ Concilium celebravit, in quo magna adhibita diligentia, ut antiqui hujus Epiſcopatûs limites detegerentur, iſque Pampilonam transferretur; quæ translatio, ut jam dixi, anno 1028, auctoritate Joannis XIX peracta. Cùmque Petri Aragonenſium & Navarræ Regis liberalitate, & Petri à Roda Epiſcopi piis laboribus ac beneficentiâ Eccleſia illa valde dilatata fuiſſet, Urbanus II, dum in Galliis anno 1096 verſaretur, quæ Sanctii Majoris tempore geſta fuerant, auctoritate Apoſtolica confirmavit, uti ex Archivis Eccleſiæ Pampilonenſis Garibayus lib. 23 cap. 3 oſtendit.

XIII. *S. Odiloni jubet, ut Archiepiſcopatum Lugdunenſem non refugiat.*

Cùm Burchardus Archiepiſcopus Lugdunenſis annò circiter milleſimo vigeſimo nono obiiſſet, inter multos de ſucceſſore acriter certatum eſt, ut ſcribit Baronius anno 1034 ex Glabro lib. 5 cap. 4, ubi addit, cùm ſuggeſtum fuiſſet *Romano Pontifici*, ut Odilonem Cluniacenſis monaſterii Abbatem, juxta Cleri ac plebis votum ibidem Pontificem conſecraret; Papam protinus miſiſſe ei *pallium ſimul & anulum*, & imperaſſe *eumdem prædictæ civitate fore Archiepiſcopum*; ſed Sanctum Abbatem ad Archiepiſcopatum illum ſuſcipiendum minimè adduci potuiſſe. Baronius putat hunc Pontificem fuiſſe Benedictum IX, quod idem ſentit Garnerius in Notis ad cap. 4 diurni Romani. Hugo Flaviacenſis in Chronico Virdunenſi id à Gregorio Papa ſexto factum ſcribit. Sed cùm Gregorius VI anno 1044 electus ſit in Romanum Pontificem, hæc opinio ſubſiſtere non poteſt, quia tunc Odelricus Archidiaconus Lingonenſis, qui Odiloni renuenti ſubſtitutus eſt, Lugdunen-

Digitized by Google

nenſi Eccleſiæ jam ab aliquot annis præfectus fuerat. Ipſemet enim Hugo refert Odelricum ab Henrico Imperatore Lugdunum cum ornamentis Pontificalibus anno 1041 directum fuiſſe; & aliunde certum eſt, Odelricum, ex quo in Epiſcopum aſſumptus eſt, ſedem ſuam, nemine contradicente, tenuiſſe. Quare omninò dicendum, neque Gregorium VI, neque Benedictum IX, ſed Joannem XIX S. Odiloni pallium miſiſſe, & injunxiſſe, ut Lugdunenſis Archiepiſcopus eſſet; quod certò conſtat ex literis ejuſdem Joannis Papæ ad Odilonem datis, quæ ex Spicilegii Dacheriani Tomo 2 translatæ ſunt in editionem Conciliorum Labbei, quibus eum urget Pontifex, ut onus non refugiat. In iis ait: *Niſi expetitum regimen jam dictæ Eccleſiæ, quod inobediendo hactenus ſpreviſti, obedienter ſuſceperis: quid amaritudinis vel ſeveritatis erga meritos ſciat Romana Eccleſia injicere, ſenties*. Sed cùm Odilo ad honorem illum aſſumendum nullatenus adduci potuiſſet, tandem poſt decem circiter annorum interpontificium, Odelricus Lingonenſis Archidiaconus, vir literis apprimè eruditus, ſuadente Halinardo, tunc Sancti Benigni Divionenſis Abbate, ab Henrico Conradi Imperatoris filio dictus eſt Præſul Lugdunenſis anno 1041, ut Hugo Flaviniacenſis ſcribit, qui & addit, pallium & annulum à Romano Pontifice Odiloni miſſa Cluniaci ad ætatem ſuam ſervata eſſe.

XIV. *Extremum diem claudit.* Joannem XIX ſediſſe annos novem & dies novem in pleriſque Catalogis legitur, & quidem rectè, ut exiſtimo; cùm enim, ex ſuperius probatis, ordinatus fuerit ante menſem Octobrem anni 1024, ſupremum diem clauſit anno 1033, quem annum Hermannus Contractus in utraque Chronici ſui editione, & Sigebertus morti ejus aſſignant. Baronius ex Glabro lib. 4 cap. 9 ſcribit, Romanos anno 1033 in Papam Joannem conſpiraſſe, eumque à Sede expuliſſe, in quam eodem anno à Conrado Imp. reſtitutus eſt. Sed Annotator Baronii oſtendit narrationem Glabri pertinere ad Benedictum IX Joannis ſucceſſorem, qui anno 1038 ex Sede pulſus, & in eam à Conrado reſtitutus eſt; anno quippe 1038 in Italiam Conradum profectum, nec Glaber, nec ullus ex Antiquis literis mandavit, quod, ex dicendis, fecit anno 1038. Joannem tamen XIX inviſum fuiſſe Romanis, ſed injuſtè, negari non poteſt, ſi vera ſunt quæ de ejus morte narrat Martinus Polonus apud Joannem Palatium in iſto Joanne Benedicti VIII ſucceſſore: *Peregrinis*, inquit Martinus, *Romam venientes, fermè omnes ſpoliabantur, & pervenientium oblationes violenter auferebantur. Quos omnes Papa monuit primò; poſtea excommunicavit: tertiò, quia contempſerunt hæc, manum armatam appoſuit: & ſic raptores oblationum S. Petri aut penitus extinxit, aut fugavit. Occiſis itaque raptoribus, prædia & oppida multo tempore amiſſa recuperavit. Tunc omnes ipſum homicidam clamantes, non Papam, ſed ſanguinarium dicebant. Cardinales quoque ipſum, in infirmitate, ex qua obiit, indignum fore dixerunt in Eccleſia S. Petri ſepeliri, qui tot mortibus hominum Sacerdotium fœdaſſet. Tunc Papa licèt infirmus, reſumpto ſpiritu longum ſermonem Cardinalibus fecit, aſſerens ipſos ſtultè eſſe loquutos, & ſe bene feciſſe. Inducens illud quod Ezechiel imperavit Sacerdotibus, qui ſe non opponebant murum pro domo Iſrael, & multa alia; deinde ſubdidit: quum mortuus fuero, corpus meum ante fores Eccleſiæ ſiſtite, januas quoque Eccleſiæ feris & vectibus bene obfirmate: & ſi voluntate divina portæ apertæ fuerint, corpus meum inferte: alioquin de ipſo facite quod vultis. Quumque mortuo ſic factum eſſet, turbo divinitus veniens, portas Eccleſiæ firmatas non ſolùm aperuit, ſed etiam cum magno fragore uſque ad parietem deportavit*. Ita Martinus Polonus apud Palatium. At in editione ejuſdem Martini à Joanne Fabricio cognomento Cæſare Coloniæ Agrippinæ anno 1616 curata, hæc narratio inſerta eſt Pontificatui Gregorii VI, ſed perperàm, ut in ejus Vita dicemus. Quidquid ſit, Platina, Joannes Stella, Onuphrius Panvinius, & Ciaconius Vitam Joannis XIX *mirificè ab omnibus laudatum* fuiſſe ſcribunt, eumque ſepultum in Eccleſia S. Petri inter portam argenteam & Romanam. Vide dicta de eo miraculo in Gregorio VI.

BENEDICTUS IX *Pontif. CXLVIII.*

Anno Domini MXXXIII.

I. *Benedictus IX ordinatur Papa.* HErmannus Contractus in auctiori Chronico ad annum 1033 ſcribit: *Romæ defuncto Joanne, Benedictus IIX,* (in editione Piſtoriana vocatur IX, ſed ex mente Hermanni dicendus VIII, quia Benedictum V ab Ottone M. depoſitum non numerat) *qui & Theophylactus Papa CXLIX ordinatur, licèt indignis tanto ordini moribus & factis, ſedit annis plus minus XII.* Glaber verò lib. 4 cap. 5 *Univer-*

Digitized by Google

ſalis *Papa Romanus*, inquit, *nepos ſcilicet duorum, Benedicti atque Joannis, qui ei præceſſerant, puer fermè decennis, intercedente theſaurorum pecunia electus extitit à Romanis*. Ordinatus eſt autem Benedictus Alberici Comitis Tuſculani filius, & Benedicti VIII, ac Joannis XIX nepos, ante diem 17 menſis Novembris ejuſdem anni 1034, ſi Brouvero fides; hic enim lib. 11 Annal. Trevir. refert, conſecrationem Eccleſiæ Trevirenſis, præſente Legato à Benedicto IX miſſo factam eſſe, hancque poſitam inſcriptionem: *Anno Dominicæ Incarnationis MXLII, Indictione 9, Benedicti Papæ decimo, Regiſque tertii Henrici, Conradi Regis filii IV, XV Kal. Decembris, feria quarta*. Quare cùm eo anno, die 17 Novembris, quo inſcriptio poſita, Benedictus IX annum Pontificatûs decimum numerarit, anno 1033 ante illum diem fuerat conſecratus. Sed hanc inſcriptionem longè poſt hæc tempora poſitam eſſe ex eo patet, quòd menſe Novembri anni 1042 in curſu eſſet indictio 11 non 9. Papebrochius quidem apud Mabillonium ſæculo VI Benedict. part. 1 pag. 370 hanc inſcriptionem à Brouvero editam, ad autographum emendatam refert, & loco indictionis 9 ponit indictionem 10; ſed neque hoc ſatisfacit, nam licèt in Gallia & Germania, poſt Ludovicum Pium indictio non inchoaretur à Kalendis Septembris, adhibebatur tamen indictio Conſtantiniana, quæ initium ducit à die 24 Septembris, ideoque in inſcriptione illa Treviris poſita menſe Novembri anni 1042 omninò ſcribendum eſt, *indictione 11*. Præterea annus decimus Benedicti IX deeſt apud Papebrochium, licèt legatur apud Brouverum, ex quibus concludo, incertum eſſe, quibus die & menſe anni 1033 ordinatus ſit Benedictus IX.

II. *Fuit Simoniacus, & pravis moribus imbutus.*

Benedictum Simoniacum fuiſſe deducitur non ſolùm ex citatis Glabri verbis, ſed etiam ex iis, quæ non multò poſt refert: *Fuerat*, inquit, *ordinatus quidam puer annorum circiter duodecim contra jus, faſque, quem ſcilicet ſola pecunia auri & argenti plus commendavit, quàm ætas, aut ſanctitas*. Dubitat tamen Baronius de hac tam exigua ætate; tum quia ex Adamo Bremenſi lib. 2 cap. 50 conſtat, eum ipſo primo ſuæ ordinationis anno pallium conceſſiſſe Hermanno Archiepiſcopo Hamburgenſi; tum quia Sanctus Petrus Damiani teſtatur, eum *ab exordio ſuæ creationis uſque ad finem ſemper luxuriis inquinatum* fuiſſe, quod de puero decem annorum dici nequit. Forſan apud Glabrum, ubi legitur, *annorum circiter duodecim*, legendum, *annorum circiter duodeviginti*; & loco, *decennis*, legendum, *vicennis*, alioquin Glaber ſibi contradicere videtur. Sed quidquid ſit de ejus ætate, eum fuiſſe ſimoniacum & pravis moribus indutum diſertè teſtatur Deſiderius, qui hoc eodem ſæculo undecimo Pontifex Romanus fuit ſub nomine Victoris III; libro enim 3 Dialogorum hæc habet de Benedicto: *Igitur dum per aliquot annos nonnulli ſub nomine Pontificum cathedram obtinerent, Benedictus quidam nomine, non tamen opere, cujuſdam Alberici Conſulis filius, (magi potius Simonis, quàm Simonis Petri veſtigia ſecutus) non parum à patre in populum profligatâ pecuniâ, ſummum ſibi Sacerdotium vendicavit: cujus quidem poſt adeptum Sacerdotium vita quàm turpis, quàm fœda, quàmque execranda extiterit, horreſco referre, eo potius qualiter Omnipotens Deus in faciem Eccleſiæ ſit deſignatus reſpicere exordia enarrare*. Ex hoc tamen Novatores Romanam Eccleſiam calumnioſè proſcindere oſtendit Baronius ad annum 1033 num. 4, qui & num. 7 probat, Benedictum IX in toto Chriſtiano orbe habitum fuiſſe Pontificem Romanum, ipſumque munera Pontificalia exercuiſſe.

III. *Synodum Romæ celebrat.*

Anno milleſimo trigeſimo ſexto Benedictus IX Synodum Romæ celebravit, cujus fragmentum extat Tomo IX Concil. ex Tomo itidem IX Italiæ Sacræ Ughelli. Andreas Epiſcopus Peruſinus monaſterium Sancti Petri foris murum civitatis Peruſinæ, & alia duo, in Benedictum IX, qui primum monaſterium conſecraverat, tranſtulit. Sed poſtea idem Epiſcopus *ſe jactando, atque injuriam faciendo in quodam Archipresbytero Sancti Conſtantii, ſupradicti monaſterii Sancti Petri, oſtendit ſe cauſare monaſterium, atque ad ſuum jus intromittere*, ideſt illud repetere. Bonizo Abbas hac de re queſtus eſt apud Benedictum IX, qui *Synodale Concilium* congregavit, in quo præfatus Epiſcopus dixit, ſe nulla ratione monaſterium illud repetere, *atque iterum refutavit coram domno Benedicto Papa*, ideſt, dimiſit, & in Pontificis juriſdictionem tranſmiſit, ut variis exemplis oſtendit Ducangius in Gloſſario. Adfuere huic Synodo complures Epiſcopi, Abbates, Diaconi, & alii diverſorum ordinum. In fine legitur: *Hoc factum eſt in præſentia ſupradicti Benedicti Papæ, temporibus Domini Chounradi Imperatoris, IV Nonas Novembris per indictionem quintam*, quæ in Italia à Kalendis Septembris anno 1036 obtinebat; ideoque eo anno Concilium celebratum, non verò anno 1037, ut annotatur in citato Tomo Conciliorum.

IV. *Conradum Imp. Cremonæ convenit.*

Hermannus Contractus ex editione Caniſii, & Vuippo in Vita Conradi Salici, diſertè ſcribunt, Conradum Imperatorem anno milleſimo trigeſimo ſeptimo in Italiam perrexiſſe, & Benedictum Papam eum Cremonæ conveniſſe: *Papa Benedictus*, inquit Hermannus, *Cremonam ad*

Im-

Digitized by Google

Imperatorem venit. Vvippo verò: *Eodem tempore Papa Cremonæ occurrebat Imperatori, & bonorificè receptus & dimiſſus Romam reverſus eſt*. Idem Hermannus ad annum 1038 ait: *Papa Archiepiſcopum Mediolanenſem* [nempè Heribertum] *Imperatori adhuc rebellantem excommunicat*. Quod Chronographus Hildensheimenſis his verbis confirmat: *Prædictus Mediolanenſium Metropolitanus ab Apoſtolico Pontifice per juſtas crebras ammonitiones communi Epiſcoporum decreto, in Paſchis anathematizatus, & à cœtu fidelium eſt ſegregatus. Qui nibilominus in ſua obſtinatione perduravit, & Imperatori pro poſſe in omnibus per præſentem, & etiam ſubſequentem annum incommodavit*.

V. *Ab eodem Conrado in Sedem reſtituitur.*

Conradum Imperatorem poſt repreſſos Mediolanenſes, anno milleſimo trigeſimo octavo Romam perrexiſſe, & Benedictum IX, qui eodem anno in Apoſtolorum die natali à Romanis Sede pulſus fuerat, in eam reſtituiſſe, oſtendit Annotator Baronii. Licèt enim neque Hermannus Contractus, neque Chronographus Hildensheimenſis, neque Hepidannus Conradum Imperatorem eo anno Romæ fuiſſe innuerint; imò Vvippo disertè aſſerat, Imperatricem in eam urbem *orandi gratia* veniſſe, nulla Imperatoris mentione facta; Victor tamen III Papa, qui hoc tempore vivebat, lib. 2 Dialogorum, Petrus Diaconus Caſſinenſis in Vita SS. Guinizonis & Januarii Monachorum Caſſinenſium in Actis SS. Bollandianis ad diem 26 Maji recitata; Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 66, & Glaber lib. 4 cap. 8, & 9 expreſſis verbis id referunt. *Eodem anno*, inquit Glaber, *dominicæ paſſionis milleſimo* (ſecundùm ejus computum 1033) *die tertio Kalendarum Juliarum VI Feria, Luna 28, facta eſt eclypſis ſeu deliquium ſolis ab hora ejuſdem diei ſexta, uſque in octavam nimium terribilis. Tunc corda humani generis ſtupor ac pavor tenuit immenſus, quoniam illud intuentes intelligebant portendere quiddam fore ſuperventuræ cladis humano generi triſte. Nam eadem die, videlicet Apoſtolorum, in Eccleſia B. Petri quidam de principibus Romanorum conſpirantes in Papam Romanum, cupientes illum interimere. Sed minimè valentes, à Sede tamen propria expulerunt. Sed, ut præmiſimus, tam pro hac re, quàm pro aliis inſolenter patratis, Imperator illuc proficiſcens propriæ Sedi reſtituit*. Hujus eclypſis meminerunt etiam Marianus Scotus & alii. Sed Glaber non dicit, Conradum eodem anno 1033 in Italiam, & Romam perrexiſſe, ut Joannem XIX, qui tunc ſedebat, in Sedem reſtitueret. Cùm itaque probari non poſſit Conradum poſt annum 1027 in Italiam veniſſe ante annum 1037, Glaber ſignificat deliquium illud portendiſſe dejectionem Romani Pontificis, quæ non eodem anno, ſed poſt quinquennium, anno ſcilicet 1038, contigit, eodem die, quo eclypſis ſolaris, quæ anno 1033 humanum genus terruerat; ideoque Glaber ſignificat Benedictum IX Sede pulſum, non verò Joannem XIX, & in eam à Conrado Imperatore reſtitutum. Ita Annotator Baronii, cui eò magis ſubſcribendum exiſtimo, quòd ſi Joannes XIX, die vigeſima nona Junii anni milleſimi trigeſimi tertii Sede pulſus fuiſſet, Imperator tam citò Romam proficiſci non potuiſſet, ut eum in Sedem ante mortem reſtitueret, cùm, Baronio & Papebrochio fatentibus, obierit die ſexta menſis Novembris ejusdem anni; & nullus ex Antiquis hujus profectionis Romanæ Conradi meminerit, imò Vvippo in ejus Vita tradat, eum *ejuſdem anni 1033 æſtate cum exercitu ſuo ſuper Odonem Comitem*, ſeu Ducem Campaniæ *in Gallias Francorum* veniſſe, cùmque Odonem compuliſſet Burgundiam dimittere, *cum ſuo honore, & Odonis damno* reverſum eſſe. Anno itaque 1033, poſt menſem Junium, in Italiam profectus non eſt Conradus, ut Joannem XIX in Sedem reſtitueret, quod Baronius, Papebrochius & alii paſſim Glabro affingunt. Ceterùm Benedictum IX pluries Sede dejectum aſſerit idem Glaber lib. 4 cap. 5. *Intercedente*, inquit, *theſaurorum pecunia electus extitit à Romanis, à quibus exinde frequenter ejectus, ac inboneſtè receptus, nulla poteſtate viguit*.

VI. *S. Symeonem Syracuſanum canonizat.*

S. Symeon Syracuſanus, Monachus Treviris ab aliquot annis incluſus, anno milleſimo trigeſimo quinto, die prima menſis Junii ſpiritum reddidit creatori, ut tradit Evervinus Abbas Trevirenſis, coæqualis in ejus Vita Sæculo VI Benedict. part. I recitata. Cùmque miraculis non ſolùm vivens, ſed etiam mortuus clareret, quorum fama per Germaniam & Galliam divulgabatur, Poppo Archiepiſcopus Trevirenſis, cui ſanctitas Symeonis, quem itineris comitem in itinere Jeroſolymitano habuerat, magis perſpecta & explorata erat, ea de re ad Benedictum IX ſcripſit, à quo impetravit literas, quibus Pontifex non ſolùm inter Sanctos Confeſſores Symeoni locum dedit, verùm etiam conſtituit, ut ejus feſtivitatis dies à cunctis feriatus haberetur. Tam Popponis, quàm Benedicti IX Papæ literas ex Brouveri Annalium Trevirenſium libro XI refert Mabillonius loco laudato. Eas recitat Brouverus ad annum 1042, quo datæ ſunt. Legatum miſit Benedictus Treviros, qui canonizationis literas tulit, quibus acceptis Poppo ſolemniter beatum Symeonem inter ſanctos Confeſſores habendum & colendum eſſe declaravit; quod factum anno 1042 patet ex ſequenti inſcriptione, quam Papebrochius die prima Junii in Actis SS. Bollandianis, ex antiquis monumentis, ut ipſe

ait,

Digitized by Google

SÆC. XI. BENEDICTUS IX.

ait, ad autographum emendatam refert: *Anno Dominicæ Incarnationis* 1042, *Indictione X, Benedicti Papæ IX, Regiſque tertii Henrici, Conradi Regis filii IV, Canonizatus eſt Beatus Symeon Trevirenſis IV feria, XV Kal. Decemb. piiſſimo Archipræſule Poppone, anno ordinationis ſuæ 26, juſſu & literis noni Benedicti Papæ, eſt congregatio Canonicorum ibidem ordita*. De ea inſcriptione vide dicta numero primo. Porrò Sanctus Symeon natus erat in civitate Syracuſana nobiliſſimis parentibus, cùmque Conſtantinopolim ſacris literis imbuendus miſſus fuiſſet, Jeroſolymam devotionis causâ perrexit, indeque poſt aliquot annos ad radices montis Sinai ſeceſſit, tandemque Antiochiam; unde in Franciam, Treviroſque profectus eſt, ubi animam ſanctam Deo reddidit.

VII. *Caſimirum Monachum & Diaconum vero abſolvit & uxorem ducere permiſit.*

Miſecone hujus nominis II Poloniæ Rege, anno 1034 mortuo, Caſimirus ejus filius, propter turbas, quæ in Polonia exortæ ſunt, ne irritatis hominum animis, magnum aliquod malum in ſe redundaret, conſilium fugæ iniit, Cluniacum petiit, ibique Monachum induit. Sed poſtea Poloni per ſex aut ſeptem annos ſævis tempeſtatibus jactari, ſibi tandem mutuò condonant privatas offenſas, & Comitia Gueſnam indicunt, ubi ea ſententia vicit, quæ Caſimirum, ubi ubi ſit, quærendum, & reducendum eſſe cenſuit. Oratores ad id delecti Primores viri, qui Cluniacum venientes, inveniunt eum, non modò profeſſum religionem, ſed jam Diaconum. Deprecantur culpam exilii ipſius, orantque, ut afflictam & penè everſam patriam reſpiciat. Reſpondet Caſimirus, datam ſemel Deo, atque iis, quorum ſe poteſtati ultrò ſubjecerat, fidem fallere non poſſe. Oratores omnia ſibi tentanda eſſe rati, Abbatem monaſterii adeunt, iſque eos ad Pontificem Romanum, qui tunc erat Benedictus IX, remittit; à quo impetrant, ut Caſimirus ad regnum majorum ſuorum redeat, & uxorem ducat; eum à votis abſolvens ea conditione, ut ad perennem beneficii à Sede Apoſtolica accepti memoriam, Poloni nobiles uſualem nummum Sedi Apoſtolicæ quotannis viritim ſolverent, caput Monachorum inſtar tonderent, & in præcipuis Chriſti & Deiparæ ſolemnitatibus panno lineo albo in ſtolæ modum pendente cervicem exornarent. Horum omnium teſtis eſt Joannes Longinus, Canonicus Cracovienſis, & poſtea Epiſcopus Leopolienſis in Hiſtoria Rerum Polonicarum, ab ipſo ſæculo XV ſcripta, quæ anno 1612 typis mandata fuit. Sed reſcriptum Benedicti IX, cujus meminit Longinus, ad nos non pervenit. Refert poſtea idem Auctor, Caſimirum Regem anno 1045 totius regni Comitia convocaſſe, tumque Romam Legatos miſiſſe, qui ſuo nomine gratias agerent Benedicto Papæ, & Polonici regni tributum penderent.

VIII. *E Sede pellitur, & Silveſter fit Antipapa.*

Duæ hoc tempore potentiſſimæ Romæ vigebant factiones; altera Tuſculanorum Comitum, qui, ut jam diximus, intercedente theſaurorum pecuniâ, Benedictum IX eligi & ordinari procuraverant; alteram Ptolemæi Romani civis, cujus familiam fuiſſe potentiſſimam teſtatur Petrus Diaconus Caſſinenſis in Chronico lib. 4 cap. 63, ubi ſcribit, Romanos, Benedicti IX turpitudinem ubique decantatam, & ab omnibus deploratam haud diutius ferre valentes, nihil veritos potentiam Comitum Tuſculanorum, qui Urbi imminentes terrori civibus eſſe ſolerent, favore aſpirante Conſulis Ptolemæi, Benedictum IX ejeciſſe, & Joannem Epiſcopum Sabinenſem, quem Silveſtrum nominarunt, in ejus locum ſubrogaſſe. Eadem habet Hermannus Contractus in Chronico ad ann. 1044. *Romani*, inquit, *Benedictum CL Papam multis criminatum Sede ſua pellunt, & Silveſtrum III quendam in ejus locum ſtatuunt, quem tamen poſtea Benedictus, quibuſdam ſibi faventibus, excommunicatum depulit*. Idem refert Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi lib. 2 cap. 80. *Romæ item*, ait, *Benedictus Papa cum annis duodecim Apoſtolicæ Sedi præfuiſſet, à Romanis ejectus eſt, & Joannes Sabinenſis Epiſcopus, cui nomen Silveſter impoſitum eſt, non tamen gratis in Romanum Pontificem ſubrogatus*. Idem denique ſcribit Victor Papa III lib. 3 Dialog. ubi ait: *Denique cùm rapinas, cædes, aliaque nefanda in Romanum populum aliquanta per tempora ſine ulla dilatione ageret* Benedictus, *congregati in unum populi, quia ejus nequitiam amplius ferre nequibant, eum à Pontificatûs cathedra exturbantes, Urbe pellunt, alterumque in loco ejus, Joannem videlicet Sabinenſem Epiſcopum, canonica parvi pendentes decreta, ſubſtituunt*.

IX. *Benedictus IX, ejecto Silveſtro, reſtituitur in Sedem.*

Sed Pontificatu malè uſurpato diu potitus non eſt Joannes Sabinenſis, ſeu Silveſter III Antipapa; ſubdit enim Victor III. *Qui* (ſcilicet Silveſter) *tribus non amplius menſibus Romanæ uſus eſt cathedræ ſucceſſione, Benedicto undique ſuis cum propinquis infeſtante Urbem, quia ex Conſulibus terræ ortus erat, & in eis maxima virtus, Urbe cum dedecore pulſus ad Epiſcopatum reverſus eſt*. Silveſtrum menſibus tantùm tribus Romanæ Eccleſiæ præfuiſſe ſcribit etiam Leo Oſtienſis mox laudatus: *Qui* (nempè Silveſter) *cùm præfuiſſet menſibus tribus, Benedictus ille prius abrogatus, annitentibus propinquis ſuis Tuſculanis Proceribus, pulſo Silveſtro, Romanam Sedem iterum occupat*. Quo præcisè tempore, Benedicto ejecto, Silveſter Romanam Sedem occuparit, incertum;

Digitized by Google

certum; ſed Annotator Baronii conjicit, Gregorium VI initio menſis Maji anni milleſimi quadrageſimi quarti Romanam Sedem occupaſſe, ideoque Benedictum IX circa initium anni 1044 Sede pulſum fuiſſe, & Silveſtrum III eam occupaſſe. Tres illos Pontifices, nempe Benedictum IX, Silveſtrum III Antipapam & Gregorium VI, de quo infra, ſimoniacos fuiſſe, oſtendit idem Baronii Annotator; ſed ex illis ſolum Silveſtrum III è numero Romanorum Pontificum excluſum fuiſſe. Qua de re in eodem Gregorio agetur.

X. *Papatum alteri cedit.*

Benedictus igitur, inquit Victor III poſt laudata verba, *quod admiſerat Sacerdotium recepit, priſtinos tamen mores minimè mutavit, ſecundùm quod ſcriptum eſt*, „ Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm „ ſenuerit, non recedet ab ea; *& quia durum eſt in corde veteri nova meditari, in eiſdem pravis, & perverſis operibus, ut ante perſeverabat. Cùmque ſe à Clero ſimul & populo propter nequitias ſuas contemni reſpiceret, & ſama ſuorum facinorum omnium aures impleri cerneret, tandem reperto conſilio (quia voluptati deditus, ut Epicurus magis, quàm ut Pontifex vivere malebat) cuidam Joanni Archipresbytero, qui tunc in Urbe religioſior ceteris Clericis videbatur, non parvâ ab eo acceptâ pecuniâ, ſummum ſacerdotium relinquens, tradidit*. Hermannus item Contractus laudatus in Benedicto IX ſcribit: *Sedique ſuæ redditus, ſe ipſum poſtea privavit, & alium pro ſe ob avaritiam contra canones ordinavit*. Hunc autem fuiſſe Joannem Archipresbyterum, ut ait Victor III laudatus, teſtatur etiam Leo Oſtienſis loco citato: *Nec multò poſt*, inquit, *inviſum ſe cunctis aſpiciens, Joanni Archipresbytero, qui quaſi religioſior habebatur, Papatu tradito, ipſe cupiditates ſuas liberius executurus, in paternam ſe recipit domum*. Hunc Joannem Archipresbyterum, Gratianum dictum, fuiſſe appellatum Gregorium VI mox videbitur.

XI. *Suaſu beati Bartholomæi Abbatis.*

Romano Pontificatui ceſſiſſe Benedictum IX perſuaſione viri ſanctiſſimi Bartholomæi Abbatis Cryptæ Ferratæ, diſcipuli Sancti Nili, ejus Acta ſignificant apud Baronium anno 1044 num. 4, in quibus iſta leguntur: *Qui tunc temporis Apoſtolicæ Sedi præerat, cùm juvenis eſſet [quod utinam Deus avertiſſet] voluptatibus deditus, humanæ fragilitati ſe præcipitem dedit. Sed cùm tandem ab hoc malo reſipuiſſet, & maleſactorum ſolutionem, & veniam ſibi quæreret, Beatum Bartholomæum ſibi fore mediatorem agnovit, & interceſſorem illum ſibi decrevit. Quapropter advocavit illum majori qua poterat veneratione & honore. Huic rem totam aperit, & opportunum remedium quærit. Ipſe verò Bartholomæus non eſt throni celſitudinem veritus, non dignitatis præſtantiam reſpexit, neque munera & honores, quod plerique ſpiritualium medicorum facere ſolent; ſed mali gravitatem, & propterea opportunam mali abſciſſionem illi adhibens ita inquit*: Non licet tibi ſacra facere, ſed potius abſtinere, & Deum placare, quem peccando irritaſti. *Ille verò neque tardans, neque procraſtinans, ſed quamprimùm depoſita Sede, inſtar privati hominis ſe habebat*. Hæc Auctor ejus temporis. Verùm eundem Benedictum dimiſſam non multò poſt repetiiſſe cathedram, quæ mox in Gregorio VI dicemus, manifeſtè oſtendunt. Hunc porrò Sanctum Bartholomæum memorari in Faſtis Benedictinis die XI Novembris aſſerit Mabillonius Sæculo VI Benedictino parte prima in Indice Sanctorum prætermiſſorum; ejus tamen Acta non exhibet.

GREGORIUS VI *Pontif. CXLIX.*

Anno Domini MXLIV.

I. *Tres fuêre eodem tempore Romanæ Sedis invaſores, non quatuor.*

JOannes Archipresbyter Sancti Joannis ante portam Latinam, Gratianus nomine, in Pontificatu Gregorius VI dictus, à Benedicto IX, cui non parvam pecuniæ ſummam dedit, Pontificatum recepit. Tres fuerunt eodem tempore Romanæ Sedis invaſores, ſcilicet Benedictus IX, Silveſter III, & Gregorius VI; ideoque fallitur Otto Friſingenſis lib. 6 cap. 23, ubi ſupponit quatuor eodem tempore Romæ viſos fuiſſe Pontifices, tres ſcilicet invaſores, & quartum, ſcilicet Joannem Archipresbyterum, ſeu Gratianum, quem cives *tanquam Eccleſiæ Dei liberatorem in ſummum Pontificem elegerunt, eumque, mutato nomine, Gregorium ſeptimum* [legendum ſextum] *vocaverunt*. Antea autem ſcripſerat Otto: *Circa idem tempus pudenda confuſio Eccleſiæ Dei in urbe Roma fuit: tribus ibi invaſoribus, quorum unus Benedictus dicebatur, Sedem illam ſimul occupantibus; atque ad majorem miſeriæ cumulum, diviſis ſimul cum redditibus patriarchiis, uno ad S. Petrum, altero ad S. Mariam Majorem, tertio, ideſt Benedicto, in Palatio Lateranenſi ſedente, flagitioſam & turpem vitam (ut egomet in Urbe tradentibus Romanis audivi) duxêre. Hunc miſerrimum ſtatum Eccleſiæ religioſus quidam Presbyter Gratianus nomine videns, zeloque pietatis matri ſuæ com-*

Digitized by Google

SÆC. XI. GREGORIUS VI. *compatiendo animadvertens, præfatos viros adiit, eiſque à Sede Sancta cedere pecuniâ perſuaſit; Benedicto redditibus Angliæ, quia majoris videbatur auctoritatis, relictis. Ob ea cives præfatum Presbyterum, tanquam Eccleſiæ liberatorem in ſummum Pontificem elegerunt, eumque, mutato nomine, Gregorium ſeptimum*, (legendum, ut jam dixi, ſextum) *vocaverunt*. Sed Auctoribus coævis, Victori nempe III, Hermanno Contracto, Bonizoni Epiſcopo Sutrino, & Clementi II Gregorii VI immediato ſucceſſori major fides adhibenda, quàm Ottoni Friſingenſi, qui anno tantùm 1158 obiit; illi autem omnes, tres tantùm aſſerunt hoc tempore Apoſtolicam Sedem invaſiſſe, nempe Benedictum IX, Silveſtrum III, & Gregorium VI, & ipſemet Otto, quis ſit ille quartus non dicit, ideoque hac in narratione falſis relationibus deceptus eſt.

II. *Gregorius VI ſponte Pontificatum abdicat.* Victor III poſtquam lib. 3 Dialog. ſcripſit, Benedictum IX Urbe ceſſiſſe, & Papatum Joanni Archipresbytero, *non parva ab eo accepta pecunia*, tradidiſſe, ſubdit: *Intereà Joannes, cui Gregorii nomen inditum eſt, cùm duobus annis, & octo menſibus Sacerdotium adminiſtraſſet, Henricus Rex, qui tunc Germaniæ, Pannoniæ, & Italiæ imperabat, ad ſuſcipiendam de manu Romani Pontificis Imperialem coronam, quatenus deinceps Auguſtus appellari poſſet, Italiam ingreſſus, Romanam adiit urbem. Sed antequam urbem ingrederetur, plurimorum Epiſcoporum, necnon Abbatum, Clericorum quoque ac religioſorum Monachorum in Sutrina urbe Concilio congregato, Joannem, qui Gregorius dictus eſt, miſſis ad eum Epiſcopis, ut de Eccleſiaſticis negotiis, maximèque de Romana tunc Eccleſia, quæ TRES ſimul habere Pontifices videbatur, ipſo præſidente tractaretur, venire rogavit. Sed hæc de induſtria agebantur. Jam enim dudum Regio animo inſederat, ut TRES illos, qui injuſtè Apoſtolicam Sedem INVASERANT, cum conſilio & auctoritate totius Concilii juſtè depelleret, & unus qui ſecundùm ſtatuta SS. Patrum Dominico gregi ſolicitè præeſſet, Clero & populo eligente ordinaretur. Prædictus itaque Pontifex exoratus à Rege, ceteriſque Pontificibus, Sutrium, ubi Synodus congregata erat, allectus ſpe, quòd ALIIS DUOBUS DEPOSITIS, ſibi ſoli Pontificatus confirmaretur, gratanter perrexit. Sed poſtquam eò ventum eſt, & res agitata, ac diſcuti in Synodo cœpta, agnoſcens ſe non poſſe JUSTE' honorem tanti Sacerdotii adminiſtrare, ex Pontificali ſella exiliens, ac ſemetipſum Pontificalibus indumentis exuens, poſtulatâ veniâ, ſummi Sacerdotii dignitatem depoſuit*. Quibus ex verbis invictè refellitur narratio Ottonis Friſingenſis, & conſtat Gregorium VI ſimul quidem ſediſſe cum Benedicto IX, & Silveſtro III, ſed neutiquam cum alio quarto, ideoque & fuiſſe unum ex tribus, qui per hæc tempora Romanam Sedem invaſerant, tantùm abeſt, ut liberator Eccleſiæ appellari poſſit. De tribus etiam tantùm loquitur Hermannus Contractus ad annum 1046. Bonizo in Epitome Hiſtoriæ Pontificum Rom. à S. Petro ad Urbanum II, qui apud Annotatorem Baronii ad annum 1044 num. 8 ſcribit: *Ceterum ſi quis de Theophylacto Tuſculano* (ideſt Benedicto IX) *qualiter Joanni* (Archipresbytero) *Sacerdoti vendidit Papatum, & quomodo uno eodemque tempore Theophilactus, & Gregorius, & Silveſter Romanum non regebant, ſed vaſtabant Pontificatum, & qualiter Henricus Rex, Conradi filius Romanam Eccleſiam à talibus peſtibus liberavit, gnarus eſſe voluerit, legat librum, quem dictavi*, &c. Bonizo autem, qui Sutrinus Epiſcopus fuit, vitæ ſuæ partem prope urbem Romam hoc tempore traduxit, & ob defenſam Eccleſiæ Rom. libertatem crudeliſſimè occiſus eſt anno 1089, qui ideo hæc ignorare non potuit; & multò minus Clemens Papa II, qui eodem anno 1046 Romanus Pontifex electus, in Epiſtola, qua Clero & populo Bambergenſi coronationem ſuam ſignificat, ait, exploſos tres illos, *quibus idem nomen Papatûs rapina* dederat. Refert illam Epiſtolam Gretzerus in libro, quem ſcripſit de Divis Bambergenſibus, annoque 1611 publicavit.

III. *Fuit ſimoniacus.* Ex his omnibus deducitur, Gregorium VI ſimoniacum fuiſſe, ac unum ex tribus, qui hoc tempore Romanam Sedem invaſére; & Ottonem Friſingenſem nonniſi ex incertis, levibuſque rumoribus ſcripſiſſe poſtea, Henricum Gregorio VI perſuaſiſſe, ut Pontificatu cederet, & ei depoſitionem minatum eſſe, ideoque Gregorium ceſſione illa laudem non meruiſſe; contrarium enim ex dictis ſequitur, Gregoriuſque VI maximè laudandus, quòd *agnoſcens ſe non poſſe juſtè honorem tanti Sacerdotii adminiſtrare, ex Pontificali ſella exilierit, & ſemetipſum Pontificalia indumenta exuens, poſtulatâ veniâ ſummi Sacerdotii dignitatem* depoſuerit, ut loquitur Victor III laudatus. Conſtat inſuper Baronium, & pleroſque alios, Gregorium VI à ſimoniæ labe immunem fuiſſe, perperam ſcripſiſſe; ſicuti & malè inſimulaſſe Henricum Germaniæ Regem, poſtea Imperatorem hujus nominis II, quaſi eum injuſtè deponendum judicaſſet.

IV. *Numerandus tamen inter Pontifices Romanos.* Licèt porrò Benedictus IX, & Gregorius VI ſimoniaci fuerint, inter Pontifices tamen Romanos numerantur, & ut tales habiti ſunt. De Benedicto IX inter omnes convenit; de Gregorio autem VI non videtur locus dubitandi, cùm Hildebrandus ejus diſcipulus, qui Sanctiſſimè Ponti-

fi-

Digitized by Google

SÆC. XI. GREGORIUS VI.

ficatum Romanum geſſit viginti quinque circiter poſt ejus ceſſionem annis, Gregorius VII appellari voluerit, ut hac appellatione ſua illius Pontificatum ceu legitimum quodammodo approbaret. Qua de re Otto Friſingenſis laudatus ita ſcribit: *Hunc Gratianum Alpes conſcendentem, ſecutum fuiſſe tradunt Hildebrandum, qui poſtmodum Summus Pontifex factus, ob ejus amorem, quia de catalogo Pontificum ſemotus fuerat, ſe Gregorium VII vocari voluit: & ſicut in Lucano habet.*

Victrix cauſa Diis placuit, ſed victa Catoni.

Ita & huic Hildebrando, qui ſemper in Eccleſiaſtico rigore conſtantiſſimus fuit, cauſa iſta, in qua ſententia Principis & Epiſcoporum prævaluit, ſemper diſplicuit. Idem Hildebrandus Pontifex factus, in Concilio, quod anno 1080 Romæ celebravit, ait: *Invitus ultra montes cum Domino Papa Gregorio abii, ſed magis invitus cum Domino meo Papa Leone.* Ipſemet Henricus Imperator in diplomate, quod extat Tomo 2 Bullarii Caſſinenſis, quo, anno 1047 tertio Nonas Januarii privilegia monaſterii Sancti Petri Peruſini confirmat, enumerans Pontifices Romanos, qui eadem confirmaverant, inter eos recenſet Benedictum IX, & Gregorium VI: at Silveſter III à nemine inter Pontifices ponitur, ſed inter Antipapas, quia Pontificatum invaſerat, Benedicto IX, quem Eccleſia ut Pontificem reverebatur pulſo; Gregorius verò VI, non ſolùm Pontifex dictus erat vacante Sede ob ceſſionem Benedicti IX, ſed etiam ſponte & non coactus Pontificatum abdicavit, quem, zelo in Eccleſiam ductus, ſuſceperat: unde inter legitimos Pontifices numerandus, quia ut talis ab univerſa Eccleſia agnitus.

SÆC. XI. GREGORIUS VI.

V. *Ejus Sedis duratio, & locus obitus.*

Ceterùm cùm Hermannus Contractus aſſerat, Sutrinum Concilium, in quo Gregorius VI indumentis Pontificalibus ſe exuit, celebratum eſſe anno milleſimo quadrageſimo ſexto, juxta Natalem Domini, & ex Victoris III verbis mox relatis, *duobus annis, & octo menſibus Sacerdotium* adminiſtrarit, quod etiam legitur in Leone Oſtienſi, & in pleriſque Catalogis, certum inde eruitur argumentum, ejus Pontificatûs initium copulandum eſſe cum initio circiter menſis Maji anni milleſimi quadrageſimi quarti. Quæ de Gregorio VI à Willelmo Malmeſburienſi de geſtis Anglorum, & à Martino Polono ex editione Joannis Fabricii referuntur, quæque nos in Joanne XIX numero ultimo retulimus, non poſſunt convenire huic Pontifici, quia ille, de quo hæc à prædictis Auctoribus narrantur, mortuus & ſepultus eſt Romæ; Gregorius verò VI poſt ſuam abdicationem, ipſo fatente Baronio, ductus eſt in Germaniam ab Henrico Imperatore, ubi, non Romę, dubio procul defunctus eſt. Unde nos cum editione Martini Poloni, qua uſus eſt Joannes Palatius, hanc narrationem, non Joannis Archipresbyteri, ſeu Gregorii VI, ſed Joannis XIX pontificatui intexuimus, ut ibidem legere eſt. Sed hîc non omittendum, Baronium, qui hæc refert ex Malmeſburienſi lib. 2 cap. 13, miraculum ad januas ſancti Petri ſponte recluſas ad ſuſcipiendum ejus cadaver ab eodem Malmeſburienſi, & à Martino Polono relatum, ſuſpectum habere, *de eo miraculo*, inquit, *fides ſit penes auctorem.*

CLEMENS II *Pontif. CL.*

Anno Domini MXLVI.

I. *Clemens II inthronizatur.*

VIctor III Papa lib. 3 Dialog. poſtquam retulit Gregorium VI in Concilio Sutrino, anno milleſimo quadrageſimo ſexto, juxta Natale Domini celebrato, Pontificatum abdicaſſe, ſubdit: *Poſt hæc Rex* (Henricus) *Urbem ingreſſus, congregato in Eccleſia B. Petri Apoſtoli Romano Clero & populo, unà cum Epiſcopis, qui in prædictam convenerant Synodum, communi conſilio Clementem Bambergenſem Epiſcopum elegerunt: quia in Romana Eccleſia non erat tunc talis reperta perſona, quæ dignè poſſet ad tanti honorem ſufficere ſacerdotii: eumque in Apoſtolica Sede ad regendum dominicum gregem inthronizantes conſtituunt.* Rem ſignantiùs exprimit Hermannus Contractus: *Omnium tam Romanorum, quàm aliorum conſenſu*, inquit, *Suidgerum Epiſcopum, qui poſt Eberhardum primum ſecundus Bambergenſem ſexto jam annò regebat Eccleſiam, nimium reluctantem ſummum Romanæ Eccleſiæ elegit Pontificem: ſicque circa vigilias Natalis Domini ipſum ingrediuntur Urbem.* Et paulò poſt: *In ipſa Natalis Domini die præfatus Suidgerus, natione Saxo; Apoſtolicæ Sedi CLI Papa ex more conſecratus* (ſeu inthronizatus) & *nomine auctus Clemens II vocatus eſt.* Clemens itaque hujus nominis II, in ipſo Natalis Domini die, anno 1046 inthronizatus, & benedictus eſt Romanus Pontifex, non autem conſecratus, jam enim Epiſcopus Bambergenſis ordinatus erat.

II. *Factus Papa non dimiſit Epiſcopatum Bambergenſem.*

Papebrochius in Paralipomenis ad Conatum Chronico-Hiſtoricum, referens ex

Gret-

Digitized by Google

SÆC. XI. CLEMENS II. Gretſero in libro de Divis Bambergenſibus Epiſtolam à Clemente II Eccleſiæ Bambergenſi datam, qua ei promotionem ſuam in Romanum Pontificem ſignificat, ſibique grave eſſe ab ea divelli teſtatur; videri ſibi ait, Clementem factum Pontificem non dimiſiſſe titulum *Epiſcopi Bambergenſis*, utì neque paulò poſt ſecuti Victor II, & Nicolaus II dimiſerunt Titulos *Aiſtetenſis*, *& Florentini*. Hanc viri doctiſſimi conjecturam, certam eſſe obſervavit Annotator Baronii; quia Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 1048 id manifeſtè indicat; ibi enim loquens de morte Clementis Papæ, ſupponit Epiſcopatum Bambergenſem ejus morte vacaſſe. Hæc ejus verba: *Imperator natalem Domini Poletbæ celebravit. Ibi Legati aderant Romanorum, Suidgeri Papæ obitum nunciantes, eique ſucceſſorem poſtulantes: quibus Imperator Popponem Priſnienſem* (legendum Brixinenſem) *Epiſcopum aſſignavit, Bambergenſem verò Epiſcopatum Hezechin Cancellario tradidit*. Epiſcopatus itaque Bambergenſis Clementis II morte vacabat.

III. *Henricum Imp. coronat.* Eodem die, quo Clemens II inthronizatus eſt, Henricum Regem, & conjugem ejus Imperatorem coronavit, ut teſtatur idem Hermannus Contractus: *Qui* (ſcilicet Clemens) *mox ipſa die Henricum Regem & conjugem ejus Agnetem Imperiali benedictione ſublimavit: peractiſque miſſarum ſolemniis, ipſe dominus Papa, & Imperator cum Imperatrice, itaut erat coronatus, ad Lateranenſe palatium cum ingenti gloria proficiſcuntur, cunctis civibus Romanis mirantibus, honoremque ſingulis quibuſque pro facultate obiter impendentibus*. Idem ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 1047, quia ſcilicet tam ipſe, quàm Hermannus anni initium repetunt à die Nativitatis Domini; Marianus autem Scotus, & Sigebertus in Chronicis, qui annum à Kalendis Januarii auſpicantur, hæc referunt ad annum 1046.

IV. *Concilium Romæ celebrat.* Anno milleſimo quadrageſimo ſeptimo, ineunte Januario Clemens Papa, annitente potiſſimùm Imperatore, Concilium Romæ adverſùs Simoniacos celebravit; in quo orta eſt contentio inter Ravennatem, & Mediolanenſem Archiepiſcopos, quiſnam eorum proximus à dextris Romani Pontificis ſedere deberet. Extant Tomo IX Concil. pag. 1252 literæ Clementis II ea de re datæ, in quibus ait Pontifex: *Unde & in ipſa noſtra Synodo Aquilejenſis Patriarcha muſſitabat*, quia ſcilicet honoratiorem etiam locum ſibi deberi contendebat. Sed ſtatutum eſt, ut Ravennati Epiſcopo ſecundus à Pontifice Romano locus in Concilio, abſente Imperatore, tribueretur. Subdit enim Pontifex: *Verùm ne poſthac iterum vel Archiepiſcopo Mediolanenſi, vel Patriarchæ Aquilejenſi, de ſeſſione dextri lateris noſtri liceat excitare quamlibet controverſiam, interdicimus noſtrâ Apoſtolicâ auctoritate hoc eis de cetero licere*. Et paulò poſt: *Sedem Ravenn. Archiepiſcopi jubemus ſemper eſſe à dextris noſtris, noſtrorumque ſucceſſorum, ſecundùm antiquæ conſtitutionis auctoritatem, niſi fortè Imperator affuerit: & tunc etiam ipſum ſiniſtrum locum tenere per hanc noſtræ auctoritatis firmitatem huic noſtræ narrationi ſubjectam*. Initio autem harum literarum jam Clemens dixerat, ſe Concilium celebraſſe *circa nonas Januarii*. De eadem Synodo loquitur Petrus Damiani in Epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Ravennatenſem, in qua ait, Clementem Papam ad reformandum Eccleſiæ ſtatum Synodum indixiſſe. Ex hoc loco habemus, jam tempore Clementis II dexteram in Conventibus Eccleſiaſticis fuiſſe honoratiorem ſiniſtrâ, qua de re vide dicta in Leone III.

V. *In Germaniam cum Imperatore pergit.* His Romæ confectis Imperator reditum in Germaniam cogitavit, ſed prius cum Clemente Papa Beneventum adiit, indeque in Germaniam, cujus rei teſtis eſt Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 81. Imperator, inquit, *Beneventum contendens, cùm cives eum noluiſſent recipere, tam ob ſuam, quàm ob patris injuriam; totam civitatem à Romano Pontifice, qui tunc illic aderat, excommunicari fecit, omnemque Beneventanam regionem Northmannis ſua auctoritate confirmans, in patrium rediit ſolum, ſecum Clementem adducens*. Sed Clementem non diu in Germania ſubſtitiſſe, ex eo deducitur, quòd eodem anno 1047, die nona Octobris, ex mox dicendis, Romæ, vel, ut ſcribit Hermannus Contractus, *in Romanis partibus* mortuus ſit, & ex eodem Auctore conſtet, Imperatorem Paſcha Mantuæ celebraſſe.

VI. *S. Viboradam canonizat.* Clemens Pontifex, antequam è Germania in Italiam rediret, ſanctam Wiboradam virginem & martyrem, quæ recluſa apud ſanctum Gallum anno nongenteſimo vigeſimo quinto ab Hungaris cæſa eſt, in Sanctorum numerum retulit. Id teſtatur Burchardus San-Gallenſis Monachus, qui ſæculo ſequenti vixit, in lib. de Caſibus Monaſterii ſui cap. 6, ubi de Nortperto Abbate ſcribit: *Obtinuit amminiculante Henrico Imperatore, & coniuge ejus Agnete, hoc apud dominum Apoſtolicum Clementem ſecundum, recitata vita beatæ Wiboradæ, ejuſque miraculis, de tandiu neglecta re ab ipſo Papa redargutus: quatenus ipſam præſente Theodorico Conſtantienſi Epiſcopo canonizaret, & pro ſancta haberi præciperet, & anniverſarium ipſius diei ſolemnizandum inſtitueret*. Sanctæ Wiboradæ Vita ab Hartmanno Monacho itidem Sancti Galli, ejus æquali, ſcripta, extat Sæculo V Benedictino.

Quod

Digitized by Google

SÆC. XI. CLEMENS II.

VII. *Salernitano Archiep. Pallium dat.*

Quod attinet ad diploma Clementis Papæ, ſeu Epiſtolam ejus ad Joannem Salernitanum Archiepiſcopum, qua factam ejus translationem ex Epiſcopatu Peſtano in Salernitanum confirmat, eique pallium concedit, ea data eſt ab eo antequam in Germaniam proficiſceretur, cùm in ejus fine legatur ſcripta *XII Kalendas Martii, indictione decima quinta*, quo tempore adhuc in Italia erat cum Imperatore, qui ex dictis paſchalem ſolemnitatem Mantuæ celebravit. Ex eo diplomate, quod eſt unicum monumentum tanti Pontificis, habemus quid ſignet pallium, in eo enim ait: *Archiepiſcopali Pallio noſtra Apoſtolica manu dilectionem veſtram inſignivimus, quo utaris toties in anno, quoties prædeceſſores tuos eo uſos fuiſſe conſtat. In quo, quia de vellere ovis eſt, intellige te ovium paſtorem. Et quia eo circum cingeris, & etiam circa humeros portas, cognoſcas & undique circumſpicias, ne aliqua erret, & in morſus incidat luporum. Quòd ſi aliquando, quod abſit, contigerit: eam habeas in humeros ad caulam reportare & priſtinæ ſocietati coadunare. Quod verò ante & retrò crux Domini habetur: illud Apoſtolicum ſemper docet ante oculos tuæ mentis habere*: „ Mihi mundus Crucifixus eſt, & ego mundo [Galat. 6.] De pallii origine & materia legenda quæ diximus in Marco Papa.

VIII. *Animam Deo reddit.*

Clemens Papa ex Germania redux, non diu ſupervixit, animam enim Deo reddidit, menſe Octobri ejuſdem anni milleſimi quadrageſimi ſeptimi, poſtquam ſediſſet menſes novem, & dies quindecim. Hermannus enim Contractus ad eum annum ſcribit: *Clemens, qui Suidegerus Papa in Romanis partibus nono menſe promotionis ſuæ diem obiens, ad Epiſcopatum ſuum Babinberg reportatus tumulatur.* Lambertus itidem Schafnaburgenſis incipiens annum 1048 à die natali Chriſti anni 1047 ait: *Imperator natalem Domini Polethæ* (in Saxonia) *celebravit. Ibi Legati aderant Romanorum, Suidgeri Papæ obitum nunciantes, eique ſucceſſorem poſtulantes.* Obiit itaque Clemens, vel Romæ, vel in partibus Romanis, & quidem die nona Octobris, ut oſtendunt verba Brevis Leonis IX à Greſero in Divis Bambergenſibus recitati, quo pallium conceditur Hartwico Bambergenſi Epiſcopo Clementis II in ea ſede ſucceſſori, quo uteretur ter in anno: *In ſolemnitate*, inquit, *ſancti Dionyſii, eo quòd tunc anniverſarius dies celebratur domini Papæ Clementis ſupra memorati: hancque diem Apoſtolica auctoritate ſtatuimus celebrem eſſe per totum Epiſcopatum.* Solemnitas autem ſancti Dionyſii celebratur die nona Octobris. In vita etiam ſancti Henrici Imperatoris habetur, feſtum ſancti Dionyſii fuiſſe anniverſarium Clementis Papæ.

IX. *In Italia, non ultra montes.*

Errat itaque Leo Oſtienſis ſcribens Clementem *ultra montes* defunctum eſſe. Nam præter Hermannum Contractum, & Lambertum Schafnaburgenſem laudatos, teſtem habemus eundem Auctorem Vitæ Sancti Henrici, qui de Leone Papa IX ait: *Ductus amore & reverentia Clementis piæ memoriæ prædeceſſoris ſui, quem Deus miro diſpenſationis ordine, à prælatione hujus loci* (Bambergenſis ſcilicet civitatis) *ad Sanctæ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ apicem dignatus eſt avertere; & mirabiliùs è Romanis finibus defunctum ejus corpus reducere; volens hanc Eccleſiam quaſi novam tanto decoratam eſſe patrono*, &c. Romæ itaque, vel non longè obiit Clemens Papa, indeque Bambergam corpus ejus delatum eſt, quod forſan decepit Leonem Oſtienſem, qui ſciens eum Bambergæ quieſcere, credidit pariter *ultra montes* defunctum.

X. *Bambergæ ſepultus eſt.*

Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico refert Clementis Papæ epitaphium his verbis conceptum: *R.mus in Chriſto Pater & Dominus D. Suiderus à Mayendorf, Saxo, 2.dus Epiſcopus Bamb. poſtea ſummus Pont. Clemens 2.dus dictus, obiit Romæ* 10 *Octob. A.°* 1047. Exhibet poſtea accuratam tumuli Clementis, lapidiſque impoſiti delineationem, aitque ſe accepiſſe ex uno ex Patribus Collegii Bambergenſis ſuæ Societatis, Tumulum antiquum eſſe, ſed lapidem, in quo ſculptum epitaphium, novum, prout multis indiciis cognoſci poteſt, novumque lapidem pro veteri ſublato repoſitum. Sed quidquid ſit, ejus novitatem non indicat, quod in eo legitur Clementem Romæ obiiſſe, contra Hermanni Contracti, & Auctoris vitæ S. Henrici teſtimonia, qui aſſerunt, eum *in partibus Romanis* demortuum, vel *è Romanis finibus* Bambergam reductum; cùm verbis illis, quæ ambiguam explicationem habent, Roma commodè intelligi poſſit. Nec etiam novitatem ejus indicat dies mortis, quæ in eo notatur decima Octobris, cùm teſtimonia ſuperius allata dicant eum mortuum die nona ejuſdem menſis; epitaphii enim conditor per diem obitus intelligit diem ſepulturæ; teſtimonia verò ſuperius allata loquuntur de die mortis; quod mirum videri non debet, cùm Hadrianus Papa hujus nominis primus, quem conſtat mortuum VIII Kalendas Januarii, ſeu die 25 Decembris, à Carolo Magno ejus epitaphii conditore dicatur mortuus VII Kalendas Januarii, ſeu die 26 Decembris, quia eo die ſepultus eſt. Similia paſſim exempla in hoc opere vidimus.

XI. *Sedis ejus duratio.*

Nec tandem obſtat diei mortis ejus à nobis aſſignato Hermannus Contractus, qui ait eum obiiſſe *nono menſe promotionis ſuæ*; & Victor III Papa lib. 3 Dialog. qui

 ſcri-

ſcribit, eum *non amplius novem menſibus ſacerdotio* functum; quia hi Scriptores novem menſes completos numerant, neglectis diebus, qui ſupra menſes fluxerunt à die 25 Decembris anni 1046, quo inthronizatus eſt, ad diem 9 Octobris, quo obiit: unde Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 82 aſſerit eum obiiſſe *poſt menſes novem*; & in duobus ex Catalogis Criticæ Baronianæ Tomo primo præfixis, Clementi tribuuntur menſes 9, & dies 17, quia ſcilicet dies mortis ejus in illa dierum appendice, ut ſæpe fit, includitur, licet fatendum ſit ibi diem unum ex ſcriptorum incuria plus numerari.

BENEDICTUS IX iterum.

I. *Benedictus IX Sedem Romanam iterum invadit.*

BEnedictus IX, quem, Glabro lib. 4 cap. 5 teſte, à Romanis frequenter ejectum diximus, Clemente II mortuo, Romanum Pontificatum iterum invaſit. Leo enim Oſtienſis lib. 2 cap. 82 ſcribit: *Benedictus in Pontificatum iterum rediens, octo illum menſibus tenuit*. Sed ſignantiùs loquitur antiquum MS. cujus hæc verba Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico recitat: *Benedictus tertiò reverſus in Pontificatum, tenuit eum menſes* 8, *dies* 10, *ideſt, à feſtivitate Sanctorum quatuor Coronatorum* (quæ in diem 8 Novembris incidit) *uſque ad feſtum Sancti Alexii*, ſeu uſque ad diem 17 menſis Julii anni ſequentis 1048, quo die, ut mox dicetur, Damaſus II inthronizatus eſt. Eum contra Cleri Romani & Imperatoris voluntatem à ſimoniacis in Sedem inductum eſſe, ex eo conſtat, quòd Lambertus Schafnaburgenſis ſcribit, Romanos ad Imperatorem Legatos miſiſſe Clementis II *obitum nunciantes, atque ſucceſſorem poſtulantes*; ideoque fruſtrà Papebrochius ait, poſſe alicui videri Benedictum hac quoque vice, æquè ac priori verum Pontificem fuiſſe, & pro tali ab Italis habitum. Priùs enim legitimus quidem Pontifex fuit; ſed cùm, conſilio Sancti Bartholomæi Cryptæ Ferratæ Abbatis Pontificatum abdicaſſet, ut in ejus Vita diximus, poſt mortem Clementis II eum legitimè reſumere non poterat. Unde Benno, licèt ſchiſmaticus, Auctor tamen hujus temporis aſſerit, eum *perturbaſſe, poſt Leonis obitum, Romanam Eccleſiam*, ideſt poſt menſem Aprilem anni 1054, quo Sanctus Leo IX obiit, poſt quem annum nulla fit amplius mentio.

II. *S. Leo moriens pro converſione ejus preces fudit.*

Certè Benedictum IX tempore Pontificatûs Leonis IX adhuc in vivis fuiſſe certò deducitur ex Auctore Anonymo Hiſtoriæ mortis & miraculorum ejuſdem Sancti Leonis, teſte oculato, ab Henſchenio ad diem 19 Aprilis publicato, qui ait, Leonem IX pridie quàm ſpiritum Deo redderet, in Eccleſia portatum varias preces fudiſſe maximè pro ſtatu Eccleſiæ, & pro converſione ſimoniacorum, inter quos erat Theophylactus, ſeu Benedictus IX. *Oravit ſecretè*, inquit, *quaſi unius horæ ſpatio, & poſt elevans vocem, leniter dixit: Magne Deus humani generis Redemptor, qui per Apoſtolos tuos Petrum & Paulum Simonis perfidiam de alto* (*cadere*) *præcepiſti invocato tuo nomine: ſicut eos exaudire dignatus es, ita exaudire dignare ſervum tuum, & ad te converte Theophylactum, & Gregorium, & Petrum, qui in toto pene mundo ſimoniacam hæreſim ſolidaverunt; & ita fac eos agnoſcere viam veritatis, ut derelinquant errorem ſuum, & ad te, mitiſſime Domine, revertantur*. Theophilactus itaque, ſeu Benedictus IX adhuc in vivis, & ſimoniacus erat. Quòd verò nominat Gregorium & Petrum, fateor me ignorare, de quo Gregorio & de quo Petro loquatur S. Leo; veroſimile enim non eſt, eum intellexiſſe Gregorium VI, ſicuti enim Benedictum IX Theophilacti tantùm nomine appellat, ita & Gregorium VI, vel Gratianum, vel Joannem Archipresbyterum nominaſſet, non Gregorium. Dicendum ergo videtur cum Annotatore Baronii, Gregorium & Petrum fuiſſe duos viros, quorum opera Benedictus IX uſus fuerat ad invadendum ſimoniacè Pontificatum.

DAMASUS II *Pontif. CLI.*

Anno Domini MXLVIII.

I. *Damaſus II fit Papa.*

LAmbertus Scafnaburgenſis, poſtquam dixit Legatos Romanorum adiiſſe Imperatorem Natale Domini anni 1047 in Saxonia celebrantem, *Suidgeri Papæ obitum nunciantes, atque ſucceſſorem poſtulantes*, ſubdit: *Quibus Imperator Bopponem Priſnienſem* (legendum Popponem Brixinenſem) *Epiſcopum aſſignavit*. Romam pervenit Poppo menſe Julio anni 1048, ut ſcribit Hermannus Contractus: *Sequenti Julio*, inquit, *Poppo Brixienſis* (legendum Brixinenſis) *Epiſcopus ab Imperatore electus Romam mittitur: & honorificè ſuſceptus Apoſtolicæ Sedis Papa* 153 *ordinatus*, mu-

Digitized by Google

mutato nomine *Damaſus II vocatur*. Leo verò Oſtienſis lib. 2 cap. 81 ait: *Benedictus iterum in Pontificatum reverſus, per octo circiter menſes illum retinuit, donec ab Imperatore tranſmiſſus ex Germania Damaſus, Brixenorum Epiſcopus illi in Papatu ſucceſſit*. Quare cùm Damaſus à Leone Oſtienſi dicatur ſucceſſiſſe Benedicto, & in antiquo MS. de quo mox locuti ſumus in Benedicto, legatur hunc tenuiſſe Pontificatum uſque ad diem 17 Julii, conjicere licet rectè ſcripſiſſe Onuphrium in Chronico Eccleſiaſtico, eo die, qui anno 1048 in dominicam incidebat, Popponem Brixinenſem, ſeu Sabionenſem Epiſcopum conſecratum eſſe, ideſt inthronizatum.

II. *Non fuit antea Patriarcha Aquilejenſis.* Ciaconius, & Joannes Palatius rectè quidem ſcribunt, Popponem, ſeu Damaſum II, ante Pontificatum fuiſſe Epiſcopum Brixinenſem, ſed perperam addunt fuiſſe etiam Patriarcham Aquilejenſem: Poppo enim Aquilejenſis Patriarcha, ut videre eſt apud Ughellum, obiit anno milleſimo quadrageſimo quarto, eique ſuffectus frater ſuus Eberardus, qui anno 1047 Romano Concilio ſub Clemente II interfuiſſe dicitur à Papebrochio in Conatu Chronico-Hiſtorico, ſed nullo teſte. Verùm Popponem poſtea ſub Damaſi II nomine Papam non fuiſſe Patriarcham Aquilejenſem ex eo convincitur, quòd eidem Romano Concilio interfuerit, & partes Ravennatenſis Epiſcopi ſecutus fuerit contra Archiepiſcopum Mediolanenſem, & Patriarcham Aquilejenſem, qui à dextris Pontificis ſedere volebant, quod convincit eum non fuiſſe Patriarcham Aquilejenſem. Verum quidem eſt in eodem Concilio, quod extat Tomo IX Concil. pag. 1252, legi: *Poppo quoque Brixienſis Epiſcopus*, ſed malè; legendum enim, *Poppo quoque Brixinenſis Epiſcopus*; cùm enim Brixia, vulgò *Breſcia*, urbs Epiſcopalis ſub ditione Venetorum, eſſet ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi; incredibile eſt Popponem amplexum fuiſſe partes Ravennatenſis contra Mediolanenſem ſuum Metropolitanum, ſi verè fuiſſet Epiſcopus Brixienſis. Erat igitur, ut ſcribit Leo Oſtienſis laudatus, Epiſcopus *Brixenorum*, ſeu Brixini, quæ urbs eſt Norici in Comitatu Tirolenſi, proxima Sabionæ, urbi exciſæ, cui ſucceſſit, ſub Archiepiſcopo Saliſburgenſi.

III. *Quare ejus electio diu dilata fuerit.* Ceterùm, ut ad Damaſi electionem redeam, mirum videri poteſt, cur tandiu diſtulerit Imperator eum Romam mittere poſt mortem Clementis II, qui ex dictis obiit die nona Octobris anni 1047; & tamen Damaſus medio tantùm menſe Julio anni 1048 Romanus Pontifex inthronizatus eſt. Sed ceſſabit admiratio cùm obſervaverimus Romanos petiiſſe ab Imperatore, ut Halinardus, qui anno milleſimo quadrageſimo ſexto ordinatus fuerat Archiepiſcopus Lugdunenſis diceretur Romanus Pontifex, cui petitioni cùm acquieviſſet Henricus Imperator, Halinardus, ut Pontificatum declinaret, conſultò à Curia Regis abſtinuit. Id nos docet Chronographus Sancti Benigni, qui extat Tomo I Spicilegii Dacheriani; narrata enim Halinardi ordinatione in Archiepiſcopum Lugdunenſem, ſubdit: *Fuerat ei conſuetudo Romam Orationis gratia frequenter pergere, ut Sanctorum Apoſtolorum, ac Martyrum, qui urbem illam protegunt, patrocinia imploraret. Erat namque ejus voluntas, ut ſi fieri poſſet, ibidem animam Deo redderet. Quapropter non eſt fraudatus à deſiderio ſuo, ſed, ut voluit, ita Dominus ei conceſſit. Defuncto memorato Papa Clemente* (hujus nominis II) *Romani petierunt eum ab Imperatore. Hoc namque à Romanis Imperator, datâ pecuniâ non parvâ, exegerat, ut ſine ejus permiſſu Papa non eligeretur. Ille cognita voluntate Principis ac populi, diſſimulavit ire ad Curiam, donec tardante eo, alius eligeretur. Diligebant enim eum valde Romani propter facundiam oris ſui, & affabilitatem ſermonis. Ita enim proferebat vernaculum ſuum loquelæ cujuſcunque gentis, quouſque Latina penetrat lingua, ac ſi eâdem patriâ eſſet progenitus.* Refert poſtea Auctor iſte Anonymus, qui hoc ipſo tempore vivebat, à S. Leone IX Romam evocatum eſſe. Hæc mihi videtur vera cauſa cur Damaſi II inthronizatio tandiu dilata fuerit.

IV. *Moritur.* Paucis poſt inthronizationem ſuam diebus ex hac vita migravit Damaſus Pontifex; Hermannus enim Contractus poſt citata verba, ſubdit: *Sed paucis diebus exactis defunctus, & ad ſanctum Laurentium extra urbem ſepultus eſt*. Leo verò Oſtienſis loco laudato de Damaſo ait: *Qui etiam poſt viginti tres dies apud Præneſte vita deceſſit*, die nempè octava menſis Auguſti, ut habet Onuphrius citatus. Anſelmus in Itinerario S. Leonis IX, ubi ſcribit, Damaſum in Apoſtolica Sede *triginta ſolummodo* vixiſſe diebus rotundo numero loquitur. Hunc Pontificem veneno à Benedicto IX propinato extinctum aſſerit Benno; ſed cùm Hiſtorici hujus plura ſint mendacia, quàm verba, id falſum eſſe non immeritò putat Baronius. Porrò refutari non merentur, inquit Papebrochius, qui Martinum Polonum ſecuti, dictum Clementem, & hunc Damaſum Pontifices traducunt ut *invaſores Apoſtolicæ Sedis*, ideoque citâ morte ſublatos volunt. Quatuor enim Pontifices Germanos, Clementem ſcilicet II, Damaſum II, Leonem IX, & Victorem II viros fuiſſe ſanctiſſimos, & de Dei Eccleſia bene meritos ex Hermanno Contracto, Lamberto Schafnaburgenſi, Ottone Friſingenſi, aliiſque probatis Auctoribus conſtat, ut ſcribit Onuphrius in Notis ad Platinam.

S. LEO

Digitized by Google

S. LEO IX *Pontif. CLII.*

Anno Domini MXLIX.

I. Bruno Tullenſis Epiſcopus ab Imp. Papa deſignatur.

DAmaſo II mortuo, iterum Legati Romanorum Henricum Imperatorem adierunt, Rectorem Eccleſiæ Romanæ poſtulantes, quibus Imperator Brunonem Tullenſem Epiſcopum dedit, ut teſtatur Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 1049, cujus Acta ex Wiberto ejus Archidiacono, teſte oculato, qui ejus Vitam, ab Henſchenio ad diem 19 Aprilis publicatam, ſcripſit; & ex S. Brunone Aſtenſi, Signienſi Epiſcopo, hujus etiam ſæculi Scriptore, qui ejuſdem ſancti Pontificis vitam pariter in lucem emiſit, deſcribenda duxi, potius quàm ex Ottone Friſingenſi, qui medio ſæculo ſequenti floruit. Wibertus itaque lib. 2 cap. 2 hæc de ſancti Leonis electione habet, juxta editionem Mabillonii Sæculo VI Benedict. par. 2. *Apud Wangionum Urbem* (Wormatiam vulgò dictam) *ante præſentiam glorioſi Henrici ſecundi Romanorum Auguſti, fit Pontificum, reliquorumque Procerum non modicus Conventus. Inter quos hic Chriſto dignus Præſul convocatur: quippe ſine ejus conſilio intra Imperialem Curiam nihil magni diſponebatur. Et repente, illo nihil tale ſuſpicante, ad onus Apoſtolici honoris ſuſcipiendum eligitur à cunctis. Quod officium humilitate commonente diutiſſimè refugiens, dum magis ac magis cogitur, triduanum conſulendi depopoſcit ſpatium: in quo jejuniis vacans & orationibus, omninò ſine cibo potuque permanſit. Cùmque denuo repungeretur ad obedientiæ impletionem, ſpontaneè coram omnibus ſuam dixit confeſſionem; conatus quaſi quadam ſuorum enormitate ſcelerum, communem permutare electionem*, &c.

II. Acceptat ſub conditione quòd à Romanis eligatur.

Videns ergo nullo modo ſe poſſe effugere Imperiale præceptum, & commune omnium deſiderium, coactus ſuſcepit injunctum officium præſentibus Legatis Romanorum, ea conditione, ſi audiret, totius Cleri, ac Romani populi communem eſſe ſine diſſidio conſenſum. Sicque ad propriam, Leucorum ſcilicet, ſedem repedans, cum ſumma devotione ibidem Domini celebravit natalem anni Domini 1048. Sanctus item Bruno Signienſis Epiſcopus Cleri & populi Romani conſenſum à ſancto Leone petitum his verbis exprimit: *Se ſub hac conditione facturum eſſe promiſit*: Romam vado, ibique ſi Clerus & populus ſua ſponte me ſibi in Pontificem elegerit, faciam quod rogatis. *Aliter autem electionem nullam ſuſcipit. At illi gaviſi confirmant ſententiam, & laudant conditionem.* Non solùm itaque Sanctus Leo, ſed & Imperator, omneſque Proceres exiſtimabant deſignationem illam non eſſe canonicam, niſi libera electio à Clero, & populo Romano fieret.

III. Romam pergit.

Inde, nempè à ſuo Epiſcopatu Tullenſi, ſubdit Wibertus, Bruno, *humilitate magiſtra, contra omnium Apoſtolicorum morem, ſumpto peregrino habitu Romanum arripuit iter, indeſeſſè ſacris orationibus, ac divinæ vacans contemplationi, non tam pro rerum commiſſarum ſibi, quàm pro cura animarum nimiæ intentus ſollicitudini*. Quibus ex verbis patet deceptum eſſe Ottonem Friſingenſem, quando ſcripſit, Brunonem *aſſumpta purpurâ Pontificali per Gallias iter egiſſe*, cùmque Cluniacum veniſſet, ibi inveniſſe Hildebrandum, qui conſtanter eum de incœpto redarguit, & ab eo admonitum purpuram depoſuiſſe; nam Wibertus teſtis oculatus, aſſerit Leonem *Tulli ſumpto peregrino habitu Romanum* arripuiſſe iter, & apud urbem Auguſtam Angelica modulatione recreatum, neque fuit tempus intermedium, quod itineri Cluniacenſi attribueretur, ut advertit Henſchenius in Commentario prævio ad Vitam S. Leonis. Deinde S. Bruno Signienſis Epiſcopus in ejuſdem S. Leonis Vita ſcribit, Hildebrandum Wormatiæ adfuiſſe in ipſa deſignatione Leonis ad ſummum Pontificatum, huncque ex Aula Imperatoris adduxiſſe Hildebrandum, ideoque tota hæc Ottonis Friſingenſis narratio corruit.

IV. A Clero, & populo Rom. Pontifex eligitur.

Omnipotentis igitur, pergit Wibertus, *roboratus flamine Romam appropinquat, cui tota urbs cum hymnidico concentu obviam ire parat: Sed ipſe pedes longinquo itinere nudis plantis incedit, & magis ad mentis devotionem, & fletuum inundationem, quàm ad laudum delectationem animum inflectit*, &c. Cùmque Romam perrexiſſet, *Imperialem de ſe electionem in tam laborioſo officio brevi ſermunculo promulgat; eorum voluntatem (qualiſcumque erga ſe ſit) pandere expoſtulat: dicit electionem Cleri, & populi Canonicali auctoritate aliorum diſpoſitionem præire: affirmat ſe gratanti animo in patriam rediturum, niſi fiat electio ejus communi omnium laude: oſtendit ſe coactum ad tam grande onus ſuſcipiendum veniſſe. Cùmque videret unanimem omnium acclamationem, ad correctionem vitæ cæptam repetit exhortationem, ſupplex cunctorum expetit orationem atque abſolutionem*. Sanctus etiam Bruno Signienſis Epiſcopus Brunonem Tullenſem à Clero & populo Romano electum

his

Digitized by Google

his verbis aſſerit : *Secundùm conſuetudinem Romanam cum magnis laudibus à Clero, & populo in Pontificem electus eſt*. Tandem Anſelmus Monachus Eccleſiæ ſancti Remigii Remenſis, Auctor æqualis, in Hiſtoria dedicationis ejuſdem Eccleſiæ, quæ extat itidem apud Mabillonium Sæc. VI Benedict. part. 1, id ipſum innuit, num. 7 ſcribens: *Apoſtolicæ dignitatis ei* (ſcilicet Brunoni) *adjudicata ſunt inſignia : juſſumque ab Auguſto, ut ad hæc ſecundùm Eccleſiaſticas ſanctiones ſuſcipienda Romana, inviſeret mœnia*, ideſt poſtquam canonicè à Clero & populo Romano electus eſſet.

V. *Inthronizatur & Leo IX vocatur.*

Celebratis ergo, ſubdit Anſelmus, *in civitate Leucorum duobus Dominicæ nativitatis diebus*, in tertio (nempè die 27 Decembris) *Clero ſuo valefaciens iter carpere Romam ducens aggreditur. Quò perveniens, cum favore totius populi honorabiliter excipitur : Apoſtolicæque dignitatis inſulis inſignitus in Hypapante Domini* (ideſt in Purificatione B. Virginis, die ſc. ſecunda menſis Februarii) *in cathedra beati Petri inthronizatur, & Leo Papa Romano more nuncupatur*. Sed Anſelmus confundit ibi conſecrationem, vel benedictionem Epiſcopalem cum inthronizatione, quas diſtinguit Wibertus laudatus, qui ait : *Itaque divina favente gratia, cunctis applaudentibus conſecratur*, (ideſt benedicitur, vel coronatur; nam ibi conſecratio aliter explicari non poteſt, qua de re vide dicta in Formoſo num. 1) *die ſecunda Februarii, ac dominica Quadrageſimalis initii pridie Idus Februarii Apoſtolicæ cathedræ inthronizatur*, ideoque die duodecima Februarii anni milleſimi quadrageſimi noni, quo Paſcha die 26 Martii celebratum, quove ideo Dominica prima Quadrageſimæ concurrit cum die 12 Februarii.

VI. *Leonis genus & primordia, ſed Cardinalatus fictitius.*

Bruno ex nobiliſſima familia Dapſpurgenſi in Alſatia prognatus, & Henrico Imperatori hujus nominis II *ſanguinis affinitate proximus*, ut habet Anſelmus laudatus, in Bertholdi Epiſcopi Tullenſis, ac deinde Herimanni illius ſucceſſoris diſciplinam à parentibus traditus eſt. Inde ad Aulam Imperatoris Conradi translatus, & Diaconus ordinatus, anno 1025, Herimanni Tullenſis Epiſcopi vice, militares copias in Longobardiam duxit, annoque ſequenti, abſens in Epiſcopum Tullenſem electus eſt, & die nona Septembris conſecratus. Cordis compunctione, humilitate & patientia, pietate in pauperes, beneficentia in Monachos, & Sanctimoniales, morum denique comitate conſpicuum ſe præbuit, quibus virtutibus ad ſupremam Eccleſiæ dignitatem ſibi gradum fecit. Hæc conſtant ex Wiberto in ejus Vita, ubi nihil habet de Cardinalitia dignitate, quam Ordericus lib. 1 pag. 372 ipſi collatam dicit à Damaſo Papa, dum legationem obiret Romæ pro Lotharingis, dicens eum *in via, dum quadam nocte oraret, Angelos cantantes* audiviſſe : *dicit Dominus : ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*, &c. *Bruno autem*, ſubdit, *ad Papam Damaſum perveniens, honorificè ab eo ſepultus* (legendum ſuſceptus) *eſt, & in Senatu Romano Cardinalis Epiſcopus ordinatus*. Sed ſicut hæc legatio, de qua nihil habet Wibertus, valdè dubia, ita & Cardinalatus ejus prorſùs commentitius. Hoc enim ſæculo ſaltem ante Leonis IX Pontificatum, Epiſcopi nunquam Cardinales creabantur, ſi fortè ſeptem illos excipias, qui ſæculo octavo in Lateranenſi Eccleſia hebdomadatim Miſſarum ſolemnia celebrabant, de quibus egimus in Stephano hujus nominis III. His adde Sigebertum Orderico antiquiorem ad annum 1048 referre, Brunonem, non eo tempore, quo prætenſam ad Damaſum Papam pro Lotharingis legationem obiit, ſed *cùm ad capeſſendam Sedem Apoſtolicam Romam tenderet*, audiviſſe *voces Angelorum canentium, dicit Dominus, ego cogito* &c. Idem denique, quæ de hac harmonica modulatione à Brunone audita apud Auguſtam urbem, dum Romam ad capeſſendum Papatum pergeret, narrat Wibertus teſtis oculatus lib. 2 cap. 2 ejus Vitæ, ideoque tam hæc Legatio, quàm Cardinalatus Leonis inter fabulas recenſeri debent.

VII. *Tullenſem Epiſcopatum factus Papa non dimiſit.*

Sicut Clemens II Bambergenſem, ut ſupra obſervavimus, ita & Leo IX Tullenſem, ſeu Leucorum Epiſcopatum non dimiſit, quando creatus eſt Romanus Pontifex, ut rectè notavit Baronius anno 1049 num. 6. Quare Mabillonius Sæc. V Benedictino pag. 895 ait, Leonem, cùm anno 1050 corpus Sancti Gerardi olim Tullenſis Epiſcopi elevavit, privilegium conceſſiſſe Dodoni Sancti Manſueti Abbati *anno Inc. Domini 1050, Indict. IV, Datum Tulli in majori Eccleſia II Kal. Novemb. per manus Udonis Tullenſis Eccleſiæ Primicerii, Cancellarii, & Bibliothecarii ſanctæ Apoſtolicæ Sedis, anno Apoſtolatûs domni Leonis noni Papæ II, Epiſcopatus Tullenſis XXVI*, ſed legendum, *Epiſcopatûs Tullenſis XXV*; conſtat enim ex Wiberto in ejus Vita lib. 1 cap. 3 eum ordinatum Tullenſem Epiſcopum die nona Septembris anni 1026, ideoque anno 1050 eodem die vigeſimum quintum Epiſcopatûs exorſus eſt. Eandem ſubſcriptionem refert idem Mabillonius lib. 11 de Re Diplomatica cap. 25 num. 7. Sed etiam mendoſam, amanuenſis forſan incuria. Ex hac ſubſcriptione & duplici epocha, *Apoſtolatûs* ſcilicet ſeu Pontificatûs, & *Epiſcopatûs Tullenſis* ſancti Leonis, apparet eum Epiſcopatum Tullenſem non depoſuiſſe, cujus epocham propter honorem loci, in quo inſtrumentum hoc conceſſit,

Digitized by Google

Pontifici memorare viſum eſt, quæ in aliis ejus diplomatis non legitur. Poſtea tamen ex Gallia redux Udonem Eccleſiæ Tullenſi præfecit, ut teſtatur Wibertus lib. 2 cap. 8, ſed hoc poſt annum 1050, quo juxta ſubſcriptionem privilegii mox laudati, Udo dicitur tantùm Tullenſis Eccleſiæ Primicerius, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius.

VIII. *Augienſis Monaſterii privilegia confirmat.*

Leo Pontifex ipſo primo ſui Pontificatûs anno, in die Reſurrectionis Dominicæ Udalricum Augienſis cœnobii Abbatem Romæ conſecravit, ut teſtatur Hermannus Contractus ad eum Chriſti annum: *In proximo Paſcha*, inquit, *Udalricum Augienſis cœnobii proviſorem, Romam venientem Abbatis benedictione conſecravit, & monaſterii ejuſdem privilegia antiquitùs à Sede Apoſtolica tradita, ſua auctoritate confirmavit, & innovavit, indictione ſecunda, VII Kal. Aprilis*, ſeu die 26 Martii, in quam anno 1049 Paſcha incidit. Quo ex loco rectè deducitur Sanctum Leonem, non in monte Caſſino, ſed Romæ Paſchalem ſolemnitatem celebraſſe. Porrò Augia celebre olim erat monaſterium, vulgò *Richenouu*, quod hodie pauci incolunt Monachi ob menſam Abbatis Epiſcopatui Conſtantienſi unitam.

IX. *Synodum Romæ contra ſimoniacos celebrat.*

Eodem anno 1049 Sanctum Leonem *in hebdomada poſt Albas Synodum cum Epiſcopis Italiæ Romæ* celebraſſe, teſtis eſt idem Hermannus Contractus. Sed huic Synodo Epiſcopos etiam Galliæ interfuiſſe, prodit Chronographus Sancti Benigni, qui hoc ipſo tempore vivebat, Tomo I Spicilegii Dacheriani: *Domno igitur*, ait, *Leucorum Epiſcopo Brunone, qui appellatus eſt Leo Papa, ordinato, evocatus eſt ab ipſo Romæ ad Concilium Domnus Archiepiſcopus* (Lugdunenſis) *Halynardus, ſimulque omnes Epiſcopi Galliæ, ad pertractandum inibi de ſtatu & correctione Sanctæ Eccleſiæ.* Concilium illud præcipuè contra ſimoniacos celebratum; & in eo, quod contra eos in Concilio Romano ſub Clemente II conſtitutum fuerat, per Leonem Pontificem confirmatum eſſe, teſtatur Petrus Damiani in Epiſtola ad Henricum Ravennatem Archiepiſcopum. Sed Wibertus lib. 2 Vitæ S. Leonis cap. 4, quædam alia in ea Synodo conſtituta fuiſse nos docet: *Statuta*, inquit, *quatuor Synodorum principalium viva voce corroboravit, decretaque omnium deceſſorum ſuorum Pontificum tenenda confirmavit: Simoniacam etiam hæreſim damnavit, quæ jam nonnullas mundi partes invaſerat, & in eodem Concilio quoſdam depoſuit Epiſcopos, quos prædicta hæreſis nævo ſuæ nequitiæ maculaverat.* Paulò poſt: *Decimas quoque à cunctis dandas Chriſtianis, quarum nec mentio erat apud Apuliam, & per quoſdam Orbis fines, Eccleſiis reſtituit. Venditiones altarium ſub anathemate prohibuit; ſed conſtituit, ut partes decimarum ad Epiſcopum pertinentes, aut quiſque Præſul ſibi teneret, aut cuicumque vellet tribueret: partem autem ad Altare pertinentem proprio paſtori Eccleſiæ gratis concederet. Inceſtas conſanguineorum nuptias, in multis orbis partibus indiſcretè habitas, diſcidit: pluresque nobilium hoc turpi devinctos nexu ſeparavit. Alia quoque perplura canonum capitula ſtuduit renovare, quæ, ne faſtidium gignant, hic ſuperſedimus recitare.* Quid ibi *Altaris* nomine ſignificetur, & de *Altarium* venditione ac redemptionibus, legendus Marca in Nota ad Canonem VII Concilii Claromontani. Porrò licèt Leo IX in literis, quibus Trevirenſis Eccleſiæ privilegia confirmat, apud Brouverum lib. IX Annalium Trevir. dicat: *In Synodo noſtra, quam circa 17 poſt ipſum Paſchalem diem, Deo præſidente, celebravimus*, non ſequitur deceptum eſse Hermannum Contractum, qui dicit Concilium celebratum, *in hebdomada poſt Albas*, ſed ex hoc ſolùm inferri poteſt, illud aliquot diebus duraſse, & circa diem 12 menſis Aprilis finitum eſse.

X. *Miraculum in ſimoniacos ea in Synodo.*

Hîc non prætermittendum mirabile quoddam de Epiſcopo Sutrino, quod hoc in Concilio accidiſse refert idem Wibertus his verbis: *In quo Concilio quid contigerit, non congruit reticere, ubi Chriſtus auctoritatem ejus ſuâ dignatus eſt gratiâ roborare. Nam Epiſcopus de Sutrio reus ejuſdem culpæ* [ſc. ſimoniæ] *accuſatus, voluit injuſtè ſe excuſare, falſis prolatis teſtibus: ſed peracturus jusjurandum, repente eſt divinitus perculſus, & inter manus exportatus, non longo poſt tempore humanis rebus eſt exemptus. Cunctis hoc audientibus nimius incutitur timor, ne quem in ejus præſentia ad falſum judicium humanus impelleret pudor.* Sutrinum hunc Epiſcopum, cujus nomen reticet Wibertus, Kilianum appellat Ferdinandus Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ, ubi de Epiſcopis Sutrienſibus.

XI. *In Franciam venit Papa Concilium celebret.*

Anſelmus jam laudatus in Itinerario Leonis IX, quod ſub nomine Actorum Concilii Remenſis recitat Baronius in Appendice ad annum 1049, & Mabillonius exhibet Sec. VI Benedictino part. 1 pag. 711 ſub nomine Hiſtoriæ dedicationis Eccleſiæ Sancti Remigii, poſtquam de Synodo Romana ſermonem habuit, cap. 8 habet: *Aliquanto autem temporis interlabente curriculo, Gallicum inviſere ſolum, tam Beato Remigio facta promiſſio, quàm orthodoxæ fidei in illis partibus adeo tepefactæ perſuadet intentio. Unde à Romanis expetitâ licentiâ, per quaſdam Latii urbes iter agens, in eis multa diſponit Eccleſiaſticæ honeſtati congrua.* Leonem Româ, non multis poſt abſolutam Synodum diebus, profectum eſſe oportet, cùm Hermannus Contractus ad eun-

Digitized by Google

eundem annum 1049 ſcribat: *Idem in hebdomada Pentecoſtes ...l am Synodum Papæ congregavit*; feſtum autem Pentecoſtes eo anno incidit in diem 14 menſis Maji. Quid in ea Synodo actum ſit non tradit Hermannus; ſed ſolùm addit, Leonem inde per montem Jovis cum plurimis Romanorum in Ciſalpinas partes deveniſſe.

XII. *Tum Remis aliud cogit.*

Tandem, ſubdit Anſelmus, *adiit Imperatorem Henricum in regione commorantem Saxonica*. Scribit poſtea ambos Coloniam adveniſſe in Apoſtolorum Petri & Pauli natalitio. *Ceterùm Papa Coloniâ digreſſus Tullum in Exaltatione Sanctæ Crucis venit: indeque circumjacentium regionum Epiſcopis & Abbatibus, literis ſuæ auctoritatis mandari præcepit, ut in præfata die* [nempe in Kalendis Octobris, uti jam dixerat] *ſibi occurrerent ad Synodum celebrandam in Baſilica præfati Francorum Apoſtoli*, ſcilicet Sancti Remigii Remenſis. Celebravit itaque Leo Papa Remis Concilium, quod ex ejuſdem Anſelmi Itinerario Tomo IX Conciliorum Labbei inſertum eſt, cum duodecim canonibus in eo conſtitutis. Ejuſdem Concilii meminit Joannes Papienſis in Speculo, aitque ei interfuiſſe *Hugonem Cluniacenſem*, qui Synodalem exhortationem habuit juſſu ejuſdem Pontificis, & veritatis adverſarios confutavit. Meminit & ejus Concilii Chronographus Saxo, Oxonii nuper editus, licèt loco non ſuo, anno nempe 1046. *Hoc anno*, inquit, *fuit magna Synodus apud S. Remei, cui aderant Leo Papa, & Archiepiſcopus de Burgundia* (nempe Halinardus Lugdunenſis, ut diſertè habet Anſelmus) *& Archiepiſcopus de Byſincum* (ideſt Veſontionenſis, ut ibidem habetur) *& Archiepiſcopus de Remis, multique adhuc alii viri prudentes, Clerici, & laici. Eò Eodwardus Rex* (nempe Angliæ, cognomento Confeſſor) *mittebat Dudocum Epiſcopum* [Bathonienſem, de quo Wartonus in Anglia Sacra part. 1 pag. 558] *& Wlfricum Abbatem Sancti Auguſtini, & Aelfwinum Abbatem, ut Regem certiorem facerent, quid ibi de religione Chriſtiana decerneretur*. Eadem fermè ac Chronographus Saxo, habet Radulphus de Diceto pag. 475. Refert poſtea Anſelmus, Leonem, ſoluto Concilio, corpus Sancti Remigii *ſuppoſitis humeris devotè* extuliſſe, & in ſtatione decenter apparata cum divinis laudibus repoſuiſſe, cùm antea, ut capite 13 dixerat, Eccleſiam conſecraſſet.

XIII. *S. Arnulphi Eccleſiam Metis conſecrat.*

Remis Sanctus Leo Metas profectus eſt, ibique conſecravit Baſilicam Sancti Arnulphi, & Reſponſoria compoſuit de Sancto Gorgonio Martyre. Id enim nos docet Wibertus laudatus cap. 5, qui inquit: *Inde per urbem Mediomatricorum remeans, petitu venerabilis Abbatis Guarini conſecravit ibidem Sancti Pontificis Arnulfi Baſilicam, ibique exoratus à Domino Sigifrido Gorzienſi Abbate compoſuit in veneratione glorioſi Martyris Gorgonii nocturnalium reſponſoriorum dulciſonam melodiam*. Porrò Guarinus ille, ſive Warinus Abbas Gorzienſis prætermiſſus eſt à San-Marthanis; de cujus monaſterii à Chrodegango Epiſcopo Metenſi in honorem S. Gorgonii fundati, cujus corpus à Papa obtinuerat, ſtatu legendus Mabillonius Sec. 5 Benedictino in Vita S. Joannis Gorzienſis Abbatis, qui & ejuſdem monaſterii primordia retulit ſec. 3 parte 2 ad annum 765, quo anno Sancti Gorgonii Tranſlationis eò factæ Hiſtoriam retulit, ubi quædam ejus loci decora videre licèt. Meuriſſius lib. 3 de Epiſcopis Metenſibus, S. Leonis literas tunc ab eo datas recitat, ſed eas ſuppoſititias eſſe pluribus demonſtrat Baronii Annotator ad annum 1049 num. 15, & ſeqq.

XIV. *Moguntiæ Concilium habet.*

Metis Leo Pontifex Moguntiam perrexit, ibique Concilium celebravit, quod Hermannus in annum 1050 perperam differt, cùm in Synodo Remenſi Gozfridus Andegavenſis vocetur ad Synodum futuram Moguntiæ, de qua Wibertus laudatus cap. 5 habet: *Hinc generale apud Moguntiam Concilium habuit, in quo Spirenſis Præſul Sibicho criminali reatu accuſatus, voluit ſe expurgare terrifico Sacramento Dominici, ſed, ut fertur, maxilla ejus manſit contorta paralyſi, quandiu præſentis vitæ ſpatium duxit*. In eodem Concilio actum eſſe de Sancto Servatio Tungrenſi, ſeu Leodienſi Epiſcopo, docet nos Joannes Chapeaville, qui Epiſcoporum, & rerum Leodienſium Scriptores varios edidit Tomis tribus, in quorum ſecundo loquens de hac Synodo Moguntina, in Notis cap. 1 ſcribit: *Hac Synodo Imperator propoſuit coram Sancta Synodo de Legenda Sancti Servatii Leodienſis* (ſeu Tungrenſis) *Epiſcopi, de geſtis ejus ac ſupputatione annorum, quæ omnia, facta diligenti diſquiſitione, ut piè credenda, ſunt Synodali decreto confirmata*. Sed hanc in rem citat tantùm Joannem Presbyterum in Chronico Gemblacenſi, & Joannem Bruiſthenum Scriptores de Epiſcopis Leodienſibus, quorum priorem vixiſſe circa annum 1350, poſteriorem circa annum 1540 teſtatur in præfatione ad Tomum primum. Hìc porrò obſervandum ſæculo undecimo, ſicut & hodie Leodienſibus perſuaſum fuiſſe, unicum tantùm extitiſſe Servatium Tungrenſem ſeu Leodienſem Epiſcopum, quam opinionem idem Baronii Annotator tandem profligavit annis 407, & 451, & duos fuiſſe Servatios Tungrenſes Epiſcopos demonſtravit. In eadem Synodo Sanctum Bardonem Archiepiſcopum Moguntinum Legatum *ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ* declaratum teſtatur Trithemius in fuſiori Chronico Hirſaugienſi, ubi ad annum

Digitized by Google

1050 hanc Synodum perperam revocat.

XV. *Presbyteris quibusdam Eccleſiæ Colonienſis Sandaliorum uſum concedit.*

Antequam Sanctus Leo Remos ad Concilium celebrandum pergeret, Coloniam cum Henrico Imperatore ſe contulerat, ut diximus ex Wiberto lib. 2 cap. 4, qui ſubdit, Leonem ab Herimanno Colonienſi Archiepiſcopo ſuſceptum, Eccleſiæ Colonienſis ſedi hoc privilegium conceſſiſſe, *ut ad altare Sancti Petri, ſeptem presbyteri Cardinales quotidie divinum celebrarent officium in ſandaliis*, ideſt, conceſſit, ut ſeptem Presbyteri Eccleſiæ Colonienſi incardinati, quotidie poſſent celebrare divinum officium *cum ſandaliis*, quæ primitùs erant ornamenta ſolis Epiſcopis conceſſa. Idem conceſſiſſe Sanctum Leonem Archimonaſterio Sancti Remigii Remenſis, legitur in Actis Concilii Remenſis, ſeu in Hiſtoria dedicationis ejus apud Mabillonium Sec. 6 Benedict. part. 1, ubi legitur: *Conſtituit etiam, ut ad altare, quod, ut præfatum eſt, in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli, Clementis & Chriſtophori martyrum, glorioſique confeſſoris Remigii conſecraverat, non indiſcretè à quibuſque ſicut hactenus ſacroſancta myſteria agerentur, ſed ſecundum morem Romanæ Eccleſiæ, ſeptem tantummodò Sacerdotes, qui in illa congregatione digniores haberentur, ad hoc officium deputarentur.* Illos autem presbyteros monachos vocatos eſſe Cardinales teſtatur Edmundus Martene Tomo I de Antiquis Eccleſiæ Ritibus pag. 328; ſed ibi nulla ſandaliorum mentio, ut in privilegio Colonienſi Eccleſiæ conceſſo. Vide dicta in Joanne XIII num. 16.

XVI. *Bambergenſibus Canonicis uſum mitræ permittit.*

Non ſolùm Presbyteris illis Colonienſibus permiſit Pontifex ſandaliis uti, ſed & Bambergenſibus Canonicis mitras geſtandi licentiam conceſſit, ea ſcilicet ratione, ut ab Epiſcopo provideantur digniores, & honeſtiores Presbyteri & Diaconi, qui bonis moribus, vel maturis ætatibus, vel etiam prælationibus ipſius loci emineant, his diebus, in Natali Domini, in Cœna Domini, & in Sabbato Sancto, in diebus Reſurrectionis, & Pentecoſtes, in die S. Georgii, in die SS. Petri & Pauli, Aſſumptionis B. Mariæ, & S. Dionyſii, & in anniverſario die Domini Henrici Imperatoris ejuſdem loci conſtructoris, ut ait in literis ad Hartwicum Bambergenſem Epiſcopum anno 1052 datis, & in Vita S. Henrici apud Surium die 14 Julii relatis, ubi addit: *His verò concedimus hanc dignitatem, qui tantùm ſpecialiter excubant, vel deſerviunt apud prædicti prædeceſſoris noſtri ſepulchrum*, Clementis ſcilicet Papæ II in Eccleſia Bambergenſi quieſcentis. Edmundus Martene loco laudato cap. 4 art. 1 nu. 17 ſcribit, ſe alicubi legiſſe, eundem Pontificem Leonem IX Biſuntinis Canonicis permiſiſſe, ut Diaconus, & Subdiaconus ad Altare miniſtrantes mitris uterentur. Nunc Canonici Pictavienſes, Lugdunenſes, Anicienſes, Matiſconenſes Eccleſiæ Sancti Petri, & Brivatenſes S. Juliani mitram adhuc geſtant.

XVII. *Colonienſem Archiepiſc. S. R. E. Archicancellarium creat.*

Sed ut ad S. Leonem Coloniæ exiſtentem redeam. Raſponus Cardinalis in Baſilica Lateranenſi ad annum 1051 notat, Leone IX & Victore II ſedentibus, primum omnium, qui ſanctæ Apoſtolicæ Sedis Archicancellarium ſe ſubſcripſerit, fuiſſe Hermannum, ſeu Herimannum Colonienſem Archiepiſcopum, quod antea animadvertiſſe Bernardum à Mallinckrot in Tractatu de Archicancellariis ſacri Imperii cap. 5 obſervat Joannes Ciampinius in Catalogo S. Romanæ Eccleſiæ Bibliothecariorum pag. 40, & ſeqq. ubi exhibet ſubſcriptiones variorum diplomatum Leonis IX anno 1051 & ſequentibus datorum, in quibus *Herimannus* ſemper dicitur *S. A. S. Archicancellarius & Colonienſis Archiepiſc.* Sed nullus ex illis obſervavit hoc privilegium à S. Leone anno 1049 Colonienſibus Archiepiſcopis conceſſum, quod tamen diſertè legitur in eadem ſancti Leonis Vita à Wiberto ſcripta, qui poſt ſuperiora narrata, ait: *Dedit ei quoque* [nempè Herimanno] *officium Cancellarii ſanctæ Romanæ Sedis, ejuſque ſucceſſoribus, tribuens illi Eccleſiam ſancti Joannis ante portam Latinam.* Idem Bernardus à Mallinckrot notat extare bullam Apoſtolicam præfati Pontificis Leonis, quam in vetuſtis S. Severini Colonienſis Tabulariis invenit Ægidius Gelenius, quæ, inter reliqua, hæc continet narrationi Wiberti conſentientia: *Confirmamus quoque tibi* (nempè Herimanno) *per hanc præceptionis noſtræ paginam S. & AP. Eccleſiæ Cancellaturam, & Eccleſiam S. Joannis Evangeliſtæ ante Portam Latinam, ut te Petrus Cancellarium habeat, Joannes hoſpitium præbeat.*

XVIII. *Humbertum poſtea Cardinalem Romam ducit.*

Quod attinet ad Humbertum, virum hac ætate celeberrimum, à S. Leone poſtea Cardinalem creatum, quem alii hoc eodem anno 1049 poſt Concilia Remenſe & Moguntinum, alii tardiùs ab eodem Leone in Italiam ductum volunt, Romam ſanctum hunc Pontificem ſecutus eſt, cum Papa deſignatus per Gallias Romam pergeret. Humbertus tunc erat Abbas Monaſterii Mediani in diœceſi Tullenſi, ac intra montium Voſagi clauſtra poſiti, à S. Hildulfo Archiepiſcopo Trevirenſi ædificati, ut docet Auctor Chronici Senonienſis lib. 2 cap. 18, qui ait, Humbertum Abbatem Mediani Monaſterii anno 1044 *varias laudes, quæ Reſponſoria dicuntur*, rithmicè à ſe compoſitas, Brunoni Epiſcopo Tullenſi in ejus Eccleſia decantandas tradidiſſe, indeque *quinque annis elapſis* Brunonem Papam electum, & Romam proficiſcentem,

Digitized by Google

SÆC. XI. S. LEO IX.

Humbertum Medіani Monaſterii Abbatem ſecum duxiſſe, *Archiepiſcopum Siciliæ* ordinaſſe, *deinde Romæ Cardinalem ad vices ſuas ſupplendas ſecum morari* præcepiſſe. Ex quibus & refellitur Henſchenius, qui in Commentario prævio ad Vitam S. Leonis num. 16 ad diem 19 Aprilis, ſcribit, Humbertum fuiſſe Abbatem monaſterii ſancti Manſueti extra urbis Tullenſis mœnia ſiti. Fallitur prætereà ibidem Henſchenius cùm ait, S. Leonem, qui poſt menſem Septembrem anni 1050 Tullum rediit, in ſecundo illo Romam reditu, ſecum Humbertum in Italiam duxiſſe; mox enim videbitur Humbertum menſe Majo anni 1050 jam fuiſſe Archiepiſcopum Sicilienſem, ideoque ante eum annum Romam à S. Leone ductus fuerat. Hunc enim S. Leo ex Gallia in Italiam duxit, & *ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiſcopum ordinavit*, ut inquit Lanfrancus in Commentario adverſus Berengarium. Labbeus etiam in Diſſert. de Script. Eccleſiaſt. & paſſim alii Humbertum, Monaſterii S. Manſueti Monachum faciunt, ſed nullo teſte, imò contra auctoritatem Auctoris Chronici Senonienſis laudati. Quæ obſervationes debentur Annotatori Baronii ad annum 1049 num. 13, & ſeqq.

XIX. In Apuliam proficiſcitur.

Moguntino Concilio celebrato, Leo Pontifex *Romam rediens, plebem de ſua diutina abſentia mæſtam lætificavit*, inquit Wibertus lib. 2 cap. 6. Hermannus Contractus poſtquam dixit, Leonem Moguntiæ Synodum XL prope Epiſcoporum coram Imperatore celebraſſe, ſubdit: *Et poſtea Alemanniam adiens Augiæ feſtum S. Clementis, & Dominicam ante Adventum Domini 6 Kal. Decemb.* (ſeu die 26 Novembris, qui concurrebat cum Dominica prima Adventus anno 1049, quo Paſcha die 26 Martii celebratum eſt) *egit; ac per Auguſtam, Bajoariamque tranſiens, Natalem Domini Veronæ coluit*. Quo tempore Romam pervenerit, nullus ex Antiquis notavit; illud ſolùm conſtat, eum Sipontum non multò poſt ad viſitandam Eccleſiam Sancti Michaelis Archangeli profectum, & in ipſa feſtivitate Palmarum ad monaſterium Caſſinenſe acceſſiſſe: *Iter ſumpſit peragraturus fines Apuliæ*, inquit Wibertus laudatus, *ut Chriſtianam repararet religionem, quæ ibidem videbatur pene deperiſſe: maximèque inter accolas regionis, & Normannos concordiam componere ſatagens, quos dudum adjutores contra exteras gentes ſuſceperant Principes regni: ſed tunc ſæviſſimos tyrannos, ac patriæ vaſtatores non ſponte ſuſtinebant. In hoc ergo ſancto opere ſollicitè intentus venit Beneventum, ubi aliquandiu commorans, cuidam clinicæ* (ſic dictæ, quòd in lecto decumberet) *divina præſtante gratia vitale præbuit auxilium*. Narrat poſtea hanc ægrotam hauſtâ aquâ, qua ſanctus Pontifex ſacras abluerat manus, in craſtinum ſoſpitem ſacra Miſſarum ſolemnia adiiſſe, licèt per annos ferè quindecim languore confecta de proprio grabato, niſi aliorum deportata manibus nequiſſet exire.

XX. Sipontinum Concilium celebrat.

Pergit Wibertus: *Itaque zelo ſanctę religionis fervens Pręſul venerandus apud Sipontum habito Concilio, duos depoſuit ab officio Archiepiſcopatûs, qui cum mercede ſanctum aſſumpſerant miniſterium, vitio elationis unus ambiens pręcedere alterum*. Cùm autem Sipontum eſſet oppidum ad montis Gargani radices poſitum, nunc everſum, huc referendum quod Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 82 narrat, Leonem nempè, orationis gratiâ montem Garganum petiiſſe, ad viſitandam Eccleſiam ſancti Michaelis Archangeli ſitam in rupe Gargana, celeberrimam tunc temporis peregrinationem, indeque *in ipſa feſtivitate Palmarum* ad monaſterium Caſſinenſe acceſſiſſe, in Refectorio cum fratribus comediſſe, eodemque tempore *ſandaliorum uſum, & dalmaticæ, & chirothecarum in præcipuis feſtivitatibus* Abbati Caſſinenſi, ejuſque ſucceſſoribus Apoſtolica auctoritate conceſſiſſe. Peregrinatio enim illa ad montem Garganum, & conſequenter acceſſus ad monaſterium Caſſinenſe, non pertinet ad annum 1049, ut perperàm ſcripſit Leo Oſtienſis, ſed ad annum 1050, ut conſtat tam ex Concilio Sipontino, quod tunc temporis ab eo celebratum dicit Wibertus laudatus, quàm ex iis quæ refert Chronographus ſancti Benigni, qui narratis iis, quæ S. Leo anno 1049 geſsit, poſtea ſubdit: *Rurſus ſequenti anno Romam pergens* (ſc. Halinardus Archiepiſcopus Lugdunenſis) *cum ipſo domno Apoſtolico properavit Beneventum, & Capuam, Montem Caſſinum, atque montem Garganum ad ſanctum Michaelem Archangelum. Ideo namque prædictus Papa perrexit illas in partes, ut habitatores terræ illius, ſi poſſet, aliquo modo relevaret ab oppreſſione, qua nimium erant gravati à Normannis. At quia Domnus Pręſul Halinardus præpotens erat in verbis & ad ſuadendum quodlibet lingua ſufficiebat, propter hoc ut mediator, & Legatus pacis inter prædictos Normannos, & ipſum eſſet, Domnus Apoſtolicus ſecum duxit eum*. Hujus porrò Sipontini Concilii nullus alius ex Antiquis meminit præter Wibertum laudatum.

XXI. S. Gerardum Tullenſem Epiſcopum in Synodo Rom. canonizat.

Qui poſtea ſubdit: *Inde repetito gradu Romam rediit, ubi ſuperna admonitus revelatione B. Gerardum, ſuæ ſedis* (*Leucorum videlicet*) *olim Præſulem, in numero ſanctorum computandum ſtatuit*. Id autem fecit in Synodo, quam Hermannus Contractus eum ad annum 1050 *poſt Paſcha Romæ* collegiſſe ſcribit. Ex literis pariter canonizationis, quas Mabillonius Sæc. V Benedict.

 pag. 894

pag. 894 refert, conſtat eam factam eſſe in Synodo, quam S. Leo celebravit ineunte Majo: *Reſidentibus nobis Romæ*, inquit, *in Synodo in Eccleſia Salvatoris, cum multis Coepiſcopis noſtris circa ſexto Nonas Majas, relatum eſt auribus noſtris ab Udone Tullenſi Præpoſito eadem nocte ipſum Dominum Gerardum in viſione apparuiſſe cuidam venerabili Monacho, nomine Albizoni, qui Synodo intererat...... Videbatur ergo illi ipſum aſſiſtere ſibi, quem nunquam corporaliter viderat, nec etiam nomen ejus audierat, & dicere ſe ipſum Gerardum eſſe, pro quo Deum decreverat exorare. Ad quod ille gaviſus, ſedulò ſciſcitari cœpit, an eſſet apud Deum in numero Sanctorum, cui læto vultu reſpondit, procul dubio ſe eſſe cum Deo, dignumque ac juſtum fore eos honorari in terris ab hominibus, qui honorantur in cœlis ante Deum ab Angelorum agminibus*. Quibus in Synodo ab ipſo ſancto Leone divulgatis, & expoſita vita venerabili, converſatione mirabili, & miraculorum multitudine ejuſdem B. Gerardi, *tam Archiepiſcopi, quàm Epiſcopi, tam Abbates, quàm Clerici, & Laici ...... quaſi uno ore clamaverunt, ipſum dominum Gerardum virum eſſe ſanctum, à Deo inter Sanctos numeratum, & ab hominibus inter ſanctos numerandum, & venerandum, pro eo quòd vivens in carne, teſtantibus miraculis ut vir ſanctus extitit, & carne exutus qualis in mundo fuerit, cœleſti beatitudine poſitus, mundo quotidie eiſdem miraculis innoteſcat. Decrevimus igitur*, inquit S. Leo, *ſic ſanctâ annuente ac laudante Synodo, ut ex hoc ſanctus habeatur, & ſanctus colatur nono Kalendas Maji.... Cujus ſancti venerabile corpus per nos ipſos cupimus transferre*, quod & reapſe præſtitit, ut mox videbitur. His literis ſancti Leonis ſubſcripſit inter alios *Humbertus Sicilienſis Archiepiſcopus*.

XXII. *Canonizationis hujus epocha.* Mabillonius laudatus putat hanc canonizationem factam in Synodo, quam S. Leo anno 1049 hebdomada poſt Albas Romæ celebravit, de qua ſuperius egimus; verùm præterquamquod VVibertus citatus teſtatur, Gerardum honoribus ſanctorum donatum poſtquam S. Leo è Francia rediit, ideoque anno 1050, Synodus anni 1049 habita eſt circa diem 17 poſt Paſcha, ideoque circa diem duodecimum menſis Aprilis, teſte eodem S. Leone in literis, quibus Eccleſiæ Trevirenſis privilegia confirmavit, de quibus num. IX. Synodus verò, in qua Gerardus canonizatus, celebrata eſt circa nonas Maji, ut ex literis canonizationis conſtat. His adde ſanctum Leonem menſe Majo anni 1049 Romæ non fuiſſe, ſed Papiæ, ubi, ex dictis, Synodum egit in hebdomada feſti Pentecoſtes, quod eo anno in diem 14 Maji incidit. Nec refert quod ait Mabillonius, Synodum ſcilicet illam præceſſiſſe elevationem corporis S. Gerardi, quæ facta eſt à S. Leone anno 1050, facta eſt enim poſt Synodum poſteriorem, ut mox dicetur.

XXIII. *S. Gerardi vita functi.* Sanctus porrò Gerardus, qui à Sancto Brunone Colonienſi Archiepiſcopo, Ottonis magni Imperatoris fratre germano, invitus ad Epiſcopatum Tullenſem aſſumptus fuerat anno nongenteſimo ſexageſimo tertio, pauperum præcipuè curam geſſerat in Epiſcopatu, eiſque ſemper largè ſubvenerat. Summum etiam ei fuerat ſtudium in ſanctarum reparatione Eccleſiarum, & ſacrarum Reliquiarum indagatione, ut legitur in ejus Vita à Vindrico monaſterii Sancti Apri Abbate, qui ſæculo undecimo floruit, ſcripta, & ab Henſchenio ad diem 23 Aprilis primùm producta; ex qua conſtat, Sanctum hunc Præſulem ad Dominum migraſſe *die nono Kalendas Majas*, poſtquam *annos triginta & unum, hebdomadas tres, & dies tres* Eccleſiam Tullenſem glorioſè rexiſſet, ideoque anno nongenteſimo nonageſimo quarto.

XXIV. *Berengarii hæreſis S. Leoni innoteſcit.* In hac poſteriori Synodo Romana anni 1050, in qua S. Gerardus Canonizatus, damnatus eſt Berengarius, & Lanfrancus abſolutus, ut conſtat ex Commentario, quem idem Lanfrancus contra Berengarium edidit, cujus hæreſim, ejuſque initium hìc prius aperire juvat. *Berengerius Andegavenſis* Archidiaconus, inquit Auctor Anonymus à Petro Franciſco Chiffletio editus ex MS. codice S. Augendi, qui Opuſculum ſuum de Berengarii Hæreſiarchæ damnatione multiplici anno 1088 ſcribebat, *hæreſim ſui nominis condidit, & veritatem Dominici corporis & ſanguinis contra Evangelicam veritatem abnegare præſumpſit. Videlicet aſſerens, panem & vinum in ſacrificio Domini, non verè nec eſſentialiter, ſed figuratè tantùm converti in corpus & ſanguinem Dominicum, quod Catholicæ fidei, & Evangelicæ veritati apertiſſimè adverſatur, uti Sancti Patres docuerunt. Quapropter Sanctus Leo Papa IX eandem hæreſim ſuo tempore ad Apoſtolicam Sedem per literas ipſius Berengerii* (ad Lanfrancum datas) *delatam, generali Synodi judicio damnavit. Ipſum quoque Berengerium communione Eccleſiæ privavit, quam ipſe Dominici Corporis & Sanguinis communione ſuis aſſertionibus voluit privare*. Berengarius itaque Sacramentariorum parens, cujus hæreſis initium, Auctor Fragmenti Hiſtoriæ Francicæ à Roberto Rege ad Philippum Regem perductæ, repetit ab anno milleſimo quadrageſimo quarto, damnatus eſt in hac Synodo Romana; & Lanfrancus, qui poſtea Archiepiſcopus Cantuarienſis fuit, ejuſdem hæreſis accuſatus, abſolutus eſt.

XXV. *Damnatur à S. Leone in eadem Synodo Rom.* Audiendus ipſe Lanfrancus in Commentario contra Berengarium, quem alloquitur: *Tempore Sancti Leonis Papæ*, inquit, de-

SÆC. XI. S. LEO IX.

delata eſt hæreſis tua ad Apoſtolicam Sedem. Qui cùm Synodo præſideret, ac reſideret ſecum non parva multitudo Epiſcoporum, Abbatum, diverſique ordinis è diverſis regionibus religioſarum perſonarum, juſſum eſt in omni audientia recitari, quas mihi de Corpore & Sanguine Domini literas tranſmiſiſti. Portitor quippe earum Legatus tuus, me in Normannia non reperto, tradidit eas quibuſdam Clericis. Quas cùm legiſſent, & contra uſitatiſſimam Eccleſiæ fidem ſcriptas animadvertiſſent, zelo Dei accenſi, quibuſdam ad legendum eas porrexerunt. Itaque factum eſt, ut non deterior de te, quàm de me fuerit exorta ſuſpicio, ad quem videlicet tales literas deſtinaveris, putantibus multis me fovere, ac favere, quæ à te dicerentur; vel gratia, qua te diligerem; vel fide, qua revera ita eſſe indubitanter tenerem. Igitur cùm à quodam Remenſi Clerico Romam perlatas recitator legeret, intellecto quòd Joannem Scotum extolleres, Paſchaſium damnares, communi de Eucbariſtia fidei adverſa ſentires: promulgata eſt in te damnationis ſententia, privans te communione Eccleſiæ, quam tu privare Sancta ejus communione ſatagebas. Poſt hæc præcepit Papa, ut ſurgerem, pravi rumoris à me maculas abſtergerem, fidem meam exponerem, expoſitam plus ſacris auctoritatibus, quàm argumentis probarem. Itaque ſurrexi; quod ſenſi, dixi: quod dixi, probavi: omnibus placuit, nulli diſplicuit.

XXVI. *Damnatur & ab eodem Papa in Vercellenſi Synodo.*

Non ſolùm huic Synodo Romanæ interfuit Lanfrancus, ſed etiam Vercellenſi, quam idem S. Leo Pontifex menſe Septembri ejuſdem anni 1050 celebravit, ut diſertè habet idem Auctor Anonymus de Berengarii multiplici damnatione mox laudatus, qui ſubdit: *Deinde ipſum* (nempe Berengarium) *ad proximam tunc Synodum, in proximo Septembri ab eo Vercellis celebrandam, vocavit audiendum. Ad hanc Synodum non ipſe Berengerius, ſed quidam ejus fautores pervenerunt: qui ſe Legatos ejus aſſerentes, eumque defendere volentes, in proximo aditu defecerunt. Domnus autem Apoſtolicus iterum Synodali judicio ſententiam Berengerii, & librum Joannis Scoti de Corpore Domini, ſub anathemate damnavit: & fidem, quam omnes Catholici de veritate Corporis & Sanguinis Domini hactenus habuerunt, & adhuc habent, confirmavit. His utriſque Synodis domnus Lanfrancus, non multò poſt Anglorum Archiepiſcopus, ſcribens contra Beringerium, ſe interfuiſſe fatetur: in quarum priore de Beringeriana hæreſi ſe infamatum, & expurgatum: ſed in utriſque, ejuſdem hæreſeos damnationi cum omnibus Catholicis ſe aſſenſiſſe teſtatur.* Hanc Synodum Vercellenſem anno 1050 celebratam, docet Hermannus Contractus hujus temporis Scriptor: *Ipſo autumno*, inquit, *Dominus Papa Synodum Vercellis collegit.* Scio Durandum Troarnenſem Abbatem in libello *de Corpore & Sanguine Chriſti* inſinuare Vercellenſe Concilium anno 1053 coactum; ſed id, in notis ad Brionnenſem Conventum, rejiciunt Coſſartius Tomo IX Concil. & Mabillonius Tomo II Analect. in Obſervationibus præviis *de Multiplici Berengarii damnatione*. Certè Durandi Troarnenſis calculo adverſatur Vita Sancti Leonis, qui anno 1053 à Junio ad exeuntem annum, imò & ad ſubſequentem Martium, Beneventi commoratus eſt; ex quo concludit Mabillonius Leonem menſe Septembri anni 1053 intereſſe nequiviſſe Vercellenſi Concilio, ideoque tam Vercellenſe, quàm Romanum, in quibus Berengarius damnatus, ad annum 1050 referenda eſſe.

XXVII. *Leo PP. transfert corpus S. Gerardi Tullenſis Epiſcopi.*

Poſt Vercellenſem Synodum, quæ, ut legitur in Epiſtola 12 Sancti Leonis ad Principes Britanniæ ſeu Armoricæ datâ, *Kalendis Septembris* celebrata eſt, idem S. Leo *inde Gallias & Epiſcopatum ſuum Leucerum* (ſeu Leucorum) *civitatem reviſit*, inquit Hermannus Contractus. Tunc Sancti Gerardi, quem in Synodo Romana menſe Majo in numero Sanctorum computandum ſtatuerat, corpus tranſtulit, quod in bulla canonizationis per ſe ipſum transferre velle dixerat. *Eodemque anno*, inquit Wibertus loco laudato, *in patriam regreſſus, ipſius* (ſcilicet Gerardi) *ſanctos artus cum ſumma gloria tranſtulit. Quæ omnia dilucidè ſunt exarata in ejuſdem Vita & miraculis.* Sed cùm in Vita Sancti Gerardi, ab Henſchenio, ut diximus, publicata, neque canonizationis, neque tranſlationis ejus, à S. Leone peractarum mentio reperiatur, vel hæc vita mutila eſt, vel alia vita, de qua loquitur Wibertus, deſideratur. Eam porrò Translationem circa finem menſis Octobris factam exiſtimo, ſi verum ſcribit Mabillonius, quando ait, *tunc* Sanctum Leonem privilegium conceſſiſſe Dodoni Sancti Manſueti Abbati; illud enim privilegium dicitur *anno Inc. Domini* 1050 *Indict.* 4 *datum Tulli in majori Eccleſia II Kalend. Novemb. anno Apoſtolatûs Domini Leonis noni Papæ II*, ideoque die 30 Octobris anni 1050.

XXVIII. *Tertiam Romæ Synodum celebrat.*

Non multò poſt Natale Domini anni 1050 Imperator, & *Dominus Papa cum multis Epiſcopis & Principibus apud Auguſtam Vindelicam convenientes, Purificationem Dei Genitricis* [anni 1051] *celebraverunt, Ravennateque Archiepiſcopo apud Papam inibi reconciliato, charitativè à ſe invicem diſcedentes, Papa Romam revertitur*, inquit Hermannus Contractus in auctiori Chronico; qui paulò poſt ſubdit: *Poſt Paſcha item domnus Leo Papa Synodum Romæ collegit, ubi inter alia Gregorium Vercellenſem Epiſco-*

SÆC. XI. S. LEO IX. *ſcopum propter adulterium cum vidua quadam avunculi ſui ſponſa admiſſum, & perjuria perpetrata abſentem & neſcientem excommunicavit: quem tamen non multò poſt Romam venientem, ſatisfactionem promittentem officio priori reſtituit.* In eadem Synodo ventilatam eſſe quæſtionem de ordinatis ab Epiſcopis ſimoniacis indicat Epiſtola Petri Damiani ad Henricum Ravennatem Epiſcopum. Leonem prætereà in hac Synodo ſcripſiſſe decretum de continentia Clericorum, quod *Conſtitutum* vocabant, teſtatur idem Petrus Damiani in Epiſtola ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum; ubi & de fœminis, Clericis malo uſu inſervientibus, hæc ſtatuta fuiſſe tradit: *In plenaria planè Synodo Sanctæ memoriæ Leo Papa conſtituit, ut quæcumque damnabiles fœminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris proſtitutæ, ex tunc & deinceps Lateranenſi palatio adjudicarentur ancillæ*, &c.

XXIX. *In ea S. Eduardum Angliæ Regem voto aunſi Roman. diſpenſat.* Ad hanc Synodum revocanda quæ leguntur in charta Eduardi Regis anno 1065 ſcripta. Eduardus Angliæ Rex ſtatuerat ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli proficiſci ad gratias Deo reddendas pro beneficiis ſibi collatis, ſed Optimates ſui timentes, ne regnum noviter ſedatum, aliquâ turbaretur hoſtilitate, communi habito conſilio rogarunt Regem, ut ab ea intentione deſiſteret, omnibuſque placuit, ut Romam Legati mitterentur, qui Apoſtolico Regis voluntatem & votum, & illorum petitionem indicarent. *Factum eſt ergo*, inquit Eduardus Rex in charta, quæ extat Tomo IX Concil. pag. 1186, *quod volumus. Et venientes Romam Legati noſtri ex voluntate Dei invenerunt collectam Synodum in eadem urbe; cùmque expoſuiſſent meam voluntatem, & ſuam petitionem coram ducentis & quinquaginta Epiſcopis, & alia multitudine Sanctorum Patrum, tunc Apoſtolicus ex Conſilio Sanctæ Synodi hanc ſcripſit Epiſtolam.* Refert poſtea Eduardus Epiſtolam Sancti Leonis IX Papæ ita inſcriptam: *Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio ſuo Eduardo Anglorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem*; in eaque ait Pontifex: *Ex auctoritate Dei & Sanctorum Apoſtolorum, & Sanctæ Synodi abſolvimus te à peccato illius voti, pro quo Dei offenſam times .... Deinde præcipimus tibi ſub nomine ſanctæ obedientiæ & pœnitentiæ, ut expenſas, quas ad iſtud iter paraveras, pauperibus eroges, & cœnobium monachicum in honorem Sancti Petri Apoſtolorum Principis, aut novum conſtruas, aut vetuſtum emendes & augeas.* Hac accepta Epiſtola Eduardus monaſterium Weſtmonaſterienſe, de quo in Bonifacio IV locuti ſumus, propter vetuſtatem & bella, ferè deſtructum in integrum reſtituit, & decimam partem omnium, quæ habebat, eam in rem contulit. Dedicata Baſilica 5 *Kalend. Januarii*, ut ipſemet aſſerit in laudata charta data anno 1065, licèt in ea legatur annus 1066, qui initium ſumpſerat die Natali Chriſti anni 1065, licet enim Angli indictionem per hæc tempora à Kalendis Januarii exordirentur, annum tamen à Natali Chriſti præcedenti incipiebant; ideoque cùm charta data ſit die 28 Decembris, tum currebat quidem adhuc indictio tertia, ſed annus Chriſti 1066 à die 25 Decembris cœptus erat; quod mirum videri non debet, cùm in Italia annus quidem à menſe Januario, ſed indictio à Kalendis Septembris præcedentibus initium ſumeret. SÆC. XI. S. LEO IX.

XXX. *In Apuliam pergit, & Beneventanos ab excommunicatione abſolvit.* De hac Romana Synodo non loquitur Wibertus in Vita Sancti Leonis; ſed Leonem eâ peractâ in Apuliam iterum rediiſſe ſcribit Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 85. *Sequenti anno*, inquit, *prædictus Pontifex rursùs ad Monaſterium* (Caſſinenſe) *venit, & in craſtinum, ac die altero Apoſtolorum Petri & Pauli Miſſas ſolemniter celebravit: & cùm die illo ſabbatum eſſet, ingreſſus ad mandatum fratrum, pedes duodecim Monachis lavit, & ipſe viciſſim ab illis lotus, in refectorium quoque cum eis unà bibiturus ingreſſus eſt. Inde perrexit Beneventum, urbemque ab excommunicatione prædeceſſoris ſui benignus abſolvit.* Ex quibus intelligere poterat Baronius, hanc ſecundam Sancti Leonis profectionem in Apuliam, conjungendam eſſe, non cum anno 1050, quo feſtum SS. Petri & Pauli, dies nempe 29 Junii in feriam ſextam incidebat, ſed cum anno 1051, quo idem dies & ſabbatum ſimul concurrunt. Quare Leo Oſtienſis hanc profectionem ad annum 1051 rectè quidem revocat; ſed fallitur in eo quod ſcribit, eodem anno Sanctum Leonem abſolviſſe Beneventanos *ab excommunicatione prædeceſſoris ſui*; dicere enim debuerat, eos tunc abſolutos ab excommunicatione, quam ipſemet Sanctus Leo in eos tulerat anno 1050; eo enim anno Beneventanos à Leone Papa excommunicatos disertè habet Hermannus Contractus ad eum annum de Leone ſcribens: *Nonnullos locorum Principes & civitates tam ſibi, quàm Imperatori jurejurando ſubjecit, Beneventanoſque adhuc rebellantes excommunicavit.* Certè Beneventani à Damaſo II Leonis prædeceſſore excommunicati non fuerant; Beneventum enim non adiiſſet S. Leo anno 1050; nec ibi *aliquandiu commoratus* eſſet, ut ſcribit Wibertus in ejus Vita lib. 2 cap. 6; ſed eodem anno 1050 poſt diſceſſum S. Leonis, cùm Beneventani iterum rebellaſſent, ab eodem excommunicati ſunt, ut ſcribit Hermannus Contractus, à qua excommunicatione anno 1051, teſte Leone Oſtienſi, ſunt abſoluti.

Sed

Digitized by Google

XXXI. *Epiſcopi S. Leoni contradicentes divinitùs puniti.*

Sed ut ad res à Sancto Leone initio anni 1051 redeam, jam diximus eum Purificationem Beatæ Virginis apud Auguſtam Vindelicam celebraſſe, & Ravennatem Epiſcopum inibi ei fuiſſe reconciliatum. Quam reconciliationem & mortem tam Ravennatis Epiſcopi, quàm Friſingenſis, his verbis refert VVibertus lib. 2 cap. 7: *Erat huic viro Dei non modica concertatio contra pervaſores rerum Sanctæ Romanæ Sedis, maximèque contra Ravennatem Epiſcopum ſpiritu repletum contumaciæ & rebellionis, cui nonnulli favebant Palatini, gloriæ invidentes Domini Apoſtolici, Quorum caput in fomento diſcordiæ erat Nizo Epiſcopus Friſingiæ, ſuper quem divina virtus hujuſmodi horrendam ultionem dignata eſt oſtendere. Nam pro reſponſis Imperialibus in Italiam directus Ravennam devenit, & in favorem Ravennatis detrectatoria verba contra hunc beatum proferre cœpit. Inter quæ ducto ſub gutture digito ad hæc blaſphema prorupit:* Hoc guttur gladio abſcindatur, niſi eum deponi fecero ab honore Apoſtolatûs. *Quo dicto, eodem momento ipſum intolerabilis dolor gutturis invaſit, & impœnitens die tertio vitam obiit. Archiepiſcopus autem Ravennatium ob incorrigibilem præſumptionem eſt à Sancto Papa anathematizatus. Idroque Imperiali juſſu Ausburgium vocatus, cum juſtitia redditis, quæ perversè invaſerat, abſolutionem eſt petere coactus. Qui cùm licèt corde contumaci ante pedes ſancti ſtratus jaceret, cunctuſque cœtus præſentium Pontificum ei abſolutionem peterent, ait vir beatus:* Secundùm ejus devotionem tribuat illi Omnipotens cunctorum ſcelerum abſolutionem. *Ille verò ſurgens eum ſubſannatoriè ſubridens adhuc ſuperbiâ tumidus; venerandus pater in lachrymas reſolutus, inquit ſecretò circumſtantibus:* Heu! mortuus eſt miſer iſte. *Nec mora, ille langore corripitur, & vix in patriam revectus, vita & honore, quo tumebat, celeriter privatur*, anno ſcilicet 1051, quo Rubeus lib. 5 Hiſt. Ravenn. eum ſubitò interiiſſe ait *nono Kalendas Septembris*, ubi & tradit, ad hunc Archiepiſcopatum vocatum fuiſſe Hunfridum. Hæc confirmantur ab Hermanno Contracto in Chronico ad annum 1052, ubi ſcribit etiam Henricum ab Imperatore, *tempore quadrageſimali* ad Ravennatenſem Archiepiſcopatum promotum, in locum ejuſdem Hunfridi.

XXXII. *In Germaniam pergit pro pace inter Imperat. & Hungariæ Regem.*

Anno milleſimo quinquageſimo ſecundo S. Leonem Papam in Germaniam tertiò profectum eſſe rogatum, ad componenda diſſidia, quæ erant inter Henricum Imperatorem, & Andream Hungariæ Regem teſtatur Hermannus Contractus ad eum Chriſti annum: *Cùm Turegi*, inquit, *Pentecoſtem peregiſſet* Imperator, *in Pannonicam itidem expeditionem proficiſcitur, Andreaque Rege Hungarorum minus minuſque pro pacto pacis poſtulando allegante, & promittente, Berzisburg caſtrum obſedit, & variis belli machinis diu oppugnatum, Deo obſeſſis ſe anxiè invocantibus opitulante, fruſtratis ſemper niſibus nullo modo capere potuit. Interim Dominus Leo Papa ab Andrea accitus, cum pro pace componenda interveniſſet, Imperatorem ab obſidione revocavit, eumque ſibi per omnia conſentientem inveniens, ſed è contra Andream conſiliis ſuis minus parentem experiens, offenſus, eique excommunicationem, utpote deluſa Sede Apoſtolica, minitans, cum Imperatore diſceſſit, & aliquantum cum eô temporis manſit.* S. Leonem infecta pace ad Imperatorem, imò & in Italiam rediiſſe ſcribit VVibertus in ejus Vita lib. 2 cap. 8. *Non modicus ei* (Sancto Leoni) *inerat fervor in augenda Republica. Idcirco Hungariæ Principes, à Romano nuper imperio diſſidentes, multiplicibus Legatis adierat, ne detrectarent ſolita ſubjectione Imperatori priſca perſolvere tributa, quod & conſenſerant, ſi præteritorum commiſſorum ei concederetur indulgentia. Quapropter ſancta commonente pietate, coactus eſt tertiò antiquam patriam repetere, & pro reorum miſeratione, qui contra Imperium moverant bellum, perſuaſoriis precibus imperiales aures expetere. Sed quia factione quorundam curialium, qui felicibus ſancti viri invidebant actibus, ſunt Auguſti aures obturatæ precibus Domni Apoſtolici, ideò Romana Reſpublica ſubjectionem regni Hungariæ perdidit, & adhuc dolet finitima patriæ prædis, & incendiis devaſtari.* Major autem fides videtur adhibenda VViberto culpam ruptæ pacis rejicienti in Imperatoris Curiales, quàm Hermanno Contracto, qui eam rejicit in Andream Hungariæ Regem; Hildebertus enim Epiſcopus Cenomanenſis in Vita S. Hugonis Cluniacenſis Abbatis cap. 2 inſinuat, hunc Sanctum Abbatem, cujus operâ uſus eſt Sanctus Leo ad eam pacem ſanciendam, obtinuiſſe quidquid petebat ab Hungariæ Rege; *Idem poſtmodum*, inquit, *juſſu Romani Pontificis in Hungariam profectus, de reformatione pacis curam gerit, ſuſcepta prudenter inſiſtit & explet negotia; ad laudem Dei & gloriam, quæ ſibi commiſſa fuerant executus*; ideoque ſi pax facta non eſt, id adſcribendum videtur factioni *quorundam Curialium, qui felicibus ſancti viri* Leonis *invidebant actibus*, ut loquitur VVibertus.

XXXIII. *S. VVolfangum Ratiſponenſem Epiſc. canonizat.*

Sanctus hic Pontifex anno 1052 in Germania exiſtens, Ratiſponam profectus eſt, ibique *Sanctum VVolfangum ejuſdem urbis Epiſcopum de tumulo levavit*, ut in Analibus Saxonicis MSS. ſe legiſſe aſſerit Mabillonius Sæculo V Benedictino in obſervationibus præviis ad Vitam ejuſdem ſancti, quod canonizationis loco tunc temporis erat. Sanctus *VVolfgangus*, vulgò *VVolfangus*

ſanguis appellatus, Suevus fuit, qui à parentibus cœnobio Augienſi traditus, doctiſsimus evaſit, habitumque monaſticum induit. Poſtquam per aliquod tempus in Norico Evangelium prædicaſſet, revocatus eſt à Piligrino Pataavienſi Epiſcopo, qui dolebat *tantum colonum in ſulcis ſterilibus impendere laborem*. Factus Epiſcopus Ratiſponenſis anno 972, ut legitur in Hermanno Contracto ex editione Caniſii, literas & Chriſtianos mores variis in locis reſtituit, nempe apud Trevirenſes, & in Eccleſia ſua Ratiſponenſi, ubi Canonicos ad Communem vivendi normam, Monachos & Sanctimoniales ad ſeverius inſtitutum revocavit, ut videre eſt in ejus Vita apud Mabillonium laudatum, à Scriptore anonymo ejus familiari ſcripta; ex quo & habemus eum obiiſſe die trigeſimà primà menſis Octobris. Annum verò ejus mortis notàrunt Lambertus Schafnaburgenſis, & Auctor brevium Annalium Einſidlenſium apud eundem Mabillonium Tomo 2 Analectorum, annum nempè 994.

XXXIV. *Item S. Erhardum ejuſdem Sedis Epiſcopum.*

Uvigulcius Hundius lib. 1 Metropolis Salisburgenſis, in Gebehardo III Epiſcopo Ratiſponenſi ſcribit, ſanctum Leonem, non ſolùm S. VVolfangum, ſed etiam S. Erhardum in numerum Divorum retuliſſe: *Sub eo*, inquit, *Leo IX Pontifex Max. ab Andrea Rege Hungariæ pro pace cum Imperatore Henrico III conſtruenda accitus, Ratiſponam venit, & S. VVolfgangum in numerum divorum retulit, ſimiliter & ſanctum Erhardum*. Id de ſancto Erhardo confirmat Conradus de Monte-puellarum in ejuſdem ſancti Erhardi Vita apud Bollandum ad diem 8 Januarii; in ea enim cap. 2 legitur, *Leonem IX tranſtuliſſe corpus B. Erhardi, temporibus Imperatoris Henrici III ſub annum Domini* 1052 Idem confirmat Andreas Brunerus part. 2 Annalium Bojorum. Fuit etiam Sanctus Erhardus Epiſcopus Ratiſponenſis, cujus vita apud Bollandianos loco laudato legenda.

XXXV. *Diploma de corpore S. Dionyſii Leoni IX affictum.*

Ratiſponenſes finxerunt diploma Ratiſponæ à Sancto Leone Nonis Octobris datum de corpore ſancti Dionyſii Areopagitæ ibidem exiſtentis, quod diploma recitat Baronius, inſcriptum Regi Francorum & ejuſdem regni Prælatis. Non immorabimur in refutatione illius diplomatis, quia id abundè jam actum eſt à Carolo Du-Bois lib. 10 Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Pariſienſis cap. 5; à Natali Alexandro ſæculo XI in Vita Leonis IX, & præſertim à Dubletio in Hiſtoria monaſterii San-Dionyſiani propè Pariſios, qui plura ſuppoſitionis indicia exhibent.

XXXVI. *Leo PP. Robertum invitum Caſæ Dei Abbatem conſtituit.*

Sed ſanctum Leonem hoc eodem anno milleſimo quinquageſimo ſecundo, Robertum Abbatem Caſæ-Dei invitum conſtituiſſe certum eſt. Sanctus Robertus Arvernis natus ex patre, qui originem ducebat à Giraldo, ſeu Geraldo Comite Aureliacenſi in ſuperiori Arvernia, cùm eſſet Canonicus, virtutum incrementis proficiens, ad montem, qui nunc *Caſa-Dei* dicitur, ſe tranſtulit, ubi, ut legitur in Chronico Malleacenſi, anno 1043 monaſterium conſtruxit. In eo non ſolùm ſocios inſtruebat, ſed & incolarum mitigabat priſtinam feritatem, paulatimque eos brutis moribus exuens, tanquam de feris homines faciebat. Leo Pontifex, cùm ejus ſanctitatis famam audiſſet, non ſolùm ejus conſilium decretis Apoſtolicis roboravit; ſed etiam anno 1052 invitum ac renitentem Caſæ-Dei Abbatem conſtituit, ut legitur in ejus Vita à Marbodo Archidiacono Andegavenſi, poſtea Redonenſi Epiſcopo in Britannia Armorica ſcripta, in Actis SS. Bollandianis ad diem 24 Aprilis, & Sæculo VI Benedict. part. 2 recitata: *Papa Leo nonus*, inquit Marbodus cap. 17, *decretis Apoſtolicis* roborans *conſilium, inſuper etiam hominem Dei, cujus famam ſanctitatis audierat, licèt invitum, & renitentem fratribus præficiendum* mandavit. Bullam tunc à Leone Papa datàm, quà bona Caſæ Dei beato Roberto confirmat, & diploma Henrici Franciæ Regis, quo monaſterium in Abbatiam erectum eſt, edidit Stephanus Baluzius in Appendice ad Lupi Servati Epiſtolas pag. 524. Cùm autem Sanctus Robertus obierit anno milleſimo ſexageſimo ſeptimo, poſtquam Abbatiam *quindecim annis* rexiſſet, ut in laudato Malleacenſi Chronico Tomo I Bibliothecæ Labbei legitur, inde certum eruitur argumentum, eum à ſancto Leone juſſum eſſe Caſæ-Dei præeſſe tanquam Abbatem anno 1052.

XXXVII. *Beneventum per concambium cum Imperatore acquiſivit.*

Eodem anno milleſimo quinquageſimo ſecundo ſanctus Leo Natale Domini VVormatiæ egit, ibique per concambium acquiſivit ab Imperatore Beneventum, pro Bamberga, Fulda & aliis in Germania locis, quæ Imperatori tradidit. Id teſtatur Hermannus Contractus ad annum 1053, quem, ut ſæpius diximus, inchoat à Natali Chriſti anni 1052. *Imperator*, inquit, *cùm Domino Papa, multiſque Epiſcopis, & Principibus, natalem Domini VVormatiæ egit, ubi cum Papa, ſicut dudum cæperat, Fuldenſem Abbatiam, aliaque nonnulla loca, & cœnobia, quæ ſancto Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore repoſcens, exegiſſet; demum Imperator pleraque in Ultramontanis partibus ad ſuum jus pertinentia, pro Ciſalpinis illi quaſi per concambium tradidit*. Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 85 expreſſiùs loquitur, & Beneventum pro Bamberga commutatum aſſerit: *Tunc inter Apoſtolicum & Imperatorem facta eſt commutatio de Benevento, & Bambergenſe Epiſcopio, ſicut jam ſupra retulimus*. Tunc ergo

pro

Digitized by Google

SÆC. XI. S. LEO IX. pro Bamberga, Fulda, & aliis locis, Beneventum in Apulia accepit ſanctus Leo, quod etiamnum Romani Pontifices in regno Neapolitano obtinent.

XXXVIII. In Italiam redit. Anno milleſimo quinquageſimo tertio ſanctus Leo Germaniam reliquit, poſtquam obtinuit ab Imperatore auxilia adverſus Normannos, qui erant in Apulia jura omnia confundentes, nec ſibi, nec ipſi Imperatori, niſi tantùm verbo tenus cedentes, ut refert Hermannus Contractus ad eum Chriſti annum. Quare Imperator ei auxilia ſubminiſtravit contra eos; res enim ad Eccleſiam Romanam ſpectantes invaſerant, impièque ac ſi non Chriſtiani, ſed Gentiles perſecutores crudeliter abuſi erant. Quænam autem iſta fuerint narrat ſanctus Leo in Epiſtola, quam ſcripſit ad Conſtantinum Monomachum Imperatorem Conſtantinopolitanum, de qua, ſicuti & de expeditione hoc eodem anno à S. Leone contra Normannos ſuſcepta, mox ſermo erit.

XXXIX. Concilium Mantuæ celebrat. His ſubjungit Hermannus Contractus: *Tranſiens* (ſanctus Leo) *per Alemanniam purificationem beatæ Mariæ Auguſtæ egit, Mantuæque Quinquageſima acta, & nonnullis ſuorum orto inibi tumultu occiſis, infra dies quadrageſimæ Romam pervenit*. Tumultus ille accidit, dum ſanctus hic Pontifex Mantuæ Concilium celebraret. Eum explicat Vvibertus in ejus Vita lib. 2 cap. 8. *Repedans in Italiam*, inquit, *Concilium apud Mantuam habendum conſtituit. Quod factio quorundam Pontificum, ſeveritatem ejus juſti judicii timentium perturbavit. Nam familiæ eorum fautrices ſcelerum, ſubitum contra domni Apoſtolici familiam moverunt tumultum, ſecurè adſtantem ante Baſilicam, in qua publicum habebatur Concilium; ita ut vir ſanctus cogeretur à medio conſeſſu ſurgere, & ante portam ad ſedandum ſtrepitum procedere. Cujus præſentiam non reveriti Deo odibiles eò magis magiſque in nequitia pertinaces, nitebantur ad eum exarmatos confugientes ante oculos ipſius confodere, & à valvis Eccleſiæ ne ibi tutarentur repellere; ita ut impetus ſagittarum & ſaxorum circum ejuſdem ſancti aures & ora volitaret, atque quoſdam ejus veſte defendi cupientes vulneraret. Qui tumultus admodum difficulter ſedatus, cœptum rigorem Concilii imperfectum coegit relinqui. Sed in craſtinum cuncti hujus ſeditionis incentores ſevera examinatione damnandi, à piiſſimo Patre ſunt miſericordi indulgentiâ abſoluti, ne videretur causâ ultionis aſperitatem in eos exercere judicii*. Illud Concilium, quod Tomo IX Concil. refertur ad annum 1052, Hermanni Contracti narratio oſtendit revocandum ad annum 1053. Wibertus enim, & Hermannus de eodem tumultu loquuntur.

Videtur tamen alia ſeditio Mantuæ contigiſſe, dum ſanctus Leo ea in civitate anno 1053 verſaretur. Henſchenius enim in Commentario prævio ad Vitam S. Leonis num. 23. notat ex Hyppolyto Doneſmundi, qui ſæculi decimi ſeptimi initio Hiſtoriam Mantuanam ſcripſit, lib. 3 pag. 203. Sanctum Leonem anno 1053 Sacrum Chriſti cruorem, qui ibidem aſſervari dicitur, coram adoraturum adveniſſe, fruſtraque conatum impetrare Romam auferendum, populi pro eo retinendo in ſeditionem verſi collaudaſſe zelum, & novam S. Andreæ Eccleſiam, in qua dicit Hyppolytus Doneſmundi anno 1049 ſacrum illum Sanguinem inventum eſſe, licèt non planè abſolutam dedicaſſe, ac modicâ pretioſi theſauri particulâ reverenter acceptâ, (quæ nunc in Sancti Joannis Lateranenſis Eccleſia ſervatur) reliquum cum Sancti Longini corpore in præparatum ad id locum repoſuiſſe: quod deinde, ne aliqua Barbarorum incurſione auferri contingeret, Epiſcopus Conon anno 1055 rurſum ſub terra abdi juſſerit, intra fornices, marmoreumque Altare hunc in finem præparatum. Ait autem Hyppolitus Doneſmundi ſe hæc hauſiſſe ex Hiſtoria MS. oculati teſtis, & rebus omnibus, cùm gererentur, præſentis. Cùm porrò Annaliſta Metenſis, Regino, aliique Annaliſtæ teſtentur Sanguinem Chriſti, Leone III Eccleſiam regente, anno 804 repertum eſſe, ſeu ſpongiam ſanguine Chriſti imbutam, à Longino olim defoſſam, ut ibidem diximus, vel Hyppolitus Doneſmundi fallitur, vel dicendum eam poſt Leonem III ſub terra abditam fuiſſe, & iterum ſub Leone IX inventam.

SÆC. XI. S. LEO IX. XL. Ibidem Eccleſiam dedicat in qua Sanguis Chriſti inventus eſt.

XLI. Quartam Romæ Synodum habet. S. Leonem *infra dies Quadrageſimæ Romam* perveniſſe docet Hermannus Contractus mox laudatus, qui paucis interpoſitis ſubdit: *Dominus Papa, habitâ poſt Paſcha Synodo, contra Normannos, ut propoſuerat, exercitum movit*. Baronius, & Conciliorum Collectores exiſtimant S. Gerardum Leucorum Epiſcopum in hac Synodo à S. Leone in ſanctorum numerum relatum: ſed Sigebertum, à quo id acceperunt, deceptum eſſe conſtat ex Vviberto diſertis verbis aſſerente, eam canonizationem peractam in Synodo, quam Romæ celebravit, poſt primum ſuum ex Germania reditum, ideoque anno 1050, ut ſuperius oſtendimus. Rectè tamen Baronius, qui ad eandem Synodum anno 1050 num. 3 egerat de controverſia inter Gradenſem, & Forojulienſem Antiſtites, obſervat in hac tantùm quarta Synodo eam definitam eſſe. Id hauſerat Baronius ex Andrea Dandulo, qui in Chronico ait, in Synodo anni 1050 Sanctum Leonem Dominico Patriarchæ Veneto pallium conceſſiſſe, & Epiſcopis

Vuu Vene-

SÆC. XI. S. LEO IX.

Venetiæ provinciæ, & Iſtriæ ſcripſiſſe, ut huic tanquam primati ſuo obedirent. Verùm Annotator Baronii probat hæc facta eſſe in Synodo Romana anni 1053; ut manifeſtè liquet ex Epiſtola ad Epiſcopos Venetiæ & Iſtriæ, quæ ſecunda eſt inter Epiſtolas Sancti Leonis, in qua inquit: *Noverit veſtra chariſſima nobis in Chriſto fraternitas hac in præſenti indictione ſexta* (quæ in curſu fuit uſque ad Kalendas Septembris anni 1053) *chariſſimum confratrem noſtrum Dominicum Gradenſem, imò novæ Aquilejæ Patriarcham, ad Synodum noſtram Romæ habitam veniſſe, & querimoniam de ſua & Forojulienſi Eccleſia, quam credimus vos non ignorare, lacbrymaliter coram feciſſe. Cujus tandem relectis privilegiis à Sancta Romana & Apoſtolica Sede ſibi conceſſis, judicio totius Sanctæ Synodi hoc definitum fuit: Ut nova Aquileja totius Venetiæ, & Iſtriæ caput & metropolis perpetuò haberetur, ſecundùm quod evidentiſſimè prædeceſſorum noſtrorum adſtruebant privilegia. Forojulienſis verò Antiſtes tantummodò finibus Longobardorum eſſet contentus*, &c. *Unde monendo mandamus, & præcipimus vobis ex parte Dei, & noſtra, ut præfato Gradenſi Patriarchæ, ſucceſſoribuſque ejus in omnibus ſecundùm jura canonica obedientes ſitis, ſicut Primati veſtro, & Patriarchæ eſſe debetis, & ſicut anteceſſoribus ejus noſtri perpetuò confirmarunt.*

XLII. *In ea decidit litem inter Forojulienſem, & Gradenſem Patriarchas.*

Sed, ut hæc clariora evadant, hic obſervandum, quod jam diximus in Pelagio II, ſub ejus nempè Pontificatu, Metropolitanam ſedem ex urbe Aquilejenſi Gradum tranſlatam fuiſſe, hancque urbem totius Venetiæ, Iſtriæque Metropolim ab eodem Pelagio dictam. Obſervandum inſuper Aquilejenſem Patriarcham, dictum quoque fuiſſe Forojulienſem, quia aliquandò Forojuli reſedit, & poſt tranſlationem metropolitanæ Sedis Gradum, Gradenſem Antiſtitem, dictum etiam fuiſſe novæ Aquilejæ Patriarcham, ut ex prædictis Leonis IX literis patet. Nam Sancti Gregorii Magni tempore, defuncto Severo Patriarcha Aquilejenſi ſchiſmatico, Aquilejenſis diœceſis in duos Patriarchas diſtracta fuit, in Aquilejenſem nempè, & Gradenſem; & Metropolita Aquilejenſis antiqua juriſdictione mulctatus eſt, tumque Gradus dicta, *Nova Aquileja*, ut Leander in Epiſcopis Forojulenſibus, variis teſtimoniis oſtendit. Cùm autem inter utrumque Patriarcham, quædam diſſidia exorta fuiſſent, diviſionem illam S. Leo Papa in hac Synodo Romana confirmavit. Sed inde non ſequitur, ut credidit Baronius, tunc *plenè tranſlatum fuiſſe* Patriarchatum Gradenſem *in Venetum, qui hactenus titulo Gradenſis ſedis potitus erat*. Nam, ut ſuo loco dicetur, Patriarchalis Eccleſiæ Gradenſis dignitas anno tantùm milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo in urbem Venetiarum tranſlata eſt à Nicolao Papa hujus nominis quinto. Hoc autem tempore Venetiis proprius nondum erat Epiſcopus, ſed circa annum ſeptingenteſimum ſeptuageſimum ſeptimum, ut docet Juſtinianus lib. 12 Hiſtoriæ Venetæ, conſtituta fuit *Epiſcopalis Sedes in inſula Caſtellana, quæ Olivolus appellabatur, unde & Epiſcopo, Caſtellani ſemper nomen manſit*. At Nicolaus V Epiſcopum Olivolenſem, ſeu Caſtellenſem primum Patriarcham Venetum renunciavit. Quæ omnia ex Hiſtoricis Venetis, aliiſque eruit Annotator Baronii. De nomine *Patriarchæ*, Aquilejenſi Epiſcopo primitùs conceſſo, lege Petrum de Marca in Diſſert. *de Primatibus* num. 20 & ſeqq.

XLIII. *In eadem Fermentaceorum hæreſim damnat.*

Godefridus Henſchenius in Commentario prævio ad Vitam Sancti Leonis num. 23 veroſimiliter arbitratur hanc Synodum collectam propter hæreſim Fermentaceorum hoc tempore exortam, & à Michaele Cerulario Patriarcha Conſtantinopolitano, ac Leone Achridano Epiſcopo ſcriptis aſſertam, quæ latinam Eccleſiam in azymis vivificum ſacrificium Deo offerentem ſugillabat, verumque ſacrificium eſſe negabat, niſi ex pane fermentato offerretur. Cùm enim Leo Papa libellum luculentiſſimum adversùs hanc hæreſim compoſuiſſet, ejuſque fautores ad viam veritatis adducere non poſſet, eos eccleſiaſtico anathemate damnavit, & Legatos Conſtantinopolim miſit, Humbertum Cardinalem, tunc Sylvæ Candidæ Epiſcopum, Petrum Amalphitanum Archiepiſcopum, & Fredericum Diaconum & Cancellarium, poſtea ſub Stephani IX nomine Papam. Hæc conſtant ex Vviberto in ejuſdem S. Leonis Vita lib. 2 cap. 9, ubi geſta annis 1053, & 1054, Latinos inter & Græcos his verbis narrat: *Ea tempeſtate orta eſt hæreſis Fermentaceorum, quæ calumniatur Sanctam Romanam Sedem, imò omnem Latinam, & Occidentalem Eccleſiam de azymis vivificum Deo offerre ſacrificium. Quam calumniam etiam ſcripto ediderunt Epiſcopi Michael Conſtantinopolitanus & Leo Achridanus* [erat Achris, ſeu Achrida Metropolis tunc Serviæ, & Bulgariæ] *pervicaciter exhalantes peſtiferas mephites adverſus Sanctam, & Apoſtolicam fidem. Hæc quidem calumnia Græco ſermone edita, & Joanni Tranenſi Epiſcopo* (in Apulia, qui cum Græcis colludens, anno 1059, à Nicolao II depoſitus eſt) *in ſugillationem omnium Latinorum directa, cùm fuiſſet Trani exhibita Humberto Sanctæ Eccleſiæ Sylvâ Candidæ Epiſcopo, in Latinum eſt tranſlata ejus ſtudio; atque delata Domno Papæ Leoni nono. Itaque glorioſus Apoſtolicus libellum compoſuit luculentiſſimum adverſus jam dictas præſumptiones,*

&

Digitized by Google

 & nimias vanitates eorum, conatus eos ad viam veritatis adducere: ſed poſtmodum incorrectos Eccleſiaſtico damnavit anathemate, quod videtur factum in hac Synodo, cùm menſe Januario anni 1054 ad Conſtantinum Monomachum Imperatorem Legatos miſerit Sanctus Leo ad cauſam Eccleſiæ tuendam.

XLIV. *Legatos Cpolim mittit.* Wibertus enim poſtquam dixit Humbertum ſcripſiſſe *Apocriſariatûs ſui tempore* reſponſionem inſtar Dialogi contra eorum putida ſcripta, ſubdit: *Domnus quoque Fredericus tunc Cancellarius, poſt à Deo electus Romanæ Sedis Apoſtolicus, invectivè reſpondit quibuſdam objectionibus, quas ediderat Niceta Monachus Conſtantinopolitanus, qui & Pectoratus, contra Latinam Eccleſiam, quem libellum titulaverat de Azymo, de Sabbato, & de Nuptiis Sacerdotum. Quæ invectiva de Latino tranſlata, & publicè coram ipſo Imperatore eſt recitata, idemque Niceta coactus eſt damnare & confutare ſua ſcripta, habita diſputatione apud Monaſterium Studii in urbe Conſtantinopolitana. Siquidem glorioſus Apoſtolicus direxerat Conſtantinopolim Sanctæ Romanæ Sedis Apocriſarios, præfatum ſcilicet Humbertum, & Petrum Amalphitanum Archiepiſcopum, Fredericum quoque tunc Diaconum & Cancellarium. A quibus Niceta accipiens perfectam propoſitionum ſuarum ſolutionem, iterum ſponte anathemazavit omnia dicta & facta vel tentata adverſus primam & Apoſtolicam Sedem, ſicque ab eis in communionem receptus, effectus eſt eorum familiaris amicus. Michaele autem Conſtantinopolitano Epiſcopo præſentiam illorum, & colloquium devitante, atque in ſtultitia ſua perſeverante, præfati Nuncii Domni Apoſtolici adierunt Eccleſiam Sanctæ Sophiæ, & ſuper ejus obſtinatione conqueſti, Clero ex more ad Miſſas præparato, jam hora tertia die ſabbati chartam excommunicationis ſuper principale Altare depoſuerunt, ſub oculis præſentis cleri & populi. Inde mox egreſſi, etiam pulverem pedum ſuorum excuſſêre in teſtimonium illis, juxta dictum Evangelii, proclamantes: Videat Deus & judicet. Hinc ordinatis Eccleſiis Latinorum intra ipſam Conſtantinopolim, & anathematizatis cunctis, qui deinceps communicarent ex manu Græci Romanum ſacrificium vituperantis, accepta orthodoxi Imperatoris licentia, in oſculo pacis cum donis Imperialibus Sancto Petro, ſibique collatis, alacres ſunt reverſi*. Sed hæc legatio pertinet ad annum 1054, quo datæ ſunt literæ Sancti Leonis ad Michaelem Cerularium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, *menſe Januario, indictione ſeptima*, quæ eo anno in curſu fuit uſque ad Kalendas Septembris.

XLV. *Contra Normannos exercitum movet.* Abſoluta poſt Paſcha anni 1053 Romana Synodo, Sanctus Leo contra Normannos exercitum movit, ut jam dictum eſt ex Hermanno Contracto. Quod confirmat Marianus Scotus ad eundem annum ſcribens: *Leo Papa exercitum ducens per Apuliam contra Normannos, infinita utrobique cæde peracta; ſine victoria rediit*. Eundem annum ſignant Lambertus Schafnaburgenſis, & Chronographus Hildenſheimenſis. Errat itaque Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 88, qui prælium anno milleſimo quinquageſimo tertio, die decima octava menſis Junii Pontificios inter & Normannos habitum, rejicit in annum milleſimum quinquageſimum quartum, quo, die decima octava Junii jam mortuus erat Sanctus Leo, qui victus à Normannis, victoribus leges dedit, & religione mitigavit, quos armis domare non poterat. Sanctiſſimo enim Pontifici ad nutum obtemperarunt, cæſorum ſepelivêre corpora, & ſuper eorum tumulos Baſilicam opere magnificam erexerunt: cæſi enim à Normannis, martyres ſunt habiti, & miraculis claruêre. Quæ partim ex ipſius Sancti Leonis Epiſtola ad Conſtantinum Monomachum, Græcorum Imperatorem, partim ex Wiberto in ejuſdem S. Leonis Vita conſtant.

Illa ſollicitudine, inquit Sanctus Leo in dicta Epiſtola, *qua omnibus Eccleſiis debeo vigilare, videns indiſciplinatam & alienam gentem Normannorum, crudeli & inaudita rabie, & pluſquam pagana impietate adverſus Eccleſiam inſurgere, paſſim Chriſtianos trucidare, & nonnullos novis terribilibuſque tormentis, uſque ad defectionem animæ affligere: nec infanti aut ſeni, ſeu fœmineæ fragilitati aliquo humanitatis reſpectu parcere; nec inter ſanctum & profanum aliquam diſtantiam habere, Sanctorum Baſilicas ſpoliare, incendere & ad ſolum uſque diruere; ſæpiſſimè perverſitatem ejus redargui, commonui, obſecravi, prædicavi, opportunè importunèque inſtiti, terrorem divinæ & humanæ vindictæ denuntiavi. Sed quia, ſicut quidam Sapiens ait, Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit, & Stultus verbis non corrigitur, adeo obſtinata & obdurata ejus malitia permanſit, ut de die in diem adderet pejora peſſimis. Unde non tantùm exteriora bona pro liberatione ovium Chriſti cupiens impendere, ſed ſuperimpendi ipſe peroptans, viſum eſt mihi ad teſtimonium nequitię ipſorum nihil ſic expedire ad repreſſionem contumaciæ, quàm humanam defenſionem undecumque attrahendam fore: audiens ab Apoſtolo, Principes non ſine cauſa gladium portare, ſed miniſtros Dei eſſe, vindices in ira omni operanti malum; & quia Principes non ſunt timore boni operis ſed mali, & Reges atque Principes miſſos à Deo ad vindictam malefactorum*. Hanc quidem expeditionem in Leone Papa reprehendit Petrus Damiani in Epiſtola ad Firmium Epi-

XLVI. *Eorum ſcelera Imperatori Græcorum ſcribit.*

Epiſcopum, aſſerens non ſic egiſſe Gregorium Magnum: verùm multis argumentis hanc Petri Damiani ſententiam refellit Baronius ad annum 1053 num. 13, & ſeqq.

XLVII. *Ejus comitatus à Normannis cæditur.*

Suffultus ergo comitatu, ſubdit S. Leo, *qualem temporis brevitas, & imminens neceſſitas permiſit, glorioſi ducis & magiſtri Argyrii fideliſſimi tui colloquium & conſilium expetendum cenſui, non ut cujuſque Normannorum, ſeu aliquorum hominum interitum optarem, aut mortem tractarem, ſed ut ſaltem humano terrore reſipiſcerent, qui divina judicia minimè formidant. Intereà nobis eorum pertinaciam ſalutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex adverſo omnem ſubjectionem fictè pollicentibus, repentino impetu comitatum noſtrum aggrediuntur: ſed & adhuc de victoria ſua potius triſtantur, quàm lætantur. Sicut enim tua pietas ſcribere curavit ad noſtram conſolationem pro iſta ſua præſumptione majorem in proximo expectant ſibi ſuperventuram indignationem, poſt illam quam experti ſunt ſuæ catervæ diminutionem. Nos quoque divinum adjutorium affore & humanum non defore confidentes, ab hac noſtra intentione liberandæ Chriſtianitatis non deficiemus, nec dabimus requiem temporibus noſtris, niſi cum requie Sanctæ Eccleſiæ periclitantis. Ad quam acquirendam & obtinendam habemus maximum ex divina pietate ſolatium & præſidium, chariſſimum atque clariſſimum filium noſtrum Imperatorem Henricum, cujus de die in diem expectamus promiſſum & proximum adventum, utpote cum procinctu & expeditione Imperiali properantis ad noſtrum ſubſidium.* Reliquum Epiſtolæ legi poteſt apud Baronium ad annum 1054.

XLVIII. *S. Leo per medios hoſtes illæſus tranſit, & occiſorum funera curat.*

Wibertus in Vita S. Leonis lib. 2 cap. 10, recitata parte illius Epiſtolæ, caput undecimum ſic exorditur: *Itaque peſſima gens Normannorum peracta cæde familiæ mitiſſimi Papæ, non ſine magno detrimento ſuorum aggreditur oppidum Civitatulam cognominatum, ubi idem Beatus, ignarus eorum quæ acta erant, tardantem ſuum exſpectabat comitatum. Qui cùm imminentes hoſtes cerneret, & quid ſuis contigiſſet intelligeret, cum ea, quæ ſibi remanſerat, Clericorum frequentia, cœptum iter verſus Beneventum arripuit, & cunctis hoſtibus attonitis, quaſi Leo confidens abſque terrore per medium illorum tranſiit. Ergo tam admirandam perpendentes confidentiam, mutatis animis, in ejus ſunt converſi obſequelam: cujus oſculantes veſtigia, ſibi immeritam depoſcebant indulgentiam. Quibus vir Sanctus pauca locutus pro tempore, ipſis deſervientibus ſtuduit funera cæſorum honorificè procurari, tumulans ea in vicina Eccleſia ab antiquo diruta tempore. Et quoniam pro fide Chriſti afflictæque gentis liberatione devotam mortem voluerunt ſubire, multiplicibus revelationibus monſtravit eos divina gratia in cœleſti regno perenniter gaudere. Nam & ipſi diverſis modis ſeſe oſtenderunt Chriſtifidelibus, dicentes ſe non eſſe lugendos exequiis funebribus, imò in ſuperna gloria Sanctis conjunctos Martyribus. Ab eiſdem quoque illorum interfectoribus ſuper ipſos reſtructa venuſto opere Baſilica, ac concione Deo ſervientium ibidem aggregata, omni potentiſſima Dei virtus multa per eos exercet miraculorum inſignia. Ferociſſima verò gens Normannorum his exterrita geſtis, crudelitate depoſita populos, quibus cohabitabat, ex tunc ut compatriotas amicabilius tractavit; ac venerabili Papæ, quoad vixit, in omni ſubjectione fideliter deſervivit. Eximius autem Paſtor Beneventum veniens, ipſis Normannis etiam injuſſis per totum iter obſequaliter illum comitantibus, non modico illic anni ſpatio eſt commoratus*, ad diem ſcilicet duodecimum menſis Martii, anni milleſimi quinquageſimi quarti, quo, ex infra dicendis, Romam repedavit.

XLIX. *Carthaginenſis Epiſcopi Primatum in Africam confirmat.*

Dum Beneventi moraretur, eodem anno milleſimo quinquageſimo tertio, menſe Decembri dedit Epiſtolam ordine 3 in Conciliorum Collectione ad Thomam Epiſcopum Africanum, *XVI Kalendas Januarii, anno Domini Leonis Papæ IX quinto Indictione* 7, cum Kalendis Septembris anni 1053 inchoata, quâ confirmat Carthaginenſis Epiſcopi primatum in univerſam Africam. Tunc Eccleſia Africana paulatim in finem vergebat; Sanctus enim Leo in Epiſtola ordine IV ad Petrum, & Joannem illarum partium Epiſcopos eodem tempore data ſcribit: *Decus Eccleſiarum Africanarum ita conculcatum à gentibus nimiùm dolemus, ut modò vix quinque inveniantur Epiſcopi, ubi olim ducenti quinque ſolebant per Concilia plenaria computari: & ibi pauculas oves quotidianæ occiſioni deputatas, remanſiſſe, ubi quondam innumerabilis grex Domini ſub numeroſis arietibus exultabat alta pace.* Licèt autem ad exiguum illum numerum Eccleſia Africana redacta eſſet, Gummitanus tamen Epiſcopus, ſine conſenſu Metropolitani Carthaginenſis, Epiſcopos ordinare, & Concilia provincialia indicere præſumebat. Huic obſiſtebant Petrus & Joannes Epiſcopi mox memorati; qui cùm hac de re ad Sanctum Leonem ſcripſiſſent, reſcripſit Sanctus Pontifex, oſtenditque Carthaginenſem Epiſcopum totius Africæ eſſe Primatem: Gummitanum verò Epiſcopum, ſine illius conſenſu, nec Epiſcopos ordinare, nec provinciale Concilium convocare poſſe: ſolius autem Romani Pontificis eſſe & Epiſcopos deponere, & generalia Concilia indicere. *Quia ſine dubio*, inquit in Epiſtola IV, *poſt Romanum Pontificem primus Archiepiſcopus, & totius Africæ Maximus Metropolita-*

ta-

Digitized by Google

tanus eſt Cartaginenſis Epiſcopus, nec pro aliquo Epiſcopo in tota Africa poteſt perdere privilegium ſemel ſuſceptum à Sancta Romana & Apoſtolica Sede, ſed obtinebit illud uſque in finem ſæculi &c. Et infrà: *Sed hoc vos non lateat non debere, præter reverentiam Romani Pontificis, univerſale Concilium celebrari, aut Epiſcopos damnari vel deponi: quia etſi licet examinare, diffinitivam tamen ſententiam abſque conſultu Romani Pontificis, ut dictum eſt, non licet dare. Quod in ſanctis canonibus ſtatutum, ſi quæritis, poteſtis invenire. Scilicet quia omnium Eccleſiarum majores & difficiliores cauſæ, per ſanctam & principalem Beati Petri Sedem à ſucceſſoribus ejus ſunt definiendæ.* Religionem poſtea Chriſtianam ſub Eugenio III penitus in Africa defeciſſe oſtendit Annotator Baronii anno 1149 num. 8, & ſeq.

L. *Item confirmat electionem Antiocheni Epiſc.*

Ad idem tempus, quo S. Leo Beneventi morabatur, refert Baronius legationem, quam accepit à Petro Antiocheno Patriarcha, qui more Majorum, ſimul ac creatus eſt Patriarcha, expetens Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ communionem, Epiſtolam miſit ad Leonem cum profeſſione fidei; quâ receptâ & approbatâ, ejus electionem confirmavit Leo, qui in Epiſtola ordine 5 ad eum, abſque ullo temporis charactere data, inquit: *Noveris tamen nos ipſam tuam promotionem taliter approbare, ſi non neophytus, aut curialis, aut bigamus, vel pretio, aut alio quolibet modo ſacris canonibus contrario, quod abſit, obtinuiſti. Sanè fidem tuam quam proprio ſcripto ſummæ & Apoſtolicæ Sedi expoſuiſti, ſanam & Catholicam atque orthodoxam per omnia proteſtamur, & ſicut verè unicam & ſalutarem amplectimur, & tuæ dilectioni vehementer congratulantes in Domino, eamdem noſtram eſſe devoto corde & prompto ore profitemur.* Porrò hoc tempore non ſolùm Antiochena Eccleſia, ſed & Alexandrina atque Jeroſolymitana retinebant communionem Eccleſiæ Romanæ, nomenque Romani Pontificis ex Diptychis de more in Eccleſia recitabant, quod infenſo animo tulit Michael Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui anno 1054, poſt diſceſſum Legatorum Leonis Papæ, de quibus ſupra egimus, Papæ nomen è Diptychis delevit, & datis mendaciorum & calumniarum plenis literis ad alios Patriarchas, eos à communione Romanæ Eccleſiæ divellere conatus eſt. Petrus autem Antiochenus reſcripſit, & multas illius objectiones tanquam leves, futileſque redarguit, ita tamen ut in aliquibus etiam Latinos carpat. Quid alii duo egerint, prorſus incompertum. Sed præcipua diſcordiæ cauſa, fuit azimorum ritus in divinis myſteriis, quaſi illis contra divinam inſtitutionem Eccleſia Romana uteretur, & in eo judaizaret. Sed eos, ex dictis, ſolidè refellit Humbertus Cardinalis.

LI. *Romam redit.*

Leonem Papam Beneventi moratum eſſe uſque ad diem duodecimum menſis Martii anni milleſimi quinquageſimi quarti, ſcribit Leo Oſtienſis lib. 2 c. 88 *Leo Papa,* inquit, *manſit Beneventi uſque ad menſis Martii duodecimum diem, ibique infirmatus, vocato prædicto Comite Hunfrido* Normanno, *ab eo Capuam uſque deductus eſt. Ibi duodecim dies remoratus, accerſito tandem Abbate noſtro ſui itineris ſocio, Romam rediit.* Hermannus Contractus eum, *Paſchali inſtante tempore Romam* ægrotum reverſum eſſe ait: Wibertus in ejus Vita lib. 2 cap. 14, poſtquam ſcripſit, eum Beneventi in morbum incidiſſe, ſubdit: *Interea evoluto anni orbe inſtabat ejus ordinationis dies anniverſarius* (ſcilicet dies 12 menſis Februarii) *in quo ſolito devotiùs quotannis Chriſto piis inſiſtebat precibus. Quamvis itaque languoris invaleſcens moleſtia, fatigati divinis operibus corporis jam debilitaret præcordia: Spiritu Sancto tamen roboratus, à quo totus vitæ ejus dirigebatur curſus, cum Apoſtolicæ dignitatis honore, eo die Miſſarum ſolemnia perſolvens, Beneventanos cum quibus tunc morabatur, gratificæ affabilitatis exhilaravit lætitia. Et hoc fuit ultimum in divinis Sacramentis obſequium, quaſi vivificis vale dicens myſteriis, quibus ſemper ſe præbuerat dignum. Certificatus autem de ſuæ vocationis termino, Romam ſe ferri fecit lecticæ vehiculo. In quo itinere ſic eum conciliavit divinitas non ſolùm ſuis, verùm etiam his qui nuper fuerant inimici, ut copioſa manus Normannorum, quos ſupra retulimus diu cum hoc viro habuiſſe diſſidium, totius animi ſinceriſſima devotione ſe invicem præveniren ad ejus obſequium.* Leo itaque, qui die duodecima Martii Benevento egreſſus eſt, Capuam venit, ibique diebus duodecim moratus, Romam perrexit, & ad eam urbem appulit inſtante Paſchali ſolemnitate, quæ anno milleſimo quinquageſimo quarto concurrebat cum die tertia menſis Aprilis.

LII. *Sanctus moritur.*

Aliquantulum ergo commoratus, ſubdit Wibertus, *in Lateranenſi palatio, præſtolabatur, quid de ſe ſtatueret interni Judicis clementiſſima diſpoſitio.* Cùmque divina revelatione didiciſſet, ſe mori debere *in loci Beati Petri vicinis oratorio,* lectica denuo ſubvectus, oratorium Beati Petri eſt ingreſſus. Dein delatus in vicinam Epiſcopii domum, viſitatus eſt frequentia fidelium: *Quorum pia conſideratio perpendens non diutius eum retinendum carnis ergaſtulo, decrevit, ut quoniam plures Epiſcoporum, Abbatum, ceterorumque fidelium confluxerant turbæ, eis præſentibus inungeretur ſacri olei liquore. Super quo facto exhilaratus uſque qua-*

quaque, munituſque Dominici Corporis, & Sanguinis communione, precibuſque ad Deum directis, ſpiritum cœlo reddidit. *Exemptus eſt autem hic vir magnificus ab hujus vitæ laboribus, ætate quinquagenarius, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quinquageſimo quarto, Leucorum Epiſcopatûs vigeſimo octavo, Apoſtolatûs autem ſexto. Siquidem Romæ ſedit annis quinque, adjectis duobus menſibus, & novem diebus;* ſed loco, *novem diebus*, legendum, *ſeptem diebus*. Nam Auctor Anonymus Hiſtoriæ *mortis & miraculorum ejus*, teſtis oculatus, ab Henſchenio, ad diem 19 Aprilis, & à Mabillonio Sec. 6 Benedict. parte 2 cum Vita S. Leonis publicatus, diem mortis ejus ſic narrat: *Anno milleſimo quinquageſimo quarto Domini noſtri Jeſu Chriſti, indictione 7, decimo tertio Kalendas Majas depoſitione exultemus B. Patris noſtri Leonis Papæ IX.*

LIII. *Annos Sedis ab inthronizatione numeravit.*

Cùm itaque ſanctus hic Pontifex ordinatus, ſeu benedictus ſit Papa die ſecunda menſis Februarii anni milleſimi quadrageſimi noni, & duodecima ejuſdem menſis inthronizatus, ſedit annos quinque, menſes duos, & dies ſeptem, à die duodecima Februarii, ad diem decimam nonam Aprilis, qua obiit, computandos; ideoque hic Auctor, & forſan ipſe ſanctus Leo, non à die conſecrationis, ut hactenus factum fuerat, ſed à die inthronizationis annos numeravit, cujus rei ante Leonem IX nullum exemplum occurrit. Ex proximioribus autem ejus ſucceſſoribus aliqui hunc morem imitati ſunt, alii verò ab ipſo electionis ſuæ die tempora ſua dinumerarunt, quæ numerandi ratio ſæculi duodecimi initio prævaluit. Ceterum Vvibertum ſcripſiſſe *dies ſeptem*, non *dies novem*, quatuor ex Catalogis Criticæ Baronianæ Tomo primo præfixis demonſtrant, & hac de re dies inthronizationis ſancti Leonis nos dubitare non patitur, à qua etiam enumeratione excluditur dies ejus mortis, nempè dies 19 Aprilis.

LIV. *Annos Incarnationis in ſuis reſcriptis adhibuit.*

Leonem IX ſtatim ab ipſo Pontificatûs ſui exordio, annos Incarnationis, non tamen ſemper uſurpaſſe, obſervavit Mabillonius lib. 2 de Re Diplomatica cap. 25, quem ritum, qui poſt Leonem ſedére, Victor II, Stephanus IX, Nicolaus II, Gregorius VII, Alexander II, & Victor III etiam ſervarunt, licèt non ſemper, ut ex eorum reſcriptis liquet. Ex quibus rectè infert idem Mabillonius, annos Incarnationis literis Pontificum appoſitos fuiſſe longè ante Eugenium IV, qui ſæculo XV vixit. Eugenius tamen primus fuit, qui uſum illum antea intermiſſum, non ſolùm in integrum reſtituit, ſed etiam ad ſucceſſores tranſmiſit, qui non aliquando, ut antea aliqui Pontifices Romani, verùm ferè ſemper in ſuis reſcriptis eam notam temporariam adhibuere. Quare omni ex parte verum non eſt quod ſcribit Paulus Foroſempronienſis initio ſæculi XVI lib. 13 ſuæ Paulinæ cap. 6, ubi ait: *à paucis anteactis annis, præſidente Eugenio IV, adhortante Blondo Forojulienſi, Pontificii Collegii à Secretis Notario, in bullis atque reſcriptis Pontificalibus, annorum à Chriſti Incarnatione ſupputatio ſcribi primùm cœpit, etſi longioris temporis tractu in cereis Paſchalibus annotata.* Quare Ciaconius hac Pauli Foroſempronienſis auctoritate motus, in Iſagoge ſui operis, immeritò ſuſpectas fecit interpolationis omnes ante Eugenium bullas annis Incarnationis notatas.

LV. *Ejus ſanctitas, & corporis translatio.*

Quod ſpectat ad miracula à ſancto Leone IX edita, præter illa, quæ à nobis ſuperius ſunt recenſita, & alia quædam à Vviberto relata, illud plurium Scriptorum auctoritate fulcitur, leproſum quendam ad fores jacentem, in lecto ſibi Pontificali more præparato, propriis ſublatum humeris collocaſſe, quem deinde requiſitum, cùm non inveniſſet, oſtiis licèt omnibus obſeratis, agnovit ſe Chriſtum ſub hac forma ſuſcepiſſe. Ejus ſanctitas eximia fuit. Pſalterium ſingulis diebus recitabat, miſſæque ſacrificium offerebat. Quandiu Romæ verſatus eſt, tribus per hebdomadam diebus, à Lateranenſi Eccleſia ad templum S. Petri, privato habitu, nudiſque pedibus, cum duobus aut tribus Clericis, pſallendo & orando pergebat. Humi cubabat cilicio ad carnem indutus. Quamvis eſſet eruditiſsimus, ſacra ſtudia jugiter colebat, nec Græcam linguam addiſcere, propè quinquagenarius dedignatus eſt, ut Scripturam ſacram Græcè legere ac intelligere poſſet, teſte Vviberto in ejus Vita. Multis poſt obitum miraculis clarus, ſacris Eccleſiæ Faſtis adſcriptus eſt. Sacrum ejus corpus primò juxta ſepulchrum ſancti Gregorii Papæ in Eccleſia Sancti Petri conditum, deinde propter miracula ſub proprio altari, Pauli quinti Pontificis Maximi anno primo die 18 Januarii, anno 1606 in novum templum proceſsionali pompa delatum ſub ara ritu ſolemni collocavit Evangeliſta Palliotus Cardinalis Cuſentinus, ut refert Aringhus lib. 2 Romæ Subterraneæ cap. 8.

VICTOR

Digitized by Google

 SÆC. XI. VICTOR II.

VICTOR II *Pontif. CLIII.*

Anno Domini MLV.

I. *Legatio Romanorum ad poſtulandum Gebehardum pro Pontifice Rom.*

POſt ſancti Leonis IX mortem, quæ, ut dictum eſt, contigit die decima nona Aprilis anni milleſimi quinquageſimi quarti, ſedes vacua remanſit uſque ad diem decimum tertium Aprilis anni ſequentis milleſimi quinquageſimi quinti, quo Gebehardus Epiſcopus Aiſtetenſis, Henrici II Imperatoris Conſiliarius intimus, &, ut aliqui volunt, proximus conſanguineus, Romæ coronatus eſt in die Cœnæ Domini. *Defuncto ſanctæ memoriæ Papa Leone*, inquit Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 90, *Hildebrandus tunc Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus, ad Imperatorem à Romanis tranſmiſſus eſt, ut, quoniam in Romana Eccleſia perſona ad tantum officium idonea reperiri non poterat, de partibus illis, quem tamen ipſe vice Cleri populique Romani in Pontificem elegiſſet, adduceret. Quod cùm Imperator fuiſſet aſſenſus, & Gebehardum Aiſtetenſem Epiſcopum Hildebrandus, ex induſtria & conſilio Romanorum, expetiſſet, triſtis ſuper hoc valde Imperator effectus eſt: nimis enim illum carum habebat. Et cùm eundem ſibi omnimodis neceſſarium Imperator aſſereret, & alium atque alium huic officio magis idoneum indicaret: Hildebrando tamen, ut alterum reciperet, perſuaderi nullatenus potuit. Erat enim idem Epiſcopus, ſuper id, quòd prudentia multa callebat, poſt Imperatorem potentior ac ditior cunctis in regno.*

II. *Gebehardus fit PP. & Victor II dicitur.*

Hunc ergo Hildebrandus, invito licèt Imperatore, invito etiam eodem ipſo Epiſcopo (propter quod utique poſtea dictus eſt Monachos non amaſſe) Romam ſecum adduxit; eique Victoris nomen imponens, Romanum Papam, cunctorum aſſenſu conſtituit, cùm jam fermè à tranſitu Papæ Leonis annus elaberetur. Continuator Hermanni Contracti dicit Gebehardum *in Cœna Domini*, quæ anno 1055 concurrebat cum die 13 menſis Aprilis, Romanum Pontificem ordinatum, ſeu coronatum; ſed quod ſcribit, eum Moguntiæ ab Epiſcopis electum, directè adverſatur Leoni Oſtienſi laudato, ex cujus narratione conſtat ejus electionem factam fuiſſe ab Hildebrando *ex induſtria, & conſilio Romanorum*, ad quos Romani Pontificis electio ſemper ſpectavit; unde Imperator ita ægrè conſenſum ſuum præbuit, ut Leo Oſtienſis aſſerat, Gebehardum ductum eſſe Romam *invito Imperatore*; & hæc ſine dubio cauſa fuit tam diuturni interpontificii, cujus partem, in Tuſculanos Comites pro Teophylacti, ſeu Benedicti IX reſtitutione ſatagentes, liberamque electionem Romæ faciendam impellentes, referendam, immeritò putat Papebrochius, cùm ex Leone Oſtienſi pateat, Gebehardi electionem, vel à Romanis, vel ab Hildebrando *ex eorum induſtria & conſilio* peractam eſse, ideoque liberam & canonicam fuiſse.

III. *Florentiæ Synodum celebrat.*

Victor Pontifex paulò poſt ſuam inaugurationem Florentiam venit, ibique, præſente Henrico Imperatore Synodum celebravit; Continuator enim Hermanni Contracti, qui annum à die Natali Chriſti auſpicatur, annum 1055 ita exorditur: *Imperator Natalem Domini Goſlare celebravit, ac deinde expeditionem in Italiam paravit, & diem ſanctæ Paſchæ Mantuæ egit, diem autem Pentecoſtes Florentiæ: ibique coram eo à domino Papa generali Synodo habita, multa correcta ſunt.* Conſtitutum in ea Synodo fuiſse decretum de bonis Eccleſiæ non alienandis teſtatur Petrus Damiani in Epiſtola ad Dominum U. Epiſcopum, quæ eſt XII libri 4. In ea pariter damnatum fuiſſe Berengarium Hæreſiarcham eruitur ex Lanfranco, qui aſserit Victorem in omnibus quæ celebravit Conciliis, vel celebranda curavit, cuncta à prædeceſsore conſtituta confirmaſse, præcipuè quæ circa damnationem hæreſeos Berengarii per ipſum geſta fuerant; ait enim: *Quæ ſententia Leonis Papæ non effugit ſucceſſorem quoque ſuum felicis memoriæ Papam Victorem. Sed quidquid de hac re ſeu de ceteris ipſe ſtatuit, ſtatuive præcepit, hoc etiam iſte ſuâ atque omnium Conciliorum ſuorum auctoritate firmavit.*

IV. *Hildebrandum in Gallias Legatum à Latere mittit.*

Eodem tempore Victor Papa Hildebrandum, tunc Subdiaconum tantùm, non verò Archidiaconum, Legatum in Gallias miſit ad corrigendos pravos Eccleſiæ Gallicanæ uſus, qui Lugduni eodem anno milleſimo quinquageſimo quinto Concilium congregavit, in quo, teſte Petro Damiani in Epiſtola ad Nicolaum Papam, Hildebrandus *cùm adhuc Subdiaconatûs fungeretur officio à Victore Papa Apocriſiarius in Gallias deſtinatus Synodum congregavit, in qua videlicet ſex Epiſcopos diverſis criminibus involutos ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate depoſuit. Inter quos quidam erat Epiſcopus, qui quoniam per ſimoniacam hæreſim ad Epiſcopatûs culmen irrepſerat, Spiritum ſanctum verbis exprimere, quibuſcumque tentaret auſibus, non valebat. Et quidem Patrem & Filium expeditè ſatis ac facilè proferebat: ad Spiritum verò ſanctum cùm perveniſſet,* mox

Digitized by Google

mox lingua balbutiens tandem rigida manebat. Meritò quidem Spiritum ſanctum dum emit, amiſit: ut qui excluſus erat ab anima, procul etiam conſequenter eſſet à lingua. Hac igitur difficultate convictus Epiſcopale renunciavit officium. Eandem Hiſtoriam recitant Deſiderius Abbas Caſſinenſis, Willelmus Malmesburienſis lib. 3 de Geſtis Regum Anglorum ex relatione ſancti Hugonis Abbatis Cluniacenſis, & antiqua Pontificum Romanorum geſta à Nicolao Aragonio congeſta, quæ deſcripſit Baronius, in quibus legitur Concilium illud Lugduni celebratum.

V. *Berengarium in Turonenſi Synodo damnari curat.*

Chronica Vindocinenſe & Malleacenſe à Labbeo in Bibliotheca publicata, Concilium Turonenſe ab eodem Hildebrando Legato, Victoris Papæ juſſu congregatum cum eodem anno milleſimo quinquageſimo quinto conjungunt. In eo Berengarius iterùm damnatus, ut diſertè legitur in Auctore Anonymo Chiffletiano in Opuſculo *de multiplici Berengarii damnatione* anno 1088 compoſito, qui poſt relata in Leone IX verba, ſubdit: *Victor quoque Papa, & in Sede, & in auctoritate ſucceſſor ſancti Leonis Papæ, miſſo legato in Gallias, venerabili, inquam, Hildebrando tunc Archidiacono* (legendum tunc Subdiacono) *ſed noſtri temporis Apoſtolico, generalem Synodum Turonis congregavit, in qua ipſe Beringerus accepta optione defendendi ſe, cùm ſe penitus defendere non poſſet, ſub jurejurando propriam hereſim anathematizavit, & communem ſanctę Eccleſiæ fidem de veritate Corporis, & Sanguinis Domini ſe deinceps ſervaturum ſub eodem juramento promiſit; licèt poſtea ad eandem hæreſim redierit.* Hujus Concilii & damnationis Berengarii meminére Malmesburienſis lib. 3 de geſtis Reg. Angl. pag. 113, Guitmundus Averſanus Archiepiſcopus lib. 3 de Sacramentis, & Lanfrancus agens contra Berengarium his verbis: *Denique in Concilio Turonenſi, cui ipſius Victoris interfuére Legati, data eſt tibi optio defendendi partem tuam. Quam cùm defendendam ſuſcipere non auderes, confeſſus coram omnibus communem Eccleſię fidem, juraſti te ab illa hora ita crediturum, ſicut in Romano Concilio te juraſſe eſt ſuperius comprehenſum.*

VI. *Caſtellæ Regem cohibet ne ſibi Imperatoris nomen uſurpet.*

Ad Concilium illud Turonenſe Henricus Imperator ſuos Legatos miſit, per quos conqueſtus eſt, quòd Ferdinandus Magnus Caſtellæ & Legionis Rex detrectaret Romano Imperatori parere, ſibique contra jura moremque majorum Imperatoris nomen arrogaret. Petebat itaque Ferdinandum excommunicatione percelli, univerſamque Hiſpaniam ſibi ſubjectam interdicto ſubjici, ſi monitus à cœptis non deſiſteret. Petitionem Imperatoris juſtam eſse Patres Concilii unà cum Victore Pontifice judicarunt: ideoque Legatos quoſdam deputarunt, qui ad Ferdinandum profecti, intimarunt ei, quòd, ſi decreto Pontificis & Concilii non obtemperaret, excommunicationis & interdicti ſententias metuere deberet. Potiori parti viſum fuit Romano Pontifici obediendum, adeoque & nomine Imperatoris & rebellione abſtinendum eſse. Huic ſententiæ Rex Ferdinandus acquieſcens, reſpondit Legatis ſe effecturum quod Sedes Apoſtolica præcepiſſet. Hæc ex Joanne Mariana, aliiſve Hiſpanicarum rerum Scriptoribus Baronius anno 1055 num. 23, & ſeqq.

VII. *A ſummo periculo duplici miraculo eripitur.*

Studium ſeverioris diſciplinæ & decretorum Leonis IX obſervantia hoſtes nonnullos fecit Victori Papæ; unde Lambertus Schafnaburgenſis anno primo ejus Pontificatûs, refert eum horrendam planè proditionem paſſum eſſe. Quidam enim Subdiaconus venenum in ſacro calice ipſi propinavit, à quo periculo, duplici miraculo ereptus eſt: Victori, inquit Lambertus, *Subdiaconus toxicum in calicem miſit, quem cùm ipſe poſt conſecrationem levare vellet, nec poſſet, à Domino cauſam facti inquiſiturus, cum populo ad orationem proſternitur, ſtatimque toxicator à Dæmone arripitur. Ita igitur cauſâ manifeſtatâ, dominus Papa calicem cum Sanguine Dominico cuidam Altari juſſit includi, & pro reliquiis in perpetuum conſervari: deinde iterum cum populo tamdiù ad orationem proſternitur, quouſque Subdiaconus à dæmonio liberatur.* Idem prorſus refert Urſpergenſis Abbas, & alii poſt eos. Hæc & alia adverſa patientiſſimè tulit Victor Pontifex, illaque ſibi à Deo immitti exiſtimavit, quia Leoni deceſſori ſuo moleſtiam creaverat, auxiliares avertendo copias, quæ ipſi contra Normannos ab Henrico Imperatore deſtinatæ erant: *Meritò*, inquiebat Victor, hæc pàtior, *quia peccavi in Dominum meum. Dignum eſt, ut quod fecit Saulus, patiatur Paulus: quod egit Lupus, ſuſtineat agnus*, ut refert Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi lib. 2 cap. 91.

VIII. *In Germaniam pergit.*

Anno ſequenti milleſimo quinquageſimo ſexto Victor II Pontifex ab Henrico II Imperatore evocatus, autumnali tempore in Germaniam perrexit. Id diſertè teſtatur Continuator Hermanni Contracti. Henricus Imperator, inquit, *de Italia per Bajoariam rediens*, Natalem Domini anni 1055 apud Turregum celebravit, & *Domino Apoſtolico ad ſe tempore autumnali invitato, cùm in Saxonia* moraretur, morbo ingraveſcente infirmatus obiit, præſente Victore Papa, qui juxta Mariànum Scotum præſens etiam fuit ejus ſepulturæ: *III Nonas Octobris*, inquit, *hanc vitam præſentem finivit* Henricus Imperator, *ſepultuſque Spiræ Papa præſente*, cui Henricus moriturus filium ſuum adhuc puerum commen-

Digitized by Google

mendavit. Quare Pontifex neceſſarium eſſe judicans, ut perduelles imperii, qui regnum inteſtinis bellis graviter inquietare potuiſſent, cum Rege conciliarentur, generalem Synodum Coloniæ celebrandam indixit, in qua, inquit Sigebertus, *Balduinus & Godefridus, mediante Papa Victore, ad gratiam Regis & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus ſedantur*. Antea autem Henricus, filius Henrici Imperatoris defuncti regnum Germaniæ obtinuerat, ut ſcribit Paulus Betnriedenſis in Vita Gregorii VII Papæ c. 60. *Tertio Henrico mortuo, quartus ille Henricus Rex, permittente Romano Pontifice Victore, qui tunc morienti præſens erat, hæreditario jure nimiùm puer ſucceſſit*. Porrò quo ſenſu Germaniæ regnum hæreditarium fuerit, dicetur in Gregorio VII.

IX. *Legatos mittit pro celebranda Toloſa Synodo.* Eodem anno milleſimo quinquageſimo ſexto Victor Papa ad funditus extirpandam ſimoniacam hæreſim, & reparandum Sanctæ Eccleſiæ ſtatum, Vicarios vice ſua direxit Rambaldum Arelatenſem, & Pontium Aquenſem, Archiepiſcopos; qui adjuncto ſibi Wilfrido Narbonenſi Archiepiſcopo, aliiſque Coëpiſcopis ceterarum urbium, Sancti Petri auctoritate & juſſione prænominati Papæ, Concilium Toloſæ Idibus Septembris celebrarunt, in quo tredecim capitulis pro Eccleſiæ diſciplina conſtitutis, eadem Eccleſiaſtica diſciplina ſancita eſt. Ea capitula extant Tomo IX Concil. pag. 1084. Huic Concilio ſubſcripsêre, præter duos Victoris Papæ Legatos, & Narbonenſem Archiepiſcopum, Epiſcopi quatuordecim.

X. *In Italiam redit.* Antequam è Germania diſcederet Pontifex, Natale Domini ejuſdem anni milleſimi quinquageſimi ſexti cum Henrico novo Rege Ratiſponæ celebravit, ut teſtatur Lambertus Schafnaburgenſis, qui ſubdit, eum *exinde compoſitis mediocriter, prout tunc copia erat, regni negotiis, in Italiam* regreſſum eſſe. Baronius, quo auctore me latet, ſcribit, Victorem Papam Romam perveniſſe initio Quadrageſimæ anni milleſimi quinquageſimi ſeptimi. Sed Marianus Scotus teſtatur tantùm, eum ex Germania redeuntem Romam veniſſe, & Lambertus Schafnaburgenſis eum in Italiam regreſſum, quinto Kalendas Auguſti migraſſe ad Dominum. Sed quidquid ſit de tempore, quo Romam adventavit, certum eſt Victorem die decima octava menſis Aprilis Romæ fuiſſe, ubi eo die Concilium celebraſſe aſſerit Stephanus IX ejus ſucceſſor in Epiſtola ad Pandulphum Marſicanum Epiſcopum, de qua infra. Sed eum Romà exiiſſe oportet non poſt multos dies, & in Tuſciam petiiſſe, ubi obiit.

XI. *Moritur in Tuſcia.* Nam Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 96, poſtquam dixit Fridericum poſtea Pontificem ſub nomine Stephani IX, electum eſſe Abbatem monaſterii Caſſinenſis, ſubdit: *Poſt decem igitur dies paratis omnibus itineri neceſſariis, ſecum octo fratribus ſumptis una cum Epiſcopo Humberto conſecrationis gratia Pontificem in Tuſciam adiit*: Et poſt pauca: *Sabbato itaque jejunii menſis Junii* Fridericus Abbas *Cardinalis tituli Sancti Chryſogoni ordinatus, in Nativitate demum Sancti Joannis Abbas conſecratus eſt, atque uſque ad Sancti Apollinaris feſtum* (ideſt uſque ad diem 23 Julii) *cum Apoſtolico ipſo remoratus*. Tum idem Leo Oſtienſis cap. 97. *Cùmque petita remeandi licentia Romam veniſſet, Dominicâ ſequenti apud Sanctum Petrum miſſam ſolemniter celebrans, magna Romanorum ſtipatus multitudine, ad titulum ſuum de more Cardinalium cum laude perductus eſt. Inde ad Pallariam, ubi hoſpitabatur, eadem frequentia officii deductus eſt. Ubi cùm uſque ad quintam feriam comparandorum ornamentorum causâ ſubſtitiſſet, paratiſque omnibus Urbe egredi pararet, repente Bonifacius Albanenſis Epiſcopus ex Tuſcia veniens Romani Pontificis obitum nunciavit*. Ex quibus patet Victorem Papam diu in Tuſcia ſubſtitiſſe, ibique animam Deo reddidiſſe, unde meritò inferri poteſt, eum ex Germania redeuntem Romæ non multo tempore manſiſſe. Illud ſaltem certò conſtat, Victorem in Tuſcia mortuum circa finem menſis Julii anni milleſimi quinquageſimi ſeptimi; cùmque ejus mors ex Lamberto Schafnaburgenſi, die 28 Julii contigerit, eum ſediſſe annos duos, menſes tres, & dies quindecim, vel ſexdecim, ſi numeremus à die, quo conſecratus vel coronatus eſt Pontifex, à die nempe 13 menſis Aprilis anni 1055; ſed cùm nullibi reperiatur eum ſupra annos & menſes ſediſſe dies 15 vel 16; imò in tribus ex Catalogis Baronianæ Criticæ præfixis, legatur eum ſediſſe dies tantùm 13, conjicere licet Victorem annos ſuos numeraſſe, Leonis deceſſoris exemplo, à ſua inthronizatione, quæ facta fuerit die decima ſexta menſis Aprilis anni 1055. Inthronizationem enim & conſecrationem diverſis diebus, & in diverſis Eccleſiis factas, diximus in Nicolao primo, & confirmabitur in Stephano IX, Victoris II immediato ſucceſſore. Hæc aliquo modo juvare videntur opinionem Baronii exiſtimantis, Victorem II defunctum & ſepultum Florentiæ; nam quod eam in rem affert ex Leone Oſtienſi lib. 3 cap. 8 Chronici Caſſinenſis, ejus opinioni non ſuffragatur, cùm ibi loquatur Leo de Stephano IX Victoris II ſucceſſore, non verò de ipſo Victore, cujus nullum monumentum invenitur Florentiæ, memoria apud Scriptores nulla.

Digitized by Google

STEPHANUS IX, aliis X *Pontif. CLIV.*

Anno Domini MLVII.

I. *Stephanus IX eligitur Pontifex.* MOrtuo in Tuſcia, die 28 Julii anni 1057, Victore II, Romana Sedes vacavit uſque ad diem ſecundum menſis Auguſti, quo Junianus Fredericus, natione Lotharingus, Gozelonis Ducis Lotharingiæ filius, antea à S. Leone IX Romanæ Eccleſiæ Cancellarius creatus, & Legatus Conſtantinopolim miſſus, ut in ejus Pontificatu vidimus, ac noviſſimè à Victore II ex Abbate monaſterii Caſſinenſis Cardinalis tituli Sancti Chryſogoni renunciatus, uno conſilio & voluntate concordi, electus eſt in Romanum Pontificem, & vocatus Stephanus IX, quia eo die Sancti Stephani Papæ memoria celebrabatur. Hæc conſtant ex Leone Oſtienſi, qui narrata Victoris Papæ morte, cap. 98 lib. 2 ſcribit: *Hoc conſternatus nuntio* Fredericus, *ſubſtitit*, (Româ enim egredi parabat, ut jam dixerat Leo) *& ita demum frequentari à Romanis tam Clericis, quàm Laicis cœpit. Reliquum itaque diei ejus, & nox integra cum ſequenti die in hujuſmodi peracta conſiliis, rogatus quid facto opus eſſet, vel quem eligere ad tantum Pontificatum deberent: quinque illis perſonas, quæ digniores in iſtis partibus eſſent, propoſuit, ut ex his, quem vellent, eligerent; nempe Humbertum Sanctæ Rufinæ* (ſive Sylvæ Candidæ) *Epiſcopum, Epiſcopum Velitrenſem, Peruſinum, Tuſculanum, & Hildebrandum Eccleſiæ Romanæ Subdiaconum. Sed cùm Romani neminem ex iis ſibi idoneum videri dicerent, eique hunc apicem largiri ſe velle aſſererent: De me, inquit ille, non poteſtis agere, niſi quod permiſerit Deus: & abſque illius nutu iſtud mihi nec dare, nec auferre poteſtis. Fuère tamen, qui Hildebrandum adhuc apud Tuſciam, ubi fuerat cum Papa morantem opportunè expectandum dicerent: ceteri moras nullas nectendas eſſe judicantes, uno conſilio & voluntate concordi ſummo mane ad Abbatem* (Fredericum) *conveniunt, eumque per vim Pallaria eductum eligendum ad Baſilicam Sancti Petri, quæ ad Vincula dicitur, pertrahunt: ubi electione celebrata, Stephanum eum* [*quoniam Sancti Stephani Papæ celebritas ipſo die agebatur*] *appellaruut.*

II. *Inthronizatur, & conſecratur.* Stephanus itaque hujus nominis IX electus eſt die ſecunda menſis Auguſti, eodemque die inthronizatus in Baſilica Lateranenſi, ut moris fuiſſe ſuperius in Nicolao primo & alibi diximus. Subdit enim Leo Oſtienſis: *Sicque lætante Roma ſummis cum laudibus ad Lateranenſe Patriarchium illum deducunt*, ſcilicet ut inthronizaretur. *Die verò altera illuceſcente, Cardinalibus omnibus ſimul cum Clero, populoque Romano ad eum concurrentibus apud Beati Petri Baſilicam, ingenti lætitia omnium ſummus univerſiſque Pontifex conſecratur*; conſecratio enim, ut locis laudatis oſtenſum eſt, fiebat ſemper in Eccleſia Sancti Petri, & ut plurimùm poſt inthronizationem, quæ in Eccleſia Lateranenſi præceſſerat, licèt in hoc conſtans ordo non fuerit. Ceterum hic Stephanus non decimus, ſed nonus dicendus, ut ex dictis liquet, & revera ipſemet in ſuis reſcriptis Stephanum IX ſe appellavit.

Stephanus initio menſis Auguſti Pontifex renunciatus, & *quatuor menſibus Romæ moratus, crebris Synodis Clerum Urbis populumque conveniens, maximèque pro conjugiis Clericorum, & Sacerdotum, conſanguinearumque copulationibus tollendis inſiſtens, tandem in feſtivitate Sancti Andreæ ad monaſterium* Caſſinenſe *cum pleriſque Romanis reverſus, uſque ad feſtivitatem Sanctæ Scholaſticæ moratus*; hoc eſt uſque ad decimum Februarii, inquit Leo Oſtienſis laudatus. Caſſini exiſtens *gravi paulò poſt languore detentus, ad extrema ferè perductus eſt*, ut ſcribit idem Leo lib. 3 cap. 8. *Accerſitis itaque Senioribus monaſterii, ut quem vellent, Abbatem eligerent, mandat.* Cùmque communi conſenſu omnium ſuffragia in Deſiderium ejuſdem monaſterii Monachum conſpiraſſent, Pontifex hanc electionem valde probavit, eamque ſua auctoritate confirmavit. Hic eſt ille Deſiderius, qui poſtea à Nicolao Papa II Cardinalis creatus, poſtmodum Pontifex Maximus dictus eſt, Victorque III appellatus. At ita electionem ſucceſſoris Abbatis Caſſinenſis Pontifex voluit celebrari, non quidem, ut tunc ipſi viventi Pontifici Abbas electus ſuccederet, ſed poſt obitum ſuum: voluit enim vivens eſſe ſicut Pontifex, ita Caſſinenſis Abbas, exemplum prædeceſſoris ſecutus, qui cùm eſſet Epiſcopus Aiſtettenſis, ipſo vivente neminem voluit ordinari ejus Eccleſiæ Epiſcopum ſucceſſorem. III. *Ad Caſſinenſe monaſterium pergit.*

Dum Caſſini eſſet Stephanus Papa, menſe Decembri ejuſdem anni milleſimi quinquageſimi ſeptimi, Marſorum Epiſcopatum in duas partes diviſum, in priſtinum ſtatum reſtituit, ut liquet ex ejus Epiſtola Tomo IX Conciliorum recitata, & ad Pandulphum Marſicanum Epiſcopum data, in cujus fine legitur: Scriptum per manum...... *Notarii & Scriniarii Sanctæ Ro-* IV. *Marſicanum Epiſcopatum in priſtinum ſtatum reſtituit.*

Digitized by Google

mana Apoſtolicæ Sedis in menſe Decemb. indict. 11. Datum in caſtro Caſino V Idus Decembris per manus Humberti Sanctæ Eccleſiæ Silvæ Candidæ Epiſcopi, & Bibliothecarii Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedis, anno primo Domini Papæ Stephani IX, indictione 11, à Kalendis Septembris inchoata. Ea in Epiſtola inquit Pontifex: *Unam Marſicanam Eccleſiam inteſtino & diuturno malo, & pluſquam civili diſcordia ſecularium hominum miſerabiliter diſciſſam, & in duos Epiſcopatus à Theophylacto dicto Papa* (Benedicto hujus nominis IX) *diviſam, & poſtea permiſſu magis, quàm conſenſu, neceſſitate, quàm utilitate à ſanctiſſimo prædeceſſore noſtro Leone, ſicut inventa fuit, & omiſſam; eamdemque ſub beatæ memoriæ deceſſore noſtro Victore judicio generalis Concilii, per divinam gratiam in gremio Baſilicæ Conſtantinianæ aggregatam* (legendum aggregati) *quarto decimo Kalendas Maji, Indictione decima, & diviſionem illam unius diœceſeos in duas partes evacuatam & abdicatam, atque in antiquam ſui ſtatus unionem reformatam, & in perpetuum ipſam, ſicut juſtum fuit, diœceſim unam uni Epiſcopo decretam....... per hujus noſtri privilegii decretalem paginam deinceps tibi..... & ſucceſſoribus tuis in perpetuum concedimus, & ſecundùm quod tibi Synodaliter, ſicut ſuperius dictum fuit, judicatum eſt, firmum Marſicanum Epiſcopatum, cum omni ſua integritate & pertinentia...... ad Epiſcopalem Sedem largimur, atque decernimus*, &c. Marſorum porrò urbs, quæ erat ſub Samnitibus, ubi nunc pars Aprutii ulterioris, juxta lacum Fucinum, jamdiu everſa fuit. Romani hujus Concilii ſub Victore II, nulla alibi quàm in dicta Epiſtola mentio reperitur.

V. *Concilium Novariæ cogi jubet.*

Sedente Stephano IX magnum in Urbe Mediolanenſi exortum eſt ſchiſma inter Guidonem Archiepiſcopum Mediolanenſem, & Clerum ex una parte, & inter Sanctos Arialdum Clericum Mediolanenſem, Herlembaldum unum ex viris primariis ejuſdem civitatis, ac eorum fautores ex alia; prioribus Sacerdotes incontinentes & ſimoniacos defendentibus; aliis verò eis adverſantibus. Illud ſchiſma anno 1057 exortum eſſe, teſtatur Arnulphus Mediolanenſis Hiſtoricus, qui lib. 4 cap. 7, poſtquam dixit, Herlembaldum pro Sacerdotum caſtitate pugnantem anno milleſimo ſeptuageſimo ſexto occiſum fuiſſe, ait; *Hic jam apparet ſchiſmatis hujuſce terminus, decem novemque annos ſemper ab ipſa radice pullulando protenſi*. Quòd ſi ab anno 1076 per annos decem & novem retrocedas, pervenies ad annum 1057, quo ideo ſchiſma illud inchoatum. Arialdo ſe adjunxit Landulphus Cotta cognominatus, unus ex præcipuis Cleri Mediolanenſis, & Nazarius laicus, qui ſtatim ad conjugium Clericorum deteſtandum plures adduxêre. Clerus adverſus Arialdum irritatus, ſæpe adverſus eum conſpiravit, & de eo queſtus eſt non tantùm apud Epiſcopos provinciæ, ſed etiam apud Stephanum Papam, qui Guidoni Archiepiſcopo Mediolanenſi, ſimoniaco quidem, ſed qui parum de Sacerdotum conjugiis curabat, mandavit, ut Concilium provinciale cogeret. Guido illud Novatæ congregavit, ſed Arialdus & Landulphus Cotta ei intereſſe noluêre. *Factus eſt Synodalis conventus per Guidonem Archiepiſcopum Novariæ, ubi cùm triduo prædictis vacarent negotiis, placuit pluribus Landulphum & Arialdum abſentes excommunicandos; factumque eſt*, inquit Landulphus Junior cap. 8 apud Puricellum lib. 3 de SS. Arialdo & Herlembaldo. Verùm hæc excommunicatio à Stephano Papa, Romæ, quò accuſati profecti fuerant, irritata eſt, & annullata. Romæ tamen non pauci, & cum illis Dionyſius Cardinalis in Arialdum acerbiùs invehebantur, quod eidem primo aditu nocuit; ſed non diu poſt Pontificis animum ſibi reconciliavit, & Mediolanum à Nicolao II Stephani ſucceſſore Legati miſſi, ut ſuo loco dicetur.

VI. *B. Petrum Damiani Oſtienſem Epiſcopum creat.*

Manſit Pontifex in monaſterio Caſſinenſi, ut ex Leone Oſtienſi mox viſum eſt, uſque ad diem decimum menſis Februarii anni milleſimi quinquageſimi octavi, indeque Romam rediit, ubi ſabbato quatuor Temporum menſis Martii, Petrum Damianum Monachum Congregationis ſanctæ Crucis Avellanæ, invitum licèt, & renitentem Epiſcopum Oſtienſem & Cardinalem creavit. Petrus *ad ſuſcipiendam Epiſcopalem cathedram, tam ab Epiſcopis ceteris, Eccleſiaſticis viris, quàm ab ipſo quoque Summo Pontifice compellitur. Qui porrò cernentes nil prorſus ſuis cohortationibus, nil precibus proficere, jam ei cœperunt excommunicationis ſententiam, ſi obſtinatè reſiſtere ultra decerneret, intentare*, inquit S. Joannes Laudenſis ejuſdem Petri Damiani diſcipulus in ejus Vita cap. 6, qui addit, eum ex obedientia factum eſſe Epiſcopum Oſtienſem, qui primus erat Cardinalium Epiſcoporum. Leo etiam Oſtienſis lib. 2 cap. 101 abſtractum ab eremo Petrum teſtatur, & ipſemet in Epiſtola ad Nicolaum Papam de dimittendo Epiſcopatu, vim ſe paſſum queritur, & vim inferentem ipſum Stephanum Romanum Pontificem, ſuum appellat perſecutorem. Hanc Petri Damiani promotionem anno 1058 factam obſervavit Henſchenius ad diem 23 Februarii in Commentario prævio ad ejus vitam num. 24. Auguſtinus enim Fortunius Monachus Camaldulenſis in Vita Petri Damiani ſæculo XVI ſcripta, ait, *Stephanum Pont. Max. Oſtienſem illi copulaviſſe Eccleſiam, ſacri-*

que collegii decanum feciſſe anno 1058, *initio* Quadrageſimæ, *menſe Martio*, *ſabbato quatuor Temporum*, & Ciaconius aſſerit eo die primam Cardinalium creationem contigiſſe ſub Stephano, & cum B. Petro Damiano ſex alios factos eſſe Cardinales.

VII. *Legationem Cpolim decernit.*

Legationem decrevit Conſtantinopolim Stephanus Papa, ut Eccleſiæ Græcæ cum Latina unionem procuraret. De hac legatione meminit Leo Oſtienſis lib. 3 cap. 8, ubi agit de Deſiderio deſignato Abbate Caſſinenſi, quem ad hoc munus obeundum elegerat Pontifex, eique duos adjunxerat collegas, Stephanum nempè Cardinalem, & Mainardum Sylvæ Candidæ poſtea Epiſcopum. Sed eos Legatos in via poſitos, auditâ Stephani Papæ morte, antequam navem conſcenderent, à cœpto itinere deſiſtentes, reverſos eſſe ad propria teſtatur ibidem Leo Oſtienſis.

VIII. *Normannos ex Italia pellere cogitat.*

Statim ac è monaſterio Caſſinenſi redux Romam pervenit Stephanus Pontifex, Præpoſito ejuſdem monaſterii mandavit, ut omnem ejus Eccleſiæ theſaurum in auro duntaxat atque argento, feſtinanter ſibi, & quàm poſſet occultiùs ferret, multa plura his huic monaſterio brevî daturum ſpondens. Decreverat enim Godefridum Lotharingię Ducem fratrem ſuum apud Tuſciam in colloquium evocare, eum, ut ferebatur, Imperatorem coronare, ejuſque auxilio Normannos ſibi inviſos ex Italia pellere. Sed inſpirante & terrente Numine ab eo theſauro abſtinuit, quin etiam monaſterium Caſſinenſe magnificis muneribus donavit, quæ recenſet idem Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 100, & 103. Iſta ſecundùm hominem cogitaſſe Stephanum IX, zelum habentem, ut S. Leo, ſed non fuiſſe ſecundùm divinum conſilium, obſervavit Baronius anno 1058 num. 2: *Quia Deus, ut exitus declaravit, Normannos illic voluit ſedes figere pro Eccleſiæ Romanæ ſubſidio adversùs Schiſmaticos Principes.*

IX. *Decretum edit de electione Summi Pontificis.*

Eodem tempore Hildebrandum Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconum Stephanus Papa miſit ad Agnetem Auguſtam, Henrici IV Germaniæ Regis matrem, pro negotiis Eccleſiæ, & communi conſilio ſtatuit, ut ſi ante ejus reditum Sedes Apoſtolica per ſuum obitum vacaret, ſuſpenderetur Pontificis electio uſque ad reditum Hildebrandi è ſua legatione. Hæc conſtant ex Leone Oſtienſi, qui lib. 2 cap. 101 ſcribit: *Poſt hæc congregatis intra Eccleſiam Epiſcopis, & Clero populoque Romano, ſub diſtricta nimis inhibitione conſtituit, ut ſi, antequam Hildebrandus Romanæ tunc Eccleſiæ Subdiaconus ab Imperatrice, ad quam pro quibuſdam Reipublicæ negotiis communi conſilio mittebatur, rediret, ſe mori contingeret, nullus omnino Papam eligere auderet, ſed uſque ad illius reditum Sedes Apoſtolica intacta vacaret, ejus demum ordinanda conſilio.* Ex quo inferre licet Stephanum mortis quandam præſenſionem habuiſse, non multò enim poſtea obiit.

X. *S. Joannem Gualbertum ad ſe vocat.*

Hoc edito decreto Stephanus profectus eſt Florentiam, tuncque acciderunt, quæ in Actis ſancti Joannis Gualberti ſic ſcripta leguntur: *Quo in monaſterio*, ſcilicet Vallis Umbroſæ, *cùm reſideret* S. Joannes, *& Stephanus Romanus Pontifex per vicina loca iter haberet, audita celebri fama ipſius ſancti Joannis Gualberti, nuncios ad eum miſit, viros honoratos, orans, ut ipſius conſpectui ſe præſtare non gravaretur; ſed cùm adverſa valetudo non fineret eum ad Sanctitatem illius proficiſci, Pontifex denuò nuncios miſit .... juſſitque, ut ſi aliter venire non poſſet, in lectica ſe adduci pateretur.* Surgens itaque ſanctus Joannes è lecto, cùm paululum è monaſterio diſceſſiſſet; mox ingens extitit aëris tempeſtas. Quod Legati cernentes, & non ſine miraculo fieri credentes, ſanctum virum in monaſterium reduci mandant, remque Pontifici referunt, *qui deinceps noluit eum ad ſe acciri, ut in ſua quiete permanens, pro felici Eccleſiæ ſtatu Dominum oraret.*

XI. *Stephani IX obitus, & ſanctitas.*

Stephanum Pontificem non multò poſt Florentiæ in Tuſcia obiiſſe, ſcribit Leo Oſtienſis laudatus: *Inde*, nempè Româ, *in Tuſciam properans, non multò poſt morbo depreſſus, Florentiæ obiit IV Kalend. Aprilis, ibique digno honore ſepultus.* Quomodo autem Pontifice Florentiæ ægrotante, illi contigit reddere ſpiritum, præſente ſancto Hugone Abbate Cluniacenſi, & à pravo dæmone eum defendente, in ejuſdem S. Hugonis Actis apud Surium ad diem 19 Aprilis ſic deſcribitur: *Stephano Papa apud Florentiam decumbente, dum Hugo eum viſitaturus accederet, eumque ſanctis conſolationibus & oratione relevaret: Dæmon, qui morituro manifeſtus advenerat, territus exiit; Sanctoque à Papa recedente, iterum rediit. Qua de cauſa ſæpius ad ſe patrem Papa revocavit: ſæpiuſque dæmonem revocatus abegit, ſicut ipſe Pontifex præſentibus revelavit. Qui poſtmodum Sancti ſe precibus commendans, in ejus manibus ſpiritum Deo reddidit, ſancta confeſſione præmunitus*, & quidem die 29 Martii, ut Leo Oſtienſis affirmat, qui poſtea addit: *Ad ejus ſacrum corpus, intervenientibus meritis plurima ſigna Chriſtus oſtendit.* Sepulchrum ejus miraculis illuſtratum fuiſſe tradit etiam Lambertus Schafnaburgenſis: *Piæ memoriæ Stephanus Papa*, inquit ad annum 1058, *qui & Fridericus, cùm in civitate Florentiæ moraretur IV Kalendas Aprilis naturæ mortali debitum ſolvit, & verè, ut ſperamus, de hac convalle lacbrymarum ad gaudium tranſiit Angelorum. Indicio ſunt ſigna & prodigia, quibus ſepulchrum ejus in eadem civi-*

Digitized by Google

civitate uſque hodie divinitus illuſtratur. Licèt ejus nomen ad diem 29 Martii in Martyrologio Benedictino;, ac in aliis paſſim ſacris Faſtis celebretur ſub *Sancti*, aut *Beati* titulo, nullo tamen publico cultu memoria ejus in Eccleſia celebratur, nequidem Romæ aut Caſſini, immò nec Florentiæ, ubi mortuus & ſepultus fuit.

XII. *Ejus eruditio.* Stephani IX eruditionem commendat Petrus Diaconus in libro de Viris illuſtribus Caſſinenſibus cap. 17, ubi recenſet ejus Opuſcula his verbis: *Scripſit apud Conſtantinopolim adversùs Michaelem ejus urbis abuſivum Patriarcham, und cum Uberto* (legendum Humberto) *librum de corpore Domini; in quo omnia, quæ Græci adversùs Latinorum ſacrificium delatrabant, deſtruxit. Alium etiam librum de eadem re edidit adversùs quemdam Monachum Conſtantinopolitanum*, ſcilicet Nicetam Pectoratum. De quo libro vide dicta in S. Leone IX num. XLIV.

BENEDICTUS X Antipapa.

Anno Domini MLVIII.

I. *Benedictus X fit Antipapa.* UBi Romæ innotuit Stephanum Papam Florentiæ defunctum, maximæ turbæ exortæ ſunt, quarum cauſa Cardinales inde egredi, & alium quærere locum pro Paſchalis ſolemnitatis celebratione coacti ſunt. Jam enim mortuo Imperatore, cujus reverentiâ atque timore factiones reprimi conſueverant, factioſi nullo habito reſpectu eorum, quæ Stephano IX vivente, ab eo omnibus conſentientibus ſtatuta fuiſſe diximus, invadunt Eccleſiam nocte cum armatorum turbis, & Joannem Velitrenſem Epiſcopum, natione Romanum, Papam conſtituunt, eumque Benedictum appellant. Hæc conſtant ex Leone Oſtienſi lib. 2 cap. 100. Lambertus Schafnaburgenſis, Stephani IX morte narrata, ſubdit: *Sedem Apoſtolicam protinus inconſulto Rege* (ſc. Henrico) *& Principibus invaſit Benedictus quidam Lateranenſis, adjutus factione populorum, quos pecunia corruperat*. Continuator verò Hermanni Contracti hanc in rem ait: *Stephanus Papa obiit. Romani autem accepta pecunia, quendam Joannem contra canones elegerunt, qui ſine conſecratione per aliquot dies ſedens, à Gotbefrido Duce* (Hetruriæ) *expellitur*.

II. *A Presbytero Oſtienſi ordinatur.* Hic Auctor ſcribit Benedictum Antipapam occupaſſe ſedem *ſine conſecratione*, quia, ut ait Petrus Damiani in Epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Ravennatem, à Presbytero quodam Oſtienſis Eccleſiæ conſecratus, ſeu benedictus eſt: *Omnibus*, inquit, *ejuſdem urbis* (ſc. Romæ) *Cardinalibus Epiſcopis reclamantibus, obſiſtentibus, & terribiliter anathematizantibus, nocturno tempore cum armatorum turbis undique tumultuantibus, inthronizatus eſt*. Et infra: *Ut autem & de ipſa ejus promotione lacinioſa* (*ut ajunt*) *verba non protraham, nobis Epiſcopis per diverſa latibula fugientibus: Presbyter Oſtienſis Eccleſiæ, qui utinam ſyllabatim noſſet vel unam paginam ritè percurrere, ut eum ad Apoſtolatûs culmen proveheret, raptus à ſatellitibus ſatanæ, & violenter attractus eſt. Et ecce, ut vos canonicæ ſanctionis decreta non latent, ſi cuncta etiam, quæ ſibi opponi poſſunt, objectionum capitula ſupprimantur: hoc ſolùm tale eſt, ut ex eo ſe nullatenus valeat expedire. Nam ſi Presbyter procul dubio deponendus eſt, quia ſui ſibimet privilegium Pontificis uſurpavit; quo pacto poterit is, qui ordinatus eſt, ſtare, propter quem ſolum ordinator ejus judicatus eſt à ſua dignitate corruere?* Quo ex loco, ut id obiter notem, eruitur hoc tempore Epiſcopum Oſtienſem adhuc fuiſſe conſecratorem Summi Pontificis. Hanc Petri Damiani Epiſtolam ad Alexandrum II & Cadolaum Antipapam perperam retulit Conſtantinus Cajetanus, Operum S. Petri Damiani editor, qui ex ejus ſola lectione manifeſtè refellitur.

III. *Ad laicam tantùm communionem à Nicolao II admittitur.* Sedem Romanam invaſam tenuit Benedictus Antipapa menſes novem, & dies viginti, ut in pleriſque Catalogis legitur; ideoque à die 30 Martii anni milleſimi quinquageſimi octavi, ad diem circiter 18 menſis Januarii anni inſequentis, quo die jam Romæ ſedebat Nicolaus II, poſtquam eodem menſe in Concilio Sutrino Benedictum depoſuiſſet, ut in ejus Vita oſtendemus, & ipſe Benedictus ſedem reliquiſſet, ut teſtantur geſta Romanorum Pontificum à Nicolao Aragonenſi, anno 1352. Cardinali creato, collecta, in quibus ſic legitur: *Prædictus autem Mincius* [ſeu Joannes Veliternenſis Epiſcopus, Benedictus X appellatus] *ubi Nicolaum Papam cum perſonis, quæ apud Sutrium convenerant, in Synodo reſidere cognovit: ſedem, quam invaſerat, conſcientia remordente reliquit, & in domum propriam remeavit*. Poſtea referunt Acta illa adventum Nicolai II Romam, ejuſque inthronizationem, & addunt: *Tranſactis autem paucis diebus, memoratus Mincius ad præſentiam Nicolai Papæ veniam petiturus acceſſit: & ad ejus veſtigia procidens, violentiam ſe fuiſſe perpeſſum aſſerit: ſed inva-*

Digitized by Google

invaſionis crimen & perjurii reatum non negavit. Ex propria igitur confeſſione digna factis recipiens, Epiſcopalis & Sacerdotalis officii depoſitionem incurrere meruit. Leo Oſtienſis lib. 3 cap. 12 de Nicolao Papa ait: *Qui prædictum Romanæ Sedis invaſorem cum ſuis fautoribus omnibus excommunicans; tandem interventu quorundam admiſſum ad communionem apud Eccleſiam Sanctæ Mariæ, quæ Major à Romanis dicitur, Sacerdotali officio privatum manere conſtituit*. Licèt autem Benedictus omni honore Sacerdotali depoſitus fuerit, & ad ſolam laicam communionem admiſſus, quia tamen Benedictus, qui ſæculi XIV initio creatus eſt Pontifex, Benedicti XI nomen ſumpſit, hic Antipapa dicendus fuit Benedictus X, ex quo & intelligimus, ſummoperè hallucinatos viros Eruditos, qui Leonem VIII verum Pontificem credidére, eo quòd Sanctus Leo, non ſe Leonem VIII, ſed Leonem IX appellarit, Iſtum Benedictum Antipapam ſepultum jacere *in terra inter altaria Præſepis, & D. Hieronymi* in eadem ſanctæ Mariæ Majoris Baſilica, teſtatur ex veteri MS. Sirletus Cardinalis apud Paulum de Angelis in ipſius Baſilicæ deſcriptione pag. 157, ut refert Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico. Porrò hujus Antipapæ imperitiam ſugillat Petrus Damiani in laudata Epiſtola; poſtquam enim de Nicolai II Pontificis dotibus locutus eſt, ſubdit: *Ille autem è contra, ſi unum, non dicam pſalmi, ſed vel homiliæ quidem verſiculum plenè mihi valeat exponere, multum adverſus eum ultra non facio, manus do, plantas oſculor, & non jam Apoſtolicum, ſed Apoſtolum, ſi jubetis, appello*.

NICOLAUS II *Pontif. CLV.*

Anno Domini MLVIII.

I. *Gerardus Epiſc. Florentinus eligitur Papa.*

Hildebrandus Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus, quem à Stephano IX ad Agnetem Auguſtam in Germaniam miſſum diximus, hoc eodem anno, milleſimo quinquageſimo octavo rediens in Italiam *Florentiæ ſubſtitit, ſuiſque literis Romanorum Primates conveniens, ubi eorum percepit aſſenſum, annitente Gotbefrido Duce* (Hetruriæ) *Gerardum Florentinum Epiſcopum mox in Romanum Pontificem eligit: atque unà cum ipſo & Duce Romam menſe Januario venit* anno 1059, inquit Leo Oſtienſis lib. 3 cap. 12. Eum enim Romani ab Henrico Rege Pontificem ſibi dari petierant, ut conſtat ex Lamberto Schafnaburgenſi, qui ad annum 1059 ſcribit: *Romani Principes ſatisfactionem ad Regem mittunt, ſe ſcilicet fidem, quam patri dixiſſent, filio quoad poſſent ſervaturos, eoque animo vacanti Romanæ Eccleſiæ Pontificem uſque ad id tempus non ſubrogaſſe, ejus magis ſuper hoc expectare ſententiam, orantque ſedulò, ut quem ipſe velit, tranſmittat, nihil ejus ordinationi obſtare, ſi quis non per legitimæ electionis oſtium, ſed aliunde aſcendiſſet in ovile ovium*, idest Benedicti X intruſionem impedimentum non allaturam ordinationi alterius. *Rex, habitâ cum primoribus deliberatione, Gerardum Florentinum Epiſcopum* (*in quem & Romanorum & Teutonicorum ſtudia conſenſerant*) *Pontificem deſignat, Romamque per Godefridum Marchionem tranſmittit*.

II. *Inthronizatur.*

Gerardus itaque Florentinus Epiſcopus, natione Burgundus, electus eſt Senis, & Pontifex declaratus, ut habent ejuſdem Pontificis Acta collecta à Nicolao Aragonenſi Cardinali, quæ in Vaticana Bibliotheca haberi teſtatur Baronius anno 1058 num. 15, ſed *menſe* tantùm *Januario* anni 1059, ex Leone Oſtienſi laudato, Romam venit, *ubi præfatus electus*, inquit, *à Romano Clero & populo in Sede Apoſtolica locatus, Nicolai ſortitus eſt nomen*. Electio porrò ejus facta eſt die vigeſima octava Decembris anni 1058; inthroinzatio verò poſt diem octavam menſis Januarii anni 1059. Baronius quippe ad annum 1060 num. 4 refert clauſulam privilegii ab eodem Pontifice monaſterio Sanctæ Felicitatis conceſſi, quod dicitur *datum Florentiæ VI Idus Januarii anno ab Incarn. D. N. Jeſu Chriſti 1059 per manum Humberti Sanctæ Eccleſiæ Sylvæ Candidæ Epiſcopi, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarii, anno primo Pontificatûs Domini Papæ Nicolai II, indict.* 13, ideoque anno 1060, quo indictio 13 menſe Januario currebat, quove Florentini annum à die 25 Martii auſpicantes, numerabant adhuc annum 1059, quem Florentinorum ſtylum Nicolaus, quando Florentiæ fuit, adhibuit, ut ſuum eis amorem teſtaretur. Si itaque Nicolaus die octava Januarii anni 1060 adhuc primum ſui Pontificatûs annum numerabat, certè inthronizatus fuerat anno 1059 poſt eundem diem, ſed ante diem decimam octavam ejuſdem menſis, ut mox oſtendetur. Quod ſpectat ad diem electionis, de eo agetur in ejus morte.

III. *Sutrii Concilium celebrat.*

Celebrata itaque in pace electione, ſubdunt Acta à Nicolao Aragonenſi collecta, *ut dictum eſt, Senis, dictus Nicolaus Pontifex cum Archidiacono* (legendum Subdiacono, ſcilicet Hildebrando, de quo ſine du-

Digitized by Google

dubio loquuntur Acta) *& Cardinalibus conſilium habuit, ut pro cauſa jam dicti Veliternſis intruſi, apud Sutrium Synodum celebraret: ad quam non ſolùm Epiſcopos Tuſciæ, & Lombardiæ, ſed & magnum Godefridum & Guibertum Cancellarium convocare deberet, quod abſque dilatione factum eſt.* Referunt poſtea Acta illa Benedictum Antipapam, cùm cognoviſſet Synodum Sutrinam celebrari, ſedem reliquiſſe, ut in ejus pſeudo-Pontificatu diximus. *Quod factum poſtea quàm Nicolaus Pontifex rei veritate cognovit, Concilio cum fratribus habito, ad Urbem unà cum eis non cum potentia, ſed tanquam bonus & humilis Paſtor acceſſit. Unde, auctore Domino, factum eſt, quòd cùm à populo & Clero, digno honore ſuſceptus, juxta conſuetum ordinem à Cardinalibus in Sede Apoſtolica poſitus eſt*, ideſt inthronizatus, & quidem ante diem decimum octavum Januarii anni milleſimi quinquageſimi noni; eo enim die jam Pontificatum gerebat, ut oſtendit privilegium Priori Sancti Andreæ Muſciani monaſterii ab eo conceſſum, quod Ughellus in Appendice Tomi V pag. 1628 recitat, in cujus fine legitur: *Datum XV Kalendas Februarii per manus Humberti Epiſcopi S. E. Sylvæ Candidæ Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarii, anno Domini 1059, Pontificatûs autem Domini Nicolai II, primo, Indict. 12*, quæ menſe Januario anni 1059 incurſu erat. Quare eo anno, die 18 Januarii jam inthronizatus erat.

IV. *Deſiderium Caſſinenſ. Abbatem Cardinalem creat.*

Nicolaus Pontifex inthronizatus, de magnis viris in ſacrum Cardinalium Collegium cooptandis ſollicitus, mandavit Deſiderio, ſub Stephano IX Abbate Caſſinenſi electo, *ut ſibi in Picenum agrum proficiſcenti quamprimùm occurrat, ut proximo menſis Martii jejunio, & Presbyteri gradum & Cardinalis pariter officium ſumat. Dominica igitur Quadrageſimæ paratis omnibus neceſſariis, iter arripiens* Deſiderius, *apud Farſenſe monaſterium Apoſtolico ſe conjunxit, à quo amiciſſimè, honorificèque ſuſceptus, Auximum ſimul cum eo profectus eſt. Ibi ſecundo Quadrageſimæ ſabbato, ideſt, pridie Nonas Martii, Cardinalis Presbyter ab ipſo ordinatus, ſequenti Dominica Abbas quoque conſecratus eſt*, inquit Leo Oſtienſis lib. 3 cap. 14, ubi addit, Nicolaum *per totam Campaniam & Principatum, Apuliam quoque, atque Calabriam vicem ſuam* Deſiderio commiſiſſe, & hunc proximâ Dominicâ mediæ Quadrageſimæ Romæ in Eccleſia Sancti Petri Miſſa ſolemniter celebratâ, *Romanorum innumera turba proſequente, ad titulum Sanctæ Cæciliæ trans Tiberim* deductum eſſe.

V. *Synodum Romæ cogit in qua Berengarius hæreſim tertiò abjurat.*

Hoc eodem anno milleſimo quinquageſimo nono menſe Aprili, Nicolaus Pontifex Romæ in Laterano Concilium celebravit, in quo Berengarius Archidiaconus Andegavenſis, de quo non ſemel locuti ſumus, hæreſim ſuam iterum abjuravit, & cui interfuiſſe Epiſcopos centum tredecim teſtantur Algerus lib. 1 de ſacram. cap. 19, Lanfrancus in Commentario contra Berengarium, & Anonymus Chifletianus in Opuſculo de multiplici Berengarii damnatione, ubi ſcribit: *Nicolaus Papa eidem Beringerio Romę in generali Synodo audientiam conceſſit, cauſamque ejus cum centum tredecim Epiſcopis Synodali judicio ventilavit. Sed ille iterum, cùm ſectam ſuam defendere non valeret, tanquam quaſi correptus libros proprię hæreſeos in conſpectu domni Apoſtolici, & totius Synodi manu propria concremavit: & errore abnegato, Catholicam profeſſionem, quam in Turonenſi Concilio* [anno 1055 habito] *fecerat, ſub jurejurando iterum renovavit, ita pronuncians*: „ Ego Berengarius indignus Diaconus Eccleſiæ Sancti Mauritii Andegavenſis cognoſcens veram & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim præcipuè, de qua hactenus infamatus ſum, quæ aſtruere conatur panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodò ſacramentum, & non verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, nec poſſe ſenſualiter, niſi in ſolo ſacramento, manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Conſentio autem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedi, & ore & corde profiteor de ſacramento Dominicæ menſæ eam fidem me tenere, quam dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc Sancta Synodus auctoritate Evangelica & Apoſtolica tenendum tradidit, mihique formavit: ſcilicet panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm ſacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe: & ſenſualiter, non ſolùm ſacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri: jurans per ſanctam & homouſion Trinitatem, & per hæc ſacroſancta Chriſti Evangelia. Eos verò, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & ſectatoribus ſuis, æterno anathemate dignos eſſe pronuntio. Quòd ſi ego aliquando aliquid contra hæc ſentire, ac prædicare præſumpſero, ſubjaceam canonum ſeveritati. Lecto & perlecto ſponte ſubſcripſi.

VI. *Profeſſionem fidei Berengarii in diverſa regna mittit.*

Et poſt pauca ſubdit Anonymus Chifletianus: *Hanc juratoriam profeſſionem Beringerii domnus Papa Nicolaus ſtatim per diverſa tranſmiſit regna: ut omnes gratias agerent pro ejus converſione, quoniam pridem multum ſcandalizati ſunt de ejus averſione.* Hanc eamdem fidei profeſſionem à Berenga-

gario editam, & à Nicolao Papa per plura regna tranſmiſſam, refert Lanfrancus laudatus: *Tu verò*, inquit, *acquieſcens accepiſti, legiſti, confeſſus es, te ita credere jurejurando confirmaſti, tandem manu propria ſubſcripſiſti. Nicolaus Papa gaudens de converſione tua, jusjurandum tuum ſcriptum miſit per urbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & ad quæcumque loca fama tuæ pravitatis antea potuit pervenire, ut ſicut Eccleſię ſcandalizatæ prius dolebant de te averſo, atque adverſo; ita poſtea gauderent, gratiaſque agerent de te reverſo, atque converſo. Cur ergo ſcriptum hoc magis adſcribis Humberto Epiſcopo, quàm tibi? quàm Nicolao Pontifici? quàm ejus Concilio? quàm denique omnibus Eccleſiis, quæ id cum debita reverentia ſuſceperunt, & pro converſione tua Deo gratias retulerunt.* Tunc enim quando hæc ſcribebat Lanfrancus, Berengarius ad vomitum iterum redierat, & illam fidei confeſſionem non à ſe, ſed ab Humberto Sylvæ Candidæ Epiſcopo ſcriptam dicebat. Quod quidem verum erat, idem enim Lanfrancus Humbertum hujus juramenti auctorem fecerat, ſed hic illam compoſuerat juſſu Nicolai Papæ, à quo id poſtulaverat idem Hæreſiarcha Berengarius. *Poſtulaſti*, inquit Lanfrancus, *Nicolaum Pontificem, ejuſque Concilium, quatenus fidem, quam teneri oporteret, verbis tibi traderet, ſcripturâ firmaret. Injuncta eſt hujus rei cauſa Humberto Epiſcopo. Itaque verba fidei ſuperiùs comprehenſa ſcripſit, recitavit, aſſenſu omnium ad legendum & confitendum tibi tradidit: Tu verò acquieſcens accepiſti*, & cetera mox deſcripta.

VII. *Electionem Romani Pontificis Cardinalibus attribuit.*

In hoc eodem Concilio Romano ad frequentia ſchiſmata præcavenda Nicolaus Papa de Romani Pontificis electione decretum edidit, quo ſtatuit, ut vacante ſede, *Cardinales Epiſcopi diligentiſſimè ſimul conſideratione tractantes, mox ſibi Clericos Cardinales adhibeant, ſicque reliquus Clerus, & populus ad conſenſum novæ electionis accedant.* Paulò poſt: *eligant autem de ipſius Eccleſiæ gremio, ſi repertus fuerit idoneus; & ſi de ipſa non invenitur, ex alia aſſumatur, ſalvo debito honore & reverentia dilecti filii noſtri Henrici, qui impræſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente ſperatur, ſicut jam ipſi conceſſimus, & ſucceſſorum illius, qui ab hac Apoſtolica Sede perſonaliter hoc jus impetraverint.* Hæc Nicolai II Conſtitutio à Chronographo Virdunenſi integra recitatur. Ex hoc tempore, quo Cardinalium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ dignitas longè majori in pretio haberi cœpit, electionem Romani Pontificis ad ſolos Cardinales, nudam verò Electi approbationem ad populum pertinuiſſe, eruit Annotator Baronii ex decreto electionis Gregorii VII his verbis expreſſo: *Nos S. Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Cardinales, Clerici, Accolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, præſentibus venerabilibus Epiſcopis, Abbatibus, Clericis & Monachis, conſentientibus pluri mis turbis utriuſque ſexûs, diverſique ordinis acclamantibus, eligimus nobis in paſtorem & Summum Pontificem* &c. Petrus etiam Damiani Alexandro II Pontifice in lib. 1 Epiſt. 20 ait; electionem Pontificiam *per Epiſcoporum Cardinalium fieri debere principale judicium*, ita ut *ſecundo loco jure prębeat Clerus aſſenſum, tertio popularis favor attollat applauſum; ſicque ſuſpendendam eſſe cauſam uſque dum Regię Celſitudinis conſulatur auctoritas, niſi periculum fortaſſis immineat, quòd rem quantocius accelerare compellat.* Ab hoc tamen jure Clerum Cardinalibus inferiorem, populumque deinde omnino excluſum fuiſſe dicemus in Lucio III.

VIII. *Decretum editum gratiam Henrici Germaniæ Regis.*

Quod attinet ad decretum in favorem Henrici IV Germaniæ Regis emiſſum, à Gratiano diſt. 23 cap. *In nomine* etiam relatum, illud per ſurreptionem obtentum fuiſſe, & Regem Henricum ſe eo indignum reddidiſſe, eruitur ex Anſelmo Lucenſi Epiſcopo lib. 2 contra Wichbertum, ſeu Guibertum Antipapam, & ſequaces ejus; pag. enim 221 inquit: *Sunt item qui objiciunt, Nicolaum juniorem decreto Synodali conſtituiſſe, ut obeunte Apoſtolico Pontifice ſucceſſor eligeretur, & electio ejus Regi notificaretur. Facta verò electione, & ut prædictum eſt, Regi notificata, ita demum Pontifex conſecraretur. Quod ſi admittendum eſt, ut ratione factum dicatur, objicimus ad hoc confutandum, præfatum Regem & Optimates ejus ſe ea conſtitutione indignos feciſſe. Primùm, quia poſtea præfatum Nicolaum, Colonienſem Archiepiſcopum pro ſuis exceſſibus corripuiſſe graviter tulerunt, eumque hujus gratia, quantum in ſe erat, à Papatu depoſuerunt, & nomen ejuſdem in canone conſecrationis nominari vetuerunt, ideoque decretum ejus de jure irritum eſſe debebit.* Et poſt pauca contra illud decretum in medium adducta, ſubdit: *Patet præfatum decretum nullius momenti eſſe, nec unquam aliquid virium habuiſſe. Et hæc dicens non præjudico beatæ memoriæ Papæ Nicolai, nec quidquam ejus honori derogo, Patrum ſententias Dei Spiritu conditas, ſequendo; homo quippe fuit, eique, ut contra fas ageret, ſurripi potuit.* Priora Anſelmi Lucenſis verba refert Baronius ad annum 1059 num. 29 ex Deuſdedit Cardinali, cujus collectio Canonum, ſeu libri 4 de rebus Eccleſiaſticis, Anſelmo etiam Lucenſi à quibuſdam attributi, extant MSS. in Bibliotheca Vaticana. Sed quidquid ſit, mortuo Nicolao II, Alexander II electus & conſecratus eſt, inſciis Imperatrice, & ejus filio Henrico Rege

Digitized by Google

Rege, ideoque, Cadolum Antipapam eligi procurarunt, à quo multa damna Romana Eccleſia perpeſſa eſt, durante ſchiſmate; quare cùm timeretur, ne novum ſchiſma poſt Alexandri II mortem oriretur, Gregorius VII, Alexandro II immediatè ſuccedens, ſuam conſecrationem diſtulit, uſque ad Regis confirmationem, quo mortuo omnes poſtmodum Pontifices ordinati ſunt inſcio Rege Germaniæ, licèt Imperiali corona donato. Hi porrò libri Sancti Anſelmi Lucenſis contra Guibertum Antipapam extant Tomo VI Antiq. Lect. Caniſii. Quomodo Rex & Optimates ejus eo privilegio ſe indignos reddiderint nos docet Auctor diſceptationis inter Regium Advocatum & Romanæ Eccleſiæ Defenſorem, cujus verba in Pontificatu Alexandri II nu. V referemus.

IX. *Simoniacam hæreſim in eodem Concilio damnat.*

In eo Concilio Nicolaus Pontifex ſimoniacam hæreſim damnavit: ſtatuit ſimoniacos ſine miſericordia deponendos, juxta canonum ſanctiones, & SS. Patrum decreta: eos autem, qui à ſimoniacis gratis fuerant ordinati, quorum ingens erat multitudo, in acceptis ordinibus manere permiſit, *non tam cenſurâ juſtitię, quàm intuitu miſericordię*. Cavit nihilominus ne ſucceſſorum aliquis hanc diſpenſationem ſuam in exemplum traheret. Si quis verò deinceps à ſimoniaco ſe conſecrari permitteret, & conſecrator, & conſecratus, privati ſacra dignitate, pœnitentiæ ſubjicerentur. Hæc conſtant ex B. Petro Damiani Opuſculo 30 cap. 1, & ex Actis Synodi, ad quam etiam revocanda Epiſtola 8 Nicolai Papæ ad Epiſcopos Galliæ & Aquitaniæ, in qua referuntur quædam tantùm ex decretis in ea Synodo promulgatis, quæ ſunt numero tredecim Tomo IX Conciliorum legenda. Hanc Synodum anno 1059 menſe Aprili celebratam, indubitatum reddit decretum de electione Romani Pontificis in eodem emiſſum, cujus initio legitur: *Anno ab Incarnat. milleſimo quinquageſimo nono, menſe Aprili, Indictione XII, propoſitis ſacroſanctis Evangeliis, præſidente quoque reverendiſſimo, ac beatiſſimo Nicolao Apoſtolico Papa in Baſilica Lateranenſis Palatii*, &c. Qui omnes temporis characteres leguntur etiam in laudata Epiſtola 8 Nicolai ad Epiſcopos Galliæ, & Aquitaniæ.

X. *Legatos mittit Mediolanum contra Simoniacos & Nicolaitas.*

Magna erat hoc tempore inter Clerum & populum Mediolanenſem contentio, de qua in Stephano IX Papa locuti ſumus, propter duas hæreſes, ſimoniacam videlicet, & Nicolaitarum, ſeu Clericorum, *qui contra caſtitatis Eccleſiaſticæ regulam fœminis admiſcentur, qui planè tunc fornicatores fiunt, cùm fœdi commercii copulas ineunt*, ut inquit Petrus Damiani in Epiſtola ad Hildebrandum Archidiaconum, quia *Nicolaitæ carnales nuptias concedunt, ac defendunt, ſacri Altaris Miniſtris*, ut ait Humbertus Cardinalis in charta excommunicationis contra Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum apud Baronium anno 1054 num. 23. Quare Nicolaus Papa, accepta legatione Mediolanenſium exorantium, *ut Mediolanenſis Eccleſiæ contritionibus dignaretur miſereri, & compati*, ut legitur in Romanorum Pontificum geſtis à Nicolao Aragonenſi Cardinali collectis, Petrum Damiani Cardinalem Oſtienſem, & Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, ſuum poſtea in Pontificatu ſucceſſorem, Mediolanum miſit, ut eam Eccleſiam ſimoniaca labe, & Nicolaitarum ſpurcitia infectam, cum Romana conciliaret. Vix unus repertus eſt, qui non aut ordines emiſſet, aut fœdâ fœminarum conſuetudine uſus eſſet. Sed hortatu Petri Damiani primus omnium Guido Archiepiſcopus Mediolanenſis ſolemnibus verbis profeſſus eſt, ſe ab hujuſmodi flagitiis temperaturum, indeque Clerici omnes. Verùm poſt Petri diſceſſum Guido Clericorum aſſiduis ſtimulatus querimoniis, ac penè convitiis, in priſtinum rediit, ut fusè narrat Baronius, qui & refert Epiſtolam ejuſdem Petri Damiani *Hildebrando venerabili Archidiacono* datam, qua plena hujus legationis relatio continetur. Qua ex Epiſtola, Mediolano, ut videtur, ſcripta, mihi deduci poſſe videtur, eam legationem à Petro Damiani ſuſceptam poſt menſem Auguſtum anni milleſimi quinquageſimi noni, nam eo menſe Hildebrandus nondum erat Archidiaconus, quam tamen dignitatem jam obtinebat, cùm eam Epiſtolam ſcripſit Petrus, ut ex inſcriptione liquet. Simoniaci porrò & Nicolaitæ dicuntur hæretici, quia, ut inquit Petrus Damiani, *vitium in hæreſim vertitur, cùm perverſi dogmatis aſſertione firmatur*.

XI. *Hildebrandum poſteà [illegible] am, Archidiaconum creat.*

Hildebrandus à Leone IX Papa Subdiaconus quidem creatus eſt, ut aſſerit Paulus Bernriedenſis in Vita ejus, ſed hallucinatus eſt, cùm cap. 2 ſcripſit, eundem poſtea ab eodem Leone Archidiaconum inſtitutum eſſe. Nam Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 101 loquens de Hildebrando à Stephano IX anno 1058 ad Agnetem Imperatricem miſſo, diſertè aſſerit, eum *Romanæ tunc fuiſſe Eccleſiæ Subdiaconum*, quod & refert Petrus Damiani de eadem re verba faciens in Epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Ravennatem apud Baronium anno 1058 num. 12. Imò anno 1059, menſe Auguſto, nondum Hildebrandus erat Archidiaconus, ſed tantùm Subdiaconus, Cardinalis tamen, quod conſtat ex Concilio Beneventano à Nicolao Papa celebrato, quod his verbis inchoatur: *Anno Dominicæ Incarnationis 1059, menſe Auguſto int-*

initiante, indictione 12 currente, &c. Legitur ibi poſtea Joannem Abbatem monaſterii, ſcilicet Sancti Vincentii ſuper Vulturni fluminis fontes ſiti, conqueſtum eſſe de Alberto Monacho, quòd cellam Sanctæ Mariæ monaſterio ſuo ſubripuiſſet, & Pontificem Nicolaum Joannem Abbatem Sancti Vincentii ex eadem Sanctæ Mariæ cella in perpetuum inveſtiviſſe: præſentes fuerunt *imprimis Dominus Humbertus, Bonifacius, Joannes, Cardinales Epiſcopi; Deſiderius Abbas & Preſbyter, Ildebrandus Subdiaconus, Cardinales; Voaldaricus Beneventanus, Petrus Amalphitanus*, &c. *Archiepiſcopi*. Menſe itaque Auguſto anni milleſimi quinquageſimi noni, Hildebrandus erat quidem Cardinalis, ſed nondum à Nicolao Papa Archidiaconus creatus, ex quo & refelluntur, qui putant Hildebrandum ratione Archidiaconatûs fuiſſe Cardinalem.

XII. *Libellum Petri Damiani de abdicando Epiſcopatu rejicit.*

Petrus Damiani, qui nolens, invituſque ab eremo abſtractus, à Stephano Papa IX creatus fuerat Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, de abdicando ſe à munere, Nicolao Pontifici libellum dedit, cujus hic eſt titulus: *Domino ſuo Nicolao univerſali Papæ Petrus Monachus ſervitutem*. Baronius id factum putat ſtatim ac poſt Concilium Sutrinum ſchiſma ſublatum eſt, & pax Eccleſiæ poſtliminio reverſa quievit, quo libello oblato, inquit, *in aliis Epiſtolis poſt datis nunquam amplius Epiſcopum Oſtienſem, nec ſe nominat Cardinalem*. Sed cùm verum ſit Petrum Damiani, poſt oblatum abdicationis libellum, nec Epiſcopum Oſtienſem, nec Cardinalem ſe amplius ſubſcripſiſſe, dicendum omninò libellum illum à Petro Damiani oblatum poſt Synodum Romanam menſe Aprili anni milleſimi quinquageſimi noni à Nicolao II celebratam; inter ſubſcriptiones enim Epiſcoporum hujus Synodi, quæ extant Tomo IX Concil. pag. 1259 ex Vaticano codice depromptæ, poſt Nicolaum Papam tertio loco ſubſcribit Petrus Damiani hoc modo: *Petrus Oſtienſis Epiſcopus*, licèt privilegio, monaſterio ſanctæ Felicitatis ab eodem Nicolao Papa conceſſo anno 1060, ſexto Idus Januarii, ut ſuperius diximus, poſt Epiſcopos Albanenſem, Portuenſem, Lavicanenſem, & Præneſtinum, ita ſubſcribat idem Petrus Damiani, *Ego Petrus peccator Monachus ſubſcripſi*, ex quibus eruitur libellum illum abdicationis, non ſtatim poſt Concilium Sutrinum, ſed poſt Concilium Romanum à Petro Damiani oblatum eſse. Verùm Pontifex ejus petitioni non acquievit.

XIII. *Melphiæ Concilium celebrat.*

Abſoluta Romana Synodo Nicolaum Papam in Apuliam profectum eſſe, Concilium Melphiæ celebraſse, totamque Calabriam, & Apuliam Normannis conceſſiſſe, imò & Roberto Guiſcardo Siciliæ Ducatum confirmaſſe, auctor eſt Leo Oſtienſis, qui lib. 3 cap. 12 de Deſiderio Cardinali, Abbate Caſſinenſi verba faciens, ait: *Quoniam ab eodem Pontifice* (Nicolao) *Paſchalis feſtivitatis gratia invitatus fuerat, Romam reverſus, poſt feſtum Urbem unà egrediens, Melfiam unam Apuliæ adiit urbem, ubi tunc idem Apoſtolicus Concilium celebrare decreverat*. In eo Concilio Nicolaum, throno depoſuiſse Tranenſem Epiſcopum teſtatur Petrus Damiani in Epiſtola ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales. Cetera in eo Concilio geſta, quæ deſiderantur, tam apud Baronium, quàm in editionibus Conciliorum, ſupplevit Annotator Baronii ex Guillelmo Apulienſi in poëmate de Rebus in Italia à Normannis geſtis, qui cùm, Urbano II Eccleſiam Romanam regente, floruerit, teſtis oculatus fuit. Is autem poſtquam lib. 2 narravit, Robertum Guiſcardum, Cariatum, Calabriæ citerioris urbem, in ora littorali maris Jonii poſitam obſidione cinxiſse, ut aliis urbibus terrorem incuteret, de Concilio Melphiæ celebrato canit:

Interea Papæ Nicolai fortè ſecundi
Comperti adventum, dimittitur obſidione
Plurima pars equitum, comitatur pars minor illum,
Melphia ſuſcipit hunc, & ibi ſuſceptus honore
Magno Papa fuit: hic Eccleſiaſtica propter
Ad partes illas tractanda negotia venit:
Namque Sacerdotes, Levitæ, Clericus omnis
Hac regione palam ſe conjugio ſociabant:
Concilium celebrans ibi Papa faventibus illi
Præſulibus centum jus ad Synodale vocatis,
Ferre Sacerdotes monet, altariſque miniſtros
Arma pudicitiæ; vocat hos & præcipit eſſe
Eccleſiæ ſponſos, quia non eſt jure Sacerdos
Luxuriæ cultor. Sic extirpavit ab illis
Partibus uxores omninò Preſbyterorum,
Spretores minitans anathemate percutiendos.

XIV. *Eamdem Urbem Epiſcopatu ornat.*

Ex quibus habemus numeroſum fuiſſe illud Concilium, cùm centum Epiſcopi ei interfuerint, & celebratum fuiſſe contra Clericos incontinentes, in quorum numero non computabantur Epiſcopi Apuliæ, qui Græcorum jugum excuſſerant, quique uxores non accipiebant, quia apud Græcos hujuſmodi incontinentia nunquam tolerata fuit. Tomo IX Conciliorum dicitur ex Leone Oſtienſi laudato, Concilium iſtud *Amalphiæ* celebratum, licèt Leo Oſtienſis ſcribat, *Melphiæ*: duæ autem hæ urbes maximè inter ſe diverſæ; Amalphia enim eſt urbs maritima & Archiepiſcopalis in principatu citeriori regni Neapolitani poſita; *Melphis* verò, ſeu *Melphia* Lucaniæ urbs, in qua Nicolaus II Epiſcopatum erexit, & Romano Pontifici immediatè ſubjecit, ut docet Ughellus Tomo I pag. 932, & ſeq. Hæc prima Normannorum in Apulia ſedes, in cujus extremo limite Calabriam ver-

Digitized by Google

vertùs jacet, quam urbem Normanni ædificarunt, ſeu potius inſtaurarunt, teſte Malaterra lib. 1 cap. 3. De eadem urbe Melphia legendus idem Apulienſis lib. 1 pag. 5, & lib. 3 pag. 28. Tandem Ughellus addit, primum Melphiæ Epiſcopum *Balduinum* nomine, die 18 Auguſti unà cum aliis Præſulibus Concilii interfuiſſe conſecrationi Eccleſiæ Sancti Angeli à Nicolao II peractæ.

XV. *Robertum Guiſcardum Calabriæ Ducem creat.* Baronius ex Nicolao Aragonenſi Cardinali refert, Nicolaum Pontificem ad Normannorum preces, ſeſe in Apuliam contuliſſe, eos à vinculo excommunicationis abſolviſſe, eiſque præter Beneventum, totam Calabriam & Apuliam conceſſiſſe, *ſed accepta priùs ab eis cum ſacramento Romanæ Eccleſiæ fidelitate; cenſuque quotannis per juga boum ſingula denariis duodecim*, ut ait Leo Oſtienſis lib. 3 cap. 15, qui ibidem antea ſcripſerat: *Richardo Capuanum Principatum, & Roberto* Guiſcardo *Apuliæ atque Calabriæ atque Siciliæ Ducatum confirmavit*, quia ſcilicet Guiſcardus de Sicilia ſibi ſubjicienda conſilium inierat, quam & poſtea occupavit. Utrumque Roberti Guiſcardi juramentum exhibet Baronius ex codice Vaticano, qui inſcribitur, *Liber cenſuum*, &c. quorum prius, quod eſt de tributo quotannis ſolvendo, hic referre ſufficiat; tale autem eſt: *Ego Robertus Dei gratia & Sancti Petri Dux Apuliæ & Calabriæ, & utroque ſubveniente futurus Siciliæ, ad confirmationem traditionis, & ad recognitionem fidelitatis, de omni terra, quam ego propriè ſub dominio meo teneo, & quam adhuc ulli Ultramontanorum unquam conceſſi ut teneat: promitto me annualiter pro unoquoque jugo boum penſionem, ſcilicet duodecim denarios Papienſis monetæ perſoluturum Beato Petro, & tibi domino meo Nicolao Papæ & omnibus ſucceſſoribus tuis, aut tuis & tuorum ſucceſſorum Nuntiis. Hujus autem penſionariæ redditionis erit ſemper terminus, finito vere anno, Sanctæ Reſurrectionis die dominico. Sub hac conditione hujus perſolvendæ penſionis obligo me & omnes meos, ſive hæredes, ſive ſucceſſores, tibi domino meo Nicolao Papæ & ſucceſſoribus tuis. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.* Ideo autem Pontifex hæc omnia Normannis conceſſit, quia, ut habent Acta Nicolai Aragonii, cùm hoc tempore potentia & viribus in urbe Romana ceteros Magnates ſuperarent, in cauſis Eccleſiæ contra illos, qui Apoſtolicæ Sedis jura violenter occupaverant, Romano Pontifici magnum ſolatium & opportunum auxilium manu valida poterant exhibere, ideoque eos fideles Eccleſiæ Romanæ redditos ſibi conciliavit.

XVI. *Romam redit, eique ſecuritatem reſtituit.* Viri docti paſſim ſcripſêre, Robertum à Nicolao Pontifice Ducatûs Calabriæ honore donatum eſſe in Concilio Melphitano; ſed invictè refelluntur ab eodem Guilelmo Apulienſi, qui poſt laudatos verſus ſubjungit.

Finita Synodo, multorum Papa rogatu
Robertum donat Nicolaus honore Ducali.
Hic Comitum ſolus conceſſo jure Ducatûs
Eſt Papæ factus jurando jure fidelis.
Unde ſibi Calaber conceſſus, & Appulus omnis
Eſt locus, & Latio patriæ dominatio gentis.
Romam Papa redit, cum magno Dux equitatu
Obſeſſum repetit Cariatum, &c.

Cùm Normannos tanto beneficio ſibi devinxiſſet Nicolaus Papa, Romam reverſus eſt cum exercitu ad ipſius commonitionem ab iiſdem Normannis collecto, cujus operâ Præneſtini, Tuſculani, & Nomentani Summo Pontifici & Eccleſiæ Romanæ perduelles, caſtigati, & Papæ domino ſuo ſubditi, tyranni expugnati, exterminati prædones, qui ditione tota Romani Pontificis graſſabantur: Gerardi Galeriæ Comitis deſtructa præſidia, caſtellaque complura; libertas, pax, ſecuritas Urbi, totique ditioni Eccleſiaſticæ reſtituta eſt, ut narrat Baronius ex iiſdem Romanorum Pontificum Actis ſæpius laudatis, à Nicolao Cardinali Aragonio collectis. Porrò Nicolaus ſicut Roberto Guiſcardo Apuliæ, Calabriæ, atque Siciliæ Ducatum, ita Richardo Roberti fratri Capuanum Principatum confirmavit, ut ex dictis liquet.

XVII. *Florentiam, & Montem Caſſinum adit.* Anno Chriſti milleſimo ſexageſimo Florentiæ cùm eſſet Nicolaus Papa ſexto Idus Januarii monaſterio Sanctæ Felicitatis juxta Florentiam, cui præerat Teiberga Abbatiſſa, privilegium indulſit, cujus clauſulam num. 2 retulimus, & explicavimus. Florentia Pontifex ad monaſterium Caſſinenſe perrexit, ibique Oderiſium Comitis Marſorum filium, ejuſdem cœnobii Monachum, Cardinalitiis infulis exornavit: domnum Martinum, genere Florentinum, inter primores ejuſdem monaſterii etiam monachum religioſum ac prudentem, Aquinenſem Epiſcopum conſecravit, depoſito Epiſcopo Angelo, eo quòd ex laico eſſet ordinatus, Eccleſiaſticarum rerum eſſet prodigus, & agentibus nequitiis ſuis, à Sanctæ memoriæ Leone Papa fuiſſet excommunicatus. Hæc conſtant ex Leone Oſtienſi lib. 3 cap. 14.

XVIII. *Legatum in Galliam mittit, qui Turonis Concilium cogit.* Duos in Franciam Legatos miſit Nicolaus, qui eodem anno milleſimo ſexageſimo Concilia celebrarunt. Reſtaurandæ quippe gratiâ diſciplinæ Stephanum Cardinalem Legatum Apoſtolicum direxit, qui ejus auctoritate & mandato Concilium Turonenſe coegit *anno* 1060, *Indictione* 13, *Kalendis Martii*, *Luna* 13, *quarta feriâ*, ut in ejus Præfatione legitur. Decem Epiſcopi ei interfuêre, in eoque ſimonia, pluralitas Beneficiornm, rerum Eccleſiaſtica-

rum alienatio, beneficiorum acceptio à laicis, inceſtæ nuptiæ, quæ vitia tunc in Galliis graſſabantur, damnata ac prohibita ſunt decem capitulis, quæ Tomo IX Concilior. pag. 1109 recitantur. Ibidem etiam refertur Epiſtola ejuſdem Legati ad Archiepiſcopum Dolenſem, qua ei præcipit, ut interſit Turonenſi Synodo à ſe habendæ ante mediam Quadrageſimam, vel Synodo, *quæ antiquo more Romæ poſt Paſcha celebrabitur*. Romæ enim ſingulis ferè annis Synodus habebatur, cujus nulla apud Auctores mentio, niſi forte agant de rebus, in aliqua ex his Synodis, geſtis.

XIX. *Mittit & alium, qui Avenione Concilium celebrat.*

Hugonem pariter Cluniacenſem Abbatem Legatum miſit Nicolaus Pontifex, qui cum Arelatenſi Archiepiſcopo, & quibuſdam aliis Epiſcopis Avenione Concilium celebravit, in quo Gerardus cognomento Caprerius electus Epiſcopus Siſtaricenſis, Romam miſſus eſt, & Epiſcopus à Nicolao Papa conſecratus. Illud conſtat ex literis ejuſdem Nicolai Clero, plebique in civitate Siſtaricenſi conſiſtentibus, datis, & à Boucheo lib. 9 Hiſtoriæ Provinciæ ſect. 1 relatis, in quibus licet mentio non ſit Concilii Avenionenſis, illud tamen diſertè memoratur in Inſtrumento anno 1070 ſcripto à Bertrando Epiſcopo Siſtaricenſi, & in Archivis Eccleſiæ Forcalquerienſis aſſervato, in quo Bertrandus ait, prædictum Gerardum cognomento *Caprerium* electum fuiſſe Epiſcopum Siſtaricenſem *apud urbem Avenionem in Concilio magno, quod ibi celebravit cum omnibus Epiſcopis totius Provinciæ Hugo Cluniacenſis Abbas fungens legatione Domini P. P. Nicolai, ad quem à prædicto Legato miſſus jam dictus Gerardus in Epiſcopum fuit conſecratus*. Exemplar illius Concilii Avenionenſis ſibi oſtenſum fuiſſe à Polycarpo Riviere Cartuſiano, viro Erudito, teſtatur idem Boucheus; ſed illud, ſicuti & autographum, aliàs in Archivis Capituli Forcalquerienſis aſſervatum, nunc deperdita ſunt. At literæ Nicolai II, & Bertrandi inſtrumentum, Concilium illud Avenione congregatum fuiſſe, nos dubitare non patiuntur.

XX. *Concathedrales duæ in eodem Epiſcopatu.*

Addit Bertrandus Siſtaricenſis Epiſcopus in laudato Inſtrumento, Siſtaricenſes noluiſſe Gerardum recipere, quia deſtruxerant tam laici, quàm Epiſcopi præcedentes totum Epiſcopatum, *de quibus ipſe*, nempe Gerardus, *dicit*: *Erant una vice uxorati publicè*. Forcalquerienſes autem honorificè Gerardum ſuſceperunt. *Hunc Româ redeuntem*, inquit Bertrandus, *ut ipſe narrat*, *Siſtaricenſes non permiſerunt tranſire per civitatem ſuam*, *veniens Forcalquerium honorificè & cum magno gaudio receptus fuit ab eis ibi*. Concludit tandem Bertrandus, Gerardum, Canonicos Siſtaricenſes & Forcalquerienſes ſeparaſſe, & dignitates inter eos diviſiſſe, *cùm utraque ſit Concathedralis, & pro Sede Epiſcopali habita ab anteceſſoribus noſtris: nam & hoc inſimul commune habebant, quando una erant Eccleſia*. Annotator Baronii, ex quo hæc excerpſi, obſervat præter Siſtaricenſem Epiſcopatum, alios eſſe, in quibus duæ Eccleſiæ concathedrales reperiuntur. Matthæus Paris ad annum 1132 de Roberto Epiſcopo Ceſtrenſi verba faciens, ait: *Habet Epiſcopatus iſte uſque hodie tres ſedes, Ceſtrenſem, Lichfeldienſem, & Conventrenſem*. Ughellus in Italia Sacra affirmat anno 1076 Epiſcopatum Capuanum in duas ſedes diviſum fuiſſe, ex quibus antiquior Capuæ remanſit, & *recens apud Pontem Caſulanum* conſtituta. Denique San-Marthani in Epiſcopis Æduenſibus pag. 15 teſtantur, eos duas Sedes cathedrales habuiſſe.

XXI. *Legationes duæ in Galliis diſtinctæ.*

Nemini porrò mirum videri debet, duos anno milleſimo ſexageſimo Sedis Apoſtolicæ Legatos à Nicolao Pontifice in Gallias miſſos, quorum alter apud Turones, alter Avenione Concilium celebravit; ut enim obſervat Jacobus Sirmondus in Notis ad Epiſtolas Goffridi Vindocinenſis Abbatis & Cardinalis, literas convocationis Synodi totius legationis referens, Legatio Aquitanica Metropoles Bituricenſem, Burdigalenſem, Auxitanam & Turonenſem complectebatur; Gallica verò Legatio alias omnes Galliarum Metropoles, ideoque Stephanus Cardinalis Legationem Aquitanicam, Hugo Cluniacenſis Abbas Gallicam obibat.

XXII. *Nicolaus PP. Secundam Romæ Synodum celebrat.*

Nicolaus Papa anno milleſimo ſexageſimo primo, alteram Romæ Synodum celebravit, in qua Aldredus Epiſcopus Eboracenſis Romam à Sancto Eduardo Angliæ Rege ad Nicolaum delegatus, ut ab eo peteret confirmationem privilegiorum regni Angliæ, pallium ab eodem Papa ſuſcepit, eodemque anno in Angliam rediens detulit literas Nicolai Pontificis ad Sanctum Eduardum datas, quibus eum ſuſcipit in ſocietatem Apoſtolicam, privilegia confirmat, & Weſtmonaſterium Regiæ conſtitutionis & conſecrationis locum eſſe, atque repoſitorium regalium inſignium, & habitationem perpetuam Monachorum, qui nulli omninò perſonæ niſi Regi ſubdantur, concedit & permittit, ut jam conceſſerat Leo Papa IX ex dictis in ejus Pontificatu. Hæc quidem Baronius, & omnes alii viri Eruditi referunt ad Synodum Romanam à Nicolao Papa anno 1059 habitam; ſed Annotator Baronii demonſtravit, hæc pertinere ad aliam Synodum Romanam anno milleſimo ſexageſimo primo indictam, eo præſertim argumento, quod Aldredus Epiſcopus Wigornienſis, Romam ab Eduardo Rege directus ſit poſt electionem ſuam in Archiepiſcopum Eboracenſem; quem tamen

Archi-

Digitized by Google

SÆC. XI. NICOLAUS II. Archiepiſcopatum non obtinuit ante Nativitatem Domini anni milleſimi ſexageſimi, cùm Kinſius Archiepiſcopus Eboracenſis Aldredi deceſſor *undecimo Kalendas Januarii* ejuſdem anni 1060 è vivis exceſſerit, ut fidem faciunt Florentius Wigornienſis, Simeon Dunelmenſis, Rogerius Hovedenus, & Radulphus de Diceto pag. 478. Aldredum cum duobus aliis Epiſcopis electis, Guiſone ſcilicet ad Eccleſiam Wellenſem, Walterum ad Herefordenſem, *à Domino Papa munere conſecrationis ſuſcepto, in Concilio, quod in Lateranenſi palatio convenerat, cum ceteris patribus honorificè* conſediſſe, ſcribit Aelredus Abbas Rievallenſis in Vita Sancti Eduardi Regis apud Seldenum in Decem Scriptoribus Hiſt. Anglic. pag. 386; plura hac de re Annotator Baronii ad annum 1509.

XXIII. *Florentiæ finem vivendi facit.* Paulò poſt hanc Synodum Romanam Nicolaus Pontifex Florentiam profectus, ibidem finem vivendi fecit ex Leone Oſtienſi lib. 3 cap. 20, *duobus ac ſemis annis in Pontificatu peractis*, cui conſentiunt Benno pſeudo-Cardinalis, omneſque ferè Catalogi, annos duos, menſes ſex, & dies viginti quinque à Leone Oſtienſi neglectos, Nicolai Pontificatui adſcribentes. Obiit itaque die vigeſima ſecunda menſis Julii anni milleſimi ſexageſimi primi, quod eruitur ex electione Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, qui ei ſucceſſit in Pontificatum ſub nomine Alexandri II, quæ facta eſt die prima Octobris ejuſdem anni, poſtquam Sedes vacaſſet menſes duos, & dies novem. Ex quibus conſequens eſt, electionem Nicolai II factam eſſe die vigeſima octava Decembris anni milleſimi quinquageſimi octavi, à quo die ad 22 Julii anni 1061, interjiciuntur anni duo, menſes ſex, & dies viginti quinque ab Auctoribus Catalogorum ei attributi: licèt enim ipſe Nicolaus annos ſuos, à die inthronizationis in reſcriptis ſuis deduxerit; Auctores tamen Catalogorum eos à die electionis repetiére.

XXIV. *Ejus virtutes.* Nicolai Pontificis electi dotes prædicat beatus Petrus Damiani in Epiſtola 14 ad Archiepiſcopum Ravennatem, de qua in Benedicto X Antipapa mentionem fecimus; in ea ſiquidem antequam Antipapæ imperitiam ſugillet, de Nicolao ſcribit: *De Electo hoc mihi videtur, quia benè litteratus eſt, & vivacis ingenii, ſine ſuſpicione caſtus, in erogandis eleemoſynis pius. His ultra non addo, ne non videar univerſitatis amator, ſed ſingularitatis aſſertor.* Quantum pauperes diligeret ex eo conſtat, quòd nullus præteriret ei dies, quo duodecim pauperum pedes non ablueret, teſte eodem Petro Damiani Opuſculo IX, quod *de eleemoſyna* inſcribitur, cap. 7, & in Epiſtola ad Mainardum Urbinatem, in qua ait: *Porrò Mainardus Silvæ Candidæ Epiſcopus mihi retulit, quia Nicolaus Papa piæ memoriæ, qui ante triennium ex hac in Domino luce quievit, nunquam in toto anno prætermittebat diem, quin pedes duodecim pauperibus ſemper ablueret. Quod ſi facere per totum non occurreret diem, lucidum pietatis opus explebat in nocte.* Ughellus in Epiſcopis Florentinis ſcribit, Gerardum Pontificem dictum, Eccleſiam tamen Florentinam, dum vixit, gubernare perrexiſſe. Ex laudatis porrò Petri Damiani verbis, ut id obiter notem, conſtat Humbertum Sylvæ Candidæ [Epiſ]copum, doctrina & pietate celebrem, cujus non ſemel meminimus anno milleſimo ſexageſimo quarto, quo hæc Epiſtola ſcripta, poſt triennium ſcilicet à morte Nicolai II Papæ jam defunctum fuiſſe, eique Mainardum ſucceſſiſſe.

ALEXANDER II *Pontif. CLVI.*

Anno Domini MLXI.

I. *Interpontificium poſt mortem Nicolai II.* MOrtuo Nicolao II, Proceres Romani, qui Comites dicebantur, ut Tuſculani, Galerani & alii animis exulcerati, ob ea, quæ, agente Nicolao, à Normannis paſſi erant, Legationem ad Henricum Germaniæ Regem adornarunt, & ad ejus animum alliciendum illecebras addiderunt, coronam nempè auream, & cum ea inſignem Patriciatûs titulum. Hæc conſtant ex Hermanni Contracti Continuatore. Parte alia Longobardorum Epiſcopi, tam ſimoniaci & incontinentes, quàm alii facinoroſi, auctore Guiberto Parmenſi Regis Cancellario, homine nequiſſimo, in unum convenientes, communiter ſtatuerunt, ut aliundè non deberent Papam recipere, quàm de Longobardia, & talem perſonam, quæ infirmitatibus eorum compateretur, & condeſcenderet. Qua de cauſa aliquos ex ipſis ad Imperatricem Henrici Regis matrem miſerunt. Ubi iſta Cardinalibus innotuiſſent, Legationem ad eundem Regem decreverunt, quam Stephano Cardinali Presbytero, ex monaſterio Cluniacenſi aſſumpto impoſuerunt, ut eligendi Pontificis libertatem impetraret. Sed malis artibus Aulicorum repulſa legatio, Stephanoque negata audientia eſt, qui rebus infectis Romam rediit.

II. *Alexander II fit Papa.* Summum, quod imminebat Eccleſiæ, peri-

SÆC. XI. ALEXANDER II.

periculum Cardinales impulit ad maturandam Pontificis electionem. Eum autem elegére, quem vitæ ſanctimonia, eruditio inſignis, & regiminis eccleſiaſtici peritia tantæ dignitati parem dudum fecerant, & cujus electionem Henrico Regi non ingratam fore confidebant, qui ipſi familiaris erat. Suffragia itaque in Anſelmum, patria Mediolanenſem, tunc Lucenſem Epiſcopum concurrerunt, qui Kalendis Octobris ejuſdem anni milleſimi ſexageſimi primi electus eſt, ut conſtat ex Auctore Diſceptationis inter Regium Advocatum, & Romanæ Eccleſiæ Defenſorem, qui ait: *Conſtat tres plus minus menſes interim decurriſſe, ex quo ſanctæ memoriæ Papa Nicolaus occubuit, uſque ad Kalendas Octobris, cùm iſte* (nempè Alexander II) *ſucceſſit*. Leo itidem Oſtienſis lib. 3 cap. 20 docet poſt Nicolai mortem ceſſaſſe Sedem menſes fermè tres: *Defuncto*, inquit, *Apoſtòlico Florentiæ, cùm ingens inter Romanos ſeditio de ordinando Pontifice cœpiſſet exoriri, Hildebrandus Archidiaconus habito conſilio cum Cardinalibus, nobilibuſque Romanis, ne diſſenſio increſceret, Anſelmum Lucenſem Epiſcopum poſt menſes fermè tres in Romanum Pontificem eligunt, Alexandrumque vocari decernunt, noſtro Deſiderio* (Abbate Caſſinenſi & Presbytero Cardinali) *Romam cum Principe proficiſcente*, Roberto ſcilicet Guiſcardo, qui Nicolao II ſub juramento promiſerat præſto fore Cardinalibus legitimè eligere volentibus Romanum Pontificem. Quo die inthronizatus ſit A   ander non conſtat.

III. *Epiſcopatum Lucenſem uſque ad mortem retinuit.* Sed Ptolomeus Lucenſis in Chronico, quod ab Alexandro II inchoat, obſervavit hunc Pontificem, Epiſcopatum Lucenſem uſque ad mortem retinuiſſe, & Lucenſem civitatem multis privilegiis decoraſſe. Quod confirmatur ex Florentinio, qui in Commentario Rerum ad Mathildem Comitiſſam ſpectantium pag. 135, & ſeqq. hujus Pontificis Reſcripta refert his verbis ſubſcripta: *Ego Alexander ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Præſul, & Lucènſis Epiſcopus*. An porrò Alexander annos ſuos à die primo Octobris, quo electus eſt, vel à die inthronizationis numeraverit, prorsùs incertum, deficientibus monumentis.

IV. *Baſileenſis pſeudo-Synodus Cadolum eligit Antipapam.* Pergit Leo Oſtienſis poſt verba mox laudata: *Quod cum Imperatrix audiſſet*, ſcilicet electionem Alexandri II, *unà cum filio tulére graviter hæc ſine ſua auctoritate geſta fuiſſe: Cadolumque Parmenſem Epiſcopum à Placentino duntaxat, & Vercellenſi Epiſcopis ipſa die feſtivitatis Apoſtolorum Simonis & Judæ in Papam eligi faciunt*. Hanc Cadoli pſeudo-Papæ electionem in pſeudo-Synodo Baſileenſi factam, docet Continuator Hermanni Contracti ad annum 1061. *Romæ*, inquit, *Nicolao Papa defuncto, Romani coronam & alia munera Henrico Regi tranſmiſerunt, eumque pro eligendo Summo Pontifice interpellaverunt. Qui ad ſe convocatis omnibus Italiæ Epiſcopis, generalique Conventu Baſileæ habito, eadem impoſita corona Patricius Romanorum appellatus eſt. Deinde cum communi conſilio omnium, Parmenſem Epiſcopum ſummum Romanæ Eccleſiæ elegit Pontificem*. Onuphrius Panvinius in Adnotatione ad Platinam, ait ſe legiſſe antiquum Cadoli diploma, ex quo conſtat, eum *Honorii II* nomen ſumpſiſſe; ſed illud nunquam prælo datum fuit, & nullo alio monumento conſtat Cadolum Antipapam Honorium II appellatum eſſe. Licet autem in Catalogis Criticæ Baronianæ præfixis, ſæpe Antipapæ memorentur; in nullo tamen eorum, Cadoli, ſeu Honorii II nomen legitur.

V. *Alia Nicolai II Pacta caſſat.* Alia probroſa in eo Conciliabulo geſta, utpote perpetuo ſilentio digna ſupprimit Hermanni Continuator, ſed leguntur in laudata Diſputatione habita inter Regium Advocatum, & Romanæ Eccleſiæ Defenſorem: *Defenſor Romanæ Eccleſiæ dixit: Ecce compellis me vulgato ſermone depromere, quod ob Imperialis palatii reverentiam decreveram ſilentio præterire. Sed juxta veſtræ ſcilicet exactionis inſtantiam, jam proferatur in medium opus egregium veſtrum ſæculis omnibus inauditum. Rectores enim Aulæ Regiæ cum nonnullis Teutonici regni Sanctis* [*ut ita loquar*] *Epiſcopis conſpirantes, contra Romanam Eccleſiam Concilium collegiſtis, qui Papam*, Nicolaum videlicet, *quaſi per Synodalem ſententiam condemnaſtis, & omnia quæ ab eo fuerant ſtatuta, caſſare incredibili prorſus audacia præſumpſiſtis. In quo nimirum, non dicam judicio, ſed præjudicio, id ipſum quoque privilegium, quod Regi prædictus Papa contulerat*, [de quo vide dicta in Nicolai II Vita num. 7, & ſeq.] *ſi dicere liceat, vacuaſtis. Nam dum quidquid ille conſtituit, veſtra ſententia decernente, deſtruitur: conſequenter etiam id, quod ab eodem Papa Regi præſtitum fuerat, aboletur*. Ex quibus eruo Hermanni Contracti Continuatorem, falsò ſcripſiſſe, omnes Italiæ Epiſcopos ad Baſileenſem Synodum convocatos eſſe, cùm ex prædictis Defenſoris Eccleſiæ Romanæ verbis conſtet, hæc acta eſſe *à nonnullis Teutonici regni Epiſcopis*, quibus veriſimile eſt junctos fuiſſe Placentinum & Vercellenſem Epiſcopos, à quibus Leo Oſtienſis laudatus, ſcribit Cadolum electum Antipapam. Cùm enim Defenſor Eccleſiæ Romanæ, vel Petrus Damiani dixiſſet, Longobardorum Epiſcopos, ex ſuis aliquos ad Imperatricem direxiſſe, conjectura eſt, hos Legatos fuiſſe Placentinum & Vercellenſem Epiſcopos, quos Hermanni Continuator ſupponit conveniſſe ad Concilium Baſileenſe nomine

omnium

Digitized by Google

omnium Epiſcoporum Italiæ.

VI. *Judicium Petri Damiani de electoribus Antipapæ.*

Ad Cadolum Antipapam duas B. Petrus Damiani graviſſimas ſcripſit Epiſtolas, ut ei ſceleris magnitudinem ob oculos poneret, eumque ad inſignia uſurpatæ dignitatis deponenda adduceret. De ejus autem electoribus Placentino & Vercellenſi Epiſcopis ita ſcribit: *Multum ſanè lætificat, quod hujuſmodi te Pontifices elegerunt, Placentinus ſcilicet & Vercellinus, qui nimirum multum petulci & prolectarii ſicut norunt diſputare de ſpecie fœminarum, ſic utinam potuiſſent in eligendo Pontifice perſpicax habere judicium...... Salva planè digna reverentia Regibus noſtris, quibus utique ſive pro ſexûs, ſive pro ætatis infirmitate ſubripi potuit: præter illos, quicumque te ad hoc flagitium impulerunt, filii Caiphæ, primogeniti dicendi ſunt Satanæ, adjutores Antichriſti, adverſarii veritatis: O' tragædia omnibus ante nos ſæculis inaudita! ut alienus Epiſcopus propria ſede contempta, ignorante Deo, neſciente Petro, neſciente Romana Eccleſia, ſuper Romanam conſtituatur Eccleſiam: & quod non fert Eccleſia cujuslibet infimæ dignitatis, perferat illa, quæ Mater eſt & magiſtra totius Eccleſiaſticæ rationis.*

VII. *Antipapæ mores turpiſſimi.*

Tantum abeſt, ut ex Petri Damiani literis Cadolus, ſeu Cadolaus exterritus dignitatem deponeret, ut etiam ipſe turpiſſimus turpiſſimè viveret, & ita viventibus conniveret; ſicque ut hac velut arte quadam omnium incontinentium Clericorum conciliaret ſibi animos, libidini fræna laxaret, ut qui antea Nicolaitæ dicebantur, dicendi eſſent à propagatore Cadaloitæ, ut ſcribit idem Petrus Damiani in Epiſtola ad Cunipertum Taurinenſem Epiſcopum, cùm ait: *Sed nunc accidit, ut hoc inſigne vocabulum, novum, ſi prævalent, accipiat incrementum, & qui hactenus dicti ſunt Nicolaitæ, amodò vocentur & Cadaloitæ. Speratur enim, quia ſi Cadolaus, qui ad hoc gehennaliter æſtuat, univerſali Eccleſiæ, Antichriſti vice præſidebit, ad eorum votum luxuriæ fræna laxabit.* Prætereà Cadolus, ut Romanorum ſibi conciliaret animos, ingentem pecuniarum vim in ipſos effudit, ut teſtatur idem Petrus Damiani in Epiſtola ad Alexandrum Papam & Hildebrandum Archidiaconum, in qua habet: *Nunc etiam cùm Simon ille, veternoſus ſcilicet trapezita, malleum & incudem reparat, cùm Romanam urbem veluti officinam ſibi per monetarios peſtiferæ negotiationis uſurpat: quò vos Petrus vobiſcum fugiens attrahit, illic eſſe Romanam Eccleſiam, omnibus indubitanter oſtendit.*

VIII. *Petrus Damiani in eremum ſecedit de conſenſu Alexandri II.*

Ex his Petri Damiani verbis rectè deducit Baronius Alexandrum Papam poſt creationem ſuam, timentem Romanos illos potentiores, qui Cadolao favebant, ab Urbe fugam arripuiſſe, quem extra Urbem poſitum convenit Petrus Damiani, & nimia importunitate à reſiſtente Pontifice, contradicente Hildebrando, quod à Nicolao II impetrare non potuerat, ut Epiſcopatum Oſtienſem deponeret, & ad priſtinum Fontis Avellani eremum ſecederet, tandem obtinuit, licèt Epiſcopali onere prorſus liberatus non fuerit, ut legere eſt in Annalibus Baronii, in quibus & habetur ipſum in ſolitudinem reverſum laudatam Epiſtolam Apologeticam ſcripſiſſe ad ipſos duos, nempe ad Alexandrum Papam, & ad Hildebrandum Archidiaconum.

IX. *Alexander PP Hildebrandum Cancellarium dicit.*

Eodem tempore, ideſt ubi Alexander II creatus eſt Pontifex, nihil antiquiùs habuit, quàm ut Hildebrandum, jam à tempore Nicolai II deceſſoris, Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum, Cancellarium crearet, penès quod officium univerſa Romanæ Eccleſiæ adminiſtratio vertebatur. Illud *Cancellarii* officium Jacobus Cohellius in ſua Cardinalatûs Notitia, ſecutus Cæſarem Raſponum Cardinalem in libro de Baſilica Lateranenſi, confundit cum officio *Bibliothecarii:* ſed Joannes Ciampinus in Catalogo *Bibliothecariorum S. Rom. Eccleſiæ*, ipſo initio rectè oſtendit, Cancellarii officium, è Bibliothecarii munere prorſus diſtinctum fuiſſe; illud certè invictè probat exemplum Hildebrandi, quem conſtat Romanæ quidem Eccleſiæ fuiſſe Cancellarium, ſed nunquam Bibliothecarium.

X. *S. Herlembaldum Eccleſiæ defenſorem conſtituit.*

Sanctus Arialdus Mediolanenſis Clericus, qui ſimoniam & Sacerdotum conjugia Mediolani abolere conabatur, quique propterea à Guidone Archiepiſcopo Mediolanenſi in Synodali Conventu Novariæ coacto excommunicatus fuerat, ut in Stephano IX Papa diximus, ipſis Alexandri Papæ primordiis, cum Nazario itidem Clerico Mediolanenſi, Sancto Herlembaldo Duce collega, Romam perrexit, ubi Alexander Pontifex Sanctum Herlembaldum defenſorem Eccleſiæ renunciavit. *Per idem tempus*, inquit Syrus Presbyter in Vita S. Arialdi Martyris, quam rebus præſens conſcripſit, apud Baronium anno 1061. *Landulphus ſodalis ipſius Arialdi obiens, ſuperſtitem germanum nomine Herlembaldum, prudentem & fidelem virum, licèt laicum reliquit, &c. cujus fidem & conſtantiam Beatus Arialdus agnoſcens, eum hortatus eſt, ut ſecum fidem Catholicam defenderet, atque cum ipſo hæreticis reſiſteret.* Herlembaldus itaque cum Arialdo Romam ad Alexandrum Papam perrexit. Sed à Pontifice & à Cardinalibus ei præceptum eſt redire, & Chriſti adverſariis in defenſionem Juſtitiæ, uſque ad proprii ſanguinis effuſionem viriliter cum Beato Arialdo reſiſtere. *Cui etiam Pontifex ſcilicet & Cardinales ex Beati Petri parte mirificum vexillum dedêre,*

ut

Digitized by Google

ut quoties hæreticorum veſania ultra modum inſaniret, illud in manutenens, eos reprimeret: quod conſtanter per decem & octo fermè annos implevit. Vexillum à Romanis Pontificibus, iis dari ſolitum, qui adverſùs Infideles, Schiſmaticos, vel Hæreticos pugnaturi erant, jam in Leone Papa III inſinuavimus. Dedit itaque Pontifex Herlembaldo vexillum, ut eo hæreticorum, & præcipuè Simoniacorum & Incontinentium Clericorum veſaniam reprimeret, eoque pacto eum Eccleſiæ defenſorem conſtituit.

XI. *Cadolus Antipapa fruſtrà Romam obſidet.*

Anno milleſimo ſexageſimo ſecundo Agnes Imperatrix & Henricus ejus filius Cadolum Antipapam cum exercitu Romam miſerunt. *Eum Romam ad impugnandam Eccleſiam*, inquit Leo Oſtienſis lib. 3 cap. 20, *cum exercitu, multiſque pecuniis è veſtigio mittunt. Sed, favente Deo, licèt Romanorum plurimi illi gratia Regis adhæſerint, caſtrumque illi Sancti Angeli ad Urbis expugnationem tradiderint: cùm ſemel ac ſecundò magnis inſtructus copiis adveniſſet, pecuniamque immenſam profligaſſet: magna ſtrage ſuorum, non minus quàm ceterorum factâ, poſtremò clam egreſſus è caſtro ipſo turpiter cum paucis aufugit, neque ultra huc rediit.* In Collectione Nicolai Cardinalis Aragonii habetur, adveniente Godefrido Tuſciæ Duce Cadolum ita coarctatum fuiſſe, *ut abſque læſione proprii corporis abire retrorſum nullatenus potuerit, niſi humilibus precibus, & effuſis magnis muneribus*, & Parmam ſpoliatum & profugum ſe recepiſſe. Hujus expeditionis tempus habemus in veteri codice Vaticano MS. à Baronio, & Papebrochio citato, in quo legitur: *Cadulus menſis Aprilis die* 14 *Romę cum ſuo apparatu appropinquans, magnam cædem de prædictis Romanis, tam de amicis, quàm de inimicis fecit. Hoc verò factum fuit anno Dominicæ Incarnat.* 1062, *Indict.* 15, *quo dicti Imperatoris & Romanorum malitia non diu perſiſtente, Alexander in ſuo permanſit Epiſcopatu cum gloria, laude, & honore. Infelix verò Cadulus cum magno dedecore repedavit ad propria.* Poſt acceptam de pſeudo-Papa victoriam exulante Roma, in ejus memoriam hunc ſcriptum fuiſſe verſum in Palatio Lateranenſi teſtatur Otto Friſingenſis lib. 6 cap. 34.

Regnat Alexander, Cadolus cadit & ſuperatur.

XII. *Damnatur in Concilio Osborienſi.*

Eodem anno milleſimo ſexageſimo ſecundo Sanctus Anno Colonienſis Archiepiſcopus, ut ſchiſma in ſuo ortu extingueret, Henricum Germaniæ Regem, duodecim annorum puerum, utpote anno milleſimo quinquageſimo, ex Hermanno Contracto in Chronico, natum, à matre Agnete, à qua educabatur, ſubduxit, & Coloniam educandum perduxit. Tum Concilium in Germaniæ loco, qui Osborium dicitur, collegit, cui Henricus Rex interfuit, in quo Cadolus damnatus eſt, & Alexandri II electio confirmata, ut conſtat ex Epiſtola Petri Damiani ad Cunipertum Taurinenſem Epiſcopum. Ad hoc Osborienſe Concilium pertinet diſceptatio Synodalis inter Advocatum Regium & Romanæ Eccleſiæ Defenſorem, ab eodem Petro Damiani adornata, quæ ipſius Opuſculum IV eſt, & refertur à Baronio, ac in Conciliorum Collectionis Tomo IX. Tempus habiti Concilii, & damnati Cadoli nos docet Leo Oſtienſis lib. 3 cap. 20, ubi relata fuga Antipapæ poſt obſidionem Romanæ urbis, ait: *Neque ultra huc rediit. Quippe qui eodem anno ipſa die vigiliarum Apoſtolorum Simonis & Judæ ab omnibus Teutonicis & Italicis Epiſcopis, qui tunc cum Rege aderant, juſto Dei judicio damnatus eſt, atque depoſitus.* Licèt autem confirmata ab Henrico Rege Alexandri II electione omnia in integrum viderentur reſtituta, Cadolus tamen uſque ad annum milleſimum ſexageſimum ſeptimum, quo Concilium Mantuanum celebratum, inſignia papalia retinuit, ut in ejus morte videbitur.

XIII. *Alexander PP. Antibarenſi Archiep. Pallium mittit.*

Baronius ad eundem annum milleſimum ſexageſimum ſecundum recitat ex fragmentis Antonii Auguſtini Epiſcopi Tarraconenſis Epiſtolam Alexandri Papæ *Petro venerabili Archiepiſcopo Dioclienſis, atque Antibarenſis Eccleſiæ*, qua ei pallium mittit. Pro cujus intelligentia Annotator Baronii obſervat ex Joanne Lucio in lib. 2 de Regno Dalmatiæ & Croatiæ cap. 2, & ſeqq. duas hoc tempore in regno Dalmatiæ fuiſſe Metropoles ante annum milleſimum inſtitutas, nempe *Salonitanam*, quæ Spalatum jamdiu tranſlata fuerat, cujus ſuffraganei erant in Dalmatia Epiſcopi Abſalenſis, Beglenſis, Arbenſis, Jadrenſis, Tribunienſis, & Raguſinus: in Croatia verò Nonenſis, Belgradenſis, & Tinienſis. Altera Metropolis *Diocletina* primum appellata, ſed Diocleâ deſtructâ, ſedes *Antibarim* tranſlata eſt, ubi cùm Metropolita reſideret, Antibarenſis ſæpius vocabatur, ideoque in inſcriptione Epiſtolæ Alexandri II Petrus vocatur Archiepiſcopus *Dioclienſis atque Antibarenſis*. In ea autem ejus ſuffraganei diſertè memorantur, nempe Dioclienſis, Ecatarenſis, Palechienſis, Suatinenſis, Seodrienſis, Dinnaſtrienſis, Palatinenſis, Sorbienſis, Boſonienſis, & Tribunienſis, ex quibus nominibus aliqua corrupta ſunt. Erant ergo hoc tempore decem tantùm ſuffraganei Archiepiſcopo Antibarenſi ſubditi, quibus duo alii poſtea adjuncti fuére, *Drivaſtenſis* nempe, & *Zeculmienſis*, quorum meminit Diocles Presbyter in Regno Slavorum. In Croatia verò & Dalmatia, quæ

Digitized by Google

SÆC. XI. ALEXANDER II.

quæ in unum regnum coaluerat, regnabat Creſimirus Petrus, qui, ut notat idem Lucius, primus reperitur privilegia conceſſiſſe ſub titulo Regis Dalmatiæ & Croatiæ anno milleſimo quinquageſimo ſecundo. Croatas, imperante Heraclio Imperatore, circa annum 530 Chriſti fidem ſuſcepiſſe, & quidem à Romanis Sacerdotibus, docet Conſtantinus Porphyrogenneta in lib. de Adminiſtrando Imperio cap. 31, & Latinus ipſorum ritus demonſtrat: imò Thomas Archidiaconus Spalatenſis teſtatur Joannem Legatum Summi Pontificis, patria Ravennatem, primum Salonitanum, ſeu Spalatenſem Archiepiſcopum conſtitutum eſſe, qui ad hodiernum uſque diem totius Croatiæ Primas nuncupatur, ut ſcribit Joannes Lucius lib. 1 cap. 11. Verùm quo primum tempore Spalatenſibus Archiepiſcopus datus ſit, à nemine proditur.

XIV. *Item Archiepiſc. Salisburgenſ.*

Hoc eodem anno milleſimo ſexageſimo ſecundo Alexandrum Papam Gebehardo Archiepiſcopo Salisburgenſi pallium miſiſſe ſcribit Baronius, cùm ante annum cum dimidio, anno nempè Redemptoris milleſimo ſexageſimo, Gebehardus ejus Eccleſiæ fuiſſet electus Præſul: qui ob zelum, quo flagravit erga Apoſtolicam Sedem, cujus jurium defenſor acerrimus fuit, adversùs Henricum Regem & ſchiſmaticum Papam, meruit fieri Legatus ejuſdem Apoſtolicæ Sedis in Germania. De eodem Gebehardo Gregorius Papa VII lib. 1 Epiſt. 30, & lib. 2 Epiſt. 70 teſtatur veniſſe Romam, & Synodo interfuiſſe, eumque ab Alexandro Papa obtinuiſſe novi Epiſcopatûs erectionem.

XV. *Petrum Damiani ad ſchiſma ſedandum Florentiam legat.*

Circa eundem annum 1062 magnum in Eccleſia Florentina conflatum eſt ſchiſma, diſſidentibus ab Epiſcopo Monachis, inter quos primum locum tenebat Sanctus Joannes Gualbertus, Ordinis Vallis Umbroſæ in Italia fundator, ut in ejus Vita legitur: *Vir beatus Epiſcopum Florentinum, nomine Petrum, patria Ticinenſem, non ſolùm ſimoniæ, ſed etiam hæreſis propter illud vitium cum ſuis fratribus reum aſſerebat, nec ab eo ſacramenta percipienda dictabat. Inde verò vehemens orta eſt contentio in Clero, & populo Florentino, aliis Epiſcopum defendentibus, aliis Monachos laudantibus, quòd tanta libertate illud vitium deteſtarentur.* Et Epiſcopi parens, utpotè *homo ſimpliciſſimus*, falſus dicitur, ſe Regi *ter mille libras* dediſſe. Ad illud ſchiſma ſedandum Alexander II Papa B. Petrum Damiani Legatum Florentiam miſit, ut diſſidentes partes conciliaret. Monachi Epiſcopum ſuum, necdum ab Eccleſia condemnatum, clamabant eſſe vitandum, benedictiones illius, & ſacramenta, eſſe maledictiones, & ſacrilegia; ac proptereà prohibebant populum accipere ſacramenta ab Epiſcopo, aut ordinatis ab eo. Hinc plurimi abſque ſacramento Euchariſtiæ moriebantur, neque Baptiſmi chriſmate ungebantur.

XVI. *Petrus Damiani re infecta recedit.*

Cùm Petrus Damiani re infecta è legatione ſua redire coactus fuiſſet, hæc pluribus deduxit Opuſculo 30 de Sacramentis per improbos adminiſtratis, quòd Florentinis miſit. Correpti Monachi juſtâ Petri Damiani reprehenſione, quod zelo non rectè ordinato proſecuti cauſam Epiſcopi eſſent; Romam profecti coram Pontifice Epiſcopum accuſarunt. Petrus Monachus Vallis Umbroſæ poſt ſacrificium Miſſæ, indutus adhuc veſtibus ſacris, caſulâ ſolùm depoſita, per ignem illæſus tranſiit, ad probandum Florentinum Epiſcopum fuiſſe ſimoniacum, ut legitur in Epiſtola Cleri & populi Florentini ad Alexandrum Papam, & pluribus deſcribit Deſiderius Abbas Caſſinenſis, qui Victor III in Pontificatu poſtea dictus eſt, lib. 3 Dialog. ubi eundem Petrum Epiſcopum Albanenſem dum ſcriberet, adhuc ſupervixiſſe affirmat: Petrus enim Epiſcopatûs & Cardinalatûs dignitate poſtea auctus, & *Igneus* vulgò cognominatus. Sed falluntur qui, ſecuti modernum Scriptorem ejus Vitæ, Clementis VIII temporibus in lucem emiſſæ, ſcribunt, *Petrum Igneum* è gente Aldobrandina originem traxiſſe. Quæ tamen fabula, inquit Ughellus in Epiſcopis Præneſtinis, de hoc Sancto loquens, ita placuit, ut Petrus ipſe Cardinalis Aldobrandinus, alioquin Princeps ſapientiſſimus, illum in nova Clementina Aula cum Aldobrandinæ gentis inſignibus, elegantique epigrammate depingendum curarit.

XVII. *Alexander PP. Romæ Concilium celebrat.*

Hujus Petri Florentini Epiſcopi occaſione Alexander Pontifex anno milleſimo ſexageſimo tertio Romæ Synodum congregavit, cui Epiſcopi centum & amplius interfuére. In ea duodecim conditi canones, quibus Leonis IX, & Nicolai II decreta contra ſimoniacos renovantur, & confirmantur; Vita communis Clericorum ſancitur, Beneficiorum pluralitas prohibetur, conſanguineorum nuptiæ, ad ſeptimam uſque generationem vetantur, repentina laicorum ordinatio interdicitur, & ne quis ſpe Abbatiæ Monachus fiat. Petrum Florentinum Epiſcopum ſimoniæ convictum *Alexandro Pontifice de omni Epiſcopali officio depoſitum* fuiſſe in hac Synodo, Acta ſancti Joannis Gualberti tradunt: ſed quod ſcribit Baronius, hunc Petrum poſtea *reconciliatum* fuiſſe, *& in communionem ab eiſdem Monachis receptum*, negatur ab Ughello Tomo 3 Italiæ Sacræ in Archiepiſcopis Florentinis, qui contendit, alium mox ſubſecutum Epiſcopum, etiam Petrum nomine. Rectè tamen ſcribit Baronius Canonem IV hujus Synodi, quo decernitur, ut Clerici *ſimul manducent & dormiant*, *&*

Digitized by Google

SÆC. XI. ALEXANDER II.

quidquid eis ab Eccleſia competit communiter habeant, conditum eſſe ſuggerente Petro Damiani, *ſcriptis ſuis Alexandrum Pontificem ad hæc ſancienda rogante*, quibus verbis Baronius intelligit Opuſculum 24 ejuſdem Petri Damiani contra Clericos proprietarios, qui ſcilicet pecuniam, aliaque bona ſeorſum poſſidebant, idque ſibi licitum aſſerebant ex libro ſuæ Regulæ. Quos Canonicos oppugnat Petrus Damiani in dicto Opuſculo.

XVIII. *Petrum Damiani Legatum in Gallias mittit.*

Eodem anno milleſimo ſexageſimo tertio idem Alexander Pontifex Petrum Damiani Legatum in Gallias miſit, non, ut ſcribit Baronius, occaſione Gaufredi Comitis Andegavenſis, qui, ut conſtat ex Vita Sancti Hugonis Abbatis Cluniacenſis ab Hildeberto Cenomanenſi Epiſcopo ſcripta, monaſterium Sancti Martini Turonenſis tyrannica præſumptione affligebat; nulla enim inter Comitem illum Andegavenſem, & Sanctum Hugonem erat controverſia; ſed ad preces ejuſdem Sancti Hugonis ab Alexandro Papa decreta hæc legatio, cujus cauſa, & annus leguntur in definitione Synodali inter eundem Hugonem Cluniacenſem Abbatem, & Drogonem Epiſcopum Matiſconenſem, recitata in Bibliotheca Cluniacenſi pag. 509, & Tomo IX Concil. pag. 1177. Anno 1063 Drogo Epiſcopus Matiſconenſis, in cujus diœceſi Cluniacum poſitum, jus ſibi in illud tentavit arripere contra Sedis Apoſtolicæ privilegia. Ad beati Majoli Baſilicam pervenit, *ſed reſiſtentium ſibimet infractus obſtaculo intrare non potuit*. Tunc Hugo *Romanam Synodum impiger abiit, querelam ſuam coram ſancto Concilio fidelis relator expoſuit, novo periculo ſancti loci ruinam procul dubio minitanti, ut obviaret, oravit. Petrus Damianus Oſtienſis Epiſcopus ſe protinus obtulit, ſeſeque ad ſubveniendum monaſterio per tam longi, tam aſperi, tam duri itineris pericula deſtinavit.*

XIX. *Petrus Cabilone Synodum celebrat pro libertate monaſterii Cluniac.*

Petrus Damiani in Gallias adveniens *apud Cabilonenſem civitatem ex auctoritate Apoſtolicæ Sedis Synodum congregavit, cauſamque Cluniacenſis monaſterii, pro qua præſertim componenda devenerat, divina auxiliante clementia, optimo judicialis calculi fine concluſit. Inquiſiti ſunt omnes Epiſcopi, ſi privilegia, quæ audierant, rata decernerent, omnes uno ore concorditer laudaverunt, atque, ut perpetuò ſervanda atque illibata permaneant, communi judicio decreverunt.. .... Tandem decernente Concilio ſancitum eſt, ut Epiſcopus manu ſuper Sanctis Evangeliis ſuperpoſita juraret, ſicque Sedis Apoſtolicæ Legato & Concilio ſatisfaceret.* „Indiculus „Sacramenti: Audiat, inquit, domnus Pe„trus Oſtienſis Epiſcopus, & omnis ſan„cta Synodus, quia eo die, quo Cluniacum „commotus adveni, non in contemptu, „ſive deſpectu Sedis Apoſtolicæ, vel do„mni Alexandri Pontificis hoc egi: & pri„vilegiorum tenorem ac ſeriem, quæ mo„dò in noſtris auribus lecta ſunt, tunc ad „liquidum non cognovi. Sic me Deus ad„juvet, & hæc Sancta Evangelia. *Poſt eum quoque quatuor Eccleſiæ ejuſdem Clerici, in conſpectu omnium acceſſerunt, & jurejurando quod ille juraverat, ſuper eadem Evangelia firmaverunt..... Illicò Matiſconenſis Epiſcopus pavimento proſtratus, veniam petiit, ſe ſeque peccaſſe confeſſus, pœnitentiam in pane, & aqua jejunaturus accepit*. Et poſt pauca: *Quare perpetua monaſterii libertate firmata, omnis inter Epiſcopum, & Abbatem controverſia ſopita eſt*.

XX. *Alia in ea Synodo tractata.*

In eadem Cabilonenſi Synodo alia quoque ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentia tractata ſunt, uti cauſa Haderici Aurelianenſis Epiſcopi, quod patet ex Epiſtola 23 Alexandri Papæ *ad Gervaſium Remenſem Archiepiſcopum* data, qua ei gratias agit, quòd illum, qui Carnotenſem Eccleſiam ſimoniacè invaſerat, inde ejiciendum curarit, & Hadericum Aurelianenſem eadem de cauſa amoveri petit, quem ait, fraudulentia ſua *in Cabilonenſi Synodo*, Petrum Oſtienſem Epiſcopum, *à quo eadem Synodus celebrata eſt*, decepiſſe. Ad hanc præterea Petri Damiani Legationem, & Cabilonenſem Synodum revocat Coſſartius Epiſtolam 21 Alexandri Pontificis *ad Archiepiſcopos Galliæ* datam, in qua mandat, ut Petro Damiano, Legato Sedis Apoſtolicæ in omnibus fidem habeant, & debitè obediant.

XXI. *Hujus Synodi, & Legationis epocha.*

Porrò cùm in definitione Synodali laudata dicatur, hanc Legationem factam poſt Synodum Romanam anni milleſimi ſexageſimi tertii, & hæc Synodus Romana veriſimiliter poſt Paſcha ſecundùm morem celebrata ſit, Petrus Damiani ex eremo Fontis Avellani profectus eſſe videtur circa menſem majum; diu autem in Galliis ſe moratum conqueritur in Epiſtola 5 libri 6 ad Monachos Cluniacenſes: *Promiſſum mihi fuerat*, inquit, *quòd in Kalendas Auguſti forem regreſſus ad propria: ſed profligato poſtmodum trimeſtri curriculo, & quanta potui celeritate curavi, & tamen vix ante quintum Kalend. Novemb. diem, Fontis Avellani, unde proceſſeram, cacumen aſcendi*. Ex quibus tempus Synodi nobis innoteſcit, autumnale ſcilicet circiter tempus anni milleſimi ſexageſimi tertii. Laborem in ea legatione tùm à ſe impenſum ipſe Petrus memorat in Epiſtola 2 ejuſdem libri 6 ad ſanctum Hugonem Abbatem Cluniacenſem.

XXII. *Alexander PP. Berengarium monet, ut ab hæreſi diſcedat.*

Cùm Berengarius Hæreſiarcha, qui jam tertiò hæreſim abjuraverat, eandem per diſcipulos ſuos clanculò diſſeminaret, Maurilius Archiepiſcopus Rotomagenſis, graſſanti

Digitized by Google

ſanti ejus hæreſi frenum injecturus, Synodum habuit anno 1063 Comprovincialium Epiſcoporum, in qua Catholica fides aſſerta eſt, & fidei formula edita, quam impoſterum ordinandi Epiſcopi palam profiterentur. Eam Synodum, cujus nulla in Collectione Conciliorum mentio, eruit Mabillonius Tomo 2 Analectorum ex codice MS. Non ſolùm hæreſis Berengarianæ ſectatores hac in Synodo diris addicti ſunt, ſed ipſe etiam Alexander Papa Berengarium literis monuit, ut à ſua ſecta ceſſaret. Anonymus enim Chiffletianus ſæpius laudatus, poſtquam narravit, Berengarium ſedente Nicolao II hæreſim ſuam abjuraſſe, hæc ſcribit: *Sed Beringerius more ſuo ad proprium vomitum redire non timuit, & ultra omnes hæreticos, Romanos Pontifices, & Sanctam Romanam Eccleſiam verbis & ſcriptis blaſphemare præſumpſit. Nempè Sanctum Leonem Papam, non Pontificem, ſed Pompificem, & Pulpificem appellavit; Sanctam Romanam Eccleſiam, vanitatis Concilium, & Eccleſiam malignantium; Romanam ſedem non Apoſtolicam, ſed ſedem Satanæ dictis, & ſcriptis non timuit appellare. Sed hæreſim ſuam poſt tot Synodicas damnationes, & adjurationes, clanculò per diſcipulos ſuos uſquequaque non ceſſavit diſſeminare, & quoslibet incautos veneno ſuæ hæreſis inficere. Unde venerabilis Papa Alexander ſucceſſor Nicolai Papæ, literis eum ſuis ſatis amicè præmonuit, ut à ſecta ſua ceſſaret, nec amplius Sanctam Eccleſiam ſcandalizaret. Ille autem ab incœpto deſiſtere noluit, hocque ipſum eidem Apoſtolico literis ſuis remandare non timuit.* De eodem Hæreſiarcha iterum ſub Gregorio VII ſermo redibit.

XXIII. *Iis gratiam, & vexillum Rogerio Calabriæ Comiti mittit.*

Eodem anno milleſimo ſexageſimo tertio Rogerius, qui à Roberto Guiſcardo fratre Calabriæ Duce, Siciliæ præfectus fuerat, inſignem de Saracenis in Sicilia victoriam reportavit, ut refert Malaterra lib. 2 cap. 33, qua relata, *Comes* Rogerius *de collato ſibi beneficio non ingratus exiſtens, in teſtimonium victoriæ ſuæ per quemdam ſuorum nomine Meledium, camelos quatuor Alexandro Papæ, qui tunc temporis vices Beati Petri prudenter & catholicè exequebatur, apud Romam repræſentat. Apoſtolicus verò plus de victoria à Deo de paganis conceſſa, quàm de ſibi tranſmiſſis donariis gaviſus, benedictione Apoſtolicâ, & poteſtate, qua utebatur; abſolutionem de offenſis, ſi reſipiſcentes in futurum caveant, Comiti & omnibus, qui in lucranda de Paganis Sicilia, & lucratam in perpetuum ad Chriſti fidem retinendo auxiliarentur, mandat: vexillumque à Romana Sede, Apoſtolica auctoritate conſignatum, quo præmio de Beati Petri freti præſidio tutiùs in Saracenos debellaturi inſurgerent.* Notabilis eſt hæc antiqua indulgentia illis ab Alexandro Papa II conceſſa, qui contra Infideles pugnarent, ut adversùs eoſdem operam ſuam conferrent.

XXIV. *Inceſtuoſorum hæreſim in Synodo Rom. damnat.*

Anno milleſimo ſexageſimo quinto idem Alexander Pontifex duo Romæ Concilia celebravit, in quorum priori Inceſtuoſorum hæreſis damnata eſt. Sic appellatus eſt Juriſperitorum quorundam error pertinax, qui auctoritate Juſtiniani Imperatoris freti, gradus conſanguinitatis numerandos eadem ratione ab Eccleſia eſſe docebant, qua in ſucceſſionibus numerantur; atque matrimonia inter cognatos eſſe licita propugnabant. Eam hæreſim præ cæteris impugnavit orthodoxæ fidei defenſor Petrus Damiani; cùmque ejus ſcriptis tolli non poſſet, & ad eam comprimendam Auctoritate Apoſtolica opus eſſet: Alexander Papa Romę hanc Synodum indixit, in qua contra defenſores illius decretum edidit, quod Collectioni ſuæ inſeruit Gratianus cauſa 35, quæſt. 4, cap. *Ad Sedem Apoſtolicam*. Ad hoc Concilium referenda Epiſtola 38 Alexandri Papæ ad Epiſcopos, Clericos, & Judices Italiæ data.

XXV. *Eoſdem in alia Synodo Rom. excommunicat.*

Sed cùm Alexandri Papæ admonitio in hoc Concilio facta non ſufficeret, excommunicationis enim tantùm comminatio in eo facta fuerat, ut legitur apud Gratianum: opus fuit Pontifici eodem anno ſecundum Concilium in eorundem Inceſtuoſorum cauſa congregare, & pertinaces hæreticos excommunicatione percellere: ſed, quod doluit Petrus Damiani in Apologetico de Contemptu ſæculi, quod eſt Opuſculum 12, cap. 29, id etiam ſine fructu. Nam arte Diaboli conglutinatis animis inceſtuoſorum conjugum, nullo timore æternæ damnationis ab invicem divelli potuerunt. *Ecce inſuper hoc anno*, inquit Petrus Damiani loco laudato, *ſicut noſtis, per Romanæ Sedis Antiſtitem congregatum eſt Synodale Concilium, ubi denuò omnes inceſtuoſi, juxta Canonum decreta, Eccleſiaſtica ſunt communione privati. Sed quis ex tot millibus hominum ſaltem unum vidit ab infauſti fœderis abominatione divulſum?* Imò poſtea ſignificet Petrus aliud adhuc malum ex his oriri, cùm videlicet nonnulli legitimè copulati, prętextu fictæ conſanguinitatis, ſolutionem à nexu matrimonii procurarent, quos initi conjugii pœniteret, cùm in mala plurima, quæ non putaverant, impegiſſent.

XXVI. *Vexillum S. Petri Willelmo Normanniæ Duci dirigit.*

Sancto Eduardo Angliæ Rege, anno milleſimo ſexageſimo ſexto demortuo, poſtquam anno ſuperiori, ut inquit Ingulphus in Hiſtoria monaſterii Croylandenſis, *Robertum Archiepiſcopum Cantuariæ Legatum* ad Willelmum Normanniæ Ducem *à latere ſuo direxiſſet, illumque deſignatum regni ſui ſucceſſorem, tam debito cognationis, quàm merito virtutis ſui Archiepiſcopi rela-*

tu inſinuaſſet; Haraldus tamen Major-Domûs Regiæ, Godwini Comitis filius, qui eidem Willelmo juraverat, ſe Regis inſignia non affectaturum, poſtridie mortis Sancti Regis, ipſo Epiphaniorum die, paucorum Procerum fide impetratâ, coronam induit, & regni inſignia; quæ cùm deponere recuſaret, Willelmus perſonas laici ordinis, quæ præeminebant in Normannia, Præſuleſque claritudine religionis, omnimodæque probitatis accivit; ſed cùm diverſi diverſa ſentirent, *tandem*, ut inquit Ordericus lib. 3 Hiſt. Eccleſ. *Giſlebertum Lexovienſem Archidiaconum Romam miſit* Willelmus, *& de his, quæ acciderant, ab Alexandro Papa conſilium requiſivit. Papa verò auditis rebus quę contigerant, legitimo Duci favit, audacter arma ſumere contra perjurium præcepit: & vexillum Sancti Petri Apoſtoli, cujus meritis ab omni periculo defenderetur, tranſmiſit.* Willelmus accepto vexillo, tertio Kalendas Octobris mare transfretavit, prælioque commiſſo, Haraldus Rex peremptus eſt, & Willelmus *in ipſo die Natalis Domini* anni milleſimi ſexageſimi ſexti, quem Ordericus vocat ſexageſimum ſeptimum ab Aldredo Archiepiſcopo Eboracenſi in Regem Anglorum eſt conſecratus. Eſt hic Guillelmus, ſeu Willelmus Dux Normanniæ hujus nominis II, *Baſtardus* vulgò, & *Conqueſtor* cognominatus, de quo infrà ſermo redibit.

XXVII. *Godefridum Tuſcia Ducem in Normannos immittit.* Eodem anno milleſimo ſexageſimo ſexto Richardus Roberti Guiſcardi frater, qui à Nicolao II Papa Capuæ Princeps confirmatus fuerat, & Campaniam ac Capuam ſibi ſubjecerat, Patriciatum Romanæ urbis ambiens, vicina Romæ loca armis appetiit; ſed dum accepit Henricum Germaniæ Regem cum copiis venire, eam non facilè capiendam intellexit. Miſit Henricus Rex Godefridum Hetruriæ & Lotharingiæ Ducem, qui copioſo exercitu vallatus Romam conceſſit, teſte Leone Oſtienſi lib. 3 cap. 23, qui ſubdit: *Godefridus itaque à Pontifice Cardinalibuſque comitatus, mediante jam Majo, Aquinum cum omni exercitu venit: ibique decem & octo diebus, cum obſiſtentibus Normannis, pari ſemper eventu confligens, tandem ſatagente ſtrenuiſſimo internuncio Guillelmo, cui Frons audax cognomen fuit, ad id deducta res eſt*, ut Dux & Principes Normannorum ad colloquium venirent, ſicque non parva à Normannis acceptâ pecuniâ, Dux *ad propria rediit*. Bellum illud ad annum 1066 pertinere eruitur ex verbis Leonis Oſtienſis ſequentibus: *per eos dies ſtella, quam cometem vocant, ingentem poſt ſe faciem gerens, pluſquam viginti diebus viſa eſt.* Hujus enim Cometes meminêre Curopalates, & Zonaras, eumque *menſe Majo, quarta indictione* apparuiſſe diſertè ſcribunt, ideoque anno milleſimo ſexageſimo ſexto, non verò ſexageſimo quinto, ut ſcripſit Sigonius lib. 9 Hiſt. de Regno Italiæ.

XXVIII. *Caſſinenſes promovet.* Alexander Papa, qui cum eodem Duce profectus eſt in Campaniam, Caſſinenſe monaſterium aſcendit, ubi inſtigante Hildebrando Archidiacono, aliquos ex monachis delegit, quos diverſis Eccleſiaſticis officiis & dignitatibus decoravit. *Tunc etiam ſolemne privilegium idem Apoſtolicus Deſiderio Caſſinenſi Abbati de omnimoda monaſterii libertate conceſſit: Ne quis omninò Epiſcopus, excepto Romano Pontifice, non modò in noſtra, vel principali Eccleſia, verùm in omnibus ubicumque locorum ad nos pertinentibus cellis, ullam juriſdictionem quolibet modo ſibi uſurpare præſumeret, Apoſtolica auctoritate interdixit*, inquit loco laudato Leo Oſtienſis ejuſdem monaſterii Caſſinenſis Monachus.

XXIX. *Legatos Mediolanum mittit contra ſimoniacos, & fornicarios Clericos.* Diſſenſiones & perturbationes Mediolanenſis Eccleſiæ ob ſimoniacos, atque Clericos fornicarios ita auctæ ſunt, ut Sanctus Arialdus Mediolanenſis Clericus, ſimoniacorum & fornicariorum Clericorum hoſtis, ab iis quarto Kalendas Julii anni milleſimi ſexageſimi ſexti martyrio coronatus fuerit; de cujus morte valde doluit Alexander Papa, qui anno ſequenti milleſimo ſexageſimo ſeptimo eorum miſeratus errores, & damna ex iis jugiter provenientia, ad eos Legationem decrevit. Delecti ſunt ad hoc munus Mainardus Cardinalis Silvæ Candidæ Epiſcopus, & Joannes Presbyter Cardinalis, ut ſimoniacam & Nicolaitarum hæreſim penitus extirparent. Quod præſtiterunt edita conſtitutione, quæ leges Mediolanenſibus ad hunc finem tunc præſcriptas complectitur, quæque hos temporis characteres præfert: *Anno ab Incarnatione D. N. Jeſu Chriſti* 1067, *Pontificatûs verò domini Alexandri II Papæ ſexto, indictione* 5, *die prima menſis Auguſti.* Extat ea Conſtitutio inter Epiſtolas VI & VII Alexandri Papæ Tomo IX Concil. editionis Labbeanæ. Sanctum Arialdum eodem anno 1067 ab Alexandro Papa in numerum Sanctorum relatum, conſtat ex Landulpho Juniori Mediolanenſi Hiſtorico, cujus verba num. 33 recitabo.

XXX. *Mantua Synodum cogit.* Eodem anno milleſimo ſexageſimo ſeptimo Alexander Pontifex Mantuæ Concilium celebravit, in quo, teſte Sigeberto in Chronico, Cadolus Antipapa iterum condemnatus eſt, & Alexander II in univerſa Eccleſia, ut verus Pontifex agnitus: *Romæ*, inquit, *duobus de Papatu contendentibus, Mantuæ Synodus colligitur, & mediante Annone Colonienſi Archiepiſcopo, Alexander ſe jurejurando de ſimonia expurgans in Sede Apoſtolica ſubrogatur, & Cadolus ut ſimoniacus repudiatur.* Ita Sigebertus, qui

Digitized by Google

qui hoc tempore vivebat, ad annum 1067. Hunc ſecuti Nauclerus & Matthæus Paris in Chron. illud etiam Concilium eidem anno aſſixerunt. Sed hanc epocham extra dubium ponit Landulphus Junior, ſeu à Sancto Paulo, qui res Mediolani geſtas literis mandavit. Hic enim apud Puricellum in Vita Sancti Arialdi Martyris cap. 38, narrata morte ejus, quæ anno 1066 contigit, ait: *De cujus morte doluit Alexander Papa: unde anno ſequenti, ſcilicet 1067, cùm idem Papa iret ad Synodum, quam Mantuæ celebravit, Mediolanum venit*, &c. Concilium illud, quod apud Baronium, & in Collectione Conciliorum ad annum 1064 revocatur, celebratum eſſe anno 1067 pluribus probat Annotator Baronii, ex quo hæc excerpta.

XXXI. *In ea Cadolus Antipapa iterum deponitur.*

In Geſtis Romanorum Pontificum ſæpius laudatis, à Nicolao Cardinali Aragonio collectis, apud Baronium anno 1064, loco ſcilicet non ſuo, legitur Annonem Colonienſem Archiepiſcopum Romam ad Alexandrum Papam veniſſe, à quo benignè exceptus, petiit, qua ratione, abſque mandato & aſſenſu Henrici Germaniæ Regis accepiſſet Papatum; ſed Hildebrandum Archidiaconum cum Epiſcopis Cardinalibus eidem Annoni Colonienſi Archiepiſcopo reſpondiſſe, in electione Romanorum Pontificum juxta Sanctorum Patrum canonicas ſanctiones, Regibus nihil penitus eſſe conceſſum, & deductis in medium pluribus Sanctorum Patrum decretis, & præcipuè illo Nicolai capitulo, in quo centum & tredecim Epiſcopi ſubſcripſerunt; poſt multas & varias altercationes, ita ſufficienter eidem Colonienſi ſatisfactum eſſe, ut ex tunc rationabiliter reſiſtendi non habuerit occaſionem. Sed his expletis Dominum Papam Colonienſis Archiepiſcopus rogavit, ut pro hac parte dignaretur in partibus Lombardiæ Synodum celebrare, electionis ſuæ factum oſtendere, & rationabiliter demonſtrare. Quod licèt inconſuetum, & à Romani Pontificis dignitate videretur alienum; conſideratâ tamen temporis malitiâ, petitioni aſſenſum præbuit, & apud Mantuam Synodum convocavit, cujus Actis deperditis, illud ſolùm habemus, in ea Cadolum Antipapam repudiatum, & Alexandrum II ab univerſa Eccleſia legitimum Pontificem agnitum eſſe.

XXXII. *Ab Alexandro PP. ante mortem veniam impetravit.*

Cadolum huic Concilio non interfuiſſe, licèt ab Annone Colonienſi vocatum, conſtat ex Aragonio Cardinali; ſed quo anno poſtea è vivis exceſſerit, incertum. Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 1064 ait, eum etiam poſt Alexandrum in Sede Apoſtolica confirmatum, non deſtitiſſe ordinationes facere, & ſua per Eccleſiam decreta deſtinare; ſed cùm Nicolaus Cardinalis Aragonius, Leo Oſtienſis, & Auctor MS. libri Cenſuum à Baronio citatus, contrarium ſcribant; & idem Nicolaus teſtetur Cadolum, paucos poſt dies peſſimam mortem incurriſſe, poſtquam veniam ab Alexandro Papa *condigna ſatisfactione præſtita*, impetraſſet, ea in re non videtur Lambertus audiendus. Ceterùm quo præcisè tempore poſt Concilium Mantuanum obierit, nos latet. Ptolemæus tamen Lucenſis numero ſequenti laudandus, ſcribit etiam eum Alexandro Papæ fuiſſe reconciliatum.

XXXIII. *Alexander PP. S. Arialdum canonizat.*

Ante Synodum Mantuanam idem Alexander Pontifex Mediolanum perrexit, multa utilia ibidem in Clero conſtituit, & Sanctum Arialdum Sanctorum Martyrum numero adſcripſit. Id conſtat ex Landulpho Juniore, qui loco mox laudato apud Puricellum ſcribit: *Paſſus eſt Beatus Arialdus quinto*, (legendum quarto, ut obſervat Annotator Baronii) *Kal. Julii anno domini 1066, de cujus morte doluit Alexander Papa: unde anno ſequenti, ſcilicet 1067, cùm idem Papa iret ad Synodum, quam Mantuæ celebravit, Mediolanum venit, multaque fecit ſtatuta de ſtatu Mediolanenſis populi & Cleri, Beatumque Arialdum Sanctorum Martyrum catalogo adſcripſit*. B. Andreas Abbas Vallis Umbroſæ in S. Arialdi Vita cap. 31, qui de rebus à ſe omnique populo diu poſt ejus martyrium viſis loquitur, ait: *Fragrantiam ex ipſis digitis, quibus corpus* Arialdi *tetigeram, emanare ſenſi, qualem quantamve nunquam me alibi ſenſiſſe reminiſcor*; ex quo refellitur Landulphus Senior Arialdo inimicus, qui apud eundem Puricellum lib. 1 cap. 2 ſcribit, tranſactis aliquantis diebus à morte Arialdi, ejus cadaveris fœtorem caſtellum omne occupaſſe. An Alexander Papa Mediolanum venerit, ante, vel poſt Legationem Mainardi Silvæ Candidæ Epiſcopi, & Joannis Cardinalis, de qua mox locuti ſumus, incertum, cum præſertim toto illo anno 1067, quo Concilium Mantuæ celebravit, in Longobardia permanſerit, & ſcribit Ptolemæus Lucenſis in Chronico: *Epiſcopos ſchiſmaticos*, inquit, *cum Cadulo ad gremium Eccleſiæ refert, ipſoſque ſibi reconciliat, totumque populum ſibi faventem. Contraxitque moram in toto ſpatio illius anni in dicta regione, pro majori firmitate pacis & unitatis*. Hic porrò non omittendum Epiſtolam XII Alexandri Papæ ad Gervaſium Remenſem Archiepiſcopum ſcriptam eſſe poſt Concilium Mantuanum, ut obſervavit Florentinius in Commentario Rerum ad Mathildem Comitiſſam ſpectantium lib. 1.

XXXIV. *Scribit ad Regem Anglorum pro exactione denarii S. Petri.*

Ad annum milleſimum ſexageſimum octavum revocat Baronius Epiſtolam VIII Alexandri Papæ ad Willelmum Regem Anglorum pro exactione Denarii Sancti

Pe-

Digitized by Google

Petri, cujus fragmentum extat in libro Cenſuum Romanæ Eccleſiæ, qui reperitur in Bibliotheca Vaticana: *Novit prudentia tua*, inquit Alexander, *Anglorum regnum, ex quo nomen Chriſti ibi clarificatum eſt, ſub Apoſtolorum Principis manu & tutela extitiſſe, donec quidam membra mali capitis effecti, Zelantes ſuperbiam patris ſui ſatanæ pactum Dei abjecerunt, & Anglorum populum à via veritatis averterunt*. Et paulò poſt: *Nam, ut bene noſti, donec Angli fideles erant, piæ devotionis reſpectu ad cognitionem religionis annuam penſionem Apoſtolicæ Sedi exhibebant, ex qua pars Romano Pontifici, pars Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, quæ vocatur Schola Anglorum, in uſum fratrum deferebatur*. De hoc Sancti Petri denario, & de Schola Anglorum vide dicta in Gregorio II, & in Hadriano I.

XXXV. *Officium Rom. in Aragonia, rejecto Gothico, recipi curat.*

Officium divinum, quo Hiſpania, & vicinæ regiones adhuc hoc tempore utebantur, *Gothicum* dicebatur, quia originem habuit eo tempore, quo Reges Gothi ibidem dominabantur; *Mozarabicum* itidem dictum, quia cùm Arabes ſæculo octavo Hiſpaniam penè omnem occupaſſent, Chriſtiani *Mixtarabes*, & corrupto vocabulo *Mozarabes*, ideſt mixti Arabibus dicti ſunt. Illud Officium quamvis à viris ſanctis, & orthodoxis compoſitum fuerit, Hiſpaniâ tamen ab Infidelibus devaſtatâ, ita erroribus refertum eſt, ut Elipandus Toletanus Epiſcopus ex ipſis officiis depravatis plura acceperit teſtimonia ad ſuam hæreſim adſtruendam, ut conſtat ex Albino Flacco in libro adversùs eundem Elipandum. Illud officium viguit in Hiſpania, & in Gallia Narbonenſi, aliiſque Gothorum regionibus, donec Alexandri II Papæ auctoritate paulatim cœpit abrogari, ejuſque loco Romanum ſubſtitui. Anno milleſimo ſexageſimo tertio, quo Remirus, ſeu Ranimirus in Aragonia regnabat, congregatum eſt Jaccæ in eodem regno Concilium, in quo agente Remiro abrogatum eſt Officium Gothicum & Romanum admiſſum, ut oſtendit Annotator Baronii ad annum 1060 nu. 2, qui & anno ſequenti num. 6 probat, Alexandrum Papam Hugonem Candidum Presbyterum Cardinalem anno 1068 in Hiſpaniam Legatum miſiſſe, tum ad tollendum ſchiſma, tum ut Divinorum Officiorum ritus Romana ex formula conſtitueret, quod probat non ſolùm ex Diago lib. 1 Hiſt. Comit. Barcin. cap. 57, ſed etiam ex Surita lib. 1 cap. 21, ex quibus conſtat, tunc Alexandrum Papam agnitum fuiſſe ab omnibus ut verum Pontificem, & Officium Romanum, uti jam decretum fuerat in Concilio Jaccetano anno 1063 coacto, receptum ab Hugone Legato, & à Sanctio Ranimiro Rege Aragoniæ Remiri filio & ſucceſſore.

Idem Diagus laudatus ait, Eccleſiaſticorum officiorum reformatione à Sanctio Ramiro, ſeu Ranimiro, ejuſque Proceribus in Aragonia admiſſo, Hugonem Candidum Legatum cum Aquilino Sancti Joannis Pennatenſis Abbate, ab eodem Sanctio Ramiro Legato ad Pontificem miſſo, Romam perrexiſſe, & dum per urbem Barcinonenſem tranſiret, ibi per aliquot dies ſubſtitiſſe.

XXXVI. *Tum in Comitatu Barcinonenſi.*

Præerat tunc Comitatui Barcinonenſi Raymundus Berengarii hujus nominis primus, qui *Vetulus* dicebatur. *Hic Comes famoſiſſimus*, inquit Auctor Anonymus de Geſtis Comitum Barcinonenſium apud Baluzium in Marca Hiſpanica pag. 543, *ſuum optans dominium decorare, coram Ugone Cardinali, & Legato Romano, ac ſuis plurimis Magnatibus intra Barchinonæ palatium, ſupradictorum conſilio & aſſenſu propria quædam inſtituit jura, quæ Barchinonæ uſaticos nuncupamus, mandavitque, ut iis Conſtitutionibus omnes comitatus ſub Barchinonenſis Comitatus imperio regerentur*. Videns autem Legatus hunc Principem, ad ea quæ Alexander II optabat valdè propenſum, de eo officio in eo principatu abrogando cogitavit, ejuſque conatum promovit Adalmodis Raymundi uxor, in Francia nata, ubi Officium Romanum, *Gallicanum* dictum, in uſu erat. Legatus itaque Concilium Barcinonæ indixit, cui interfuére Epiſcopi, & Abbates Principatûs Barcinonenſis, & in quo, ut refert Diagus laudatus, communi conſenſu officium Gothicum repudiarunt, & juxta ſacros Canones decrevére, ut impoſterum Clerici in perpetua continentia viverent, neque, ut ante factum fuerat, uxores ducerent. Sed hoc Concilium, & Legatio Hugonis Cardinalis pertinent ad annum 1068, cùm contigerint poſt Concilium Mantuanum, Hiſpanicis Auctoribus citatis teſtibus; illud autem Concilium anno 1067 congregatum eſſe, jam ſuperius demonſtravimus.

XXXVII. *Alexandri Papæ auctoritate Treuga Dei confirmatur.*

Licèt bella inter privatos legibus probata non eſſent, ſed potius, ſi provocatio præceſſiſſet, pro jure conſtituto haberentur, ita ut in adverſarium cæde, prædis & incendiis ſæculo undecimo graſſari liceret, Epiſcopi Gallicani multis comminationibus, iis malis mederi conati ſunt; ſed cùm comminationes non ſatis proficerent, delatæ ſunt paſſim Sanctorum Reliquiæ: & cum malum non ceſſaret, anno milleſimo trigeſimo quarto varia Concilia celebrata ſunt, ut unicuique injurias ſibi illatas ulciſcendi, prædaſque agendi facultas tolleretur. Sed cùm iis non obſtantibus eadem mala perdurarent, adinventa eſt pax, *Treuga Dei*, ſeu *Treuga Domini* appellata, quæ confœderatio cum Epiſcopis, & Magnatibus inita, ut certis hebdomadæ diebus, ſcilicet diebus Jovis, Veneris, Sabbati, & Domi-

Digitized by Google

Dominicæ, quos ſub finem vitæ præcipuis ſalutis noſtræ myſteriis Dominus conſecravit, ab armis, & cædibus, aliiſque hoſtilibus factis abſtineretur. Quam Treugam primitus in Aquitaniæ partibus anno milleſimo quadrageſimo primo inſtitutam, docent nos Glaber lib. 4 cap. 5, & Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, à Labbeo Tomo I Bibliothecæ publicato. Hanc Treugam ab Epiſcopis, & Proceribus decretam, ac à variis Conciliis confirmatam oſtendit Petrus de Marca lib. 4 de Concordia cap. 14, quorum primum exhibet Claromontanum ſub Urbano II; ideoque exiſtimare videtur, hunc fuiſſe primum ex Romanis Pontificibus, qui Treugam Domini approbarit, & confirmarit. Sed Baluzius in Appendice Marcæ Hiſpanicæ pag. 1139 refert conſtitutiones *pacis & treugæ* editas in vico Auſonenſi, ex quibus conſtat Treugam Dei anno milleſimo ſexageſimo octavo ab Hugone Cardinali, auctoritate Alexandri Papæ II fuiſſe confirmatam; in fine enim earum Conſtitutionum habetur: *Item Hugo Candidus Cardinalis Romanus in Concilio Gerundenſi cum Epiſcopis, & Abbatibus, ſive Principibus, ac totius terræ magnatibus, & auctoritate Romani Papæ, cujus legatione fungebatur, confirmavit, & laudavit pacem & treugam, ſicut erat apprehenſa in Epiſcopatu Gerundenſi. Et addidit in eadem treuga conſenſu omnium, atque juſſit auctoritate Domini Papæ, ut pari modo teneretur à Dominica Octavarum Paſchæ, uſque ad octo dies poſt Pentecoſten, ſicut Quadrageſimali tempore. Et transgreſſores pacis & treugæ Domini excommunicationis anathemati ſubjecit, quoad uſque reſipiſcant, & ad ſatisfactiones in Canonica veniant.* Et hæc eſt prima, ni valde fallor, Treugæ Dei confirmatio, Apoſtolicâ auctoritate facta. De ea Treuga legendus Marca loco laudato. Treugam etiam Dei ab Urbano II ante Concilium Claromontanum, anno 1089 in Concilio Melfitano confirmatam ſuo loco dicetur.

XXXVIII. *Alexander PP. Petrum Damiani Legatum in Germaniam mittit.* Henricum Germaniæ Regem hujus nominis IV, anno milleſimo ſexageſimo ſexto, cum Bertha filia Ottonis Marchionis Italorum, Regio apparatu nuptias celebraſſe, ſcribit ad eundem annum Lambertus Schafnaburgenſis. Sed poſtea eundem Regem, quem uxoris tædium cæperat, ad divortium jam meditatum explendum ineſcare cœpiſſe Sigefridum Moguntinum Archiepiſcopum pollicitatione opis ad exprimendas Thuringorum decimas, aſſerit idem Auctor ad annum 1069. *Epiſcopus*, inquit, *tam pretioſa pollicitatione redemptus, quantum poterat, ſalva verecundia, haud ægrè cauſam Regis tuebatur.* Sed cùm Alexander Papa ad hoc divortium impediendum, Petrum Damiani Legatum ad Henricum miſiſſet, die, qui ſcindendo Regis conjugio dictus erat, dum Rex Moguntiam properaret, *comperit Legatum Sedis Apoſtolicæ, ſuum Moguntiæ adventum præſtolari; qui diſſidium fieri prohibeat, & Epiſcopo Moguntino Apoſtolicæ animadverſionis ſententiam minitetur, quòd tam nefariæ ſeparationis ſe auctorem promiſerit.* Omnes qui aderant Principes *ajebant æqua cenſere Romanum Pontificem, & per Deum rogabant, ne crimen inferret gloriæ ſuæ.* Tandem Henricus *annuit quidem, ut in regni conſortium Regina revocaretur;* ſed ejus congreſſum, conſortiumque vitavit, ut refert idem Lambertus. Sigefridus Moguntinus Epiſcopus rem prorſus aliter narrat in Epiſtola ad Alexandrum Papam, quæ extat Tomo IX Concil. pag. 1122, aitque, ſe minatum eſſe Henrico Regi excommunicationem, rogatque ut aliquos de ſuo latere mittat, qui Concilio Moguntino à Coepiſcopis ſuis indicto, præſint. Quare vel Lambertus erravit, vel Sigefridus, poſtquam comperit Alexandrum Papam, B. Petrum Damiani Moguntiam mittere, literas illas ſcripſit, ut Pontifici fucum faceret. Sed quidquid ſit, non reperimus Henricum poſt Legationem Petri Damiani amplius cogitaſſe de repudianda Bertha uxore, cum qua anno 1084 à Guiberto Antipapa Imperator coronatus eſt, teſte Abbate Urſpergenſi.

XXXIX. *Moguntinum, & Bambergenſem Archiepiſcopos Romam vocat.* Anno milleſimo ſeptuageſimo Moguntinum, Bambergenſem, & Colonienſem Archiepiſcopos ſimoniæ accuſatos, Romam ad dicendam cauſam vocavit Alexander Papa, quos graviter objurgatos, & jurejurando de vitanda ſimonia obſtrictos remiſit, ſi eidem Lamberto Schafnaburgenſi fides; ejus enim narrationi, quod ſpectat ad ſanctum Annonem Colonienſem Archiepiſcopum, repugnat Auctor Vitæ ejuſdem Sancti lib. 1 cap. 33 & ſeqq. apud Surium die 4 Decembris, qui teſtatur ſanctum Annonem anno milleſimo ſeptuageſimo Romam perrexiſſe, non ab Alexandro Papa vocatum, ſed ob multas Eccleſiæ ſuæ cauſas, & inter eas illam fuiſſe præcipuam, ut Sanctorum Reliquias inde acciperet, & collocaret eas in monaſteriis à ſe tunc conſtructis. Corrigendus & Lambertus Schafnaburgenſis in eo quod ſcribit, Alexandrum Papam pecunia corruptum Archiepiſcopos illos ad ſuas Eccleſias dimiſiſſe; Moguntinus enim Archiepiſcopus apud eundem Lambertum ad annum 1071 teſtatus eſt Henrico Regi, ſe anno antecedenti aſperè admodum ab Alexandro redargutum, vixque ſine privatione Archiepiſcopatûs elapſum.

XL. *Legatos in Angliam mittit.* Willelmus Angliæ Rex ab Alexandro Papa petiit, ut Legatos à latere ſuo in Angliam mitteret, qui præeſſent Synodo ibidem celebrandæ, in qua Stigandum

Do-

Doroberniæ, ſeu Cantuariæ Archiepiſcopûm è ſede dejecerunt. Alexander itaque anno milleſimo ſeptuageſimo miſit Hermenfredum Sedunenſem Epiſcopum, & Presbyteros Joannem, & Petrum Cardinales, Sedis Apoſtolicæ legatos, qui, ut refert Rogerius Hovedenus in Annalibus, Synodum Vintoniæ celebrarunt, in qua Stigandus depoſitus eſt; quod Ordericus Vitalis lib. 4 unum Concilium cum alio confundens, factum ſcribit in Concilio Windſorienſi eodem anno celebrato: *Guillelmus Rex*, inquit, *dominicam Reſurrectionem in urbe Guenta celebravit, ubi Cardinales Romanæ Eccleſiæ coronam ei ſolemniter impoſuerunt. Nam ex petitione ipſius Alexander Papa tres idoneos ei, ut chariſſimo filio legaverat Vicarios Ermenfredum Pontificem Sedunorum, & duos Canonicos Cardinales. Quos apud ſe annuo fermè ſpatio retinuit, audiens & honorans eos tanquam Angelos Dei. In diverſis locis, in plurimis negotiis ſic egére ſicut indigas canonicæ examinationis, & ordinationis regiones illas dinovére. Maxima verò ac utillima Synodus* Windreſoris (vulgò Windſor) *celebrata eſt anno* 1070 *ab Incarnatione Domini. Rex, & Cardinales eidem Concilio præſederunt, & illic Stigandum* (Archiepiſcopum Cantuarienſem) *pridem reprobatum anathemate depoſuerunt. Perjuriis enim & homicidiis inquinatus erat, nec per oſtium in Archipræſulatum introierat. Nam à duobus Epiſcopis Norfulcano & Guentano nefanda gradatione ambitionis, & ſupplantationis aſcenderat. Suffraganei quoque aliquot dejecti ſunt, indigni Pontificatu propter criminoſam vitam, & curæ paſtoralis inſcitiam.* Alias depoſitionis Stigandi cauſas refert Rogerius Hovedenus laudatus, qui ſubdit, finita Synodo, Cardinales Legatos ab Anglia diſceſſiſſe Romam reverſuros, relinquentes illic Hermenfredum Sedunenſem Epiſcopum, qui, ut ſcribit Ordericus ibidem, Lanfrancum Cadomenſium Abbatem Cantuarienſis Eccleſiæ Præſulem conſecravit, & inthronizavit IV Kalendas Septembris in die dominica eodem anno 1070, quem eundem diem conſecrationis Lanfranci notavit novus Chronographus Saxo.

XLI. *Quartam Romæ Synodum habet.*

Eodem pariter anno milleſimo ſeptuageſimo Concilium quartum Romæ celebravit Alexander Pontifex, cujus nulla mentio in Conciliorum Collectione, quod refertur ab Annotatore Baronii ex Coſma Decano Pragenſi; hic enim, qui hoc ipſo tempore vivebat, in Chronico Bohemorum ait: *Anno Dominicæ Incarnat.* 1070 *Dux* (Bohemiæ) *Wratiſlaus in moribus Deo carus & hominibus, necnon in rebus bellicis miles præclarus inſpiratione divina commonitus monaſterium in metropoli Bohemiæ urbe* Wiſſegrad *vocata, quæ omnium terræ illius civitatum quaſi mater & domina eſt, Deo juvante conſtruendum pia mente propoſuit. Ad cujus propoſiti efficientiam non mediocri animo conſilia pertractans, dignum duxit, quatenus monaſterium, quod gratia Dei cooperante conficiendum devotè propoſuerat, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifici regendum, omnique ab adverſitate diligenter protegendum, ſimul cum Canonicis ejuſdem Eccleſiæ commendaret. Igitur Petrus Eccleſiæ Sancti Georgii Præpoſitus Romam miſſus devota nuntia ſui Ducis domino Apoſtolico fideliter inſinuavit. Quo audito venerabilis Papa Alexander II Deo gratias pro tam felici præfati Principis deſiderio retulit; moxque Synodum convocavit, in qua LXXII Epiſcopi fuerunt. Quibus poſtquam omnia prædicti Ducis verba recitavit, cuncti unanimi corde & voce glorificantes Deum, qui Sanctam ſuam Eccleſiam in toto orbe dilatare non ceſſat, responderunt, Amen.* Refert poſtea Coſmas Pragenſis Reſcriptum Alexandri II datum *VII Idus Maji*, quod idem Baronii Annotator, vel addititium, vel interpolatum exiſtimat, quod examinare non licet, quia ad manum non eſt. Illius Eccleſiæ Collegiatæ propè Pragam, ad arcem Viſſegrandenſem fundatæ, in pleriſque Hiſtoricis & Chronologis Bohemiæ mentio eſt, ſed in Hiſtoriis Æneæ Sylvii & Dubravii, eam Alexandro III ſedente fundatam perperam legitur; nam præterquam quòd Coſmas Pragenſis ad illud tempus non pervenit, Joannes Epiſcopus Tuſculanus, qui ejus fundamenta jecit, ſub Alexandro II vixit. Uratiſlaus Dux ejus Eccleſiæ privilegia auxit, & Præpoſitum ejus, *Principem & Cancellarium* regni Bohemiæ in perpetuum eſſe juſſit.

XLII. *Moguntiæ Synodum congregari jubet.*

Poſt obitum Rumoldi Conſtantienſis Epiſcopi, Carolus Magdeburgenſis Canonicus ab Henrico Germaniæ Rege Epiſcopatum Conſtantienſem obtinuit; ſed Alexander Papa prohibuit Sigefrido Moguntino Archiepiſcopo ne eum conſecraret, ut conſtat ex Epiſtola ejuſdem Sigefridi ad eundem Pontificem data, quæ extat Tomo IX Concil. pag. 1205, in qua ait: *Mihi Romæ poſito, viva voce, & poſtea Apoſtolica legatione interdixiſtis, ne eum, qui deſignatus eſt in Conſtantienſem Epiſcopum, ullo modo conſecrarem: quia audiſtis elogio ſimoniacæ hæreſis eum notabilem. In quo, quia Vobis obedivi, multa, ut præmiſſum eſt, à Domino meo* (Henrico ſcilicet Rege) *ſuſtinui; timeoque me adhuc graviora paſſurum, & Eccleſiæ meæ magnum fore detrimentum, niſi benignus ille Petrus clave ſua me defendat, & veſtræ auctoritatis poteſtas adverſus Regiam poteſtatem zelo juſtitiæ me protegendo ſe accingat.* Alexandri Papæ reſponſum ad Sigefridum ad nos non pervenit; ſed cùm anno milleſimo ſeptuageſimo primo,

men-

menſe Auguſto, Moguntiæ habita ſit Synodus, quæ de Carolo Epiſcopo Conſtantienſi judicium tulit, in eaque Sigefridus *Apoſtolicæ Sedis Legatum* ſe appellet, manifeſtum eſt eam Synodum, jubente Alexandro, congregatam fuiſſe. Ex Actis ejuſdem Synodi primùm à Theognoſto, deinde à Coſſartio Tomo IX Concil. editis, & ex Lamberto Schafnaburgenſi conſtat, in ea Caroli, ſimoniæ, aliorumque criminum accuſati, cauſam diſcuſſam eſſe, ipſiuſque confeſſione & ceſſione finitam. Marianus Scotus in Chronico addit, Carolum depoſitum *deinde poſt annum non* vixiſſe.

XLIII. *Archiepiſcopis Cantuar. & Eborac. Pallium tribuit.*

Lanfrancus, quem Cantuarienſem Archiepiſcopum conſecratum mox diximus, & Thomas Eboracenſis itidem Archiepiſcopus eodem anno milleſimo ſeptuageſimo primo Romam ad Alexandrum Papam perrexerunt, ab eo, ex more, pallium ſuſcepturi. Ubi cùm ambo ab eodem Pontifice benignè ſuſcepti eſſent, Lanfranco poſt exhibitum pallium, aliud ſuper addidit Pontifex in ſignum amoris, illud ipſum ſcilicet, quo idem Pontifex uti conſueviſſet in celebratione Miſſarum. Dum Romæ eſſent Lanfrancus Cantuarienſis, & Thomas Eboracenſis, controverſia inter eos moveri cœpta de primatu inter utramque Eccleſiam, Thoma Eboracenſi dicente, Cantuarienſem Eccleſiam, atque Eboracenſem parem ad invicem honorem habere, nec alteram alteri ſecundùm Beati Gregorii Conſtitutionem, debere ullatenus ſubjacere, & inſuper Epiſcopos, Dorcenſem, ſive Lincolnienſem, Wigornienſem, & Lecefeldenſem ſuæ ſedi, ſuiſque anteceſſoribus ab antiquis temporibus extitiſſe ſubjectos. De qua re, & de tribus Epiſcopis, multis hinc inde verbis prolatis, decrevit Alexander Papa oportere cauſam hanc in Anglicana terra audiri, & illic totius regni Epiſcoporum, & Abbatum teſtimonio, & judicio definiri. Hæc conſtant ex Malmeſburienſi lib. 1 de Geſt. Reg. Angl. ubi pag. 212 recitat etiam partem Epiſtolæ Joannis XII Papæ ad Sanctum Dunſtanum Cantuarienſem Archiepiſcopum, ex qua conſtat Cantuarienſes Archiepiſcopos jam olim primatum ſuper omnes Angliæ Antiſtites habuiſſe: *Primatum tuum*, inquit Joannes XII, *in quo tibi ex more anteceſſorum tuorum, vices Apoſtolicę Sedis exercere convenit, ita tibi ad plenum confirmamus, ſicut Beatum Auguſtinum, ejuſque ſucceſſores prefatę Eccleſiæ Pontifices habuiſſe dignoſcitur.*

XLIV. *Ejus auctoritate finitur controverſia de Primatu inter hos duos Archiepiſcopos.*

Ad hanc controverſiam dirimendam anno ſequenti milleſimo ſeptuageſimo ſecundo ex mandato Alexandri Papæ *Hubertus Sanctę Romanę Eccleſię Lector*, vel, ut legitur apud Lanfrancum, *Subdiaconus*, Alexandri II Legatus Synodum Generalem in Anglia celebravit, in qua coram Epiſcopis, & Abbatibus, & Rege cauſâ diſceptatâ, Eccleſiæ Cantuarienſis Primatum ſupra ceteras Angliæ Eccleſias, ipſamque Eboracenſem, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Venerabilis Bedæ, ex variis Angliæ Conciliis, ex ordinationibus Epiſcoporum, & profeſſionibus obedientiæ ab iis factis Cantuarienſi Archiepiſcopo, & ex Romanorum Pontificum Reſcriptis Lanfrancus vindicavit; ut liquet ex Relatione Geſtorum Synodalium, quam ad Alexandrum Papam miſit idem Lanfrancus, quæ extat Tomo IX Concil. pag. 1211, & ex Willelmo Malmeſburienſi loco laudato. Primatum itaque adjudicavit Synodus Cantuarienſi Archiepiſcopo ſuper Eboracenſem, cui conſtitutioni conſenſêre Vvillelmus Rex, & uterque Archiepiſcopus. *Ventilata eſt hæc cauſa*, inquit Malmeſburienſis, *priùs apud Vventanam civitatem in Paſchali ſolemnitate, in capella Regia, quę ſita eſt in caſtello: poſtea in villa Regia, quę vocatur Vvindleſor, ubi & finem accepit in feſtivitate Pentecoſtes*. Sed hîc non omittendum, quod legitur apud Baronium, & in Collectione Conciliorum de Sancto Wlſtano Wigornienſi Epiſcopo, è Sede à Lanfranco dejecto in Synodo, non referri ad hanc Synodum, ſed ad aliam anno 1070 habitam coram Apoſtolicæ Sedis Legatis, ut probat Annotator Baronii ad annum 1072 n. 3, & ſeq

XLV. *Prohibet ne Monachi in Eccleſiis Cathedralibus Angliæ turbentur.*

Baronius ad annum 1071 narrat ex Malmeſburienſi, Lanfrancum Cantuarienſem Archiepiſcopum egiſſe apud Alexandrum Papam, ut ſcriptis inhiberet, ne Monachi ab Epiſcopalibus Sedibus Angliæ expellerentur. Hoc enim tempore, ut ait Eadmerus lib. 1 Novorum, *omnes circiter, qui ex Clericali ordine, per Regem Vvillelmum in Anglia conſtituti Pontifices erant, Monachos, qui in nonnullis Epiſcopatibus Anglię ab antiquo vitam agebant, inde eliminare moliti ſunt, & Regem ipſum in hoc ſibi conſentaneum effecerunt*. Alexander Papa, poſtquam hæc, narrante Lanfranco, accepit, Epiſtolam nunc ordine 49, ad eum ſcripſit, qua prædeceſſorum ſuorum decreta confirmat, ut Monachis Eccleſias Cathedrales obtinere liceat. Ait in ea Pontifex Gregorium Magnum præcepiſſe Auguſtino gentis Anglicæ Apoſtolo, ut ejuſdem ordinis viros, cujus ipſe erat, poneret in Sede Metropolitana Cantuariæ; & Bonifacium, qui quartus ab eodem Gregorio Eccleſiæ Romanæ præfuit, hæc Athelberto Regi Anglorum, & Laurentio Cantuariæ Archiepiſcopo ſcripſiſſe: *Glorioſe fili, quod ab Apoſtolica Sede per Coepiſcopum noſtrum Mellitum poſtulaſti, libenti animo concedimus; ideſt, ut veſtra benignitas in monaſterio Dorobernenſi civitate conſtituto, quod Sanctus doctor noſter Auguſtinus B.*

Digitized by Google

SÆC. XI. ALEXANDER II.

memoriæ Gregorii diſcipulus Sancti Salvatoris nomini conſecravit, cui ad præſens præeſſe dignoſcitur dilectiſſimus frater noſter Laurentius, licenter per omnia Monachorum regulariter viventium habitationem ſtatuat; Apoſtolica auctoritate decernentes, ut ipſi veſtræ ſalutis prædicatores Monachi, Monachorum greges ſibi aſſocient, & eorum vitam ſanctitatum moribus exornent. Quare Alexander Papa eos anathemate conſtringit, qui huic decreto obviare contenderint.

XLVI. *Petrum Damiani Legatum Ravennam mittit.*

Anno milleſimo ſeptuageſimo ſecundo idem Pontifex Beatum Petrum Damiani Apoſtolicæ Sedis Legatione ornatum Ravennam miſit, ut Ravennatenſes ab excommunicatione abſolveret, quam incurrerant ob communionem cum Archiepiſcopo ejuſdem urbis excommunicato, & in anathemate defuncto, ut teſtatur Sanctus Joannes Monachus Laudenſis ejus diſcipulus in ejuſdem Petri Damiani Vita, ubi addit: *Petrum iſtis, aliiſque negotiis patratis*, ideſt, compoſitis Eccleſiæ Ravennatenſis diſſidiis, *cùm prima manſione Faventiam deveniſſet, febre* correptum decubuiſſe, ac *die anniverſaria cathedræ Sancti Petri ſpiritum Deo* reddidiſſe, & quidem anno milleſimo ſeptuageſimo ſecundo, ut ex Bertoldo Conſtantienſi in Chronico conſtat.

XLVII. *Legatum in Gallias dirigit Petri Damiani ſucceſſorem*

Petro Damiani ſucceſſit in Epiſcopatum Oſtienſem Gerardus Cardinalis, quem idem Alexander Pontifex Sedis Apoſtolicæ Legatum in Gallias direxit. Giraldus anno milleſimo ſeptuageſimo tertio Concilium Cabilone celebravit, in quo Lancelinum urbis Dienſis Epiſcopum ſimoniacum depoſuit, & in ejus locum Hugonem Lugdunenſem Camerarium, communi omnium conſenſu, die decima nona menſis Octobris, ſedente jam Gregorio ſeptimo, ſubſtituit, ut narrat Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi. Hunc porrò Gerardum fuiſſe Monachum Scripturarum ſcientiâ inſignem, & moribus ſuo prædeceſſori non imparem teſtatur Continuator Hermanni Contracti.

XLVIII. *Henricum Germaniæ Regem ad cauſam dicendam Romam vocat.*

Cùm Saxones in Henricum Germaniæ Regem rebellaſſent, Otto, cui idem Henricus Rex Bajoariæ Ducatum abſtulerat, collocutus cum Principibus Saxoniæ, direxit nuntios Romam ad Alexandrum Papam, qui ei ſignificarent ſpiritualia Eccleſiæ officia, per iniqua contrariaque fidei Catholicæ commercia, more Simonis ab Henrico Rege fieri venalia in regno Teutonico. *Hæc & alia quamplurima*, inquit Marianus Scotus in Chronico ad annum 1075, geſta pluribus annis recenſens, *quæ in regno Teutonico, inſanientibus ſimoniacis hæreticis, Rege Henrico auctore & patrono, dicta & geſta ſunt, tam literis, quàm viva voce gemendo ac dolendo conqueſti ſunt* Saxones per illos Legatos. Quibus Alexander Pontifex auditis, literas miſit ad Henricum Regem, ut cauſam dicturus Romam ſe transferret, reſponſurus accuſationibus à Saxonibus ad Apoſtolicam Sedem perlatis. Eas literas detulerunt Sanctus Anno Colonienſis Archiepiſcopus, & Hermannus Bambergenſis, qui Romam miſſi fuerant, pecuniam, quæ Regi debebatur, congregandi gratiâ; quique *Legatione peracta reverſi literas Alexandri Apoſtolici detulerunt, Regem vocantes Romam ad ſatisfaciendum pro ſimoniaca hæreſi, aliiſque nonnullis emendatione dignis, quæ de ipſo Romæ fuerant audita*, ut ait Urſpergenſis Abbas ad annum 1073, quæ totidem fermè verbis habet Otto Friſingenſis lib. 6, cap. 34. Sed inter hæc Alexander Papa obiit die 21 Aprilis ejuſdem anni 1073, ut mox dicetur.

SÆC. XI. ALEXANDER II.

XLIX. *Pragenſem Epiſcopum deponit, ac reſtituit.*

Longinus in Annalibus ſuis Polonicis ad eundem annum 1073 ſcribit, Joramirum Pragenſem Epiſcopum graviter ferentem Epiſcopatum ſuum ab Uratiſlao Bohemiæ Duce, Olmucenſis Epiſcopatûs primario fundatore, diſmembratum fuiſſe, ad Joannem Epiſcopum Olmucenſem clandeſtinè acceſſiſſe, eumque plurimis contumeliis & verberibus per ſe ipſum & familiares vulneraſſe. Qua de re plurimùm contriſtatus Uratiſlaus Dux ad Alexandrum Pontificem querelam detulit, qui ſceleris magnitudine motus, Rudolphum Cardinalem Legatum miſit; cui cùm Joramirus coram eo citatus, obedire contumaciter recuſaret, Rudolphus privavit eum Pontificio, & diœceſim Pragenſem Eccleſiaſtico ſubjecit interdicto. Ei tamen poſtea officium Pontificale reſtituit, & interdictum à Diœceſi Pragenſi ſuſtulit, ſed terminum ad comparendum coram Alexandro Papa utrique Epiſcopo aſſignavit. Pontifex depoſitionem Joramiri ratam eſſe decrevit; ſed poſtea ad preces Comitiſſæ Mathildis, omne facinus in ſe, & in Joannem Epiſcopum Olmucenſem admiſſum condonavit, & Joramirum priſtinæ dignitati reſtituit; ita tamen quòd Olmucenſis Eccleſiæ fundatio de cetero firma & perpetua perſeveraret. Sed hæc pluribus annis geſta.

L. *Gothofredum invaſorem Eccleſiæ Mediolan. in Synodo Roman. V damnat.*

Guidone Mediolanenſi Archiepiſcopo, anno circiter milleſimo ſeptuageſimo è vivis exempto, Gothofredum ejuſdem Eccleſiæ Clericum, qui illam dignitatem ab Henrico Germaniæ Rege antea obtinuerat, Herlembaldus, & Clerici Romanæ Eccleſiæ addicti recipere noluére, & Athonem ejuſdem Eccleſiæ itidem Clericum elegerunt, ex quo magnæ contentiones Mediolani exortæ ſunt; quæ cùm Romæ innotuiſſent, Athonis electio confirmata eſt ab Alexandro Papa in Synodo Romana, quæ quinta fuit ex iis, quas Sanctus Pontifex celebravit, & Gothofredi invaſio damnata. Hanc Synodum eruit Annotator Baronii

ronii ex Arnulpho Mediolanenſi Hiſtorico apud Puricellum lib. 4 de Vita Sancti Herlembaldi cap. 34, ubi de ſeditione adverſùs Athonem, anno 1072, Archiepiſcopum electum excitata, verba faciens, inquit: *Unde factum eſt, ut collecto Romæ cœtu Pontificum, inſtante ipſo* [Hildebrando ſcilicet, tunc tantùm Archidiacono] *Athonem juſtè prædicaret electum proſtrato anathemate Gothofredo. Quæ omnia Ilteprandus ſuis literis ſæpè jam dicto retulit Herlembaldo.* Præterea Gregorius VII in Epiſtola 15 libri I *Kalendis Julii, Indictione undecima*, anno 1073 data ad omnes Chriſti fideles in Lombardia, Gothofredi invaſione narrata, ait: *Quod audiens S. Romana Eccleſia, mater veſtra, & totius Chriſtianitatis, ſicut ſcitis Magiſtra, congregato è diverſis partibus Concilio multorum Sacerdotum, & diverſorum ordinum conſenſu, fulta B. Petri Apoſtolorum Principis auctoritate, Gothofredum fidei Catholicæ, & legis Chriſtianæ inimicum excommunicavit.* Ubi Gregorius loquitur de Synodo ab Alexandro II, non verò à ſe congregata: cùm enim Gregorius die 29 Junii ejuſdem anni conſecratus ſit Pontifex Romanus, ante diem primum Julii, ut ex Epiſtolæ data, *è diverſis partibus* Concilium *multorum Sacerdotum* congregare non potuit. Ex quibus ſequitur Alexandrum II ante mortem quintum Concilium Romæ celebraſſe, in quo Gothofredum Eccleſiæ Mediolanenſis invaſorem damnavit, & excommunicavit.

LI. *Mitræ uſum Bohemiæ Duci conceſſit.*

Alexandrum Papam Uratiſlao Bohemiæ Duci de Apoſtolica Sede benemerito, uſum mitræ, laicis hactenus inconceſſum, largitum eſſe, habemus ex Epiſtola 38 libri primi Gregorii VII ad ipſum Uratiſlaum data, in qua ait: *Longa jam temporis intervalla tranſacta ſunt, ex quo & Nobilitas tua beato Petro Apoſtolorum Principi non modicæ devotionis animum ſpopondit, & ſtudium, & tibi in Apoſtolica Sede inter ceteros Principes larga benignitas, præ multis etiam ſingularis, & egregia fuit aſtricta charitas. Cujus rei fidem, & indicium ex benevolentia Domini, & anteceſſoris noſtri Alexandri Papæ ſatis percepiſſe potes, qui petitionibus tuis non umquam ſine ſua, & filiorum ſuorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſollicitudine & labore condeſcendit, & ad ſignum intimæ dilectionis, quod laicæ perſonæ tribui non conſuevit, mitram, quam poſtulaſti, direxit.* Ita Gregorius, qui & confirmat quod præſtiterat Alexander. Hoc exemplum ſecutus eſt Lucius II, de quo Otto Friſingenſis lib. 1 de Geſt. Frider. cap. 27, & ſeqq. *Concordiam inter Siculum & Papam hujuſmodi eſſe accepimus. Papa conceſſit Siculo virgam, & annulum, dalmaticam, & mitram, atque ſandalia.* Mitram etiam Regi Aragoniæ conceſſit Innocentius III, ut videre eſt in geſtis ejuſdem Pontificis pag. 135. *Regalia inſignia univerſa, mantum videlicet, & colobium, ſceptrum, & pannum, coronam & mitram ad opus tuum non minus pretioſa, quàm ſpecioſa fecimus præparari, & ea liberaliter tibi donavimus, in ſignum gratiæ ſpecialis.* Legi poteſt ea de re Rainaldus anno 1204, num. 71.

LII. *Eumdem uſum Abbati monaſterii S. Auguſtini largitur.*

Ex Abbatibus, quibus mitræ uſus conceſſus ſit, nullum inveniſſe ſe dicit Mabillonius in Præfatione partis I Sæculi VI Benedictini pag. 17 ante Egelſinum monaſterii Sancti Auguſtini propè Cantuariam Abbatem, cui Alexander II id privilegii impertivit, ob ipſius ſcilicet Romanorum alumni, & Anglorum Apoſtoli dignitatem. Hic uſus poſtea frequentari cœpit ſub Urbano II, qui ex Chronici Caſſinenſis lib. 4, cap. 17, Oderiſio Caſſinenſi, & ex Bibliotheca Cluniacenſi pag. 515, & 517, Hugoni Cluniacenſi, Abbatibus idem privilegium largitus eſt. Poſtea Abbati Cavenſi idem Urbanus in Concilio Beneventano uſum etiam mitræ conceſſit; at ille uti noluit ad reprimendam aliorum Abbatum ſuperbiam.

LIII. *Prohibet Sacerdotem pluries in die celebrare.*

In vita Leonis Papæ III locuti ſumus de uſu, qui invaluerat, ut Sacerdotes plures miſſas eodem die celebrarent, quem uſum ab Alexandro II abrogatum fuiſſe diximus. Ejus decretum refert Gratianus de conſecratione diſt. I. *Sufficit Sacerdoti unam Miſſam in die una celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit. Non modica res eſt unam Miſſam facere, & valde felix eſt, qui unam Miſſam dignè celebrare poteſt.* Addit nihilominus Alexander: *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, ſi neceſſe fuerit*; quibus verbis morem celebrandi unam Miſſam de die, alteram pro defunctis, refert quidem, ſed non abrogat. Certum nihilominus eſt hunc morem jam pridem deſueviſſe. Innocentius enim III C. *Conſuluiſti. De celebratione miſſarum* inquit: *Reſpondemus, quòd excepto die nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodò celebrare.* Honorius III ibidem C. *Te referente*, addit, quod dixerat Alexander II, ſcilicet valdè felicem eſſe qui celebrat dignè unam. Plura hac de re Cardinalis Bona lib. 1 Rerum Liturgic. cap. 18, & Edmundus Martene lib. 1 de Antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 3 art. 3 nu. 4, & 18.

LIV. *Ejus Legatus prohibet Miſſam Sclavonica lingua celebrari.*

Licèt Hadrianus II & Joannes VIII Miſſam, & officia Divina Sclavonicâ linguâ celebrandi licentiam conceſſiſſent, ut ſuis locis oſtendimus, Alexandri tamen Papæ II Legatus, ſi fides ſit penès Thomam Archidiaconum Spalatenſem in Hiſtoria Epiſcoporum Salonitanorum, edita à Joanne Lucio cap. 16 apud Cardinalem

 Bonam

Digitized by Google

Bonam lib. 1 Rer. Liturgic. cap. 9, num. 4, Synodum coegit omnium Prælatorum Dalmatiæ, & Croatiæ, in qua ſtatutum eſt, ne quis de cetero in lingua Sclavonica præſumeret divina myſteria celebrare, niſi tantùm in Latina, & Græca. Idem inhibuiſſe Gregorium VII Alexandri II ſucceſſorem, ad Uratislaum Bohemiæ Ducem ſcribentem ſuo loco videbimus. In illis tamen provinciis dudum receptam conſuetudinem prævaluiſſe aſſerit ibidem Cardinalis Bona.

LV. *Alexandri PP. mors.*

Alexandrum Papam anno milleſimo ſeptuageſimo tertio, & quidem die vigeſima prima menſis Aprilis, ad cœleſtem patriam tranſiiſſe, ſcribit ad eum annum Marianus Scotus in Chronico: *Alexander Papa*, inquit, *obiit Dominico die, undecimo Kalend. Maji*, quod idem habet Domnizo in Vita Mathildis Comitiſſæ; & in fine Chronici Anonymi monaſterii Caſſinenſis ex Necrologio MS. ejuſdem monaſterii, obitus Alexandri II legitur ad diem *XI Kal. Maji*, indeque patet Auctores, qui ejus mortem conjungunt cum die X Kal. Maji, intelligendos eſſe de die ejus ſepulturæ. Pontifex dictus fuerat die prima Octobris anni 1061, ideoque ſedit annos undecim, menſes ſex, & dies 21, qui habentur in ultimo ex catalogis Baronianæ Criticæ præfixis; de annis enim & menſibus inter omnes convenit, ſicuti & mortem hujus Sancti Pontificis omnibus graviſſimam extitiſſe.

LVI. *Ejus doctrina & ſanctitas.*

Deſiderius Cardinalis, & Abbas Caſſinenſis, dictus poſtea in Pontificatu Victor III lib. 3 Dialog. teſtatur, Alexandrum eloquentiſſimum, & eruditiſſimum fuiſſe, & Bertoldus in Chronico Conſtantienſi ad annum 1061 de eo ſcribit: *Qui ſatis ſtrenuè ſimoniacam hæreſim deſtruxit, & miniſtris Altaris cumconjugibus coire juxta Canonum ſtatuta cum excommunicatione interdixit, ipſoſque laicos clericorum incontinentium officia audire per bannum prohibuit, ſicque Clericorum incontinentiam ſatis prudenter refrænavit*. Ipſum hoc elogio ornat Guillelmus Pictavienſis in Geſtis Guillelmi I Ducis Normannorum & Regis Anglorum: *Tempore eodem ſedebat in cathedra S. Petri Romæ Papa Alexander, digniſſimus cui obediret, quemque conſuleret Eccleſia univerſa. Reſponſa etenim dabat juſta ſalutariaque. Is præſul Lucenſis cùm altiorem gradum nullatenus appeteret, violento plurimorum conſenſu, quorum apud Romanos tunc præcellebat auctoritas, ingenti Concilio aſſentiente in eo locatus eſt Primatu, quo Præſulum orbis terræ caput exiſteret, atque Magiſter. Allectionem hanc Sanctitate meruerat atque doctrina. Per eadem poſt ad ortum Solis & occaſum effulgebat ...... ubicumque per mundum potuit iniquum corrigens, nulli concedens*.

LVII. *Ejus in Monachos & viros literatos ſtudium.*

Præter ea, quæ de Monachis in Anglia non turbandis ab eo ſtatuta jam diximus, ejus in Monachos ſtudium teſtantur immunitatis privilegia, pluribus monaſteriis in Germania & Galliis exiſtentibus conceſſa, vel confirmata, & contra Epiſcopos vindicata, ut conſtat ex ejus Epiſtolis 9, 19, 20, & 43, & ex Concilio Cabilonenſi ejus juſſu à Petro Damiani celebrato. Teſtatur & privilegium ampliſſimum Odrico Abbati Vindocinenſi, ejuſque ſucceſſoribus conceſſum Epiſtolâ 40, qua Romana beatæ Priſcæ Eccleſia, ejuſdemque Eccleſiæ Cardinalatûs dignitas hujus cœnobii Abbatibus conceditur. Eum etiam viros literatos maximi feciſſe, & coluiſſe, teſtis eſt Willelmus Malmesburienſis lib. 1 de geſt. Pontif. Angl. *Erat*, inquit, *Lanfrancus tunc temporis in doctrina, & mundi ſapientia famoſiſſimus, & quem venerabiliter ſuſciperet Alexander Apoſtolicus. Honoris maximum fuit indicium, cùm Romam venienti, ſequeſtrato illo Romano ſupercilii faſtu, dignanter aſſurgeret, profeſſus, hanc venerationem non ſe illius Archiepiſcopatui, ſed magiſterio literarum deferre. Quapropter ſe feciſſe quod erat honoris: illum debere facere quod eſſet juſtitiæ, ut, pro more omnium Archiepiſcoporum, Sancti Petri veſtigiis advolveretur*.

LVIII. *Ejus miracula.*

Miracula ab hoc ſancto Pontifice ante mortem edita deſcribit Leo Oſtienſis lib. 3 cap. 35 Chronici Caſſinenſis: *Memoratus Papa Alexander*, inquit, *Urbe egrediens venit ad memoratum monaſterium* Caſſinenſe, *qui à Deſiderio honorificè ſuſceptus, dum Abbatis habitationem, quæ juxta Sancti Nicolai Eccleſiam conſtructa eſt, ingreſſus fuiſſet; Dæmoniacus quidam, qui illò tunc venerat, et factus eſt obvius. Quem ſanctus Pontifex ut vidit, orationem fundens ad Dominum, dixit ad dæmonem*: Præcipio tibi immunde ſpiritus, ut exeas ab hoc homine, & vadas in illum locum, ubi nec avis volat, nec vox hominum reſonat, ſiſque ibi uſque ad diem judicii. *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, qui & innocentes, & de ſua miſericordia præſumentes velociter exaudire dignatur. Dæmon ad Pontificis imperium exiit, cunctique, qui aderant, cœperunt benedicere Deum. Neque hoc tacendum videtur, quod omnipotens Deus per eundem famulum ſuum operari dignatus eſt. Nam cùm pertranſiſſet Aquinum, claudam quandam in itinere jacentem invenit, cujus infirmitati compatiens Pontifex, aquam eandem, qua poſt Miſſarum ſolemnia manus ſuas abluerat, et ad bibendum dedit, quam illa ubi ſorbuit, ſanitati reddita, Deo gratias maximas reddere cœpit*. Hæc Leo Oſtienſis, qui mox loquitur de morte ejus.

LIX. *Ejus ſepultura locus & Vitæ Scriptores.*

Alexandrum Papam in Palatio Lateranenſi mortuum, & in eadem Baſilica

ſepul-

Digitized by Google

ſepultum eſſe ait Ciaconius, addens eum olim fuiſſe Canonicum Eccleſiæ Lateranenſis, in qua eundem ordinem collapſum reſtituerat; quod confirmat Joannes Diaconus Junior in libello de Eccleſia Lateranenſi, in quo ſcribit, Alexandrum renovaſſe *communem Canonicorum Regularium vitam in ipſa*, nempè Eccleſia. Joannes Stella, & Platina ante Ciaconium nos docuerant Alexandrum in Eccleſia Lateranenſi ſepultum, qui id ſine dubio deſumpſerant ex Martino Polono, apud quem legitur: *Pacificatis omnibus, ad Urbem eſt reverſus, & ibidem defunctus, in Lateranenſi Eccleſia eſt tumulatus*. Idem etiam habent Acta Vaticana à Cardinali Aragonio collecta apud Baronium anno 1073 num. 18. *Defuncto Alexandro Papa, & in Lateranenſi Eccleſia honorificè tumulato*, &c. Perperam itaque Papebrochius, ſine teſte ſcribit, Alexandrum II in Eccleſia S. Petri ſepultum, reprehendens Stellam & Platinam, ipſumque Raſponum eos ſecutum, qui id, inquit, *nullo epitaphio, vel monumento* confirmat. Nullum enim monumentum vel epitaphium adducit Papebrochius, quo probari poſſit, eum ſepultum in Eccleſia S. Petri, imò nullum Scriptorem; cùm è contra opinioni Stellæ, & Platinæ ſuffragentur tum Martinus Polonus, tum laudata Acta ab Aragonio Cardinali collecta, tum Gregorius VII in Epiſtola 3 lib. 1, cujus verba num. 1 ejus Pontificatûs recitabimus. Plures ſcripſit Epiſtolas Alexander, quarum 45 extant Tomo 9 Conciliorum Labbei. Ejus Vitæ Scriptores Bernardus Guidonis Epiſcopus Lodovenſis, Nicolaus Aragonius Cardinalis, & alii. Ceterùm cùm in antiquo Catalogo MS. apud Papebrochium laudetur Alexander, quòd à *primævo juventutis ſuæ caſtus, humilis, largus, benignus, manſuetus* fuerit, & à Wernero Rollewink in Faſciculo Temporum dicatur *vir ſanctus*, mirari omninò ſubit, ejus nomen Martyrologio Romano inſcriptum non fuiſſe, attentis præſertim miraculis ab eo patratis, de quibus Leo Oſtienſis laudatus.

S. GREGORIUS VII *Pontif. CLVII.*

Anno Domini MLXXIII.

I. *Gregorius VII eligitur PP.*

Hildebrandum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum, electum eſſe Romanum Pontificem, dum in Alexandri II *exequiis occupatus* eſſet, teſtantur Acta Vaticana de rebus geſtis Gregorii ſeptimi apud Baronium anno 1073 num. 18. Ipſemet Hildebrandus, dictus in Pontificatu Gregorius ſeptimus, id diſertè aſſerit in Epiſtola 3 lib. 1 ad Guibertum Archiepiſcopum Ravennatenſem: *Cùm prædictus dominus noſter Papa*, inquit, *in Eccleſia Salvatoris ſepulturæ traderetur, ortus eſt magnus tumultus populi, & fremitus, & in me quaſi veſani inſurrexerunt, nil dicendi, nil conſulendi facultatis, aut ſpatii relinquentes, violentis manibus me in locum Apoſtolici regiminis, cui longè impar ſum, rapuerunt*. Hanc electionem ſtatim confirmaſſe Cardinales, eique ſubſcripſiſſe, expreſsè habetur in decreto electionis, & in Actis Vaticanis laudatis, in quibus legitur, Hugonem Candidum Cardinalem, *ubi omnium vota in Archidiaconum conveniſſe indubitanter cognovit*, populum in hunc modum allocutum eſſe: *Nos Epiſcopi Cardinales unanimiter ipſum nobis, & vobis in Paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum eligimus*. Hæc acta eſſe in Eccleſia Lateranenſi; ideoque & Alexandrum II in ea Eccleſia ſepultum eſſe, nos dubitare non ſinunt verba Gregorii mox laudata, *cùm in Eccleſia Salvatoris*, ſeu Lateranenſi, *ſepulturæ traderetur, ortus eſt*, &c.

II. *Ejus electionis decretum promulgatur.*

Electus eſt itaque Gregorius in dicta Baſilica Lateranenſi, & quidem die vigeſima ſecunda menſis Aprilis, ut legitur in decreto electionis, quod eodem die in Baſilica Beati Petri promulgatum eſt, quod ſic habet: *Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, anno clementiſſimæ Incarnationis ejus milleſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione & Luna undecima, decimo Kal. Maii, feria ſecunda, die ſepulturæ domini Alexandri bonæ memoriæ ſecundi Papæ, ne Sedes Apoſtolica diu lugeat proprio deſtituta paſtore, congregati in Baſilica Beati Petri ad Vincula nos Sanctæ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Cardinales, Clerici, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, præſentibus venerabilibus Epiſcopis & Abbatibus, Clericis, & Monachis, conſentientibus plurimis turbis utriuſque ſexûs, diverſiſque ordinis acclamantibus, eligimus nobis in Paſtorem & Summum Pontificem, virum religioſum, geminæ prudentiæ ſcientiâ pollentem, æquitatis & juſtitiæ præſtantiſſimum amatorem, in adverſis fortem, in proſperis temperatum, & juxta Apoſtoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modeſtum, ſobrium, caſtum, hoſpitalem, domum ſuam benè regentem, in gremio hujus matris Eccleſiæ à pueritia ſatis nobiliter educatum & doctum, atque pro vitæ merito in Archidiaconatûs honorem uſque hodie ſublimatum, Hildebrandum videlicet Archidiaconum*, quem

Digitized by Google

quem amodo uſque in ſempiternum & eſſe & dici Gregorium Papam & Apoſtolicum volumus & approbamus. Placet vobis? Placet. Vultis eum? Volumus. Laudatis eum? Laudamus. Acta Romæ decimo Kal. Maji, indictione undecima. Decretum integrum referre viſum eſt, quia virtutes tanti Pontificis in eo exprimuntur, ex eoque conſtat, ejus electionem, miro conſenſu omnium, Cleri ſcilicet & populi factam eſſe.

III. *Inthronizatur, & coronatur.* Sed hîc obſervare juvat, Gregorium in Eccleſia Lateranenſi fuiſſe inthronizatum, antequam decretum illud electionis promulgaretur in Eccleſia Sancti Petri; nam Acta Vaticana numero primo laudata, poſtquam retulerunt verba Hugonis Candidi Cardinalis, nomine Epiſcoporum Cardinalium loquentis, ſubdunt: *Et continuò univerſitate Cleri & populi acclamante: Dominum Gregorium Papam Sanctus Petrus elegit; indutus rubea Chlamyde [ſicut moris eſt] & Papali mitra inſignitus, invitus & mœrens, in B. Petri Cathedra fuit inthronizatus*, in Baſilica nempe Lateranenſi, in qua exequiæ Alexandri Papæ celebrabantur. Idem aſſerit ipſe Gregorius in laudata Epiſtola 3 libri 1: *Violentis manibus, me in locum Apoſtolici regiminis, cui longe impar ſum, rapuerunt.* Annotator Baronii exiſtimat illis verbis, *Papali mitra inſignitus*, denotari *mitram turbinatam* cum corona; huncque morem coronandi Romanos Pontifices, antiquiorem eſſe, quàm quidam credidêre; quod, inquit, indicat Donatio Conſtantini, ante Pippini Francorum Regis tempora conficta, & in qua impoſtor ad ſuam ætatem reſpiciens, ait: *Decrevimus, ut ipſe* (ſc. Silveſter Papa) *& ſucceſſores ejus diademate, videlicet corona, quam ex capite noſtro illi conceſſimus, ex auro puriſſimo & gemmis pretioſis uti debeant, & in capite ad laudem Dei pro honore Beati Petri geſtare.* Ex quo & ſequitur, illum coronandi cum mitra turbinata Romanos Pontifices morem, Pippini Regis tempore antiquiorem eſſe, licèt nihil de coronatione Pontificum Rom. inveniatur ante Nicolaum primum, quem Anaſtaſius Bibliothecarius coronatum fuiſſe dicit, ut in ejus Vita oſtendi.

IV. *Differt ſuam ordinationem, & quare.* Licèt Gregorius VII electus fuerit die vigeſima ſecunda Aprilis anni milleſimi ſeptuageſimi tertii, ejus tamen conſecratio in Pontificem facta non eſt ante diem vigeſimum nonum menſis Junii, in ipſo die Natali Apoſtolorum Petri & Pauli. Ratio hujus dilationis nulla alia aſſignari poteſt, niſi quòd cùm Reges Germaniæ, quamvis Imperatores nondum à Romano Pontifice coronati, ſibi uſurpaſſent jus mittendi Legatos, qui conſecrationi Pontificis præſentes eſſent, Gregorius, ut inquiunt prædicta Acta Vaticana, *nuntios ad Regem Henricum celeriter deſtinavit, per quos electionem ſuper ſe factam ei aperuit*; non quidem, quòd ejus confirmationem aut conſenſum neceſſariò requiri exiſtimaret, ſed ut oraret Regem ne conſenſum ſuum præberet, ut hac via Pontificatum declinaret. Quod eruo ex iiſdem Actis, in quibus ante laudata verba legitur: *Altera die* (nempe ſequenti ab ejus electione) Gregorius *apud ſe ipſum ſollicita mente pertractans, ad quàm grave periculum ſit adductus, æſtuare cœpit ex nimio dolore. Sed cùm excuſationem de relinquendo Papatu non inveniſſet, Nuntios ad Regem Henricum celeriter deſtinavit, per quos & electionem ſuper ſe factam aperuit, & ne aſſenſum præberet attentiùs exoravit. Quod ſi non faceret, certum ſibi eſſet, quòd graviores & manifeſtos ipſius exceſſus nullatenus impunitos toleraret.* Quæ ultima verba minis plena ſatis oſtendunt, quantùm à Pontificatu ſuſcipiendo alienus eſſet Gregorius. Verum quidem eſt Nicolaum II jus illud attribuiſſe Henrico Regi Conſtitutione ſua; ſed hanc obtentam fuiſſe per ſurreptionem, nulliuſque roboris extitiſſe, ſuperius ex Sancto Anſelmo Epiſcopo Lucenſi oſtendimus, unde ritum illum tranſmittendi decreti electionis ad Reges Germaniæ, ſtatim abrogatum, & Gregorium ſeptimum fuiſſe ultimum, cujus electio ante conſecrationem, Regi, vel Imperatori ſignificata fuerit, & ordinatio coram Legatis Cæſareis peracta, rectè ſcripſit Annotator Baronii poſt longum examen. Dici etiam poſſet, Gregorium ideo diſtuliſſe conſecrationem uſque ad adventum Legati Henrici Regis, ne hic Eccleſiam ſchiſmate ſcinderet, ut ſub Pontificatu Alexandri II jam fecerat.

V. *Conſecratur.* *Rex verò*, ſubdunt Acta laudata, *ubi electionis veritatem cognovit, electioni ejus aſſenſum præbuit: & ſtatim Gregorium Vercellenſem Epiſcopum, Italici regni Cancellarium ad Urbem tranſmiſit, quatenus auctoritate Regia electionem ipſum confirmaret, & conſecrationi ejus intereſſe ſtuderet: Quod ſine dilatione factum eſt. Nam infra Octavam Pentecoſtes in Presbyterum Hildebrandus ordinatus eſt, & in Natali Apoſtolorum in Romanum Pontificem conſecratus.* Diverſimode quidem rem narrat Lambertus Scafnaburgenſis; ſed eum hac de re malè edoctum eſſe, ideoque non audiendum, ex eo evincitur, quod ſcribit, Gregorii VII conſecrationem dilatam eſſe uſque ad feſtum Purificationis Sanctæ Mariæ anni ſequentis milleſimi ſeptuageſimi quarti, quod ex dictis, & ex duratione Pontificatûs ejus falſum omninò eſſe conſtat. Eſt porrò Gregorius Septimus, primus Pontifex Romanus, ex ordine Diaconorum aſſumptus, quem ſciamus Presbyterum ordinatum, antequam ordinaretur Pontifex; cùm alii an-

Digitized by Google

te ipſum, omiſſo Presbyteri gradu, per ſaltum Pontificia conſecratione inſignirentur, ut dictum eſt ſupra in Pontificatu Sabiniani.

VI. *A tribus Epiſcopis Cardinalibus.*

In Marco Papa diximus tres ordinatores Romani Pontificis fuiſſe Epiſcopos Oſtienſem, Albanenſem, & Portuenſem. Quare cùm tempore ordinationis Gregorii VII, Geraldus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis in Galliis ageret, ut Apoſtolicæ Sedis Legatus ab Alexandro II miſſus, ex ſuperius dictis, in ejus locum ſubſtitutus eſt alius Epiſcopus, ut refert Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, ubi ſcribit: *Obierat ipſo anno Papa Alexander, & ſubſtitutus erat unanimi electione Cleri & populi Gregorius VII, qui in ipſa Romana Eccleſia ſub præfato Pontifice officio fungebatur Archidiaconatûs. Et licèt ordinationis & conſecrationis ejus privilegium ſolis Cardinalibus Albanenſi, Oſtienſi, & Portuenſi ſit commiſſum, Giraldus iſte, quia aberat, expectatus non eſt, ſed qui vices ejus exequeretur, ſubrogatus eſt. Qui decanus*, &c. Oſtienſis igitur Epiſcopus, qui erat Decanus, ideoque primus inter Cardinales Epiſcopos, hoc tempore adhuc erat conſecrator Romani Pontificis.

VII. *Gregorii nomen ſumpſit, & quare.*

Ob amorem & cultum erga Gregorium Sextum educatorem ſuum, gratitudinis ergo, voluiſſe Hildebrandum creatum Pontificem, nominari Gregorium, certum eſſe ſcribit Baronius, & quidem rectè, ut in ejuſdem Gregorii VI Vita oſtendimus; ſed Annaliſta doctiſſimus ex ea ſola ratione perperam infert, Gregorium VI non fuiſſe ſpurium Pontificem: Nam Pontifices Romani ſemper rationem non habuerunt legitimæ vel pravæ ordinationis Pontificum ejuſdem nominis, qui eos præceſsére; quod inter alios demonſtrat factum Benedicti, qui ſeculo decimo quarto ineunte, Benedicti undecimi appellationem ſumpſit, licèt certum ſit nullum alium præceſſiſſe, Benedictum X appellatum, præter Joannem Velitrenſem Epiſcopum, qui omnibus, ipſoque Baronio, fatentibus, fuit Antipapa. Hæc itaque ſola ratio non valet ad probandum, Gregorium VI è numero Pontificum non expungendum, ſed ideo inter legitimos Pontifices numeratur, quia licèt ſimoniacè electus fuerit, ab Eccleſia tamen univerſa ut verus Pontifex agnitus eſt.

VIII. *Ejus patria, parentes & Monachatus.*

Gregorium VII in Tuſcia natum diſertè aſſerit Paulus Bernriedenſis ejus Vitæ Auctor, quòd aliqui perperàm de Senis, alii veriùs de Soana in diœceſi Senenſi poſita interpretantur. Sed his adverſatur Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, ubi Gregorium *Romæ natum ex parentibus civibus Romanis* diſertis verbis affirmat. Baronius ſcribit, eum patre Fabro ortum; Papebrochius verò in Commentario prævio ad ejus Vitam die 25 Maji Bollandiani relatam, Gregorium è nobili familia prodiiſſe, probari poſſe cenſet. Verùm cùm in antiquis monumentis nihil certi, ad dirimendam hujuſmodi controverſiam, inveniatur, huic agitandæ vacare ſuperfluum eſt. Eum fuiſſe Monachum aſſerunt Ordericus Vitalis, & Chronographus Saxonicus MS. à Mabillonio in Obſervationibus prævíis ad ejus Vitam Sæculo VI Benedict. parte 2 laudati. Utrùm verò fuerit Prior Cluniaci, ut tradit Otto Friſingenſis Epiſcopus, incertum eſt. Romam tamen ex Francia Leonem IX comitatum eſſe, & ab eodem Pontifice Subdiaconum, à Nicolao verò II Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum creatum ſuperiùs ſuis locis oſtendimus.

IX. *Gregorius ritum Romanum in Aragonia recipi curat.*

Gregorius eodem ànno, quo ordinatus eſt Pontifex, ipſoque ſui Pontificatûs initio, de antiquo officio Sancti Iſidori, ſeu Gothico, de quo in ſuperiori Pontificatu locuti ſumus, penitus abrogando, & Romano in Hiſpaniam inducendo cogitavit. Hanc in rem Hugonem Candidum Cardinalem, illum ipſum, qui anno 1068 ab Alexandro II Legatus miſſus fuerat, in Hiſpaniam iterùm deſtinavit, qui ſtatim in Aragoniam cum quibuſdam Monachis Cluniacenſibus, ſibi à Sancto Hugone comitibus datis, perrexit, & Epiſcopos apud Sanctum Joannem Pennatenſem congregavit. Epiſcopi itaque Officium Romanum, jam antea à Sanctio Ramiro Aragoniæ Rege, & eodem Hugone Cardinali Legato, in quædam loca introductum, anno milleſimo ſeptuageſimo tertio, Monachorum Cluniacenſium operâ recepêre. Sanctium enim Aragoniæ Regem, ipſo initio Pontificatûs Gregorii, Romanum Officium admiſiſſe, liquet ex Epiſtola 63 libri primi Regiſtri Gregoriani, in qua Gregorius Sanctium de ejuſdem officii admiſſione gratulatur. *In hoc autem*, inquit, *quòd ſub ditione tua Romani ordinis officium fieri ſtudio & juſſionibus tuis aſſeris, Romanæ Eccleſiæ te filium, ac eam concordiam & eandem amicitiam te nobiſcum habere, quam olim Reges Hiſpaniæ cum Romanis Pontificibus habebant, cognoſceris. Data decimo tertio Kalendas Aprilis, indictione duodecima*, quæ anno 1074 menſe Martio in curſu erat. Hæc à Sadovallio in Regibus Caſtellæ & Leonis narrata. Ideo porrò Legatus videtur Epiſcopos apud Sanctum Joannem Pennatenſem congregaſſe; quia, ut oſtendit Annotator Baronii, eo in monaſterio officium Romanum jam ab anno 1071 in uſu erat.

X. *Id fruſtrà petit à Regibus Caſtellæ, & Navarræ.*

Licèt Officium Romanum ab Aragonenſibus facilè admiſſum fuerit, rem promovente Sanctio Rege hujus nominis primo, majori tamen cum difficultate ab aliis Hiſpaniarum Regibus admiſſum, licèt ab

Al-

Digitized by Google

Alphonſo Legionis & Caſtellæ, & à Sanctio Navarræ, Regibus id petiiſſet Gregorius VII; quod conſtat ex ejus Epiſtola 64 ejuſdem libri primi, *data IX Kalendas Aprilis, Indictione XII;* ideoque eodem anno, quo prior, qua Pontifex utrumque Regem hortatur, ut demum Romanam Eccleſiam ut matrem recognoſcant, ejuſque ordinem & officium recipiant. Sed illud receptum non fuit in iiſdem regnis ante Urbani II tempora, ut ſuo loco dicetur. Alphonſus Rex erat Legionis & Caſtellæ, Sanctius verò Rex Navarræ hujus nominis IV, non verò Aragoniæ, ut exiſtimarunt Baronius, & Collectores Conciliorum. Cur enim Gregorius Pontifex Sanctium Aragoniæ Regem hortatus fuiſſet, ut officium Romanum reciperet, cùm jam Epiſtolâ præcedenti de ejus admiſſione illi gratulatus fuiſſet. Ille igitur Sanctius, ad quem hanc Epiſtolam 64 ſcripſit Gregorius, alius non eſt quàm Sanctius hujus nominis IV Navarræ & Najaræ Rex, *Garzeis* & *de Penalen* cognominatus, qui anno 1054 Garziæ Sanctioni patri in Navarræ regnum ſucceſſit, cùm Sanctius Aragoniæ Rex anno tantùm 1063 Ramiro patri ſucceſſerit.

XI. *Sanctius Aragoniæ Rex Gregorio PP. ſe tributarium facit.*

Hic porrò Sanctius Aragoniæ Rex hujus nominis primus, qui poſtea Navarræ etiam, Suprarbiæ, & Ribarcorciæ Rex fuit, ejectis è Suprarbia & Ribarcorcia univerſis Mauris, Gregorium VII magna veneratione proſecutus eſt, ut vetera monumenta demonſtrant, præſertimque Epiſtola Petri Aragoniæ Regis ejus filii ad Urbanum Papam II data, & in libro Gothico apud Sanctum Joannem Pennatenſem aſſervata, in qua Petrus Rex ait: *Præſertim cùm pater meus veſter fidelis*, &c. *Romani Pontificis ſe dominationi ſubdiderit, atque etiam ſingulis annis in cenſu quingentorum aureorum ſeſe tributarium, à temporibus Papæ Gregorii, uſque ad obitum ſuum, fideliter exhibuit*. Hic idem Sanctius *Foros* ſuos, ſeu Conſuetudines municipales condidit, conſulto prius Apoſtolico Hildebrando, ut in earumdem conſuetudinum ſeu legum Præfatione dicitur. Cantelius in Hiſtoria Metropolitanarum urbium parte 2, differt. 3, c. 3, Ramirum Sanctii patrem, regnum, liberos, ſe Romanis Pontificibus vectigales fore ſanxiſſe anno circiter milleſimo ſexageſimo, ſcribit, ſed nullum ad id probandum teſtem adducit. Quingentos Jaccenſis monetæ mancuſos aureos quotannis pro cenſu ſolvi moris fuiſſe addit, ut teſtis eſt Urbanus II apud Innocentium III lib. 4, Epiſt. 87 apud Boſquetum; ſed fatetur ſe neſcire, quid fuerit illud pecuniæ genus, quæve ex quingentis mancuſis ſumma confecta ſit.

XII. *Gregorii litera de denario ſingulis Franciæ domibus impoſito.*

In Regiſtro Gregorii VII, libri octavi Epiſtola ultima ſcripta eſt ab eodem Pontifice ad Petrum Albanenſem in Gallia Legatum, qua jubet, ut è domibus ſingulis denarium unum exigat, dicens moris fuiſſe ſub Carolo Magno, ut Franci ſinguli, qui familiarum principes eſſent, ſingulos denarios B. Petro quotannis ſolverent. Addit ibidem id pluribus *in Tomo ejus, hoc eſt Caroli Magni, qui in Archivo Eccleſiæ B. Petri habetur*, explicari: deinde eam pecuniam colligi ſolitam tribus in locis, Aquiſgrani, apud Podium ſanctæ Mariæ, & apud S. Ægidium. Qua ex Epiſtola Baronius ad annum 804, & 1081 ſcribit Carolum Magnum collectam annuam indixiſſe ſuis provinciis millie, & ducentarum librarum Eccleſiæ Romanæ exhibendam. Verùm nulla hujuſmodi vectigalis à Carolo Magno impoſiti mentio apud antiquos Scriptores. Quare cùm id temerè à Gregorio confictum nemo dixerit: id enim à moribus, à prudentia, à pietate abhorret tanti Pontificis, dicendum eſt cum Cantelio laudato, eam pecuniam, nec tributi, nec vectigalis, ſed eleemoſynæ nomine, Romanæ Sedi, pietatis ergo pro Caroli arbitrio datam eſſe. Certè is, ut inquit Annotator Baronii ad annum 808 num. 8, in Syriam, Ægyptum, & Africam, pauperum illarum regionum compatiens, pecuniam mittere ſolebat, teſte Eginhardo in ejus Vita, aliiſque Francorum Annaliſtis, qui ideo erga Eccleſiam Romanam minus munificus non fuit.

XIII. *Gregorius Romæ Synodum celebrat.*

Gregorius Pontifex conſecratus Synodum indixit Romæ celebrandam dominica prima Quadrageſimæ anni milleſimi ſeptuageſimi quarti, ut conſtat ex ejus Epiſtolis 42, & 43 libri primi Regiſtri. Huic interfuiſſe quinquaginta Epiſcopos, & Abbatum, atque Clericorum multitudinem teſtatur Hugo Flaviniacenſis Abbas in Chronico Virdunenſi; ſed confundit hanc primam Gregorii Synodum cum ſecunda anno 1075 habita. Præcipua hujus prioris Synodi capita memorat Gregorius ipſe in Epiſtola ad Ottonem Conſtantienſem Epiſcopum data, quæ licèt in Regiſtro ejus non legatur, refertur tamen à Paulo Bernriedenſi in ejus Vita cap. 36, extatque etiam Tomo X Conciliorum Labbei pag. 315, & ſeqq. in fronte Apologetici *ſuper decreta, quæ venerabilis Papa Gregorius ejuſdem nominis ſeptimus in Romana Synodo promulgavit contra ſimoniacos, & incontinentes Altaris miniſtros* ab Auctore Anoymo compoſiti, qui in eo cap. 5 per ordinem digerit ſtatuta in eadem Epiſtola ad Ottonem Conſtantienſem à Gregorio VII indicata: *Horum illud erat primum*, inquit Apologiſta: *ut Clerici aliquem ſacrorum ordinum gradum, & officium per pretium adepti, nullatenus deinceps in Eccleſia miniſtrent*. *Secundum, ut Eccleſiam pretio acquiſitam nullus*

lus retineat, nec alicui deinceps Eccleſiæ jura vendere, vel emere liceat. Tertium, ut à Clericali officio ceſſent quicumque ſe pro incontinentia reprehenſibiles exhibent. Quartum, ut populus Clericorum officia nullatenus recipiat, quos Apoſtolicas inſtitutiones contemnere videat. Hæc ſummatim refert Marianus Scotus in Chronico ad eundem annum 1074, & deinde ſubdit: *de prædicta Synodo Legati Papæ miſſi ad Henricum Regem Romanorum, id eſt duo Epiſcopi cum Regina ejuſdem Regis matre, & univerſali Synodo, coram Rege, communi omnium Epiſcoporum interdictu, fœminas ſepararunt à Clericis, & maximè à Presbyteris, & noluerunt eſſe in Paſcha cum Rege in civitate Babenberga, nec cibum vel ſocietatem Hermanni ejus civitatis Epiſcopi habere, qui etiam Epiſcopatum comparavit.*

XIV. *In eam inſurgunt Sacerdotes incontinentes.* Cùm hujus decreti executionem omnibus viribus urgeret Gregorius Pontifex, Clericorum conjugatorum factio graviſſimos in Germania tumultus excitavit, ut ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis in Chronico: *Adversùs hoc decretum*, inquit, *protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum, hominem* (ſc. Gregorium Papam) *planè hæreticum, & veſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus ſermonis Dominici, quo ait*, Non omnes capiunt hoc verbum, qui poteſt capere capiat: *Et Apoſtolus*, qui ſe non continet, nubat; melius eſt enim nubere quàm uri, *violenta exactione homines vivere cogeret ritu Angelorum, & dum conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei fræna laxaret.* Sanctiſſimus iſte Pontifex, hæreticus appellabatur à Sacerdotibus, & Epiſcopis conjugatis, vel concubinariis, qui clamabant, *malle ſe ſacerdotium, quam conjugium deſerere*, ut ſubdit idem Lambertus. Sed Auctor Anonymus Apologetici capitulis 24 conſtantis, egregiè oſtendit, Gregorium VII in iis, quæ in hac prima Synodo Romana ſtatuit, nihil à ſanctis Patribus deviaſſe, ideoque malè ac perniciosè aliquos obſtinato animo eiſdem reſiſtere, ut *& ipſi prædictas authenticas ſanctiones contemnant, & ſuam conſuetudinem, jucundiſſimam quidem, ſed pernicioſiſſimam retinere contendant.*

XV. *Gregorius PP. à calumnia vindicatur.* Sigebertus Gemblacenſis, qui hoc ipſo tempore vivebat, vir Henrici Regis Germaniæ partibus addictiſſimus, aliam in Gregorium VII confinxit calumniam; in chronico enim ad annum 1074 ſcripſit: *Gregorius Papa celebratâ Synodo ſimoniacos anathematizavit, uxoratos Sacerdotes à divino officio removit, & laicis Miſſam eorum audire interdixit, novo exemplo, &, ut multis viſum eſt, inconſiderato præjudicio contra Sanctorum Patrum ſententiam, qui ſcripſerunt, quòd ſacramenta, quæ in Eccleſia fiunt, Baptiſmus ſcilicet, Chriſma, Corpus & Sanguis Chriſti, Spiritu ſancto latenter operante, eorundem ſacramentorum effectum, ſeu per bonos, ſeu per malos intra Dei Eccleſiam diſpenſentur*, &c. Sed hæc calumnia ſancto huic Pontifici à viro ſchiſmatico afficta; Gregorius enim VII non ſtatuit, ut ſacramenta per Sacerdotes conjugatos vel concubinarios confecta nulla ſint; ſed ne Chriſtiani Miſſas ipſorum audiant, ut publico contemptu ad uxores dimittendas compellantur: *Statuimus etiam*, inquit in laudata ad Ottonem Conſtantienſem Epiſcopum Epiſtola, *ut ſi ipſi contemptores fuerint noſtrarum, imò SS. Patrum Conſtitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat; ut qui pro amore Dei & officii dignitate non corriguntur, verecundiâ ſæculi, & objurgatione populi reſipiſcant.* Divus Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus Gregorii VII mentem accuratè explicat in Epiſtola ad Willelmum Abbatem Hirſaugienſem primùm à Tegnagelo in ſua Collectione anni 1612 è tenebris eruta, & publicata, & poſtea à Gerberone in editione Operum S. Anſelmi.

XVI. *Gothofredus invaſor Eccleſiæ Mediol. in ea Synodo excommunicatur.* In eadem prima Synodo Romana Gregorius Papa, qui Athonis electi Archiepiſcopi Mediolanenſis contra Gothofredum ejuſdem Eccleſiæ invaſorem patrocinium ſuſceperat, ut dictum eſt in Alexandro II num. L, Gothofredum excommunicavit. Arnulphus enim Mediolanenſis Hiſtoricus apud Puricellum lib. 4 de Vita Sancti Herlembaldi cap. 37 ait: *In quo* (nempè Gregorio) *revixit Athonis illicò ſpiritus; adeò ut Romam pergens, illius ſe ſe ſubderet contubernio. Ipſe autem* (Gregorius) *cùm in priori radicitus inhæreret propoſito, indictâ Romæ generali Synodo, cum ſuis ſectatoribus Gothofredum excommunicavit*, in hac nempè prima Synodo Romana. Gregorius enim ante ſuam conſecrationem plures Epiſtolas adversùs Gothofredum, ejuſque fautores ſcripſerat, nempè Epiſtolas 11, 12, & 15 libri primi Regiſtri, quæ ibidem legi poſſunt, ſicuti & Epiſtolæ 25, 26, 27, & 28.

XVII. *Item Robertus Calabriæ Dux.* Robertum Guiſcardum Apuliæ, & Calabriæ Ducem in hac eadem Synodo à Gregorio VII pariter excommunicatum, quòd Beneventum Pontificiæ ditionis urbem obſidione cinxiſſet, cùm tunc Richardus Capuæ Princeps, Roberti frater Neapolim obſidere cœpiſſet, ſcribit Leo Oſtienſis lib. 3 cap. 44. Unde in fine libri primi Epiſtolarum Gregorii, de rebus ab eo geſtis anno 1074 hæc leguntur: *celebravit Romæ Synodum, in qua, inter cetera, quæ ibi geſta ſunt, excommunicavit, atque anathematizavit Robertum Guiſcardum, Ducem Apuliæ & Calabriæ, atque Siciliæ, cum omnibus fautoribus ſuis, quouſque reſipiſceret.* Anno poſtea ſequenti 1075 in ſecunda Synodo Ro-

mana iterum Robertus excommunicatus eſt, ut ex Actis Synodalibus refert eo anno Baronius num. 11, qui tamen in eo deceptus eſt, quòd crediderit, eundem Robertum anno tantùm 1080 à Gregorio Papa excommunicatione ſolutum; cùm, ex dicendis, id contingerit anno 1077, quo Gregorius, atque Robertus adversùs Henricum Germaniæ Regem fœdus ſanxére. Alia in hac prima Synodo Romana geſta Tomo X Conciliorum, & apud Baronium legenda.

XVIII. *Gregorius PP. Ottonem Epiſc. Conſtantienſem Romam citat.*

Hujus Synodi decreta cùm miſiſſet Gregorius Papa ad Ottonem Conſtantienſem Epiſcopum, ut mox dictum eſt, hic decretis illis ſalutaribus contra Presbyteros Simoniacos, & fornicarios editis inſultavit, ut conſtat ex Epiſtola ejuſdem Pontificis ad eum data, & à Paulo Bernriedenſi laudato cap. 37 relata, qua eum acriter objurgat, turpitudinem pellicatûs oſtendit, eumque Romam citat ad Synodum primâ Quadrageſimæ hebdomadâ anni milleſimi ſeptuageſimi quinti celebrandam; cui alia ejuſdem Pontificis ſubjicitur, Clero, populoque Conſtantienſi data, quibus mandat, ne inobedienti Epiſcopo obediant. *Apoſtolicâ*, inquit, *auctoritate præcipimus, ſi in obduratione ſua perſiſtere voluerit, nullam ei obedientiæ reverentiam exhibeatis, neque id animæ veſtræ perniciem eſſe putetis. Nam ſi, ut toties jam prædiximus, præceptis Apoſtolicis voluerit eſſe contrarius, ab omni illius ſubjectionis jugo, beati Petri auctoritate, abſolvimus ita univerſos, ut, cum ſacramenti obligatione, quilibet ei fuerit adſtrictus, quandiu Deo omnipotenti, & Sedi Apoſtolicæ rebellis extiterit, nulla ei fidelitatis exhibitione fiat obnoxius.* Antea autem dixerat: *Ipſum ad Synodum Romanam, quæ prima proximæ Quadrageſimæ hebdomada, futura eſt, advocavimus, ut pro ſe rationem reddat, & inobedientiæ cauſas, ſi rationabiles habuerit, in audientiam totius Conventûs exponat.* Quem exitum hæc cauſa habuerit docet nos Chronographus Conſtantienſis à Piſtorio editus, qui ait, Ottonem excommunicatum, & Epiſcopali honore deſtitutum, in exilium miſſum eſſe, & poſt duos annos in excommunicatione mortuum, Baſileæ ſepultum eſse.

XIX. *Cenſum à Duce Bohemia S. Petro promiſſum recipit.*

Gregorius Pontifex, qui menſe Decembri anni milleſimi ſeptuageſimi tertii, uſum Mitræ, laicæ perſonæ nunquam antea tributum, ab Alexandro II Uratiſlao Bohemiæ Duci conceſſum confirmaverat Epiſtola 38 libri primi; anno milleſimo ſeptuageſimo quarto menſe Septembri ad eundem Uratiſlaum Epiſtolam 7 libri ſecundi dedit, qua gratias agit, quòd cenſum centum argenti marcharum miſerit: *Pervenit ad nos*, inquit, *Nuntius veſter, qui magnæ devotionis, & fidelitatis veſtræ exhibitionem nobis retulit, & quæ beato Petro ſub nomine cenſûs miſiſtis, videlicet centum marchas argenti ad menſuram veſtri ponderis, fideliter præſentavit. Quod quidem gratanter accepimus*, &c. Hunc cenſum ab Uratiſlao Duce, pro uſu mitræ ab Alexandro Papa accepto promiſſum, Gregorio perſolviſſe ſcribit Baronius.

XX. *Solicitus eſt pro Eccleſia Orient.*

Ipſo etiam ſui Pontificatûs initio Gregorius componendi ſchiſmatis, quod tunc vigebat inter Latinos, & Græcos, & unionis inter eos redintegrandæ ſtudioſiſſimus fuit. Cùm enim, mortuo Alexandro Papa, Michaeli Ducæ Græcorum Imperatori electio Gregorii innotuiſset, mox ad eum gratulatorias literas dedit, qua occaſione Gregorius Dominicum Patriarcham Gradenſem Legatum ad eum miſit, ut liquet ex Epiſtola 18 libri primi, ex qua conſtat eum unionis Græcorum cum Latinis ſtudioſiſſimum fuiſſe. Sed quid ea legatione actum ſit, incompertum eſt. Illud ſolùm conſtat ex Epiſtola 31 libri ſecundi anno milleſimo ſeptuageſimo quarto data ad Henricum Germaniæ Regem, Gregorium ſtatuiſſe in Orientem proficiſci, ut Chriſtianos ſub Saracenorum tyrannide gementes cum numeroſo exercitu liberaret, de qua expeditione jam monuerat Italos, & Ultramontanos: *Quam admonitionem*, inquit, *Italici, & Ultramontani, Deo inſpirante, ut reor, imò etiam omninò affirmo, libenter acceperunt, & jam ultra quinquaginta millia ad hoc ſe præparant, ut ſi me poſſunt in expeditione pro Duce, & Pontifice habere, armata manu contra inimicos Dei volunt inſurgere, & uſque ad ſepulchrum Domini, ipſo ducente, pervenire. Illud enim me ad hoc opus permaximè inſtigat, quòd Conſtantinopolitana Eccleſia de Spiritu Sancto à nobis diſſidens, concordiam Apoſtolicæ Sedis expectat. Armeni etiam ferè omnes à Catholica fide aberrant, & penè univerſi Orientales præſtolantur, quòd fides Apoſtoli Petri inter diverſas opiniones eorum decernat.* Ita Gregorius ad Henricum Regem, qui hanc ſacram expeditionem intervertit, dum Saxonum rebellioni totus intentus, quæque magna illi poſtponenda putavit. Fervorem prætereà illius expeditionis minuit Orientalium rerum eventus felicior renunciatus, ut conſtat ex Epiſtola 3 libri ſecundi ad Guillelmum Pictavienſem Comitem data. Hoc fuit quaſi præludium quoddam expeditionis Jeroſolymitanæ à Cruceſignatis ſub Urbano II ſuſceptæ, de qua ſuo loco.

XXI. *Item pro Regno Hungariæ.*

Eodem anno milleſimo ſeptuageſimo quarto, exeunte menſe Octobri Gregorius Pontifex Epiſtolam 13 libri ſecundi ad Salomonem Hungarorum Regem ſcripſit, qua eum increpat, quòd regni Hungarici inveſtituram ab Henrico Germaniæ Rege acce-

ce-

Digitized by Google

cepiſſet, quam à Romano Pontifice accipere debuerat, cùm Eccleſiæ Romanæ beneficiarium ſit, utpote ipſi à Stephano primo Rege cum omni jure & poteſtate ſua quondam oblatum & addictum. Quare juſſit ut ſceptrum, quod tenebat, Apoſtolicæ, non Regiæ majeſtatis Beneficium eſſe cognoſceret. De Sancto Stephano Hungariæ Rege hujus nominis primo legendus Chartuitius Epiſcopus in ejus Vita apud Surium Tomo 4, qua autem occaſione Salomon ab Henrico Germaniæ Rege Hungarici regni inveſtituram acceperit, narrat Lambertus Schafnaburgenſis, quòd nempe cùm eodem anno 1074 à Joaide Beli filio, aliter Geiſa nominato, ejus conſanguineo, prælio victus & regno ſpoliatus fuiſſet, per Legatos Henricum Regem, cujus ſororem Judith in conjugem habebat, adierit, ut in regnum reſtitueretur, ſpondens futurum ſe eidem tributarium, atque munitiſſimas Hungariæ civitates, tanquam firmæ ſemper futuræ pacis pignora tributurum.

XXII. *Scribit ad Geiſam Hungariæ Regem.* Geiſa invaſo Hungariæ regno, & expulſo Salomone, Legatos ad Sedem Apoſtolicam miſit cum literis ad Gregorium Papam, qui ipſum literis iteratis admonuit, ut nihil præter juſtitiam putet ſibi licere; jura verò Eccleſiæ Romanæ ſuper Hungariæ regnum velit ſalva eſſe, atque integra retinere, quorum contemptu ipſe Salomon meruiſſet divinâ vindictâ regno privari. Pro pace tamen inter Salomonem & Geiſam concilianda laboravit Pontifex, ut conſtat ex ejus Epiſtola 70 ejuſdem libri ſecundi, ad Geiſam Hungariæ Ducem menſe Aprili anno 1075 data, in qua ait: *Nobis cura eſt, & cordi pia ſolicitudo inhæret, quatenus inter te & conſanguineum tuum Salomonem Regem faciamus pacem, ſi poſſumus; ut juſtitiâ utrimque ſervatâ; ſufficiat unicuique quod ſuum eſt, terminum juſtitiæ non tranſeat, metam bonæ conſuetudinis non excedat, ſicque fiat in pace nobiliſſimum regnum Hungariæ, quod hactenus per ſe principaliter viguit, ut Rex ibi non Regulus fiat. Verùm ubi contempto nobili dominio Beati Petri Apoſtolorum Principis, cujus regnum eſſe prudentiam tuam latere non credimus,* Rex Salomon *ſubdidit ſe Teutonico Regi, & Reguli nomen obtinuit. Dominus autem injuriam ſuo illatam Principi prævidens poteſtatem regni ſuo ad te judicio tranſtulit. Et ita ſi quid in obtinendo regno juris prius habuit, eo ſe ſacrilega uſurpatione privavit,* &c. Vixit Geiſa uſque ad annum 1077, quo mortuus eſt, eique in regnum Hungariæ ſucceſſit Sanctus Ladiſlaus frater ejus, ut inquit Joannes Thwrockius in Chronico Hungarorum cap. 57.

XXIII. *Legatos in Poloniam mittit.* Scripſit & Gregorius Papa eodem anno milleſimo ſeptuageſimo quinto Epiſtolam 73 ejuſdem libri ſecundi *ad Boleſlaum Polonorum Ducem* hujus nominis II, miſitque Legatos pro Epiſcoporum cauſis, qui & pauci erant, & Metropolitanos non habebant. *Illud nobis*, inquit Pontifex, *primò attendendum eſt, quòd Epiſcopi terræ veſtræ non habentes certum Metropolitanæ Sedis locum, nec ſub aliquo poſiti magiſterio, huc & illuc pro ſua quiſque ordinatione vagantes, ultra regulas & decreta Sanctorum Patrum liberi ſunt & abſoluti. Deinde verò, quòd inter tantam hominum multitudinem adeo pauci ſunt Epiſcopi, & amplæ ſingulorum parochiæ, ut in ſubjectis plebibus curam Epiſcopalis officii nullatenus exequi, aut rectè adminiſtrare valeant.* Quibus ex verbis malè quis inferret, nullam ad hæc uſque tempora fuiſſe Metropolim in Polonia; cùm, ut probat Annotator Baronii ad annos 965, & 999, Gueſna anno milleſimo in Metropolim erecta ſit ſub Ottone tertio; ſed ex præfatis Gregorii VII verbis id tantùm ſequitur, quo tempore ipſe literas illas dedit, Sedem Metropolitanam vacaſſe propter graviſſima, quæ præceſſerant, bella, aut alias rationes nobis ignotas. Sed ex inſcriptione Epiſtolæ Gregorii VII, liquet Polonorum Principes Regium titulum hoc tempore nondum conſecutos, licèt non ſolùm id taceant, ſed etiam negent Polonicarum rerum Hiſtorici; cum quibus & nos Caſimirum hujus nominis primum, Regem Poloniæ vocavimus, utpote Mieſconis II patris, qui Regium nomen affectaverat, ſucceſſorem, quod etiam Boleſlaus II ſumpſit, ut mox dicetur. Epiſtola Gregorii data eſt *ſeptimo Kalendas Maji, indictione decima tertia*, ideoque anno 1075.

XXIV. *Item ad Regem Ruſſorum.* Die verò XV Kalendas Maji, eadem indictione ſcripſit Gregorius Epiſtolam 74 ejuſdem libri ſecundi *Demetrio Regi Ruſſorum & Reginæ uxori ejus*, ſignificavitque ſe, eorum conſenſu accedente, eorundem filio tradidiſſe regni gubernacula, ſeque Legatos mittere, quos petit ſincera charitate juvari, neque turbari in iis, quæ ibi ex auctoritate Apoſtolicæ Sedis tractare voluerint. Quare ex hac Epiſtola deducitur, Ruſſos, qui ſæculo decimo exeunte, à Græcis tunc adhuc Catholicis ad Chriſti fidem converſi fuerant, Cerulario Conſtantinopolitano Patriarchæ ſchiſma conflanti non adhæſiſſe; ideoque immeritò Scriptores paſſim contendere, Ruthenicę Eccleſiæ Sanctos, etiam qui ante hoc tempus floruère, a Latinis colendos non eſſe; cùm tunc Ruthenica Eccleſia Apoſtolicæ Sedi conjuncta fuerit, nec niſi poſt hæc tempora ab ea defecerit.

XXV. *Secundam Romæ Synodum habet.* Secundam eodem anno milleſimo ſeptuageſimo quinto Romæ Synodum celebravit Gregorius Papa, cujus brevem tantùm

Digitized by Google

SÆC. XI. S. GREGORIUS VII.

tùm ſummam nobis relictam in Epiſtolarum ejus volumine refert Baronius, & ex eo Conciliorum Collectores, ubi dicitur coacta *indictione decima tertia, à ſexto Kalendas Martii, uſque ad pridie Kalendas ſequentis menſis*; ideòque anno milleſimo ſeptuageſimo quinto, quo currebat adhuc annus ſecundus ejus Pontificatûs ibidem notatus. Dicitur quidem ibidem habita Synodus *anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo quarto*; ſed hoc, quia annus ibi initium ſumit non à die natali Chriſti, aut à Kalendis Januarii, ſed à die 25 Martii, Annunciationi Beatæ Virginis ſacra, quo pacto die 24 Februarii, quo celebrata eſt Synodus, adhuc numerabatur annus milleſimus ſeptuageſimus quartus. In ea Synodo, cui interfuit Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum multitudo, quinque de familia Henrici Germaniæ Regis, quorum conſilio Eccleſiæ vendebantur, à liminibus Eccleſiæ ſeparati ſunt, *ita ut ſi ab inde uſque ad Kal. Junii Romam non venirent & ſatisfacerent, excommunicati haberentur*. Plures Archiepiſcopi & Epiſcopi in eadem ab officiis ſuſpenſi, & Robertus Dux Apuliæ, in priori Synodo Romana excommunicatus, iterum anathematizatus eſt.

XXVI. *Decretum in eo edit contra Inveſtituras.*

In hac prætereà Synodo editum eſſe decretum contra Inveſtituras exiſtimat Annotator Baronii, licèt Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, illud referat ad Synodum anni 1074; in eo enim loquens de Gregorio VII, ad eundem annum ait: *Quia vidit hoc Sanctorum Patrum adverſari decretis, ut in canonica electione Epiſcopi prævaleret donum Regis, imò multoties ipſam electionem immutaret, vel potius irritam faceret: eodem anno* (imò potius anno 1075) *in Romana Synodo quinquaginta Epiſcoporum, conſidente Presbyterorum & Abbatum multitudine, juxta decreta Pontificalia, & inſtitutiones canonicas, ne hoc amplius à quoquam præſumeretur, prohibuit ſub excommunicatione anathematis, decretum faciens in hæc verba*:
„ Si quis deinceps Epiſcopatum vel Abba-
„ tiam de manu alicujus laicæ perſonæ
„ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos vel
„ Abbates habeatur, nec ulla ei ut Epiſco-
„ po vel Abbati audientia concedatur. In-
„ ſuper etiam gratiam Beati Petri, & in-
„ troitum Eccleſiæ interdicimus, quoaduſ-
„ que locum, quem ſub crimine tam am-
„ bitionis, quàm inobedientiæ, quod eſt
„ ſcelus idololatriæ, cepit, deſeruerit. Si-
„ militer etiam de inferioribus Eccleſiaſti-
„ cis dignitatibus conſtituimus. Item ſi quis
„ Imperatorum, Ducum, Marchionum, Co-
„ mitum, vel quilibet ſæcularium poteſta-
„ tum aut perſonarum Inveſtituram Epiſco-
„ patûs, vel alicujus Eccleſiaſticæ digni-
„ tatis dare præſumpſerint, ejuſdem ſen-
„ tentiæ vinculo ſe adſtrictum ſciat.

XXVII. *Illud decretum prioribus Conciliis eſt conforme.*

Secutus autem eſt in hoc, ſubdit Hugo Flaviniacenſis, *Patrum exempla, licèt jam per multa annorum curricula damnabilis hæc conſuetudo inolevîſſet, & in uſum converſa eſſet. Dicitur enim in VII univerſali Synodo à V Patriarchis & CCCL Patribus ſub Hadriano Papa habita cap.* 3:
„ Omnis electio Epiſcopi, Presbyteri, vel
„ Diaconi, à Principibus facta, irrita maneat,
„ ſecundùm regulam, quæ dicit: Si quis
„ Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus
„ Eccleſiam per ipſos obtinuerit, depona-
„ tur & ſegregetur, omneſque qui illi
„ communicant. *Item in VIII univerſali Synodo habita à V Patriarchis ſub Nicolao I Pontifice cap.*...... Promotiones,
„ vel conſecrationes Epiſcoporum concor-
„ dans prioribus Conciliis hæc Sancta &
„ univerſalis Synodus electione & decreto
„ Epiſcoporum fieri conſtituit, & ſtatuit
„ atque promulgavit neminem laicorum
„ Principum & poteſtatum ſemet inſerere
„ electioni, vel promotioni Patriarchæ,
„ vel Metropolitæ, aut cujuſlibet Epiſco-
„ pi, ne inordinata hinc & incongrua fiat
„ confuſio vel contentio; præſertim cùm
„ nullam in talibus poteſtatem quemdam
„ poteſtativorum laicorum habere conve-
„ niat, ſed potius ſilere & attendere ſibi
„ uſquequò regulariter à collegio Eccleſię
„ ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis.
„ Si quis verò laicorum ad concertandum
„ & cooperandum invitatur ab Eccleſia,
„ licet hujuſmodi cum reverentia obtem-
„ perare aſciſcentibus. Quiſquis autem
„ ſæcularium Principum & potentum, vel
„ alterius dignitatis laicus, adversùs com-
„ munem & conſonantem, atque canoni-
„ cam electionem Eccleſiaſtici ordinis age-
„ re tentaverit, anathema ſit, donec obe-
„ diat & conſentiat. *Item ex Concilio Antiocheno cap.*..... „ Si quis Presbyter vel
„ Diaconus per ſęcularem dignitatem Ec-
„ cleſiam Dei obtinuerit, dejiciatur, &
„ ipſe & ordinator ejus à communione mo-
„ dis omnibus abſcindantur, & ſint ſub ana-
„ themate, ſicut Simon Magus à Petro.

Ita Hugo Flaviniacenſis; ſed canon ille, quem citat tanquam canonem Concilii Antiocheni, in eo Concilio non extat, at conflatus eſt ex canonibus XXVIII, & & XXIX Apoſtolorum ex interpretatione Gentiani Herveti; vel XXX & XXXI ex interpretatione Dionyſii Exigui, qui canones omni veneratione proſequendi ſunt. Memoria prætereà labitur Hugo, ſcribens Synodum VIII ſub Nicolao Papa I celebratam; habita eſt enim ſub Hadriano II, & canon ab eo laudatus, eſt XXII ejuſdem Synodi, quod obiter dictum ſit.

XXVIII. *A viris piis illud decretum laudatum.*

Idem Hugo Flaviniacenſis, qui antea egerat de ordinatione Hugonis Lugdunenſis

Digitized by Google

ſis Camerarii, quem in Concilio Cabilonenſi à Geraldo Cardinali Epiſcopo Oſtienſi Apoſtolicæ Sedis Legato, dictum eſſe Epiſcopum Dienſem in locum Lancelini Epiſcopi Simoniaci in eodem Concilio depoſiti, jam ſcripſerat; poſt ſuperiora ſubdit: *In electione igitur & conſecratione Domini Dienſis evidenter oſtenditur operata divinitas; quia per hanc occaſionem Sancta Dei Eccleſia ſub Papatu Domini Gregorii multis retrò annis obnubilata, electionis Eccleſiaſticæ ſplenduit veritas. Viderint igitur viri cordati, quid juris Imperatoribus, Regibus, & Principibus in electione Pontificis reſervatur.* Sanctus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus in lib. 2 contra Wicbertum & ſequaces ejus, poſtquam enumeravit mala, quæ ex damnabili illa conſuetudine proveniebant, ait: *His tantis cladibus, quæ contingunt ex præfatis promotionibus, Gregorius VII obviare cupiens, Romana Synodo quinquaginta Epiſcoporum, conſidente Presbyterorum & Abbatum multitudine, per omnia Sanctis præfatis Patribus conſonantia decreta ſtatuit, dicens:* Si quis deinceps Epiſcopatum, vel Abbatiam, & cetera n. 26 uſque ad finem recitata.

XXIX. *Henrico Regi intimatur cum comminatione anathematis.*

Gregorius VII œconomia erga Henricum Germaniæ Regem primùm uſus eſt; ſed cùm ab eo obtinere non poſſet, ut ab illa ſubverſione canonum, et Eccleſiaſticæ libertatis oppreſſione deſiſteret, inveſtiturarum uſum damnavit, & Henrico anathema comminatus eſt, niſi decreto Synodi obediret. Id diſertè teſtatur Arnulphus Hiſtoricus Mediolanenſis hujus temporis lib. 4, cap. 3. *Præfatus Papa*, inquit, *habita Romæ Synodo palam interdicit Regi jus deinde habere aliquod in dandis Epiſcopatibus, omneſque laicas ab Inveſtituris Eccleſiarum ſummovet perſonas; inſuper facto anathemate, cunctos Regis clamat Conſiliarios, id ipſum Regi comminatus, niſi in proximo huic obediat conſtituto.* Gregorius itaque decretum Synodi, quantum in ſe erat, executioni mandare volens, ipſi Henrico Regi excommunicationem nominatim minatus eſt, niſi Inveſtiturarum uſum abdicaret.

XXX. *In eadem Synodo editur decretum contra Sacerdotes fornicarios.*

In hac eadem ſecunda Synodo Romana decretum editum eſt adverſùs Sacerdotes fornicarios, quod referunt Simeon Dunelmenſis in Hiſt. de Geſt. Reg. Angl. ad annum 1075, & Rogerius Hovedenus in Willelmo Seniore parte I; tale autem eſt: *Gregorius Papa, qui & Hiltibrandus, ſervorum Dei ſervus, per totum Italicum regnum & Teutonicum debitam Sancto Petro obedientiam exhibentibus, Apoſtolicam benedictionem. Si qui ſunt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui jacent in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte Omnipotentis Dei & auctoritate Sancti Petri introitum Eccleſiæ, uſque dum emendent, & pæniteant: ſi qui autem in peccato ſuo perſeverare maluerint, nullus veſtrûm officium eorum auſcultare præſumat; quia benedictio illorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, teſtante Domino per Prophetam;* „Maledicam, inquit, benedictionibus veſtris. Sed notandum has voces initio decreti, *qui & Hiltibrandus*, à prædictis auctoribus explicationis gratiâ videri additas. Statutum eſt in eadem Synodo mittendam eſſe Legationem in Germaniam ad executionem hujus decreti; nam, ut ſcribit Marianus Scotus ad annum 1075, *plures Clerici ſub ſententia interdicti Apoſtolici libentius eſſe voluerunt, quàm fœminis & uxoribus carere; ſed ut vel per alios caſtigarentur, decrevit Papa Synodica legatione etiam hoc anno, ut nullus Chriſtianus audiret Miſſam conjugati Presbyteri.* Legationem, de qua loquitur Marianus Scotus, obivit Curienſis Epiſcopus de ſententia Synodi. Concilium Moguntiæ menſe Octobri congregatum, & Apoſtolica mandata Sigefrido Archiepiſcopo Moguntino tradita, ut univerſos ſuæ diœceſeos Clericos cogeret, *aut in præſentiarum conjugibus renunciare, aut ſe in perpetuum ſacri Altaris miniſterio abdicare. Quod dum facere vellet, exurgentes, qui undique aſſidebant Clerici, ita eum verbis confutabant, & manibus, & totius corporis geſtu in eum debacchabantur, ut ſe, vita comite, inde exiturum deſperaret. Sic tandem rei difficultate ſuperatus, ſtatuit ſibi deinceps tali quæſtioni ſuperſedendum, & Romano Pontifici relinquendum, ut cauſam, quam ipſe toties inutiliter propoſuiſſet, ille per ſemetipſum quando, & quomodo vellet, perorarct*, inquit Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 1075.

XXXI. *Gregorius VII. in Eccleſia capitur.*

Eodem anno milleſimo ſeptuageſimo quinto in ipſa Natalis Domini die, à qua Lambertus Schafnaburgenſis annum Chriſti 1076 inchoat, execrandum facinus à Quintio, ſive Cincio Romanæ urbis Præfecto in Gregorium Papam admiſſum eſſe refert idem Lambertus. Paulus autem Bernriedenſis in ejuſdem Gregorii Papæ Vita apud Mabillonium cap. 47, facinus illud relaturus, ſcribit Urbis Præfectum nomine Cincium, virum prudentem, coram Deo & hominibus, *qui non ut laicus, ſed veluti fidelis Monachus, Deo ſerviens juſtitiam excolebat in omnibus*, latronem illum, quem non nominat, carceri tradidiſſe, è quo clementiâ domini Papæ poſtea dimiſſus eſt. Unde Mabillonius in Notis diſtinguit duos Cincios, priorem, qui Cadolum Antipapam ſub Honorii II nomine fovit, & Cincium iſtum, Cinthium appellatum à Petro Damiani, à quo multis laudatur lib. 8 Epiſt. 1 & 2. Sed quidquid ſit, rem ita refert Paulus Bernriedenſis cap. 49, & ſeq.

In-

Inſtante feſtivitate Dominicæ Nativitatis, ad peragendum vigiliarum obſequia Pontifex, ut mos eſt, ad Beatæ Mariæ Eccleſiam, quæ Major vocata eſt, cum parvo Clericorum, & laicorum numero properavit, ubi in Præſepi poſitus Miſſam noctis primam decantabat; cùmque Corpus Dominicum, tam ipſe, quàm Clerus ejus ſuſcepiſſet, *& reliqui, qui aderant, eadem adhuc ſacramenta* perciperent, *magnus ſubito clamor ex improviſo intonuit*, & proditores *undique luſtrantes Eccleſiam, evaginatis mucronibus percutientes quos poterant, ad locum Præſepii, quo Papa eximius reſidebat, convenerunt: percuſſiſque ibidem aliquantis, ruptiſque oſtiolis illis, angulum brevem Præſepii æterni Regis, & Matris truculentis manibus intraverunt. Tunc injecerunt in eum manus, & tenuerunt. Quorum unus educto gladio caput ejus abſcindere voluit; ſed tamen, Domino volente, non potuit. Percuſſum tamen in fronte, graviterque vulneratum, de Miſſa nondum finita violentis manibus abſtraxerunt, cædentes & percutientes...... Tandem exutum pallio, & caſula, ſeu dalmatica, & tunica, eum camiſiâ tantùm amictum, & ſtolâ, ut furem tractum per dorſum cujuſdam ſacrilegi poſuerunt. Ille verò, qui frontem gladio percuſſerat, arreptus à dæmonio ante ejuſdem Eccleſiæ atrium diu volutatus eſt ſpumans, equuſque ejus fugiens nequaquam ulterius inventus eſt.*

XXXII. *Proditori petenti veniam concedit.*

Tum refert Paulus Bernriedenſis, per totam noctem Urbem totam commotam eſſe, & adveniente die populum armatum ad domum illius latronis, quem Antichriſtum vocat, veniſſe, in qua pars hoſtilis ſe concluſit, quæ, allatis machinis & arietibus, ruptiſque muris capta eſt, & prædæ data; ipſe autem Pontifex à piis viris & mulieribus curatus. *Traditor autem*, inquit, *jam jamque videns capiendam eſſe turrim, ac ſibi periculum mortis imminere, coactus procidit ad pedes beatiſſimi Papæ, dicens: Semper miſericordiam, Pater, docuiſti, docens perfeciſti, erranteſque convertens, univerſos in fide ſolidaſti; ſuſcipe errantem, & ab iniquitatibus ſe convertentem; converſum ſolida, ne me deſperationis profunditas abſorbeat. Peccavi, erravi, tradidi, interfeci, ſacrilegium perpetravi, Matris Regis enim thalamum corrupi, violentiſque manibus tugurium, & parvum ſecretarium Dei filii violavi* (ideſt Eccleſiam Sanctæ Mariæ Majoris, & Præſepium Domini ibi exiſtens violavi). *Te patrem & meum Dominum, ut parricida, perjuriis, ſacrilegiis, manibus pollutis ex illius gremio attraxi. Suſcipe, libera, tuere, miſericordiam fac, da remedium, conſilium, ſuffragium: injunge pœnam, pone pœnitentiam carceris*, &c. *Tunc* Papa clementiſſimus ſolita pietate commotus reſpondit: *Quidquid mihi ex ipſa injuria irrogaſti, paternè indulgeo. Quod autem in Deum & matrem ejus, Apoſtoloſque, ſeu omnem Eccleſiam contraxiſti, luendum fore pronuntio, ita ut primò Jeroſolymam tendas; & poſtmodum, ſi vivus inde reverſus fueris, noſtris te manibus, & conſilio repræſentes, ut ſic ſaltem modo aliquo, gratiam tibi reconciliare Omnipotentis Dei valeas. Et quemadmodum cunctis filiis Eccleſiæ, ſubverſionis hactenus exemplar fuiſti, ita te de cetero converſionis fias. Hæc itaque cuncta, prout juſſum eſt, ut videbatur, explere libentiſſimè ſpopondit: & ſic diei illius liberationem promeruit.*

XXXIII. *Liberatur, & Miſſam perficit.*

Poſt hæc Gregorius Papa ad feneſtram erectus, turbæ furenti, ut componeretur, expanſis manibus innuit, ſicque *foras adductus eſt, turbis omnibus flentibus præ gaudio, & præ pietate clamantibus. Cernebatur enim totus cruoris magnitudine reſperſus, & ideo nimio horrore perculſi, voces ad ſidera proferebant. Factâ igitur victoriâ, omnes unâ cum Papa Gregorio ad Dei Genitricis Eccleſiam, de qua nocte ipſa abſtractus fuerat, gaudio non modico repleti conveniunt. Tunc pater communis Miſſam, quam nocte, miniſtris diaboli præpedientibus finire non potuerat, hora ipſa complevit, & cum tanta victoria revertentibus benedictionis Dominicæ gratiam dedit.* Et poſt pauca: *Dum apud præfatam Eccleſiam populus pro paſtoris liberatione gratias Deo redderet, iniquus ille Judas fugam cum uxore, filiis & fratribus arripuit, & ſic dimiſſis rebus ſuis, nudus evaſit. Quidquid verò ſui juris olim eſſe poterat, populus poſtea adveniens diſtraxit, turribus ac domibus ſubverſis, prædiis verò fiſci titulo ſociatis. Perditionis verò filius & Antichriſti miniſter, ante mundi conſtitutionem damnatus, poſt ſuam evaſionem, quidquid promiſerat, non ſolùm minimè perſolvit; ſed etiam quibuſdam ſui ſimilibus profanis aſſociatus, conſilia malignitatis contra liberatorem ſuum dare, quoad vixit, non abhorruit.* Utrùm proditor ille fuerit Cincius vel Quintius, Urbis Præfectus, ut ſcribit Lambertus, vel alius quiſpiam incertum eſt: Paulus enim Bernriedenſis eum non nominat, & contrarium inſinuare videtur, cùm Cincium Urbis Præfectum cap. 47 multis, ut dictum eſt, laudibus exornet.

XXXIV. *Saxones à rebellione in Henricum Regem avertere conatur.*

Nunc ad ea, quæ cum Henrico Rege peracta ſunt, poſt Synodum Romanam initio Quadrageſimæ anni milleſimi ſeptuageſimi quinti celebratam, veniamus. Dum Gregorius totus eſſet in promulgandis prædictis Synodalibus decretis, Henricus Rex ob Saxonum rebellionem ſibi timens, ſe ei obſequentem verbis ſaltem exhibuit. Sed cùm inſignem de Saxonibus victoriam *quinto Idus Junii* retuliſſet, ad vomitum reverſus

sus

Digitized by Google

ſus eſt, & quæ Pontifici promiſerat, irrita reddidit. *Illo quidem tempore Saxones*, inquit Paulus Bernriedenſis laudatus cap. 64, *quoniam videbant ab eo* (Henrico Germaniæ Rege) *ſe nimium crudeliter tractari, unanimiter conſpiraverunt, ut pro Rege illum amplius non haberent. Tunc coactus ſupplices ad Apoſtolicum literas direxit, orans, ut ſuis orationibus commendatum ſuſciperet; quatenus eum de tam horrendo, pavidoque judicio jam imminenti, ſuis meritis excelſi Regis dextrâ eriperet; iterum, iterumque promittens, nil unquam amplius de Eccleſiis Dei facere, quod Sancti Canones reprehendere poſſent. Cujus precibus motus Papa, eiſdem Saxonibus literas & Nuntios miſit; & circa ejuſdem Regis radices fodiens, prædicationis ſuæ cophinos miſit, exſpectans ſcilicet, ut groſſos ex ficu colligere poſſet. Sed unde ſumere humoris boni plenitudinem debuit, inde poſt marcidus aruit: & expectata vitis ad pingues botros ferendum, labruſcas viles & exiles portavit: & ſeges foliis pulcrioribus ornata, meſſis tempore nil aliud, quàm infandæ permiſtionis lolium protulit. Monuit equidem Regem, interim ſe ab armis ſuſpenderet, donec è Saxonum partibus nuntios haberet. Rex verò non acquieſcens literis, & commonitionibus patris, terras Saxoniæ intravit, ubi ex utraque parte, hominum peccatis exigentibus, multus humanus ſanguis effuſus eſt. Regis tamen in manibus, juſto Dei judicio, victoria data.*

XXXV. *Henricus his victis Saxonibus ad vomitum redit.*

Sed cùm pro illa victoria Henricus Rex ſub manibus Domini humiliari deberet, *tanquam ignitus & ſpiritu elationis inflatus*, ut ſubdit idem Auctor, *contra ipſum intumuit. Nam cuncta, quæ pridem per matrem, per Epiſcopos, per Clericos, per communes nuntios & privatos antea promiſerat; poſtmodum, quia ſecurus, in irritum duxit. Siquidem Eccleſias, quas in manibus Domini Papæ corrigendas ſub juramento poſuerat, non ſolùm non dimiſit, verum etiam, contra decretales Patrum inſtitutiones, quibuſdam adulteris, & ſimoniacis ſub inveſtitura contradidit: inter quos etiam Gotefridum, propter Eccleſiæ Mediolanenſis invaſionem excommunicatum, ejuſdem invaſionis adulterio inveſtivit, Altono* (ſeu Athone Archiepiſcopo Mediolanenſi jam conſecrato, ut ſuperius diximus) *cum Papa morante, quem Archiepiſcopum melior pars cleri, & populi ſuum Dominum elegerant. Dedit etiam Firmanam, & Spoletanam.* Deſiderantur poſtea aliqua verba in fine illius capitis 64. Ex his porrò patet deceptum eſſe Baronium, ſcribentem anno tantùm milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo de laicorum Inveſtituris agi cœptum eſſe; eas enim in Synodo Romana anni 1075 jam prohibitas fuiſſe, ſatis ſuperque probatum eſt.

XXXVI. *Gregorius PP. eum urget, ut promiſſis ſtet.*

Cùm Gregorio Papæ innotuiſſet Henricum Regem ad ingenium poſt debellatos Saxones rediiſſe, ſimoniacas inveſtituras, uti antea promiſerat, non dimiſiſſe, & ab excommunicatorum conſortio non abſtinuiſſe, ſcripſit ad eum Epiſtolam decimam libri tertii, *ſexto Idus Januarii, Indictione* 14, qua annus milleſimus ſeptuageſimus ſextus notatur, datam, qua jubet, ut ſi ita eſt, iis à ſe rejectis, ab aliquo Epiſcopo pœnitentiam ipſe & abſolutionem petat, eundem ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ hortatur, ſignificatque decretum contra Inveſtituras in Synodo Romana II latum ab omnibus Principibus obſervandum eſſe. Inſcriptio Epiſtolæ hæc eſt: *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Henrico Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem, ſi tamen Apoſtolicæ Sedi, ut Chriſtianum decet Regem, obedierit.* Præter has literas Gregorius alias ad eundem Regem ſcripſit, quæ non extant, de quibus loquitur Paulus Bernriedenſis cap. 65 Vitæ Gregorii: *Ne Romana Sedes*, inquit, *videretur aliquid injuſtè, ſeu præcipitanter agere, definitum eſt, ut eidem Regi acriores literæ ſcriberentur, in quibus plenè cognoſceret, nullo timore, amoreve juſtitiam dimittere poſſe Romanum Paſtorem. Scripſit autem ad Beatricem* [Mathildis Comitiſſæ matrem, quæ obiit non multò poſt, ſcilicet die 18 Aprilis ejuſdem anni 1076] *ejuſque filiam Mathildem, quæ tunc temporis Italiam totam præ ceteris gubernabant, ad eundem Regem, ad invaſorem Mediolanenſem, ad ſuffraganeos omnes.*

XXXVII. *Eum ad cauſam dicendam Romam vocat.*

Non ſolum literas ad Henricum Regem, ſed & Legatos miſit Gregorius Pontifex, de quibus loquitur Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 1076, quem à die Natali Chriſti anni ſuperioris inchoat. *Rex natalem Domini*, inquit, *Goſlariæ celebravit . . . . . . Aderant præterea Hildebrandi Papæ Legati, denunciantes Regi, ut ſecunda feriâ, ſecundæ hebdomadæ in Quadrageſima ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus quæ objiciebantur cauſam dicturus: alioquin ſciret, ſe abſque omni procraſtinatione, eodem die de corpore Sanctæ Eccleſiæ Apoſtolicæ anathemate abſcindendum eſſe. Quæ Legatio Regem vehementer permovit: ſtatimque abjectis cum gravi contumelia Legatis, omnes qui in regno ſuo eſſent, Epiſcopos & Abbates, Vvormatiæ Dominica Septuageſimæ convenire præcepit, tractare cum eis volens ad deponendum Romanum Pontificem, ſi qua ſibi via, ſi qua ratio pateret: in hoc cardine totam verti ratus ſalutem ſuam, & regni ſtabilitatem, ſi is non eſſet Epiſcopus.*

XXXVIII. *Henricus Rex in Conciliabulo Vvormatienſi Papam deponit.*

De Actis in hoc Conciliabulo Wormatienſi hæc ſubdit idem Lambertus: *Rex ſtatuta die venit Vvormatiam: venerunt etiam Epiſcopi & Abbates ampliſſimo numero.*

Com-

Digitized by Google

Commodè quoque conficiendis tantis rebus intervenit quidam ex Cardinalibus Romanis, Hugo, cognomento Blancus, quem ante paucos dies, propter ineptiam ejus, & mores inconditos Papa de ſtatione ſua amoverat, deferens ſecum de vita & inſtitutione Papæ ſcenicis figmentis conſimilem tragœdiam: ſcilicet unde oriundus, qualiter ab ineunte ætate converſatus, quàm perverſo ordine Sedem Apoſtolicam occupaverit, quæ ante Epiſcopatum, quæ poſt acceptum Epiſcopatum, memoratu quoque incredibilia flagitia commiſerit. Hujus auctoritatem tanquam divinitùs ſibi deſtinatam gratiſſimè amplexati, & promptiſſimè ſecuti, ſententiam promulgarunt, quòd Papa eſſe non poſſit, nec ullam, juxta privilegium Romanæ Sedis, ligandi aut ſolvendi poteſtatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris ac criminibus commaculaverit. Scribit deinde Lambertus omnes huic decreto ſubſcripſiſſe, præter Adalberonem Wirzeburgenſem, & Herimannum Metenſem Epiſcopos, *dicentes incongruum valdè, & contra canonum ſcita eſſe, ut Epiſcopus aliquis abſens, abſque generali Concilio, ſine legitimis & idoneis accuſatoribus, & teſtibus, nec dum probatis criminibus, quæ objicerentur, condemnaretur; nedum Romanus Pontifex, adversùs quem nec Epiſcopi, nec Archiepiſcopi cujuſquam recipienda ſit accuſatio.* Sed inſtante Willelmo Trajectenſi Epiſcopo, ut aut cum ceteris damnationi Papæ ſubſcriberent, aut Regi, cui ſub jurejurando fidem ſpopondiſſent, protinus renunciarent; tandem *ex nomine omnium, qui convenerant, Epiſcoporum, & Abbatum plenæ contumeliarum literæ Romam deſtinantur, quibus denunciatur Romano Pontifici, ut Pontificatu, quem contra Eccleſiaſticas leges uſurpaſſet, ſeſe abdicet, ſciatque poſt eam diem quidquid agat, jubeat, decernat, irritum haberi. Legati, ut juſſum fuerat, ſummo conatu iter accelerantes, pridie quàm Synodus indicta celebraretur, Romam ingreſſi literas tradunt: tunc ceteram legationem, ſicut in mandatis habebant, verbo non minus contumelioſo, quàm ſcripto exequuntur.*

XXXIX. *Huic depoſitioni ſubſcribunt Longobardi.*

Diſtinctiùs hæc refert Paulus Bernriedenſis in Vita Gregorii cap. 67 & ſeq. *Adductis in medium* Conventiculi Vvormatienſis *diabolicis Pontificibus anathema ſuper dominum Papam, imò ſuper ſe ipſos protulerunt. Miſſis etiam in Longobardiam & Marchiam à latere Regis tam nuntiis, quàm apicibus viſum eſt, ut facto anathemati ſubſcriberent. Congregatis ergo omnibus Papiæ, ex præcepto Regis, & magis ex propria malevolentia & odio, ut res patuit, anathemati ſubſcripſerunt. Nam ad oſtendendum malæ voluntatis cumulum, poſitis Sacroſanctis Evangeliis, juramento firmaverunt, nullo modo ſe deinceps Gregorium pro Papa habituros, vel obedientiam exhibituros. Miſſiſque nuntiis, idem ut alii facerent, effecerunt; ſcripſit autem idem Rex Romam literas, omni injuria inhoneſtas, falſitateque repletas, præcipiens Domino Papæ, ut de ſede ſurgeret, Eccleſiamque dimitteret; vocans eum perjurum, invaſorem, & Regiæ dignitatis diminutorem: maximè ſimoniacis Longobardiæ elaborantibus, ſtatuerunt etiam, ut non ante literæ darentur & verba, quàm Synodus, quæ congregata in Romana fuerat Eccleſia, plenius hoc audire poſſet, quod etiam factum eſt.*

XL. *Hæc abdicatio intimatur Gregorio PP.*

Nam & Papa Synodum faciente, pergit Paulus Bernriedenſis, *quidam Parmenſis Clericus* (Rolandus appellatus) *Domini Apoſtolici ad injuriam, cum eiſdem literis præſentare ſe non abhorruit, & eaſdem blaſphemias in facie totius Eccleſiæ & conventûs proferre non formidavit.* Et poſt pauca: *Poſtquam verò finito hymno facturus ſermones exhortationis omnibus Papa conſederat; ille pręcurſor Antichriſti, non tribuens honorem Deo, magiſque diligens terrenum, quàm cœleſte imperium, ſic eundem*
„ *Papam alloquitur:* Dominus meus Rex, &
„ Epiſcopi omnes Ultramontani, & Italici
„ præcipiendo mandant, ut invaſam Sedem
„ Beati Petri, & Romanam Eccleſiam amo-
„ dò dimittas. Non eſt enim dignum, ſi-
„ ne præcepto illorum, & Imperiali do-
„ no tantum honorem ſcandere. *Et con-*
„ *verſus Clero Romano dixit:* Vobis di-
„ citur, fratres, ut ad futuram Penteco-
„ ſtes ſolemnitatem Regio conſpectui vos
„ repræſentetis, ſuſcepturi de manibus Re-
„ gis Papam & Patrem: quia hic non Pa-
„ pa, ſed lupus eſſe dignoſcitur rapax. *Ad cujus verba mox Joannes Portuenſis Epiſcopus, morum honeſtate & religione vir pręclarus, facto impetu ſurgens, immenſa voce clamavit;* Capiatur. *Tunc Pręfectus, facto impetu cum judicibus, militibus & Romanis nobilibus tantum impoſtorem, evaginatis in ipſa Eccleſia Salvatoris gladiis, ante Domini Papę pręſentiam interimere voluit: & feciſſet, niſi prius Pater toto corpore ſe ſuper eum projeciſſet, omnibus de ejus morte clamantibus.*

XLI. *Gregorius PP. Henricum Regem excommunicat in Synodo Rom. III.*

Papa nihil permotus atrocitate nuncii, proſequitur Lambertus Schafnaburgenſis laudatus, *poſtera die cùm Clerus & populus ad Synodum frequens confluxiſſet, in auribus omnium literas recitari fecit, & ſic cunctis, qui convenerant, Epiſcopis id fieri decernentibus, Regem excommunicat, & cum eo Archiepiſcopum Moguntinum Sigefridum, Epiſcopum Trajectenſem Vvillelmum, Epiſcopum Babenbergenſem Rubertum: ceteris, qui conſpirationis hujus participes extiterant, diem ſtatuit, qua niſi Romę pręſentati cauſam dicerent, novę hujus & inuſitatę contra Sedem Apoſtolicam rebellionis, ſimilem*

ce-

Digitized by Google

ceteris excommunicationis ſententiam ſortiantur: porrò Ottonem Ratiſponenſem Epiſcopum, & Ottonem Conſtantienſem Epiſcopum, & Burchardum Loſanenſem Epiſcopum, Eberhardum Comitem, Udalricum, & alios nonnullos, quibus Rex potiſſimùm Conſiliariis utebatur, jam pridem excommunicaverat.

XLII. *Eum etiam depoſuit.*

Paulus Bernriedenſis laudatus Henricum non ſolùm excommunicatum, ſed & Regia dignitate privatum, ejuſque ſubditos à ſacramento fidelitatis ipſi præſtito abſolutos teſtatur; poſtquam enim cap. 70 & ſeqq. graviſſimam retulit Sancti hujus Pontificis orationem ad Patres in Synodo congregatos, cap. 75 ait: *His atque aliis nonnullis peroratis, ſancta & magna Synodus dixit: Tua, ſanctiſſime Pater, cenſura, quem ad regendum noſtri temporis ſæculum divina peperit clementia, contra blaſphemum, invaſorem, tyrannum, deſertorem, talem ſententiam proferat, quæ hunc conterat, & futuris ſæculis trangreſſionis cautelam conferat.* Et poſt pauca: *gladium exere, judicium exerce, ut lætetur quilibet juſtus cùm viderit vindictam, manus ſuas lavet in ſanguine peccatoris. Tandem omnibus acclamantibus, definitum eſt, ut honore Regio privaretur, & anathematis vinculis tam prænominatus Rex, quàm omnes aſſentanei ſui colligarentur. Accepta itaque fiducia Dominus Papa, ex totius Synodi conſenſu & judicio, protulit anathema in hunc modum: Beate Petre Apoſtolorum Princeps*; & poſt longam invocationem ſic habet: *Hac itaque fiducia fretus pro Eccleſiæ tuæ honore & defenſione, ex parte Omnipotentis Dei, Patris & Filii, & Spiritus Sancti, per tuam poteſtatem, & auctoritatem Henrico Regi, filio Henrici Imperatoris, qui contra Eccleſiam tuam inauditâ ſuperbiâ inſurrexit, totius regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Chriſtianos à vinculo juramenti, quod ſibi fecêre, vel facient, abſolvo, & ut nullus ei ſicut Regi ſerviat, interdico. Dignum eſt enim, ut qui ſtudet honorem Eccleſiæ tuæ imminuere, ipſe honorem amittat, quem videtur habere. Et quia ſicut Chriſtianus contempſit obedire, nec ad Dominum rediit, quem dimiſit participando excommunicatis, & multas iniquitates faciendo, meaque monita, quæ pro ſua ſalute ſibi miſi, te teſte, ſpernendo, ſeque ab Eccleſia tua, tentans eam ſcindere, ſeparando, vinculo eum anathematis vice tua alligo, ut ſciant gentes & comprobent, quia tu es Petrus, & ſuper tuam petram filius Dei vivi ædificavit Eccleſiam ſuam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*

XLIII. *Depoſitionis probationes adducuntur.*

Idem ſcribunt Auctor Vitæ Sancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, & Domnizo Presbyter in Vita Mathildis Comitiſſæ; ſed quia abſolutionem à juramento fidelitatis, aut depoſitionis nomen, quo utuntur Hiſtorici, ita interpretantur quidam, ut velint per ea tantùm intelligi ſuſpenſionem à regni adminiſtratione; & exauctoratum penitus non fuiſſe Henricum ante annum milleſimum octogeſimum in ſeptima Synodo Romana, hìc adducenda ſunt verba illius Synodi, ſeu Gregorii VII in ea damnantis Henricum Regem apud Mabillonium in Vita ejuſdem Gregorii cap. 107. Henricus *confuſus & humiliatus*, inquit Pontifex, *ad me in Longobardiam veniens anno 1077*, ideoque poſt ſecundam Synodum Romanam, *abſolutionem ab excommunicatione quæſivit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promiſſionibus acceptis de vitæ ſuæ emendatione, ſolam ei communionem reddidi; non tamen in regno, à quo eum in Romana Synodo depoſueram, inſtauravi, nec fidelitatem hominum, qui ſibi juraverant, vel erant juraturi, à quo omnes abſolvi in eadem Synodo, ut ſibi ſervaretur præcepi. Et hæc ideo detinui, ut inter eum, & Epiſcopos vel Principes ultramontanos, qui ei cauſa juſſionis veſtræ Eccleſiæ reſtituerant, juſtitiam facerem, vel pacem componerem, ſicut ipſe Henricus juramento per duos Epiſcopos mihi promiſit.* Sed ne quis dicat hæc verba etiam intelligenda de ſuſpenſione à regni adminiſtratione, audiendus Gregorius ibidem, ubi Henricum exauctorando, ut omnes fatentur, ita loquitur: *Quapropter confidens de judicio & miſericordia Dei...... prædictum Henricum, quem dicunt Regem omneſque fautores ejus excommunicationi ſubjicio, & anathematis vinculo alligo, & ITERUM regnum Teutonicorum & Italię ex parte Omnipotentis Dei & veſtra interdicens ei, omnem dignitatem & poteſtatem Regiam illi tollo, & ut nullus ei Chriſtianus ſicut Regi obediat, interdico; omneſque, qui ei juraverunt, vel jurabunt, de regni dominatione, à juramenti promiſſione abſolvo.* Quare cùm his verbis intelligant omnes verum Henrici Regis depoſitionem, ſuperioribus idem ſignificari, non video cur negent; cum præcipuè Gregorius teſtetur, ſe *ITERUM* regnum Teutonicorum, & Italiæ Henrico interdicere, omnemque dignitatem & poteſtatem Regiam ei tollere, quod ſe jam antea feciſſe denotat per illud adverbium *iterum*. Certè Henricum in Synodo Romana anni 1076 fuiſſe depoſitum ex eo etiam eruitur, quòd Acta publica poſt illum annum conſignata non ſunt in Burgundiæ regno annis ejus Imperii, ſed hac formula, *regnante Chriſto Domino*; in Hiſtoria enim Delphinatûs à doctiſſimo D. Juvenis Balliviatûs Vapincenſis, dum viveret, Cognitore Regio compoſita, quæ extat manuſcripta in Bibliotheca nobiliſſimi & eruditiſſimi D. Henrici de Thomaſſin D. de Mazaugues, refertur donatio mo-

Digitized by Google

naſterio cuidam prope civitatem Vapincenſem exiſtenti, facta a Leodegario Vapincenſi Epiſcopo, quæ ſic clauditur: *Datum Vapinci Non. Octob. Lun. 21, regnante Chriſto Domino, amen*. Leodegarius autem ex eodem Auctore dictus eſt Epiſcopus Vapincenſis anno 1074, & obiit die tertia Auguſti anni 1079. Eodem tempore, nempe *anno* 1078, *menſe Aprili, indictione prima* Archimbaudus Nicienſis Epiſcopus Ebrardo Abbati Sancti Pontii donationem etiam quamdam fecit, actam, ut in ea legi aſſerit Juvenis, *regnante in nobis Domino Jeſu-Chriſto*; ex quibus concludendum eſt, Henricum jam tunc non ſolùm ab adminiſtratione regni ſuſpenſum, ſed & verè fuiſſe depoſitum à Synodo Romana anni 1076. Porrò de hac formula, *regnante Chriſto*, vide dicta in Marino II num. 3, & in Leone VIII Antipapa num. 4.

XLIV. *Multi ad Papam tranſeunt.*

Poſt excommunicationem & depoſitionem Henrici Regis, multi Epiſcopi, Principes, & Proceres Theutonici regni ab Henrici communione receſſerunt, ad quod etiam eos movit Willelmi Trajectenſis Epiſcopi miſer obitus, damnatioque æterna, ob defenſas Regias partes, morientis ore denunciata, de qua loquuntur Lambertus Schafnaburgenſis, & Paulus Bernriedenſis laudatus cap. 79, & ſeqq. *Igitur poſt excommunicationem*, inquit Paulus, *& depoſitionem Regis, Domini præeunte gratia, multi nobiles & mediocres ad Deum toto corde converſi præfatum Regem reliquerunt*. Ipſi etiam, qui contra Apoſtolicam Sedem conjuraverant, ſupplices pœnitentiam poſtularunt. *Nonnulli verò Epiſcoporum gementes tantum facinus, ad Apoſtolicam Sedem diſcalceatis pedibus venerunt, tamdiu ibi perdurantes, quouſque Dominus Papa miſericordiæ manum, & pietatis viſcera eis compatiens aperiret*.

XLV. *Willelmi Epiſcopi Trajectenſis contra Gregorium PP. dicentis, terribilis mors.*

Intereà Dominus magnum miraculum in Regis & omnium oculis fecit: quo cognito multi eum reliquerunt. Nam poſt excommunicationis diem, Paſchalis diei ſolemnitate cum regio apparatu & comitatu pompaticæ multitudinis ad Eccleſiam divinitus ſibi clauſam venire nequaquam abhorruit. Juſſu itaque Regis quidam Epiſcopus (is eſt Willelmus Ultrajectenſis Epiſcopus, cujus terribilem mortem etiam referunt Lambertus Schafnaburgenſis, Hugo Flaviniacenſis & alii) *ſi fas eſt, imò hæreticus & ſimoniacus, ad Miſſæ ſe præparavit officium. Tandem perlecto Evangelio, ex more facturus popularem ſermonem Pontifex idem pulpitum conſcendit. Parum autem de tractatu locutus Evangelico, ſtatim ſe ad blaſphemiam Papæ Gregorii cæco corde, menteque veſana prorupit, quę pro nimio ſui horrore præterire complacuit....... verumtamen eadem blaſphemia, qualis in oculis Domini fuerit, continuò ſequens ultio, ſi perpendatur, innoteſcit. Nam Paſchalis diei gaudio nondum finito, ſubito cœlum fragore intonuit, in quo ignis deſcendere cœlitus viſus eſt, qui omnem illam Eccleſiam, omneſque domos regali receptui præparatas repente conſumpſit, & lætitiam profanorum in mœrorem commutavit. Epiſcopum verò illum blaſphemum ſubitò percuſſum divina ultio interemit. Sed antequam vitam penitus exhalaret, miniſtros ſuo exitio præparatos, quales eſſent compulſus eſt dicere*. „ Video me, inquit, igneis loris „ adſtrictum tetris trahentibus imaginibus „ ex hac vita convelli: ſed tamen ite, & „ dicite Regi, ut flagitium, quod in Deum, „ & Beatum Petrum, ejuſque Vicarium „ commiſit, emendet, ne me præeuntem ad inferi loca ſequatur. *Et hęc dicens expiravit*. Bruno in Commentario de Bello Saxonico his addit, Vvillelmum Trajectenſem Epiſcopum poſt mortem Abbati Cluniacenſi apparuiſſe, ac æternam ſuam damnationem denuntiaſſe; ſed & multos alios Henrici familiares miſerè obiiſſe, ut nemini dubium eſſet, ipſos inobedientiæ erga Romanum Pontificem, adulationis ęrga Regem & ſchiſmatis pœnas dare vindice Deo.

XLVI. *Gregorii PP. pro Henrico Rege ſollicitudo.*

Cùm hæc nihil proficerent, Gregorius compaſſione motus, licèt Regem regno privaſſet, & anathemate perculiſſet, literas encyclicas, quæ extant libro quarto Regiſtri Gregoriani, ſuntque 1 & 3 dedit ad omnes Præſules ac Principes, ceteroſque Eccleſiaſticos, & ſæculares quoſcumque Chriſti fideles, tum ut ipſum hortarentur ad pœnitentiam, quòd cuperet eum, ſi verè ſcelerum pœniteret, ab excommunicationis nexu liberare, & in regnum reſtituere; tum ut vitaret excommunicatorum & impœnitentium communionem: & interim tamen omnibus Epiſcopis diſtrictè prohibuit, ne quis Regem præſumeret quomodocumque inconſulta Sede Apoſtolica ab excommunicatione abſolvere. Qui ſi perſeveraret impœnitens, tunc inita matura deliberatione, alius eligeretur auctoritate Apoſtolica Rex Catholicus, qui imperium juſtè adminiſtraret. Priores Gregorii literæ datæ ſunt *octavo Kalendas Auguſti, indictione decima quarta*; poſteriores *tertio Nonas Septembris, indictione incipiente decima quinta*, anno ſcilicet 1075.

XLVII. *Ad colloquium à Principibus Germaniæ invitatur.*

Sed cùm *prędicti Regis converſionem*, inquit Paulus Bernriedenſis cap. 82, *jamdiu & fruſtra Principes exſpectarent, & ſtatum regni periculoſiùs in dies diſturbandum, imò ſine capite jam penitus deſtituendum viderent, tandem zelo Dei armati cum Legatis Apoſtolicę Sedis convenerunt* (Oppenheimii inter Moguntiam & Wormatiam, ſecundùm aliquos, vel Triburiæ è regione

Op-

SÆC. XI. S. GREGORIUS VII.

Oppenheimii ſecundùm alios) & *eumdem, ut eorum conſilio acquieſceret, & reſipiſceret, ſatis fideliter rogaverunt: alioquin ſe non ulterius ei communicare, vel obedire proteſtati ſunt. Hac ille neceſſitate, ſimulatè quidem, ut poſtmodum apparuit, ſe per omnia, & conſiliis Principum, & preceptis Apoſtolici domini obediturum promiſit. Erat autem eorum conſilium, ut Dominus Apoſtolicus ad generale colloquium Auguſtam in Purificatione Sanctę Marię* [anni 1077, cùm Conventus iſte habitus ſit, juxta Lambertum Schafnaburgenſem, XVII Kal. Novembris anni 1076] *tunc proxima veniret: quatenus ibidem cauſa ejus in audientia totius regni legitimè determinari poſſet. Ipſi quoque Principes miſſa legatione, dominum Papam ad prędictum diem venire ſuppliciter rogaverunt; ad quod iter illum promptiſſimum, ut ſubſcriptę ejus literę teſtantur, invenerunt. Rex autem contra promiſſionem ſuam, contra conſilium Principum, hoc ab Apoſtolico per Legatos ſuos voluit extorquere, ne Auguſtam veniret, ſed ut eum ad ſe Romam venire permitteret; ea utique intentione, ut tantò facilius Papam fallere poſſet, quantò pauciores regni Principes, jam ſepius aſtutias ejus perpeſſi, diſcutiendę ejus cauſę intereſſent. Unde & Papa votis ejus non annuit, ſed, ut Principes rogaverant, ad condictum diem venire diſpoſuit, & ſubſequentes Epiſtolas Principibus regni, pro diſponendo itinere ſuo tranſmiſit.* Recitat poſtea Paulus duas Epiſtolas Præſulibus & Magnatibus Germaniæ à Gregorio Papa ſcriptas, quibus etiam cum periculo vitæ ſe colloquio affuturum pollicetur. Hæc Acta anno 1076.

XLVIII. *Tedaldi Mediolanenſis intruſio, & S. Herlembaldi martyrium.*

Quo eodem anno Mediolani à Clericis Simoniacis, & Fornicatoribus Sanctus Herlembaldus, quem ab Alexandro II Eccleſiæ defenſorem conſtitutum eſſe diximus, martyrio coronatus eſt. Gregorius Papa in Synodo Romana anni 1074 Gothofredum Mediolanenſis Eccleſiæ invaſorem, ut jam oſtendimus, excommunicavit. Anno verò 1075, cùm Mediolanenſes ſine Præſule eſſe nollent, pro petendo Epiſcopo ultra montes Henrico Regi legationem dirigunt: *Legatis Mediolanenſium*, inquit Arnulphus lib. 4 cap. 9 apud Puricellum, *ex Clero & populo de re præfata Regem adeuntibus, Tedaldus quidam Mediolanenſis Eccleſiæ Subdiaconus capella militabat in Regia, cui Rex .... Ambroſianum tradidit Præſulatum; poſthabita Gothofredi illius adhuc viventis inveſtitura, & unctione, Attonis quoque Romæ tunc degentis electione. Quid plura? Suſceptus eſt Præſul ille à Clero & populo, utpotè novarum rerum uſu .... avido, cui etiam ſuffraganei eidem ipſi, qui Gothofredum conſecraverant, manum benedictionis imponunt. Res quidem mira, & cunctis retro temporibus inaudita; ut urbis unius uno dato Antiſtite* (nempè Gothofredo) *ſacrato altero* (ſc. Attone) *uno eodemque tempore tertius erumpat*, nempè Tedaldus. Herlembaldus hæreticis atque ſchiſmaticis, qui Tedaldum recipere volebant, reſiſtens, martyrium paſſus eſt; & quidem poſt feſta Paſchalia, ut Arnulphus in ejus Vita apud Puricellum teſtatur, ubi & aſſerit, Luitprandum Presbyterum Mediolanenſem, adversùs Clericos concubinarios cum Herlembaldo ſtantem, ab iis naſo & naribus detruncatum. Quod cùm accepiſſet Gregorius Pontifex, ad eundem Luitprandum reſcriptum miſit ab Annotatore Baronii ad annum 1076 num. 9 relatum ex Landulpho Juniori cap. 6 Hiſtoriæ ſuæ MS. apud Puricellum lib. 4 de S. Arialdo cap. 59. Sanctus poſtea Herlembaldus ab Urbano II Sanctis connumeratus eſt, ut ſuo loco dicetur, de Luitprando infra etiam ſermo erit. Tedaldum verò Gregorius Pontifex in Synodo Romana VII excommunicavit.

XLIX. *Henricus Rex à Gregorio PP. abſolvitur.*

Anno milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo Gregorius Papa iter aggreſſus cum Mathilde Comitiſſa, ut ſtatuta die Auguſtam cum Principibus Germaniæ veniret, ad diſcutiendam Regis Henrici cauſam, accepit Regem in Italiam advenire, ideoque divertit in caſtellum munitiſſimum Tuſciæ, *Canuſium* dictum, ad quod Rex ſe contulit abſolutionis obtinendæ gratiâ, ut fusè refert Lambertus Schafnaburgenſis, & paucis verbis perſtringit Paulus Bernriedenſis in ſæpius laudata Gregorii Vita cap. 84. *Intereà Rex*, inquit, *propriæ cauſæ diffidens, & idcirco audientiam totius regni ſubterfugiens, furtivè Italiam cum excommunicatis, contra præceptum Papæ, & conſilia Principum, intravit; & Apoſtolico ad prædictam diem Auguſtam tendenti ante Purificationem Sanctæ Mariæ apud Canuſium obviavit; ibique ante portam caſtri per triduum depoſito omni Regio cultu, miſerabiliter, utpotè diſcalceatus, & laneis veſtibus indutus, perſiſtens, non priùs cum multo fletu Apoſtolicæ miſerationis auxilium & conſolationem implorare deſtitit, quàm omnes qui aderant, & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem, & compaſſionis miſericordiam movit, ut pro eo multis precibus, & lacrymis intercedentes, omnes quidem inſolitam Domini Papæ duritiam mirarentur; nonnulli verò in eo, non Apoſtolicæ ſerenitatis gravitatem, ſed quaſi tyrannicæ ſeveritatis crudelitatem eſſe clamarent: denique inſtantia compunctionis ejus, & tanta omnium, qui ibi aderant, ſupplicatione Papa devictus, tandem eum relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam, & ſinum ſanctæ Matris Eccleſiæ recepit: acceptis ab eo ſecuritatibus, quarum etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacenſis*, (ſc. ſancti Hugonis) *& nobi-*

Digitized by Google

nobilium Comitiſſarum Mathildis, (Tuſciæ Comitiſſæ) *&* *Adalajæ* [conjugis Marchionis Seguſiæ, & Comitis Sabaudiæ, Maurianæque] *&* *aliorum Principum, Epiſcoporum, & laicorum, qui ſibi ad hæc utiles viſi ſunt, in hunc modum ſuſcepit*.

L. *Sub jurejurando.*

Refert poſtea Paulus jusjurandum Henrici Regis, quod tale eſt: „ Ego Henricus „ Rex de murmuratione, & diſſenſione, „ quam nunc habent contra me Archie„ piſcopi, Epiſcopi, Duces, & Comites, „ ceterique Principes regni Teutonicorum, „ & alii, qui eos in eadem diſſenſionis cau„ ſa ſequuntur, infra terminum, quem do„ minus Papa conſtituerit, aut juſtitiam ſe„ cundùm judicium ejus, aut concordiam „ ſecundùm conſilium eius faciam, niſi cer„ tum impedimentum mihi, vel ſibi obſti„ terit: quo tranſacto ad idem peragen„ dum paratus ero. Item, ſi idem domi„ nus Papa Gregorius ultra montes, vel „ alias partes terrarum ire voluerit, ſecu„ rus erit ex mea parte, & eorum, quos „ conſtringere potero, ab omni læſione vi„ tæ & membrorum ejus, ſeu captione, „ tam ipſe, quàm qui in ejus conductu, „ ſive comitatu fuerint, in eundo, ſive ibi „ morando, ſeu inde redeundo: neque „ aliud aliquod impedimentum habebit ex „ meo conſenſu, quod contra honorem ſu„ um ſit; & ſi quis ei fecerit, cum bona „ fide ſecundùm poſſe meum, illum adju„ vabo. Factum & illud jusjurandum, Rex abſolutionem recepit die vigeſima quinta menſis Januarii, ut teſtatur Domnizo in Vita Mathildis Comitiſſæ his verſibus.

Ante dies ſeptem, quàm finem Janus haberet,
Ante ſuam faciem conceſſit Papa venire
Regem, & cetera apud Baronium legenda.

LI. *Conditiones abſolutionis.*

Lambertus Schafnaburgenſis pœnitentiam Regi impoſitam, ſeu potius conditiones, ſub quibus abſolutus eſt, fuſè recitat, ex quo hæc ſummariè referenda duxi. Rex ad caſtellum Canuſium accedens, cùm caſtellum illud triplici muro ſeptum eſſet, intra ſecundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu ſuo, depoſito cultu Regio, nudis pedibus, in laneis veſtibus, frigore aſperrimo, jejunus à mane uſque ad veſperam cum multo fletu perſtitit, Romani Pontificis miſericordiam implorans. Cùmque hoc ſecundo, tertioque die feciſſet, his poſtremò conditionibus abſolutus eſt, ut die & loco quemcumque Papa deſignaſſet, evocatis ad generale Concilium Teutonicis Principibus, præſtò eſſet, & accuſationibus, quæ intenderentur, reſponderet; & ad Pontificis ſententiam, vel retineret regnum, ſi objecta purgaſſet, vel amitteret, ſi probatis criminibus Regio honore indignus decerneretur: uſque verò ad eam judicii diem, nulla Regiæ dignitatis ornamenta vel inſignia ſibi uſurparet, nihil circa Reipublicæ adminiſtrationem ſuo jure ageret; eoſque, quorum conſiliis ſe, Remque publicam prodidiſſet, à ſua in perpetuum familiaritate amoveret: quòd ſi purgatis objectionibus confirmaretur in Regno, ſubditus Romano Pontifici ſemper, dictoque obtemperans foret. His & aliis ejuſmodi injunctis conditionibus poſtremò additum eſt: *Si quid horum prævaricaretur, irritam fore hanc, quæ nunc tantopere expectata ſit, anathematis abſolutionem: quin imò jam pro convicto confeſſoque habendum eſſe, nec ultra pro aſſerenda innocentia ſua audientiam impetraturum, Principeſque regni omni deinceps quæſtione cuncta jusjurandi religione liberatos, Regem alium, in quem communis electio conſenſiſſet, creaturos eſſe*. Accepiſſe gratanter Henricum conditiones, & ſervaturum ſe omnia, quàm ſanctiſſimis potuit aſſertionibus promiſiſſe, aſſerit Lambertus, cui conſonant Domnizo in Vita Mathildis, & Gregorius ipſe Epiſtola 12 libri 4 ea de re ad Epiſcopos, & Principes Germaniæ ſcripta quinto Kalendas Februarii; cùm ipſam Regis abſolutionem, ex mox dictis, teſtetur idem Domnizo contigiſſe die vigeſima quinta menſis Januarii.

LII. *Gregorius ſe canonicè ſe purgat.*

His addit Lambertus, poſt Regem abſolutum, Pontificem celebraſſe Miſſam, cùmque ſacratiſſimam Euchariſtiam ſumpturus manu teneret, vocato Rege, ac univerſa adſtantium multitudine, dixiſſe: *Ego jam pridem à te, tuiſque fautoribus literas accepi, quibus inſimulabas Sedem Apoſtolicam per ſimoniacam hæreſim occupaſſe, & aliis quibusdam tam ante Epiſcopatum, quàm poſt acceptum Epiſcopatum criminibus vitam maculaſſe, quæ mihi ſecundùm ſcita canonum omnem ad ſacros ordines acceſſum obſtruxerint. Et licèt multorum idoneorum certè teſtium adſtipulatione crimen refellere queam, eorum ſcilicet, qui omnem vitæ meæ ab ineunte ætate inſtitutionem integerrimè noverunt, & eorum qui meæ ad Epiſcopatum promotionis auctores fuerunt: ego tamen ne humano potius, quàm divino niti videar teſtimonio, ut ſatisfactionis compendio omnem omnibus ſcandali ſcrupulum de medio auferam, ecce Corpus Dominicum quod ſumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, ut Omnipotens Deus ſuo me hodie judicio vel abſolvat objecti criminis ſuſpicione, ſi innocens ſum, vel ſubitanea interimat morte, ſi reus*.

LIII. *Eamdem purgationem oblatam refugit Henricus Rex.*

Poſt illa terribilia verba cùm Pontifex partem Dominici Corporis accepiſſet, & comediſſet, populuſque in laudes Dei innocentiæ ejus congratulatus aliquandiu acclamaſſet, tandem ſilentio impetrato converſus ad Regem, *Fac ergo*, inquit, *fili, ſi placet, quod me facere vidiſti. Principes*

Teu-

Teutonici regni ſuis in dies accuſationibus aures noſtras obtundunt, magnam tibi molem capitalium criminum impingentes, pro quibus non modò ab omni rerum publicarum adminiſtratione, ſed ab Eccleſiaſtica etiam communione, & ab omnimoda vitæ ſæcularis converſatione uſque ad extremum vitæ ſpiritum te ſuſpendi oportere exiſtimant. Petunt etiam magnoperè diem, & locum ſtatui, audientiamque præſtari canonicè diſcutiendis, quæ adverſum te afferunt, accuſationibus .... Cùm ergo bene tibi conſultum cupiam, pro eo quòd in calamitatibus tuis ſupplex Apoſtolicæ Sedis patrocinium expetiſti, fac quod moneo. Si te innocentem noſti, & exiſtimationem tuam ab æmulis tuis per calumniam falſis criminationibus impeti, libera compendiosè & Eccleſiam Dei ſcandalo, & te ipſum longæ concertationis ambiguo, & ſume hanc reſiduam partem Dominici Corporis, ut comprobata, Deo teſte, innocentia tua, obſtruatur omne os adverſum te iniqua garrientium, & me deinceps cauſæ tuæ advocato, & innocentiæ tuæ vehementiſſimo aſſertore Principes tibi reconcilientur, regnum reſtituatur, omnes, quibus jam diu Reſpublica vexatur, bellorum civilium tempeſtates in perpetuum ſopiantur. Sed Rex inopinata re attonitus, & ad tam horrendi examinis neceſſitatem æſtuans, habito cum ſuis conſilio, refugit illud eo prætextu, quòd abſentibus accuſatoribus ſuis, haud quidquam virium habitura eſſet quæcumque pro experienda innocentia ſua ſatisfactio; proindeque Papam oravit, ut rem integram generali Concilio differret, ut ibi congregatis accuſatoribus, & ſecundùm leges Eccleſiaſticas diſcuſſis, tam accuſationibus, quàm accuſatorum perſonis objecta refelleret. Cui haud gravatè Papa acquievit.

LIV. *Rex in priſtina relabitur.*

Poſtquam Rex, communione recepta, à Gregorio Papa diſceſſiſſet, parum attendens ad ea, quæ ei in reconciliatione ſua juramento promiſerat, ad ſolitam nequitiam rediit, & ſimoniacorum ſuorum conſiliis contra Papam aſſentire non expavit. *Omnes enim ſimoniaci*, inquit Paulus Benriedenſis laudatus cap. 85, *eorumque ſocii, quorum tyrannidi ipſe ſanctam matrem Eccleſiam ſubjugaverat, quorum etiam factione jampridem Apoſtolicam Sedem deauctorizare tentaverat: ipſi, inquam, omnes ad eum reconciliatum recurrentes, non terrorem, ſed audaciam ab eo, pro perpetrata iniquitate acceperunt; quin etiam in damnatione Apoſtolici apud eum conjurandi locum invenerunt. Ipſe verò, ejuſque complices communionem utcumque idcircò feſtinaverant recipere, quia juxta legem Teutonicorum ſe prædiis, & beneficiis privandos eſſe non dubitabant, ſi ſub excommunicatione integrum annum permanerent: cujus adhuc unus menſis ſuperfuit, dum ad reconciliationem redirent.* Excommunicatio enim lata fuerat circa finem menſis Februarii anni 1076, & abſolutio impetrata circa finem Januarii anni 1077, ex mox dictis. *Communionem itaque*, pergit Paulus, *non ut ſe corrigerent, repetebant; ſed ut plurimos jam dudum ab illis anathemate ſeparatos ſibi reſociarent; ſicque tantò audaciùs, tantò crudeliùs, quantò cum pluribus ſolita tyrannide ſanctam Eccleſiam opprimere poſſent. Nam ſtatim poſt reconciliationem, ut prædictum eſt, ad priſtinum volutabrum redire, ſed & ſimoniacis, utpotè ſui ſimilibus contra Apoſtolicam Sedem aſſentire non dubitarunt.*

LV. *Coronari petens non exauditur à Papa.*

Accepta per fraudem communione, Henricus callidè conceſſionem regni, ſeu reſtitutionem in regnum à Pontifice elicere volebat, ut disertè teſtatur idem Paulus cap. 86: *Non multò poſt tamen*, inquit, *Rex ab Apoſtolico regni jam conceſſionem callidè, ut communionem, elicere volebat. Miſſa enim legatione humiliter ei ſupplicabat, ut vel eum ſemel apud ſanctum Joannem in Moytia* (ſeu Modoetia, vulgò Monza, oppido paſſuum millibus decem Mediolano diſſito, ubi Imperatores coronam ferream pro regno Longobardorum à Mediolanenſi Archiepiſcopo ſuſcipere ſolebant in Eccleſia Sancti Joannis.) *per Epiſcopos Papienſem, & Mediolanenſem, more priorum Regum, coronari permitteret: vel ſi hoc nollet fieri per hujuſmodi Epiſcopos, utpotè excommunicatos, ſaltem hoc privilegium Apoſtolica auctoritate cuilibet Epiſcopo concederet exequendum, ob hoc maximè appetens coronari, ut cum communione etiam regnum à Romano Pontifice videretur recepiſſe. Sed Papa calliditatem ejus jam ſatis expertus, nullo modo votis ejus voluit acquieſcere: diligenter ſecum ipſe reputans, ſe quidem eum pro multis criminibus, & maximè pro inobedientia, & contumacia Apoſtolicæ Sedi irrogata, à regno depoſuiſſe, omneſque ei juratos ab ejus dominio liberos reddidiſſe: & ob hoc nullatenus eum, ſicut nec alium in Regem à Principibus, utpotè liberis hominibus, ſuperponi debere abſque eorum electione. Nam & à toto regno de tot ac tantis injuriis ac perfidiis erat inculpatus, ut de his eum neceſſe eſſet primitùs expurgari (ſi tamen hoc aliquatenus poſſet fieri) & ſic demum cum conſenſu totius regni legitimè coronari. Rex igitur ea vice quoque, ſimulatâ obedientiâ apud Montiam regalia inſignia non uſurpavit: quæ tamen non multò poſt contra bannum Domini Papæ reſumere, & interdicta regni gubernacula uſurpare non timuit.*

LVI. *Principes Teutonici ad Ulmam conveniunt.*

Cùm itaque terminus à Principibus regni Teutonici, ipſoque Rege coram Legatis Apoſtolicæ Sedis, ad Auguſtam in Purificatione Sanctæ Mariæ indictus tranſiret, & Pontifex, qui ad eum diem venire promiſerat, à Rege impediretur, Principes *Re-*

gem

gem ſubterfugiſſe, & ſe etiam hac vice, ſolitâ ejus perfidiâ deluſos eſſe animadvertentes; ejuſque verſutiam nec in ipſa reconciliatione, vel poſtea ceſſaſſe certiſſimè cognoſcentes, *mox in Suevia apud Ulmam*, ſubdit Paulus, *conventu facto deliberaverunt, ne ſe deinceps ab illo ludificari, vel potius priſtina ejus calliditate periclitari permitterent; ſed ſuæ ſaluti in legitimi Principis electione providerent. In eodem autem Conventu apud Ulmam generalius colloquium ad Forechein* (munitum Epiſcopi Bambergenſis oppidum) *IV Idus Martii ad novi Regis electionem condixerunt: ad quod etiam Domini Apoſtolici conſilium, & auxilium ſibi venire, miſſa legatione poſtulaverunt. Quo audito Papa ad id colloquium Legatos direxit, qui Principes rogarent, ut diſpoſitionem regni uſque in adventum ejus differrent, ſi hoc ſine periculo fieri poſſe ſperarent. Noluit ſanè eis hoc ex definito præcipere, ne ſibi jure imputari poſſet, ſi quod periculum ſtatus regni ex illa dilatione incurriſſet.*

LVII. *Papa liberum tranſitum à Rege Henrico ſecurè poſtulat.*

Altera autem die poſt dimiſſionem Legatorum, Manegoldus Comes, magnus amator veritatis advênit, cujus relatione Papa de novo Rege conſtituendo certior factus, alium Legatum, Gregorium ſcilicet Romanæ Eccleſiæ Diaconum, ad Principes regni deſtinavit, qui eos Apoſtolica auctoritate adventum ejus præſtolari compelleret: eo tamen primitùs explorato, ſi Rex, qui adhuc in Longobardia morabatur, ab eodem Legato conventus, ſecuritatem facere vellet, ut Domino Papæ tranſitum ad Teutonicas partes, pro ipſius cauſa determinanda concederet. Quod ſi Rex nollet concedere, præcepit Papa, ut Legatus ad ſe rediret, nec Principes cum aliqua dilatione, à providenda regni neceſſitate ſuſpenderet. Idem eidem Legato præfatam legationem imponens Papa, dixit inter alia, ſe quaſi pro indicio hujuſmodi ſecuritatem exegiſſe, cujus, inquam, ſecuritatis exhibitio, illum in regnum reſtitui poſſe præſagiret: ſicuti ejuſdem ſecuritatis denegatio, hoc eum non poſſe, ex divino indicio denotaret. Inter hæc verba, Papæ tres digiti ejus dexteræ uſque ad medium repente ſanguinei apparuêre, quos ſanguine ex naribus profluente maculatos exiſtimans, detergere cœpit: ſed eos ſanguineis notis nullatenus emaculare potuit. Hinc ipſe & reliqui ſapientes, qui hoc miraculum conſpexerunt, aliquid magni per hæc ſigna portendi non dubitarunt. Erant autem ibi tunc præſentes prænominatus Comes Manegoldus, & venerabilis Presbyter Erkembertus cum aliis quamplurimis in oppido Canuſii in capite Jejunii, quod eo anno contigit in Kal. Martii.

LVIII. *Legatos ad Conventum Forcheimenſem mittit.*

Percepta igitur Legatione, ſtatim Legatus ad Regem properavit cum prædicto Comite; ſed Rex ſecuritatem, quam Papa poſtulabat, facere contempſit: unde & ille Legatus ad Apoſtolicum redire non tardavit. At Comes ad proximum Forcheimenſe colloquium venire accerleravit, quò & priores Legati jam pervenerant; qui una tantùm die priuſquam præfatus Comes [diſcederet], ab Apoſtolico miſſi fuerant. Hi autem erant Legati, Bernhardus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Diaconus, item alter Bernhardus Abbas religioſus de Maſſilia, ferè ſexcentorum Monachorum pater, qui etiam ſecum duxit egregium doctorem quemdam nomine Chriſtianum, poſtmodum Averſanæ civitatis Epiſcopum, cujus opus extat eximium contra Turonenſem Berengarium. Sed loco *Chriſtianum*, legendum eſſe, *Guitmundum* Monachum Crucis Sancti Leufredi in Normannia, poſtea Epiſcopum Averſanum, cujus Opus adversùs Berengarium extat in Bibliotheca Patrum; obſervat Mabillonius, cùm præſertim nullus inter Averſanos Epiſcopos apud Ughellum habeatur *Chriſtianus* dictus. Sed dici poſſet *Guitmundum*, vocatum etiam fuiſſe *Chriſtianum*, cùm Anonymus Chiffletianus in Opere ſuo de multiplici Berengarii damnatione, eum *Chriſtinum* appellet.

LIX. *Conventus Forcheimenſis celebratur.*

Cùm Conventus fieret apud Forcheim, Legati Apoſtolici literas Gregorii Papæ attulerunt, continentes quàm parum *de promiſſione Regis lætatus fuerit, cùm adverſarii Eccleſiæ plus audaciæ quàm terroris ex præſentia Regis acciperent*, ut ſcribit Paulus Bernriedenſis laudatus cap. 93, qui pergit: *Ad hoc ajebant eum petere, ut novi Regis electionem, de qua audierat, in adventum ejus differrent, ſi hoc ſine periculo fieri poſſe perpenderent. Peracta igitur Legatione, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, Marchiones, Comites, majores atque minores debitam reverentiam Legatis impendentes, per conſeſſum ſinguli ſurrexerunt, & quot contumeliis, & quot periculis jam ab Henrico Rege affecti eſſent, vel ſe afficiendos fore non dubitarent, Legatis lamentari cœperunt; ſeque totiens inſidias ejus inter ipſa pacis oſcula vix evaſiſſe, ut nec juramento ejus deinceps aliquam fidem exhibere poſſent: hoc quoque addentes, ſe tamdiu eum poſt depoſitionem toleraſſe, non utique ut correctionem ejus, utpote penitus deſperatam, expectarent; ſed ut quibuſdam occaſionem calumniandi auferrent, qui fortaſſe et, ſi non tamdiu expectaretur, correctionem interclusam fore conquererentur: totaque illa die cum hujuſmodi quærimoniis tranſacta, nec medietatem injuriarum ſibi illatarum enumerare potuerunt.*

LX. *Agitur de novi Regis electione.*

In craſtinum prædicti Epiſcopi & Principes Legatos convenerunt, & conſuluerunt, ſuggerentes nihilominus magnum ſchiſma in regno futurum, niſi illud novi Regis electione anticiparent. Quibus Legati reſponderunt, ſibi quidem optimum vi-

Digitized by Google

videri, ſi novi Regis electio in adventum Domini Papæ ſine periculo differri poſſet: *cæterum proviſionem regni non tam in eorum conſilio, quàm in Principum arbitrio ſitam eſſe dixerunt, qui Rempublicam in manibus tenerent, ac totius regni damnum, ſive proficuum optimè prænoſſent. Itaque Principes regni de adventu Papæ incerti, ſed de maxima diſſenſione eventura, & periculo, ſi differrent, certiſſimi, acceptâ licentiâ à Legatis, apud Moguntinum Archiepiſcopum convenerunt, & quid eis agendum eſſet ſingulari diligentia invicem tractaverunt: conſiderantes quidem ſe ad nullam dilationem ab Apoſtolico coactos, ſed hoc in eorum arbitrio poſitum eſſe; nec alicui, niſi ſibi ipſis deinceps imputandum fore, ſi dilatio noceret. Inſuper ſe nullius ſubjectionis exhibendæ Henrico Regi obnoxios, imò per Apoſtolici banni transgreſſionem damnandos, ſi aliquam ſubjectionem Regi deinceps exhiberent. Nam Papa priuſquam eum anathematizaret, ex parte Omnipotentis Dei, & Sancti Petri & ſua, illi regnum interdixit, & omnes Chriſtianos juramento, quod ſibi feciſſent, vel facturi eſſent, abſolvit; & ut nullus ei ut Regi ſerviret, interdixit; qui poſtea ab eo communionem tantùm, non regnum, falſa correctionis promiſſione, recuperavit.*

LXI. *Rudolphus Suevus eligitur, & conſecratur.*

Principes itaque regni, *ut liberi homines*, pergit Paulus, *Rudolphum Ducem Suevorum, fruſtrà multùm renitentem, fruſtraque vel unius horæ inducias ad conſulendum petentem, Regia dignitate ſublimaverunt, virum ſanè in humilitate præcipuum, Regio honori ætate, & moribus idoneum; eique ſe debito fidelitatis ſacramento ſubdiderunt, qui utique regnum, non ut proprium, ſed pro diſpoſitione ſibi creditum reputans, omne hæreditarium jus in eo repudiavit, & vel filio ſuo ſe hoc adoptaturum fore penitus abnegavit: juſtiſſimè in arbitrio Principum eſſe decernens, ut poſt mortem ejus liberè, non magis filium ejus, quàm alium eligerent, niſi quem ad id culminis ætate & morum gravitate dignum inveniſſent. Hunc igitur Rudolphum tam legitimè electum, Archiepiſcopi Moguntinus, & Magdeburgenſis cum eorum ſuffraganeis, Legatis Sedis Apoſtolicæ præſentibus, & regni Principibus regali inunctione conſecrarunt. Electus eſt autem ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, majoribus atque minoribus in conventu apud Forcheim anno Dominicæ Incarnationis 1077, anno IV venerabilis Papæ Gregorii, in hoc nomine ſeptimi, indictione XV, Idibus Martii. Poſtea die duodecimo apud Moguntiam conſecratus eſt, id eſt VII Kal. April. ubi tunc medium Quadrageſimæ occurrit.* Hæc paulò fuſius narrata ſunt, ut conſtaret falſitatis redargui eos, qui dicunt Rudolphum operâ Gregorii Papæ creatum fuiſſe Regem, quos pluribus refellit Baronius ad annum 1077. Ex his etiam refelluntur, qui volunt Henricum Regem in Synodo Romana anni 1075 non fuiſſe depoſitum, ſed ab adminiſtratione regni tantùm ſuſpenſum; ſi enim non fuiſſet verè depoſitus, Epiſcopi, & Principes regni Teutonici alterum Regem non elegiſſent, neque hoc paſſus eſſet Gregorius Papa.

LXII. *Succeſſio in regnum Germaniæ antiquatur.*

Denique ex ultimis Pauli Bernriedenſis verbis conſtat in illo conventu Forcheimenſi Germaniæ Proceres omne hæreditarium jus in regnum repudiaſſe, quod poſtea à Romano Pontifice fuiſſe confirmatum teſtatur Bruno in libro de Bello Saxonico, ſcribens Saxones, & Suevos ad Forcheimum præſente *Legato, qui cuncta de regno utiliter diſpoſita firmaret*, conveniſſe; dumque *ſua cuique Deus ſit dira cupido*, ac *multi ſuas ſingulares cauſas interponunt, quas ut Rex* eligendus *ſe correcturum promitteret, volunt, conſenſu omnium comprobatum eſt, & Romani Pontificis auctoritate corroboratum, ut Regia poteſtas nulli per hæreditatem (ſicut antea fuerat conſuetudo) cederet; ſed filius Regis [etiamſi valde dignus eſſet] per electionem ſpontaneam, non per ſucceſſionis lineam Rex proveniret: ſi verò non eſſet dignus Regis filius, vel ſi nollet eum populus, quem Regem facere vellet, haberet in poteſtate populus.* Regnum Germaniæ ſucceſſivum quidem erat, ſed non abſolutè hæreditarium; populi enim Regem eligendi quem vellent ex familia Regia jus habebant, ſed de more defuncti Regis filium natu majorem ceteris anteponebant; ideoque regnum Germaniæ hæreditarium ſimul & electivum erat. At in Conventu Forcheimenſi decretum, ut electio non reſtringeretur ad familiam Regiam, ſed omnes ad illam jus impoſterum haberent. Poſt aliquot tamen annos ad priorem morem reditum eſſe ſcribit Annotator Baronii ad eundem annum 1077, num. 11.

LXIII. *Gregorius PP. Robertum Apuliæ Ducem Eccleſiæ reconciliat.*

Eodem anno milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo Gregorius Pontifex circa medium menſis Junii in Apuliam perrexit, ubi cum Roberto Guiſcardo Apuliæ & Calabriæ Duce colloquium habuit, ab excommunicatione, qua eum in duabus prioribus Synodis Romanis innodatum eſſe pronuntiarat, abſolvit, ac cum eo fœdus pepigit. Baronius quidem hanc Roberti abſolutionem refert ad annum tantùm 1080; ſed invictè refellitur ex Actis Pontificalibus Gregorii VII à Centio Camerario ſcriptis, & in Actis SS. Bollandianis ad diem 25 Maji recitatis; in iis enim cap. 2, narrato Conventu Forcheimenſi, quem certò conſtat habitum menſe Martio anni 1077, Roberti abſolutio his verbis refertur: *Interea venerabilis Pontifex, receptis nuntiis Roberti*

Gui-

Digitized by Google

Guiſcardi, egregii Normannorum Ducis, versùs Apuliam poſt octavas Pentecoſtes iter arripuit, & cum ipſo apud Aquinum colloquium habuit. Congrua itaque ab eo ſatisfactione ſuſcepta, priùs à vinculo excommunicationis eum abſolvit, & conſequenter fidelitatem & homagium ejus recepit; poſtmodum verò jam aſſumptum in ſpecialem B. Petri militem, de totius Apuliæ & Calabriæ Ducatu per vexillum Sedis Apoſtolicæ inveſtivit. Robertum autem menſe Octobri anni 1076 nondum in gratiam Pontificis rediiſſe, demonſtrat hujus Epiſtola 7 libri 4 ad aliquos Mediolanenſes *data Romæ ſecundo Kalendas Novembris, indictione* 15, in qua ait: *Hinc bona Eccleſiæ Normanni multoties perjuri conantur auferre* &c. *Sed confidimus in Domino, qui ſuperbiam Normannorum pauld ante ſub manu noſtra ſubſtravit, quòd adversùs Apoſtolicam Sedem non diu prævalebunt.* Alia hujus rei argumenta refert Annotator Baronii ad annum 1074, n. 8 & ſeq.

LXIV. *Cum eo fœdus init.*

Cùm itaque Gregorius VII videret in toto regno Germaniæ, præter quinque Epiſcopos, nullum alium reperiri Catholicum, ut tot ſchiſmaticis reſiſteret, fœdus cum eodem Roberto Guiſcardo pepigit, quòd Eccleſiæ, ſibique utiliſſimum fore non dubitavit. Primùm nos docet Auctor Anonymus vitæ Sancti Gebehardi Salisburgenſis Archiepiſcopi apud Caniſium Tomo VI Antiq. Lect. *Præter Chriſti athletam*, inquit, *noſtrum dominum Gebehardum Archiepiſcopum Saltzburgenſem, Altmannum Pataviensem, Adelberonem Wirtzburgenſem, Hermannum Metenſem, Meginvvardum Friſingenſem, præter hos ſolos quinque, in toto regno Theutonico Epiſcopus Catholicus inveniri non poterat.* Secundum, ideſt, fœdus inter Gregorium Papam & Robertum Ducem diſertè tradunt Anna Comnena lib. 1 pag. 32, & Guillelmus Apulienſis lib. 4 pag. 34, & ſeq. Anna, poſtquam ſpiritu ſchiſmatico, de querela, quæ inter Romanum Pontificem, & Henricum Germaniæ Regem verſabatur, ſermonem habuit, ait: *Hoc tanto Regis contemptu Pontifex cùm magnum ejus in ſe ac formidoloſum concitaſſet bellum, veritus ne ſi Henricus ſe Roberto conjunxiſſet, parum & ipſo antea benevolè affecto erga Papam, ſuſtineri non poſſet impetus amborum ſimul, hunc ſibi matura reconciliatione præoccupandum omninò decrevit. Audito igitur Ducem Robertum Salerni eſſe, Româ ipſe diſcedens, Beneventum eſt profectus: unde convento Duce per Legatos obtinuit ab eo, ut ambo in colloquium venirent. Ad hoc cùm Papa quidem Benevento, cum propriis copiis, Dux Salerno cum ſua & ipſe militari manu ſibi progreſſi eſſent obviam, ubi ambo exercitus in conſpectu mutuo fuerunt, ipſi Principes, juſſi ſtare armatis, ſoli congreſſi fœdus pepigerunt, fide etiam, quam viciſſim dederunt, acceperuntque jurejurando, utrimque firmata. Pactorum hæc ferè ſententia fuit: Ut Pontifex quidem Regis* (ſeu Imperatoris) *nomen ac dignitatem Duci tribueret, eidemque auxiliares copias ſubmitteret ubi opus eſſet adversùs Romanos Orientales. Dux verò Pontifici adeſſet in omnibus, quando is, & ubi vellet.*

LXV. *Dignitatem Imperialem ei promittit.*

Annam Comnenam Regis nomine, quo utitur, ſignificare, Pontificem Occidentale Imperium Roberto promiſiſſe, ex eo deducitur, quòd Græci alio nomine quàm Regis non utuntur, cùm de Imperatore Occidentis verba faciunt. Quod confirmat Guillelmus Apulienſis laudatus, ita canens:

Illis Gregorius Beneventum Papa diebus
Advenit: urbs erat hæc Romano ſubdita Papæ,
Atque ſui juris, quia Dux obſederat urbem,
Ægrè Papa tulit, veniam Robertus ut hujus
Impetret offenſæ, Papæ properavit ad urbem,
Supplicat & pedibus [ſanctis] dans oſcula patris
Suſcipitur, tanti perſona vigoris honore
Digna videbatur, conſidere Papa coëgit.
Soliloquum, cunctis adſtantibus inde remotis,
Conſilium tenuére diu, tum Papa fideles
Convocat: ex Papæ ſecretum juſſibus horum
Panditur, allatus liber eſt Evangeliorum.
Dux Papæ jurat, fuerit dum vita ſuperſtes
Obſervaturum fidei ſe jura perennis
Eccleſiæ ſanctæ, totus cui ſubjacet Orbis:
ROMANI REGNI ſibi promiſiſſe coronam
Papa ferebatur: quia Rex Henricus ab illo
Damnatus fuerat, propter commiſſa nefandis
Accumulata modis, nec enim venundare ſanctas
Eccleſias veritus, perverſum dogma colebat
Simonis, & nullum donabat Pontificali
Culmine, præter eos, qui maxima dona tuliſſent.

Quod Guillelmus Apulienſis famam tuliſſe dicit, Richardus Cluniacenſis Monachus, in Hiſtoria ſuorum temporum, quam ſedente Hadriano Papa IV, ideoque medio circiter ſæculo duodecimo ſcripſit, ſine dubitatione aliqua aſſerit apud Ptolemæum Lucenſem in Chronico, qui ad annum 1084 de Roberto ſcribit: *Ipſum Gregorius intendebat Imperatorem facere, vel filium ſuum Boamundum, ut idem Richardus dicit.* Richardum floruiſſe ſub Hadriano IV teſtatur Voſſius in libro de Hiſtoricis Latinis. Ex hoc Guillelmi Apulienſis loco habemus etiam Robertum Guiſcardum anno 1077, & in hoc colloquio, Gregorio Papæ juramentum fidelitatis præſtitiſſe, quod in Regiſtro Gregoriano à Collectore malè conjunctum eſt cum anno milleſimo octogeſimo. In eodem anni milleſimi ſeptuageſimi ſeptimi colloquio Robertus inveſtituram Ducatûs Apuliæ à Gregorio Papa accepit.

LXVI. *Quartam Romæ Synodum cogit.*

Anno milleſimo ſeptuageſimo octavo,

cùm

cùm uterque Rex Germaniæ, Henricus ſcilicet, & Rodulphus ab Apoſtolica Sede adjutorium requireret, Gregorius Pontifex Romæ in Eccleſia Salvatoris Synodum ordine quartam coëgit, in qua, ut ſcribit Paulus Bernriedenſis cap. 99, decrevit: *Quoniam lis & perturbatio regni in maximum ſanctæ Eccleſiæ periculum, & detrimentum quotidie redundare cernitur, placet nobis elaborare pro viribus, quatenus idonei tam religione, quàm etiam ſcientiâ pollentes Nuncii è Latere Sedis Apoſtolicæ ad partes illas mittantur: qui omnes religioſos & juſtitiæ amatores, in Teutonici regni partibus commorantes, Clericalis, & laicalis ordinis viros, & ad hoc opus idoneos convocent, cum quibus, Domini gratia præeunte, aut finem & pacem juſtè componant, aut veritate præcognita, cui parti juſtitia magis faveat, ad plenum addiſcere valeant: quatenus pars injuſta deſiſtat, & Apoſtolica auctoritate munita, juſtitia vigoris & auctoritatis robur obtineat.* Refert poſtea Paulus duas Gregorii Epiſtolas, nempè 15 libri 5 Regiſtri ad Pæſules, & Magnates regni Teutonici, & 16 ejuſdem libri Udoni Trevirenſi Archiepiſcopo, utramque 7 Idus Martii datam. Priori ſuum Concilium illis ſignificat, & anathema addit contra illud impedire volentes; poſteriori verò Trevirenſem Præſulem admonet, ut ſine omni dilatione hac de cauſa ſe intromittat. Eidem præterea Udoni Henrico faventi injungit, ut cum alio Epiſcopo ex parte Rudolphi Romam veniat, ut Legati, quos ipſe in Germaniam, ad diſcordias componendas miſſurus eſſet, ſecuriùs cum illis ire poſſent. De hac Synodo Bertoldus in Chronico ait: *Idoneos Legatos iterum deſtinavit*, Gregorius Papa, *qui facto generali colloquio cauſam regni juſtè determinarent; & omnes Synodali ſententiâ damnavit, quicumque impedirent, ut colloquium fieret. Quod Rudolphus lubentiſſimè voluit fieri: Henricus autem utcumque potuit impedire non ceſſavit. Nam contra Apoſtolicum præceptum, maxima multitudine flagitioſorum adunata, procinctum in Saxoniam paravit, cui Rex Rudolphus apud Struvam cum exercitu obviavit, & illo fugato ipſe campum victoriæ obtinuit 7 Idus Auguſti.*

LXVII. *Acta in ea Synodo.* In hac eadem Quarta Synodo Romana Guibertum Archiepiſcopum Ravennatem, cujus nefandæ in Gregorium Pontificem molitiones apud Baronium legi poſſunt, & Tedaldum Archiepiſcopum Mediolanenſem ab Henrico Rege intruſum, inaudita hæreſi, & ſuperbia adversùs Sedem Apoſtolicam ſe extollentes, Gregorius depoſuit, & antiquum in eos anathema renovavit: Rolandum illum Parmenſem Clericum, qui pro adipiſcendo Epiſcopatûs honore ſuſceperat legationem Conciliabuli Wormatienſis in ipſum Gregorium, excommunicavit, & in perpetuum cenſuit indignum Epiſcopali dignitate: Hugonem Candidum Cardinalem, ſemel & iterum apoſtatam factum, omni Sacerdotali officio privavit, & anathemate percuſſit: alioſque tam Eccleſiaſticos, quàm laicos, ob varia delicta, contumaciaſque pluribus cenſuris innodavit: ac denique nonnullos canones circa calamitates præſentium ſchiſmatum ac rebellionum ſancivit: quæ omnia videri poſſunt in Actis Synodi inter Epiſtolas Gregorii anno 1078 datas.

LXVIII. *Gregorius quintam Romæ Synodum habet.* Ubi Romam pervenére Legati, quos ad Apoſtolicam Sedem miſére Henricus, & Rudolphus Reges, ibidem celebrata eſt menſe Novembri ejuſdem anni 1078 quinta Synodus Romana in Eccleſia Salvatoris, in qua Legati juraverunt quiſque pro Domino ſuo, nullis dolis Conventum Legatorum Apoſtolicæ Sedis in Germania habendum impeditum iri. *Anno ab Incarnatione Domini* 1078, inquit Paulus Bernriedenſis cap. 102, *Pontificatûs verò domini Gregorii Papæ VII ſexto, decimo tertio Kalendas Decembris, indictione II, congregata eſt Synodus Romæ in Eccleſia S. Salvatoris, in qua juraverunt Legati Henrici & Rudolphi, quiſque pro Domino ſuo, quòd nullis dolis colloquium Legatorum Sedis Apoſtolicæ in Teutonico regno habendum impedirent.* Idem habet Bertoldus Conſtantienſis Presbyter in Chronico ad eundem Chriſti annum.

LXIX. *In ea Berengarius Hæreſiarcha auditur.* In hac eadem Synodo quinta Berengariana hæreſis iterum damnata, ipſeque Berengarius ſecundam profeſſionem fidei edidit, quod conſtat ex Anonymo Chiffletiano de Berengarii damnatione multiplici, ſæpè ſuperius laudato, qui hoc ipſo anno 1078 ſcribebat: *Reverendiſſimus Papa Gregorius VII*, inquit, *ſucceſſor Alexandri, iterum eidem Berengerio audientiam in duabus Synodis generalibus Romæ conceſſit. Sed cùm ipſe doctrinam ſuam Catholicæ fidei contrariam denegare non poſſet, iterum ſub juramento eandem abdicare, & fidem catholicam profiteri delegit, ſicut in ſuperioribus Conciliis fecit. Tot igitur Conciliis Berengarianam hæreſim damnatam percepimus, tum ex fidelium relatione virorum, qui eiſdem Conciliis interfuerunt, tum ex Regeſtis Romanorum Pontificum, tum ex ſcriptis religioſorum virorum, qui de his fideliſſimè ſcripſerunt. Nam eadem Concilia noſtris temporibus infra 40 annos celebrata repeeriuntur, quot anni ab exordio Pontificatûs ſancti Leonis Papæ uſque in præſentem annum computantur, qui eſt ab Incarnatione Domini* 1078 (quo ideo Auctor Opuſculum ſuum ſcripſit). *Unde & adhuc multi vivunt, qui eiſdem Conciliis interfuerunt; qui & nobis de eiſdem Conciliis fideliſſimè teſtificati ſunt.* De eadem Synodo hæc ſcribit Bertoldus laudatus:

datus: *In Synodo iſta Berengarius Andegavenſis Canonicus, ut ab hæreſi ſua reſipiſceret, Synodaliter convenitur, eique induciæ uſque ad proximè futuram Synodum dantur*, ideſt, uſque ad Synodum anni 1079, in qua, ex dicendis, hæreſim denuò abjuravit, quam ſubdolis tantùm verbis in hac Synodo anni 1078 ejuraſſe videbatur.

LXX. *Secundam fidei profeſſionem in ea emittit.*

Berengarius primam fidei profeſſionem anno 1059 coram Nicolao Papa II fecerat, ut in ejus Pontificatu oſtendimus, ſecundam verò edidit in hac quinta Gregorii VII Romana Synodo, quam hactenus ineditam ex veteri codice MS. Mabillonius Tomo 2 Analectorum in Obſervat. de Multiplici Berengarii damnatione in hunc modum exhibet: *Profiteor panem Altaris poſt Conſecrationem eſſe verum Corpus Chriſti, quod natum eſt de Virgine, quod paſſum eſt in Cruce, quod ſedet ad dexteram Patris: & vinum Altaris poſtquam conſecratum eſt, eſſe verum ſanguinem, qui manavit de latere Chriſti. Et ſicut ore pronuncio, ita me corde habere confirmo. Sic me adjuvet Deus & hæc ſacra.* Veriſimile eſt, inquit Mabillonius, Berengario, poſteaquam primam confeſſionem, quaſi proprium Humberti Cardinalis fœtum, tam atrociter ſcripto ſuo à Lanfranco confutato laceraſſet, ut vel ſic omnis cauſandi ac tergiverſandi aditus ei præcluderetur, datam fuiſſe poteſtatem ſuis verbis explicandi propriam de Euchariſtia mentem; quod ipſe præſtiterit, edita hac confeſſione ſecunda, in qua ſubdolis *veri Corporis & Sanguinis* verbis Catholicam fidem profiteri videbatur: tametſi ſub ejuſmodi ſpecioſis larvis hæreſim ſuam occultabat. Inde factum, ut hæc confeſſio permultis iſtius Synodi Epiſcopis non fecerit ſatis; ideoque remiſſa ac dilata ſit amplior hujus rei diſcuſſio in Synodum anni ſubſequentis, cujus gratia frequentior Epiſcoporum numerus Romam convenire debebat: ac interim Berengarius ad id tempus Romæ reſidere juſſus. Quæ Viri doctiſſimi conjectura confirmatur ex verbis Bertoldi numero ſuperiori laudatis, ex quibus conſtat inducias *uſque ad proximè futuram Synodum* Berengario datas eſſe.

LXXI. *Studium Gregorii erga Danos & Norvegos.*

In fine ejuſdem anni milleſimi ſeptuageſimi octavi, nempe decimo tertio Kalendas Januarii Gregorius Pontifex ad continendos in fide Catholica populos extremos orbis borealis, Danos, atque Norvegos, Epiſtolam 13 libri 6 dedit ad eorum Reges; ut quoniam propter longinquitatem terrarum, & maximè propter ignotas linguas, valde difficile eſſet eò mittere viros doctos ad erudiendum eos in rebus fidei, mitterent ipſi Romam nobiles juvenes inſtituendos ſacris legibus, quas poſtea docerent in patria.

LXXII. *Synodum VI Romæ celebrat, in qua Berengarius tertiam fidei confeſſionem emittit.*

Anno milleſimo ſeptuageſimo nono, menſe Februario ſextam Romæ celebravit Synodum Gregorius Pontifex, ad quam remiſſa fuerat amplior Berengarii fidei diſcuſſio, quia ſecunda ejus confeſſio à nobis mox relata, pluribus ſuperioris Synodi Patribus non fecerat ſatis. *Gregorius Papa*, inquit Bertoldus in Chronico ad annum 1079, *Synodum Romæ menſe Februario collegit, in qua Berengarius jam tertiò convictus, hæreſim ſuam abjuravit & anathematizavit*. Berengarium tertiam in hac Synodo profeſſionem fidei ediſiſſe, docent ejus Acta, quæ extant in Regiſtro Gregoriano poſt Epiſtolam 17 libri 6, & Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi pag. 214, ubi hæc habet ex Actis Concilii: *Maxima pars panem & vinum per ſacra orationis verba, & Sacerdotis conſecrationem, Spiritu Sancto inviſibiliter operante, converti ſubſtantialiter in corpus Dominicum, quod in cruce pependit, & in ſanguinem, qui de ejus latere fluxit, aſſerebat. Quidam verò cæcitate nimia perculſi figuram tantùm adſtruebant. Verùm ubi res cæpit agi, priuſquam tertia die ventum foret in Synodum defecit contra veritatem niti pars altera. Denique Berengarius hujus erroris Magiſter, poſt longo tempore dogmatizatam impietatem erraſſe ſe coram Concilio confeſſus, veniam poſtulatam ex Apoſtolica clementia meruit, juravitque ſic:* „Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in Altari per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter converti in veram & propriam & vivificam carnem, & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri; & poſt conſecrationem eſſe verum corpus Chriſti, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit; & quod ſedet ad dexteram Patris: & verum ſanguinem Chriſti, qui de latere ejus effuſus eſt, non tantùm per ſignum & virtutem ſacramenti, ſed in proprietate naturæ & veritate ſubſtantiæ, ſicut in hoc Brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

LXXIII. *Berengarius redit ad vomitum, ſed poſtea Catholicus moritur.*

Tunc dominus Papa, ſubjungit Hugo Flaviniacenſis, *præcepit Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ut de Corpore & Sanguine Domini nunquam ulterius cum aliquo diſputare, vel aliquem docere præſumeret, exceptâ cauſâ reducendi ad fidem eos, qui per ejus doctrinam ab ea receſſerant*. Tum Pontifex, vel ſaltem anno ſequenti milleſimo octogeſimo, dedit Berengario literas commendatitias à Dacherio Tomo 2 Spicilegii pag. 508 recitatas, quas & nos, quia breves referre non inutile judi-

Digitized by Google

dicavimus. *Gregorius ſervus ſervorum Dei omnibus Beati Petri fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Notum vobis omnibus facimus, nos anathema feciſſe ex auctoritate Dei Omnipotentis Patris & Filii & Spiritûs Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli omnibus, qui injuriam aliquam facere præſumpſerint Berengario Romanæ Eccleſiæ filio, vel in perſona, vel in omni poſſeſſione ſua, vel qui eum vocabit hæreticum: quem poſt multas, quas apud nos, quantas voluimus, fecit moras, domum ſuam remittimus, & cum eo fidelem noſtrum Fulconem nomine*. Ex hac Epiſtola ſchiſmatici Cardinales numero tredecim, qui à Gregorio Papa receſſerant, ut conſtat ex Epiſtola Bennonis eorum coryphæi adversùs eundem Pontificem ſcripta, occaſionem ſeu prætextum ſumpſêre, Sanctiſſimum Pontificem calumniandi, & aſſerendi eum erroris Berengarii participem fuiſſe, quam calumniam rectè ſuo more confutat Baronius. Porrò Gregorium Papam deceptum fuiſſe ſimulatâ Berengarii pœnitentiâ, conſtat ex eo quòd anno milleſimo octogeſimo Berengarius Româ reverſus, ad priſtinum errorem declinavit, ac tertiam confeſſionem perfidè retractavit, & ſe ad ei ſubſcribendum inductum fuiſſe metu mortis ſibi certò imminentis falsò aſſeruit. Sed tandem eum annos aliquot ante mortem, quæ contigit anno milleſimo octogeſimo octavo ad Catholicæ fidei communionem rediiſſe, & verum Catholicum vixiſſe teſtantur Malmesburienſis lib. 3 de geſt. Reg. Angl. & Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus, ejus epitaphii conditor. Qua de re legendus libellus, quem Franciſcus Rojus Anteceſſor Andegavenſis in lucem emiſit de hæreſi & pœnitentia Berengarii.

LXXIV. *Gregorius PP. ex Synodo Legatos in Germaniam mittit.*

In eadem ſexta Romana Synodo conquerentibus Legatis Rudolphi Regis adversùs Regem Henricum, quòd omnia ſacra profanaret, Sacerdoteſque & Epiſcopos partim vinculis manciparet, partim trucidaret; complures ex patribus cenſuerunt eundem Henricum excommunicandum eſſe. Sed diſtulit Gregorius, quouſque Colloquio ea de re in Germania à Legatis Apoſtolicæ Sedis habendo definiretur de jure utriuſque Regis. Hæc conſtant ex Actis Synodi, & ex Paulo Bernriedenſi laudato, qui narrat poſtea Legatos Henrici Regis, *qui prædictæ querelæ ſuper eumdem prolatæ præſtò fuerunt*, juraſſe iterum compromiſſum, ac promiſiſſe ex præcepto ejuſdem Regis, ſe ad Pontificem venturos *infra terminum Aſcenſionis Domini*, & Legatis Romanæ Sedis in omnibus parituros *ſecundùm juſtitiam & judicum illorum*. Quod itidem Legati Rudolphi Regis jurarunt. Denique recitat Paulus Epiſtolam Gregorii VII Præſulibus in Saxonico & Theutonico regno commanentibus, cunctiſque aliis, in qua ait, ſe in hac Synodo ſtatuiſſe, ut nullus Legatis ſuis obſiſtere præſumat, ſed uſque ad diem ab illis ſtatutum firmam pacem omnes obſervent. Legatio autem illa Germanica injuncta eſt Petro cognomento Igneo Cardinali Albanenſi, & Altmanno Patavienſi Epiſcopo, ut tradunt idem Paulus, & Bertoldus in Chronico.

LXXV. *Lugdunenſis Eccleſiæ Primatum confirmat.*

Eodem anno milleſimo ſeptuageſimo nono, Eccleſiæ Lugdunenſis ſuper quatuor provincias, Lugdunenſem, Rotomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem Primatum confirmavit Gregorius Epiſtolâ 34 libri 6 ad Gebuinum Archiepiſcopum Lugdunenſem *data Romæ duodecimo Kalendas Majas, indictione ſecunda*; & Epiſtolâ 35 ejuſdem libri, eadem die data Rotomagenſi, Turonenſi, & Senonenſi Archiepiſcopis præcipit, ut Archiepiſcopo Lugdunenſi, ſuper eos ex antiqua Patrum auctoritate, Primati à ſe confirmato obedientiam præſtent. Rodulphus Turonenſis Archiepiſcopus huic decreto ſtatim acquievit; & ea de re Gebuinus tam ipſi, quàm ejus ſuffraganeis gratulatus eſt, ut liquet ex ejuſdem Gebuini literis, à Baluzio in Appendice libri de Primatibus, à Petro de Marca editi, productis. Verùm Richerius Senonenſis Archiepiſcopus, de cujus Eccleſiæ Primatu locuti ſumus in Joanne VIII, jura Eccleſiæ ſuæ tueri volens, novo huic inſtituto interceſſit. Sed Urbanum II in Concilio Claromontano, anno 1095 celebrato, Gregorii VII decretum confirmaſſe ſuo loco dicetur.

LXXVI. *Boleslaum Poloniæ Regem ob S. Stanislai cædem Regia dignitate privat.*

Cùm Sanctus Stanislaus Cracovienſis Epiſcopus Boleslaum Poloniæ Regem de graviſſimis delictis ſæpiſſimè redargutum, ac vitam emendare contemnentem, ſententiâ excommunicationis perculiſſet, ab eodem Boleslao crudeliſſime cæſus eſt, dum in Altari Deo Miſſæ ſacrificium offerret. Cujus cædes cùm ad Gregorium Papam perveniſſet, idem poſt maturam deliberationem, univerſam Gneſnenſem provinciam, ſub cujus Metropoli Cracovia erat, generali interdicto ſuppoſuit: ipſum Boleslaum & Poloniam omni honore & dignitate Regali privavit, omneſque ſubditos obedientiam ei exhibere vetuit. Cujus ſententiam mox ſecuta eſt divina executio; cùm poſt alia mala, ipſe Boleslaus factus eſt profugus ſuper terram, demumque verſus in inſaniam; ac dum errabundus vagaretur, morte præventus, à canibus eſt devoratus anno Domini milleſimo octogeſimo primo, quæ omnia pluribus narrat Longinus, qui Stanislai res præclarè geſtas, ejuſque martyrium ex antiquioribus monumentis Hiſtoriæ Poloniæ inſeruit, &

Digitized by Google

SÆC. XI. S. GREGORIUS VII.

ſeorſum copioſiſſimè conſcripſit. Sanctum Staniſlaum poſtea Innocentius IV ſolemni ritu colendum indixit, ut ſuo loco dicetur. Ceterum Boleslaus hujus nominis II, Dux Poloniæ tantùm dictus eſt uſque ad annum 1077, quo, ut ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis in Chronico, *Regiam dignitatem, Regiumque nomen ſibi uſurpavit, diadema impoſuit, atque in ipſo die Natalis Domini à XV Epiſcopis in Regem eſt conſecratus*. Perperam itaque tam Longinus, quàm poſt eum paſſim Hiſtorici Poloniæ aſſerunt, Principes Poloniæ Regium nomen ab Ottone III obtinuiſſe; Lambertus enim loco laudato disertè aſſerit, Ducem *Polonorum per multos jam annos Regibus Teutonicis tributarium* fuiſſe. Vide dicta num. decimotertio. Boleslao III ſucceſſit in Ducatum Polonorum Vvladiſlaus hujus nominis primus. Quidquid ſit, Hiſtorici Poloni fatentur, poſt cædem S. Staniſlai, Poloniam Reges non habuiſſe ante ſæculum decimum tertium.

LXXVII. *Non vult divinum officium lingua Sclavonica celebrari.*

Ineunte anno milleſimo octogeſimo, quarto nonas Januarii Gregorius Papa Vratiſlaum Bohemiæ Ducem Epiſtolâ undecimâ libri ſeptimi eo die datâ redarguit, quòd cum excommunicatis communicaret; eidemque licentiam, quam rogaverat, celebrandi officii Divini linguâ Sclavonicâ, omninò denegavit, *quia nobilitas tua*, inquit, *poſtulavit, quòd ſecundùm Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari annueremus officium, ſcias nos huic petitioni tuæ nequaquam poſſe favere. Ex hoc nempe ſæpe volventibus liquet non immeritò ſacram Scripturam Omnipotenti Deo placuiſſe quibuſdam locis eſſe occultam; ne, ſi ad liquidum cunctis pateret, ſorte vileſceret, & ſubjaceret deſpectui, aut pravè intellecta à mediocribus in errorem induceret. Neque enim ad excuſationem juvet, quòd quidam religioſi viri hoc, quod ſimpliciter populus quærit, patienter tulerunt, ſeu incorrectum dimiſerunt, cùm primitiva Eccleſia multa diſſimulaverit; quæ à Sanctis Patribus, poſtmodùm firmata Chriſtianitate, & religione creſcente, ſubtili examinatione correcta ſunt. Unde ne id fiat, quod à veſtris imprudenter expoſcitur, auctoritate Beati Petri inhibemus, neque ad honorem Omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis reſiſtere præcipimus*. Idem vetuiſſe Alexandri II Papa Legatum jam oſtendimus, ſed Cardinalem Bonam obſervare dudum receptam conſuetudinem in multis provinciis prævaluiſſe.

LXXVIII. *Synodum VII Romæ cogit, in qua audiuntur querelæ contra Henricum Regem.*

Menſe verò Martio ejuſdem anni milleſimi octogeſimi, ſeptimam Romæ congregavit Synodum Gregorius Pontifex, cui *interfuerunt Archiepiſcopi & Epiſcopi diverſarum urbium, necnon Abbatum, ac diverſorum ordinum, clericorum & laicorum innumerabilis multitudo*, inquit Paulus Bernriedenſis cap. 106, qui ſubdit: *Supervenerunt autem & Legati Rudolphi Regis, & Principum regni Teutonici, & hujuſmodi querimoniam protulerunt ſuper tyrannidem Henrici*. „Nos ex legatione domini noſtri Regis „Rudolphi & Principum ejus, conquerimur „Deo & S. Petro, veſtræque Paternitati, „& cuncto huic Sanctiſſimo Concilio, quòd „ille Henricus, quem vos Apoſtolica auctoritate depoſuiſtis à regno, id ipſum „regnum contra veſtrum interdictum tyrannicè invaſit, omnia circumquaque ferro, præda, incendio devaſtavit: Archiepiſcopos, Epiſcopos ab Epiſcopatibus „ſuis impia crudelitate expulit, & eorum „Epiſcopatus ſuis fautoribus in beneficia „diſtribuit. Per cujus etiam tyrannidem „piæ memoriæ Vverinharius Magdeburgenſis Archiepiſcopus occiſus eſt: Adelbertus Vvormatienſis Epiſcopus adhuc ab eo „contra Sedis Apoſtolicæ præceptum in captione cruciatur. Multa hominum millia „ejus factione ſunt occiſa, quamplures Eccleſiæ ablatis Reliquiis incenſæ, ac penitus deſtructæ. Innumerabilia quidem „facinora ſunt, quæ idem Henricus in Principes noſtros perpetravit, eo quòd ſibi „contra Sedis Apoſtolicæ decretum ut Regi obedire noluerunt: & colloquium, quod „Vos pro inquirenda juſtitia & pace componenda fieri decreviſtis, ex culpa Henrici & fautorum ejus remanſit. Quapropter veſtram humiliter imploramus clementiam, ut nobis, imò Sanctæ Dei Eccleſiæ, decretam ſacrilego pervaſori Eccleſiarum juſtitiam faciatis.

LXXIX. *In ea Henricum Regem excommunicat & deponit.*

His & talibus, pergit Paulus cap. 107, *Excitatus viri Dei ſpiritus, ſentiens imminere diem, quam ſibi in viſione beata Dei genitrix ad proferendam damnationis ſententiam in eundem adverſarium Eccleſiæ deſignaverat, & ne ultra differret, præcipiendo interminaverat, gravi cum dolore, & gemitu parturivit, & auſcultante atque aſpirante Concilio, tandem in hæc verba prorupit*. Tum refert Paulus ſententiam excommunicationis & depoſitionis in Henricum Regem à Gregorio prolatam in hæc verba: *Beate Petre Princeps Apoſtolorum, & tu Beate Paule doctor gentium, dignamini, quæſo, aures veſtras ad me inclinare.* Et narratis omnibus, quæ hucuſque in hac cauſa acta erant, ſubdit Pontifex: *Quapropter confidens de judicio, & miſericordia Dei, ejuſque piiſſimæ Matris ſemper Virginis Mariæ, fultus veſtra auctoritate, ſæpe nominatum Henricum, quem Regem dicunt, omneſque fautores ejus, excommunicationi ſubjicio, & anathematis vinculo alligo: & ITERUM regnum Teutonicorum & Italiæ ex parte omnipotentis Dei, & veſtra interdicens ei, omnem poteſtatem, & dignitatem Regiam illi tollo, & ut nullus Chriſtianorum*

Digitized by Google

rum ei ſicut Regi obediat, interdico; omneſque, qui ei juraverunt, vel jurabunt de regni dominatione, à juramenti promiſſione abſolvo. Ubi obſervandum eſt, hæc verba, *fultus veſtra auctoritate*, non referri ad auctoritatem Patrum in Synodo reſidentium, ut quidam perperàm ſcripſére, ſed ad auctoritatem beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quos, non verò Patres Synodi, alloquitur Gregorius Papa ab initio ſententiæ uſque ad finem, ut eam legentibus manifeſtum eſt: ideoque Gregorius exauctorando Henricum Regem non *dicit auctoritate Concilii id ſe facere*, ſed *confidens de miſericordia Dei, ejuſque piiſſimæ Matris ſemper Virginis Mariæ & fultus auctoritate* Apoſtolorum Petri, & Pauli. Iiſdem verbis jam uſus erat Gregorius in prima Henrici depoſitione facta in Synodo anni 1076, in qua ait: *Beate Petre Apoſtolorum Princeps, inclina, quæſumus, pias aures tuas nobis, & audi me ſervum tuum*, &c. *Hac itaque fiducia fretus, pro Eccleſiæ tuæ honore, & defenſione, ex parte Omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, per tuam poteſtatem & auctoritatem Henrico Regi ...... totius regni Teutonicorum, & Italiæ gubernacula contradico*, &c. Sicut itaque in prima depoſitione ſolum Petrum Apoſtolum invocavit, ita in poſteriori Petrum & Paulum; in neutra verò Patrum Synodi auctoritate ſe Henricum Regem deponere aſſeruit.

LXXX. *In eadem Rudolphum in Regia dignitate confirmat.*

Pergit in eadem ſententia Gregorius: *Ipſe autem Henricus cum ſuis fautoribus in omni congreſſione belli nullas vires, nullamque in vita ſua victoriam obtineat. Ut autem Rudolphus regnum Teutonicorum regat & defendat, quem Teutonici elegerunt ſibi in Regem ad veſtram fidelitatem* [nempè Apoſtolorum Petri & Pauli, non autem Patrum Synodi] *ex veſtra parte dono, largior, & concedo; omnibuſque ſibi fideliter adhærentibus abſolutionem omnium peccatorum, veram benedictionem in hac vita, & in futura, veſtra fretus fiducia, largior. Sicut enim Henricus pro ſua ſuperbia, & inobedientia, & falſitate, à regni dignitate juſtè abjicitur; ita Rudolpho pro ſua humilitate, obedientia, veritate, poteſtas, & dignitas regni conceditur*. Et poſt pauca: *Acta Romæ Nonis Martii, Indictione III.* Secundùm hæc Gregorius coronam Rodulpho Regi miſit cum hac inſcriptione:

Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rodulpho.

Ita refert Otto Friſingenſis lib. 1 de Geſtis Friderici primi Imperatoris cap. 7. Gotfridus item Viterbienſis in Chronicorum parte 17 refert verſus de Henrico IV Rege, inter quos hi leguntur:

Junctaque Saxonibus conſentit & inclyta
Roma,
Aurea Rodulpho tranſmittitur inde corona,
Bella per imperium multiplicata tonant.

Scriptus & inſertus fuit in diademate verſus,
Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Rodulphum in ea Synodo in dignitate confirmatum, tradit etiam Bertoldus in Chronico. Gregorius, inquit, *Rudolphum Apoſtolica auctoritate in Regia dignitate confirmavit*.

LXXXI. *Decretum contra Inveſtituras ibidem renovat.*

Statuit inſuper Pontifex ex eodem Bertoldo, *ut ſi quis deinceps Epiſcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos, vel Abbates habeatur, nec ulla ei ut Epiſcopo, ſeu Abbati audientia concedatur*. Acta Synodi addunt: *Inſuper etiam ei gratiam ſancti Petri, & introitum Eccleſiæ interdicimus, quouſque locum, quem ſub crimine tam ambitionis, quàm inobedientiæ* [*quod eſt ſcelus idololatriæ*] *cepit, reſipiſcendo non deſerit. Similiter etiam de inferioribus Eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus*. Ejuſdem ſententiæ vinculo adſtrictas eſſe declarat omnes perſonas ſæculares, quæ inveſtituram Epiſcopatuum, vel alicujus Eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumpſerint. Gregorius itaque in hac ſeptima Synodo Romana, quæ in ſecunda anno milleſimo ſeptuageſimo quinto congregata, de Inveſtituris conſtituerat, confirmavit, & perpetuò obſervari decrevit.

LXXXII. *Trium Epiſcoporum depoſitionem in ea etiam confirmat.*

In eadem denique ſeptima Synodo Romana trium Epiſcoporum ſchiſmaticorum, Tedaldi nempè Mediolanenſis, Guiberti Ravennatenſis, & Rolandi Tarvicenſis, jam ante in Synodo Romana quarta excommunicatorum, depoſitionem confirmavit, eoſque omni Eccleſiaſticâ dignitate indignos judicavit Gregorius: *Item*, inquit, *ſententiam depoſitionis & excommunicationis jam plerumque datam in Thedaldum Mediolanenſem dictum Archiepiſcopum, & Guibertum Ravennatem, & Rolandum Tarviſenſem confirmamus & corroboramus*. Quædam alia hoc in Concilio geſta legenda Tomo X Conciliorum, & apud Baronium ad annum 1080.

LXXXIII. *Gregorius VII. à ſchiſmaticis deponitur, & Antipapa eligitur.*

Quid egerit Henricus poſt ſuam depoſitionem narrat Baronius tum ex Auctore Anonymo ejus Vitæ, tum ex Conrado Urſpergenſi, tum ex aliis, ipſum ſcilicet, facto ſchiſmate, in Brixinenſi Conciliabulo Guibertum Ravennatem Archiepiſcopum in cathedra ſancti Petri Antipapam contra Gregorium erexiſſe. Idem refert Centius Camerarius in libro ſuo Cenſuali cap. 3, ubi narrata excommunicatione a Pontifice in Henricum Regem lata, ait: *Rex ubi ſe cognovit per ſententiam Romani Pontificis à conſortio fidelium ſegregatum, triſtis effectus eſt: ſed cùm à diverſis diverſa ſibi darentur conſilia, in anxietatis dubio poſitus, quid potius eligeret, ignorabat. Tandem perverſorum Antiſtitum, & impiorum Principum*

Digitized by Google

SÆC. XI. S. GREGORIUS VII.

pum ſententiâ prævalente, apud Brixiam generalem Curiam diſpoſuit celebrare. Convenerunt itaque in loco ipſo plurimi ſeditioſi, & infames Epiſcopi, cum multitudine Clericorum, & Principum, quatenus in jacturam Domini Gregorii Papæ poſſent aliquid mali ordinare, vel ſtatuere, ut inter Romanam Eccleſiam & Imperium diſcordia futuris temporibus fulciretur. Communicato itaque execrabili, & deteſtando conſilio de conſenſu ipſius Regis, elegerunt in Romanum Pontificem, imò Antipapam, Guibertum Ravennatenſem, virum manifeſtè perjurum, atque omni malitia, & doloſitate plenum. Et quoniam plerumque contigit, ut peccatum ſit pœna peccati; de ſuperbiæ radice proceſſit ad perjurium, de perjurio ad inobedientiam, de inobedientia ad excommunicationem cecidit, & de excommunicatione pervenit ad idololatriam. Hunc talem, ſicut diximus, Rex Henricus adoravit pronus in terram: qui etiam, ſuadente Dionyſio Placentino Epiſcopo, juraſſe aſſeritur, ut ab eo Imperii coronam acciperet. Quid plura? Ita peccatis exigentibus, omnes qui præſentes aderant, mente excæcati ſunt, ut non reſpicerent cœlum, ſed ad ejus veſtigia oſculanda, Heu proh dolor! ſe pariter incurvarunt. Et his peractis, Rex in apertam hæreſim lapſus, ad propria in Octavis Apoſtolorum regreſſus eſt; Guibertus verò hæreſiarcha, inſignitus Papalibus inſigniis, cum ſuis complicibus pompoſè intravit Italiam. Bertoldus in Chronico addit, Guibertum *apud Moguntiam Conventu facto, eandem ipſam electionem à quibuſcumque potuit confirmari* feciſſe. Tempus utriuſque pſeudo-Concilii nos docet Urſpergenſis Abbas in Chronico: *Facta*, inquit, *ſunt hæc ſeptimo Kal. Julii, feria V, indict.* 3, quod intelligendum de electione Antipapæ facta apud Brixiam; Conventum enim Moguntinum in Pentecoſte fuiſſe coactum jam antea dixerat. Moguntinus itaque Conventus præceſſit Brixienſem, non verò ſubſecutus eſt, ut indicat Bertoldus laudatus, & in utroque Gregorius Papa a ſchiſmaticis depoſitus.

LXXXIV. *Occiſo Rodulpho Rege, Henriciani prævalent.*

Eodem anno milleſimo octogeſimo Henricus cum Rodulpho Rege, die decima quinta menſis Octobris congreſſus eſt, & occiſo Rodulpho, totus Saxonicus exercitus in fugam verſus, ut narrat Marianus Scotus: *Eodem die deceſſionis ejus*, ſeu mortis Rodulphi, *in Longobardia milites prudentiſſimæ Ducis Mathildæ fugantur ab exercitu penè totius Longobardiæ apud Wicam propè Mantuam*, inquit Bertoldus in Chronico, qui jam retulerat occiſum Rodulphum *Idibus Octobris, feria V.* Quare dies decimus quintus menſis Octobris Henricianis ita fauſtus fuit, tantumque Catholicis timorem injecit, ut cùm Henricum in Italiam pergere fama fuit, qui in Germania, & Italia neutras partes ſecuti fuerant, Victoris partes amplexi ſint; eò magis quòd ſola in Italia Mathildis Comitiſſa à Pontifice ſtaret. *Poſt ubi verò hæc geſta ſunt*, inquit Centius Camerarius laudatus, ubi de Brixienſi Conciliabulo verba fecit, *evolutis paucis diebus, Henricus filius ejus cum exercitu illuſtris Comitiſſæ Mathildis pugnavit, & quia, ſicut fieri ſolet, varius eſt eventus belli, victoriam habuit. His ſucceſſibus provocatus* (Henricus nempè Rex) *venit in Italiam.*

SÆC. XI. S. GREGORIUS VII.

LXXXV. *Gregorius PP. fœdus perpetuæ pacis cum Roberto Duce Calabriæ pangit.*

In hoc rerum ſtatu Pontifex, qui anno milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo cum Roberto Calabriæ Duce ac Normannorum capite pacem pepigerat, eumque de ditionibus, quas armis occupaverat, inveſtierat, hoc anno milleſimo octogeſimo Beneventum perrexit, & cum eodem Roberto Guiſcardo pacis perpetuæ fœdus pepigit, ut narrat Willelmus Apulienſis hujus temporis Auctor lib. 4.

Se quaſi victorem percepta morte Rodulphi,
Gaudens Henricus, quem regni depoſitorem
Noverat eſſe ſui, Papam infeſtare laborat,
Romam obſeſſurus magna cum gente venire
Nititur: hoc prudens comperto Papa favorem
Curat habere Ducis, ſuccurrat ut ipſe labori
Promptus ad arma ſuo, vires & deprimat hoſtis:
Pacis perpetuę Beneventi fœdere pacto,
Gregorius Romam remeavit, Duxque Salernũ.
Hac Mathæe tibi conſtruxit in urbe decoris
Eccleſiam miri, ſibi nobilis aula paratur.

Fœdere illo inter Pontificem, & Robertum Guiſcardum conſtituto, Willelmus Apulienſis ait, Robertum Eccleſiam in honorem ſancti Matthæi Salerni conſtruxiſſe, cujus corpus eodem anno milleſimo octogeſimo Salerni repertum; qua de re Alphanus Archiepiſcopus Salernitanus Pontificem monuit, qui ei Romæ 14 *Kal. Octob.* hac de re reſcripſit Epiſtolam 8 libri 8, hortatuſque eſt, ut Robertum moneret, quò auxilium tanti patroni ſibi, ſuiſque promereretur.

LXXXVI. *Octavam Romæ Synodum celebrat.*

Anno milleſimo octogeſimo primo Gregorius Papa octavam Romæ congregavit Synodum, in qua Henrici Regis & omnium ejus fautorum confirmata excommunicatio eſt; Arelatenſis & Narbonenſis Epiſcopi depoſiti; Ildimundus & Landus Campaniæ tyranni anathemate confixi, ut hujus Synodi, cujus nihil aliud ſupereſt, Acta Tomo X Concil. relata, teſtantur. In eadem Synodo Guibertum Antipapam iterum anathemate percuſſum, indicat Domnizo in Vita Comitiſſæ Mathildis, ubi & de perſecutione per eum, & Henricum renovata, his verſibus:

Actibus & verbis exprobrat ſchiſma Guiberti,
Perpetuo damnans anathemate ſchiſmata tãta.
Naſcitur hinc cunctis ingens tribulatio juſtis,
Mucronem Regis pia pars quàm maximè ſentit.

Se-

Digitized by Google

Sedibus expulſi ſunt Pontifices quoque multi,
Flagris afflicti, vinclis in carcere ſtricti.
Rex & Guibertus faciunt juveneſcere tempus
Neronis priſci, &c.

Hoc enim eodem anno milleſimo octogeſimo primo Henricum cum Antipapa Guiberto in Italiam veniſſe ſtatim oſtendo.

LXXXVII. *Henricus in Italiam pergit.*

His temporibus, inquit Bertoldus in Chronico ad annum 1080, *Henricus Rex totam Italiam adeò conturbavit, ut nullus ſecurus ad limina Apoſtolorum poſſet ire, qui non prius abjuraret, quòd ad Papam Gregorium diverſurus non eſſet*, ideſt, qui non polliceretur, ſe ſe Gregorium pro Papa non agniturum, poſt mortem ſcilicet Rodulphi Regis, & victoriam de exercitu Mathildis Comitiſſæ reportatam. Tum ad annum 1081 ait Bertoldus: *Henricus poſt obitum Regis Rudolphi Veronam in Paſcha venit, & inde ad invadendam Romam, cum ſuo non Apoſtolico, ſed apoſtata Guiberto, utpote Domini Apoſtolici non ſemel perjuro, & anathematizato profectus, ſed mox regreſſus eſt.* Lupus verò Protoſpata ad eundem annum: *Alemannorum Rex Henricus venit Romam, ut ejiceret exinde Papam Gregorium.* De eadem Henrici Romana profectione hæc habet Auctor Anonymus Vitæ Henrici à Reubero editus: *Igitur cum exercitu Romam pergebat, proterens in via quiquid obſtabat, oppida fregit, tumida preſſit, ardua curvavit, factiones diſſipavit.*

LXXXVIII. *Gregorii PP. ſolicitudo.*

Gregorius Pontifex in his rerum anguſtiis ſcripſit ad Altmannum Epiſcopum Patavienſem, & ad Abbatem Hirſaugienſem Epiſtolam 3 libri 9 Regiſtri, qua utrique ſignificat, defuncto Rodulpho Rege omnes ſibi ſuadere, ut Henricum, *cui fermè omnes Italici favent*, in gratiam recipiat, monetque, ut Mathildem Comitiſſam certiorem faciant, an præſidium contra Henricum expectare debeat; & Ducem Welfonem, alioſque moneant, ut fidem Beato Petro ſervent, atque omnes hortentur, ne Regis electio temerè fiat; ſed Deum exorent, ut inimici reſipiſcant, & Eccleſiæ ſuæ defenſorem tribuat; *Si verò*, inquit, *filiæ noſtræ Mathildi, cujus militum animos ipſi perpenditis, à vobis ſuffragatum non fuerit, quid aliud reſtat, niſi ut cùm ſui reſiſtere recuſaverint, quam utique hac in re pro inſana habent, ipſa vel coacta paci illius acquieſcat, aut quidquid poſſidere videtur, amittat.* Epiſcopus Patavienſis, & Abbas Hirſaugienſis Sedis Apoſtolicæ Legati erant in Germania; verùm ibi Catholici in minori numero, quàm ſchiſmatici erant, & in Italia milites Pontificii, ob infelices anni ſuperioris eventus, ita animo depreſſi, ut ſapientioribus videretur pacem faciendam, ſi æquas Henricus Pontifici conditiones offerret, ut inquit Florentinius in Comment. Rerum ad Mathildem Comitiſſam pertinentibus lib. 2.

LXXXIX. *Gregorius PP. & Henricus Rex à Roberto Calabriæ Duce auxilium petunt.*

Anna Comnena lib. 2 pag. 33 refert, Gregorium Papam miſiſſe ad Robertum Calabriæ Ducem, qui ex fœdere auxilia poſcerent, & ad eundem Ducem veniſſe etiam Henrici Regis Legatos, qui Regis ſui nomine ab eo auxiliares copias ad Romanæ urbis oppugnationem peterent, & Normannum utrumque irriſiſſe. Sed fallitur, vel fallit Anna Comnena; ex Guilelmo enim Apulienſi hujus temporis Scriptore, conſtat Robertum, ob bellum Dalmaticum, Pontificis petitioni ſatisfacere non potuiſſe. De Legatione quippe Henrici ad Robertum verba faciens, ait:

Ante tamen paulò quàm tranſeat, accelerare
Hunc Regis mandata monent, quem Papa notarat
Regno privari cenſens: ut conferat illi
Auxilium contra Papam, tumidoſque Quirites,
Qui facti fuerant non cum ratione rebelles:
Tempore Rex Romam veniens obſederat illo,
Dux quanquam placidi dederit reſponſa favoris:
Legati redeunt ſine quolibet emolumento.
Gregorio Papæ, cui pura mente favebat,
Omnia notificat, damnati nuncia Regis,
Seque fatetur iter nullatenus illud iniſſe,
Adventum hoſtilem prænoſcere ſi valuiſſet:
Sed quia jam tantos compleverat ipſe paratus,
A tantis ſe poſſe negat deſiſtere cœptis.

Ipſamet Anna Comnena loco laudato, poſt recitatam Roberti Ducis ad Gregorium Papam Epiſtolam, ſubdit: *Papa autem eatenus duntaxat rationem habuit, quatenus Rogerio filio, quem Apuliæ præfecit univerſæ, & fratri ejus Borytilæ mandavit, ſi quando ab eo Romana Sedes auxilium flagitaret adverſùs Henricum Regem, promptiſſimè in ipſum pergerent, & pro facultate auxiliarentur.* Sed, ut notat Ducangius ad locum illum, loco, *Borytilæ*, legendum, *Lorytilæ*, quem vulgò Robertum Comitem Lorytelli Scriptores appellant, quique erat Roberti non frater, ſed ex fratre nepos, ut liquet ex Orderico lib. 3, & 7. Non irriſit itaque Pontificem Robertus Dux, ut falsò ſcribit Anna Comnena.

XC. *Sola Mathildis Comitiſſa ſe Henrico opponit.*

Henricus Rex Romam cum exercitu tendens, omnem ſuum furorem in Mathildem Comitiſſam convertit, qua de re audiendus Presbyter Pœnitentiarius in Vita Sancti Anſelmi Epiſcopi Lucenſis cap. 4 de Henrico Rege loquens: *Ille ergo*, inquit, *quaſi novo tyrannidis aucupio, tunc incœpit univerſarum Eccleſiarum tam prædia, quàm omnes pene theſauros earum militibus diſpertiri: quos & omnes parti ſuæ agglutinat præter admodum paucos, quos reſervavit ſibi Dominus, ut non curvarent genua coram Baal. Collecto igitur exercitu Romam* ten-

tendit, atque primo mox ingreſſu omnem furorem ſuum in ſupradictam dominam Mathildem convertit; villas incendit, caſtella diruit: quæ tamen, divina ſe protegente miſericordia, ſuſtinuit. Et paucis interpoſitis ſubdit: *Illa nobiliter & magnificè, inſolito mulierum more, plus dico quàm viriliter agebat, nullum ferè periculum metuebat. Quiſnam Potentum unquam ſuum, ut illa, deduxit exercitum? Receſſerunt tamen ab illa plurimi ſuorum, & abierunt retrorſum. Separati ſunt, inquam à nobis, quia non erant ex nobis: nam & Angeli quidam de Cœlo deciderunt, aliis ſic corroboratis, ut cadere amplius non valerent. Corroborati ſunt & hi, qui permanſerunt, tum ex dulcedine paſtoralis ſapientiæ, tum ex benevolentia & hilaritate tam deſiderabilis matronæ, &c.*

XCI. *Gregorius PP. ab Henrico Roma obſidetur.*

Progreſſus tamen Henricus, inquit Albertus Stadenſis, Romam advenit, habens in comitatu ſuo Liemarum Bremenſem Archiepiſcopum, penès quem tunc ſumma conſilii erat: & reſiſtente ei Papa cum Romanis, ante caſtellum Sancti Petri caſtra poſuit: ibique crebris Romanorum incurſibus per biennium infeſtatus, parva manu multa viriliter egit. Ita Albertus. Quibus congruentia ſcribens Sigebertus, ait Henricum expugnaſſe loca vicina Romæ, obſediſſeque Leoninam civitatem, quæ ambit Baſilicam Sancti Petri, ſed non cepiſſe, niſi anno milleſimo octogeſimo tertio.

XCII. *Roma iterum ab Henrico obſidetur.*

De ſecunda Romanæ urbis obſidione ab Henrico Rege loquitur Hugo Flavinia-cenſis in Chronico ad annum 1082. *Adhuc Romanæ urbi*, inquit, *Dominus Gregorius præerat, quam Wibertiſtarum* (ſeu ſectatorum Wiberti, vel Guiberti Anti-Papæ) *jam eſſet facta conſpiratio, non tamen promotio. Ubi verò & promotio ejus execratione ſua illa quaſi auctorizata eſt, & judicatum eſt ab impiis & perjuris hoſtili manu Romam aggrediendam, ut Papa, qui populi obſequio & amore cum gratia Dei protegebatur, cum injura & dedecore à Sede propelleretur; eò uſque res devenit, ut Rex cum Papa ſuo, exercitu innumerabili fultus, Romam tenderet, & in itinere quotquot poterat, ad adorandam ſtatuam, in ea imaginem beſtiæ, compellebat.* Lupus Protoſpata in Chronico hujus ſecundæ obſidionis mentionem facit ad eundem annum ſcribens: *Henricus obſedit Romam, ut vi introiret, & faceret ibidem Papam Ravennenſem Archiepiſcopum, ſed minimè potuit.* Ejus denique obſidionis meminit ad eundem annum Bertoldus in Chronico. *Henricus autem in Italia aſſumpto apoſtata ſuo Guiberto iterum Romam inviſurus proficiſcitur, adunata multitudine ſchiſmaticorum: ibique in æſtate moratus, penè incaſſum laboravit, niſi quòd milites ſuos quibuſdam caſtellis, ut facerent guerram Romanis, impoſuit, quia eum nec hac vice Romam intrare permiſerunt. Ignem quoque in domum Sancti Petri per quemdam traditorem immittere voluit, ſed Dei miſericordia protegente non potuit. Cogitavit enim, ut die improviſo portas irrumperet, ſi Romani derelictis propugnaculis ad incendium reſtinguendum concurrerent, unde ignem domibus quibuſdam S. Petro contiguis immitti fecerunt. Sed Domnus Apoſtolicus huic verſutiæ obviavit. Nam primùm viſo incendio, omnes milites Romanos ad propugnacula defendenda tranſmiſit, ipſeque ſolus fiduciâ S. Petri fretus, facto ſigno crucis contra incendium, ignem progredi ulterius non permiſit. Igitur Henricus capto venerabili Epiſcopo de Sutria, aliiſque nonnullis, ſuoque apoſtata Guiberto in Tiburtina urbe ad infeſtandos Romanos derelicto, ipſe Longobardiam revertitur*, annoque tantùm ſequenti 1083 Romam tertiò obſidione cinxit.

XCIII. *Henricus contra Mathildem in Longobardiam revertitur.*

Henricus itaque anno milleſimo octogeſimo ſecundo Româ relictâ in Longobardiam venit, & quidem, ut ſcribit Lupus Protoſpata in Chronico, *ad debellandam Mathildæ provinciam, quæ cum Papa tenebat Gregorio.* Mathildis enim ad defenſionem Pontificis armata ſtabat, & continuò excurrebat, expugnabatque loca, quæ partes ſchiſmaticorum Longobardiæ ſequebantur, ut refert in ejus Vita Domnizo. Et quia poſt tot expenſas ei deficiebat pecunia, obtinuit à Sancto Anſelmo Epiſcopo Lucenſi, cujus curæ eam Gregorius VII commendarat, ut bona, quæ ipſa & deceſſores ejus Eccleſiæ Canuſinæ dederant, ad hoc bellum inſumere poſſet, à ſe poſtea reſtituenda. Tegnagelius in Syntagmate *Veterum monumentorum pro Gregorio VII*, libros duos Domnizonis Presbyteri de Vita comitiſſæ Mathildis edidit, eiſque præpoſuit Relationem de Theſauro Canuſinæ Eccleſiæ Romam tranſmiſſo, cujus eſt initium: *Anno Domini 1082 comitiſſa Mathildis cum Epiſcopo Anſelmo, qui & Vicarius erat Papæ Gregorii VII, in illis diebus in Longobardia, theſaurum Eccleſiæ Canuſinæ poſtulavit Abbati Gerardo, qui tum præerat præfatæ Eccleſiæ, dirigendum PP. pro defenſione Romanæ Eccleſiæ, quæ illo tempore perſecutionem grandem habebat à Guiberto hæreſiarcha. Itaque prænominatus Abbas unà cum congregatione fratrum fidelem amorem & dilectionem habens in B. Petro & Romana Eccleſia, Vicario ejus ex Comitiſſæ petitione alacriter theſaurum obtulit* &c. Quare Guibertus Antipapa fruſtra Sanctum Anſelmum ſollicitavit, ut à Mathilde recederet, ut conſtat ex ejuſdem Sancti libro primo contra Guibertum.

XCIV. *Hermannus fit Germaniæ Rex.*

Hoc eodem anno milleſimo octogeſimo ſecundo, teſte Mariano Scoto in Chronico, *Catholici per Saxoniam conſtituti ex*

con-

SÆC. XI. S. GREGORIUS VII.

conſtantia Domni Apoſtoli (legendum Apoſtolici) *roborati, conſtituerunt ſuper ſe Regem Hermannum. Iſte Hermannus fuit Lotharingus, vir ſapiens, modeſtia, genere, & fortitudine inſignis.* Chronographus Magdeburgenſis à Meibonio editus, diem inaugurationis, ſeu unctionis in Regem notavit, ſcribens Hermannum in Natali Sancti Stephani, ſeu die vigeſima ſexta menſis Decembris, à Sigefrido Moguntino Archiepiſcopo Regem unctum eſſe.

XCV. *Henricus tertiò Romam obſidet.*

Nova hæc Regis Germaniæ electio terrorem Henrico nonnihil incuſſiſſe videtur; quam ob rem anno ſequenti milleſimo octogeſimo tertio Romam tertiò obſidens, ne ad novum parandum bellum adversùs novum Regem revocaretur in Germaniam, doloſis artibus res componere velle cum Gregorio Papa ſimulavit, ut quem armis hactenus expugnare non potuerat, inſidiis ſuperaret. Qua de re audiendus Centius Camerarius in libro MS. cenſuali Acta Pontificalia continente; in eo enim cap. 3 hæc leguntur: *Sic tertio quoque anno idem Rex ad obſidendam Romam reverſus eſt: ſed quia ſe ipſum excommunicatum, à Cluniacenſi Abbate,* (nempe Sancto Hugone) *atque aliis Religioſis Deum timentibus pro certo cognovit, ut eorum ſimplicitatem melius circumvenire poſſet, ad callida ſe argumenta convertit. Poſt captionem itaque Oſtienſis Epiſcopi* (ſcilicet Ottonis, poſtea Papæ ſub nomine Urbani II) *& aliorum multorum, quos præcepit abſolutos dimitti; univerſis Romam viſitare volentibus firmam ſecuritatem dedit, quam juramento publicè confirmavit; & ut popularem favorem omninò conſequeretur & gratiam, in publico dixit, quòd à Domino Gregorio Papa Imperialis coronæ dignitatem vellet accipere. Quod poſtquam populus Romanus cum religioſis viris audivit, non mediocriter lætati ſunt omnes, & ad veſtigia Pontificis lachrymabiliter accedentes, ipſum cum magna inſtantia exoraverunt, ut patriæ jam ferè perditæ miſereretur, & paterna clementia condoleret. Pontifex autem, qui pro juſtitia & Eccleſiaſtica libertate tuenda, ſi rationabilis cauſa exigeret, mortem ſubire paratiſſimus exiſtebat, conſtanter in hunc modum reſpondit:* Ego „verſutias & calliditates Regis frequenter „expertus ſum; ſed ſi vult in iis, in quibus „manifeſtè peccavit, Deo & Eccleſiæ „ſatisfacere, ipſum libenter abſolvam, ac „Imperialem ſibi coronam cum benedictio„ne imponam; alioquin nec debeo, nec „poſſum vos in hac parte nullatenus exau„dire. *Quod verbum cùm Rex remordente conſcientia denegaret facere, & populus Pontifici per plures dies vehementer inſtaret, ut abſque ſatisfactione Regem ſuſciperet, & Pontifex ad eorum cæcas preces omnino permaneret immobilis; Rex paulatim cœpit popularem favorem pecunia & terrore ſibi acquirere.* Romam tamen penitus obtinere non potuit; unde Lupus Protoſpata ad annum 1083 ſcribit, Henricum *menſe Junio, relicto ibidem præſidio ac filio*, cum 40 obſidibus Romà receſſiſſe *in partes Tuſciæ*. Urſpergenſis verò Abbas ait, Henricum anno 1083 caſtra poſuiſſe *ad occidentalem partem caſtelli Sancti Petri*, & poſtea addit: *Capta eſt urbs IV Non. Junii, feria ſexta ante octavam Pentecoſtes.* Sed id intelligendum eſſe de Leonina civitate, quæ ambit Baſilicam Sancti Petri, diſertè ſcribit Sigebertus in Chronico ad annum 1083, & ſequentia confirmabunt.

XCVI. *Gregorius nonam Romæ Synodum habet.*

Sed antequam ea referamus, obſervandum eſt Gregorium Papam, capta Leonina urbe, ad Lateranenſe palatium ſe contuliſſe, ibique Synodum, ordine nonam, celebraſſe, & quidem, ut inquiunt Acta, *duodecimo Kalendas Decembris, anno Pontificatus* ejus *undecimo*, ideoque menſe Decembri anni 1083, non verò anni 1084, ut in iiſdem Actis legitur; eo enim anno, menſe Novembri Pontifex Romæ non erat, & annus Pontificatûs ejus duodecimus in curſu erat. Huic Synodo interfuerunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates Campani, & de Principatibus atque Apulia, pauci quoque Gallicani. In ea queſtus eſt Pontifex de Henrico Rege, qui Oſtienſem Epiſcopum de Apoſtolica legatione redeuntem, contra fas & juramenti fidem *capi juſſit, ſive permiſit*. Ceterum Dominus Apoſtolicus in eadem Synodo *de fidei forma, & Chriſtianæ religionis converſatione* (legendum firma conſervatione) *ſed & de robore, animique conſtantia ad præſentem preſſuram neceſſaria, ore non humano, ſed Angelico potenter edifferens, die tertia totum fermè Conventum in gemitus & lachrymas compulit, ſicque Concilium Apoſtolica benedictione lætificatum in pace dimiſit.* Hæc ex Actis in editione Labbei.

XCVII. *Henricus Romam capit.*

Ex Longobardia Romam rediit Henricus Rex circa finem anni milleſimi octogeſimi tertii; die enim vigeſima quinta Decembris ejuſdem anni Romæ erat, ſi Abbati Urſpergenſi fides. Hic annum à Natali Chriſti incipiens, ad annum 1084 ſcribit: *Henricus Natale Domini Romæ apud ſanctum Petrum celebravit.* Huic conſonat Bertoldus in Chronico, tradens: *Henricus in Romanorum finibus hyemavit, ibique Guibertum Ravennatem ſuum Romam venturum expectavit, ut ab eo apud ſanctum Petrum incoronaretur, eò quòd Gregorium Papam ad hoc flectere non poſſet, ut eum niſi legitimè reconciliatum, incoronare vellet.* Tum menſe Martio Gregorium è Laterano expulit; Bertoldus enim ſubdit, Henricum maximam pecuniam, quam ei Alexius Imperator Conſtantinopolitanus miſerat, ut

Robertum Calabriæ Ducem, Gregorio VII addictum, bello appeteret, ad conciliandum ſibi vulgus Romanum expendiſſe, *cujus adjutorio Lateranenſe palatium feria quinta ante Palmas* (die nempè 21 Martii) *cum ſuo Ravennate Guiberto intravit. Nobiles autem Romani, præter admodum paucos, cum domino Papa Gregorio tenuerunt, qui & 40 obſides ei dederunt*. Eo die ſe Romam intraſſe, aſſerit ipſemet Henricus in Epiſtola, quam ſcripſit ad Theodericum Virdunenſem Epiſcopum, Tomo 13. Spicilegii Dacheriani recitata, in qua ait, *ſe Romam in die ſancti Benedicti* intraſſe, ideoque die 21 Martii, quæ anno 1084 concurrebat cum feria quinta ante Dominicam Palmarum.

XCVIII. *Guibertus Antipapa inthronizatur.*

Poſtridie quàm Henricus Romam cum Guiberto Antipapa ingreſſus eſt, die ſcilicet 22 menſis Martii feria ſexta ante dominicam Palmarum, hic inthronizatus eſt apud ſanctum Petrum, & Clemens III nominatus. Bertoldus quidem in Chronico ait, eum inthronizatum anno 1083; ſed cùm in laudatis Actis à Centio Camerario ſcriptis, & in Chronicis Urſpergenſis Abbatis, ac Sigeberti, Guiberti inthronizatio referatur ad annum 1084, major fides iis, quàm Bertoldo adhibenda. Urſpergenſis ad eum Chriſti annum ait: *Wipertum Ravennatem Epiſcopum in Apoſtolicum* præfecit Henricus Rex *undecimo Kal. April. feria ſexta, ante diem Palmarum*, qui characteres conveniunt anno 1084. Certè die 26 menſis Januarii ejuſdem anni Guibertus nondum erat inthronizatus, nam Rubeus lib. 5 Hiſt. Ravenn. pag. 309, & ſeqq. refert exordium literarum ab iſto Antipapa datarum, quod tale eſt: *Anno Dominicæ Incarnationis* 1084, *regnante verò Henrico filio quond. Henrici Imp. anno* 28, *die* 26 *menſis Januarii, indict.* 7 *in capitulo ſancti Apollinaris in Claſſe: domino ſancto, & meritis beatiſſimo atque Apoſtolico Patri patrum domino Wiberto ſanctæ Catholicæ Ravennatis Eccleſiæ Archiepiſcopo*. Imò die 17 Martii nondum ea inthronizatio facta fuerat; idem quippe Rubeus addit alias extare tabulas ſcriptas, *Guiberto Archipræſule Papa electo*, 16 *Kal. April. Indict.* 7, quæ anno 1084 in curſu erat.

XCIX. *Ordinatur, & Clemens III appellatur.*

Sanctus Gebehardus Salisburgenſis Archiepiſcopus de Guiberti conſecratione ſeu benedictione ad Herimannum Metenſem Epiſcopum ita ſcribit, Hugone Flaviniacenſi referente: *Ipſorum autem excommunicatorum nullus eum conſecrare* (ideſt benedicere), *vel potius exſecrare præſumpſit, præter Mutinenſem, & Aretinum Epiſcopos, qui ambo pro ſuis criminibus jam annis tribus officio & communione caruerunt. Sed hi, etiamſi officium, & communionem haberent, & Romana Sedes Paſtore vacaret, nullum tamen eidem Sedi Pontificem ordinare poſſent. Hujus enim ordinationis, privilegium ſolis Cardinalibus Epiſcopis, Albanenſi, Oſtienſi, Portuenſi à ſanctis Patribus eſt conceſſum. Ergo Mutinenſis, & Aretinus Epiſcopi, juxta teſtimonium ſanctiſſimi Papæ Innocentii, non benedictionem, ſed damnationem, quam habuerunt, ſuo Ravennati imponere potuerunt. Nec illum in Romanum Patriarcham, ſed in perditiſſimum hæreſiarcham promoverunt*. Wibertum Antipapam Clementem III ſe appellaſſe, conſtat ex eo quòd, teſte Rubeo laudato, anno 1084 Ravennæ Conventum aliquot Cardinalium & Epiſcoporum habuit, in quo Ravennenſis Eccleſiæ bona confirmavit, diplomate, cujus initium: *Clemens Epiſcopus ſervus Servorum Dei*, &c. Idem aſſerit Henricus Rex in laudata ad Theodericum Virdunenſem Epiſtola; Sigebertus item eum Clementem dictum ſcribit, ſicuti & Urſpergenſis, qui ultimus tamen confundit diem ejus conſecrationis ſeu benedictionis, cum die inthronizationis; nam poſtquam dixit, *Wipertum Ravennatem Epiſcopum eis Apoſtolicum præfecit undecimo Kal. April. feria ſexta ante diem Palmarum*, ideſt, Antipapam inthronizavit, ſubdit: *Qui ſequenti dominica*, nempè die 24 Martii, *per multos Pontifices Apoſtolico nomini dicatus*, ideſt in Apoſtolicum benedictus, *nomenque Clementis accipiens, reverenter eſt inthronizatus*. Conſecratio autem Romani Pontificis, de more, die dominica fiebat, ideoque Antipapa inthronizatus videtur juxta Urſpergenſem, *undecimo Kal. April. feria ſexta*, & *ſequenti dominica* conſecratus, ſeu benedictus; alioquin vel ſibi contradicit Urſpergenſis, vel bis inthronizatum Guibertum ſupponit, primò, *feria ſexta ante diem Palmarum*, ſecundò, *dominica ſequenti* in ipſa Palmarum feſtivitate.

C. *Henricum Imperatorem coronat.*

Poſtquam Henricus Guibertum in Sede Apoſtolica violenter intruſit, ab eo viciſſim die trigeſima prima Martii, in die Paſchatis coronam Imperii accepit. Quod præter Centium Camerarium in libro Cenſuali, refert etiam Urſpergenſis Abbas in Chronico, qui, relata Guiberti inthronizatione, ſubdit: *à quo Rex cum Regina Bertha in ſancta dominica Paſchæ, Imperiali benedictione ſublimatus eſt*. Non diſſimilia ſcribit Bertoldus: *In die Reſurrectionis Dominicæ*, inquit, *Henricus ab Hæreſiarcha ſuo Ravennate, coronam non gloriæ, ſed confuſionis accepit*. A' die itaque trigeſima prima menſis Martii Henrici Imperium à Chronologicis exordiendum, non verò à die Aſcenſionis Domini, ſeu à die nona menſis Maji, ut quidam perperàm ſcripſére, volentes Henricum eo die Imperii coronam accepiſſe; cùm tamen ipſemet Henricus in laudata ad Theodericum Virdunenſem Epiſco-

ſco-

Digitized by Google

ſcopum Epiſtola diſertè aſſerat, ſe *à Papa Clemente ordinatum, & conſenſu omnium Romanorum conſecratum in die ſancto Paſchæ in Imperatorem*, ad quod cùm non advertiſſet Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico, de die coronationis Henrici, & conſecrationis Guiberti dubius eſt, non minus quàm de anno, quem putat eſſe 1083, quod ex dictis ſubſiſtere non poteſt.

CI. *Gregorius VII in Caſtellum S. Angeli ſe recipit.*

Henrico Romam ingrediente Gregorius Pontifex in Caſtellum ſancti Angeli ſe recepit, ut ſcribit, Bertoldus: *Papa autem*, inquit, *in caſtellum ſancti Angeli ſe recepit, omneſque Tiberinos pontes, & firmiores Romanorum munitiones in ſua obtinuit poteſtate.* Idem aſſerit ipſe Henricus in citata Epiſtola ad Theodericum Virdunenſem Epiſcopum data, in qua ait, quòd *cùm in Teutonicas partes de acquirenda Roma deſperans* redire vellet, Romanos miſſis Legatis ut Romam intraret, rogaſſe, & *ſummo ſtudio ſecum manentes* adjuviſſe: *Summo triumpho & fide*, ſubdit, *ab eis recedentes proſecuti ſunt, intantum ut in Domino fiducialiter dicamus, quia tota Roma in manu noſtra, excepto illo caſtello, in quo recluſus habitat Hildebrant, ſcilicet in domo Creſcentii*, &c. Centius Camerarius aſſerit, poſt modicum temporis ſpatium Henricum univerſos Romanos conduxiſſe ad obſidionem caſtri Creſcentii, quod moles Hadriani antiquitùs, & poſtea ſancti Angeli caſtrum dictum eſt.

CII. *Ibidem obſidetur.*

Gregorius in dicto Creſcentii caſtro obſeſſus, auxilium è Roberto Guiſcardo Apuliæ Duce petiit, ut ait idem Centius Camerarius: *Pontifex autem ſicut vir cautus, & providus jamdiu Robertum Guiſcardi egregium Normannorum Ducem ſollicitare ſtuduerat, ut in manu valida contra illatam ſibi violentiam & potenter ſuccurreret.* Hugo verò Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi pag. 229 habet: *Gregorius igitur in turre Creſcentis muro clauſus Legatos miſit ad Robertum Apuliæ Ducem, qui tunc forte claſſe inſtructa mare tranſire parabat, ut veniret, & obſidionem ſolveret. Erat tunc fortè Romæ Abbas Divionenſis* (Jarento nempè) *Domino Papæ per omnia fideliſſimus, quem pro ingenita ſibi bonitate, & obedientia debita B. Petro dulciſſimo complectebatur affectu, adeò ut concaptivum ſuum eum vocaret; quia non eum movebant ſalutis pericula pro juſtitia ſuſcepta. Hunc ergo ad evocandum Ducem cum quibuſdam Cardinalibus miſit.*

CIII. *A Roberto Duce Calabriæ liberatur.*

Qui obedientiam non ſegniter executus, ſubjungit Hugo, *Principem adduxit, & data urbi obſidione, patefactoque ingreſſu, Rege fugato, Papa liberatur, & ad Lateranenſe palatium cum gloria reducitur.* Presbyter Pœnitentiarius Auctor coævus in Vita S. Anſelmi Epiſcopi Lucenſis cap. 4 idem ſcribit: *à creſcente tam impia hæreticorum perſecutione, invitatus ab Apoſtolico viro Dux Apuliæ, & Calabriæ Robertus Romam feſtinavit, ante cujus adventum Henricus Urbe relicta, fugit, quam una die, manu armata, Dux fidenter expugnavit, Dominumque Papam de anguſtia turris in latitudinem ſacri palatii Lateranenſis cum magno triumpho, & gloria reduxit.* Hujus expeditionis & Roberti Ducis adventûs tempus notavit Bertoldus: *Robertus Wiſcardus*, inquit, *Dux Normannorum, in ſervitium ſancti Petri, poſt Kalendas Maji, Romam armata manu invaſit; fugatoque Henrico totam urbem, Gregorio Papæ rebellem penitùs expoliavit, & majorem ejus partem igni conſumpſit, eò quòd Romani quendam ejus militem vulneraverunt.* Leo tamen Oſtienſis lib. 3 cap. 52 aliam affert cauſam Urbis incendii, aitque Gregorii obſeſſi liberandi causâ Robertum id facere perſuaſum fuiſſe, & Romanis extinguendo igni totis incumbentibus, Ducem ad arcem ſancti Angeli continuò properaſſe, & Gregorium Pontificem liberaſſe.

CIV. *Synodum Romæ celebrat.*

Cùm itaque Pontifex ad Lateranenſe palatium reverſus eſſet, antequam Româ recederet, decimam & ultimam Synodum celebravit, de qua hæc habet Bertoldus in Chronico: *Dominus Papa collecta Synodo iterum ſententiam anathematis in Guibertum hæreſiarcham & Henricum, & omnes eorum fautores promulgavit, quod & in feſto S. Joannis Baptiſtæ præterito jam dudum Romæ fecit, cùm Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc ſententiam Legati Sedis Apoſtolicæ, videlicet Petrus Albanenſis Epiſcopus in Francia, Otto Oſtienſis Epiſcopus in terra Teutonicorum uſquequaque divulgarunt.* Sed in hoc falli videtur Bertoldus, quòd ſcribit hanc Synodum poſt feſtum S. Joannis Baptiſtæ celebratam, & ejuſdem feſti tempore Henricum adhuc Romæ moratum eſſe; nam ex citatis ſuperius Auctoribus conſtat, Henricum, vel paulò ante adventum Roberti in Urbem, vel ipſo tempore quo advenit, Romam reliquiſſe, ideoque ineunte menſe Majo; & ipſemet Henricus ante liberationem Papæ, Theoderico Virdunenſi Epiſcopo ſcripſerat, ſe venturum Ratiſponam in die SS. Petri & Pauli, quatuor ſcilicet diebus poſt feſtum S. Joannis Baptiſtæ: *Tu autem, ſi non gravaris*, inquit, *Auguſtam ad nos venire, poſt feſtum Petri, & Pauli te rogamus, quia, Deo favente, in feſto eorum Radiſbonæ erimus.* Cùm itaque Pontifex è caſtello ſancti Angeli liberatus, paucis diebus Romæ manſerit, longè ante feſtum S. Joannis Baptiſtæ Synodum celebratam eſſe oportet.

CV. *Salernum à Roberto ducitur.*

Presbyter Pœnitentiarius jam laudatus cap. 4 Vitæ Sancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, poſtquam dixit, Gregorium Papam ad Lateranenſe Palatium reductum fuiſſe,

ſubdit : *Itaque peractis ibi aliquot diebus Salernum pariter perrexerunt*, ſcilicet Gregorius Papa ; & Robertus Dux. Idem ſcribit Leo Oſtienſis lib. 3, cap. 52. *Dux ad arcem ſancti Angeli continuò properans, atque inde Pontificem abſtrahens, Româ ſine morâ egreditur, & Gregorium Papam ad noſtrum deducit monaſterium*, nempe Caſſinenſe, indeque Salernum. His conſonat Willelmus Apulienſis lib. 4, ubi refert, Robertum Cannas, urbem propè Aufidum fluvium, nunc exciſam, & memorabilem pugnâ Romanos inter & Carthaginenſes commiſſa, obſediſſe, & evertiſſe, ac deinde ad auxilium Gregorii Papæ properaſſe. Sic enim canit:

Cannis deſtructis Romam molitur adire
Contra Gregorii Romani Præſulis hoſtem
Henricum, cujus jam dudum obſederat urbem,
Plurima barbaries annis remorata duobus,
Altaque tormentis murorum mœnia fregit,
Et turres multas invictæ diruit urbis.
Jamque ſibi fuerat pars ſubdita Tranſtiberina,
Gregorius quadam fuerat concluſus in arce,
Quæ munita ſatis non expugnabilis ulli
Eſſe videbatur, miri ſtructura laboris,
Hanc & muniérat fidæ cuſtodia gentis:
Robertum tantos ubi novit iniiſſe paratus,
Et ſibi cum tantis inferre paratibus arma,
Rex fugit Henricus, Ducis hunc audacia terret,
Et virtus tota jam notificata per Orbem,
Expectare verens hunc, ad loca tuta receſſit.
Robertus Romam properans, ut perforat urbis
Egregiæ muros: tamen auxiliantibus ipſi
Paucis Gregorii fautoribus, indeque quibuſdam
Aedibus exuſtis violenter ab obſidione
Liberat obſeſſum jam tanto tempore Papam:
Hunc ſecum magno deducit honore Salernum.

Ex his conſtat deceptum eſſe Centium Camerarium quando ſcripſit, Robertum Ducem, Papa liberato, *ad propria* rediiſſe, & *patrem ſuum Gregorium Pontificem in Lateranenſi palatio ſedentem cum fratribus ſuis Epiſcopis & Cardinalibus in pace* dimiſiſſe, *pertractantem Eccleſiæ negotia pro ſui officii debito*. Major enim fides habenda Presbytero Pœnitentiario laudato, & Willelmo Apulienſi, Auctoribus coævis, quibus, præter Leonem Oſtienſem mox citatum, jungendus eſt Lupus Protoſpata, qui ad annum 1084 de Roberto ait: *Papam exinde* [nempe ex urbe Romana] *viriliter abſtrahens ſecum devexit Salernum*.

CVI. *S. Anſelmum ad abſolvendos ſchiſmaticos Legatum miſit.*

Cùm autem Henrico ab Italia in Germaniam recedente, orthodoxi in Longobardia reſumerent vires, & plurimi ſchiſmatici ad Gregorium reverterentur, ad iſtorum ſuſcipiendam pœnitentiam, atque impertiendam eis abſolutionem, Pontifex legationem commiſit Sancto Anſelmo Lucenſi Epiſcopo. Cujus etiam benedictione corroborati Catholici, glorioſiſſimam de ſchiſmaticis, qui coactis in unum copiis dominium Comitiſſæ Mathidis invaſiſſent, victoriam reportarunt, tribus tantum ex ſuis amiſſis, & paucis vulneratis. Quæ pluribus narrat in ejuſdem Anſelmi rebus geſtis Presbyter Pœnitentiarius.

CVII. *Sententiam in Henricum non reſcidit.*

Sed falſum omninò eſt quod ſcribit Sigebertus, Gregorium nempe VII morti proximum ſententiam in Henricum Regem latam reſcidiſſe, ipſumque abſolviſſe. Nam præterquamquod Presbyter Pœnitentiarius laudatus ait, eum *Henricianos penitus penituſque, niſi poſt magnam demum converſionem & pœnitentiam* reprobaſſe, contrarium diſertis verbis aſſerit Paulus Bernriedenſis cap. 110 ejus Vitæ: *Interea Pontifex B. Gregorius*, inquit, *ſuper his, quos excommunicarat, requiſitus, ſi quam diſpenſationem facere vellet, reſpondit*. „ Præter „ Henricum Regem dictum, & Guibertum „ Apoſtolicæ Sedis invaſorem, & omnes „ illas principales perſonas, quæ aut con„ ſilio, aut auxilio favent nequitiæ, vel „ impietati illorum, omnes abſolvo & be„ nedico, quicumque me hanc ſpecialem „ habere poteſtatem in vice Apoſtolorum „ Petri & Pauli credunt indubitanter.

CVIII. *Suam mortem prævidet.*

Idem Paulus Bernriedenſis poſtquam dixit, Gregorium Papam Salernum receſſiſſe, eodem capite 108 ſubdit: *In ſignum ſempiternæ ſoſpitatis, temporalem incolumitatem recepit, & quod valde glorioſum videri poteſt, circa Kalendas Januarii*, anni 1085 *prænoſſe cœpit diſſolutionem corporis ſui futuram circa Kal. Junii. Quibus cùm appropinquaſſet, & ultimi doloris luctam inchoaſſet, adſtantibus ei Epiſcopis & Cardinalibus, eumque pro laboribus ſanctæ converſationis & doctrinæ beatificantibus, reſpondit*: „ Ego, fratres mei dilectiſſimi, nullos la„ bores meos alicujus momenti facio, in „ hoc uno ſolummodò confidens, quòd ſem„ per dilexi juſtitiam, & odio habui ini„ quitatem. *Item cùm anxietatem ſuam de ſtatu ſuo poſt diſceſſum ejus deplorarent; elevatus pius Pater in cœlum oculis, & eodem porrectis, inſtar aſcenſionis palmis*: Illuc *inquit*, aſcendam, „ & obnixis precibus Deo propitio vos committam.

CIX. *Succeſſorem deſignat.*

Pergit deinde Paulus cap. 109: *Præterea rogatus ut in tanta fidelium perturbatione, ſibi ſucceſſorem, & Eccleſiæ contra prænominatum adulterum deſignaret ultorem, trium dedit optionem: videlicet Deſiderii Cardinalis, & Abbatis Cœnobii Caſſinenſis, atque reverendiſſimorum Epiſcoporum Ottonis Oſtienſis* (qui poſtea fuit Pontifex poſt Deſiderium ſub nomine Urbani II) *& Hugonis Lugdunenſis. Verùm quia Otto nondum*

à Ger-

à Germaniæ & Galliæ partibus redierat, ubi Apoſtolica legatione functus, venerabilem Gebehardum Conſtantienſis Eccleſiæ Præſulem, ſe præſente & favente conſecraverat, (hunc tamen à Petro Albanenſi conſecratum dicit Bruſchius) *& alia nonnulla ad ſtabilimentum Eccleſiæ pertinentia prudenter ordinaverat: Hugo quoque ſua luſtrans gubernacula procul aberat: interim ſuaſit eligi vicinum Deſiderium, licèt breviſſimè victurum, non tamen abſque typo victoriæ Victorem eſſe appellandum.* Et poſt pauca: *Prædixerat eidem Deſiderio Pater ſanctus, quòd non interfuturus eſſet migrationi ipſius, quamvis ob hoc infirmantem inviſiſſet,* quod & revera contigiſſe ait; nam cùm Deſiderius hæreret in admiratione, quid impedimento futurum eſſet, ne cum ceteris ſanctas ejus exequias celebraret, nunciatum eſt ei ſubitò, caſtellum quoddam ſuo monaſterio ſubjectum à Normannis circumvallari, & compulſus neceſſitate occurrendi ſuis, adeundi licentiam accepit. *Sicque, licèt invitus, explendæ prophetiæ locum dedit.* Leo Oſtienſis lib. 3 cap. 64 his tribus addit Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, quem ait Gregorium etiam commendaſſe, præter Deſiderium, Hugonem, & Ottonem.

CX. *Piè moritur.* *Hoc ſtatuto*, ſubdit Leo Oſtienſis, *defunctus eſt VIII Kalend. Junii die dominica, & digniſſimè intra Eccleſiam Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ Matthæi ſepulturę traditus: cùm ſediſſet annos XII, menſe uno, diebus tribus.* Eundem diem morti ejus aſſignat Paulus Bernriedenſis ſcribens, eum cœleſtem viam arripuiſſe die feſtivitatis *Urbani prædeceſſoris ſui*, nempe Sancti Urbani hujus nominis primi, cujus feſtivitas celebratur die 25 Maji. Hic autem dies anno 1085 in dominicam incidebat, ut methodus cyclica oſtendit. Quare cùm Leo Oſtienſis aſſerat, eum mortuum *die dominica*, memoriæ ſine dubio lapſu Baronius, qui hunc Leonis locum refert, ſcripſit Gregorium mortuum die 24 Maji. Hunc tamen Baronii lapſum exſcripſere Auguſtinus Oldoinus in Notis ad Ciaconium, & Joannes Palatius in Vita Gregorii VII. Ultra annos 12, & menſem unum, Centius Camerarius ait eum ſediſſe dies quatuor, quia ſcilicet diem emortualem, quem Leo Oſtienſis excludit, in ſummam confert. Cùm autem electus fuerit Pontifex die 22 Aprilis anni 1073, tam Leo Oſtienſis, quàm Camerarius, & Auctores Catalogorum annos Pontificatûs ejus à die electionis deduxerunt; ſed cùm Gregorius, nec annos Incarnationis, nec annos Pontificatûs in ſuis reſcriptis memorarit, incertum eſt, an proximorum ſuorum prædeceſſorum exemplo, annos ſuos ab electionis ſuæ die deduxerit.

CXI. *Mitram ſuam ante mortem S. Anſelmo Lucenſi mittit.* Paulò antequam ex hac vita migraret, mitram ſuam Sancto Anſelmo Lucenſi Epiſcopo tranſmiſit, per quam præclara quædam mirabilia operatus eſt Dominus. *Olim Helias*, inquit Paulus Bernriedenſis, *ex mortalium cohabitatione tranſiturus dimiſit Heliſæo pallium ſuum, propheticî muneris inſtrumentum: ſimiliter & Gregorius ex hac vita mortali migraturus, tranſmiſit Anſelmo Pontificalis inſigne poteſtatis, videlicet mitram capitis ſui: hoc nimirum, Deo cooperante, ut ſicut ille prophetiæ per pallium hæreditavit prærogativam; ita & iſte Sacerdotalem per mitram obtineret eminentiam. Nempe eò uſque proceſſit ſimilitudo, ut ſicut Heliſæus per pallium virtutum ſigna demonſtraverat, ita & Anſelmus per mitram Gregorii quædam magnalia exhibuerit. Nam, ut de pluribus unum magis promulgatum proferamus, reverendus Mintuanæ Præſul Eccleſiæ Ubaldus, multis jam annis graviſſimè ſpeleneticus, & toto corpore ulceratus, præſertim in cruribus, ſic ut vix quomodolibet ſtare poſſet, vix etiam jacere, vel ſedere, qui & multa in medicis erogaverat, nihilque profecerat, appoſita eadem mitra, ubi major ingruebat dolor, priſtinæ redditus eſt ſanitati.* Idem iiſdem ferè verbis refert Presbyter Pœnitentiarius in Vita Sancti Anſelmi.

CXII. *Ante & poſt mortem miraculis claruit.* Gregorium ante mortem etiam miraculis claruiſſe innuit Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 1077 ſcribens: *Signa etiam & prodigia, quę per orationes Papæ frequentius fiebant, & zelus ejus ferventiſſimus pro Deo & pro Eccleſiaſticis legibus, ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant.* Poſt mortem itidem miraculis claruiſſe ait Ordericus Vitalis lib. 8, ubi miraculorum copiam ad ejus tumulum factam fuiſſe teſtatur his verbis: *Ubi meritis ejus fides petentium miraculorum copia divinitùs oſtenſa eſt.* Tum ſubjungit: *Nam leproſi de aqua, unde corpus ejus ablutum fuerat, petierunt: qua conſecuta fideliter loti ſunt, & opitulante Deo protinus mundati ſunt.* Quare non immeritò Deſiderius Abbas Caſinenſis & Cardinalis, qui ei ſub Victoris III nomine ſucceſſit, libro 3 Dialogorum eum *Chriſti Eccleſiam verbis ſimul & exemplis* illuſtraſſe ſcribit; & Presbyter Pœnitentiarius in Vita S. Anſelmi, poſtquam mitræ ejus operâ, Ubaldum Mantuanum Epiſcopum ſanitati reſtitutum fuiſſe dixit, ſubdit: *Beatiſſimus itaque talis ac tantus Magiſter miracula fecit multa vivens & mortuus.*

CXIII. *Ejus laudatores, & vitæ ſcriptores.* Gregorii laudes plerique Scriptores, tam antiqui, quàm recentiores proſecuti ſunt. Nam non tantùm à Sancto Anſelmo Lucenſi, ſed etiam à Willelmo Abbate Monaſterii Metenſis in Epiſtola à Mabillonio Tomo I Analect. pag. 247 publicata, & ab omnibus temporis illius Scriptoribus,

ſi

Digitized by Google

ſi paucos excipias Henricianæ factioni adhærentes, laudatus reperitur. Gretzerus in ejus Apologia quinquaginta omninò recenſet. Paulus Bernriedenſis Canonicus Regularis circa annum 1131 Vitam ejus edidit, quæ extat in Actis SS. Bollandianis ad diem 25 menſis Maji, & in Actis SS. Ordinis S. Benedicti ſæculo VI parte 2, qua ultima editione uſi ſumus. Sanctus item Anſelmus Lucenſis ſingularem pro ejus defenſione librum edidit contra Guibertum Antipapam. Eum Confeſſorem & Martyrem obiiſſe dicit Hugo Flaviniacenſis in Chronico, ex quo plura de ejus geſtis retulimus.

CXIV. *Cultu publico donatur.* Ejus tamen memoria in Martyrologio Romano conſignata non fuit ante annum 1584, quo Gregorii decimi tertii auctoritate illud fuit emendatum, quod retentum eſt in nova ejuſdem Martyrologii editione à Baronio annotationibus aucti, Sixto quinto ſedente facta. Imò feſtum ejus ante ſæculi elapſi initium publico cultu celebratum nuſquam fuit, quod primùm fieri permiſit Paulus quintus Summus Pontifex, ut ex ejus bulla patet, quam integram refert Papebrochius in præmiſſis ad ejus Vitam, ubi & recitat literas Joannis Beltrami de Guevara Archiepiſcopi Salernitani, qui ejuſdem beatiſſimi Pontificis officium ſolemni ritu in tota ſua diœceſi recitari præcepit.

CXV. *Ejus ſepulchrum.* Sepultus eſt Salerni in Eccleſia Metropolitana Sancto Matthæo Apoſtolo, & Evangeliſtæ ſacra, in ſepulchro marmoreo, in quo Robertus Guiſcardus ejus corpus collocavit, ut refert Marcus Antonius Marſilius Columna, anno 1574 Archiepiſcopus Salernitanus creatus, in libro quem compoſuit de Vita & geſtis ac Translatione B. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, in quo ait: *Cujus*, ſcilicet Gregorii, *nos ipſi Reliquias*, *nulla ex parte labefactatas*, *Pontificiisque indumentis ornatas*, *hoc anno*, *qui eſt à tumulatione ferè quingenteſimus*, *propriis oculis inſpeximus*, *propriiſque manibus contrectavimus*. Licèt autem Robertus Guiſcardus menſe Julio ejuſdem anni 1085 in Illyrico obierit, par eſt tamen credere, illud ſepulchrum marmoreum literis ſuis erigi præcepiſſe, ſtatim ac mortem tanti Pontificis accepit, quem multis lachrymis deflevit. Guillelmus enim Apulienſis lib. 5 pag. 49, poſtquam Gregorium ſummoperè laudavit, de Roberto Guiſcardo ſcribit:

Dux non ſe lacbrymis audita forte coercet
Morte viri tanti: non mors patris amplius illũ
Cogeret ad lacbrymas, non filius ipſe, nec uxor,
Extremos etſi caſus utriuſque videret.
Magnus erat de morte dolor, quia magnus amoris
Vivere dum licuit, nexus conjunxerat illos,
Alter ab alterius nunquam diſceſſit amore,
Firmatæ quondam poſt mutua fœdera pacis.

CXVI. *Non eſt Auctor Dictatus ipſi adſcripti.* Propoſitiones quaſdam, ſeu effata nullatenus inter ſe cohærentia, nullaque temporis notâ conſignata Gregorii VII Regiſtro inſerta ſunt inter Epiſtolas quinquageſimam quintam libri ſecundi ad Laudenſis Eccleſiæ filios, & quinquageſimam ſextam ad Manaſſem Remenſem Archiepiſcopum datam, cum quibus nullam etiam habent connexionem. Illam farraginem, quam Gregorii VII *Dictatum* inſcribere neſcio quis auſus eſt, Cardinalis Baronius ad ſeptimam Synodum Romanam ab ipſo celebratam refert, nullius Auctoris teſtimonio, nulla ratione, imò nec probabili conjecturâ fultus. Quare Bellarminus, & Labbeus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Gregorii VII Opera recenſentes, ejus tantùm Epiſtolarum mentionem fecerunt, quòd, ut exiſtimat Annotator Baronii, nullum Auctorem coævum aut ſupparem hujus Dictatûs meminiſſe, aut eum ei aſcripſiſſe, nullumque ex ejus adverſariis de illo quæſtionem adverſùs ipſum moviſſe viderint, quod certè præſtitiſſent, & imprimis Benno ille maledicentiſſimus pſeudo-Cardinalis, & atrociſſimus calumniator: & denique quòd nuſquam Gregorius ipſe in ſuis Epiſtolis Dictatum laudaverit, ut alia ſua decreta: nullumque propoſitionum quarundam ex iis adeò ſingularium in ejus Regiſtro veſtigium extet. Articuli illi ſunt numero 27, quos jam aliqui viri docti confutarunt, & nuper Natalis Alexander in parte 2 Sæculi XI, & XII, Diſſert. 3.

VICTOR III *Pontif. CLVIII.*

Anno Domini MLXXXVI.

I. *Deſiderius Card. Pontificatum recuſat.* GRegorium VII ante tertium ſui obitûs diem, rogatum ab Epiſcopis, & Cardinalibus, qui aderant, quid de Romanæ Sedis ordinatione juberet, hortatum eſſe, ut Deſiderium, ex Principibus Beneventanis primùm Monachum, deinde Abbatem Caſſinenſem, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem tituli ſanctæ Cæciliæ, Pontificem facerent; quòd præter ſummam prudentiam, & religionem præcipuam, polleret ſingulari Principum benevolentia, & amicitia, ſuperius diximus ex Paulo Bernriedenſi in Gregorii VII Vita, & ex Leone Oſtienſi lib.

Digitized by Google

lib. 3 cap. 64; ſi verò hunc nullatenus flectere poſſent, aut Lugdunenſem Archiepiſcopum Hugonem, aut Ottonem Oſtienſem Epiſcopum, aut denique Lucenſem eligere quantocitiùs ſe defuncto ſtuderent. Sed defuncto Gregorio, Deſiderius omninò recuſans onus Pontificale ſuſcipere, ac ſtrenuè laborans pro alio ſubſtituendo, cùm intellexit publica, privataque omnium conſilia, votaque in eum tendere; vimque ei inferendam fore, Caſſinum aufugit: ſicque in his pertractandis & conſulendis totus elapſus eſt annus milleſimus octogeſimus quintus.

II. *Eligitur invitus, & Victor III appellatur.*

Imò cùm jam ferè annus integer in tali fluctuatione tranſiiſſet, quo in Sede Apoſtolica nullus Paſtor erat, tandem cùm diu, multumque laboratum eſſet à Catholicæ partis Cardinalibus, ut eligeretur Gregorii Papæ ſucceſſor, omnibus circa Paſchalem feſtivitatem anni milleſimi octogeſimi ſexti Romam convenientibus, Deſiderius Presbyter Cardinalis, de quo in ſuperioribus Pontificatibus non ſemel facta eſt mentio, ingenti deſiderio ab univerſo Clero & populo expetitus, cùm, nullis precibus & perſuaſionibus flecti poſſet, vi adhibita invitus ac renitens in Diaconiam ſanctæ Luciæ perductus, die vigeſima quarta menſis Maji, feſto Pentecoſtes ſacra, electus eſt Pontifex, ac Victor ejus nominis tertius appellatus; ſed non eſt conſecratus ante annum ſequentem milleſimum octogeſimum ſeptimum, quia poſt dies quatuor à ſua electione Româ egreſſus, inſignia Pontificatûs Terracinæ dimiſit, & Caſſinum ſe recipiens, rigidus in propoſito, nullis aliorum precibus, lachrymis, rationibus perſuaderi valuit ea reſumere: ſicque iterum totus annus milleſimus octogeſimus ſextus elapſus eſt. Hæc pluribus deſcribit Leo Oſtienſis, qui aderat, lib. 3, cap. 65, & ſeqq.

III. *Romæ conſecratur.*

Sequenti anno milleſimo octogeſimo ſeptimo, mediante Quadrageſima, apud Capuam Concilio Epiſcoporum congregato, ut refert Leo Oſtienſis laudatus cap. 67, Victor electus Pontifex, victus tandem precibus, & rationibus Præſulum, & Principum, qui adfuerant, ſuccubuit, & præteritam electionem crucis & purpuræ reſumptione firmavit, duodecimo ſcilicet Kalendas Aprilis, Dominica in Ramis Palmarum. Inde Caſſinum reverſus, ibidem Paſcha celebravit. Peractaque feſtivitate Romam perrexit, ac juxta civitatem Oſtienſem Tiberim tranſiens, cùm gravi infirmitate detineretur, extra porticum Sancti Petri tentoria fixit: & quoniam Guibertus Antipapa Eccleſiam Sancti Petri armata manu tenebat, ſtatim expugnata, & recepta eſt. *Dominico verò die poſt Dominicam Aſcenſionem multis Romanis, & omnibus ferè Tranſtiberinis ſolemniter cum maxima frequentia occurrentibus, præfatus electus*, ab Oſtienſi, Tuſculanenſi, Portuenſi, atque Albanenſi Epiſcopis *more Eccleſiaſtico conſecratus, & in Apoſtolica Sede locatus eſt ſeptimo Idus Maji.* Per octo autem circiter dies Romæ remoratus, ad Caſſinenſe monaſterium rediit, indeque non multò poſt Romam.

IV. *Sacram in Saracenos expeditionem ſuſcipit.*

Licèt autem Guibertus Antipapa poſt hæc Romam & ipſe acceſſerit, ac tum in Urbe, tum multis Italiæ locis ingentia mala ederet; interim tamen Victor, qui Paſtor legitimus gregis erat, vitans bella gerere adversùs Chriſtianos, quos indignatio, vel gratia Henrici ad tempus ab Eccleſia ſeparaverat, expeditionem militarem convertit adversùs Saracenos in Africa commorantes, Italiæ jugiter littora infeſtantes, Chriſtianoſque captivos abripientes: atque ex omnis ferè Italiæ populis exercitum congregavit, illiſque vexillum ſancti Petri tradens, ſub remiſſione omnium peccatorum in Africam direxit: ubi illi centum millia hoſtium occiderunt, captâ & exciſâ præcipuâ eorum urbe: & ne quis ambigeret *hoc abſque voluntate accidiſſe divina, illo die, quo Chriſtiani de Saracenis victoriam adepti ſunt, eo etiam Italiæ divinitus patefactum eſt*, inquit Leo Oſtienſis lib. 3, cap. 67, & ſeqq. De eadem Victoris III expeditione loquî videtur Bertoldus in Chronico ad annum 1088, loco ſcilicet non ſuo, ſed rem paulò aliter narrat: *His temporibus*, inquit, *Piſani, & Genuenſes, & alii multi ex Italia Africanum Regem Paganum hoſtiliter invaſerunt, & deprædata ejus terra, ipſum in quandam munitionem impulerunt, & eum deinceps Apoſtolicæ Sedi tributarium effecerunt*, quia ſcilicet hæc expeditio Victoris III Papæ nomine ſuſcepta eſt.

V. *Ab Hugone Archiepiſc. Lugdun. calumniis appetitur.*

Non Guibertum tantùm Antipapam, ſed & Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum, & Richardum Maſſilienſem Abbatem adverſarios habuit Victor Pontifex. Hugo enim Lugdunenſis immoderato Pontificatûs adipiſcendi deſiderio, quo flagrabat, fruſtratus, Richardo Maſſilienſi Abbati junctus, ſe ab ejus communione ſejunxit, Epiſtolamque ſcripſit ad Mathildem Comitiſſam, ex Chronico Virdunenſi Hugonis Flaviniacenſis, quod extat Tomo I Biblioth. Labbei in Tomum X Conciliorum translatam, in qua, licèt fateatur, ſe abſentem electionem Victoris canonicè factam approbaſſe, electumque legitimum Pontificem veneratum eſſe, valde tamen in illum blaterat: *Poſtquam*, inquit, *ad Montem Caſſinum pervenimus, ex ejuſdem familiaribus nobiſcum colloquiis, dum videlicet nefandiſſimos actus ſuos in auribus Epiſcoporum & Cardinalium jactanter recitare non erubeſceret, copioſiùs neceſſariò deprehendimus, quàm*

in-

Digitized by Google

intolerabiliter Deum in ipſius electione offenderimus. Quis enim niſi ex ipſius ore audiſſet, unquam crederet Henrico dicto Regi fidem eum dediſſe, ut de obtinenda Romani Imperii corona fideliter eum adjuvaret. Tota illa prolixa Epiſtola convitiis in hunc ſanctiſſimum Pontificem ſcatet.

VI. *Illis calumniis purgatur.*

Deſiderius enim, ſeu Victor III promiſerat quidem Henrico Regi ſuam apud Gregorium VII interceſſionem, ut Imperator crearetur, ſed optimè noverat Gregorium coronam Imperii ei non conceſſurum, niſi pœnitentiam ageret, Eccleſiæque ſatisfaceret, eamque hypotheſim involvebat Deſiderii promiſſum, ut explicat Natalis Alexander Sæc. 11, & 12, part. 1, cap. 1, art. 12. Ceterum quantùm Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiaſticæ libertatis ſtudioſus eſſet Victor, ipſemet demonſtravit, cùm Henricum jam excommunicatum non adierit, niſi ut eum ad pacem hortaretur, & ab everſione Caſſinenſis Monaſterii prohiberet. Hinc cum Regis Cancellario, aliiſque Miniſtris, quamvis amicis olim ſuis, excommunicatione pariter irretitis, comedere, bibere, orare noluit. Præcipienti Henrico, ut ſibi fidem juraret, ac monaſterium Caſſinenſe de manu ſua ſuſciperet, minaſque intentanti reſpondit; *ſe non modò monaſterii cauſa, ſed nec pro mundo quidem toto id facturum. Cùmque ipſius rigidum animum Imperator, & inflexibile propoſitum cerneret, iratus eſt valde: præcepitque Principi, ut acceptis ſecum nuntiis ſuis ad monaſterium pergeret, eiſque ipſum ille aſſignaret. Sed cùm Princeps multa illi bona ſæpe de Deſiderio locutus eſſet, eo tandem ad illum perducto, ita mutatus eſt, ut ipſe coram Principe amicum illum appellaverit, oraveritque, ut de acquirenda Imperii corona ipſe ſibi fautor exiſteret. Ea facturum ſe pro viribus Principe adſtante promiſit*, inquit Leo Oſtienſis lib. 3, cap. 49, qui ſtatim plura narrat, quæ oſtendunt, nonniſi per calumniam dici poſſe, Deſiderium adulatum eſſe Henrico, eum ad invadendum patrimonium Sancti Petri excitaſſe, & parvi pendiſſe Pontificias excommunicationes. Quanti autem Victor fecerit Gregorii deceſſoris ſui decreta, probat Beneventana Synodus, in qua ipſa renovavit.

VII. *Beneventi Concilium celebrat.*

Idem quippe Pontifex menſe Auguſti ejuſdem anni milleſimi ſeptuageſimi ſeptimi Synodum Epiſcoporum Beneventi celebravit, in qua egregia & luculenta oratione habita de præſentibus Eccleſiæ calamitatibus ac periculis, Guibertum Antipapam omni Sacerdotali officio & honore privavit, & ab Eccleſiæ communione ſegregatum renunciavit. Ibidem proſcripſit inveſtituras, & tam dantibus, quàm accipientibus aditus Eccleſiæ interclusus eſt. Vetitum ne Pœnitentia, & Communio ab Hæreticis & à Simoniacis, qui in Hæreticorum cenſentur numero, ſuſcipiatur; quia melius eſt ſine viſibili communione perſiſtere, & inviſibiliter Deo communicare, quàm ab Hæreticis vel Schiſmaticis ſumendo à Deo ſeparari. De Hugone autem Lugdunenſi & Richardo Maſſilienſi Abbate ibidem dixit Victor Pontifex: *Noſtis præterea & bene noſtis, quos dolos machinati ſint, quantaſque nobis preſſuras intulerunt Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Richardus Maſſilienſis Abbas, qui præ faſtu & ambitione Sedis Apoſtolicæ, ad quam dudum clàm inhiabant, ubi votis ſuis potiti non ſunt, ſchiſmata in Sancta Eccleſia fecerunt ...... Cernentes ſibi fratrum omnium unanimitatem conſtanter obluctari, ab eorum & noſtra ſunt continuò communione ſejuncti. Unde vobis Apoſtolica auctoritate præcipimus, ut ab eis abſtinere curetis, neque illis omninò communicetis, quia Eccleſiæ Romanæ communione ſua ſe ſponte privarunt.* Ita Victor III apud Leonem Oſtienſem lib. 3, cap. 71.

VIII. *Hugo Lugdun. à Victoris communione ſejunctus.*

Hugo quidem Lugdunenſis in altera Epiſtola ad eandem Mathildem Comitiſſam è chartulario Cluniacenſi edita in Spicilegii Dacheriani Tomo 2, & inde tranſcripta Tomo X Conciliorum editionis Labbeanæ, ita ſcribit: *Tandem ſcire vos volumus, ab unitate eorum, qua in corpore Sanctæ Eccleſiæ ad ſerviendum B. Petro divina dignatione compacti ſumus, nec diſceſſiſſe, nec in perpetuum, Deo miſerante, diſceſſuros, imò habere propoſitum Apoſtolicæ Sedis profectibus modis omnibus deſervire.* Ibidem etiam contra Cluniacenſes Monachos expoſtulat, quòd ipſum ab Eccleſiæ Romanæ communione diſceſſiſſe dicerent: *Inter alia autem*, inquit, *unum impudentiſſimè mentiuntur, quia à communione Romanæ Eccleſiæ nos ſponte noſtra ſejunximus; cùm teſtis nobis ſit conſcientia noſtra, & caritas, qua in Domino copulamur, nos non ſolùm communionem eorum non evitaſſe, ſed omnibus hoc perſuadentibus reſtitiſſe.* Sed cùm prior Epiſtola Hugonis ad Mathildem mendaciis & calumniis ſcateat, major fides habenda videtur Leoni Oſtienſi laudato, referenti Pontificem in Synodo dixiſſe, Hugonem & Richardum *Eccleſiæ Romanæ communione ſua ſe ſponte* privaſſe, & ab aliorum Epiſcoporum & Cardinalium communione ſe ſejunxiſſe, quàm Hugoni contrarium aſſerenti.

IX. *Victor PP. ad Deum migrat.*

Addit Leo Oſtienſis, loco laudato, Victorem Papam Beneventi in Concilio graviter infirmatum, poſt actum per tres dies Concilium, feſtinum petiiſſe Caſſinum, ac convocatis Epiſcopis & Cardinalibus, monuiſſe ac juſſiſſe, ut juxta Gregorii Papæ ſtatutum, Ottonem Epiſcopum Oſtienſem, ibi tunc præſentem, eligerent quampri-

primùm Pontificem: hiſque diſpoſitis, ſepulchrum ſibi in capituli monaſterii abſide parari juſſiſſe, ac poſt diem tertium feliciter migraſſe ad Deum *ſexto decimo Kalendas Octobris anno Dominicæ Incarnationis milleſimo octogeſimo ſeptimo*, cùm vixiſſet *in Sede Apoſtolica ab ipſo ſuæ electionis exordio anno uno, ſacrationis menſibus quatuor, dies ſeptem*. Eum *diſſenteriâ diſſolutum* obiiſſe ſcribit Sigebertus in Chronico ad annum 1086. Alii, ut Trithemius lib. 4 de Viris Illuſtribus ordinis Sancti Benedicti cap. 13, inſidiis Henrici Imperatoris periiſſe, veneno in ſacrum calicem, dum celebraret, injecto, ſuſpicionem fuiſſe ſcribunt; unde nonnulli martyris ei titulum dedêre, quòd hoc pacto ob Eccleſiæ defenſionem ab ejus inimicis veneno necatus poſſit dici.

X. *Ejus memoria, Reliquiæ, & ſepulchrum.* Certè Victorem III fuiſſe Pontificem Deo gratiſſimum ſanctitas vitæ miraculis comprobata teſtatur. Ipſum *compunctione timoris Dei plenum, caſtitate ſingularem, profeſſione & opere Monachum* Petrus Diaconus lib. de Viris Illuſtribus cœnobii Caſſinenſis prædicat. Ejus memoriam ipſa Septembris 16 die, quæ ei ultima fuit, celebrant Faſti Benedictini his verbis: *In monaſterio Caſſinenſi* obitus *B. Victoris Papæ III, ſanctitate vitæ, & miraculorum gloria clariſſimi*, & Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum. Sacra ejus oſſa ex antiquo ſepulchro in Sacellum Beati Bertharii tranſlata ſunt anno 1515. Cùm verò idem Sacellum, jam ab annis multis inchoatum, anno tandem 1666 planè conſummatum fuiſſet, Beati Pontificis Reliquiæ ſolemni pompa ibidem ad Altaris dexteram partem locatæ ſunt. Epitaphium quod hodie viſitur, inſcriptum ejus ſepulchro, quo eum ſexagenarium obiiſſe, & alia multa docemur, hîc ſubjicere abs re non erit.

Quis fuerim, vel quid, qualis, quantuſque doceri
Si quis forte velit, aurea ſcripta docent.
Stirps mihi Magnatum, Beneventus patria, nomen
Eſt Deſiderius, tuque Caſine Decus.
Intactam ſponſam, matrem, patriamque, propinquos
Sternens huc propero, Monachus efficior.
Abbas dehinc factus, ſtudui pro tempore totum,
Ut nunc aſpicitur, hunc renovare locum.
Intereà fueram Romana clarus in urbe,
Presbyter Eccleſiæ, Petre beate, tuæ.
Hoc ſenis luſtris minus anno functus honore,
Victor Apoſtolicum ſcando dehinc ſolium.
Quatuor & ſemis vix menſibus inde peractis
Bis ſex luſtra gerens, mortuus hîc tumulor.
Solis virgineo ſtabat lux ultima ſigno,
Cùm me Sol verus hinc tulit ipſe Deus.

XI. *Ejus opuſcula.* Libros quatuor Dialogorum de Sancti Benedicti, & Sanctorum Monachorum Caſſinenſium miraculis ſcripſit, teſte Petro Diacono laudato cap. 18, quorum tres priores editi ſunt Tomo XVIII Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunenſis, quarto nondum reperto, qui periiſſe videtur. *Cantum etiam Beati Mauri Compoſuit*, &c. *Factus Pontifex ſcripſit ad Philippum Regem Francorum, ad Ugonem Cluniacenſem Abbatem quamplures Epiſtolas*, inquit Petrus Diaconus loco citato.

URBANUS II *Pontif. CLIX.*

Anno Domini MLXXXVIII.

I. *Pontificia Comitia indicuntur.* Epiſcopis poſt Victoris III obitum huc illucque diſperſis, Romani & Mathildis Comitiſſa monebant ipſos, & hortabantur, ut convenientes in unum, Pontificem eligerent. Quare Epiſcopi unà cum Oderiſio Abbate Caſſinenſi congregati Romanos Clericos & laicos fideles admonuerunt, ut qui ex eis poſſent, prima Quadrageſimæ anni milleſimi octogeſimi octavi hebdomada Terracinam Campaniæ oppidum pergerent, & reliqui ſententiam ſuam per literas mitterent. Omnes itidem Campaniæ, Principatûs, & Apuliæ Epiſcopos & Abbates, literis admonuerunt, ut ad eundem locum eadem die convenirent; & qui non poſſent, conſenſum ſuum per literas, aut per idoneas perſonas aperirent. Obſervandum enim, quòd vidimus Victorem Papam de ſucceſſore ſuo decreviſſe, non imperando feciſſe, ſed ſicut deceſſor Gregorius fecerat, admonendo & exhortando, quod id temporum iniquitas poſtularet. Unde ii, ad quos pertinebat electio, ſcientes non poſſe, nec debere à morientibus Pontificibus ſucceſſores eligi, nullum abſque conſueti collatione ſuffragii nominatum evexerunt in thronum Apoſtolicum, ut Victore III factum vidimus.

II. *Otto Epiſc. Oſtienſis fit PP. & Urbanus II vocatur.* Quarta igitur feria primæ hebdomadæ Quadrageſimæ, ideſt, octavo Idus Martii, convenerunt apud Terracinam cum dictis Epiſcopis & Cardinalibus, Epiſcopi & Abbates ex diverſis regionibus numero quadraginta. Joannes Epiſcopus Portuenſis, & Benedictus Romanæ urbis Præfectus omnium Cardinalium, & Catholicorum, & omnium laicorum fidelium Romæ exiſtentium con-

ſenſum per literas attulerunt. Adfuerunt inſuper ex remotioribus & Ultramontanis partibus Legati, unà cum Mathildæ Comitiſſæ Nuntiis. Hi omnes congregati ſtatuerunt, ut per triduum ſpirituale jejunium fieret in abſtinentia, orationibus & eleemoſynis vacarent, peterentque ut perſona tanto apici idonea ſibi divinitùs oſtenderetur. Tandem dominico die adveniente in Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli rurſus convenerunt, & Ottonem Epiſcopum Oſtienſem, Pontificem Romanum elegerunt, ac Urbanum appellaverunt, qui *cum acclamatione & invocatione Sancti Spiritûs, ad Altare Beati Petri pertrahitur, & in Pontificali ſolio collocatur quarto Idus Martii*, nempe die duodecima menſis Martii Sancto Gregorio Magno Sacra, & in quam anno 1088 Dominica cadebat. Hæc pluribus deſcribit Petrus Diaconus Caſſinenſis, qui Auctarium appoſuit ad Leonem Oſtienſem, in Chronico Caſſinenſi lib. 4, cap. 2.

III. *Ejus patria & primordia ante Pontificatum.*

Otto, ſeu, ut alii ſcribunt, Odo in provincia Remenſi natus eſt, ut omnes conſentiunt; ſed alii eum natum volunt apud Caſtellionem, quod oppidum eſt ad Maternam Campaniæ fluvium, à Remorum urbe quatuor leucis diſſitum; alii in Lageriaco vico urbi viciniori; alii tandem in ipſa Remenſi Metropoli. Sed omnes certum eſſe affirmant, Ottonem in Eccleſia Remenſi educatum fuiſſe ſub diſciplina Sancti Brunonis, qui paulò poſt Cartuſiani Ordinis primus parens ac inſtitutor fuit. Factus eſt poſtea ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, ſed abjectis ſæculi curis Cluniacum receſſit, Priorque ejuſdem monaſterii à Beato Hugone inſtitutus eſt, atque paulò poſt à Gregorio VII Pontifice Romam accerſitus, Oſtienſiſque Epiſcopus creatus, ab eodem Sedis Apoſtolicæ Legatus in Germaniam miſſus, in ea regione maxima dexteritate & prudentia Eccleſiæ negotia difficillimis temporibus procuravit, multaſque injurias & calamitates pro Eccleſiæ & Sanctæ Sedis defenſione devoravit, ut videre eſt in Annalibus Baronii. Tum Gregorius VII, & Victor III ante mortem, ex ſuperius dictis, eum Pontificatu digniſſimum judicarunt. Ordericus Vitalis initio libri 10 ait, Petrum Leonis Elegiacos verſus de Urbano II edidiſſe, in quibus dicitur:

Canonicum Remis tulerat, Monachum Cluniacus Odonem
Roma vocat, facit hunc Hoſtia Pontificem.
Cùmque ſit Urbanus mutato nomine Papa,
Redditur expulſus integer Urbis honor.

IV. *Encyclicas per totum orbem literas miſit.*

Urbanus, ſtatim ac Eccleſiæ regimen ſuſcepit, encyclicas per totum Chriſtianum orbem Epiſtolas miſit, inquit Bertoldus in Chronico, ut non ſolùm omnes Chriſtifideles de ſua promotione certiores faceret, ſed & univerſo orbi declararet, ſe in omnibus Gregorii veſtigiis religiosè inhæſurum. Deſunt quidem ejuſmodi literæ, quia caremus ipſius Urbani Regiſtro, quod à Leone Oſtienſi (à Leone itidem Oſtienſi Epiſcopo, Marſicano dicto, Auctore Hiſtoriæ Caſſinenſis, quæ deſinit in morte Victoris III, omninò diverſo) *elaboratum* eſſe teſtatur Petrus Diaconus in libro de Viris illuſtribus; ſed earum diſertè meminit Ordericus Vitalis lib. 8. *Adhuc Guibertus*, inquit, *invaſor Apoſtolicæ Sedis Eccleſiam conturbabat, & adulando, vel perſequendo cunctos, quos poterat, ab unitate pacis ad ſuum ſchiſma pertrahebat. Odo nimirùm Comes Sutriæ nepos ejus erat, & Eccleſiaſticæ pacis fautores pluribus preſſuris coërcebat. Urbanus Papa confiſus in Domino Cœlorum, qui non relinquit virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, miſit Legatos, & Epiſtolas Romanæ auctoritatis Francis, & Græcis, aliiſque gentibus per Orbem conſtitutis, ut in fide Catholica irrefragabiliter perſiſterent, & omnem ſciſſuram à lege Dei, & Corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, callidè præcaverent. Solus Henricus Teutonum Princeps, & pediſſequi ejuſdem Guitberto cohærebant. Galli verò, Angli, aliæque gentes penè omnes per Orbem Urbano piè obſecundabant.*

V. *Ab Anglis non ſtatim agnoſcitur.*

Fallitur tamen Ordericus quando ſcribit, Anglos Urbanum Papam, ut legitimum Pontificem coluiſſe; Simeon enim Dunelmenſis in Hiſtoria ſua ad annum 1091 nos docet, Eccleſiam Anglicanam uſque ad eum annum, nec Guiberto Antipapæ, nec Urbano Pontifici obedire voluiſſe: *Erant duo*, inquit, *ut in Anglia ferebatur, qui dicebantur Romani Pontifices à ſe invicem diſcordantes, & Eccleſiam Dei inter ſe diviſam poſt ſe trahentes, Urbanus ſcilicet, qui primùm vocatus Odo fuerat Epiſcopus Oſtienſis, & Clemens, qui Vuibertus vocatus fuerat Archiepiſcopus Ravennenſis. Quæ res, ut de aliis mundi partibus ſileamus, per plures annos Eccleſiam Angliæ intantum occupavit, ut ex quo Gregorius, qui & Hildebrandus, defunctus fuit, nulli loco Papæ uſque ad hoc tempus ſubdi vel obedire voluerit. Sed Urbanum pro Vicario B. Petri Italia, Galliaque jam receperat.* Imò Angli ante annum milleſimum nonageſimum quintum, Urbanum ut legitimum Pontificem non coluerunt, licèt Sanctus Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, eum ut legitimè electum recepiſſet, ut videre eſt apud Baronium ad eum Chriſti annum, ubi loquitur de Concilio Anglicano in cauſa Urbani Papæ congregato.

VI. *Toletanum Archiep. totius Hiſpaniæ Primatem inſtituit.*

Cùm Saracenorum Hiſpaniæ res, ſedente Gregorio VII, jam profligatæ eſſent, Alphonſus hujus nominis VI Legionis, & Caſtellæ Rex Toletum firmiſſimum ditionis eorum propugnaculum aggreſſus eſt, urbe-

que,

Digitized by Google

SÆC.XI. URBANUS II.

que, diuturna & pertinaci obſidione anno Chriſti milleſimo octogeſimo quinto *octavo Kalend. Junii* in feſto Sancti Urbani Papæ & Martyris, ut habet Rodericus lib. 6, cap. 23, tandem expugnatâ, Alphonſus convocavit regni Proceres, Epiſcopos, & Abbates, ac Viros religioſos, & 15 *Kalend. Januarii omnes in urbe Regia convenerunt, & habito diligenti tractatu, dominum Bernardum, Virum religionis, & prudentiæ communiter, & concorditer in Archiepiſcopum elegerunt, & Rex incontinenti dotavit Eccleſiam liberaliter & honeſtè*, inquit Rodericus laudatus cap. 24. Tum Rex anno milleſimo octogeſimo octavo Bernardum Romam miſit, ut Pallium, Primâtumque totius Hiſpaniæ, & Galliæ Gothicæ, ſeu Occitaniæ ab Urbano II impetraret. Diploma Urbani, quo utrumque Bernardo conceditur, à Baronio recitatur. In illo ait Pontifex, *per annos 300 penè 70*, per quos Toletum ſub Saracenorum poteſtate gemuit, nullam illic viguiſſe Chriſtiani Pontificii dignitatem; nunc verò ſtudio Alphonſi Regis & labore populi Chriſtiani, Toletana civitate reſtituta, optare ſe ſtatum ejuſdem urbis ſtabilire, atque augere. *Te*, inquit ad Bernardum, *ſecundùm quod ejuſdem urbis conſtat extitiſſe Pontifices, in totis Hiſpaniarum regnis Primatem privilegii noſtri ſanctione ſtatuimus, & Primatem te univerſi Præſules Hiſpaniarum reſpicient, & ad te, ſi quid inter eos quæſtione dignum exortum fuerit, referent*. Ad Idelfonſum verò, ſeu ad Alphonſum Regem ſcribit: *Fratrem Bernardum venerabilem ejuſdem urbis præſulem, tuis exhortationibus invitati, dignè ac reverenter excepimus, & ei pallium contradentes privilegium quoque Toletanæ Eccleſiæ, antiquæ majeſtatis indulſimus. Ipſum enim in totis Hiſpaniarum regnis Primatum ſtatuimus, & quidquid Toletana Eccleſia antiquitùs noſcitur habuiſſe, nunc quoque ex Apoſtolicæ Sedis liberalitate, impoſterum habere cenſuimus*. Diploma, quo pallium & Primatus Bernardo conceduntur, datum eſt Anagniæ, *Idibus Octobris anno Dominicæ Incarnationis* 1088, *indictione undecima, anno Pontificatûs domini Urbani primo*; verùm loco, *indictione undecima*, legendum, *indictione duodecima* à Septembri inchoata, quo certum eſt eam Romæ toto ſæculo undecimo fuiſſe incœptam.

VII. *Tarraconenſem, & Narbonenſem Archiepp. ei parere cogit.* Adversùs illud privilegium, quaſi ſubreptitium reclamavit Archiepiſcopus Tarraconenſis, contenditque Archiepiſcopos Toletanos nullam olim juriſdictionem in ceteris Hiſpaniæ partibus exercuiſſe, quod tamen Urbanus ſupponebat. Sed Pontifex juſſit, ut ſine cunctatione Toletano Archiepiſcopo tanquam ſuo Primati pareret. Reclamavit etiam Archiepiſcopus Narbonenſis; verùm Pontifex ad querelas hujuſmodi compeſcendas, Bernardum Legatum ſuum per univerſam Hiſpaniam, & provinciam Narbonenſem conſtituit, ut faciliùs uterque ſeſe ei ſubmitteret, ut liquet ex literis Tomo X Concil. pag. 459, & ſeqq. recitatis. Succeſſores Pontifices Paſchalis II, Calliſtus II, Eugenius III, Anaſtaſius IV, & Hadrianus IV, Alexander III, & Innocentius III hunc Archiepiſcopi Toletani Primatum per Hiſpaniarum regna confirmarunt. Mariana lib. 9 cap. 19 de Rebus Hiſpaniæ, ubi de ejuſdem Primatûs origine diſſerit, ſcribit in Concilio Oecumenico Lateranenſi IV ſub Innocentio III, litem à Roderico Archiepiſcopo Toletano diſceptatam, qui reliquos Hiſpaniæ Metropolitanos vicit: non ita tamen ut Primatûs confirmationem à Patribus obtineret, ſed ut res in eo ſtatu manerent, quo ante Synodum fuerant. Concludit tandem, *Toletanos Præſules Primatum jura, & auctoritatem obtinuiſſe, ex quo tempore à Mauris Toletum recepta eſt: nunquam defuiſſe tamen qui obſiſterent auctoritati, detrectarent imperium: ac nec nunc quidem præter nomen ullam ejus poteſtatis partem exercent in alias provincias Hiſpaniæ: neque componendis certè litibus, neque ſontibus plectendis, neque legibus promulgandis*. Hujus etiam Primatûs originem & hiſtoriam examinat Marca in diſſert. de Primatibus num. 125, & ſeqq.

SÆC.XI. URBANUS II.

VIII. *Ejus opera officium Romanum in Hiſpania recipitur.* Bernardus Toletanus Archiepiſcopus ab Urbano Papa Hiſpaniarum Primas inſtitutus, Roma relicta per Toloſam rediens Concilium ibidem celebravit, indeque in Hiſpaniam tranſiens Toletanam Eccleſiam dedicavit, & Richardus Cardinalis Abbas ſancti Victoris Maſſilienſis, & ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Legatus in Hiſpania, *fuit ab Urbano Summo Pontifice revocatus*, ut ſcribit Rodericus Toletanus lib. 6, cap. 26; ſed antequam revocaretur Officium Romanum in Hiſpania, omiſſo Gotico ſeu Mozarabico, receptum eſt. Alphonſus VI Legionis & Caſtellæ Rex, Conſtantia Regina uxore, *quæ erat de partibus Galliarum*, rem promovente, ad Gregorium VII Legatos miſerat, ut priſca Gothorum inſtituta in rebus divinis procurandis antiquarentur, ut idem Rodericus laudatus cap. 25 habet: *Quia adhuc littera Gothica, & translatio pſalterii, & officium miſſæ inſtitutum ab Iſidoro, & Leandro Pontificibus, quod cum translatione & littera dicitur Toletanum, per totam Hiſpaniam ſervabantur, ad inſtantiam uxoris ſuæ Reginæ Conſtantiæ, quæ erat de partibus Galliarum, miſit Romam ad Gregorium Papam VII, ut in Hiſpaniis, omiſſo Toletano, Romanum ſeu Gallicum officium ſervaretur*. Poſtea Rex ſtatuit, ut Officium illud reciperetur, Gothico abrogato, ut conſtat ex Epiſtola 2 libri 9 à Gregorio VII ad Alphonſum data: *Noverit Excellentia*

 tua

Digitized by Google

tua, inquit, *dilectiſſime, illud unum admodum nobis, imo Clementiæ Divinæ placere, quòd in Eccleſiis regni tui matris omnium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ordinem recipi, & ex antiquo more celebrari feceris*. Sed Hiſpani, qui à veteri precandi ordine, & ab avitis cæremoniis ægerrimè diſcedebant, pervicaciter ſtatutis Regiis contradixerunt. Verùm cùm iterum à Richardo Cardinali Urbani II Legato, & ab Alphonſo Rege Officium Romanum ſeu Gallicanum recipere cogerentur, ante revocationem ejuſdem Legati, Clerus, & populus totius Hiſpaniæ turbatus eſt. Tandem, eodem Roderico cap. 26 teſte, placuit Primoribus populi rem non ratione, ſed ferro decerni. Duo Viri electi ſunt, quorum unus pro Romano, alter pro Gothico Officio, ſingulari certamine pugnarent. Ajunt viciſſe illum, qui pro Gothico præliabatur. Sed urgente Regis præcepto, & adhuc populo tumultuante, litem igni dirimendam tradiderunt. Uterque codex officiorum Romani, & Gothici, ſuccenſo rogo injectus eſt, & licèt Romanus igne conſumptus fuerit, Toletanus verò illæſus in igne manſerit, Rex tamen præcepit, ut Gallicanum officium in omnibus regni ſui finibus ſervaretur, tumque natum proverbium; *quò volunt Reges vadunt leges*. Ita Rodericus teſtis unicus, qui obiit anno 1245; alii enim recentiores hanc hiſtoriam, vel potius fabulam, ex ipſo deſumpſerunt, penes quem fides ſit. Idem tamen Rodericus teſtatur, in aliquibus Cathedralibus, & monaſteriis ritum Mozarabicum, ipſo vivente, cuſtoditum fuiſſe. Imò Toleti in antiquis Eccleſiis, quæ Mozarabum fuerunt, ſtatis anni diebus, res divina Gothico ritu etiam hodie peragitur, idemque fit Salmanticæ in Sacello doctoris Talabricenſis. Hæc acta ſunt anno 1089, vel ſequenti.

IX. *Legationem ex Synodo Romano in Germaniam decernit.*

Eodem anno milleſimo octogeſimo nono Urbanus Papa legationem decrevit in Germaniam Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo, inquit Bertoldus in Chronico, ut ordinationes improbandas improbaret, roborandas roboraret: ſententiamque anathematis confirmavit in Guibertum Antipapam, Henricum & fautores eorum, adhibita tamen diverſorum excommunicationis graduum diſtinctione. Quæ quidem in Synodo decreta fuiſſe, patet ex ejus Epiſtolæ fragmento ad Gebehardum ea de re ſcriptæ, quod Ivo part. 14 cap. 45 refert. Nam & idem Bertoldus teſtatur, Pontificem eodem anno generalem Synodum centum quindecim Epiſcoporum collegiſſe, & Eccleſiaſtica ſtatuta ſuorum prædeceſſorum confirmaſſe. Addit poſtea excommunicationes intantum propagatas eſſe eo tempore, ut Catholici vix ſe ab earum contagio poſſent illæſos cuſtodire: atque in Teutonicis partibus quinque tantummodò Epiſcopos in Catholica communione fortes perſtitiſſe, videlicet Wirceburgenſem, Patavienſem, Wormatienſem, Conſtantienſem, & Metenſem. Hac de re vide dicta in geſtis anni 1077 ſub Gregorio VII, num. LXIV.

X. *Solicitus eſt pro extinguendo Græcorum ſchiſmate.*

Urbanus Pontifex celebrata Synodo, Terracinam perrexit, qua ex urbe, quæ nunc eſt in Campania Romana, in Siciliam ivit, teſte Malaterra lib. 4, cap. 13; eaque trajecta Troynam, ſeu Trajanopolim Siciliæ oppidum ad Rogerium Comitem inviſendum acceſſit. Rogerius Roberti Guiſcardi quondam Ducis frater, qui Buteram, oppidum etiam Siciliæ in valle Neotina, Principatûs titulo clarum tunc obſidione cingebat, audito Urbani Pontificis adventu, confeſtim eâ ſolutâ, Pontifici obviam occurrit. Hujus profectionis Urbani Papæ cauſam hanc fuiſſe exiſtimo. Alexius Græcorum Imperator Latini nominis hoſtem ex profeſſo agebat, & Latinis uſum azymorum interdixerat. Prætereà Concilium generale apud Conſtantinopolim indixerat, ut Græcorum & Latinorum diſſidium diſputatione dirimeretur, Pontifici uno dimidiatoque anno aſſignato, quo ad illam urbem ſeſe conferre poſſet; ſed cùm Pontificem hoſtes in Italia nimiùm urgerent, illam profectionem inſtituere non poterat. Quare in Siciliam perrexit ad Rogerium Comitem, ejuſque operam adhibuit, ad ſchiſma Græcorum extinguendum, horumque de azymis querelas ſedandas. Hæc omnia conſtant ex Malaterra laudato. Quid poſtea hac in cauſa egerint Alexius Imperator & Rogerius Comes, me latet. Sed ex hac narratione mihi inferri poſſe videtur, commentitium non eſſe, ut quidam opinati ſunt, quod ſcribit Bertoldus laudatus, poſtquam de Synodo Romana ſermonem habuit, Urbanum ſcilicet Pontificem per Legatos ſuos Alexium Imperatorem Conſtantinopolitanum ab excommunicatione abſolviſſe, licèt id nullus alius Hiſtoricus, ſive Latinus, ſive Byzantinus in literas miſerit; argumentum enim inficiativum nullius eſt ponderis, præſertim cùm Auctor coævus ipſi adverſatur.

XI. *Unionem Eccleſiæ Canuſinæ cum Barenſi confirmat.*

Eodem pariter anno milleſimo octogeſimo nono idem Pontifex autumnali tempore Barium in Apulia venit, ubi Sancti Nicolai corpus nuper ex Oriente delatum viſitavit, Eliam Archiepiſcopum Barenſem conſecravit, eique *integrum Barenſem, qui & Canuſinus eſt, Archiepiſcopatum* confirmatum literis *apud Barum indictione* 13, *nono Octobris datis*. Cùm enim anno circiter octingenteſimo quadrageſimo Canuſium, celebre olim ad Aufidum fluvium oppidum, à Saracenis dirutum fuiſſet, Angelarius Canuſinus Epiſcopus, à Clero, populoque Barenſi in Epiſcopum electus fuit,

&

Digitized by Google

& paucis poſt annis à Romano Pontifice ſtatutum, ut utrique ſedi deinceps unus præeſſet, qui & Barenſis & Canuſinus diceretur.

XII. *Concilium Melphiæ celebrat.* Antequam Urbanus Papa Barlum pergeret, Synodum Melphiæ menſe Septembri celebravit, cui adfuerunt Epiſcopi ſeptuaginta, & Abbates duodecim. Annum celebrationis hujus Concilii eruit Labbeus ex Codice MS. Romano, in quo annus 1089 diſertè notatur: *Anno Dominicæ Incarnationis* 1089, *Pontificatûs Domini Urbani Papæ II, Indictione duodecima, IV Idus Septemb. congregata eſt apud Melphiam Apuliæ urbem ejus juſſu Synodus Epiſcoporum LXX, Abbatum XII;* ubi tamen loco *indict. duodecima, IV Idus Septemb.* legendum, *indict. decimatertia, V Idus Septemb.* ita ut unitas adjiciatur indictioni, non verò Idibus; anno enim 1089 menſe Septembri indictio decimatertia in curſu erat. Quare error irrepſit in Chronicon Romualdi Salernitani, in quo quidem rectè legitur Concilium celebratum *menſe Septembri, indictione XIII*, ſed hæc malè jungitur cum anno 1090. Concilium enim anno 1089 celebratum, Lupus Protoſpata rei geſtæ æqualis etiam ſcribit; neque id in dubium revocari debet, cùm Joannes Romanæ Eccleſiæ Diaconus & Cancellarius in Epiſtola ad Abbatem Moliſmenſem, quam recitat Labbeus Tomo X Concil. pag. 479, dicat: *Secundo Pontificatûs ſui anno Dominus noſter Urbanus Papa Concilium apud Melfiam urbem Apuliæ celebravit .... Hoc ſanè Concilium Melfitanum celebratum eſt anno Dominicæ Incarnationis* 1089 .... *Quæ autem ſcribimus præſentes nos & audiſſe, & vidiſſe noſcatis.* Menſem etiam celebrati Concilii nos docet Joannes Archidiaconus Barenſis apud Baronium anno 1091 num. 14. *Electo*, inquit, *Elia in Archiepiſcopum Barii voluntate atque conſenſu Ducis Rogerii filii Ducis Roberti Melfiam Papam Urbanum adivimus, qui ibidem Synodum celebrabat menſe Septembri, quem rogavimus ut uſque Barum deſcenderet.* At ex mox dictis Elias conſecratus eſt Barenſis Archiepiſcopus anno 1089, indictione XIII, die 9 Octobris. Nulla itaque de hujus Concilii epocha quæſtio amplius moveri poteſt.

XIII. *In eo Rogerium de Apuliæ Ducatu inveſtit.* Eo in Concilio Rogerius Apuliæ & Calabriæ Dux *ligius homo* Urbani Papæ *effectus, promiſit jurejurando ſe ſervaturum fidem Romanæ Eccleſiæ & eidem Papæ, ejuſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus: Accepit per vexillum ab eo terram cum Ducatûs honore*, inquit Romualdus Salernitanus in Chronico. Treugam Dei ab omnibus obſervandam ſtatuit idem Concilium, ut habet Lupus Protoſpata in Chronico: *Anno* 1089, inquit, *facta eſt Synodus omnium Apulienſium, Calabrorum, ac Brutiorum Epiſcoporum in Civitate Melfiæ, ubi adfuit etiam Dux Rogerius cum univerſis Comitibus Apuliæ, & Calabriæ, & aliarum provinciarum, in qua ſtatutum eſt, ut Sancta Trevia retineretur ab omnibus ſubjectis.* Canones ſexdecim in eo Concilio conditi extant Tomo X Concil. in quibus cùm nullus ſit, qui de Treuga Dei loquatur, patet alios hujus Concilii Canones deſiderari. Inveſtituræ Canone octavo prohibitæ ſunt.

XIV. *Mathildem tum VVelphone Duce matrimonio jungit.* Cùm autem probè ſciret pius Pontifex Catholicos in Eccleſia raros haberi, ſchiſmaticos verò multiplicari, non dubitavit, quin Henricus Germaniæ Rex in Italiam rediret, & Mathildem Comitiſſam, Romanam Eccleſiam protegentem, ad ſummas anguſtias redigeret. Quapropter ei ſuaſit, ut Welphonem Juniorem Bavariæ Ducem hujus nominis V ſibi matrimonio copularet. Mathildis, quæ tunc quadragenario major erat, ut Romano Pontifici morem gereret, huic matrimonio conſenſit, ſed ita ut nunquam voluerit commiſceri viro: *In Italia*, inquit Bertoldus ad annum 1089, *nobiliſſima Dux Mathildis, filia Bonifacii Marchionis, ſed vidua Godefridi Ducis, Welphoni Duci filio Welphonis Ducis conjugio copulatur, & hoc utique non tam pro incontinentia, quàm pro Romani Pontificis obedientia, videlicet ut tantò virilius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ contra ſchiſmaticos poſſet ſubvenire.* Subdit deinde hoc conjugio Henricum Imperatorem valde triſtatum eſſe, eundemque Ducem terrori fuiſſe ſchiſmaticis.

XV. *S. Brunonem Cartuſiani Ordinis fundatorem Romam vocat.* Sanctus Bruno Colonienſis, ac dein Remenſis Canonicus, mores corruptos ſæculi peroſus, vitæ ſolitariæ deſiderio eremum petiit, & Cartuſiam in Epiſcopatu Gratianopolitano fundavit anno milleſimo octogeſimo quarto, ut pluribus probat Annotator Baronii ad annum 1086; ſed *cùm non totos ſex annos*, inquit ejus Vitæ Auctor cap. 16 & ſeqq. apud Surium ad diem 6 menſis Octobris, in exigua ſua & Sancta ſodalitate exegiſſet poſt ordinis Cartuſienſis fundationem, Urbanus II, *qui olim Sancti viri diſcipulus fuerat*, accivit eum *per literas ad Sanctæ Eccleſiæ præſtanda officia, graviter præcipiens ne venire ad Urbem cunctaretur.* Verùm cùm eo recedente, ejus ſocii nullam conſolationem admitterent, nec in Cartuſia manere vellent, Bruno locum dedit *venerabili Viro Siguino Abbati Caſæ-Dei, qui fuit unus ex primis donatoribus, ſed tamen id fecit, ut omninò conſtitueret reverti cum ſuis ad Cartuſiam.* Idem habet Auctor Anonymus libelli *de Inſtitutionibus Ordinis Ciſtercienſis* à Labbeo Tomo I Biblioth. pag. 638 publicatus, quo ait: *Relicto ſæculo eremum Cartuſiæ fundavit, & rexit ſex annis. Qui, cogente Papa Urbano, cujus quondam præceptor fue-*

Digitized by Google

fuerat, *Romanam perrexit ad Curiam*. Cùm itaque Sanctus Bruno Cartuſiam fundaverit anno 1084, & poſt ſex regiminis annos Romam vocatus fuerit, ejus Romam acceſſus ad annum 1090 pertinet, qui annus diſertè legitur in charta à Joanne Columbi in Diſſertat. de Cartuſianorum initiis n. 108 producta. *Qui, cogente Papa Urbano*, inquit Auctor libelli laudati apud Labbeum, *cujus quondam præceptor fuerat*, *Romanam perrexit ad Curiam*, *eumdem Papam ſolatio & conſilio in Eccleſiaſticis negotiis juvaturus*. *Sed cùm tumultus & mores Curiæ ferre non poſſet*, *relictæ ſolitudinis & quietis amore flagrans*, *relictâ Curiâ*, *contempto etiam Archiepiſcopatu Rhegienſis Eccleſiæ*, *ad quem ipſo Papa volente electus fuerat*, *in Calabria eremum*, *cui Turris nomen eſt*, *ſeceſſit*, *ibique laicis & Clericis quamplurimis adunatis*, *ſolitariæ vitæ propoſitum*, *quamdiu vixit*, *exercuit*. Per quinquiennium, ideſt, uſque ad annum 1095 Romana in Curia manſiſſe Brunonem, & poſtea in Calabriam ſeceſſiſſe, eruitur ex Auctore Vitæ ejus laudato, qui tradit, Sanctum Brunonem Calabriam petiiſse, antequam *Pontifex è Placentia abiret in Gallias*, celebrato nempe anno 1095 Concilio Placentino, ideoque per quinque annos manſit in Curia Romana, ejuſque operâ Urbanus Papa uſus eſt. Porrò Caſa-Dei celeberrimum erat monaſterium diœceſis Claromontenſis in Arvernia, de quo vide dicta in S. Leone IX, qui S. Robertum primum Abbatem ibi conſtituit.

XVI. *Gotfridum Carnotenſem Epiſc. deponit.*

Gotfridus Epiſcopus Carnotenſis, nepos Gotfridi Pariſienſis Epiſcopi, hujus gratia & auctoritate Epiſcopatum adeptus fuerat. Sed ejuſdem dignitatis Candidatis eum ſimoniæ arguentibus, diu Romæ hac de cauſa detentus eſt ſub Gregorio ſeptimo; at cùm deficerent, qui iſta probarent, teſtes, permiſsum ab eodem Pontifice, ut ſe ipſum juramento purgaret; ſicque purgatus Româ ad ſuam eſt reſtitutus Eccleſiam, ut ejuſdem Gregorii Papæ literæ 26 & 31 libri 9 ſignificant. Verùm cùm poſtea ejuſdem Epiſcopi crimina planè innotuiſsent Apoſtolicæ Sedi, Urbanus eundem Gotfridum, Sede Carnotenſi depoſuit; Ivo enim Carnotenſis ejus ſucceſſor, teſtatur eum, cùm ſeſe purgare non valeret, virgam paſtoralem & annulum reddidiſse, ut legitur in ejus Epiſtola octava. Gotfrido itaque & ſuo, & Summi Pontificis judicio è Sede Carnotenſi dejecto, facta eſt poteſtas Clero Carnotenſi alterius ſubrogandi, & Ivo omnium calculis electus. Renitebatur quidem, ſed tandem Cleri, populique poſtulationi obtemperavit. Verùm licèt à Rege accipiendi Epiſcopatûs facultatem facilè obtinuerit, nuſquam tamen à Richerio Senonenſi Archiepiſcopo Metropolitano ſuo impetrare potuit, ut diem illi ad conſecrationem præfigeret, quod ipſemet Ivo in laudata Epiſtola octava ad Clerum & populum Carnotenſem data aſſerit.

XVII. *In ejus locum Ivonem conſecrat.*

In eadem Epiſtola Ivo teſtatur, ſe ab Urbano Papa conſecratum fuiſſe; his enim verbis Metropolitanum ſuum alloquitur: *Sed cùm Clericorum primò ingenio*, *poſtea violentiâ Regis fuiſſem præſentatus*, *& inde cum virga paſtorali à Rege mihi intenſa*, *ad Eccleſiam Carnotenſem adductus*, *cùmque Clericis petentibus & pulſantibus nullum diem conſecrationis meæ velletis præfigere*, *intereà conſilium mihi fuit*, *electioni eorum non omnimodè aſſenſum præbere*, *donec certior fierem*, *& de Gaufridi depoſitione*, *& de Summi Pontificis voluntate*: *ad quem cùm perveniſſem*, *ad petitionem Eccleſiæ Carnotenſis Apoſtolica auctoritate ſum conſtrictus*, *& in Epiſcopum conſecratus*. Hanc Epiſtolam, & ſimul aliam Urbani II Clero & populo Carnotenſi datam *Capuæ octavo Kalendas Decembris*, qua teſtatur ſe Ivonem conſecraſſe, rogatque ut eum benignè ſuſcipiant, ac præcipuè ne quis Gotfrido ad Epiſcopatum rursùs invadendum *aſſenſum accommodare præſumat*, Baronius ad annum 1092 recitat, eodemque anno Ivonem ab Urbano Papa Capuæ conſecratum ſcribit. Sed ejus Annotator ad eundem annum num. 4, & ſeqq. pluribus probat, Ivonis, Canonicorum Regularium Sancti Quintini Bellovacenſis Præpoſiti hoc tempore celeberrimi, ordinationem ab Urbano II factam, retrahendam eſſe ad annum 1090.

XVIII. *Urbano abſente Guibertus Antipapa Roma recipitur.*

Anno milleſimo nonageſimo primo Urbanus Papa in finibus Campaniæ morabatur, & ab omnibus Catholicis debitâ reverentiâ colebatur, ab Alexio nempe Imperatore Conſtantinopolitano, à Philippo Francorum Rege, aliiſque Principibus, excepto Germaniæ regno, in quo multi ex Catholicis ad ſchiſmaticorum partes tranſierant. Romani itidem, qui anno milleſimo octogeſimo nono Guibertum Antipapam Româ expulerant, iterum Romam intrare permiſerunt, capto priùs per dolum caſtello Sancti Angeli, quod huc uſque fuerat in poteſtate Pontificis, qui *Romam facilè cum exercitu intrare*, *& rebellium contumaciam domare potuiſſet*, *ſi non magis cum manſuetudine cauſam ſuam agere delegiſſet*, inquit Bertoldus Couſtantienſis in Chronico ad eum Chriſti annum.

XIX. *Urbanus PP. Concilium Beneventi celebrat.*

Beneventi exiſtens idem Urbanus Pontifex, eodem anno milleſimo nonageſimo primo, Concilium celebravit, in quo Guibertum Antipapam, omneſque ejus complices excommunicavit, ut ſubdit idem Bertoldus: *Urbanus Papa generalem Synodum Beneventi collegit*, *& ſententiam anathematis ſuper Guibertum hæreſiarcham*, *& omnes ejus com-*

Digitized by Google

complices Synodali judicio confirmavit. Baronius in eo Concilio factum putat, quòd Urbanus Papa reſidenti cum aliis Abbatibus S. Petro Cavenſi Abbati, alumno monaſterii Cluniacenſis tribuerit uſum mitræ, ut in Actis vitæ ipſius deſcribitur apud Surium die 7 Aprilis, his verbis: *In Synodo ei more ſuo capite nudo reſidenti Sanctæ memoriæ Papa Urbanus Pontificalem inſulam miſit*, nempe mitram, *quam utique vir Domini, & pro Summi Pontificis reverentia venerabiliter recepit, & officioſiſſimè ſalutavit, & tamen ejuſdem Sacerdotalis mitræ uſum, etiam rogante Papa, contempſit. Quod non ob aliud feciſſe creditur, niſi ut quorundam arrogantiam humilitatis exemplo condemnaret, qui dum ſe inaniter extollunt, indebitos ſibi Sanctæ Eccleſiæ honores non metuunt uſurpare*. Urbanum II idem privilegium Abbati Cluniacenſi conceſſiſſe legitur in Bibliotheca Cluniacenſi, ubi ſimile privilegium extat, & Petrus Diaconus lib. 4 Chronici Caſſin. cap. 17 ſcribit, eundem Urbanum facultatem dediſſe Abbati Caſinenſi utendi compagis, chirotecis, dalmatica, & mitra, quod idem poſtea aliis alii Pontifices indulſerunt, fruſtra reclamantibus S. Bernardo Abbate in Epiſtola 42, & Petro Bleſenſi Epiſtola 90, qui hac de cauſa Abbates ambitionis notant.

XX. *Tarraconenſi Archiepiſcopatus reſtitutio ab Urbano PP. petitur.*

Berengarius Epiſcopus Auſonenſis, cujus Eccleſiæ, jam inde à temporibus Joannis XIII Papæ, unita erat Eccleſia Tarraconenſis, anno milleſimo octogeſimo nono Romam ad Urbanum Papam ſe contulit, ut ab eo impetraret reſtitutionem Metropolitani in provincia Tarraconenſi, quæ per quadringentos annos Archiepiſcopo Narbonenſi ſubjecta fuerat. Urbanus literas dedit ad Berengarium hujus nominis III Barcinonenſem Comitem, Ermengaudum Urgellenſem, & Bernardum Biſuldunenſem, quibus hortatus eſt, ut darent operam reſtituendæ Eccleſiæ Tarraconenſi, ut ibi Cathedra Epiſcopalis haberi poſſet, *ſalva tamen Eccleſiæ Narbonenſis juſtitia*: quibus verbis, inquit Baluzius lib. 4 Marcæ Hiſpanicæ ad annum 1089, certum eſt Urbanum ſtatuiſſe, ut novus Epiſcopus Tarraconenſis ſubjectus eſſet Archiepiſcopo Narbonenſi tanquam proprio Metropolitano. Pollicitus eſt tamen ſe antiquam dignitatem Metropolicam Tarraconenſi Epiſcopo tributurum, *ſi Romani auctoritate privilegii Tarraconenſem provinciam canonicè vendicare Narbonenſis Antiſtes nequiret*, ut ait Urbanus in literis ſuis datis *Romæ Kal. Julii indictione XII*, ideoque anno 1089, Literas illas recitat Baluzius in Appendice Marcæ Hiſpanicæ.

XXI. *Urbanus PP. Metropolicum jus Tarraconenſi Eccleſiæ reſtituit.*

Dalmatius Archiepiſcopus Narbonenſis ad Apoſtolicam Sedem acceſſit, *& præjudicium ſibi factum de Tarraconenſium Epiſcoporum ſubtractione per Romanam Eccleſiam ſuppliciter intimavit*, inquit idem Papa in Epiſtola ad Raynerium Legatum ſuum data, & ab eodem Baluzio in Appendice libri de Primat. tit. 6 publicata. Sed cùm non haberet privilegia Sedis Apoſtolicæ, quæ oſtenderent, Primatum ſibi in Tarraconenſem provinciam competere, ſcripſit Pontifex ad eundem Legatum, ut ſi privilegiorum nequiverit auctoritas inveniri, ille cum Comitibus, ad quos priores literæ datæ ſunt, ſtudeat reſtaurandæ Eccleſiæ Tarraconenſi. Quare cùm Berengarius Barcinonenſis Comes Tarraconenſem civitatem Romanæ Eccleſiæ donaſſet, ut conſtat ex inſtrumento donationis, quod extat inter Epiſtolas Urbani II, ſub *ea ſcilicet deliberatione*, inquit Berengarius, *ut ego & mei poſteri omnes, ſicut ſupra ſcriptum eſt, teneamus hoc totum per manum & vocem ſancti Petri, ejuſque Vicarii Romanæ Sedis Apoſtolici, per quinquennium perſolventes ei cenſum viginti quinque librarum puriſſimi argenti ad juſtum penſum*; & ex alia parte, quia Dalmatius Narbonenſis nullum potuit proferre reſcriptum Apoſtolicum legitimum ad jus ſuum tuendum, Urbanus Papa anno milleſimo nonageſimo primo jus Metropolicum auctoritate ſua reſtituit Eccleſiæ Tarraconenſi, ad quam tranſtulit Berengarium Auſonenſem Epiſcopum, eodemque decreto Auſonenſem Eccleſiam univit Tarraconenſi. Ex quo tempore ceſſavit auctoritas Archiepiſcopi Narbonenſis in ea parte Marcæ Hiſpanicæ, quæ trans Pyrenæos ſita eſt. Literæ Urbani, quibus jus Metropolicum reſtituitur Eccleſiæ Tarraconenſi, extant apud Baronium, ſcriptæque ſunt *Capuæ Kal. Julii*.

XXII. *Salerni Eccleſiam SS. Trinitatis conſecrat.*

Anno milleſimo nonageſimo ſecundo Urbanus Papa in provinciam Picentinorum ſe contulit, atque apud Salernum, ad nobile monaſterium ſanctæ Trinitatis ad Cavam Metallianam dictum perrexit, ut Baſilicam illic in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis erectam ſacris ritibus conſecraret, quod & feliciter perfecit, cujus rei memoria in lapide parieti affixo conſervata eſt. Eccleſiâ verò dedicatâ Cavenſe monaſterium ampliſſimo privilegio, & immunitate ab Epiſcopi Salernitani juriſdictione donavit. Illud integrum recitat Baronius ad annum milleſimum nonageſimum ſecundum.

XXIII. *Trojanum Concilium celebrat.*

Sequenti anno milleſimo nonageſimo tertio *Dominus Papa Urbanus generalem Synodum centum pene Epiſcoporum in quadrageſima ex diverſis provinciis in Apulia congregavit, & diverſis Eccleſiarum neceſſitatibus Synodali proviſione competenter ſuccurrere curavit*, inquit Bertoldus in Chronico ad eundem annum. Hanc Synodum Trojæ celebratam eſſe teſtantur Romualdus Saler-

Digitized by Google

lernitanus Archiepiſcopus in ſuo itidem Chronico, & Ivo Carnotenſis part. 9 cap. 53, ubi ejus fragmentum ex libro primo c. 7 Chronici Caſſinenſis recitat, & canonem famoſiſſimum in ea editum de conjugiis conſanguineorum diſſolvendis memorat, ſed ſine ullo temporis charactere; ex quo factum eſt, ut Baronius, Binius, aliique duas Synodos Trojanas ab Urbano II celebratas crediderint; quem errorem refellit Labbeus Tomo X Conciliorum, oſtenditque unicam anno 1093 ab eodem Pontifice collectam Trojæ Synodum, cui adfuerunt, ex Ivone Carnotenſi, Epiſcopi 75, Abbates 12, quod confirmat idem Labbeus ex codicibus MSS. in quibus hæc leguntur: *Anno dominicæ Incarnat.* 1093, 5 *Idus Martii convenit Trojæ in Apulia Concilium Epiſcoporum ferè* 75, *Abbatum* 12. Subditur ibidem actum in eo fuiſſe *de quibuſdam intra conſanguinitatis lineam copulatis*, & aliqua capitula promulgata, inter quæ hoc unum fuit: *Si quis Treviam Dei* (ſeu Treugam Dei, de qua in Alexandro II nu. XXXVII locuti ſumus) *fregerit, uſque tertiò ad ſatisfactionem ab Epiſcopo moneatur. Quòd ſi nec tertiò ſatisfacere conſenſerit, Epiſcopus vel cum Metropolitani conſilio duobus aut uno vicinorum Epiſcoporum in rebellem anathematis ſententiam dictet, & per ſcripturam Epiſcopis denuntiet*. Quod attinet ad decretum de conjugiis conſanguineorum diſſolvendis, illud non ſolùm in codicibus MSS. refertur apud Labbeum laudatum pag. 493, ſed etiam pag. 475 ex Ivone Carnotenſi, cum hoc tamen diſcrimine, quòd in priori loco ita definit: *Si ſe judicio Epiſcoporum ſegregaverint, quia juvenes ſunt, alia matrimonia contrahere prohibeantur*; cùm tamen in poſteriori loco, ex Ivone ita, & quidem, ut mihi videtur, rectiùs habeatur: *Si ſe Epiſcoporum judicio ſegregaverint, ſi juvenes ſunt, alia matrimonia contrahere non prohibeantur*. Legitur etiam illud decretum apud Gratianum 35, quæſt. 5, cap. 4, & apud Magiſtrum Sententiarum diſt. 7 c. 41.

XXIV. *Conradus Henrici Imperat. filius in patrem rebellat.*

Henricus Imperator anno milleſimo nonageſimo ſecundo ex Italia in Germaniam rediit, Conrado filio, jam tum regni ſui hærede deſignato, in Italia relicto, ut *ſe graſſanti Mathildi, & penè totam Italiam ſibi vendicanti, opponeret, & regnum, quod futurum erat ſuum, de manu fœminæ tolleret*, inquit Auctor Anonymus Vitæ Henrici Imperatoris, qui potius dicendus eſt ejus encomiaſtes; quique paulò poſt ſcribit: *Filius Imperatoris, quem in Italia relictum à patre, & quam ob cauſam relictum diximus, à Mathilde perſuaſus* [*quem enim aſtutia fœminea non ſubvertat aut decipiat?*] *junctis* (junctus) *inimicis patris coronam ſibi impoſuit*. Bertoldus etiam in Chronico ad annum 1093 Conradum ab Henrico patre diſceſſiſſe, & à Mediolanenſi Archiepiſcopo Anſelmo coronatum eſſe Regem, annuente Welphone, & ejus cariſſima conjuge Mathilde, ſcribit. Ab hoc tempore Catholicorum in Italia arma prævaluere; cùmque Welpho Senior Bajoariæ Dux in Italiam deſcendiſſet, copiaſque ſuas cum Mathildis, & aliorum fœderatorum copiis junxiſſet, Henricum Imperatorem ad magnas anguſtias redegit. Nam, ut inquit Malmesburienſis lib. 3 de Reg. *æquiori, ut videbatur, cauſæ affuit militia Mathildis Marciſæ* (ideſt Marchioniſſæ) *quæ oblita ſexûs, nec diſpar antiquis Amazonibus, ferrata virorum agmina in bellum agebat fœmina*. Conradus porrò filius Imperatoris, non prius Longobardiæ Rex coronatus eſt, quàm veniſſet ad Urbanum Papam, à quo *ſolutus ab excommunicatione, in Longobardia regnavit contra patrem*, inquit Dodechinus in Chronico, qui addit: *Erat denique Conradus iſte omni bonitate, & probitate conſpicuus, humilis, & modeſtus, qui paucos annos ſupervivens, poſtquam coronatus eſt, immaturè obiit*.

XXV. *Hujus defectionis cauſa.*

Auctor quidem Vitæ Henrici Imperatoris, Conradi à patre defectionis cauſam tacet; ſed eam referunt Dodechinus laudatus, & Helmoldus in Chronico Sclavorum, Scriptores Germani, iis temporibus ferè proximi, qui tradunt, Henricum Imperatorem, cùm acerbum in Adelaidem conjugem, ab Auctoribus coætaneis Praxedem etiam appellatam, odium concepiſſet, & ad cetera illata probra, Nicolaitarum more, multis eam ſtuprandam proſtraviſset, idem Conrado filio, ut faceret, imperaſſe; eumque ſe tanto ſcelere obſtringere recuſantem, filium ſuum eſſe negaſſe, ſed filium eſſe affirmaſſe cujuſdam Principis de Suevia, cujus faciem prædictus Conradus plurimum aſſimilavit. Quæ calumnia, viſque illata caſtiſſimæ Reginæ, ipſum ad rebellandum patri adegerunt. De hac Regina infra ſermo redibit. Sed hìc obſervandum Adelaidem non fuiſſe matrem Conradi, eam enim in conjugem accipere non potuit ante annum 1084, quo coronatus eſt Romæ cum Bertha priori uxore; ideoque ſi Conradus filius fuiſſet Adelaidis, non potuiſſet anno 1093 à patre compelli, ut eam conſtupraret, quia tunc annos ad ſummum ſeptem attigiſset.

XXVI. *Catholicis reſurgentibus Urbanus PP. Romæ recipitur.*

Harum occaſione novitatum collapſi penè Catholici reſumpſerunt vires, tum in Longobardia, tum in Germania. *Civitates quoque de Longobardia*, inquit Bertoldus, *Mediolanum, Cremona, Lauda, Placentia contra Henricum in viginti annos conjuraverunt, qui omnes prædicto Duci* (nempè Welphoni) *fideliter adhæſerunt*. Et infra: *Metenſis Eccleſia, & Tullenſis, & Virdunen-*

SÆC. XI. URBANUS II.

dunenſis ab obedientia Egilberti excommunicati diſceſſerunt, eique non amplius obedituros apertiſſimè demandaverunt. Quarum Metenſis refutato Epiſcopo, quem Henricus ei dare voluit, ipſi ſibi canonicè Catholicum Paſtorem elegére, eumque à Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Legato conſecrari fecere ſexto Kalendas Aprilis in medio Quadrageſimæ. Et inferiùs: *Idem Legatus Vvelphonem Ducem Bajoariæ* [Vvelphonis Junioris, Mathildis mariti patrem] *per manus in militem accepit, ſicut & proprium fratrem Bertholdum Ducem Alemanniæ jam dudum fecit, cum quibus & reliquis Alemanniæ Principibus magnum Conventum apud Ulmam habuit. In quo Conventu firmiſſimè laudatum eſt, ut Conſtantienſi Epiſcopo Legato Urbani Papæ omnimodè ſecundùm ſtatuta Canonum obedirent.* Sic igitur rebus Catholicorum in meliorem ſtatum reparatis, conſternatis ſchiſmaticis, Urbanus Papa eſt reverſus in Urbem, ubi à ſuis receptus, Natale Domini, ut idem Bertoldus teſtatur, ſolemniter celebravit.

XXVII. *Lateranenſe palatium recuperat.*

Licèt autem Urbano Pontifice Romam ingreſſo, res paulò tranquilliores eſſent, nondum tamen pacatæ penitus erant, perdurantibus Romanorum nonnullis in perfidia Henriciana; eò quòd ahduc Guiberti Antipapæ fautores munitionem ſancti Angeli poſſiderent, cùm Urbanus Papa vitaret armis rem agere adversùs eos, ut refert Bertoldus in Chronico, ubi & ait, Guibertum Antipapam tunc apud Veronam ſubſtitiſſe cum Henrico Imperatore ſuo, dominum verò Papam Romæ propè ſanctam Mariam Novam in quadam fortiſſima munitione moratum eſſe, dum Guibertini turrim Creſcentii, ſeu ſancti Angeli caſtellum obtinerent. Sed Goffridus Vindocinenſis Abbas Romam ad Urbanum Papam, Guibertinæ factionis metu latitantem, profectus, pecuniam, unde Lateranum, & turrim Creſcentii redimeret, contulit, ut ipſemet in Epiſtola VIII ad Paſchalem II Urbani II ſucceſſorem data hoc modo narrat: *Primo anno, quo, Deo volente, vel permittente nomen Abbatis ſuſcepi, audivi piæ recordationis Dominum Papam Urbanum in domo Joannis Fricapanem* (vel Franchipanem) *latitare, & contra Guibertiſtam hæreſim viriliter laborare. Licèt locus noſter pauper eſſet, Romam tamen veni, illius perſecutionum, & laborum volens particeps fieri, & ſuam pro poſſe meo deſiderans ſupplere inopiam: Quod & Dei gratia feci. Mala, quæ in itinere, & in civitate paſſus ſum, noſtrorum per omnia, ne agnoſcerer, factus famulus famulorum, longum eſt enarrare. Quaſi alter Nicodemus ad dominum Papam in domum prædicti Joannis nocte veni: ubi eum penè omnibus temporalibus bonis nudatum, & alieno ære nimis oppreſſum inveni. Ibi per Quadrageſimam manſi cum illo, & ſi fas eſt profiteri veritatem, ejus onera, in quantum potui, caritatis humeris ſupportavi. Quindecim verò diebus ante Paſcha Ferruchius, quem Lateranenſis Palatii cuſtodem Guibertus fecerat, per internuncios locutus eſt cum domino Papa, quærens ab eo pecuniam, & ipſe redderet illi turrim & domum illam. Unde dominus Papa cum Epiſcopis, & Cardinalibus, qui ſecum erant, locutus, ab ipſis pecuniam quæſivit: Sed modicum quid apud ipſos, quoniam perſecutione & paupertate ſimul premebantur, invenire potuit. Quem ego, cùm non ſolùm triſtem, verùm etiam præ nimia anguſtia lacbrymantem conſpexiſſem, cœpi & ipſe flere, & flens acceſſi ad eum dicens, ut ſecurè cum Ferruchio iniret pactum. Ibi aurum & argentum, nummos, mulas & equos expendi: & ſic Lateranenſe habuimus, & intravimus palatium. Ubi ego primus oſculatus ſum domini Papæ pedem, in Sede videlicet Apoſtolica, in qua longe ante Catholicus non ſederat Papa,* ab anno ſcilicet 1084. Hæc contigiſſe anno milleſimo nonageſimo quarto ex eo certum redditur, quòd Goffridus dicat ſe veniſſe Romam anno primo, quo Abbas creatus eſt; ex Chronico autem Andegavenſi, quod extat Tomo I Biblioth. Labbei, Goffridus *juvenis ætate 12 Kal. Septemb.* anni 1093 Abbas Vindocinenſis electus, *ab Ivone Epiſcopo Carnotenſi undecimo Kal. earundem* conſecratus eſt, ideoque in laudata Epiſtola loquitur de Quadrageſima, & de Paſchate anni 1094, quo ideò anno Urbanus II Lateranenſe palatium Goffridi operâ recuperavit; ſicque Guibertus ante Paſcha è Lateranenſi palatio expulſus fuit, & Veronam ſe contulit ad Henricum, ubi, teſte Bertoldo laudato, anno 1094 morabatur. Eadem de re loquitur idem Goffridus Epiſtola inſequenti.

XXVIII. *In Longobardiam pergit.*

Henrici Imperatoris rebus hoc pacto inclinantibus, exiſtimavit Mathildis Comitiſſa, ut refert Domnizo in ejus Vita, præſentiam Urbani Papæ Catholicis Longobardiæ animos facere poſſe, & Guibertinos metu afficere, ideòque Pontificem rogavit, ut illuc ſe conferret, quod & ab eo obtinuit, indeque, ut habet Bertoldus in Chronico ad annum 1095, *Dominus Papa Urbanus, jam dudum de Roma profectus, Natalem Domini in Tuſcia glorioſiſſimè celebravit,* ubi Bertoldus loquitur de Natali Domini anni 1094, à quo annum 1095 incipit, Anno antecedenti Urbanus, ex dictis, Natale Domini anni 1093 Romæ celebraverat; ſed quia Guibertini caſtellum ſancti Angeli adhuc anno 1094 occupabant, Catholici Romæ, & in Italia finem hujus inteſtini belli ſummis votis exoptabant. Quare Urbanus Laterano recepto in Longobardiam profectus eſt. Quid in Longo-

bardia egerit anno 1095, dicetur poſtquam retulerimus, quæ ad annum 1094 pertinent.

XXIX. *Ejus Legatus Synodum Conſtantiæ celebrat.*

Gebehardus Conſtantienſis Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis in Germania Legatus in majori hebdomada ejuſdem anni milleſimi nonageſimi quarti Conſtantiæ Synodum celebravit, de qua hæc idem Bertoldus in Chronico: *Querimonia Praxedis Reginæ, quæ dudum ad Vvelphonem Ducem Italiæ, à marito ſuo Henrico Rege diſceſſit, ad Synodum Conſtantienſem pervenit, quæ ſe tantas, tamque inauditas fornicationum ſpurcitias, & à tantis paſſam fuiſſe conqueſta eſt, ut etiam apud inimicos fugam ſuam facillimè excuſaret, omneſque Catholicos ad compaſſionem tantarum injuriarum ſibi conciliaret.* Praxedis poſtea anno milleſimo nonageſimo quinto in Concilio Placentino, à ſpurcitiis, quas invita pertulerat, abſoluta eſt ab Urbano Papa, ut ibidem dicetur.

XXX. *Urbanus Attrebatenſibus præcipit ut Epiſcopum eligant.*

Vedulfus circa annum Chriſti quingenteſimum ſexageſimum nonum Epiſcopus Attrebatenſis ordinatus, Cameracum ſedem tranſtulerat; indeque Attrebatenſis Epiſcopatûs nomen perierat, ut habent Eccleſiæ Attrebatenſis Tabulæ. Sed Urbanus Papa literis *Clero & populo Attrebatenſi* datis Romæ, die & anno non expreſſis, Attrebatenſi Eccleſiæ præcepit, ut jugo Cameracenſis ſubjectionis excuſſo, & *recepta dignitate primis temporibus rationabili firmitate poſſeſſa*, Epiſcopum ſibi eligerent. Secundùm hæc Attrebatenſes Lambertum ſummæ ſanctitatis Virum Epiſcopum elegerunt; & Urbanus Rainaldo Archiepiſcopo Remenſi literis ſuis mandavit, ut Attrebatenſis Eccleſiæ Epiſcopum electum conſecraret. Rainaldus ad Urbanum Papam reſpondit, ut Tomo X Concil. pag. 465 videre eſt, omnium Epiſcoporum & Clericorum ſuorum hanc ſententiam eſſe, ut electum Epiſcopum Romam tranſmitteret, & Summi Pontificis arbitrio relinqueret: *Timuerunt enim*, inquit, *& timent, ne Cameracenſes ex hoc facto accepta occaſione, ſe ab Remenſi Eccleſia abrumperent; cùm & civitas eorum alterius regni* (ſcilicet Germaniæ) *habeatur, & regni cujus Rex nobis & Eccleſiæ Romanæ jam ex longo tempore inimicatur.* Attrebatenſes itaque Lambertum electum Epiſcopum Romam tranſmiſerunt conſecrandum, in literis ſuis ibidem relatis, Urbanum Papam rogarunt, *ut diviſio duorum regnorum, Francorum ſcilicet, & Teutonicorum, ſit Epiſcopatûs noſtri meta, ſicut antiquis temporibus fuiſſe per ſucceſſorum relationem & alia indicia cognovimus.*

XXXI. *Attrebatenſem Eccleſiam à Cameracenſi dividit.*

Lambertus Romæ exiſtens Summum Pontificem enixè rogavit, ut eum ab impoſita ſibi electione abſolveret; ſed Is ei præcepit, ut obediret: *Ille tandem acquieſcens divinæ ordinationi & Apoſtolicæ obeditioni conſecratur in Epiſcopum Romæ apud Sanctam Mariam novam à ſæpius jam dicto Apoſtolico Urbano, anno Dei Chriſti 1093, XIV Kalend. Aprilis, quæ tunc Dominica* Lætare Jeruſalem *habebatur*, inquit vetus Chronologus Tomo X Concil. pag. 468 citatus à Labbeo, qui rectè advertit, eum à Paſchate annum inchoare, annumque Chriſti 1094 juxta noſtrum computum demonſtrare; hoc enim ultimo anno litera dominicalis A in curſu fuit, & dies 19 Martii incidit in dominicam quartam Quadrageſimæ, quæ vulgò dicitur *Lætare*, qui characteres non competunt anno 1093. Urbanus itaque Pontifex, qui die 19 Martii anni 1094, nondum recepto Lateranenſi palatio, prope Sanctam Mariam novam morabatur, ut ex Bertoldo mox diximus, eodem die ibidem Lambertum Attrebatenſem Epiſcopum conſecravit, & quatriduo poſt, ſcilicet decimo Kalendas Aprilis, eidem Lamberto dedit literas, ſeu privilegium, quo Epiſcopatum Attrebatenſem in integrum reſtituit. *Quidquid autem*, inquit, *Prædictæ Eccleſiæ* (Attrebatenſi) *B. Remigius contulit, quidquid antiquis temporibus, dum Epiſcopali dignitate polleret, eam poſſidere conſtiterit, ſalvis legalibus inſtitutis, Romanæ Eccleſiæ privilegiis, ratum tibi ac tuis ſucceſſoribus ſancimus permanere. In quibus nominatim Archiadiaconias duas, quarum una Attrebatenſis, altera dicitur Obſtrevandenſis, præfatæ Eccleſiæ confirmamus, & illos omninò limites inter Attrebatenſem & Cameracenſem Eccleſias fore præcipimus*, &c. Illud quidem privilegium dicitur *datum Romæ per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis X Kalend. Aprilis, indictione 2, anno Dominicæ Incarnationis* 1093, *Pontificatûs autem Domini Urbani 2 Papæ ſeptimo*. Sed mendum irrepſiſſe in annum Incarnationis 1093, & legendum, *anno dominicæ Incarnationis* 1094 plura demonſtrant. Primum, indictio ſecunda, quæ anno 1094 non 1093 currebat; ſecundum, annus Pontificatûs Urbani ſeptimus, anno 1094 à die 12 Martii inchoatus, qui anno 1093 erat tantùm ſextus; tertium denique, inſcriptio privilegii: *Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Lamberto Attrebatenſi Epiſcopo noſtris manibus conſecrato, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis.* Cùm itaque hoc privilegium datum ſit poſt conſecrationem Lamberti, quæ ex probatis, facta eſt die 19 Martii anni 1094, conſequens eſt, illud eodem anno die 23 ejuſdem menſis conceſſum eſſe, ad quod Labbeus animum non advertit. Quòd ſi quis contendat retinendum eſſe annum Incarnationis 1093, dicendum eſt cum Annotatore Baronii ad annum

1094

Digitized by Google

SÆC. XI. URBANUS II.

1094 num. 20. Urbanum ibi uſum eſſe anno Incarnationis à die 25 Martii deducto, quo pacto die 23 Martii anni vulgaris 1094 currebat adhuc annus 1093, ſicque cohærent omnia, nempe indictio 2, & annus ſeptimus Pontificatûs Urbani. Ceterùm Cameracenſis Sedes anno poſtea milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo à Paulo IV Summo Pontifice Metropolitana declarata fuit.

XXXII. *Illegitimum Philippi Franc. Regis matrimonium improbat.*

Bertrada Simonis de Montefortl filia, nupta erat Fulconi Andegavenſi Comiti, vulgò *Ribin*, ob morum aſperitatem appellato. Hæc, inquit Ordericus lib. 8 pag. 699, referens geſta anno 1092, *metuens ne vir ſuus, quod jam duabus aliis* uxoribus *fecerat, ſibi faceret, & relicta contemptui, ceu vile ſcortum fieret, conſcia nobilitatis & pulchritudinis ſuæ fidiſſimum Legatum Philippo Francorum Regi deſtinavit, eique quod in corde tractabat, evidenter notificavit.* Poſt hæc Bertrada ad Philippum Regem fugit, qui poſt ejectam ab eo Bertham Reginam, ex qua Ludovicum filium, poſtea in regno ſucceſſorem, ſuſceperat, nuptias cum illa contraxit, & quidem eodem anno 1092, ut diſertè aſſerit Clarius, vel alius quiſpiam in Chronico Sancti Petri Vivi Senonenſis Tomo 2 Spicilegii Dacheriani publicato, in quo ſcribit: *Anno* 1092 *Philippus Rex dimiſit uxorem ſuam nobiliſſimam, de qua habuit filium Ludovicum, & accepit Bertradam, quæ reliquerat Fulconem Andegavenſem Comitem.* Urbanus Papa illicitum illud conjugium valde improbavit, ut conſtat ex ejus Epiſtola ad Raynoldum Archiepiſcopum Remenſem & ſuffraganeos ejus *data ſexto Kalendas Novembris, anno videlicet Dei Chriſti* 1092, ut in fine ejus legitur Tomo 5 Spicilegii Dacheriani, & ex eo Tomo X Concil. pag. 463, in qua Pontifex narrato & improbato Philippi cum Bertrada connubio, ait: *Te autem chariſſime confrater Raynolde, noxa hæc maximè impetit, pro eo quòd Sylvanectenſis ſubjectus tibi Epiſcopus, hoc publici adulterii crimen, ſuo, ut audivimus, firmavit aſſenſu, cùm mœchis illis benedictionis Sacerdotalis manus impoſuit. Quod etſi licitè nuberent, bigamis tamen impendi ſecundùm canones non liceret. Nunc igitur vobis Apoſtolica auctoritate præcipimus, ut his viſis apicibus, quod etiam non jubentibus nobis, jam dudum feciſſe veſtram prudentiam decuiſſet, maturè convenire curetis Regem, & ex Dei, & noſtra pariter & veſtra parte inſtanter commoneatis, arguatis, obſecretis, increpetis, & à tanto, tamque horrendo facinore deſiſtere compellatis. Quod ſi contempſerit, & vobis & nobis neceſſitas imminebit, ut ad ulciſcendas divinæ legis injurias pro noſtri officii debito accingamur, & Phinees gladio Madianitas adulteros perforemus.*

SÆC. XI. URBANUS II.

Sed cùm commonitiones nihil proficerent, Urbanus Papa anno milleſimo nonageſimo quarto Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem Legatum in Gallia declaravit. Hic verò Concilium Auguſtoduni, quæ urbs eſt Ducatûs Burgundiæ 17 Kalendas Novembris celebravit, & Philippum Regem excommunicavit, ut refert Bertoldus in Chronico: *in Galliarum*, inquit, *civitate, quam Oſtionem* [Auguſtodunum] *vulgariter dicunt, congregatum eſt generale Concilium à venerando Hugone Lugdunenſi Archiepiſcopo, & Sedis Apoſtolicæ Legato, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus diverſarum provinciarum decimo ſeptimo Kal. Novembris; in quo Concilio renovata eſt excommunicatio in Henricum Regem, & in Guibertum Sedis Apoſtolicæ invaſorem, & in omnes eorum complices. Item Rex Galliarum Philippus excommunicatus eſt, eo quòd vivente uxore ſua, alteram ſuperinduxit.* Quomodo autem rurſus illud idem judicium ventilatum ſit in Concilio Claromontano, & ibi rurſus idem Philippus Rex ſit excommunicatus ab Urbano Papa mox videbitur.

XXXIII. *Legatum mittit, qui Regem excommunicat.*

XXXIV. *Concilium Placentiæ celebrat.*

Jam ſuperius oſtendimus Urbanum Pontificem Natale Domini anni milleſimi nonageſimi quarti in Tuſcia celebraſse. Tunc generalem Synodum ex Epiſcopis Italiæ, Germaniæ & Galliarum, Placentiæ in Longobardia, menſe Martio anni milleſimi nonageſimi quinti celebrandam indixit; ad quam, ut inquit Bertoldus teſtis oculatus, tam innumerabilis multitudo confluxit, ut cùm in nulla Eccleſia illius civitatis poſſet comprehendi, extra urbem in campo celebranda fuerit; quippe quatuor millia ferè Clericorum, & pluſquam triginta millia laicorum eò conveniſse perhibetur. In ea Synodo Praxedes, ſive Adelais Regina, adversùs Henricum maritum conqueſta de ſpurcitiis, quas ab eo paſsa eſset, abſoluta eſt de pœnitentia pro illis injungenda, eo quòd illas non tam commiſiſse, quàm invitam pertuliſse certò conſtaret, quodque hujuſmodi facinus ſponte & publicè confiteri non erubuiſset. Dodechinus Abbas in Appendice ad Marianum Scotum, poſtquam dixit, anno 1093 Adelaidem fugiſse ad Mathildem Comitiſsam, quæ eam duxit ad Urbanum Papam, uno tenore ſubdit: *Papa autem agnita Reginæ calamitate, humanitatis miſeratione compaſſus, facta concione Catholicorum, denuò Henricum Regem excommunicavit pro illicitis ac nefandis, omnibuſque ſæculis inauditis rebus in legitima uxore ſua perpetratis. Regina autem reverſa eſt in regionem ſuam, & ingreſſa monaſterium, facta eſt Abbatiſſa, ut quidam dicunt.* In eadem Synodo, ut pergit Bertoldus, Legati Philippi Galliarum Regis, excuſantes quòd jam ipſum iter ad Synodum

 dum

Digitized by Google

dum aggreſſus, legitimis cauſis impeditus fuiſset, inducias ei uſque ad Pentecoſten impetravére. Qua de re plura Ivo Carnotenſis Epiſtolâ 46 ad Urbanum Papam. Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus jam antea in Gallia Apoſtolicæ Sedis Legatus, ad eandem Synodum vocatus, ab officio ſuſpenſus eſt, eo quòd nec ipſe venerit, nec legatum cum legitima excuſatione direxerit. Legati Imperatoris Conſtantinopolitani imploraverunt auxilium contra Paganos, qui omnia penè uſque ad muros illius civitatis occupaſsent. Ac denique renovata ſunt decreta adversùs Clericos ſimoniacos & incontinentes; damnataque rursùm hæreſis Be rngariana; & promulgata in Guibertum Antipapam, ac ejus complices cum ardentibus candelis ſententia anathematis; aliaque ſtatuta circa diſciplinam Eccleſiaſticam, quæ idem Bertoldus recitat. Editi ſunt tandem quindecim canones Tomo X Concil. legendi. Meminit etiam ejuſdem Synodi Domnizo Presbyter, qui adſuit unà cum Mathilde Comitiſsa. In eadem Synodo creditur, antiquis novem præfationibus, quæ in Eccleſia legebantur, decimam additam eſse de B. Virgine, quæ ſic habet: *Æquum & ſalutare nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, & te in veneratione Beatæ Mariæ ſemper virginis collaudare, &c.* Cardinalis Bona lib. 2 Rer. Liturgic. cap. 10, num. 3 ejuſdem etiam Præfationis auctorem ſcribit eſse Urbanum II, ſed ſine teſte.

XXXV. *Conradus Rex ſtratovit manus Urbano PP. exhibet.*

Placentiâ recedenti Urbano Papæ Conradus filius Henrici, quem vidimus Longobardiæ Regem coronatum, apud Cremonam obviam progreſſus, ſtratoris officium exhibuit, ac juramento fidelitatem promiſit. *Dominus autem Papa in filium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ recepit illum, eique conſilium & adjutorium ad obtinendum regnum, & ad coronam imperii acquirendam coram populo firmiſſimè promiſit, ſalva quidem juſtitia illius Eccleſiæ, & ſtatutis Apoſtolicis, maximè de inveſtituris in ſpiritualibus officiis à laico non uſurpandis*, inquit Bertoldus; qui ſubdit, Conradum inde Piſas perrexiſſe, ibique ſponſam ſuam, filiam Rogerii Ducis de Sicilia, adhuc admodum parvulam, cum inaudita pecunia ſibi oblatam recepiſſe, cum qua caſtè vixiſſe creditur; Urſpergenſis enim Abbas de eo ita ſcribit: *Cœlibatûs pudorem perpetualiter ſervare cùm propoſuiſſet, coactus tamen à ſuis filiam Roggeri Ducis Siciliæ, famoſiſſimi penè noſtrorum temporum viri, duxit uxorem: cujus tam caſtè uſus eſt conjunctione, ut vix crederetur eam unquam agnoviſſe.*

XXXVI. *In Galliam venit, & Concilium Claromontenſe indicit.*

Synodo Placentina peracta, menſe Aprili Urbanus Pontifex venit in Gallias, & Cremonam tranſiit, ubi quarto Idus Aprilis, teſte Bertoldo laudato, Conradus Rex ei ſtratoris officium exhibuit. Inde *perva ſis Alpibus venit in Gallias*, inquit Malmesburienſis lib. 4 cap. 2. Bertoldus verò ſcribit: *Dominus Papa rebus in Longobardia bene diſpoſitis, in Gallias marino itinere cœpit divertere, & ad Sanctam Mariam ad Podium in Aſſumptione ipſius pervenit, Synodumque ad Montem Clarum in Octavam Sancti Martini Apoſtolica auctoritate condixit, ad quam diverſarum provinciarum Epiſcopos miſſis literis canonica vocatione intimavit*, in diem ſcilicet decimum octavum menſis Novembris, qui concurrebat cum Dominica, qua peractis precibus, feriâ ſecundâ ex alibi dictis, Synodales actiones inchoabantur. Gaufredus Prior Voſienſis in Chronico, ſcribit etiam Urbanum Aſſumptionem beatæ Mariæ apud Anicium peregiſſe, & decimo quinto Kalendas Septembris, die ſcilicet decima octava Auguſti, monaſterium S. Roberti de Caſa-Dei, de quo in Leone IX egimus, conſecraſſe.

XXXVII. *Monaſterii Cluniac. majus Altare conſecrat.*

Antequam Concilium celebraretur, Pontifex Cluniacum acceſſit, ibique Majus Altare conſecravit, quod nos docet Innocentius II in diplomate Valentiæ 8 Idus Martii, anno 1132 dato, & in Bibliotheca Cluniacenſi pag. 1381 recitato, in quo ait: *Nos Monaſterium ipſum, quod ſpecialiter ad jus B. Petri & S. Rom. ſpectat Eccleſiæ, per nos ipſos viſitavimus. Et eodem die, quo revolutis multorum annorum ſpatiis, Prædeceſſor noſter Fel. memoriæ Papa Urbanus ibidem majus Altare conſecraverat, cum Archiepiſcopis ...... idem Monaſterium ſolemniter dedicavimus.* Hanc majoris Altaris Cluniacenſis conſecrationem circa diem decimum octavum menſis Octobris anni milleſimi nonageſimi quinti ab Urbano Papa peractam, ex eo eruitur, quòd idem Pontifex Cluniaci eo die exiſtens Reſcriptum emiſerit à San-Marthanis in Epiſcopis Matiſconenſibus pag. 681 recitatum, quod dicitur *datum Cluniaci per manum Joannis S. Rom. Eccleſ. Diaconi Card. 15 Kal. Novemb. Indict. 3, anno 1096* Piſano, qui annum Incarnationis communem novem menſibus antevertit, ideoque is annus 1096, nobis eſt 1095, quo menſe Octobri currebat indictio quarta, in locum tertiæ ſubroganda; neque enim id intelligi poteſt de menſe Octobri anni communis 1096, quia tunc, non in Gallia, ſed in Italia erat Urbanus Papa, quem anno Incarnationis Piſano quandoque uſum eſſe oſtendit Annotator Baronii. Stephanus Baluzius Tomo 6 Miſcellaneorum vetera monumenta ad res monaſterii Cluniacenſis pertinentia publicavit, inter quæ extat Narratio de adventu Urbani Papæ II ad monaſterium illud, ex qua conjectura noſtra confirmatur, ſic enim incipit: *Anno ab Incarnatione Domini milleſimo*

Digitized by Google

ſimo XCV, Domnus ac Venerabilis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Papa Urbanus terminos Italiæ excedens ..... ad Cluniacenſe devenit cœnobium, ubi quondam relicto canonicalis Ordinis officio habitum ſacræ religionis ſuſceperat. Et infra: *Rogatus à domno Hugone ipſius monaſterii venerabili Abbate Altare majus novæ Baſilicæ, aſtantibus plurimis Epiſcopis, Monachis, Clericis quoque, ac plebe innumerabili, in honore Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & beatæ ſemper Virginis Mariæ, Sanctorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli ac protomartyris Stephani devotiſſimè conſecravit 8 Kal. Novembris, indictione 4, & præcepit, ut in ipſo die eadem Baſilica opportuno tempore dedicaretur*, quod & ab Innocentio II eodem die anno 1130 factum videbimus in ejus Pontificatu num. IX. Apparet itaque rectè à nobis mutatam eſſe indictionem tertiam in quartam, quæ anno 1095 incœpta eſt Kalendis Septembris.

XXXVIII. *Claromontani Concilii Patrum numerus incertus.*

Congregata eſt poſt hæc Synodus Claromontana, cui tredecim Archiepiſcopi cum eorum Suffraganeis interfuerunt, & ducentæ quinque paſtorales virgæ numeratæ ſunt ex Bertoldo laudato. Sed licèt illud Concilium numeroſum fuerit, Patrum tamen numerus incertus; Malmesburienſis enim laudatus, & Aimoinus lib. 5, cap. 49 tradunt, trecentos decem, tam Epiſcopos, quàm Abbates ei interfuiſſe. Guibertus Abbas Novigenti hujus temporis ſcriptor, ad Liziardum Sueſſionenſem Præſulem ſcribens ait, ad illud confluxiſſe *præter Epiſcoporum & Abbatum examina, quos circiter 400 per præminentes ferulas* (ideſt per baculos Epiſcopales & Abbatiales) *fuiſſe aliqui numerant, totius Franciæ & appendicium comitatuum litteraturæ* magiſtros ſeu profeſſores. Denique in decreto Urbani II ejuſdem Synodi à Marca in Diſſert. de Primatu Lugdunenſi ex MS. codice eruto, dicitur ei interfuiſſe Archiepiſcopos 12, Epiſcopos 80, Abbates 90, & eò amplius. Certè ad illud conveniſſe Epiſcopos penè totius orbis, exceptis Lotharingis, Alemannis & Hungaris ait Chronicon Sancti Victoris Virdunenſis. Cur iſti potius, quàm alii deſiderarentur; ſchiſma Guiberti Antipapæ, & Henrici Imperatoris effecit, ut ſcribit Gabriel Coſſartius in Notis ad illud Concilium. Ei præfuit Urbanus Papa, ut inter omnes convenit.

XXXIX. *Philippus Rex Franc. in eo excommunicatur.*

In hac Synodo, ſubdit Bertoldus loco laudato, *Dominus Papa eadem ſtatuta, quæ & in præterita Synodo Placentina, confirmavit. Inſuper & Philippum Regem Galliarum excommunicavit, eò quòd propria uxore dimiſſâ, militis ſui uxorem ſibi in conjugium ſociavit*. Idem ſcribit Sigebertus in Chronico. Willelmus verò Malmesburienſis loco laudato tradit, eadem excommunicatione mulctatam Bertradam Regiam pellicem; Fulco enim Andegavorum Comes, pater Fulconis, ſæculo duodecimo Jeroſolymorum Regis, Bertradæ maritus queſtus eſt, quòd Philippus ſibi uxorem ſubtraxiſſet, & etiam illicitè retineret. Quam injuriam ita graviter tulit Fulco, ut eo ipſo anno 1095 piam quandam donationem faciens monaſterio Andegavenſi ſancti Sergii pro ſuorum, & parentum peccatorum abſolutione, Miſſaque ſingulis hebdomadis celebranda, eam his verbis claudi juſſerit: *Facta eſt autem hæc donatio anno ab Incarnat. Domini milleſimo nonageſimo quinto, indictione 3, die ſabbati, luna 25, Urbano Apoſtolico, Francia ex adulterio Philippi indigni Regis fœdata, Radulpho Turonenſium Metropolitano, Gofrido Andegavorum Epiſcopo, Deo gratias. Amen*. Hanc donationem à duobus Notariis anno 1622, ex archetypo recognitam integram exhibet Peireskius in ſuo Regiſtro 57 MS. quod nunc eſt in Bibliotheca Clariſſimi D. Henrici de Thomaſſin de Mazaugues.

XL. *Decernitur, ut Presbyterorum filii cum diſpenſatione Sedis Apoſtol. ad ſacros Ordines admittantur.*

Plures canones eo in Concilio conditi ſunt, ex quibus triginta & duos Baronius & Collectores Conciliorum referunt, quorum vigeſimus quintus his verbis conceptus eſt: *Nec filios Presbyterorum, aut aliter etiam ex concubinis ſuſceptos liberos ad Presbyteratûs gradus provehi licere, niſi aliquo in monaſterio religionem profeſſi eſſent*. Cùm enim hoc tempore vix paterentur Presbyteri ſuas ſibi auferri uxores, prudenter judicavit Eccleſia, eorum filios à ſacris officiis & Ordinibus omninò arceri, ut ſcilicet Sacerdotes à concupiſcentiis carnis refrænarentur. Hæc quæſtio tunc agitabatur in Anglia, ubi exulabat Roſcelinus Compendienſis Canonicus Nominalium Auctor, qui contendebat Presbyterorum filios ad ſacros Ordines nullatenus promovendos. Theobaldus verò Stampenſis, qui tunc Oxoniæ Scholam Theologicam regebat, contrariam ſententiam propugnavit, eamque in rem Epiſtolam ſcripſit ad Roſcelinum, quæ legitur Tomo 3 Spicilegii Dacheriani, in qua ait: *Quòd prohibetur, ne filii Sacerdotum ad Ordines promoveantur, ſic eſt intelligendum ſecundùm Auguſtinum, eoſque, qui hanc prohibitionem audiunt, ab hujuſmodi concupiſcentiis abſtinere debere. Si enim filius Sacerdotis honeſtè vivit, ordinandus eſt; ſi verò filius militis inhoneſtè vivit, repudiandus eſt; quia magis placet Deo vitæ perfectio, & contra peccatum affectio, quàm ſuperba de parentibus gloriatio: filii namque Sacerdotum non ideò quòd ſint exleges, refutantur, ſicut imperiti homines arbitrantur, ſed ut Sacerdotes à concupiſcentiis carnis refrænentur. Quia nimirùm quemlibet ſacro fonte renatum vel plenariè divina mundat gratia, vel ſacri mundatio lavacri non eſt ſufficiens, nec plenaria, quod contradicit*

Digitized by Google

dicit fidei Catholicæ. Plura in eandem rem Theobaldus Oxoniæ Magiſter. Hanc controverſiam diremit Urbanus Papa in hoc Concilio Claromontenſi, vetuitque quidem Sacerdotum filios ad ſacros Ordines promoveri abſque diſpenſatione Eccleſiaſtica, aut niſi cœnobiis nomen dederint; eos tamen cum diſpenſatione ſanctæ Sedis admiſit. Hinc ſcribens ad Archiepiſcopum Turonenſem, *Cenomanenſem electum*, inquit, *eò quòd filius Sacerdotis dicitur, non rejicimus, ſed ſuffragantibus meritis eum patienter ſuſcipimus, non tamen ut pro regula impoſterum hoc aſſumatur, ſed ad tempus Eccleſiæ periculo conſulitur*. Mabillonius Tomo I Muſei Italici parte 2 exhibet Epiſtolam Noviomentium Clericorum ad Cameracenſes datam de filiis Clericorum ad ſacros ordines admittendis.

XLI. *In eodem Concilio prohibetur communionis forma per intinctionem facta.*

Canon vigeſimus octavus hujus Concilii his verbis exprimitur apud Baronium, & Conciliorum Collectores: *Ne quis communicet de Altari, niſi Corpus ſeparatim, & Sanguinem ſimiliter ſumat, niſi per neceſſitatem, & per cautelam*; idque, inquit Baronius, ob recentem hæreſim Berengarianam, quæ per unam tantùm ſpeciem ſatis eſse impleri figuram ajebat. Verùm Petrus de Marca in laudata diſsertatione de Primatu Lugdunenſi, quæ extat Tomo X Conciliorum, hanc explicationem rejicit; tum quia Berengario affingit, quæ nunquam profeſsus eſt; imò neque ex hæreſeos ſuæ principiis profiteri poterat; tum quia, hac explicatione admiſsa, uſus Eccleſiæ Catholicæ in una ſpecie porrigenda laicis, non obſcurè hoc telo peti poſset. Veram itaque hujus canonis interpretationem deſumendam eſse ſcribit ex iis, quæ vitioſè à quibuſdam, diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſæculo undecimo parum callentibus, fiebant in Euchariſtiæ adminiſtralione. Fidelibus enim Euchariſtiam Sanguine Domini intinctam porrigere non dubitabant, ut teſtis eſt Auctor Micrologi, qui ante Gregorii VII tempora ſcripſit, cap. 26. Quæ forma non tantùm adverſa erat Ordini Romano, ſed etiam inſtitutioni Chriſti, qui Corpus ſeorſim à Sanguine commendaverat, ut rectè annotavit Concilium Bracarenſe 3 anno 678, quòd ſimilem corruptelam damnavit cap. 1. Uſus autem ille utramque ſpeciem commiſcendi hoc tempore ſervabatur apud Græcos, quem hodie quoque in ſuis Eccleſiis frequentant, porrectâ populis in cocleari Euchariſtia, liquore ſacro poculi intincta. In quo ab illis graviter peccari contra Chriſti inſtitutionem, Nicetæ Pectorato Abbati, diſputatione cum eo Conſtantinopoli habita, objecit Humbertus Sylvæ Candidæ Cardinalis Epiſcopus, Legatus Romanæ Sedis ad Conſtantinum Monomachum Imp. anno 1054 miſsus. Gliſcebat in Occidente commixtionis uſus, adeò ut Ivo in tractatu de divinis Officiis eum tolerandum putaret in populi communione. Illam tamen communicandi formam Synodus Claromontana proſcribendam duxit his verbis: *Ne quis communicet de Altari, niſi Corpus ſeparatim, & Sanguinem ſimiliter ſumat*. Separatim, ideſt, *ſeorſim*, ut loquitur Concilium Bracarenſe, ſive *ſingulatim*, quemadmodum Odericus Vitalis lib. 9, pag. 719, ſenſum hujus Canonis expreſſit.

XLII. *Adhibetur exceptio.*

Huic regulæ hanc exceptionem adhibet hæc Synodus Claromontana: *Niſi per neceſſitatem & cautelam*, ubi intincti ſacrati Panis conſuetudinem jam ſublatam retinet in excepto *neceſſitatis* caſu, nempe ſi communio præbenda eſset ægris, vel pueris. Tunc enim, ad adjuvandum eſum, panis intinctio permittebatur, ut ſcribit Paſchalis II Urbani ſucceſsor ad Pontium Abbatem Cluniacenſem Epiſtola 32. *Novimus enim*, inquit, *per ſe panem, per ſe vinum ab ipſo Domino traditum. Quem morem ſic ſemper in Sancta Eccleſia conſervandum docemus atque præcipimus: præter in parvulis ac omninò infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt*. Habita quoque ratio eſt *cautelæ*; qua voce receptum à quibuſdam morem in diſtribuenda populis Euchariſtia Synodus confirmat. Veriti enim illi, ne Sanguinis effuſio accideret, in frequenti communicantium cœtu, ſolo Panis conſecrati ſymbolo laicos impertiebant, non præbito poculo: qua ratione Corpus ſeorſim à Calice ſumebant. Id egregiè docet Rodulphus Abbas Sancti Trudonis, qui hac ætate vixit, iis verſibus, quos laudat Gropperus cap. 44 de communione alterius ſpeciei.

Hic & ibi cautela fiat, ne presbyter ægris,
Aut ſanis tribuat laicis, de Sanguine Chriſti:
Nam fundi poſſet leviter; ſimplexque putaret,
Quòd non ſub ſpecie ſit totus Jeſus utraque.

XLIII. *Euchariſtia ſub ſolo panis ſymbolo data.*

Ceterum Euchariſtiæ adminiſtratio ſub ſolo panis ſymbolo, laicis hoc ſæculo porrecto, magnum incrementum habuit poſt conſtitutum à Chriſtianis regnum Jeroſolymitanum, ad exemplum antiquiſſimæ Eccleſiæ illius civitatis, in qua nulla ſpecierum mixtione facta, ſolo Pane ſibi exhibito, adventantis ex Orbe univerſo populi pietas rem Sacramenti percipiebat. Quod profitetur antiquus ille Patriarcha Jeroſolymitanus, cujus verba retulit Humbertus ad ſugillandos Græcorum ritus, apud Marcam laudatum legenda, ubi addit conſuetudinem illam unius ſymboli non ſtatim obtinuiſse in omnibus Eccleſiis Occidentis, quamvis in quamplurimis ſervaretur, ob reverentiam Sanguini Domini debitam, cujus effuſioni anxiè cavebant. Sed poſtquam divus Thomas ea de re conſultus, earum

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiarum pietatem & prudentiam in eo uſu laudavit: certatim reliquæ omnes illum amplexæ ſunt. Hæc ſunt ejus verba 3 part. quæſt. 80, art. 12: *providè in quibuſdam Eccleſiis obſervatur, ut populo ſumendus Sanguis non detur*. Quare in Concilio Conſtantienſi ſeſſione 13, quæ habita eſt die 15 Junii anni 1415 aſſertum eſt, conſuetudinem unius ſpeciei *diutiſſimè* obſervatam fuiſse: cujus obſervatio, ut legitimè præſcripta, omnibus indicta eſt, donec univerſali Eccleſiæ aliud ſtatuendum videatur. Sacri Calicis reſtaurationem Concilium Tridentinum Summi Pontificis prudentiæ commiſit, ſi provinciæ alicujus, à communione Eccleſiæ per hæreſim abſciſſæ, unitas hac ratione procurari poſset. Plura ad eum canonem 28 Marca laudatus. Alii canones Tomo X Conciliorum legendi, quorum primo amplificata eſt pax inter privatos, ſeu Treuga Dei, de qua in Alexandri II Vita locuti ſumus.

XLIV. *Urbanus in eodem Concilio Eccleſiæ Lugdun. Primatum confirmat.*

In hoc eodem Concilio Claromontano Eccleſiæ Lugdunenſis Primatus confirmatus eſt, & in eo Urbanus Papa Senonenſem & Rotomagenſem Archiepiſcopos, niſi Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum Gebuini ſucceſsorem, tanquam Primatem ſuum revererentur, Pallij privatione mulctavit, eorumque in ſuffraganeos auctoritatem ſuſpendit. Aberat uterque; ſed interim mandatis Apoſtolicis eorum ſuffraganei paruêre, ut patet ex decreto Urbani II Synodi Claromontanæ à Petro de Marca in Appendice libri de Primatibus edito. Huic judicio refragatus eſt Richerius Senonenſis Archiepiſcopus, quamvis Ivo Carnotenſis ejus ſuffraganeus ipſi Auctor eſset, ut ſententiæ Synodicæ ac Pontificiæ pareret, donec documentis authenticis Eccleſiæ ſuæ libertatem vindicare poſſet, ut liquet ex Epiſtola 50 Ivonis. Sed cùm Richerius vinci non potuiſſet, in ſententia ſua perſtitit uſque ad mortem, quæ anno milleſimo nonageſimo ſexto contigit; quod teſtatur Urbanus Papa in literis ſuis ad Hugonem Lugdunenſem datis anno 1099, quæ referuntur ab eodem Marca in laudata diſſert. de Concilio Claromontano num. 117.

XLV. *De eo Primatu iterum controverſia oritur.*

Daimbertus in locum Richerii electus eſt Senonenſis Archiepiſcopus; ſed Hugo Lugdunenſis prohibuit, ne provinciæ Senonenſis Præſules manus ipſi imponerent, antequam ſibi obedientiam tanquam Primati præſtitiſſet. Ivo Carnotenſis omnium ſuffraganeorum nomine reſcripſit Epiſtolam 60, rem inſolitam & nullo jure, nullaque conſuetudine fultam ipſum poſtulare, neque id ipſi deberi, aut ratione Primatûs, aut ratione Legationis Apoſtolicæ, qua fungebatur. Pollicetur tamen ſe ei auctorem futurum, ut poſt conſecrationem Primatum Lugdunenſem agnoſcat. Eadem de reſcripſit ad Urbanum Papam. Sed cùm neque Hugo Lugdunenſis hiſce vinci potuiſſet, Daimbertus Romam profectus, abſque ulla conditione ab Urbano II menſe Martio anni milleſimi nonageſimi octavi ordinatus eſt, & *cum Apoſtolica benedictione & pallii decore rediit, in ſede collocatus XIV Kal. Maji, anno 1098 ab Incarnatione Domini, lætante Clero, & bona devotione populi*, inquit Continuator Chronici S. Petri Vivi Senonenſis, quem hoc tempore vixiſſe conſtat ex iis, quæ ſubdit: *Cujus jam in Archiepiſcopio XI anno penè peracto, teſtor Deum nuſquam Abbatem Sancti Petri vel audiſſe, vel legiſſe, aut vidiſse, quietius vixiſſe, vel fuiſſe ab omni inquietudine;* nam Daimbertus, ut prius dixerat iſte Auctor, electus fuerat Abbas S.Petri Vivi anno 1096, paulo ante mortem Richerii.

XLVI. *Agnoſcitur tandem à Senonenſi Archiep.*

Idem tamen Daimbertus, poſtquam menſe Aprili anni 1098 in Præſulatûs Senonenſis poſſeſſionem inductus eſt, Romam rediit anno 1099, & Urbano II promiſit, ſe Lugdunenſis Eccleſiæ Primatum agniturum, ut nos docet laudata ejuſdem Pontificis Epiſtola ad Hugonem Lugdunenſem *data Romæ apud Sanctum Petrum, indictione ſeptima, VIII Kalendas Maji, anno Dominicæ Incarnationis 1099, Pontificatûs Domni Urbani II Papæ undecimo*; in ea enim poſtquam dixit Pontifex, ſe Daimbertum conſecraſſe, ſubdit: *Nuper autem cùm ad Apoſtolica limina tam pro ejuſdem cauſæ actione, quam pro communi Synodica vocatione rediiſſet, præſentibus Legatis tuis Iſmeone Dienſi Epiſcopo, Girino Decano, & item Girino Capellano, Sedis Apoſtolicæ cogente judicio, omni demum tergiverſatione caſſata, in manu noſtra profeſſus eſt, te & Lugdunenſis Eccleſiæ ſuper Senonenſem Primatum agnoſcere, & de cetero tibi, tuiſque legitimis ſucceſſoribus, tanquam Primatibus, obedire. Similiter etiam pollicitus eſt, ſtatuto à nobis tempore, id eſt uſque ad proximam Beati Dionyſii ſolemnitatem, ſe ad vos venturum, & in conſpectu Lugdunenſis Eccleſiæ id ipſum ore proprio profeſſurum, niſi canonicum impedimentum evenerit: quo tranſacto infra triginta dies id ipſum implere curabit. Sic enim Vicariis veſtris, & per eos tibi ac Lugdunenſi Eccleſiæ in manum aſſignavimus, præſentibus fratribus noſtris, quorum infra ſcripta ſunt nomina, Anſelmo videlicet Cantuarienſi, Leodegario Bituricenſi*, &c. Daimbertum promiſſa impleviſſe diſcimus ex Goffridi Abbatis Vindocinenſis Epiſtola 18 lib. 2.

XLVII. *Expeditio Jeroſolymitana præcipua cauſa Concilii Claromontani.*

Sed, ut ad Concilium Claromontanum redeam, illud potiſſimùm indictum eſt, ut in eo indiceretur expeditio in Terram Sanctam, quæ ut melius intelligatur, ſummariè hìc cum Annotatore Baronii, ex Guillelmo Tyrio lib. 1 cap. 9, & ſeqq. exponen-

Digitized by Google

nendum quo in ſtatu res in Oriente eſſent. Turcæ, qui jam Syriam, & utramque Ciliciam, Iſauriam, Pamphiliam, Lyciam, Piſidiam, Lycaoniam, Cappadociam, Galatiam, & utrumque Pontum, Bythyniam & Aſiæ Minoris partem, infra modicum tempus in ſuam poteſtatem redegerant, Eccleſias dejiciebant, & Chriſtianos magno furore perſequebantur. Quòd ſi navium copiam habuiſſent, Conſtantinopolim procul dubio ſibi ſubjeciſſent. Neque ad ſacra loca devotionis causâ, tàm Græci, quàm Latini proficiſci poterant, niſi per mille mortis genera. Chriſtianis Jeroſolymis poſt longam peregrinationem incluſis, mors ſingulis diebus imminebat, cùm Sacerdos quidam *Petrus nomine, de regno Francorum, de Epiſcopatu Ambianenſi, qui & re & nomine cognominabatur Eremita*, devotionis fervore incenſus Jeroſolymam pervenit.

XLVIII. *Illius expeditionis auctor, vel incentor Petrus Eremita.*

Is moram faciens in civitate plenius didicit, quod priùs, aliis referentibus, audierat; cùmque accepiſſet civitatis Patriarcham nomine *Symeonem* eſſe Virum religioſum & timentem Deum, eum alloqui voluit. Patriarcha familiariùs ei narravit, quæ populum Dei magis affligebant, & quærenti Petro, num tot malis ſupereſſet aliquod remedium, reſpondit Patriarcha; quoad Græcos, nullum ab illis auxilium ſperandum, quia *infra paucos annos pluſquam dimidium amiſerunt imperii*. Promiſit Petrus, quòd ſi ille Papæ, & Regibus ac Principibus Occidentis tantas calamitates ſignificare vellet, paratum ſe eſſe omnes convenire, & ad afferendum aliquod remedium diligenter invitare. Eccleſiam poſtea dominicæ Reſurrectionis ingreſſus Petrus, viſionem habuit Chriſti, ut injunctam ſibi legationem intrepidè peragereт exhortantis. Hinc navim conſcendit, & proſpera uſus navigatione Romam venit, circa quas partes Urbanus II reperiebatur. Promiſit Pontifex ſe tempore accepto fidelem cooperatorem futurum, interimque Petrus permenſâ Italiâ Alpes tranſiit, Occidentales Principes omnes ſigillatim monuit, increpavit, rogavitque, ut fratribus in tanta afflictione poſitis ſubvenire non differrent: *Fuitque Domino Papæ, qui eum citra montes ſine dilatione ſequi decreverat, in eodem verbo plurimùm neceſſarius. Nam præcurſoris functus officio, auditorum mentes ad obediendum præparaverat, ut faciliùs idem perſuadere volens, obtineret propoſitum, & univerſorum animos ad ſe compendioſiùs inclinaret*, inquit Tyrius cap. 13.

XLIX. *Urbanus PP. ad hanc expeditionem omnes hortatur.*

Urbanus itaque Papa in Concilio Claromontano *promulgatis canonibus, qui ad morum ædificationem, & corrigendam delictorum enormitatem, poterant proficere, ſuggerente Petro Eremita*, pluribus hortatus eſt omnes, qui in Synodo erant, ut Chriſtianis in afflictione poſitis ſubvenirent: *Noverunt*, inquit in Oratione Synodali à Tyrio cap. 15 relata, *ex vobis nonnulli, qui hæc, quæ loquimur, oculata conſpexerunt fide, & præſens illorum per manum Petri Viri venerabilis, qui præſens eſt, ad nos delata docet Eccleſia. Nos autem de miſericordia Dei, & BB. Petri & Pauli auctoritate confiſi, fidelibus Chriſtianis, qui contra eos arma ſuſceperint, & onus ſibi hujus peregrinationis aſſumpſerint, injunctas ſibi pro ſuis delictis pœnitentias relaxamus*. Eccleſiarum etiam Prælatis, qui aderant, præcepit Urbanus Papa, ut ad propria reverſi cum omni inſtantia & debita ſolicitudine plebes ſuas ad idem hortarentur.

L. *Crux ſumitur pro teſſera militari.*

Non præſentes ſolùm, ſed etiam abſentes Urbani Papæ verba accenderunt. *Non erat in regnis Occidentalibus*, inquit Tyrius, *qui aut ætatis, aut ſexûs, aut conditionis, aut ſtatûs vellet eſſe memor, aut aliquibus perſuaſionibus deterritus ab incepto deſiſteret: ſed omnes indifferenter manus dabant, omnes unanimiter corde, & ore votum profitebantur. Catervatim concurrebant populi, ubicumque unum de Principibus iturum noviſſimè audierant, ut ſe illius comitatui ſociarent, ejuſque ſuper ſe in toto itinere invocarent nomen, obſequia promitterent & fidem*. Erat autem pro ſtipendio indulgentia peccatorum propoſita; atque, ut Petrus Diaconus in Chronici Caſſinenſis lib. 4 cap. 11, ait, pro teſſera militari ſignum ſanctiſſimæ Crucis rubei coloris ſuper ſcapulam dexteram impreſſum veſtibus. Et ut nihil ire volentibus objiceretur impedimenti, ante omnia placuit decreto Synodali ſtatuere, ut cuncta bona eorum qui militarent, ſemper & ubique eſſent in pace, &, ut dictum eſt, Treuga, nempè ab omnibus inquietationibus libera quouſque rediiſſent. Prælati Synodo præſentes ad propria reverſi, adeò profecerunt, ut præ multitudine dantium nomina, opus fuerit dehortari plurimos, quorum vel ætas, vel valetudo pondere militari ſubeundo impar eſſe manifeſtis indiciis videretur. Nec mirum, Urbanus enim Pontifex à Patriarcha Symeone literas commiſeratione dignas acceperat, quibus Chriſti Incunabula, atque Sepulchrum, ceteraque loca ſancta ipſius memoriâ conſecrata, ab Infidelibus Turcis profanata, omnique genere contumeliarum affecta deplorabat.

LI *Urbanus PP. non eſt auctor, ſed promotor Officii B. Virginis.*

Ut autem res difficillima optatum conſequeretur effectum, placuit omnibus, ad promerendum Dei Genitricis auxilium, quòd Urbanum Papam in eodem Concilio Claromontano egiſſe, ſcribit Baronius, ut nempè Horariæ illæ preces, quæ vulgò *Officium Dei Genitricis* appellari conſuevère, quæque apud Monachos Eremitas inſtitutionis Petri Damiani frequentari cœperant, ex

illis

SÆC. XI. URBANUS II.

illis deducerentur ad Clericos: à quibus digné eidem Sanctiſſimæ Virgini perſolvi deberent, ut ipsa apud filium ageret, quo fidelis populus in tot & tantis diſcriminibus ſubeundis ejus præſidio muniretur. Quod quidem tunc à Synodo indictum, & à Clericis pié ſuſceptum, ad laicos fuit etiam tam viros quàm fœminas propagatum, & quidem cum magno fœnore gratiarum. Ita Baronius, qui licèt Urbanum II non faciat hujus Officii inſtitutorem, ſed promotorem, videtur tamen, quod plures alii faciunt, ejus inſtitutionem ad Petrum Damiani referre. Sed Cardinalis Bona in Tractatu de divina pſalmodia cap. 12 § 2 oſtendit Horas Beatæ Mariæ trecentis, & amplius annis ante Petrum Damiani ſe invenire inſtitutas in utraque Eccleſia Græca & Latina. Pro Eccleſia Græca teſtem profert Vincentium Bellovacenſem, qui in Speculo Hiſtoriali lib. 17 cap. 103 ſcribit, Joannem Damaſcenum Reginæ Virginum Horas quotidie ſtudioſiſſimé decantaſse, factùmque Presbyterum in ejus honore Miſsas devotiſſimé, & frequentiſſimé celebraſſe. Joannes autem Damaſcenus vivebat anno Domini 728, cujus Officia de B. Virgine ritu Græco per totum annum extant MSS. in monaſterio Cryptæ Ferratæ in agro Tuſculano. Pro Eccleſia Latina teſtem adducit Petrum Diaconum Caſſinenſem, qui in Commentario in Regulam S. Benedicti cap. 64, quod Romæ MS. aſſervatur apud D. Conſtantinum Cajetanum, ait: *Eo die Abbas nihil aliud niſi panem & aquam comedat, & Canonica ſeptem horarum Officia in commemoratione B. P. Benedicti nunquam dimittat, ſalvo ſcilicet eo, quod in honorem Sanctæ Dei Genitricis perſolvi conſuetudo eſt, quod etiam generaliter ſub diſtricto præcepto Caſſinenſi Congregationi Zacharias Papa obſervare præcepit, conſtituens, ut totius anni tempore tam æſtatis, quàm hyemis ante nocturnale, vel diurnale Officium, mox ut fratres in Choro convenerint, incipiant Officium de S. Benedicto: & eo expleto incboent Officium, quod Regula præcipit, adjuncto etiam Sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ officio*. Hæc Petrus verba faciens de Abbatis Caſſinenſis conſecratione, qui & alibi eandem inſtitutionem refert ad Gregorium ſecundum. Hæc itaque inſtitutio Petro Damiani non adſcribenda, multò minus Urbano II, qui ejus Officii non auctor, ſed promotor extitit, quòd natum & educatum in clauſtris Monachorum, in lucem gentium ſapienter eduxit in Concilio Claromontano, in quo ſtatuit, *ut Horæ beatæ Mariæ quotidie dicerentur, Officiumque ejus diebus ſabbathi fieret*, ex Gaufrido Priore Voſienſi Tomo 2 Bibliothecæ Labbei pag. 292.

LII. *Lemovicis Concilium celebrat.*

Claromontano Concilio celebrato, & finito, poſtquam *per dies decem* duraſſet, ut ſcribit Auctor Magni Chronici Belgici, Urbanus Papa poſt diem 30 Novembris Claromonte diſceſſit; nam Baluzius Tomo 6 Miſcellaneorum pag. 375 ejus reſcriptum refert pro confirmatione electionis Manaſſis Epiſcopi Cameracenſis datum *apud Arvernam ſecundo Kal. Decembris*; pagina verò ſequenti aliud refert, quo confirmantur privilegia Monaſterii Celſiniacenſis, ex quo conſtat eum non multò poſt ex ea urbe receſſiſſe, datum eſt enim *apud oppidum Sancti Flori per manum Joannis S.R.E. Diaconi Cardinalis, indictione* 3 (legendum 4) *ſeptimo Idus Decembris anno dominicæ Incarnationis* 1095, *Pontificatûs autem Domni Urbani ſecundi Papæ VIII.* Inde cum pluribus Archiepiſcopis & Epiſcopis *menſe Decemb.* 10 *Kalendas Januarii* Lemovicas perrexit, & Baſilicam Sancti Martialis dedicavit *ſecundo Kalendas Januarii*, ac in perpetuum *diem illum ſolemnem & celebrem dedicationis agi conſtituit*, ut narrat Joannes Beslyus in Hiſtoria Comitum Pictavorum, & Aquitanorum Ducum ex tabulario Lemovicenſi, in quo habetur, quòd cùm ibidem ab Urbano Papa celebratum eſſet Concilium, in quo, juxta Gaufredum Priorem Voſienſem in Chronico, qui etiam aſſerit Urbanum Papam *decimo Kalendas Januarii* Lemovicas adveniſſe, Humbaldus Lemovicenſis Epiſcopus accuſatus & convictus, ab Urbano Pontifice depoſitus fuit. Quod idem etiam legitur in Chronico Malleacenſi ad annum 1095; in quo & ad annum 1096 habetur de Urbano: *Ubicumque fuit præcepit Cruces facere hominibus, & pergere Jeruſalem, & liberare eam à Turcis & aliis gentibus*. Quare nullum dubium eſſe debet, quin in Synodo Lemovicenſi actum fuerit de expeditione Jeroſolymitana, quod & non obſcuré ſignificant ejus Acta ab eodem Beslyo tranſcripta, & ex eo in Tomum X Conciliorum pag. 598 tranſlata.

LIII. *Ad varias urbes Galliæ pergit.*

Lemovicis Urbanus Pontifex Pictavos ivit, ut diſerté teſtatur Chronographus Malleacenſis hujus temporis Scriptor, qui ad annum 1096 ſcribit: *Urbanus Papa veniens ad feſtivitatem Sancti Hilarii* (quæ celebratur vel 12, vel 13, vel 14 Januarii) *fuit Pictavis, & benedixit monaſterium novum ſexto Kalendas Februarii*, die Dominico. Monaſterium illud vulgò *Montier-neuf* dictum, anno 1068 à Guidone Gofrido Comite Pictavienſi, Duce Aquitaniæ fundatum fuerat, ut ait idem Chronographus Malleacenſis, qui ſubdit: *Poſt hæc perrexit Andegavis, & benedixit monaſterium Sancti Nicolai. Inde abiens Turronis tenuit Concilium in monaſterio Sancti Martini: in quo inter alia reſtauravit Abbatiam Sancti Mauri, & præcepit habere Abbates*, &c. *Inde reverſus eſt Sanctonas civitatem & celebravit*

Digitized by Google

vit ſibi Sanctum Paſcha, & inde remeavit Romam, & in eundo remeavit Nemauſum civitatem, ubi item tenuit Concilium, & reconciliavit Philippum Regem Francorum.

LIV. *Andegavenſes ad expeditionem Jeroſolymitanam hortatur.*

Quid Pontifex egerit apud Andegavos refert Lucas Holſtenius in Collectione Romana parte 2, pag. 222, ex libello MS. Fulconis Comitis Andegavenſis. *In fine iſtius anni* 1096 (legendum 1095, ut ex dictis liquet, & verba ſequentia demonſtrant) *appropinquante Quadrageſima* (ideoque Fulco libelli Auctor annum à Paſchate inchoat) *venit Andegavum Papa Romanus Urbanus, & ammonuit gentem noſtram, ut irent Jeruſalem expugnaturi gentilem populum, qui civitatem illam, & totam terram Chriſtianorum uſque Conſtantinopolim occupaverant. Tunc in Septuageſima dedicata eſt Eccleſia Sancti Nicolai ab ipſo Papa. Conſtituit etiam idem Apoſtolicus, & edicto juſſit, ut in eodem Termino, quo dedicationem fecerat, indictum publicum celebraretur* (ideſt, nundinæ, ut rectè Ducangius in Gloſſario explicat) *unoquoque anno apud Sanctum Nicolaum, & ſeptima pars pœnitentiarum populo convenienti ad illam celebritatem dimitteretur.*

LV. *Turonis Concilium habet.*

Unde diſcedens Cenomanum venit, & inde Turonum; ibique datis venerabili Concilio decretis media Quadrageſima coronatus eſt, & cum ſolemni proceſſione ab Eccleſia Sancti Mauricii ad Eccleſiam B. Martini deductus: ubi mihi florem aureum, quem manu gerebat, donavit: quem ego etiam ob memoriam, & amorem illius in Oſanna (ideſt in die Palmarum) *ſemper mihi, meiſque ſucceſſoribus deferendum conſtitui.* Turonenſe Chronicon MS. à Labbeo Tomo X Concil. pag. 602 laudatum, de hoc Concilio ait: *Urbanus Papa apud Turonas menſe Martio Concilium congregavit, & Eccleſiam Majoris Monaſterii dedicavit. Et in media Quadrageſima in Eccleſia B. Martini, more Romano corona palmarum ſe coronavit.* Denique de eodem Concilio Turonenſi hæc ſcribit Bertoldus: *In tertia hebdomada Quadrageſimæ Dominus Papa Synodum celebravit cum diverſarum Epiſcopis provinciarum, in civitate Turonis, ubi iterum ſuorum præteritorum ſtatuta Conciliorum generalis Synodi aſſenſione roboravit*, &c.

LVI. *Roſam auream Fulconi Comiti Andeg. donat.*

Ex hac Fulconis Comitis Andegavenſis narratione nobis innoteſcit ritus in Eccleſia Romana obſervatus dominica quarta Quadrageſimæ, qua cantatur *Lætare Jeruſalem*, quæ ceteris dominicis paulò celebrior erat, propter Roſam auream muſco & balſamo plenam, quam hac die geſtare ſolebat Summus Pontifex ad Principem, aut magni nominis Virum aliquem poſtea ab ipſo mittendam; cujus ritûs cùm nullum iſto antiquius exemplum retulerit Edmundus Martene cap. 19 Tractatus de Antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis officiis, ubi de illo agit num. 17. Urbanum II hujus fuiſſe auctorem magna mihi ſuſpicio fuit, quam multum auxit Ruperti Abbatis Tuitienſis ſilentium, cùm enim hic Commentarium ſuum de divinis officiis, ſtatim ferè poſt Urbani mortem, anno 1111 conſcripſerit, ut ipſe aſſerit lib. 8 cap. 4, libro tamen 4 cap. 13 exponens ſolemne officium dominicæ quartæ Quadrageſimæ, ritum Roſæ alto ſilentio premit, cujus diſertè meminit Durandus, qui ſæculo ſequenti vixit. Ex quo inferebam illum ritum ideò à Ruperto prætermiſſum, quia ipſi, utpotè recenter ab Urbano II inductus, incognitus erat. Sed poſtea certò comperi illum ritum Urbano II vetuſtiorem eſſe, ſi verum ſit quod ſcribit Theophylus Raynaudus in parvo Tractatu, quem *de Roſa Mediana Romani Pontificis benedictione conſecrata* edidit, qui extat Tomo X ejus Operum, ſcilicet apud Centium Camerarium in libro *de Cenſibus*, mentionem fieri S. Leonis IX inſigne monaſterium Bambergæ exædificantis, & multis privilegiis, ampliſſimaque immunitate donantis anno 1050 impoſita ejuſdem monaſterii Monialibus, à ſe ſub ſpeciali S. Petri protectione conſtitutis, obligatione pendendi quotannis Romanæ Eccleſiæ, aut Roſam auream à Pontifice benedicendam Dominica quarta Quadrageſimæ, aut quantum auri in Roſæ confectionem eſſet inſumendum. Si ergo hæc admittatur narratio, hic ritus paulò antiquior eſt quàm crediderам; ſed tamen non multò ante S. Leonem IX inductus; nec enim qui de divinis officiis poſt Carolum Magnum tractarunt, agentes de Dominica quarta Quadrageſimæ, hujus aut alterius peculiaris ei dominicæ ritûs ullam mentionem fecère. Raynaudo tamen aſſentiri non poſſum in eo quod ait, eam Roſam tunc à Summo Pontifice conſecrari ſolitam, teſtari Innocentium III, & Durandum in Rationali; in Vita enim Innocentii IV oſtendam, ritum benedictionis Roſæ, eo ſedente, nondum fuiſſe inſtitutum. Ceterùm non ſolùm Fulco Andegavenſis Comes in ſuo libello mox laudato, nos docet morem fuiſſe, eadem die dominica *Lætare* coronandi Romanum Pontificem, ſed etiam Chronicon Turonenſe mox etiam laudatum id diſertè aſſerit, addens coronam ex palmis fuiſſe compactam; *more Romano*, inquit, *corona palmarum ſe coronavit* Urbanus, quem morem nemini obſervatum vidi. Poſt Urbanum II Roſam auream ad Alphonſum Hiſpaniarum Regem Eugenium III miſiſſe, Alexandrum III ad Ludovicum VII Francorum Regem, & alios Pontifices ad alios Reges & Principes ſuis locis videbimus.

LVII. *Majoris Monaſterii Turonenſis Baſilicam dedicat.*

Urbanum Papam in urbe Turonica exiſtentem dedicaſſe Baſilicam majoris monaſterii ſancti Martini Turonenſis, aſſerit Auctor

Digitized by Google

Auctor Anonymus in libro de Geſtis Abbatum ejuſdem monaſterii; ubi obſervandum eſt olim in ſolemni Eccleſiarum dedicatione, tres portiones ex Dominico Corpore detractas Altari cum calce, & ſmalta incluſas fuiſſe: Quod in hujus monaſterii Baſilicæ dedicatione præſtitiſſe Urbanum Papam narrat idem Anonymus: *In Altari ergo Dominico*, inquit, *eſt ineffabile corporis Chriſti ſacramentum collocatum cum horum pignoribus ſanctorum, particula ſcilicet victorioſiſſimæ crucis Chriſti*, &c. De hac antiqua Romanæ Eccleſiæ conſuetudine cum ſacris reliquiis tres portiones corporis Chriſti ſacris Altaribus includendi loquitur Celychitenſe Concilium in Anglia anno 816 celebratum canone 2. *Ubi Eccleſia ædificatur, à propriæ diœceſis Epiſcopo ſanctificetur: aqua per ſemetipſum benedicatur, ſpargatur, & ita per ordinem compleat, ſicut in libro miniſteriali habetur. Poſtea Euchariſtia, quæ ab Epiſcopo per idem miniſterium conſecratur, cum aliis reliquiis condatur in capſula, ac ſerventur in eadem Baſilica. Et ſi alias reliquias intimare non poteſt, tamen hoc maximè proficere poteſt, quia Corpus & Sanguis eſt Domini noſtri Jeſu Chriſti*. In magno etiam Exordio Ciſtercienſis ordinis diſt. 3 cap. 23 de Gaufrido Sorenſi Epiſcopo narratur, quòd cùm vetuſtiſſimam quandam Baſilicam reparare ſtatuiſſet, atque antiquum Altare dirui juſſiſſet, *reperit in eo capſulam ſcabroſam ac veterem, Sanctorum reliquias continentem. Porrò inter eaſdem reliquias Corpus Domini repoſitum erat*. Hæc ex Edmundo Martene lib. 2 de Antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 13 num. 11 quod caput eſt de benedictione, & decicatione Eccleſiarum.

LVIII. *S. Saturnini Eccleſiam Toloſæ conſecrat.* Ex urbe Turonenſi Urbanus Papa *reverſus eſt Sanctonam civitatem*, inquit Chronographus Malleacenſis laudatus, *& celebravit ibi Sanctum Paſcha, & inde remeavit Romam*. Sanctonis exiſtens in vigilia Paſchæ dedit bullam pro monaſterio S. Martialis Lemovicenſis, quam refert Baluzius lib. 6 Miſcellaneorum pag. 388, datam *Sanctonis per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis II Idus Aprilis, indictione IV, anno dominicæ Incarnationis 1097, Pontificatûs autem domni Urbani ſecundi Papæ IX*. Poſt diem itaque decimum tertium menſis Aprilis, quo Paſcha anno 1096 celebratum eſt, viæ ſe commiſit; & nonis Maji jam Toloſæ erat; eo enim die ibidem confirmavit privilegia monaſterii Moyſſiacenſis, bullâ ab eodem Baluzio ibidem pag. 391 relata, & data *Toloſæ Nonis Maji, indictione IV, anno dominicæ Incarnationis 197 per manum Joannis S. R. E. Cardinalis*. Quæ duæ bullæ Sanctonis & Toloſæ datæ notantur anno Incarnationis Piſano, qui, ut videre eſt num. 62, noſtrum novem menſibus antecedit, ad quod Baluzius animum non advertit, licèt id neceſſario conſequatur ex indictione, & ex anno Pontificatûs Urbani. Nono Kalendas Junii, ſeu die 24 Maji Toloſæ conſecravit Eccleſiam Sancti Saturnini Martyris. Catellus enim in Hiſtoria Comitum Toloſæ lib. 2 cap. 3 hæc refert ex codice MS. *Anno Domini 1096, indictione IV, nono Kalendas Junii dominus Papa Urbanus unà cum Archiepiſcopo Toletano Bernardo, & Amato Burdigalis Archiepiſcopo*, aliiſque Epiſcopis ibidem deſignatis, *conſecravit Eccleſiam Sancti Saturnini Martyris, Toloſæ Epiſcopi*. Quod idem teſtatur Urbanus ipſe in reſcripto anno ſequenti emiſſo & ab eodem Catello ibidem memorato.

LIX. *Pampilonenſem Eccleſ. in ſuam protectionem ſuſcipit.* Toloſa ad monaſterium Sancti Pontii Tomerienſis appellati venit Pontifex, ibique bulla *die 24 menſis Junii, indictione IV, Pontificatûs anno IX* data Petrum à Roda Epiſcopum Pampilonenſem, ejuſque Eccleſiam in ſuam protectionem ſuſcepit, & quæ Sanctii Majoris Regis tempore geſta fuerant, auctoritate Apoſtolica confirmavit, ut ex Archivis Eccleſiæ Pampilonenſis oſtendit Garibayus lib. 23, cap. 3. Sedem enim Epiſcopalem à Sanctio Majori Navarræ Rege è Leirenſi monaſterio Pampilonem tranſlatam eſſe anno 1028, in Vita Joannis XIX diximus. Sed cùm per hæc tempora Petri Aragonenſium & Navarræ Regis liberalitate, ac Petri à Roda Epiſcopi piis laboribus & munificentiâ, Eccleſia illa valde fuiſſet dilatata, Urbanus Pontifex non ſolùm ea omnia, quæ antea acta fuerant, confirmavit, ſed & ipſam Eccleſiam ac Epiſcopum in ſuam ſuſcepit protectionem. Quo tempore Pampilonenſis Sedes ſubjecta fuerit Cæſarauguſtanæ infra dicetur in Vita Joannis XXII.

LX. *Magalonam pergit.* Ex monaſterio Sancti Pontii Tomerienſis Magalonam, urbem tunc Epiſcopalem, cujus Sedes poſtea Monſpelium tranſlata eſt, perrexit Urbanus Papa; quod colligitur ex Arnaldo de Verdala Epiſcopo Magalonenſi in Catalogo Epiſcoporum Magalonenſium, quem circa annum 1340 ſcripſit, & quem Labbeus Tomo I Bibliothecæ repræſentat: *Anno 96* (legendum 1096), inquit, *in Vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli Urbanus Papa II, qui ad viſitandas & confirmandas Galliæ Eccleſias Alpes tranſiſſet, ad preces dicti Gothofredi Epiſcopi* [Magalonenſis] *intravit Magalonam, ibique ſtetit per quinque dies, & tunc ſecunda die adventûs ſui, ſcilicet dominica, Congregato totius penè Magalonenſis Epiſcopatûs Clero & populo, ſermone facto, aſſiſtentibus Archiepiſcopis, Piſano & Tarraconenſi, ac Epiſcopo Albanenſi, Signenſi, Nemauſenſi, & Magalonenſi; præſentibus Comite Subſtantionenſi, Guillelmo Montiſpeſſulani Domino, de terræ nobilibus totam inſulam Magalonen-*

Digitized by Google

ſem ſolemniter conſecravit, & in omnibus in ea ſepultis ac ſepeliendis abſolutionem omnium delictorum conceſſit, & multa alia privilegia eidem Eccleſiæ donavit &c. San-Marthani quidem hæc referunt ad annum 1095, ſine dubio quia Verdala, cujus nomen alto ſilentio ſuppreſſere, deinde ſcribit, Urbanum II eodem anno Concilium apud Clarum montem celebraſſe; ſed ex hoc ſolùm inferri poteſt, Verdalam in anno celebrationis Concilii Claromontani deceptum eſse, non item quoad annum adventûs Urbani II Magalonam, quem ex Actis Eccleſiæ Magalonenſis deſumſiſſe oſtendit character Dominicæ, quæ anno 1096 concurrebat cum die 29 menſis Junii, quem dicit eſſe ſecundum diem ejus adventus, qui contigit die 28 ejuſdem menſis, ſeu *in Vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli*, quæ anno 1095 concurrebat cum die Jovis, & conſequenter ſecunda dies ejus adventûs cum feria ſexta, non cum dominica. Falli porrò etiam videtur Verdala in eo quod ſcribit, Piſanum Archiepiſcopum fuiſſe aſſiſtentem Summo Pontifici, Civitas enim Piſana à Gelaſio tantùm II facta eſt Archiepiſcopalis, ut infra dicetur. Licèt enim Urbanus Epiſcopum Piſanum totius Inſulæ Corſicæ Archiepiſcopum dixiſſet, ejus tamen reſcriptum executioni mandatum non fuit, ante Gelaſium II.

LXI. *Nemauſi Concilium celebrat.*

Magalonâ Nemauſum profectus eſt Pontifex, ibique Concilium celebravit. *Remeavit Romam*, inquit Chronographus Malleacenſis laudatus, *& in eundo remeavit Nemauſum civitatem, ubi item Concilium tenuit, & reconciliavit Philippum Regem Francorum*. De hoc Concilio intelligendus Bertoldus, qui relato Concilio Turonenſi pergit agere de expeditione Jeroſolymitana, ac deinde de Philippi Regis Francorum abſolutione his verbis: *Philippus Galliarum Rex jam dudum pro adulterio excommunicatus, tandem Papæ, dum adhuc in Galliis moraretur, ſatis humiliter ad ſatisfactionem venit, & abjurata adultera in gratiam reverſus eſt*. Ejuſdem Concilii extant tantùm Canones XVI Tomo X Concil. pag. 605. Illud die duodecima Julii adhuc celebratum fuiſſe oſtendit donatio facta Odiloni Abbati Cluniacenſi & ejus Monachis, terræ Sancti Ægidii per Raimundum Comitem Toloſanorum & Rutenenſem, Ducem Narbonenſem, & Marchionem Provinciæ, quæ dicitur, *facta & confirmata charta in Nemauſenſi Concilio, à domno Papa Urbano II, celebrato anno ab Incarnat. Domini 1096, Indict. IV, ſeptima feria, IV Idus Julii, Pontificatûs domni Urbani Papæ anno IX, regnante Philippo Rege*. Imò Concilium jam celebrabatur die undecima Julii, ut conſtat ex ejuſdem Narratione à Baluzio Tomo 7 Miſcellaneorum pag. 72 relata, quæ ſic cecinit: *Actum eſt hoc apud præfatum Concilium* (Nemauſenſe) *V Idus Julii anno 38. regni Philippi Regis Francorum*.

LXII. *Inde pergit ad monaſterium Sancti Ægidii.*

Nemauſo ad monaſterium Sancti Ægidii, à Benedictinis tunc inhabitatum, quod poſtea ad Presbyteros ſæculares translatum eſt, paucis leucis à Nemauſenſi urbe diſſitum, venit Urbanus Pontifex, ubi confirmavit quæcumque privilegia Revipullenſi monaſterio, in Comitatu Auſonenſi ſito, antea à Pontificibus Romanis ac Principibus conceſſa. Decrevit prætereà ne cui Epiſcopo liceret clauſtrum ipſum, & illic Domino ſervientes, aut capellas ad idem monaſterium pertinentes excommunicare & interdicere ſine Romani Pontificis, vel Legati ejus audientia. Baluzius in Appendice Marcæ Hiſpanicæ Urbani reſcriptum recitat, *datum in monaſterio S. Ægidii*, &c. *XVII Kal. Auguſti, indict. IV, Incarnat. dominicæ anno 1097, Pontificatûs autem domni Urbani II Papæ IX*. Poſtridie idem Pontifex Apoſtolico privilegio munivit monaſterium Balneolenſe in comitatu Biſuldunenſi poſitum reſcripto ibidem recitato & dato *in monaſterio S. Ægidii apud Vallem Flavianam XVI Kalendas Auguſti, indictione quarta, Incarnat. Dominicæ anno 1097, Pontificatûs autem domni Urbani II Papæ anno nono*. Ubi obſervandum eſt in utroque illo reſcripto annum Incarnationis 1097, eſſe annum Piſanum, qui noſtrum computum novem menſibus antecedit, ideoque eſſe annum 1096 communem, ut tam indictio quarta, quàm annus nonus Pontificatûs Urbani nos dubitare non ſinunt.

LXIII. *Inde Avenionem, & Taraſcum.*

E' monaſterio Sancti Ægidii Avenionem divertit Urbanus Papa, ibique donationem à Raimundo Comite Toloſano Odiloni Abbati Cluniacenſi factam, de qua in Concilio Nemauſenſi mox locuti ſumus, iterum confirmavit; & monaſterium Sancti Ægidii privilegio atque immunitate donavit, reſcripto dato *apud Avenionem in monaſterio S. Andreæ XI Kalend. Auguſti, indictione IV, Incarnationis Dominicæ 1096, Pontificatûs autem Domni Urbani II Papæ IX*. Baluzius Tomo 6 Miſcellaneorum pag. 394 refert aliam bullam ab Urbano II datam in eodem S. Andreæ monaſterio eodem die, quæ ſic deſinit: *Datum apud Montem Andaonis in monaſterio Sancti Andreæ per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis XI Kal. Auguſti, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1097, Pontificatûs autem domni Urbani II Papæ IX*. Hic annus Incarnationis eſt etiam Piſanus, nam præterquam quòd tam annus Pontificatûs, quàm indictio demonſtrant eum eſse annum communem 1096, certum eſt Urbanum eo anno deſinente Romæ fuiſse, ut mox oſtendetur. Eſt hæc bulla pro Eccleſia Sancti

cti Saturnini Toloſæ. Sed ut Urbani Papæ in Italiam redeuntis veſtigia ſectemur, obſervandum venit Bertoldum in chronico ad annum 1096 deceptum eſſe, cùm ſcripſit, Urbanum *exaltationem Sanctæ Crucis apud Hortariam propè Papiam* celebraſſe. Nam triduo ante Exaltationem Sanctæ Crucis eum Taraſci ad Rhodanum, quatuor leucis Avenione diſſiti, egiſſe docet charta ex chartulario monaſterii Sancti Victoris Maſſilienſis deſcripta, & à Boucheo lib. 9 Hiſt. Provinciæ pag. 83 relata, in qua habetur: *Notum fieri volumus, quòd venerabilis Papa Urbanus anno Incar. Domin.* 1096, *ſui autem Pontificatûs octavo* (legendum nono) *III Idus Septemb. per caſtrum Taraſconem tranſiens*, &c. Imò 17 Kalendas Octobris adhuc erat in Provincia: nam Noguierus in libello de Epiſcopis Avenionenſibus, hujus Pontificis bullam recitat, qua Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis Avenionenſis, Regulam Sancti Auguſtini aſsumere volentium, conſilium promovet & confirmat, datam *XVII Kalend. Octob. Avenione*. Porrò, ut id obiter dicam, vita regularis ab eo tempore ea in Eccleſia obſervata fuit uſque ad Sixtum IV, qui anno 1475 Canonicos religioſis legibus ſolvit, ut habet idem Noguierus.

LXIV. *In Italiam redit.*

Non multò poſt diem 15 menſis Septembris Urbanum Papam Avenione in Italiam rediiſse, ex eo conjicio, quòd Robertus Normanniæ Comes, qui eodem menſe Septembri iter arripuit ad expeditionem Jeroſolymitanam ſuſcipiendam, Urbanum Papam repererit, & cum eo locutus fuerit prope urbem Lucam. Id conſtat ex lib. 1, cap. 2 Hiſtoriæ Jeroſolymitanæ Fulcherii Carnotenſis ab anno 1095 ad 1127 perductæ, ubi loquens de exercitu Francorum in Orientem proficiſcente, ait: *Menſe Septembri Robertus Normanniæ Comes iter arripuit, cum quo ivit etiam Stephanus Comes Bleſenſis Theobaldi filius*. Et infra. *Nos Franci Occidentales per Italiam excurſa Gallia tranſeuntes, cùm uſque Lucam perveniſſemus, invenimus prope urbem illam Urbanum Apoſtolicum, cùm quo locuti ſunt Comes Robertus Normannus, & Comes Stephanus, nos quoque ceteri, qui voluimus. Et ab eo benedictione ſuſcepta, gaudentes Romam ivimus*. Quæ menſe circiter Octobri exeunte contigiſſe videntur; nam circa illud tempus Pontifex Mediolanum profectus eſt, antequàm Romam pergeret, ubi, ex mox dicendis, Natale Domini celebravit. Porrò Robertum Normanniæ Comitem menſe Septembri expeditionem Jeroſolymitanam ſuſcepiſſe, teſtantur etiam Ordericus lib. 9, pag. 724, Rogerius Hovedenus, & Simeon Dunelmenſis.

LXV. *Hugoni Viromanduorum Comiti S. Petri vexillum tradit.*

Hugonem Magnum Philippi Francorum Regis fratrem fuiſſe in hac expeditione cum Roberto Comite Normanniæ, & Roberto Comite Flandrenſi, ſcribit Auctor Anonymus in Hiſtoria belli ſacri, quam Mabillonius Tomo 1 Muſæi Italici parte 2 publicavit: *Tertia pars*, inquit, *per antiquam viam Romam venit. In iſta verò parte fuit Robertus Comes Flandrenſis, & Robertus Comes Normannus, & Ugo Magnus, & alii plures*. Quare cùm Urbanus Papa Hugoni Viromanduorum Comiti in prima expeditione ſacra vexillum Sancti Petri deferendum tradiderit, ut habent paſſim Scriptores rerum Jeroſolymitanarum, vel id contigit antequam è Gallia rediret, vel in vicinia Lucæ Civitatis, ubi tunc morabatur Urbanus, teſte Fulcherio Carnotenſi laudato.

LXVI. *Mediolani S. Herlembaldum in SS. numerum refert.*

Urbanum Papam ex Gallia redeuntem Mediolanum, petiiſſe, diſertè habet Landulphus à Sancto Paulo in ſuo Chronico cap. 28, ubi mentionem faciens cujuſdam rei in ſua juventute geſtæ, ait: *Urbanus Papa Synodum Placentiæ celebravit* (anno nempe 1095) *atque de Francia Mediolanum redivit* (anno ſc. 1096). *In qua civitate cùm ipſe Papa ſtaret, in pulpito Sanctæ Theclæ immenſæ multitudini hominum utriuſque ſexûs prædicavit, quòd minimus Clericus de Eccleſia Dei eſt major quolibet Rege mortali. Addidit etiam, quòd Clerici & Sacerdotes per pecuniam in Eccleſias non ſunt introducendi*. Mediolani exiſtens Pontifex Sanctum Herlembaldum, de cujus martyrio in Vita Gregorii VII locuti ſumus, Sanctis Martyribus connumeravit, & nobiliori tumulo donavit, ut teſtatur Auctor Chronici, cui titulus, *Flos florum*, anno 1399 compoſiti, in quo apud Puricellum lib. 1, cap. 6, n. 2 ſub Guidone Archiepiſcopo Mediolanenſi hæc leguntur: *Hoc tempore paſſus eſt Beatus Arialdus Martyr & Levita. Jacet in corpore* (nempe Eccleſiæ) *Sancti Dionyſii. Beatus quoque Herlembaldus miles, qui amaſias Sacerdotum perſequebatur, occiditur, & per Urbanum ſecundum Papam in Eccleſia Beati Dionyſii ſepelitur in avello* (ideſt in ſepulchro) *in pariete, ubi ejus paſſio depicta eſt*. Cùm autem Urbanus II antequam in Franciam veniret, per urbem Mediolanenſem anno 1095 tranſierit, Puricellus lib. 4, cap. 81 exiſtimat, *Herlembaldum* eo potius anno, quàm 1096 *ab Urbano Papa connumeratum Sanctis Martyribus, & nobiliori tumulo traditum*. Sed Annotator Baronii veroſimilius putat Urbanum urgentibus tunc univerſalis Eccleſiæ negotiis totum intentum, rem in ſuum è Francia reditum diſtuliſſe, cùm præſertim major de Herlembaldi virtutibus & miraculis informatio capienda eſſet.

LXVII. *Romam revertitur.*

Bertoldus in Chronico poſtquam ſcripſit Urbanum *bene diſpoſitis rebus in Gallia*, poſt

Digitized by Google

poſt reconciliationem Regis Galliarum, & poſt multa Concilia tandem in Longobardiam cum magno triumpho & gloria repedaſſe, poſtea ſubdit: *Dominus Papa tandem ad Apoſtolicam Sedem cum magna gloria & tripudio reverſus Nativitatem Domini Romæ cum ſuis Cardinalibus glorioſiſſimè celebravit, quippe tota Romana urbe ſibi ſubjugata, præter turrim Creſcentii, in qua adhuc latitabant Guibertini*, quamque Urbanus anno tantùm 1099 in ſuam poteſtatem redegit, ut teſtatur idem Bertoldus ad eum Chriſti annum: *Urbanus*, inquit, *Natalem Domini Romæ cum magna pace celebravit, nam & caſtellum Sancti Angeli*, (ſeu turrim Creſcentii) *cum aliis munitionibus in ſua poteſtate detinuit, omneſque æmulos ſuos in civitate cum Dei adjutorio ſatis viriliter aut placavit, aut vi perdomuit*. Quid porrò toto illo anno milleſimo nonageſimo ſeptimo egerit Urbanus Papa, deficientibus monumentis, nos latet; Concilium enim Barenſe, quod illi anno à Baronio & Conciliorum Collectoribus illigatur, pertinet ad annum 1098, ut ſtatim oſtendo.

LXVIII. *Bari in Apulia Concilium celebrat.*

Lupus Protoſpata in Chronico, & Chronographus Barenſis, qui quandoque, exemplo Græcorum, Apuliam, Calabriam & Siciliam incolentium, cum quibus vivebant, annum Incarnationis à Kalendis Septembris auſpicantur, Concilium Bari in Apulia Kalendis Octobris ab Urbano II celebratum conjungunt cum anno Incarnationis milleſimo nonageſimo nono, qui ex ipſorum calculo incœptus erat Kalendis Septembris anni milleſimi nonageſimi octavi. Prior enim ait: *Anno* 1099, *menſe Octobri Papa Urbanus congregavit univerſam Synodum in civitate Bari, in qua fuerunt* 185 *Epiſcopi, & menſe Junii in feſtivitate Sancti Petri Apoſtoli comprehenſa eſt Jeruſalem civitas à Chriſtianis ...... & menſe Julii prædictus Papa Urbanus obiit, & datus eſt Paſchalis Papa*. Barenſis verò Chronographus, cujus verba cum ſolecìſmis refero, ſcribit; 1099 *indict.* 7 (quæ currebat menſe Octobri anni 1098) *tertia die intrante menſe Octobr. venit Papa Urbanus cum plures Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Abbatibus & Comitibus intraverunt in Bari, & ſuſcepti ſunt cum magna reverentia, & præparavit domino Helia noſtro Archiepiſcopus mirificam ſedem* (pro Papa) *intus in Eccleſia beatiſſimi Nicolai Confeſſoris Chriſti, & fecit ibi Synodum per unam hebdomada. Poſt completis dies octo perrexit in pace* (nempè Papa) *& in menſe Julii obiit ipſe Urbanus, & ſurrexit Paſchalis Papa*. Cùm itaque uterque Chronographus menſem Julium anni Chriſti 1099, quo revera Urbanus Papa obiit, collocent poſt menſem Octobrem, quo Concilium Barenſe celebravit, manifeſtè indicant ſe loqui de menſe Octobri anni 1098, quo revera currebat indictio ſeptima à Chronographo Barenſi memorata. Idem habent Rogerius Hovedenus part. 1 Annal. pag. 467, & Simeon Dunelmenſis de Geſt. Reg. Angl. qui ad annum 1098 habent; *Urbanus Papa comitante ſecum Dorobernenſi Archiepiſcopo Anſelmo, ut illi mandarat, ad Concilium, quod apud Barum Kal. Octobris celebrari conſtituit, proficiſcitur. In quo Concilio plurima de fide Catholica ab Apoſtolico diſſerta ſunt facunda ratione*. Concilii itaque Barenſis epocha, jam rectè à Gerberonio in Cenſura Operum Sancti Anſelmi nova editione à ſe donatorum annotata, certa & indubitata videtur, ut ait Annotator Baronii, ex quo hæc excerpta.

LXIX. *Ad illud cum S. Anſelmo Cantuar. proficiſcitur.*

Sed quia Sanctus Anſelmus hujus Concilii Barenſis os, ingeniumque fuit, quædam hîc de eo annotanda. Hic ſanctus anno milleſimo nonageſimo ſeptimo, *feria quinta, quæ fuit Idus Octobris*, ut ſcribit Eadmerus lib. 2 Novorum cap. 2, diſceſſit ab aula Willelmi Magnæ Britanniæ Regis, à quo vexabatur propter inveſtituras, & die ſequenti Romam profecturus, ad portum Dafris venit. Lugduni moratus eſt uſque ad feriam tertiam ante Dominicam Palmarum anni milleſimi nonageſimi octavi, quo die Lugduno receſſit, & poſt aliquot dies Romam pervenit; ſed propter calorem æſtivum, Joannes quidam olim Monachus Becci, eum ſuſcepit ut patrem, & duxit in villam ſuam ſitam propè Teleſinam urbem, tunc Epiſcopalem, Beneventano Archiepiſcopo parentem, nunc ferè deſertam, ubi *inſigne volumen edidit, quod* Cur Deus Homo *intitulavit: quod opus ſicut in prologo ejus ipſe teſtatur, in Anglia cœpit, ſed hîc, in Capuana videlicet provincia, conſtitutus abſolvit*, inquit Eadmerus, ſeu Edimerus laudatus cap. 3, ubi ſubdit: *His fermè diebus Rogerius Dux Apuliæ adunato grandi exercitu, Capuanam civitatem à ſua ditione reſilientem obſidebat: & audita fama Anſelmi, directis nunciis, rogavit eum venire ad ſe: cupiens illum videre & alloqui, atque per eum de his, quæ ſaluti ſuæ adminiculari poterant, informari. Ivit ergo Pater ad eum. Adhuc longè eramus, & ecce Dux ipſe, copioſa Ducum multitudine ſeptus patri occurrit; ac in oſcula ruens, ei pro ſuo adventu gratias egit. Plures ex hinc dies in obſidione fecimus, remoti in tentoriis à frequentia & tumultu perſtrepentis exercitûs. Cùm autem inter hæc Sedis Apoſtolicæ Pontifex Urbanus illò adventaret, & ei ab Anſelmo ac Principibus totius exercitûs obviam itum eſſet, ingenti ſæcularis gloriæ pompa proſecutus, ductus eſt in tentorium, quod ei propè nos erat ceteris excellentius conſtitutum. Sicque donec civitas in deditionem tranſiit, obſidio illius Dominum Papam, & Anſelmum vicinos habuit, ita ut familia illorum ma-*

gis

Digitized by Google

gis videretur una, quàm duæ. Subjicit paulò poſt Edimerus: *Obſidione ſoluta, Anſelmus cum Papa ad Averſanam civitatem vadit*, quæ ſita eſt Capuam inter & Neapolim. Inde Urbanus Papa Salernum venit, ubi, teſte Malaterra lib. 4, cap. 29, colloquium cum Rogerio Duce habuit; tandem *comitante ſecum Dorobernenſi Archiepiſcopo Anſelmo*, ut habet Rogerius Hovedenus laudatus, *ad Concilium, quod apud Barum Kalendis Octobris celebrari conſtituit, proficiſcitur*.

LXX. *Agitur in eo de proceſſione Spiritus Sancti.*

Ad illud Concilium Pontifex vocaverat etiam Græcos, ut eos cum Latinis uniret, ne expeditio Orientalis ex eorundem Eccleſiæ ſchiſmate pateretur impedimentum. Hujus Concilii Acta perierunt, quorum ea duntaxat nota facta ſunt nobis, quæ in agitatis ibidem inter Græcos & Latinos antiquis controverſiis, ac potiſſimùm de proceſſione Spiritûs Sancti, ad eorundem Græcorum confutationem ſcripta ſunt à ſancto Anſelmo, cujus iter, ac miracula in eo edita, honoremque ei ac laudes, cùm ab aliis, tum ab ipſo Urbano Papa delatas, Edimerus laudatus peregrinationis comes in ipſius Vita deſcripſit; ibique agens de Concilio Barenſi, ait, Anſelmum perſuaſum à Papa, Græcos in proceſſione Spiritûs ſancti rationabili, & Catholica diſputatione confutaſſe, indeque magni apud omnes eſſe habitum; & veneratione digniſſimum comprobatum. Quare Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus in Epiſtola ad Anſelmum poſt Concilium Barenſe ſcripta, ait: *à proborum relationibus didici, Vos in concilio Barenſi ſermonem habuiſſe de Spiritu ſancto, quem calumnioſa Græcorum verſutia à Filio minimè procedere fabulatur. Quod igitur adverſùs hanc illorum dementiam in præfato promulgaſtis Concilio, ſuccincto tractatu deprecor annotari. Et quia ipſi Latinorum Patrum teſtimonia non ſuſcipiunt, his auctoritatibus opus flagitatum munire non tædebit, quas Græca calliditas & ſuas fateatur & noſtras*. Reſcripſit ſanctus Anſelmus Epiſtolam, ſeu librum de proceſſione Spiritûs ſancti contra Græcos, ex divinæ tantùm Scripturæ pharetra petitas ſagittas in hoſtes, quos confecit, emittens, ut ex eodem commentario conſtat. In eodem Concilio cùm Urbanus Papa de ſententia Patrum ad fulmen excommunicationis in Regem Anglorum vibrandum paratus eſſet, flexis genibus pro ipſo ſupplicans ſanctus Anſelmus, cujus ob vexationem Summi Pontificis indignationem meritò incurrerat, fulmen ab ejus cervicibus avertit, teſte Edimero laudato, & Willelmo Malmeſburienſi de Geſtis Pontif. Angl. lib. 1.

LXXI. *Urbanus PP. Romam redit.*

Finito Concilio, ſubdit Edimerus, *à Baro diſceſſimus, comitatum Papæ Romam uſque non deſerentes*. Addit poſtea Willelmum quemdam à Willelmo Angliæ Rege miſſum, cauſam ſpoliati Anſelmi reddidiſſe, ſed eam Urbanum II non probaſſe, eique dixiſſe, ut rediret, & præciperet Regi *ex parte B. Petri, quatenus mota omni contradictione* Anſelmum *ſuis omnibus integrè reveſtiat, ſi excommunicari* recuſaret. *Itaque fac*, addidit Pontifex, *ut quid hinc velit, ſcire me faciat ante Concilium, quod tertia hebdomada Paſchæ in hac urbe ſum celebraturus: alioquin certiſſimè noverit, ſe in eodem Concilio damnationis ſententia puniri, quam promeruit*. Sed deductus eſt poſteà Pontifex ab ea ſententia: *ac pro voto Willelmi, inducias uſque ad feſtum ſancti Michaelis dedit Regi. Acta ſunt hæc in ipſis ſolemniis Nativitatis Chriſti*, anni nempè 1098, quod ex dictis de Concilio Barenſi neceſſariò ſequitur.

LXXII. *Secundam ibidem Synodum cogit.*

Anno itaque milleſimo nonageſimo nono, tertia hebdomada poſt Paſcha, Pontifex Romanum Concilium ordine II celebravit, de quo Chronographus Malleacenſis ſcribit: *Eo anno fuit factum Romæ Concilium, quod noviſſimè tenuit Urbanus Papa ſeptimo Kalendas Maji* (in uno MS. habetur, *pridie Kalendas Maji*, & quidem rectè, quia dies ſubſequens Kalendarum Majarum concurrebat cum Dominica tertia poſt Paſcha; & Concilium, ex dictis numero ſuperiori, indictum erat ad hebdomadam tertiam poſt Paſcha) *in quo confirmavit viam ſancti ſepulchri Domini noſtri Jeſu Chriſti: & decrevit in ipſa Synodo, omni ſexta feria jejunare pro peccatis ſuis, omnibus Chriſtianis, & maximè pro illis, quibus non confeſſi ſunt immemores*. Rogerius verò Hovedenus: *Anno*, inquit, 1099 *Urbanus Papa tertia hebdomada Paſchæ magnum Concilium tenuit Romæ, in quo excommunicavit omnes laicos, inveſtituras Eccleſiarum dantes, omneſque illas accipientes, & eos, qui pro Eccleſiaſticis honoribus laicorum hominum ſervi, & quaſi ancillæ ſiunt*. Bertoldus verò poſtquam dixit, Pontificem Natale Domini anni 1098, quo die incipit annum 1099, Romæ celebraſſe, ſubdit eum collegiſſe Romæ generalem Synodum *centum quinquaginta Epiſcoporum, Abbatum, & Clericorum innumerabilium, tertia hebdomada poſt Paſcha*, in qua confirmatis deceſſorum ſuorum ſtatutis, *ſententiam anathematis ſuper Guibertum hæreſiarcham, & omnes ejus complices iteravit. Statuit quoque ibi, ne communicare præſumerent iis, qui concubinas haberent, niſi prius eas dimitterent*. Hujus Concilii extant canones XVIII, quorum duodecim priores iidem ſunt cum iis, qui editi ſunt in Concilio Placentino anni 1095, quos cùm Urbanus in Claromontana Synodo promulgaſſet, in hoc quoque Concilio confirmavit.

LXXIII. *Robertus Moliſmenſis Abbas Ciſtercienſem Ordinem fundat.*

Anno milleſimo nonageſimo octavo Apoſtolicæ Sedis auctoritate jacta eſſe fundamen-

damenta prima Ciſtercienſis Ordinis, ex quo tanquam è fonte rivi univerſus Occidens cœleſtibus donis irrigatus eſt, docent non ſolùm Sigebertus in Chronico, & Ordericus Vitalis lib. 8 pag. 711, ſed etiam verſus in fronte Eccleſiæ Ciſtercienſis deſcripti.

Anno milleno, centeno, bis minus uno,
Pontifice Urbano, Gallorum Rege Philippo,
Burgundis Odone Duce & fundamina dante,
Sub patre Roberto cœpit Ciſtercius ordo.

Robertus anno 1075 monaſterium Moliſmenſe in Lingonenſi Epiſcopatu ſitum fundaverat, ſed poſtea ſancti Benedicti Regulam diligenter perſcrutatus, convocavit fratres, eoſque ſic affatus eſt: *Nos, fratres chariſſimi, ſecundùm normam S. Patris Benedicti profeſſionem fecimus; ſed ut mihi videtur, non eam ex integro tenemus. Multa quæ ibi non recipiuntur, obſervamus; & de mandatis ejus plura negligentes intermittimus. Manibus noſtris non laboramus, ut ſanctos Patres feciſſe legimus*, &c. His dictis Monachi non acquievére, *imò prædeceſſorum, quorum vita evidentibus miraculis inſignita manifeſtè refulſit, exempla & inſtituta, venerabilium veſtigiis trita Virorum moderatis novitatibus* objecerunt. Hæc & plura alia conſtanter dicentibus Monachis, Robertus Abbas in ſua pertinax ſententia receſſit ab eis cum duodecim ſibi aſſentientibus, quibus *Odo filius Henrici, Burgundiæ Dux*, prædium in loco, *qui Ciſtercius dicitur*, in Epiſcopatu Cabilonenſi largitus eſt. *Ibi Robertus Abbas cum electis fratribus aliquandiu habitavit in eremo; nimiæ diſtrictionis & religionis cœnobium conſtruere cœpit; Deoque donante in brevi pleroſque ſanctitatis æmulatores habuit.*

LXXIV. *Urbanus Papa ei præcipit ut Moliſmum redeat.*

Sed cùm Moliſmenſes Roberto diſcedente deſpicabiliores erga vicinos & notos fierent, Urbanum Papam ſupplices adierunt, auxilium ab eo poſtulantes. Ille verò Roberto Abbati *Apoſtolica juſſit auctoritate, ut prius monaſterium repeteret, & ne laberetur, regulariter regeret; ac in alio, quod poſtmodum cœperat, quemlibet de ſuis idoneum ſubſtitueret. Deinde firma ſtatuit ſanctione, ut imprimis quiſque quam vellet inſtitutionem vitæ arriperet, ipſamque omni vita ſua irrefragabiliter teneret*, &c. *Coactus itaque Robertus Abbas Moliſmum repedavit, ibique laudabiliter uſque ad finem vitæ ſuæ Deo militavit. Albericum verò magnæ religionis Virum ad Opus Ciſtercii Vicarium ſibi elegit, & Joanni ac Hilbodo Attrebatenſibus, aliiſque viginti duobus fratribus Abbatem Ciſtercii conſtituit.* Hæc ſummariè ex Orderico laudato, ubi ea refert uno tenore ad annum 1094. Annus emortualis S. Roberti Ciſtercienſis Ordinis fundatoris incompertus. Vita ejus à Monacho Moliſmenſi Anonymo ſæculo XII ſcripta extat in Actis SS. Bollandianis ad diem 29 menſis Aprilis, & Labbeus Tomo I Biblioth. pag. 640 refert *Origines Ciſtercienſis Ordinis incertis Auctoribus* ſcriptas, ubi plura de ejus fundatione habentur, in quibus literæ Urbani II, Paſchalis II, & aliorum hujus fundationis occaſione datæ, & proceſſus canonizationis ſancti Roberti mandato Honorii II factus, recitantur. De eo ſub Paſchali II, Urbani II ſucceſſore, iterum ſermo redibit.

LXXV. *Urbani II ſancta mors.*

Poſt tot, tantoſque labores, rebus feliciter peractis, paceque Eccleſiæ reddita, meritis multò magis quàm annis onuſtus, Urbanus pius Pontifex obiit Romæ anno milleſimo nonageſimo nono, die quarto Kalendarum Auguſti, ſepultuſque eſt in Baſilica Vaticana, poſtquam Apoſtolicæ Sedi annos 11, menſes 4, dies 18, emortuali incluſo, præfuiſſet; conſecratus enim fuerat die 12 menſis Martii anni 1088, & hoc fine controverſia; nam præterquamquod Bertoldus in Chronico eum die IV Kalend. Auguſti obiiſſe ſcribit, id etiam diſertè teſtatur Simeon Dunelmenſis in Hiſt. de Geſt. Reg. ad annum 1099. *Urbanus Papa*, inquit, *IV Kal. Auguſti feria V obiit*, verùm loco, *feria V*, legendum, *feria VI*, ut litera Dominicalis B demonſtrat; Urbanum autem *quarto Kalendas Auguſti*, ſeu die 29 Julii è vivis exceſſiſſe, conſtans eſt Antiquorum ſententia.

LXXVI. *Ejus memoria, & ſepulchrum.*

Licèt Urbani II Papæ memoria in Urbe, ſicut & in totó Orbe Chriſtiano ſemper in benedictione fuerit; nullo tamen unquam cultu publico honoratus fuiſſe videtur, tametſi nomen ejus in nonnullis martyrologiis, & ſacris faſtis cum *Beati* titulo occurrat. Satis ſit hoc proferre unum pro omnibus Martyrologium Benedictinum, in quo apud Mabillonium Sæculo VI Benedict. part. II pag. 904 hæc leguntur die 29 Julii: *Romæ depoſitio Beati Urbani Papæ ſecundi, quondam Monachi Cluniacenſis, Cruciatæ ad recuperationem Terræ Sanctæ auctoris, libertatiſque Eccleſiaſticæ defenſoris acerrimi: qui poſt multas ab Henrico Imperatore quarto acceptas injurias, poſt exilium, & pravas ærumnas, aliaque id genus, tandem ſanctitate clarus Confeſſor occubuit.* Quare Domnizo elogium ejus, rudi quidem, ut ætas illa ferebat, ſed veraci muſa cecinit in Vita Mathildis Comitiſſæ, his verſibus:

Non erat hic Rector tremulus quaſi cannula vento,
Sed veluti ferrum truncabat noxia verbo;
Ut cervum ſerpens, hæreſum ſic turba timet quem:
Cuncta ſibi prava ſubduntur dogmata falſa.
Nunquam decrevit libertas denique ſedis
Romanæ per eum, ſanctum peramat quia Petrum

Au-

SÆC. XI. URBANUS II.

Aureus Antiſtes, color optimus extitit ipſe
Scilicet Urbanus, Sanctis meritò ſociatus,
Talem væ Romę cùm perdidit Upilionem.
Mortuus eſt Romę, digno conditus honore,
Julius ipſe dies binos cùm dat prope finem,
Anno milleno, nonagenoque noveno
A' nato celſo prima de Virgine Verbo.

Hos verſus, ut Urbani epitaphium, referunt Auguſtinus Oldoinus in Notis ad Ciaconium, & Joannes Palatius; ſed Romanus Canonicus agens de Oratorio S. Hadriani, ait quidem juxta illud eſſe *ſepulchrum domini Urbani Papæ ſecundi ſatis pulchrum*, verùm nullam alicujus epitaphii mentionem facit, quod rebus adhuc turbatis videtur omiſſum, poſteaque neglectum. Tandem tamen aliquis eidem ſepulchro inſcripſit breve ſed nobile hoc elogium, quod refert Ciaconius: *Urbanus II auctor expeditionis in Infideles*. Ad ejus quippe triumphum pertinet capta Jeroſolyma per Godefridum Buillionium Lotharingiæ Ducem anno 1099, *menſe Julio, quinta decima die menſis, feria ſexta, circa horam diei nonam*, inquit Willelmus Tyrius lib. 3, cap. ult. quatuor ſcilicet ſupra decem diebus, antequam Urbanus II ex hac vita ad æternam diſcederet, ut nimirùm in Cœlo poſſet triumphare, *cui non erat in terris par laboribus honor*, ut ſcribit Baronius.

LXXVII. *S. Attilanum Zamorenſem Epiſcop. in Catalog. SS. adſcripſit.* Urbanus II non ſolùm Sanctum Herlembaldum, ut ſuperius oſtenſum eſt, Sanctis Martyribus annumeravit, ſed Sanctum etiam Attilanum Zamorenſem Epiſcopum in Sanctorum catalogum adſcripſit, ut teſtatur Martyrologium Romanum ad diem 5 menſis Octobris, in cujus notis Baronius ait, Attilanum, ſeu Attilianum claruiſſe circa annum Domini 820, ſaltem in editione, qua utor, Venetiis anno 1590 curata; nam Mabillonius Sæculo VI Benedict. part. 1 pag. 59, ſcribit, Baronium Attiliani mortem in Notis ad Martyrologium Rom. revocare ad annum circiter 920, qui error forſan librariis adſcribendus; ſed quidquid ſit, Baronius poſtea in Annalibus de Attilano agit ad annum 1027, cùmque non Zamorenſem, ſed Legionenſem Epiſcopum dicit, aitque tunc etiam floruiſſe Florianum Presbyterum, *qui Sanctorum honore digni, jure catalogo ipſorum reperiuntur adſcripti*. Sed Mabillonius tam loco laudato, ubi agit de Floriano, ſeu Froilano, quàm pag. 83, ubi de Sancto Attilano, oſtendit Froilanum fuiſſe Epiſcopum Legionenſem in Hiſpania, & Attilanum Epiſcopum Zamorenſem, & utrumque vixiſſe exeunte ſæculo decimo, ac Attilanum circa annum 1009, vitæ ſuæ ſeptuageſimum, in Domino obdormiiſſe; Froilanum verò circa annum 1006. Ex quibus patet Baronium in Notis loqui de Attiliano Zamorenſi pariter Epiſcopo, qui, ut fatetur Mabillonius, ſæculo nono floruit, & in Annalibus de Attiliano altero, quem non Zamorenſem, ſed Legionenſem Epiſcopum credidit.

PASCHALIS II *Pontif. CLX.*

Anno Domini MXCIX.

SÆC. XII. I. *Paſchalis II eligitur Papa.*

RAinerii, ſeu Ragingerii, Cardinalis Presbyteri Tituli Sancti Clementis, Paſchalis II in Pontificatu vocati, creationem Bertoldus ad annum 1099 in Chronico, quod eo anno abſolvit, his verbis refert, poſtquam dixit Urbanum II die IV Kalend. Auguſti ex hac luce migraſſe: *Poſt cujus obitum Dominus Paſchalis, qui & Regengerus in ordine CLXII Papa ordinatur, & hoc ex divina revelatione factum ubique divulgatur*. Dies ejus electionis ex Pandulpho Piſano, qui Vitam ejus ſcripſit, mox indicabitur, nempe dies decimus tertius menſis Auguſti. Ex eo Auctore habemus Rainerium fuiſſe Monachum Cluniacenſem, valde eruditum, & veniſſe Romam pro cauſis ſui monaſterii, ibique ob morum honeſtatem Gregorii VII notum factum Presbyterum, Cardinalem fuiſſe conſecratum, & Urbano mortuo, cùm Pontificatum declinare vellet, fugiſſe, & latuiſse. *Sed non diu*, inquit, *potuit in unius commodum humano latére conſilio, quem in multorum ſalutem divini Numinis gratia revelare diſpoſuit. Invenitur, trahitur in Conventum, & convenitur, de fuga arguitur à Patribus*. Et poſt pauca Patres ſic loquentes inducit: *Ecce te in Paſtorem ſibi expetit dari populus Urbis, te elegit Clerus, te collaudant Patres, denique in te ſolo totius Eccleſiæ quievit examinatio. Divinitùs iſta proveniunt: divinitùs hìc congregati in nomine Domini, te ad ſummi Pontificatûs apicem & eligimus & confirmamus. Sic eo diu renitente à Primiſcriniis, & Scribis Regionariis, mutato nomine ter acclamatum eſt, reſponſumque Paſchalem Papam S. Petrus elegit*. Hanc electionem factam die 13 Auguſti ex eo convincitur, quòd idem Pandulphus ſcribit eum ordinatum, *die altero menſis ſexti* [ſeu Auguſti, qui ſextus eſt à Martio] *XIV, die primo*, ideſt dominico, qui primus eſt hebdomadæ, quam diem etiam notat Bertoldus in Chronico, ubi poſtquam ſcripſit Urbanum IV Kal. Aug. ex hac vita migraſſe, & Paſchalem ordinatum, ſubdit: *Ordi-*

SÆC. XII.

 di-

Digitized by Google

dinatus eſt autem à Clero & populo, poſt diſceſſum ſui prædeceſſoris die decima ſexta, ſeu die 14 menſis Auguſti, in quam Dominica cadebat.

II. Inthronizatur.

Poſt laudata verba ſubjungit Pandulphus: *His, aliiſque laudibus ſolemniter peractis, chlamyde coccinea induitur à Patribus, & thiara capiti ejus impoſita, comitante turba cum cantu Lateranum vectus ante eam portam, quæ eſt ab Auſtrali plaga, ad Baſilicam Salvatoris, quam Conſtantinianam dicunt, adducitur; equo deſcendit, locaturque in Sede, quæ ibidem eſt. Deinde in Patriarchali, aſcendensque palatium ad duas curules devénit. Hic baltheo ſuccingitur, cum ſeptem ex eo pendentibus clavibus, & ſeptem ſigillis: ex quo ſciat ſe ſecundùm ſeptiformem Spiritûs Sancti gratiam, Sanctarum Eccleſiarum, quibus Deo auctore præeſt, regimini, in claudendo, aperiendoque, tanta ratione providere debere, quanta ſolemnitate, id quod intenditur, operatur. Et locatus in utriſque curulibus* (ideſt ſedibus, de quibus in fabula de Joanna Papiſſa locuti ſumus) *data ſibi ferula in manu, per cetera palatii loca, ſolis Pontificibus Romanis deſtinata, ſolus jam Dominus, vel ſedens, vel tranſiens, electionis modum implevit die altero menſis ſexti XIV, die primo conſecrandus in Pontificem.* Ad intelligentiam porrò horum verborum, *chlamyde coccinea induitur*, obſervandum venit hoc tempore violaceum, ſeu ceruleum colorem ſolum viſum fuiſſe in habitu Cardinalium; uti ex vetuſtis monaſterii ſui Caſſinenſis picturis docet Angelus de Nuce, in Notis ad Leonis Chronicon lib. 3, cap. 66, ubi Deſiderius, ſeu Victor III electus in Pontificem, *cappam rubeam* inducere conſenſit: atque hæc eſt, quæ hîc *chlamys coccinea* dicitur. Ita Angelus de Nuce apud Papebrochium in Paſchali II.

III. Conſecratur, & coronatur.

Dies ordinationis Paſchalis II, eſt dies decimus quartus menſis Auguſti, qui dominicalis erat, ut ex laudatis Pandulphi verbis eruitur, & confirmatur à Bertoldo laudato, qui poſt ſuperiora ſubdit: *Ordinatus eſt autem à Clero & populo poſt diſceſſum ſui prædeceſſoris die decima ſexta*, quæ convenit in XIV Auguſti. Scribit deinde Pandulphus ſex Epiſcopos, nempe Oddonem Oſtienſem, Mauritium Portuenſem, Galterium Albanenſem, Bozonem Lavicanum, Milonem Præneſtinum, & Ottonem Nepeſinum inter Miſſarum ſolemnia in Baſilica Sancti Petri Paſchali manum impoſuiſſe. *Primus*, inquit, *in conſecratione Oddo Oſtienſis, qui ad hoc utitur pallio, & benedixit, & linivit cum Chriſmate. Catholicè igitur à Catholicis & orthodoxis Epiſcopis in Pontificem conſecratus, translato in ſe pallio, expletiſque, quæ reſtabant, Miſſarum ſolemniis, cum plenitudine laudum, cum ingenti applauſu populi, plebiſque, cum alacritate Patrum ac devotione, Dominus Paſchalis Papa II coronatus in urbem rediit*, ideſt ad Lateranenſe Patriarchium, quod Romæ ſitum dicitur, cum Baſilica Vaticana, totaque urbs Leonina trans Tiberim, extra Romam etiamnum ſita cenſeatur. Paſchalis itaque electus, in Baſilicam Lateranenſem deductus eſt, ibique inthronizatus die ſabbathi, decima tertia Auguſti anni 1099, poſtridie decima quarta ejuſdem menſis conſecratus eſt in Baſilica Vaticana Sancti Petri, ibique coronatus ad Patriarchium Lateranenſe ductus eſt; contra quod factum in Nicolao primo inſinuat Anaſtaſius Bibliothecarius ſcribens, eum poſt ſuam inthronizationem in Baſilicam Vaticanam deductum, ibique conſecratione peracta Lateranum rediiſſe, ubi coronatus eſt, ut in ejus Vita diximus; cùm Pandulphus dicat, Paſchalem II in Vaticana Baſilica coronatum, indeque in Lateranenſe palatium rediiſſe.

IV. Electio ejus divinitùs prænunciata.

Paſchalis II electionem divinitùs factam eſſe ſcribit Bertoldus num. 1 laudatus; *Papa*, inquit, *ordinatus, & hoc ex divina revelatione factum ubique divulgatur.* Eandem electionem cuidam Religioſo revelatam aſſerit Dodechinus Abbas in Appendice ad Marianum Scotum; Pandulphus verò Piſanus in Vita Paſchalis laudata ait, Albertum Epiſcopum Aletrinum, quidquid futurum eſſet per oraculum vidiſſe, remque eodem ferè modo, quo Dodechinus narrat: *dum hæc Romæ agerentur*, inquit, *Albertus Epiſcopus Aletrinus quidquid affuturum eſſet per oraculum vidit. Religioſo cultu quædam perſona ſibi apparuit, quæ, interroganti quis Domno Urbano ſuccederet, reſpondit: Rainerius. Ut quid? inquit. Propter fidem & conſtantiam, ait ille, elegit eum Dominus. Et iterum, putaſne, inquit ille, vivet? Vivet, ait, ſedebitque* (*& oſtendit id ſcriptum*) *quater quaterni ternique. Epiſcopus ſciturus rem Romam venit: quem ut vidit inthronizatum & Papam. Quod vidi, inquit, Deo gratias, video: & tu quantum vives, videas. Et ait: Quater quaterni, terni que. Hoc numero decem & novem annorum tempus exprimitur: nam cùm tot dies, hebdomades, & menſes eo ſuperſtite jam tranſierint, vitam ejus ad totidem annos produci per Dei gratiam expectamus.* Revera autem Paſchalis II vixit in Pontificatu annos decem & novem incompletos, ſeu annos decem & octo, menſes 5, dies 7, ut in ejus morte oſtendemus. Certè pro miraculo duci debet, quòd vivente adhuc Guiberto Antipapa, & ob eum in factiones Urbe olim conſciſſa, in electionem Paſchalis omnes ſimul in Urbe, nemine adverſante, conſenſerint. Porrò Auctorem Vitæ Paſchalis II, qui

Digitized by Google

qui ſub Anonymi nomine citatur à Baronio, eſſe Pandulphum Piſanum, non verò Petrum Piſanum, ut ſcribit Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico, probat Annotator Baronii ad annum 1100 num. 1.

V.
Paſchalis PP. Legatum mittit ad exercitum Cruceſignatorum.

In prima expeditione Jeroſolymitana anno milleſimo nonageſimo ſexto ſuſcepta, cum Chriſtianis militibus ex Occidente profecti ſunt multi Epiſcopi, inter quos Ademarus Podienſis, Anicii Vellunorum Epiſcopus, eminuit Apoſtolica legatione ſublimis. Sed hoc Legato in Oriente mortuo, Theobertus, ſeu Daibertus, vel Daymbertus Piſanus Epiſcopus ab Urbano II Legatus directus eſt, qui *in omnibus Apoſtolica vice adeſſet, & Eccleſias in locis, unde pagani expulſi ſunt, inſtauraret*, inquit Bertoldus in Chronico ad annum 1098. Sed Guibertus Abbas monaſterii S. Mariæ Novigenti, hujus temporis Scriptor, qui Bertoldo exactior videtur lib. 7, Daymbertum à Paſchali II Legatum deſtinatum diſertè ſcribit; *Poſt aliquantulum temporis*, inquit, *cùm facta apud Apoſtolicam Sedem percrebuiſſet electio* (nempè Arnulphi in Epiſcopum ſeu Patriarcham Jeroſolymitanum, poſt mortem Simonis, ſeu Simeonis Patriarchæ) *Papa Paſchalis poſt obitum Podienſis Epiſcopi* (nempè Ademari) *vices ſuas ſuper Dominici exercitûs curas Archiepiſcopo Daiberto Piſano mandavit*. Hic Daibertus non multò poſt Patriarcha electus eſt in locum Arnulphi dignitate moti, quod exeunte anno 1099 factum eſſe prodit Fulcherius Carnotenſis, qui præſens erat, lib. 1, cap. 21 Hiſt. Jeroſol. & refert Baronius ex Willelmo Tyrio ad eundem annum, ubi addit, Daimbertum Patriarcham Jeroſolymitanum dictum, Jeroſolymis Concilium congregaſſe, in quo Godefridus Buillionius Jeroſolymorum Rex, regni inveſtituram à Patriarcha accepit, & Boamundus Principatûs Antiocheni à Bernardo Antiocheno Patriarcha.

VI.
Legatos in Galliam mittit, qui Regem Philippum in Concilio Pictavienſi excommunicant.

Philippum Galliarum Regem in Concilio Claromontano ab Urbano II excommunicatum, ac poſtea in Concilio Nemauſenſi Eccleſiaſticæ paci ſub conditione abjurandæ Bertradæ, quam, ejectâ Berthâ Reginâ, ſibi matrimonio junxerat, ab eodem Pontifice reſtitutum eſſe, ſuperius in Urbano II oſtendimus. Sed cùm poſtea idem Rex ad eandem Bertradam reverſus eſſet, Paſchalis Papa Joannem & Benedictum Cardinales Legatos in Galliam miſit, qui celebrato in urbe Valentina Concilio exeunte Septembri anni milleſimi centeſimi, Philippum Regem adierunt; ſed cùm nihil apud eum profeciſſent, Concilium celebrarunt Pictavis die Octavarum Sancti Martini ejuſdem anni, Epiſcoporum quidem, Abbatumque frequentiâ illuſtre; ſed quod vi & furore Willelmi VIII Aquitaniæ Ducis & Pictaviæ Comitis diſturbatum fuit, ut referunt Gaufredus Groſſus in Vita S. Bernardi primi Abbatis Tironienſis, qui cum Roberto de Arbriſſellis Concilio adfuit, Hugo Flaviniacenſis in Chronico ad annum 1100, & Joannes Bochetus Scriptor Gallicus Annalium Aquitanicorum, qui licèt rem diverſimodè narrent quantum ad violentias Willelmi Ducis, in hoc tamen omnes conveniunt Philippum Regem hoc in Concilio fuiſſe excommunicatum; quod idem aſſerunt Ivo Carnotenſis in Epiſtola 212 ad Rudolphum Remenſem Archiepiſcopum, & Chronici Malleacenſis Auctor: *propter quam accuſationem*, inquit Ivo, *& patrati inceſtûs comprobationem excommunicatus eſt Rex Philippus à Domno Papa Urbano in Claromontenſi Concilio. Et cùm poſt factum divortium prædictus Rex eſſet reverſus ad prædictæ mulieris conſortium, excommunicatus eſt in Pictavenſi Concilio à Cardinalibus Joanne & Benedicto*. Chronicon verò Malleacenſe, 13 *Kalend. Novemb.* inquit, *fuit Concilium, quod tenuerunt duo Cardinales, Joannes & Benedictus, in quo decreverunt, ut omnis Eccleſia jura ſua & feuda potuiſſet redimere auro & argento Eccleſiæ. Uni eorum Joanni apparuit Sanctus Hilarius, & dixit ei confirmando: Joannes noli timere, viriliter age, cras ero tecum. Et excommunicavit Regem Philippum in eo Concilio*, quod impedire volebat Willelmus Aquitaniæ Dux, ab eodem Rege rogatus, ut habent Gaufredus Groſſus, Hugo Flaviniacenſis, & Bochetus laudati. Canones XVII in eo Concilio conditi Tomo X Conciliorum legendi, ubi obſervatur ex Sirmondo, Canones decem, quos recitat Baronius, pertinere ad aliud Concilium Pictavenſe, anno 1078, præſide Hugone Dienſi Epiſcopo, Gregorii VII Legato, celebratum.

VII.
Vibertus Antipapa moritur.

Dum hæc in Gallia aguntur, Guibertus Antipapa, Clemens III dictus, Ravennenſis olim Archiepiſcopus, extorris utraque ſede, Romana nempè, & Ravennatenſi, *dum ſuperbè Deum, quem in ſervis ſuis offenderat, fugere nititur, infælix ſubita morte præventus, diabolum, cui contumaciter ſervivit, invenit*, inquit Pandulphus Piſanus in laudata Paſchalis Vita, ubi ſubdit: *Tranſitus, imò mortis illius diem ſcire exiſtimo indignum fore mortalibus, ejuſque memoriam in terris ſcribere, cujus nomen Deus in Cœlis de libro vitæ delevit. Hæreſiarcha fuit: hic ſibi ſit titulus*. Dies itaque mortis ejus ignoratur, ſed ex Hugone Flaviniacenſi habemus, eum obiiſſe exeunte circiter Septembri, vel tardiùs menſe Octobri anni milleſimi centeſimi. Poſtquam enim dixit Concilium Valentinum celebratum eſſe 2 *Kal. Octobris* ejuſdem anni, ſubjicit: *In ſpatio temporis, quo Valentinenſe celebra-*

Digitized by Google

lebratum eſt Concilium , obiit Vvibertus viceſimo anno , ex quo ſedem invaſit Apoſtolicam , cùm haberet , in captione Matiſconenſem Epiſcopum , & alios quamplures Clericalis ordinis , quos omnes pro abſolutione ſua in egreſſu ſuo per ſe abſolvit , monens Epiſcopum , ut Romam remeans apud Papam pro ſua laboraret ereptione . Rectè itaque Otto Friſingenſis , Sigebertus , Dodechinus Abbas , & Urſpergenſis Abbas Guiberti Antipapæ mortem cum anno milleſimo centeſimo illigarunt , perperamque in annum ſequentem eam differt Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico. Guibertus, ſeu Wibertus fuit *vir ſatis ingenio , facundia , nobilitate , perſonæque reverentia clarus , nec Roma tunc , nec Ravenna benè uſus , & qui ſuper unum Papam viventem* (ſcilicet Gregorium VII) *quamvis coactus , ut ajunt , ipſe tres ſibimet alternatim ſuccedentes ſupervixit* (nempè Gregorium VII , Victorem III , & Urbanum II) *extorris utraque ſede Romæ, & Ravennæ , malens , ut ab ipſius ore didicimus , Apoſtolici nomen nunquam ſuſcepiſſe* , inquit Urſpergenſis Abbas , qui cùm Chronicon ſuum uſque ad annum 1228 perduxerit, quæ de Wiberto refert ab ipſius ore didiciſſe non potuit , ideoque hæc verba mutuatus eſt, & exſcripſit ab aliquo Auctore hoc tempore vivente, in cujus perſona loquitur , qui loquendi modus ab aliis Scriptoribus quandoque uſurpatus , ut obſervavit Annotator Baronii ad annum 1100 num. 3.

VIII. Duo Antipapæ ei ſuccedunt.

Poſt mortem Wiberti *duo ſtatim deliguntur Papæ , alter poſt alterum. Et unus quidem eodem , alter verò poſt CV electionis ſuæ diem à fidelibus captus, qui Albertus vocabatur, apud S. Laurentium Averſæ retrudi ; & qui Theodoricus apud S. Trinitatem in Cava eremiticam vitam addiſcere , Patrum judicio adjudicati ſunt* , inquit laudatus Auctor Vitæ Paſchalis II. Albertus itaque,qui primus à ſchiſmaticis electus eſt Antipapa, eodem ſuæ electionis die captus eſt , & apud S. Laurentium retruſus . Theodoricus verò pſeudo-Pontificatum tenuit diebus CV , ideoque uſque ad menſem circiter Januarium anni milleſimi centeſimi primi, hicque ad Cavenſe monaſterium deductus; vel ſaltem uterque judicati ſunt à Patribus, deduci debere ad S. Laurentium , & ad S. Trinitatem in Cava . Quod nomen ſibi iſti pſeudo-Pontifices impoſuerint , à nemine Antiquorum annotatum reperitur.

IX. Item tertius, qui Silveſter IV dicitur.

Sed tertius Antipapa electus, & promotus eſt , ac Silveſter quartus appellatus, cùm antea vocaretur Maginulfus , ſeu Maginolfus , tunc Archipresbyter , de cujus electione ſtatim ſubdit idem Auctor Vitæ Paſchalis II : *Eligitur & tertius Maginulfus nomine . Hic quia nigromantiæ fabulis ſimplicem populum , illos maximè ,qui conſcientia ſcelerum , vel ambitu futuri ſucceſſûs ad eum refugium fecerant , allicuerat , gravem in Eccleſiam calcem impreſſit . Sed dum auguriis fiſus , Pontificium adipiſci nititur ; quod ex diabolo dari non potuit , divinis deſtitutus auxiliis meritò amiſit , & Sacerdotium , quod ſine Deo arripuit , tenere non licuit ; miſer amiſit & Urbem , et exul gravi inopia , miſeriiſque afflictus (corroſa, ut ajunt lingua) vitam cum carne* [legendum forsàn cum crimine] *finiret* . Hunc fuiſſe Archipresbyterum , & vocatum Silveſtrum IV , habemus ex genuino Chronico Sigeberti à Miræo publicato, in quo ad annum 1105 refertur *Excerptum Epiſtolæ directæ Henrico Imp. à Guarnero Principe Anconitano* , qui ſchiſmaticis adhærebat , in qua Maginolfus Archipresbyter appellatur , & falsò dicitur Pontificatum declinaſſe , in ea enim ſubjicitur : *Maginolfus & inſidias hominum , & onus Apoſtolici honoris fugiens , in munitiſſimum locum ſe contulit . Berto verò caput & Rector Romanæ militiæ , quaſi causâ audiendi verbi vitæ , ad eum accedens cum expeditione Cleri , & populi eum inde extraxit , & ad Vvernerum Principem Anconæ in Tiburtinam urbem adduxit , & ſic electus 4 Non. Novembris in ſedem Apoſtolicam promotus , & Silveſter quartus appellatus eſt* . Sigebertus verò ait ibidem : *Maginolfus invaſionis reus non multò poſt reprobatur à Romanis , & fama nominis ejus evanuit* . Sed Maginolfi intruſio ex mente Sigeberti pertinere videtur ad annum 1105.

X. Tempus iſtius ultimi Antipapæ.

Certè alligari non poteſt cum anno milleſimo centeſimo , quia quarto Nonas Novembris illius anni ſchiſmatici Theodoricum in Apoſtolicam Sedem intruſerant, qui centum quinque diebus pſeudo Pontificatum tenuit, ex Pandulpho laudato ; qui licèt Maginolfi intruſionem referat , poſtquam locutus eſt de aliis duobus pſeudo-Pontificibus , nec annum tamen , nec menſem ejus invaſionis refert , ſed uno tenore de illis tribus loquitur . Nec etiàm differri poteſt hæc intruſio ad annum 1105 , quo Henricus Imp. ad extremas anguſtias redactus erat ; retrahi itaque debere videtur ad annum 1102 , quo Abbas Urſpergenſis ſcribit , Henricum tentaſſe *alterum Papam ipſi Domino Paſchali ſuperponere , ſi fieri poſſet* . Quæ conjectura fulciri videtur ex eo quòd anno 1102 , dies quartus Nonarum Novembrium , ſeu dies ſecundus Novembris , quo ordinatus dicitur Maginulfus , inciderit in dominicam , quo die legitimi Pontifices Romani conſecrari ſoliti erant , quod etiam ferè ſemper imitati ſunt ſchiſmatici , cùm pſeudo-Pontifices in Apoſtolicam Sedem intruſerunt , ut ex ſuperiùs dictis conſtat . His ſcriptis reperi Abbatem Urſpergenſem ad annum 1106 ſcribere : *Inter hæc Vvernerus quidam ex ordine mi-*

niſte-

Digitized by Google

niſterialium Regis, qui Marchæ in partibus Aquini præerat, quaſi hæreſim eandem reſuſcitaturus, collectis undecumque per Italiam copiis, corruptis quoque multa pecunia Romanis nonnullis, dum Dominus Apoſtolicus Beneventanis immoraretur finibus, quemdam pſeudo-Abbatem de Farfa, proh nefas! cathedræ S. Petri impoſuit, & ipſum Papam Cæſaris ſub vocabulo Sylveſtri appellari voluit. Qui tamen poſt paululum turpiter, ut merebatur, à Catholicis eliminatus, veſaniæ ſuæ primùm, malè conquiſiti, pejus diſperſi æris retulit damnum. Verùm id anno 1106 contingere non potuit, ut ſcribit Urſpergenſis, quia tunc Paſchalis menſe Octobri Guaſtallenſe Concilium in Longobardia celebravit, indeque in Gallias venit, & tamen Urſpergenſis ſcribit, Paſchalem Papam Beneventanis in finibus fuiſſe tempore invaſionis Maginulfi, Sylveſtri appellati. Cùm autem Epiſtola 51 Paſchalis ad Altardum Abbatem Vezeliacenſem data ſit *Beneventi anno Dominicæ Incarnationis* 1103 (Piſano, qui nobis adhuc erat 1102) *menſe Novembr. Indictione undecima, Pontificatûs ejuſdem ſecundi Paſchalis Papæ, anno IV*, hæc Maginulfi invaſio ad eundem Chriſti annum 1102 videtur retrahenda; ut jam dixi. Illum porrò annum Incarnationis vel eſſe Piſanum, vel corruptum, demonſtrat annus Pontificatûs Paſchalis quartus, qui currebat menſe Novembri anni 1102, ſicuti & indictio undecima à menſe Septembri inchoata, qui characteres non conveniunt anno vulgari 1103; Maginulfus autem die ſecunda Novembris Pontificatum invaſit. His adde Henricum IV Imperatorem anno 1106, menſe Auguſto defunctum eſſe, & filium ejus Henricum V tunc Eccleſiæ obedientem fuiſſe.

XI. *Paſchalis PP. Ciſtercienſem Ordinem confirmat.*

Sed ut ad geſta anni milleſimi centeſimi redeam, Robertus Abbas Moleſmenſis, qui ante biennium monaſterium Ciſtercienſe in diœceſi Cabilonenſi conſtruxerat, eodem anno milleſimo centeſimo, duos ex Monachis Romam miſit cum literis commendatitiis Joannis & Benedicti Cardinalium, Apoſtolicæ Sedis in Gallia Legatorum, quorum mox mentionem fecimus, Hugonis Archiepiſcopi Lugdunenſis, atque Walteri Epiſcopi Cabilonenſis, quorum precibus Paſchalis Papa ordinem Ciſtercienſem confirmavit, reſcripto *Trojæ* dato *XIV Kal. Maji, indictione VIII*, quod integrum extat Tomo X Concil. pag. 623, & apud Baronium anno 1100, directumque eſt *ad Albericum Abbatem novi monaſterii Cabilonenſis*, qui anno ſequenti 1101 arctiſſimam Regulæ Sancti Benedicti obſervationem inſtituit in novo ſuo monaſterio, ut videre eſt apud Manriquez in Annalibus Ciſtercienſibus. Ceterùm Ciſtercienſis Ordo ſtatim mirificè propagatus eſt; anno enim 1113 *Firmitas* ad Gronam Fluvium, Gallicè *La Fertè*, prima Ciſtercii filia in eadem diœceſi Cabilonenſi fundata fuit; *Pontiniacum*, vulgò Pontigny, ſecunda Ciſtercii filia, quatuor ab Autiſiodoro leucis anno 1114 condita; *Claravallis* autem & *Morimundus*, tertia & quarta Ciſtercii filiæ in Diœceſi Lingonenſi anno 1115 inſtitutæ. Quæ quatuor Abbatiæ ſunt quaſi totidem Ciſtercii filiæ primigeniæ, ex quibus exinde ceteræ omnes exortæ ſunt, de quibus fuſè agit idem Manriquez laudatus.

XII. *Legatum mittit in Orientem.*

Præter Legationem in Galliam miſſam, plures alias decrevit Paſchalis Pontifex eodem anno milleſimo centeſimo. Cùm enim de progreſſu exercitûs Chriſtiani in Palæſtina certior factus eſſet, & Daimbertus Apoſtolicæ Sedis Legatus Eccleſiæ Jeroſolymitanæ thronum conſcendiſſet, Paſchalis Mauricium Portuenſem Epiſcopum Legatum in Orientem deſtinavit, literis datis *Romæ quarto Nonas Maji, indictionis octavæ*, & directis *venerabilibus fratribus, ſive filiis, Epiſcopis, Clericis, Proceribus, militibus, & omni populo militiæ Chriſtianæ in Aſia triumphantis*, in quibus ait: *Vices etiam noſtras eidem fratri Mauricio & Epiſcopo commiſimus, ut eum in omnibus reverenter excipere, audire, & per ipſum nobis, imò Beato Petro obſequi debeatis*. Referuntur hæ literæ Tomo X Concil. pag. 622, & in Annalibus Baronii.

XIII. *Alium in Germaniam.*

Ad regimen autem Germanicarum Eccleſiarum, quas Henricus Imperator perſecutione vexabat, Paſchalis Papa legationem Apoſtolicam credidit Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo, viro planè Apoſtolico, de quo iſta Bertoldus ad annum 1100, quo Chronico ſuo finem imponit: *Dominus Papa Paſchalis Nativitatem Domini* (anni nempe 1099, quo die annum 1100 inchoat) *Romæ cum magna pace celebravit, & per literas ſuas venerabili Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo in Teutonicis partibus Apoſtolicas vices commendavit, quas ab anteceſſoribus multis annis obtinuit*.

XIV. *Alium in Angliam, qui re infecta redit.*

Denique *eodem anno*, ſcilicèt milleſimo centeſimo, inquit Eadmerus lib. 3 Novorum cap. 1, *venit in Angliam Guido Archiepiſcopus Viennenſis* (poſtea Papa ſub Calliſti II nomine), *functurus, ut dicebat, legatione totius Britanniæ ex præcepto & auctoritate Apoſtolicæ Sedis. Quod per Angliam auditum, in admirationem omnibus venit; inauditum ſcilicet in Britannia cunctis ſcientes quemlibet hominum ſuper ſe vices Apoſtolicas gerere, niſi ſolùm Archiepiſcopum Cantuariæ. Quapropter ſicut venit, ita reverſus eſt, à nemine pro Legato ſuſceptus, nec in aliquo Legati officio functus. Exinde cùm ad tempus induciarum Paſcha* (anno 1101) *ventum eſſet, & qui Romam miſſi fuerant nuncii* (à Rege ſcilicet, & à

San-

Sancto Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo) *needum rediſſent*, *uſque ad adventum illorum induciæ dilatæ ſunt*. Agebatur tunc de Inveſtituris, quas Henricus Angliæ Rex petebat, & Anſelmus à Summi Pontificis ſententia recedere nolebat.

XV. *Rotenſem Epiſc. Barbaſtam transfert.*

Petrus Aragoniæ Rex Barbaſtram oppidum in limite Ripacurciæ ſitum anno milleſimo centeſimo Saracenis eripuit, ut teſtatur Chronographus Malleacenſis ad eum annum ſcribens: *Petrus Rex Aragundiæ* [ideſt Aragoniæ] *cepit Barbaſtam & multa caſtella*, *& pugnavit cum Moabitis* [ideſt Saracenis] *apud Oſcam*, *& vicit*, *& ſubjugavit civitatem decimo quinto Kalendas Novembris*. Captâ Barbaſtrâ, Petrus Rex hujus loci Eccleſiæ Epiſcopum præſidere cupiens, Pontium Epiſcopum Rotenſem Romam ad Paſchalem Papam miſit, qui ad Barbaſtrenſem Eccleſiam ab eodem Pontifice translatus eſt, decretoque eodem Eccleſiæ Barbaſtrenſis & Rotenſis unitæ ſunt. Obſolevit autem poſtea paulatim appellatio Epiſcopi Rotenſis, ut ſcribit Baluzius lib. 4 Marcæ Hiſp. ad annum 1101.

XVI. *Toletana Eccleſia Primatum confirmat.*

Eodem anno milleſimo centeſimo primo Paſchalis Pontifex ſcribens ad Bernardum Archiepiſcopum Toletanum, confirmavit Primatum Toletanæ Eccleſiæ ſupra omnes Hiſpaniarum Eccleſias; quod ipſum jam præſtitiſſe Urbanum II ſuo loco diximus; ſinguli autem fermè ſucceſſores idem præſtiterunt. Paſchalis literæ hac de re datæ ſunt *Laterani per manum Joannis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis*, *ſecundo Nonas Martii*, *indictione octava* [legendum nona, quæ concurrit menſe Martio anni 1101 cum anno ſecundo Pontificatûs Paſchalis] *Incarnationis dominicæ anno* 1101, *Pontificatûs autem domini Paſchalis Papæ ſecundi anno ſecundo*, extantque Tomo X Concil. pag. 626.

XVII. *Concilium Romæ celebrat.*

Anno Chriſti milleſimo centeſimo ſecundo, tempore Quadrageſimæ convenientibus Romæ univerſis Apuliæ, Campaniæ, Siciliæ, Tuſcaniæ, totiuſque Italiæ Epiſcopis, & quampluri morum Ultramontanorum Legatis, Synodum generalem habuit Paſchalis Papa ad pertractandam cauſam Henrici Imperatoris, qui & ipſe ei intereſſe promiſerat. Verùm cùm non ſolùm non compareret, ſed etiam Antipapam ſubintroducere adversùs Paſchalem moliretur, ſententiam ibi rursùs excommunicationis accepit, ipſumque ejus ſchiſma inter præcipuas hæreſes annumeratum, quæ doceret Excommunicationem Eccleſiæ contemnere. Inſuperque edita eſt Catholicæ fidei profeſſio, de præſtanda ab omnibus obedientia Apoſtolicæ Sedis Pontifici. Hæc narrat Abbas Urſpergenſis, qui & refert formulam anathematiſmi & fidei profeſſionem, ſeu Juramentum fidelitatis ac obedientiæ Romano Pontifici præſtandum, cujus hic eſt tenor: *Anathematizo omnem hæreſim*, *& præcipuè eam*, *quem ſtatum præſentis Eccleſiæ perturbat*, *quæ docet & adſtruit anathema contemnendum*, *& Eccleſiæ ligamenta ſpernenda eſſe*. *Promitto autem obedientiam Apoſtolicæ Sedis Pontifici domino Paſchali*, *ejuſque ſucceſſoribus*, *ſub teſtimonio Chriſti & Eccleſiæ*, *affirmans quod affirmat*, *damnans quod damnat Sancta & univerſalis Eccleſia*. Quòd autem multi ab Eccleſiæ unitate & à Sedis Apoſtolicæ obedientia reſilirent, idcircò ad prædictam fidei profeſſionem etiam cum juramento exhibendam alligatos fuiſſe Epiſcopos, Archiepiſcopos, ac denique omnes, à quibus eam Romanus Pontifex exigere vellet, conſtat ex Epiſtola V Paſchalis Papæ ad Archiepiſcopum Colocienſem, non Panormitanum data, qua declarat, Apoſtolicam Sedem Pallium ei non daturam, niſi prius præſtet fidelitatis & obedientiæ juramentum, & repellit objectiones eorum, qui juramentum à Chriſto prohibitum, & nullo exemplo id exigi, nulliſque canonibus præſcribi objiciebant, formulamque ſeu profeſſionem fidei vindicat, quam Gregorius VII præſcripſerat.

XVIII. *Sumptus Legatis neceſſarios ſolvere recuſant Hungari.*

Ad hujus loci intelligentiam & illuſtrationem obſervandum eſt, Gregorium VII Legatorum in provincias mittendorum commodis conſulentem, Metropolitanis formulam præſcripſiſſe, quam jurare debebant, cùm pallium eis ab Apoſtolica Sede dabatur. In ea formula addita eſt clauſula de procurationibus Legatorum, ut certi eſſent, ſibi ſumptus ab iis, ad quos mittebantur, ſuppeditatum iri. Clauſulæ illius hæc ſunt verba in Sacramento Archiepiſcopi Aquilejenſis facto in Synodo Romana anni 1079 in collectione Concil. Tomo X pag. 379, & apud Baronium eodem anno num. 9. *Legatum Romanum eundo & redeundo honorificè tractabo*, *& in neceſſitatibus ſuis adjuvabo*. Hungari tamen detrectaverunt illa munera ſeu tributa dare, quæ citra contradictionem eis in aliis provinciis ſolvebantur. Colligitur iſtud ex laudata Paſchalis II Epiſtola ad Archiepiſcopum Colocienſem data, qui ad eum ſcripſerat, Regem & regni Majores admiratione permotos, quòd pallium ſibi ab Apocriſariis Apoſtolicæ Sedis tali conditione oblatum fuiſſet, ſi Sacramentum juraret, quod ei per Apocriſarios eoſdem miſerat Summus Pontifex, ideſt Sacramentum à Gregorio VII inſtitutum, de quo mox diximus. Quare Paſchalis Papa, ut Hungaros ad obſequium inclinet, oſtendit quid ſit pallium, deinde diſſerit de auctoritate Romani Pontificis in univerſa Eccleſia, & denique docet, juramentum illud per omnes ubique provincias vigere: *Nunquid*, inquit, *non ultra vos*

Sa-

Digitized by Google

Saxones, Danique conſiſtunt? Et tamen eorum Metropolitani, & idem juramentum aſſerunt, & Legatos Apoſtolicæ Sedis honorificè tractant, & in ſuis neceſſitatibus adjuvant. Falſa autem iſtius Epiſtolæ inſcriptio, quæ extat in libris Decretalium, Baronium in errorem induxit. Nam, ut obſervatum eſt à Franciſco Florente ad Tit. *de uſu & auctoritate pallii*, & à Baluzio in ſupplemento lib. 5 de concordia cap. 48, num. 3, in libris Decretalium legendum non eſt *Panormitano Archiepiſcopo*, ut vulgò editum eſt, & Baronius ac Conciliorum collectores habent, ſed *Colocienſi Archiepiſcopo*.

XIX. *Contributiones indebitæ à quibuſdam Legatis petitæ.*

Querebantur forſan Hungari de contributionibus indebitis, quæ à Legatis exigebantur; nam ex illa clauſula inſerta formulæ à Gregorio VII Metropolitanis præſcriptæ, ſumpta quandoque occaſio contributiones indebitas exigendi, indeque illa Joannis Salisberienſis querela lib. 5, Policrat. cap. 16. *Sed nec Legati Sedis Apoſtolicæ manus ſuas excutiunt ab omni munere, qui interdum in provinciis ita debacchantur, ac ſi ad Eccleſiam flagellandam egreſſus ſit Satan à facie Domini.* Et lib. 6 cap. 24, *provinciarum diripiunt ſpolia, ac ſi theſauros Crœſi ſtudeant reparare.* Quæ per hæc tempora adeò publica erant, ut Sanctus Bernardus ad Eugenium III Epiſtolam ſcripſerit, qua eum monet, ut tales in Cardinalium collegium admittat, qui cùm legatione Sedis Apoſtolicæ ornati fuerint, *Eccleſias non ſpolient, ſed emendent, qui marſupia non exhauriant, ſed corda reficiant, & crimina corrigant*, qui cùm ad Apoſtolicam Sedem redierint, *redeant fatigati quidem, ſed non ſuffarcinati ſimul & gloriantes; non quòd curioſa ſeu pretioſa quæque terrarum attulerint, ſed quòd reliquerint pacem Regnis, legem Barbaris, quietem monaſteriis, Eccleſiis ordinem, Clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum.* Hæc & alia hujuſmodi plura Baluzius loco citato, de quibus etiam Baronius variis in locis. Ad eundem porrò annum 1102 revocanda Legatio Polonica Galonis Bellovacenſis & poſtea Pariſienſis Epiſcopi, qui nonnulla in Polonia corrigens, aliquos Epiſcopos depoſuit, ut refert Longinus. Hanc legationem ad annum 1102, non verò 1104, pertinere, oſtendit Annotator Baronii ad eundem annum 1104, num. 1.

XX. *Paſchalis PP Inveſtituras in Anglia damnat.*

Cùm diſcordiæ, quæ inter Henricum Angliæ Regem, & Sanctum Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem, ob inveſtituras Eccleſiaſticas, de quibus aliquid ſupra tetigimus, in dies magis excreſcerent, Rege eas ſibi ſumere volente, Anſelmo verò eas è ſæculari potentia vendicare ſtudente: idem Anſelmus rogatus à Rege, & ab Epiſcopis, atque Magnatibus regni Romam ſe conferre, ut quod alii Legati minus egiſſent, ipſe auctoritate, qua apud Apoſtolicam Sedem valebat, perficeret; ne omnia ſuo tantùm videretur præſumere arbitrio; finitis Paſchalibus feſtis anni milleſimi centeſimi tertii, quinto Kalendas Maji navem conſcendit, Romamque perveniens, Guillelmum Henrici Regis Legatum invenit, *Papæ præſentatus*, inquit Eadmerus lib. 3 Novorum, *honorificè ſuſcipitur*. Cùm autem Pontifex, ad cuncta quæ dicebantur, tam ab Anſelmo, quàm à Legato *ſileret, & quid quiſque diceret, prudenti conſideratione examinaret, æſtimans Willelmus jam jam illum pro favore Romanorum in ſe, nihil eorum, quæ quærebat, ſibi negaturum, erupit, & ait:* „ Quidquid hinc inde dicatur: volo norint quicumque aſſiſtunt, „ dominum meum Regem Anglorum, nec „ pro amiſſione regni ſui paſſurum ſe perdere Inveſtituras Eccleſiarum. *Tunc Vir* „ *Apoſtolicus paucis hæc verba locutus eſt:* „ Si, quemadmodum dicis, Rex tuus nec „ pro regni amiſſione patiatur Eccleſiarum „ donationes amittere: ſcias ecce, coram „ Deo dico, quia nec pro redemptione ſui „ capitis eas illi aliquando Paſchalis Papa impunè permittet habere. *Quod auditum oppidò conturbavit Willelmum.* Subdit paulò poſt Eadmerus: *Itaque Romanorum conſilio, Papa nonnullos paternos uſus, interdictis omnino Eccleſiarum inveſtituris, Regi conceſſit: eumque ab excommunicatione, quam anteceſſorem ſuum feciſſe ſuperius diximus, immunem ad tempus conſtituit: iis duntaxat, qui à manu ipſius Inveſtituras ſuſceperant, vel deinceps ſuſciperent, uſque ad dignam tanti reatûs ſatisfactionem pro ſervanda Eccleſiaſtici rigoris diſciplina, ſub excommunicationis catena retentis.* Anſelmus itaque Româ poſt hæc rediens Lugduni remanſit toto anno milleſimo centeſimo quarto.

XXI. *Eas dimittit Henricus Angliæ Rex.*

Anno poſtea milleſimo centeſimo quinto, operâ Adelæ Comitiſſæ Bleſenſis, Henrici Regis ſororis, Anſelmus cum eodem Rege in Normannia colloquium habuit, annoque milleſimo centeſimo ſexto in Angliam rediit, & Rex Inveſtituras Eccleſiarum Anſelmo in perpetuum in manum remiſit, ut refert idem Eadmerus lib. 4 Novorum: &, ut inquit Malmesburienſis lib. 2 de Geſt. Pontif. Angl. poſtquam graviſſima illa controverſia tot annis agitata, ita inter Paſchalem Papam & eundem Regem per Legatos conventum eſt, ut Rex homagia de electis Epiſcopis acciperet, ſed nullum per baculum & annulum inveſtiret. *Quibus ita diſpoſitis*, inquit Eadmerus, *penè omnibus Eccleſiis Angliæ, quæ ſuis erant Paſtoribus diu viduatæ, per conſilium Anſelmi ac Procerum regni ſine omni*

Virgæ Paſtoralis aut annuli inveſtitura, Patres à Rege ſunt inſtituti. Quæ acta ſunt in Concilio Londinenſi, de quo Petrus Bleſenſis in Continuatione Ingulfi pag. 126. *Quantum tunc gaudium*, inquit, *agitabat Clerus, quàm devotus arridebat populus, quàm ſolemniter & ſanctè omnes & ſinguli Regis animum ad ſidera extollebant, nullus ediceret, nec Tullius edoceret*. Subjungit Sanctum Anſelmum, aſſiſtente ſibi Gerardo Archiepiſcopo Eboracenſi, *uno die* ſex Epiſcopos à ſuis Eccleſiis canonicè electos conſecraſſe.

XXII. *Paſchalis PP. S. Ottonem Epiſc. Bambergenſem conſecrat.*

Anno milleſimo centeſimo ſecundo in Germania Ruperto Epiſcopo Babembergenſi defuncto, ut refert Urſpergenſis Abbas, ab Henrico Imperatore ei ſubrogatus eſt Otto ipſius Imperatoris Cancellarius. Sed hic execratus mox ſchiſma, verumque in Eccleſia Catholica caput agnoſcens, Paſchalem Papam literis conſuluit, à quo in Italiam vocatus anno milleſimo centeſimo tertio, inſignia Regiæ Inveſtituræ, quam acceperat ab Imperatore, facti pœnitens ad pedes Pontificis appoſuit; & timens ſibi à periculo curæ Paſtoralis, licèt expetitus à Clero & populo Babembergenſi, tamen nonniſi ſub ſanctæ obedientiæ mandato compelli potuit Epiſcopatûs inſignia ab ipſo Pontifice reſumere, & in Epiſcopum conſecrari. Quod contigit eodem anno 1103 ipſo die Pentecoſtes. Idemque unà cum Epiſcopali unctione, donis Spiritûs Sancti ita eſt abundè repletus, ut Apoſtolorum inſtar & loqueretur Magnalia Dei, & operaretur mirabilia de lege ejus. Hic eſt ille ſanctus Otto Pomeranorum Apoſtolus dictus, qui Uratiſlaum Pomeraniæ Ducem, ejuſque filios baptizavit, cujus vitam ab Auctore Anonymo ſcriptam refert Henricus Caniſius Tomo 2 Antiq. Lect.

XXIII. *Diſpenſat in quarto gradu cum Poloniæ Duce.*

Eodem anno milleſimo centeſimo tertio Paſchalis Pontifex diſpenſavit ſuper conſanguinitatis impedimentum in matrimonio, quod contractum eſt, inter Boleſlaum hujus nominis III cognomento *Crivouſtum*, Poloniæ Ducem, qui anno 1102 Uladiſlao patri ſucceſſerat, & Sbiſlavam Regis Ruſſiæ, ſeu, ut ſcribit Chromerus lib. 5 de Geſtis Polonorum, Kiovenſium Principis filiam, in quarto conſanguinitatis gradu ſibi conjunctam, ut pluribus narrat Longinus in Hiſtoria Poloniæ. Qua defuncta ſanctus Otto Bambergenſis Epiſcopus, de quo num. ſuperiori, anno 1124, Boleſlao Duci auctor fuit, ut ſi vellet ad alios toros venire, acciperet uxorem in partibus Teutonicis, quod & factum eſt operâ ejuſdem ſancti Ottonis, qui, ut refert Auctor Anonymus ejus Vitæ, ad Henricum V Imperatorem Legatus miſſus ſororem ejuſdem Imperatoris cum Boleſlao matrimonio junxit, quam Chromerus Adelaidem appellat. Porrò Boleſlaus III filius erat Uladiſlai, Uladiſlaus verò filius Caſimiri, qui ex Cluniacenſi Monacho in regnum Poloniæ reſtitutus, cum Jaroſlao ſancti Ulodomiri filio, Ruſſorum Principe fœdus, & affinitatem inierat, ſorore ejus Maria uxore ducta, ut ſuo loco diximus.

XXIV. *Legatum mittit pro abſolutione Philippi Franc. Regis.*

Cùm Philippus Francorum Rex à Paſchali Papa per Legatos pœnitens petiiſſet abſolutionem ab excommunicatione, Pontifex Richardum Albanenſem Epiſcopum Legatum in Gallias deſtinavit, efflagitatu Ivonis Carnotenſis Epiſcopi, qui alibi, quàm Senonis abſolutionem fieri deſiderabat, nec Trecas, ubi Richardus Concilium indixerat, ire audebat, ut conſtat ex ejuſdem Ivonis Epiſtola veteri ordine 166, novo 141, in qua, vocatus ad Concilium Trecenſe, ubi Philippus abſolutionem ab excommunicatione impetrare debebat, ita ſcribit: *Ad Concilium denominatum gratanter ire deſidero, ſed contra voluntatem Regis, cujus odium jam per decennium tolero, qua via, quo conductu, vel circuitu Trecas venire valeam non invenio*. Poſt Concilium itaque Trecenſe Richardus Epiſcopus Albanenſis, Legatus Apoſtolicus Balgentiaci [oppidum eſt ad Ligerim fluvium decimo ab Aurelia milliario diſtans, Conventibus Epiſcoporum, & Principum aliis temporibus nobile] die trigeſima Julii anni milleſimi centeſimi quarti Concilium congregavit, in quo Philippus Rex & Bertrada carnalem copulam, imò & mutuam collocutionem abjurare uſque ad Papæ diſpenſationem paratos eſſe proteſtati ſunt. Sed re infecta Concilium ſolutum eſt, Rege ſe malè eſſe tractatum clamitante; qui tamen per ſe & per Ivonem Carnotenſem, ac Coëpiſcopos diſpenſationem probantes ad Paſchalis Papæ aures pulſavit, cauſamque ſuam temperari rogavit, ut conſtat ex Epiſtola ejuſdem Ivonis ad Paſchalem veteri ordine 169, novo 144.

XXV. *Cauſam committit Lamberto Epiſc. Attrebatenſi.*

Paſchalis itaque Papa die III Nonas Octobris ſcripſit *Archiepiſcopis & Epiſcopis per Remenſem, Senonenſem, ac Turonenſem provincias* conſtitutis Epiſtolam ex Tomo 3 Spicilegii Dacheriani in Tomum X Concil. translatam ordine 35, & de Regis Philippi, ac Bertradæ cauſa hæc illis ſignificavit: *Quam nimirùm cauſam fratri noſtro Richardo Albanenſi Epiſcopo reminiſcimini à nobis fuiſſe commiſſam. Si ergo idem frater Franciæ jam fines egreſſus eſt, nos eandem cauſam, aſpirante Domino, unà vobiſcum peragendam venerabili fratri Lamberto Attrebatenſi Epiſcopo committimus. Convenientibus itaque vobis in unum, ſi communis filius Francorum Rex, & illa ejus lateralis, tactis ſacroſanctis Evangeliis omnis carnalis copulæ conſuetudinem abjuraverint, mutuum quoque colloquium, & contubernium niſi ſub teſtimonio per-*

per-

Digitized by Google

SÆC. XII. PASCHALIS II.

perſonarum minimè ſuſpectarum, nunquam videlicet ad idem flagitium redituri, ſicut quorundam veſtrûm literis ſignificatum eſt, ſatisfactionem eorum vice noſtra vobiſcum Atrebatenſis Epiſcopus ſuſcipiat, & à vinculo excommunicationis abſolvat, quatenus largiente Domino, & filium Eccleſia, & Regem ſibi Francia reconciliatum Epiſcopali miniſterio gratuletur. Datum Laterani per manum Joannis III Nonas Octobris.

XXVI. *Philippus Rex hac de re ſcribit ad Lambertum.* Richardo Albanenſi Epiſcopo tunc è Francia egreſſo, Philippus Rex, ut ſuam abſolutionem urgeret, ad Lambertum Atrebatenſem has literas dedit, quas ex codice MS. Igniacenſi deſcripſit Sirmondus: *Quia Dominus Papa per Tetbaldum Ovidium miſſum noſtrum Archiepiſcopis, & Epiſcopis noſtris, & tibi ipſi literas modò noviter miſit, de abſolutione noſtra, ut nos abſolverent, ſicut tu ipſe videbis in literis Papæ; tibi inter illos ejuſdem abſolutionis ex nomine vicem commiſit; mandamus tibi, & precamur, quatenus in craſtino feſtivitatis ſancti Andreæ ad hoc negotium præcipuè tibi commiſſum adſis cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis noſtris, qui tibi aderunt, tum ex præcepto Papæ, tum ex fide, quam mihi debes, commonitus poſtbabita omni occaſione, vale.*

XXVII. *Abſolvitur Pariſiis.* Paruit Regi Lambertus, & cum aliis Præſulibus quarto nonas Decembris ejuſdem anni milleſimi centeſimi quarti Pariſiis Conventum celebravit, in quo Regem, & Bertradam ab excommunicatione abſolvit, idque literis Paſchali Papæ ſignificavit, quarum initium: *Convenientes Pariſiis ex veſtra auctoritate Archiepiſcopi*, & Epiſcopi in iis nominati, quemadmodum & Abbates, in quibus ſubdit: *Advenit Rex ſatis devotè, multùmque humiliter, nudis pedibus, peccato renuncians, & excommunicationem emendans, & ſic ex veſtra auctoritate abſolutionem ſuſcipere meruit. His ita geſtis tactis ſacroſanctis Evangeliis, abjuravit copulam, & flagitium illicitæ conjunctionis in hæc verba:* „ Audias tu Lamberte Attrebatenſis Epiſcope, qui hîc Apoſtolica vice fungeris: „ audiant Archiepiſcopi & præſentes Epiſcopi, quòd ego Philippus Rex Francorum peccatum & conſuetudinem carnalis & illicitæ copulæ, quam hactenus cum „ Bertrada exercui, ulteriùs non exercebo, „ ſed peccatum iſtud, & flagitium, penitus, & ſine omni retractatione abjuro. „ Cum eadem quoque fœmina mutuum „ colloquium, & contubernium, niſi ſub „ teſtimonio perſonarum minimè ſuſpectarum non habebo. Hæc omnia ſicut literæ Papæ dicunt, & vos intelligitis, ſine „ omni malo ingenio obſervabo. Sic me „ Deus adjuvet, & hæc ſacroſancta Jeſu „ Chriſti Evangelia. *Similiter & Bertrada cùm excommunicationis vinculo ſolveretur tactis ſacro-ſanctis Evangeliis in perſona ſua hoc idem juravit ſacramentum. Actum Pariſiis in præſentia domini Daimberti Senonenſis, & Radulphi Turonenſis Archiepiſcoporum; domini quoque Ivonis Carnotenſis Epiſcopi*, & aliorum Epiſcoporum, Abbatum, Clericorum, & laicorum ibidem nominatorum. *Taliter itaque ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate reincorporatus eſt Philippus Rex Francorum ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ matri ſuæ 4 Nonas Decemb. Indict. 13. Anno autem Dei Chriſti* 1104, *Pontificante verò in Sede Romana domno Paſchali Papa II, anno ſexto*, ut ex MS. Corbejenſi legitur Tomo 3 Spicilegii Dacheriani; error enim eſt in MS. laudato Igniacenſi, in quo legitur, *Actum Pariſiis anno Dei Chriſti* 1105, 4 *Nonas Decembris, anno Pontificatûs Paſchalis Papæ II quinto*, qui currebat, non anno 1105, ſed anno 1103, ex quo ſolo convincitur erroris hæc ſuſcriptio, quam puram eſſe in Corbejenſi MS. oſtendunt annus ſextus Pontificatûs Paſchalis, & indictio 13, qui uterque temporis character convenit cum menſe Decembri an i 1104, quo ideò Philippus Rex ab excommunicatione ſolutus eſt.

XXVIII. *Paſchalis PP. diſpenſationem negavit pro matrimonio Philippi Regis cum Bertrada.* David Blondellus in Diatriba de formula *Regnante Chriſto*, paragr. 10, contendit matrimonium Philippi Regis cum Bertrada validum fuiſſe, & Paſchalem Papam poſtulatam ab Ivone Carnotenſi & aliis Galliæ Epiſcopis diſpenſationem largitum eſſe. Obſervandum eſt enim Bertam, Roberti Comitis Flandrenſis ſororem, Florentii Comitis Friſiæ filiam Philippi Regis uxorem legitimam, ex qua natus eſt Ludovicus Craſſus Philippi ſucceſſor, anno milleſimo nonageſimo quarto mortuam eſſe, ut ad eum annum ſcribit Clarius Monachus, vel alius quiſpiam in Chronico Sancti Petri Vivi Senonenſis Tomo 2 Spicilegii Dacheriani publicato. Qua de cauſa Ivo & præſules Gallicani petebant à Paſchali Papa diſpenſationem ratione affinitatis Bertradæ cum Philippo Rege. Sed Paſchalem eam diſpenſationem concedere noluiſſe, deducit Annotator Baronii, non ſolùm ex juramento mox recitato, ſed etiam ex conſenſu, & teſtimonio Hiſtoricorum coævorum, aliorumque huic tempori proximorum, ex quibus refert tantùm verba Sugerii Abbatis Sancti Dionyſii, qui in Vita Ludovici Craſſi cap. 1 ſcribit: *Famoſus juvenis unicus patri erat de nobiliſſima conjuge Roberti Flandrenſis Comitis ſorore. Qui enim duo ſupererant Philippus, & Florus, de ſuperducta Andegavenſi Comitiſſa Bertrada geniti erant, nec illorum appretiabatur ſucceſſionem, ſi unicum primum decedere quocumque infortunio contingeret.* Quare San Marthani in Genealogia Francica lib. 12, cap. 5, filios & filias, quas Philippus Rex ex Bertrada ſuſcepit, nothos fuiſſe rectè cenſuére. Quod dici non poſſet, ſi Paſchalis Papa diſpenſatio-

 fatio-

Digitized by Google

ſationem pro contrahendo matrimonio conceſſiſſet, tunc enim illud fuiſſet validum, & ex conſequenti filii ex eo nati non fuiſſent ſpurii. Blondellus tamen in laudata Diatriba pluribus teſtimoniis invictè refellit errorem eorum, qui ſcripſére Philippi Regis annos, dum excommunicationis vinculis teneretur, formula *Regnante Chriſto* notatos fuiſſe, demonſtratque eam formulam longè ante hæc tempora fuiſſe uſurpatam, cujus rei aliqua exempla me jam in medium adduxiſſe memini.

XXIX. *Concilium Romæ congregat.*

Hoc eodem anno milleſimo centeſimo quarto Paſchalem Papam Romæ Concilium celebraſſe nos docet Auctor Anonymus Hiſtoriæ Trevirenſis, quem ex codice MS. ſancti Cornelii Compendienſis publicavit Dacherius Tomo 12 Spicilegii. Refert enim Egilberto Archiepiſcopo Trevirenſi nonis Septembris anni milleſimi centeſimi primi demortuo, Trevirenſes ab Henrico IV Imperatore petiiſſe ſibi dari Epiſcopum, & contentientibus civibus Brunonem, natione Francum, ordinatum eſſe Idibus Januarii anni milleſimi centeſimi ſecundi, & Treverim veniſſe die Purificationis ſanctæ Dei Genitricis; poſteaque ſubdit: *Anno ordinationis ſuæ tertio, menſe Martio* (ideoque anno 1104) *Romam profectus Apoſtolorum gratia, & percipiendæ benedictionis magiſtri cauſâ, invenit domnum Paſchalem Papam univerſali Synodo præſidentem, Papatûs ſui jam annum octavum* (legendum annum quintum, nam annus octavus menſe Martio currebat anno 1107, quo tempore Paſchalis erat in Galliis) *agentem, à quo honorificè ſuſceptus eſt, utpotè Belgicæ Galliæ primæ Metropolis Præſul magnificus*, &c. *Sed quoniam Epiſcopalia, annulum videlicet & baculum per manum laicam ſuſcepiſſet, atque quia Eccleſias dedicaſſet, & Clericos necdum pallium conſecutus promoviſſet, multùm aſperè correptus eſt, & decernente Epiſcoporum ibi congregatorum Concilio, Pontificatûs officium depoſuit, quod tamen ipſis interveniendibus, quia diſcretio ejus, & prudentia officio & tempori congruens erat, & poſt triduum, non ſine admiſſorum pœnitentia recuperavit; injuncta et pœnitentia eſt, ut quotiens in ſpatio trium annorum proximorum Miſſarum ſolemnia celebraret, dalmaticis non uteretur: quòd ipſe humiliter implevit. Deinde accepta tam Apoſtolici, quàm totius Synodi benedictione, Pallii honore donatus cum gaudio remeavit.* Anonymo illi hoc tempore viventi fides eò ſecuriùs adhibenda, quo Brouverus lib. 13 Annalium Trevirenſium, idem breviùs referat ex alio Chronico MS. Trevirenſi, in quo etiam legitur Concilium iſtud Romanum, cujus nulla in Collectione Conciliorum mentio, & cujus hoc tantùm fragmentum ſupereſt, anno tertio ſedis Brunonis congregatum eſſe, ideoque anno 1104. Iſtud porrò Concilium diverſum eſſe à Lateranenſi, quod Labbeus Tomo X Conciliorum conjungit cum anno 1104, probat Annotator Baronii ad annum 1105, num. 4 ex libro quarto Novorum Eadmeri, ex quo conſtat Lateranenſe illud Concilium habitum eſſe annno 1105.

XXX. *Henricus Rex in Henricum Imp. Patrem rebellat.*

Anno milleſimo centeſimo quinto Henricus Imperator hujus nominis III, qui per tot annos Pontifices Romanos perſecutus eſt, Henricum filium, quem anno milleſimo nonageſimo nono, ſecundùm Urſpergenſem Abbatem, Regem coronari fecerat, ab imperio paſſus eſt depulſorem. Nam cùm Henricus pater ex eodem Auctore Natalem Domini anni 1104, à quo annum 1105 exorditur, Moguntiæ celebraret, Henricus filius ejus, auctoribus nobilibus quibuſdam Germanis, quorum conſilio & auxilio, ante paucos dies à patre diſceſſerat, rebellionem adversùs eum in Bajoaria paravit, primòque omnem patris hæreſim abjurans, & Apoſtolicæ Sedis Pontifici debitam exhibens obedientiam, univerſa brevi Saxonia potitus, atque ab Optimatibus dignitate Regia honoratus, eandem provinciam Eccleſiæ Romanæ communioni reſtituit, conſilio & miniſterio Ruothardi Archiepiſcopi Moguntini, & Gebehardi Conſtantienſis Epiſcopi, Paſchalis Papæ vices in Germania agentium. Poſtea indixit Rex Henricus Conventum generalem in hebdomada ante Pentecoſten in Thuringia celebrandum, *in loco qui dicitur Northuſum*, inquit Chronographus Hildensheimenſis, in quo inter alia ſtatutum, *uxoratos Clericos nullum divinum officium celebrare*. Vocatur hoc Concilium *Quintilineburgenſe*, ſeu *Northuſenſe*, habitumque pro reformandis moribus Eccleſiæ. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi vocat illud Concilium generale Epiſcoporum & Abbatum. Henricus filius ſumma modeſtia Concilio interveniens, obortis lachrymis publicè conteſtatus eſt, ſe nulla regnandi cupiditate paternum ſibi regimen uſurpare; quinimò ita ſe ejus ſemper pertinaciæ & inobedientiæ compaſſionem exhibiturum, ut ſi Romano Pontifici lege Chriſtiana ſubjici vellet, ipſe vel regno cedere, vel ſerviliter ei ſubeſſe paratus eſſet.

XXXI. *Henricus Imp. ſe abdicat in conventu Moguntino.*

Henricus ſenior, ut Paſchalem Papam ſibi amicum redderet, miſſo ad eum ſecreto nuncio, literas ſcripſit, quibus primò conqueſtus eſt de auſteritate in ſe Romanorum Pontificum, & Paſchalem de concordia interpellavit. Sed & cùm ad finem ejuſdem anni milleſimi centeſimi quinti, nempe die Natali Domini celeberrimus totius Germaniæ Præſulum & Principum Conventus, præſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, Richardo Albanenſi Epiſcopo, & Gebehardo Conſtantienſi, Moguntiæ habere-

retur, idem Henricus Senior ad eos properans apud Ingelheim, quo ei Principes ad vitandum vulgi tumultum occurrerunt, reatum ſuum confeſſus eſt, & ſatisfactionem promiſit. Ac denique cùm ei Legati Apoſtolici abſolutionem abſque generali Synodi & Apoſtolicæ Sedis diſcuſſione, impertire ſe poſſe negarent; ipſe conſiliis utriuſque partis acquieſcens, depoſitis Imperii inſignibus, videlicet Cruce, Lancea, Sceptro, Globo, atque Corona, eadem Henrici filii poteſtati tradidit; atque Summi Pontificis & Eccleſiæ conſtitutionibus ſeſe ſubmittens, privatus abſceſſit in locum quemdam ei aſſignatum. *Hic ordine Henricus illius nominis V Rex, primùm à patre, deinde ab omnibus Germaniæ Principibus in Regem jam ſecundò unctus.... regnare cœpit*, inquit Urſpergenſis Abbas, qui fuſiùs ſuperiora narrat.

XXXII. *Ex eo mittitur Legatio ad Paſchalem PP.*

Ut autem, ſubdit idem Urſpergenſis Abbas, de his omnibus Paſchalis Papa certior redderetur, decreta eſt ad eum ab Henrico Juniori, jam ab omnibus in Regem ſuſcepto, atque ab univerſo Conventu inſignis legatio: *Separantur in hoc opus viri ſpiritu ſapientiæ pleni, dignitatibus, natalibus & elegantia, ſeu divitiis præcipui, in illaque ſecundùm Deum, ſive ſæculum veneratione inſignes, à Lotharingia Bruno Trevirenſis, à Saxonia Henricus Magdeburgenſis, à Francia Otto Babenbergenſis, à Bajoaria Eberhardus Eiſchtetenſis, ab Alemannia Gebehardus Conſtantienſis, à Burgundia Curienſis*, Epiſcopi: *nonnulli etiam nobiles de latere Regis laicæ profeſſionis, idque inter cetera ſuſcipiunt in mandatis, ut, ſi fieri poſſet, domini Apoſtolici præſentiam Ciſalpinis partibus impetrent exhiberi*. Verùm illi Legati cùm ſimul Tridenti conveniſſent, ab Adelberto quodam partium illarum Comite, juſſu Henrici ſenioris, ineunte anno milleſimo centeſimo ſexto capti & in carcerem conjecti ſunt, qui tamen confeſtim per Welphonem Ducem Noricum liberati fuere, quod hebdomada prima Quadrageſimæ contigiſſe aſſerit Urſpergenſis.

XXXIII. *Henricus pater tentat Imperium reſumere, & in gratiam Paſchalis PP. redire.*

Sed ut ea, quæ Henricum ſeniorem ſpectant, abſolvamus, hic è loco, ubi conſtitutus fuerat privatam vitam agere, fuga lapſus eodem anno 1106, Coloniam primùm, inde Leodium venit: ubi benignè exceptus, literas ſcripſit ſub titulo ad Regem Celtarum, quas voluit eſſe patentes ad commovendos omnes in filium, atque adeò in ipſam Apoſtolicam Sedem, à qua illius rebellionem proceſſiſſe conqueſtus eſt. Utrùm hæc Epiſtola eadem ſit cum ea, de qua loquitur Herimannus in Narratione Reſtaurationis Abbatiæ S. Martini Tornacenſis Tomo 12. Spicilegii Dacheriani num. 83, me latet. *Extat quædam Epiſtola*, inquit, *ab eodem patre Philippo Regi Francorum ſcripta, in qua de filio ſuo conqueritur, quam ſi quis legerit, & non fleverit, videtur mihi duri eſſe cordis*. Extat ea inter ejus Epiſtolas editas à Reinero Reinecio ad Vitam Henrici IV, quæ in manibus non eſt. Tum exercitum Henricus ſenior congregans, pietatem tamen ac pacem ſimulans, frequentes ad filium & Epiſcopos ac Principes Germaniæ literas dedit, quibus poſt vehementes querelas, de injuriis ſibi à filio illatis, tertiò adversùs eum appellavit Paſchalem Papam & S. R. Eccleſiam, cauſamque ſuam Deo, ac Sanctis commendavit, commiſitque, ut conſtat ex ejus literis ad Epiſcopos & Principes Germaniæ ſcriptis, quas Baronius anno 1106 refert. Tres etiam Epiſtolas dedit ad Sanctum Hugonem Cluniacenſem Abbatem relatas Tomo 2 Spicilegii Dacheriani pag. 396, & ſeqq. rogavitque ut ad ſe veniret, quò pacem inire poſſet cum Summo Pontifice. *Significamus vobis*, inquit, *quòd ſi Deo propitio regnum & Sacerdotium in unum recolligere poterimus, poſt confirmatam pacem ire Jeruſalem diſponimus, & videre Sanctam Terram, in qua Dominus noſter in carne viſus eſt*.

XXXIV. *Moritur, ejuſque oſſa exhumantur.*

Verùm quòd ejus animus ad fallendum compoſitus omnibus notus eſſet, res in eo ſtatu non erant, ut verbis ejus fides adhiberi poſſet. Inter hæc autem repentina morte obiit Leodii, ut ſcribit Chronographus Hildenshelmenſis, non quidem Kalendis Auguſti, ut idem Auctor ſcribit, ſed die ſeptima ejuſdem menſis: *Henricus Imperator Alemannorum VII Idus Auguſti exſpiravit, ſed quia pro multis reatibus ſuis Eccleſiæ, teſte Deo, non ſatisfecerat, terra caruit: nec per multos annos humano ritu ſepeliri meruit*, inquit Ordericus pag. 819, cui alii paſſim ſuffragantur. Domnizo Presbyter in Vita Mathildis eundem diem morti Henrici aſſignat. Eum autem per quinquennium caruiſſe ſepultura his verbis refert Urſpergenſis: *Igitur quia ceſſante tandem exactore, quievit & tributum: mox omnes qui quæſtûs duntaxat gratiâ eidem Principi eatenus adhærendo ſuas animas venalitati propoſuerant deditioni Regis, ſimulque & communioni Catholicæ ſubjiciuntur. Leodienſis autem Epiſcopus, ceterique coepiſcopantes inter cetera recipiuntur in communionem pœnitentiæ, hac conditione, quòd cadaver ipſius excommunicati per ſe pridie in monaſterio tumulatum effoderent, & abſque ulla ſepultura, vel exequiarum communione, in loco non conſecrato deponerent, comprobantibus his, qui aderant, Archiepiſcopis & Epiſcopis; quia quibus vivis Eccleſia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare poſſit. Quo facto paulò poſt corpus ipſum Spirenſi civitati eſt in ſartophaga la-*

pideo, Regis conſenſu delatum, ſicque extra Eccleſiam ibidem per quinquennium manſit inhumatum. Obiit anno regni ſui quinquageſimo, ætatis quinquageſimo ſexto in excommunicatione trium Romanorum Pontificum. Ejus tamen morte pax Eccleſiæ Romanæ reddita non eſt, ut ex dicendis manifeſtum fiet.

XXXV. *Guiberti Antipapæ oſſa effoſſa, & in flumen projecta.*

Germani porrò Henrici IV corpus è tumulo eruentes, illudque abſque ulla ſepultura in loco non conſecrato deponentes, imitati ſunt exemplum Paſchalis Papæ, qui anno milleſimo centeſimo quinto Guiberti Antipapæ oſſa, quæ Ravennæ ſepulta fuerant, exhumari, & in fluenta projici fecerat, ut teſtatur idem Urſpergenſis ad annum 1106. *Jam enim*, inquit, *exaltatis ſibi divinitùs Eccleſia Romana cornibus ad incutiendum timorem cunctis uſquequaque ſchiſmatum membris, etiam capitis ipſius oſſa, Guiberti ſcilicet dicti Papæ, de ſepulchro ſuo, quod per quinque jam annos in Eccleſia Ravennenſi poſſederat, projici fecerat, univerſaque ejus inſtituta, ut verè non Apoſtolici Sacerdotis, ſed apoſtatici invaſoris annullari decreverat*. Rei tam inſolitæ cauſam affert Willelmus Bibliothecarius apud Baronium, quòd ſcilicet, qui adhuc ejuſdem pſeudo-Papæ ſtudioſi remanſerant, ſpargebant in vulgus falſas viſiones oſtenſas in ſepulchro ejus; nimirùm viſas illuc noctu ſplendere facellas cœlitus miſſas, indices ejus apud Deum receptionis. Guiberti itaque exhumati exemplum non ſolùm in Imperatore Henrico, ſed & in aliis imitati ſunt Germani, apud quos *intantum divinæ legis ſubitò zelus efferbuit, ut etiam ipſa cadavera pſeudo-Epiſcoporum ab Eccleſiis eliminarentur*, ut idem Urſpergenſis Abbas teſtatur.

XXXVI. *Paſchalis PP. S. Brunonem Epiſcopum Signienſem in Gallias Legatum miſſit.*

Anno milleſimo centeſimo ſexto Boamundus Antiochiæ Princeps in Galliam profectus eſt, ut duas Philippi Regis filias, alteram Conſtantiam ex legitima conjuge ortam ſibi in matrimonium copularet, alteram Cæciliam ex pellice Bertrada natam jungeret nepoti ſuo Tancredo, qui ei poſtea in Principatum ſucceſſit. Eodem tempore Sanctum Brunonem Epiſcopum Signienſem (quamvis dimiſſo jam Epiſcopatûs onere monaſticum habitum apud cœnobium Caſſinenſe ſuſcepiſſet) à Paſchali Papa miſſum fuiſſe Legatum in Gallias, ac Synodum celebraſſe, teſtatur Petrus Diaconus lib. 4, cap. 33, Chronici Caſſinatis; eſtque ejus Legationis frequens mentio in Epiſt. 190, et 191 Ivonis Carnoten. ſecundùm veterem ordinem. Hanc legationem ſicuti & adventum Boamundi in Gallias refert Baronius ad annum 1104. Sed utramque pertinere ad annum 1106 disertè docet Ordericus lib. 5, pag. 589. *Anno*, inquit, *ab Incarnat. Domini 1106, in fine Februarii quando cometa longiſſimum crinem emittens in occiduis partibus apparuit, Boamundus famoſus Dux poſt captam Antiochiam in Gallias venit, & Conſtantiam Regis Francorum Philippi filiam uxorem duxit*, &c. Cùm itaque Baronius fateatur S. Brunonem Legatum miſſum in Gallias, cum Boamundo veniſſe, hæc legatio obita eſt anno milleſimo centeſimo ſexto.

XXXVII. *Bruno Pictavis Concilium celebrat pro expeditione Jeroſolymitana.*

Sanctus Bruno Legatus à Paſchali Papa miſſus eſſe videtur, præcipuè, ut Cruciatam promoveret; in Concilio enim Pictavienſi, quod præſente Boamundo celebravit anno 1106, *VI Kal. Julii, viam Sancti Sepulchri confirmavit*, ut legitur in Chronico Malleacenſi; quod confirmat Chronicon Andegavenſe, in quo legitur: *Boamundus accepta ab Apoſtolico licentia, venit in Europæ partes, caſtella & civitates ſubmovendo, ut feſtinarent ire Hieruſalem, liberare videlicet eos, qui in captivitate tenebantur, & illos adjuvare, qui Turcorum oppugnationibus vexabantur*. Sugerius item in Vita Ludovici Craſſi Francorum Regis, poſtquam locutus eſt de matrimonio Boamundi cum Conſtantia cap. 9 ſcribit: *Aſſiſtit etiam ibidem Romanæ Sedis Apoſtolicæ Legatus domnus Bruno Signienſis Epiſcopus à domno Paſchali Papa, ad invitandam, & confirmandam Sancti Sepulchri viam dominum Boamundum comitatus. Unde plenum & celebre Pictavis tenuit Concilium, cui & nos interfuimus, quia recenter à ſtudio redieramus. Ubi de diverſis Synodalibus, & PRÆCIPUE de Jeroſolymitano itinere, ne tepeſcat, agens, tam ipſe, quàm Boamundus, multos ire animavit*. Cùm ergo Sugerius aſſerat de Jeroſolymitano itinere in Concilio Pictavienſi *præcipue* actum eſſe, non obſcurè innuit Sanctum Brunonem hac de cauſa in Galliam legationem ſuſcepiſſe. *Tunc tertia profectio Occidentalium in Jeruſalem facta eſt, multorumque maxima conglobatio militum pedibus ſuis Bizanteum ſtemma proculcare, minitantium contra Turcos progreſſa eſt*, inquit Ordericus laudatus.

XXXVIII. *Paſchalis PP. Concilium Florentiæ cogit.*

Henrici quarti Imperatoris morte ubique pervulgata, Paſchalis Pontifex, rogatus, ut vidimus, à Præſulibus & Principibus Conventûs Moguntini in Galliam Ciſalpinam properare, itineri ſe accinxit, & in Tuſciam veniens *apud Florentiam Concilium celebravit: in quo cum Epiſcopo loci de Antichriſto, quia eum natum dicebat, ſatis diſputatum eſt: ſed ob frequentiam populi, qui ob rei novitatem audiendam hinc inde confeſtim tumultuatimque confluxerat, nec Concilium finem, nec diſputatio deliberationem habuit*, inquit Pandulphus in Vita Paſchalis II. Loquitur de hoc Concilio Sabellicus Enneadis 9 lib. 4, ubi relatis quibuſdam prodigiis, quæ tunc acciderunt, ſub-

Digitized by Google

ſubdit: *His fortaſſè prodigiis motus affirmare non dubitavit Fluentinus* (legendum Florentinus) *Antiſtes eſſè Antichriſtum natum, qua prædicatione Paſchalis motus in Hetruriam profectus, Conventuque ſuper ea re Florentiæ habito, cùm appareret hominem nulla alia ratione ſubnixum, quàm ut alicujus magnæ rei auctor videretur, ejuſmodi prædicatione uſum tantùm admonuit, ut temerario incœpto deſiſteret*. Poſt hæc cœptum iter Paſchalis proſecutus eſt.

XXXIX. *Tum aliud VVaſtallis.* Florentia Guadaſtallam petiit, quod oppidum eſt ſuper ripam Padi fluminis, Waſtallis etiam dictum, hodie ditionis Ducis Mantuani, ibique XI Kalendas Novembris Concilium congregavit, in quo *Epiſcopos & Clericos in ſchiſmate ordinatos, ſi ſint alioqui probatæ vitæ*, ſuſcipi debere, ſtatutum eſt inter alia, niſi qui invaſores, aut ſimoniaci, aut aliàs criminoſi probati eſſent, ut narrat Urſpergenſis Abbas, quia nempe pauci Sacerdotes aut Clerici Catholici in Longobardia reperiebantur. *In Longobardia etiam apud Guadaſtallum*, ſubdit Pandulphus laudatus, *celebravit Concilium, in quo quidem de inveſtituris, de hominiis, & ſacramentis Epiſcoporum, laicis exhibitis, exhibendiſque, certis capitulis ſtatutum eſt*. In eodem Guaſtallenſi Concilio, quia Ravennatenſis *Metropolis per annos jam penè centum adversùs Sedem Apoſtolicam erexerat ſe: nec ſolùm ejus prædia uſurpavit, ſed ipſam aliquando Romanam invaſit Eccleſiam Guibertus ejuſdem Metropolis incubator*, ideo *ſtatutum eſt, ut Æmilia tota cum ſuis urbibus, ideſt, Placentia, Parma, Regio, Mutina, Bononia, nunquam ulterius Ravennatenſi Metropoli ſubjacerent*, inquit Centius Camerarius in codice MS. Vaticano. Sed eos Epiſcopatus Ravennatenſi Metropoli poſtea à Gelaſio II reſtitutos, ſuo loco videbimus.

XL. *Henricus Rex ad VVaſtallenſe Concilium Legatos mittit.* Eidem Concilio interfuiſſe Legatos Henrici V Germaniæ Regis, & per eos illum à Paſchali Papa jus regni petiiſſe, ſanctæque Sedi ſubjectionem exhibuiſſe, tradit, qui pariter cum Mathilde Comitiſſa præſens fuit, Domnizo presbyter, his verſibus.

Juxta tuncque Padum tenuit Synodum memoratus
Papa, ſuum miſſum direxit natus ad ipſum
Defuncti Regis; quærens ut jus ſibi regni
Concedat, Sedi ſanctæ cupit ipſe fidelis
Eſſe, velut matri ſubjici ſibi vel quaſi patri.

Laudatam à Paſchali Pontifice pietatem Regis, pariterque à Mathilde idem Auctor ſubjicit. Sed Henricus non multò poſt Henrici patris veſtigia ſecutus eſt, ut mox videbitur.

XLI. *Paſchalis PP. Parmam pergit.* Ad hanc quoque Synodum Guaſtallenſem Legationes civium Parmenſium, & Auguſtanorum venerunt. Illorum quidem pœnitentium ac petentium ſibi dari Virum ſanctiſſimum Bernardum Presbyterum Cardinalem, quem ante biennium Henrico ſeniori faventes, ad Altare Sacra celebrantem diris contumeliis affecerant. Auguſtani verò conqueſti ſunt de ſuo ipſorum Epiſcopo Herimanno, qui pecuniarum mercimonio intruſus fuerat ab eodem Henrico. Auguſtanorum cauſa dilata eſt uſque ad adventum Paſchalis Papæ in Germaniam, qui proximè futurus putabatur, ut diligentior querelarum cognitio haberi poſſet. Parmenſes verò auditos fuiſſe & exauditos, & Paſchalem Papam ſoluta Synodo Parmam profectum, Bernardum conſecraſſe Epiſcopum, ac Baſilicam Dei Genitricis pariter dedicaſſe, canit Domnizo, qui aderat, in Vita Mathildis his verſibus:

Caſtrum Guaſtalla Synodi locus extiteratque,
Inde pius Papa diſcedens ad memoratam
Advenit Parmam, faciens ibi quæ rogitarunt:
Nam ſacravit ibi templum Dei Genitricis;
Dans ibi decretum, ne ſubjaceat niſi Petro
Clavigero cœli, ſimul ipſius quoque ſedi.
Hoc venit templum Mathildis ad aſpiciendum.
Donum tale dedit, placuit quod maximè plebi.
Pontificem ſacrans Bernardum tunc ibi Papa,
Juſſit eum Papæ vice ſancti degere Parmæ,
Hincque vale dicens dominæ ſæpiſſime dictæ,
Francigenos fines petiit venerabilis idem.

XLII. *Inde in Franciam.* Cur autem Paſchalis Papa in Franciam, non verò in Germaniam, ut in ipſo Concilio Guaſtallenſi ſtatuerat, profectus ſit, nos docet Urſpergenſis Abbas, qui ſcribit: *Paſchalis verò ſuorum conſiliis, quaſi proterviam Teutonicorum declinans, maximè propter ſeditioſum quemdam tumultum, qui ſibi Veronæ hoſpitanti dudum occurrerat, inſuper ſuggerentibus quibuſdam, quòd non facilè gens noſtra* (Teutonicorum) *decretum illud ſuſcipiat, quod quamlibet Eccleſiaſticam Inveſtituram à laicis manibus vetat, necnon & animoſum cor Regis adoleſcentis, quòd nondum per omnia Dominico jugo ſit habile: hæc, inquam, multaque id genus vir Dei percepta conſiderans, necdum ſibi oſtium Germanicis in partibus apertum eſſè, cum gemitu pronuncians; profectionem ſuam cum Hiſpaniarum Legatis per Burgundiam ad Gallias convertit, & Natalis Dominici gaudium ſua præſentia Cluniacenſibus multum ampliavit*. Paſchalis itaque Pontifex Natale Domini anni milleſimi centeſimi ſexti Cluniaci celebravit.

XLIII. *Ejus profectionis Gallicæ cauſa.* Eandem cauſam profectionis Paſchalis II in Galliam, ſcilicet Inveſtiturarum querelas, ipſi ab Henrico Germaniæ Rege intentatas, annotavit Sugerius in Vita Ludovici Regis Tom. IV Ducheſnii, pag. 288. *Sequenti Roamundi repatriationis anno*, inquit, *venerandæ memoriæ univerſalis, & Summus Pontifex Paſchalis ad partes occidentales venit cum multis & ſapientiſſimis*

viris,

Digitized by Google

viris, Epiſcopis & Cardinalibus, & Romanorum nobilium comitatu, ut Regem Francorum, & filium Regem deſignatum Ludovicum, & Eccleſiam Gallicanam conſuleret ſuper quibuſdam moleſtiis, & novis Inveſtituræ Eccleſiaſticæ querelis, quibus eum & infeſtabat, & magis infeſtare minabatur Henricus Imperator (ideſt qui poſtea fuit Imperator) *vir affectûs paterni, & totius humanitatis expers, qui & genitorem Henricum crudeliſſimè perſecutus exhæredavit, &, ut ferebatur, nequiſſima captione tenens, inimicorum verberibus & injuriis, ut inſignia Regalia, videlicet, coronam, ſceptrum, & lanceam S. Mauricii redderet, nec aliquid in toto regno proprium retineret, impiiſſimè coegit. Et quidem deliberatum eſt Romæ propter Romanorum conductitiam perfidiam de præfatis, imò de omnibus quæſtionibus tutius Regis & Regis filii, & Eccleſiæ Gallicanæ in Francia, quàm in Urbe diſceptare naufragio. Venit itaque Cluniacum*, &c. Porrò ideò Sugerius dicit Paſchalem Papam veniſſe in Francia ſequenti anno repatriationis Boamundi, quia anno tantùm 1107 à Regibus Francorum exceptus eſt, qui annus eſt ſequens ab ejus reditu in patriam.

XLIV. *Varias Eccleſias conſecrat.*

Paſchalis Papa, poſtquam Natale Domini anni milleſimi centeſimi ſexti Cluniaci celebraſſet, varias Eccleſiarum dedicationes fecit. Et primò quidem decimo quarto Kalendas Martii anni 1107 Divionenſem Eccleſiam conſecravit. Chiffletius enim in probationibus ad Diatribam *de Illuſtri genere Sancti Bernardi Abbatis* pag. 428, hæc refert ex autographo Sancti Benigni Divionenſis: *Anno Dominicæ Incarnationis* 1106 (qui nobis eſt 1107, quia annus ibi incipitur à Paſchate more Gallicano) *quarto decimo Kalendas Martii, quo anno & die venerabilis Papa Paſchalis Divionenſem conſecravit Eccleſiam, adhærentibus, & obſequentibus ſibi Richardo Albanenſi Epiſcopo*, &c. Idem etiam legitur in Chronico Divionenſi Tomo I Bibliothecæ Labbei. Duodecimo Kalendas Martii in monaſterio Beſuenſi, ſito in diœceſi Lingonenſi dedicavit Altare Sanctorum Petri, & Pauli, ibi Miſſam ſolemniter celebravit, in eoque monaſterio *uſque in diem tertium demoratus eſt*, ut legitur in Chronico Beſuenſi apud eundem Labbeum pag. 638, ubi & dicitur id factum eſſe *die 12 Kalendas Martii*. In Chronico Dolenſi ſeu monaſterii Dolenſis in Archiepiſcopatu Bituricenſi poſiti, quod etiam extat apud Labbeum ad annum 1107 legitur: *Conſecrata eſt Eccleſia Dolenſis à Domino Papa Paſchali, quo jubente Altare B. Mariæ conſecratum eſt ab Epiſcopo Albanenſi*, &c. *Ipſe verò Papa Apoſtolorum Petri & Pauli conſecravit*. Dies ejus conſecrationis ibidem non notatur.

XLV. *Ejus itinerarium continuatur.*

Septimo Idus Martii, ſeu die nona ejuſdem menſis Paſchalis Pontifex erat in monaſterio, quod dicitur *de Charitate*, ubi hodie oppidum eſt Nivernenſis provinciæ ad Ligerim non longè à monaſterio poſitum. In Chronico namque Fiſcannenſi apud eundem Labbeum ad annum 1105 legitur: *Dedicatio de Charitate à Paſchali Papa, VII Idus Martii*; ubi tamen Auctor, vel potius librarius in anno rei geſtæ errat, cùm ea dedicatio peracta ſit anno milleſimo centeſimo ſexto more Gallicano annum à Paſchate inchoante, vel anno milleſimo centeſimo ſeptimo more Romano, incipiendo annum, vel à Natali Domini, vel à Kalendis Januariis. Quare Sugerius laudatus in Vita Ludovici VI, ſeu Groſſi Francorum Regis cap. 9, poſtquam ſuperiùs dicta narravit, ſubdit: *Venit itaque Cluniacum, à Cluniaco ad Charitatem* (quia ſcilicet omittit alias urbes ac monaſteria, per quæ tranſivit) *ubi celeberrimo Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & Monaſtici ordinis conventu, eidem nobili monaſterio ſacram dedicationis impoſuit. Adfuerunt & nobiliores regni Proceres*, &c. *Cui conſecrationi & nos ipſi interfuimus*. Pergit Sugerius: *Cùmque Turonis apud Sanctum Martinum, ut mos eſt, Romanus Frigium ferens* Lætare Jeruſalem *celebraſſet, ad venerabilem Sancti Dionyſii locum* (ſeu Monaſterium) *tanquam ad propriam B. Petri Sedem benevolus & devotus devenit*. Porrò Frigium, ſeù Phrygium præcipuum erat capitis ſummi Pontificis ornamentum, quod hodie triplici corona inſigne eſt, vulgò *Regnum* à Scriptoribus appellatum, quo in ſolemnibus ceremoniis utitur. De more coronandi Romanum Pontificem dominica quarta Quadrageſimæ, ſeu, ut ait Sugerius, dominica *Lætare Jeruſalem*, quæ anno 1107 concurrebat cum die 24 Martii, lege dicta in Pontificatu Urbani II num. LV, et ſeq. ubi etiam obſervavimus, Urbanum in eadem B. Martini Eccleſia coronatum fuiſſe *more Romano corona palmarum*, ut loquitur Chronici Turonenſis Auctor ibidem laudatus. Vide etiam in Alexandro III dicenda de Phrygio ſeu Thiara Pontificali.

XLVI. *Apud S. Dionyſium ſummo honore excipitur.*

Occurrit itaque ei ibidem, ſubdit Sugerius, ſcilicet in monaſterio S. Dionyſii propè Pariſios, *Rex Philippus & dominus Ludovicus filius ejus gratanter & votivè, amore Dei majeſtatem Regiam pedibus ejus incurvantes, quemadmodum conſueverunt ad ſepulchrum piſcatoris Petri Reges ſubmiſſo diademate inclinari. Quos Dominus Papa manu erigens tanquam devotiſſimos Apoſtolorum filios ante ſe redire fecit. Cum quibus de ſtatu Eccleſiæ, ut ſapiens ſapienter agens, familiariter contulit, eoſque blande demulcens, beato Petro ſibique ejus Vicario, ſupplicat opem ferre, Eccleſiam manu tenere, & ſicut anteceſſorum Regum Francorum Caroli M. & aliorum mos inolevit, tyrannis & Eccleſiæ hoſti-*

Digitized by Google

hoſtibus, & potiſſimùm Henrico Imperatori audacter reſiſterent.

XLVII. *Catalauni Legatos Henrici Regis ſuſcipit.*

Qui amicitiæ, auxilii, & conſilii dexteras dederunt, regnum expoſuerunt, & qui cum eo Catalaunum Imperatoris Legatis occurrere feſtinent, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & Abbatem ſancti Dionyſii Adam, cum quo & nos fuimus, conjunxerunt; ubi cùm dominus Papa aliquantiſper demoraretur, venerunt Legati Henrici Regis & dixére, hoc ad jus Imperii pertinere, in omni electione requiri aſſenſum Imperatoris, ut Electus annulo, & virga inveſtiatur. Reſpondit Summus Pontifex Epiſcopi Placentini voce: *Eccleſiam pretioſo Jeſu Chriſti Sanguine redemptam, & liberam conſtitutam, nullo modo iterato ancillari oportere*. Cùmque hæc, & aliis ſimilia Legati audiſſent; *Non hic, inquiunt, ſed Romæ gladiis determinabitur querela*. Summus Pontifex viros miſit ad Cancellarium Imperatoris, qui eum exorarent, ut paci operam daret. Hæc Henrici Regis Legatio videtur diverſa ab ea, quam idem Rex, teſte Urſpergenſi Abbate, miſit ad Paſchalem dum Synodum Trecenſem celebraret; iſtam enim ſuſcepit Pontifex Catalauni, ut ex Sugerio oſtenſum eſt.

XLVIII. *Carnoti Paſcha celebrat.*

Quanam in urbe Pontifex Paſcha celebraverit, non dicit Sugerius; ſed illud nos docet Ordericus lib. 11 pag. 810. *Tunc venerabilis Ivo*, inquit, *Carnotenæ urbis Epiſcopus, inter præcipuos Franciæ doctores eruditione literarum tam divinarum, quàm ſæcularium floruit: à quo invitatus Papa ſolemnitatem Paſchæ apud Carnotum celebravit. Adela quoque Comitiſſa* (Bleſenſis) *largas ad miniſterium Papæ impenſas contulit, & benedictionem ſibi, dominique* [legendum domuique] *ſuæ in æternum à Sede Apoſtolica promeruit*. Quibus in locis ſubſtiterit Paſchalis Papa ante Concilium Trecenſe menſe Majo celebratum, non conſtat.

XLIX. *Trecenſi Synodo præſidet.*

Paſchalis itaque Papa *circa Aſcenſionem Domini*, quæ anno milleſimo centeſimo ſeptimo concurrebat cum die 23 menſis Maji, *Concilium non modicum apud Trecas habuit*, inquit Urſpergenſis, in quo ſententiam de libera Paſtorum electione, & de coercenda laicorum in Eccleſiaſticas dignitates præſumptione, juxta prædeceſſorum ſuorum decreta, promulgavit. Rex verò Germaniæ Henricus vicinum ſe eidem Concilio exhibens, Legatos ad Paſchalem Concilium celebrantem miſit, per quos tam ipſi, quàm univerſæ Synodo, poteſtatem conſtituendorum Epiſcoporum, privilegiis Apoſtolicis Carolo Imperatori conceſſam notificavit. Et quòd ſuper ea quæſtione nihil in alieno regno definiri pateretur, conceſſæ ſunt ei induciæ Romam veniendi, & eandem cauſam in generali Concilio ventilandi. Quoſdam etiam Epiſcopos in eo Concilio ab officio ſuſpendit Pontifex, & *inter alia, cùm ageret de Guibertinis, fertur dixiſſe, Richardum Virdunenſem, qui ſe tradidit Regiæ Curiæ, & nos tradimus eum Satanæ; inde Archiepiſcopo Treverorum, aliiſque denunciavit excommunicatum*, ut inquit Laurentius de Leodio in Hiſt. Epiſc. Virdun. Tomo 12 Spicilegii Dacheriani. Præterea, ut ſcribit Chronographus Senonenſis, *in eo* Concilio *intentio Paſchalis Papæ maxima fuit de Hieroſolymitano itinere, & de Treuva Dei*, ideſt de Treuga in bellis, quæ inter privatos gererentur. Quò ſpectant iſta quæ anno 1107 in Chronico Malleacenſi leguntur: *Ibi quoque decretum, ut per nullam guerram incendia domorum fierent, nec oves, aut agni raperentur*. Sugerius laudatus vocat iſtud Concilium *univerſale*, & in Chronico Divionenſi S. Benigni Tomo I Biblioth. Labbei dicitur coactum *Idibus Maji*, in quo non diſſentit ab Urſpergenſi, qui ſcribit, celebratum *circa Aſcenſionem Domini*.

L. *Legatum in Orientem mittit.*

Daimbertum, quem ſuperius diximus Jeroſolymitanum Patriarcham creatum, à Balduino Jeroſolymorum Rege Sede poſtea pulſum, in ejuſque locum Ebremarum ſubrogatum, ſcribit Willelmus Tyrius lib. 12, cap. 26. Daimbertus cum Boamundo anno 1106, in Italiam navigavit, ut ait idem Willelmus lib. 2 cap. 1, Paſchali Papæ querelas ſuas delaturus; ſed cùm ad Eccleſiam ſuam rediret cum literis ejuſdem Pontificis, XVI Kalendas Julii anni 1107 Meſſanæ in Sicilia mortuus eſt, miſſuſque eo ipſo anno ab eodem Pontifice Jeroſolymam Gibelinus Arelatenſis Archiepiſcopus cogniturus de cauſa Ebremari intruſi à Balduino Rege. Gibelinus congregato Jeroſolymis Concilio eundem Ebremarum auctoritate Apoſtolica depoſuit, quòd adhuc viventis Daimberti Sedem occupaſſet; & tamen conſiderata multa ejus religione, & mira ſimplicitate, quòdque invitus in eam Eccleſiam intruſus fuiſſet, eundem Cæſarienſi, quæ tunc vacabat, præfecit. Poſtmodum verò cùm de ſubſtituendo Jeroſolymis Patriarcha, inter Clerum & populum multa eſſet diſceptatio, unanimiter tandem in eundem ipſum Gibelinum Legatum convenerunt, malitiâ, ut creditum eſt, Arnulphi Archidiaconi, omnium ejus Eccleſiæ malorum auctoris, ut homo ſenex & decrepitus in ea ſede vivere diu non poſſet. Gibelinus invitus admodum onus ſuſcipiens, literas ad ſuos Arelatenſes cum multis lachrymis dedit; ad quos etiam Paſchalis Papa ſcripſit pro electione ſucceſſoris literas, quæ extant apud Baronium ad annum 1107, ſuperiora verò refert Willelmus Tyrius lib. II capp. 4 & 6.

LI. *Romam redit.*

Prædictæ Paſchalis Papæ literæ Clero & populo Arelatenſi datæ ſunt *Laterani*

quar-

Digitized by Google

quarto Nonas Januarii, ideoque anno milleſimo centeſimo octavo, ex Galliis enim Romam redierat autumno anni 1107. *Autumni verò tempore*, inquit Urſpergenſis, *ex Gallia Paſchalis Pontifex Romam rediit, & à Romanis tantis tripudiis excipitur, ac ſi è mortuis redivivus crederetur*. Poſt hæc autem eodem anno, ut ſcribit Petrus Diaconus cap. 34 lib. 4 Chronici Caſſinenſis, pervenerunt ad ipſum Caſſinenſes Monachi agentes adversùs Ottonem ipſorum Abbatem: quos ubi redarguit, ad monaſterium redire juſſit; ſed paulò poſt defuncto eodem Ottone, in ejus locum Sanctum Brunonem ex Signienſi Epiſcopo Monachum Caſſinenſem ſubrogari comprobavit.

LII. *Bracarenſi Eccleſiæ Metropolicam dignitatem reſtituit.*

Circa hoc tempus, certè ante annum milleſimum centeſimum decimum Paſchalis Pontifex Metropolicam dignitatem Bracarenſi Eccleſiæ, in Tarraconenſi provincia, nunc in Portugallia ſitæ, reſtituit. Bernardus enim in Vita B. Geraldi Archiepiſcopi Bracarenſis, cujus diſcipulus fuerat, ſcribit, Bernardum Archiepiſcopum Toletanum, ſedente Urbano II, Româ reducem ſecum adduxiſſe ex Aquitania Toletum Geraldum Moyſſiacenſem Monachum, & eum in ea Eccleſia Præcentorem conſtituiſſe: vacante verò Eccleſia Bracarenſi, unanimi Bracarenſium conſenſu electum fuiſſe Epiſcopum, & à Bernardo apud Sanctum Facundum conſecratum: deinde Geraldum, ut Metropolicam dignitatem Eccleſiæ ſuæ reſtitueret, Romam ad Paſchalem Papam petiiſſe, & ab eo Pallium impetraſſe, ac poſtea in Concilio Palentino, cui præfuit Richardus Cardinalis, exhibuiſſe privilegium Eccleſiæ ſuæ Româ allatum. Hæc Bernardi verba in Beati hujus Præſulis Vita: *Ut B. Geraldus Sedi Bracarenſi propriam dignitatem reſtitueret, Romam petiit, & à domino Papa Paſchali honorificè ſuſceptus, Pallium, & privilegium, & auctoritatem Eccleſiæ ſuæ inde aſportavit. In Concilio enim Palentino, quod venerabilis Richardus Romæ Cardinalis celebravit, Epiſcopis & Abbatibus & optimis Clericis Hiſpaniæ circumſedentibus, Romanum privilegium in auribus omnium recitatum eſt: & juxta tenorem ipſius privilegii Bracaræ Metropolis ſuffraganei Pontifices venerabili Geraldo Bracarenſi Metropolitano, juſtitia dictante, & Cardinali præcipiente, obedientiam & reverentiam promiſerunt*. Annus quidem reſtitutionis illius incertus, quia incerta epocha hujus Concilii Palentini: ſed cùm Burdinus, poſtea Antipapa ſub nomine Gregorii VIII, Sancto Gerardo anno 1110 demortuo, ſuffectus ſit, ut tradit Rodericus à Cunha in Hiſt. Eccleſiaſt. Archiepiſcoporum Bracarenſium, dicendum eſt Concilium Palntinum; & reſtitutionem Bracarenſis Eccleſiæ in Metropolim aliquot annis ante 1110 contigiſſe. Richardum porrò iſtum Cardinalem eundem eſſe, cum Richardo Cardinali Presbytero, Sancti Victoris Maſſilienſis Abbate, qui primum Concilium Palentinum anno 1088 celebravit, contendit Auguſtinus Oldoinus in Notis ad Ciaconium, ſcribens hunc eundem dictum eſſe poſtea Epiſcopum Albanenſem à Paſchali II. Ciaconius verò eos diſtinguit, quod aliis examinandum relinquo.

LIII. *Conjugium Alphonſi Aragoniæ Regis cum Urraca inhibet.*

Non multò ante mortem Alphonſi VI Caſtellæ & Legionis Regis, Urraca ejus filia, quæ Raimundo Gallæciæ Comiti nupta, Alphonſum Infantem, qui ſub nomine Alphonſi VII in Hiſpania regnavit, ſuſceperat, Raimundo Comite marito, poſt diem 29 Decembris mortuo, nupſit Alphonſo Aragoniæ Regi, vivente adhuc Alphonſo VI patre, qui obiit anno milleſimo centeſimo nono, die trigeſima menſis Junii. Sed cùm Alphonſus Aragoniæ Rex Urracam è patre, tertio propinquitatis jure attingeret, Paſchalis Papa illud conjugium penitus improbavit, & ad preces Bernardi Archiepiſcopi Toletani Apoſtolica auctoritate illud caſſavit, datis ea de re literis ad Didacum Compoſtellanum Epiſcopum, injungens ei, ut Urraca, *vel à tanta præſumptione deſiſtat, vel Eccleſiæ conſortio & ſæculari poteſtate privetur*. Hoc ſolum Paſchalis literarum fragmentum refert Baronius anno 1109 ex Joanne Mariana lib. 10 cap. 8. Illi mandatis Apoſtolicis obtemperarunt; ſed cùm Alphonſus Aragoniæ Rex Caſtellæ nihilominus regnum retinere vellet, magnæ diſcordiæ inter eum & Urracam exortæ ſunt, de quibus legendi Hiſtorici Hiſpaniæ. Anno tamen 1110 Urracam adhuc cum Alphonſo marito fuiſſe, conſtat ex variis chartis à Sandovallio fol. 120 & ſeq. laudatis, inter quas extat privilegium in favorem monaſterii Sanctæ Mariæ de Balvanera emiſſum *Erâ* Hiſpanicâ 1148 *unà cum conjuge Urraca nomine ſereniſſimo Rege Adefonſo ſuo exiſtente genitore: mihi quoque quodammodo juncta conſanguinitate, à Pyrenæis montibus uſque ad refluxus Oceani Regali auctoritate dominantibus*. Eo itaque anno Eræ Hiſpanicæ, qui concurrit cum anno 1110, cùm Era Hiſpanica triginta & octo annis Dionyſianam ſeu communem ſuperet, nondum Alphonſus Rex ab Urraca ſe ſejunxerat.

LIV. *Beneventi Concilium celebrat.*

Anno milleſimo centeſimo octavo Paſchalis Papa Beneventum adiit, ibique Concilium celebravit de Inveſtitura beneficiorum Eccleſiaſticorum à laicis non ſumenda. De rebus in hoc Concilio geſtis pauca quædam ſuperſunt apud Petrum Caſſinenſem in Chronico lib. 4 cap. 35 *Menſe autem Octobri*, inquit, *advenit hic idem Apoſtolicus, adjunctoque ſibi Abbate noſtro* (ſcilicet Sancto Brunone Signienſi, de quo

fu-

Digitized by Google

ſupra), *Beneventum celebrandæ illic Synodi cauſa perrexit. In qua prædeceſſorum veſtigia ſecutus conſtituit: Ut ſi quis Eccleſiaſtica beneficia de manu laicorum acciperet, uterque communione privaretur, & qui ſcilicet daret, & qui acciperet. Veſtimenta ſæcularia & pretioſa reprehendit, & iis uti Clericos vetuit.* Hoc Concilium videtur menſe Novembri celebratum, & in eo Landulphus Beneventanus Archiepiſcopus ordinatus; Falco enim Beneventanus in Chronico anno 1102 inchoato, & uſque ad annum 1140 perducto ſcribit: *Anno 1108, Indict. II* (à Septembri inchoata) *Papa Paſchalis venit Beneventum, qui menſe Novembri ordinavit Landulphum Archiepiſcopum.*

LV. *Girardum Engoliſmenſem in Galliis Legatum dicit.*

Eodem anno milleſimo centeſimo octavo Paſchalis Papa Legatum in Galliis conſtituit Girardum Engoliſmenſem Epiſcopum. In codice enim MS. de geſtis Pontificum Engoliſmenſium de Girardo dicitur: *Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus cùm domno Paſchali Papæ adhæſiſſet, qui ad partes Galliarum venerat, cognita honeſtate & præclara ſapientia, vices ſuas prius in Britannia, & deinde in Turonenſi, Burdigalenſi, Bituricenſi, Auxitanenſi provinciis commiſit. Præter cetera, quæ in legatione eximiè fecit, octo Concilia celebravit.* Sed ex illis Conciliis illius tantùm memoria ſupereſt, quòd anno 1109 Lauſduni, quod oppidum eſt Pictavienſis provinciæ, decem leucis à Pictavienſi urbe diſſitum, congregavit, in quo aliqua peculiaria Eccleſiarum negotia pertractata, ut Tomo X Concil. pag. 762 legere eſt. Sed poſtea idem Girardus Anacleto Antipapæ adhærens, eam quam ſibi comparaverat gloriam commaculavit. Ceterum literæ Paſchalis Papæ, quibus Girardum Legatum dicit, referuntur Tomo X Concil. ſuntque ordine 37, & dicuntur datæ Laterani XVIII Kalendas Maji, anni, ut exiſtimo, 1108, poſt Paſchalis ex Gallia reditum, cùm ex citatis verbis codicis MS. de geſtis Pontificum Engoliſmenſium conſtet; ideò hanc legationem Girardo commiſſam, quia *domno Paſchali Papæ adhæſiſſet, qui ad partes Galliarum venerat.*

LVI. *Henricus Germaniæ Rex Legatos ad Papam mittit.*

Cùm Henricus V Germaniæ Rex Romam pergere vellet, ut Imperii coronam reciperet, anno milleſimo centeſimo nono Fridericum Colonienſem Archiepiſcopum, Brunonem Trevirenſem, Comitem Herimannum de Winceburch, alioſque Romam præmiſit *inter domnum Apoſtolicum & Regem concordiam* facturos, inquit Chronographus Hildensheimenſis ad eum Chriſti annum, ubi ſubdit: *Domnus Apoſtolicus omni paternitate, omni manſuetudine eum ſe amplexurum ſpondet, ſi ipſe ſe ut Regem Catholicum, ut Eccleſiæ filium, & defenſorem, ut juſtitiæ amatorem S. Romanæ Sedi exhiberet.* Tum ad annum 1110 idem Chronographus ſcribit, prædictos Legatos Leodium ad Regem veniſſe reſponſum Papæ referentes, & *circa Aſſumptionem Sanctæ Mariæ* Regem *Regio apparatu Italiam* ingreſſum eſſe, & *Natalem domini apud Florentiam* celebraſſe, omneſque civitates & caſtella ei ſe ſubdidiſſe. Idem teſtatur Domnizo in Vita Mathildis.

LVII. *Paſchalis PP. Lateranense Concilium celebrat.*

Paſchalis autem Pontifex eodem anno milleſimo centeſimo decimo in Lateranenſi Eccleſia nonis Martii Concilium celebravit, quod ex Chronico MS. Sancti Petri Vivi Tomo X Conciliorum Labbeanæ editionis inſertum eſt, diciturque celebratum contra Inveſtituras. De eodem Concilio loquitur etiam laudatus Chronographus Hildensheimenſis ad eundem annum: *Nonis Martii*, inquit, *Synodus glorioſa in Lateranenſi Eccleſia præſidente domino Papa Paſchali celebratur.* In eo, ut jam dictum eſt, Paſchalis Pontifex ſtatuit, ex eodem Sancti Petri Vivi Chronico, *ut quicumque Clericorum ab hac hora inveſtituram Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticæ dignitatis de manu laici acciperet, & qui ei manum impoſuerit, gradûs ſui periculo ſubjaceat, & communione privetur.*

LVIII. *Pacta conventa inter Paſchalem PP. & Henricum Regem.*

Præterea Pontifex ad imminentem cladem ſub pacis involucro tectam, avertendam, tùm à Normannis ac Longobardis, tùm ab ipſis Romanorum Proceribus ſubſidia poſtulavit, teſte Petro Diacono lib. 4, cap. 37, & 38, qui & refert pacta conventa tam Romæ in porticu Sancti Petri, quàm apud Sutrium inter Legatos Paſchalis Papæ, atque Henrici Regis, antequam iſte ſe ſe in Urbem infunderet; nimirùm ex parte Regis, pro ſecuritate Pontificis, & libertate Eccleſiarum, ac reſtitutione & conſervatione jurium ac poſſeſſionum ad eas pertinentium; itemque pro renuntiatione Inveſtiturarum, & ex parte Pontificis, pro corona Imperii, & Regalibus prædeceſſorum Imperatorum Regi concedendis. Quæ cuncta idem Petrus Diaconus recitat ex ſcripto, tunc ea de re confecto, quod hactenus extat; agitque de his breviter Urſpergenſis Abbas, qui ſcribit Henricum Regem Sutrium proceſſiſſe: *Ibi Legati Apoſtolici*, inquit, *cum miſſis Regiis advenientes, promptum eſſe Papam ad conſecrationem, & omnem Regis honorem & voluntatem, ſi tamen ipſe ſibimet annueret libertatem Eccleſiarum, laicam ab illis prohibens inveſtituram: recipiendo nihilominus ab Eccleſiis ducatus, marchias, comitatus, advocatias, monetas, telonia, ceterorumque regalium, quæ poſſident ſummam. Præbuit Rex aſſenſum, ſed eo pacto, quatenus hæc transmutatio firma & authentica ratione, conſilio quoque & concordia totius Eccleſiæ ac regni Principum* aſ-

Digitized by Google

aſſenſu ſtabiliretur. Hæc antequam perveniret ad Urbem Henricus Rex.

LIX. *Henricus Rex Romæ à Paſchali PP. excipitur.*

Anno milleſimo centeſimo undecimo poſt repetita inter Legatos Paſchalis Papæ & Henrici Regis pacta conventa, de quibus mox dictum eſt, eademque tum ab ipſo Rege, tum ex parte Paſchalis à Petro Leonis, nobiliſſimo cive Romano, à patris nomine ſic appellato, unde & origo familiæ Petri Leonis dictæ, juramento firmata, idem Rex Henricus pridie Idus Februarii Romam pervenit, ibique ſolemni ritu & magnifico apparatu exceptus eſt extra Urbem à populo, & poſtea à Clero ad ſuperiores gradus Baſilicæ Sancti Petri, ab ipſo Paſchali Papa & Cardinalibus ac Epiſcopis. Pontificem ut vidit Henricus ad ejus pedes corruit, moxque ſurgere juſſus, *ter ſe invicem complexi, ter ſe invicem oſculati ſunt, & ſicut mos, dexteram Pontificis tenens, cum magno populi gaudio & clamore ad portam venit Argenteam. Ibi ex libro profeſſionem Imperatoriam faciens, à Pontifice deſignatus eſt Imperator: rurſumque à Pontifice oſculatus, mox ſuper eum orationem primam, ſicut in ordine continetur, Lavicanus Epiſcopus dixit.* Ita Acta Vaticana apud Baronium. Ceterum neminem movere debet, quòd Henricus Rex dexteram Pontificis teneret juxta morem; idem enim non ſolùm de aliis Regibus & Imperatoribus in ſimilibus congreſſibus contigiſſe legitur, ſed etiam de Carolo Magno nondum Imperatore, qui, teſte Anaſtaſio in Vita Hadriani I Papæ, cùm anno 774 Romæ exceptus fuiſſet, tenuit in inceſſu & ingreſſu Eccleſiæ dexteram manum Pontificis. Ad quem Anaſtaſii locum Henricus Spondanus in Notula ad Annalium Baronii Epitomen anno 774 ſcribit, in libro Pontificali Eccleſiæ S. Petri in Vaticano, dum agitur de ceremonia receptionis Regis coronandi in Imperatorem, & de ejus acceſſu ad Pontificem, qui eum extra Eccleſiam opperitur, hæc haberi, quæ ipſemet excripſit: *Rex accedens ad Summum Pontificem reverenter oſculatur pedes ipſius, & offerens ei aurum quantum placuerit, benignè recipiatur ab eo ad oſculum, & ad amplexum. Quo demum ſurgente, Rex ipſe à parte dextera, & prior Diaconorum à parte ſiniſtra deducant eum uſque ad Eccleſiam,* „ &c. deducant autem, ſubdit Spondanus, „ non (ſicuti optimè vidi argumentantem „ lectiſſimæ literaturæ virum Nicolaum „ Alemannum Tract. *de Dextera atque ſiniſtra*) ut ſimpliciter incedant ad latera „ ejus; ſed etiam ut teneant, hoc eſt, ſuſtineant manus ejus: Ut quemadmodum „ videmus in Ordine Romano præſcribi, „ ut dum ſolemniter procedit Pontifex, „ præcipui ex Clero *tenentes dexteram ejus,* „ *atque ſiniſtram,* ſuſtinerent eum; ita in ceteris ceremoniis Reges & Imperatores id „ obſequii præſtiterint Pontificibus honoris „ ergo. Ea verba, quæ Spondanus extare dicit in libro Pontificali Eccleſiæ S. Petri in Vaticano, extant in Ordine Romano XIV, Auctore Jacobo Cajetano apud Mabillonium Tomo 2 Muſei Ital. pag. 398.

LX. *Paſchalem PP. captivum detinet.*

Sed ut ad Henricum Regem redeam, Acta Vaticana pergunt, poſt ingreſſum Baſilicæ Paſchalem & Henricum in arcem porphyreticam perveniſſe, ibique conſediſſe. *Pontifex inſtaurari Eccleſiaſticum jus, refutationem inveſtituræ, & cetera, quæ in conventionis charta ſcripta fuerant, petiit: paratus & ipſe quæ pollicitus fuerat exequi.* Paululùm ſeceſſit Henricus cum Epiſcopis & proceribus ſuis de negotio tractaturus, habitaque cum iis deliberatione, non ſolùm id denegavit, ſed & ipſum Pontificem, ipſum aliter coronare recuſantem, cum Cardinalibus & magna Clericorum ac civium Romanorum multitudine, captivum ſub militari cuſtodia detinuit; pluresque ex iis, qui obviam ei cum floribus & palmis exierant, partim cœdi, partim ſpoliari & vinciri juſſit. Unde Romani in furorem verſi, mox cunctos Germanos per Urbem diſperſos cæciderunt; deinde verò, hortante eos maximè Joanne Cardinale Epiſcopo Tuſculano, qui ſub plebejo habitu, unà cum Leone Oſtienſi manus Henrici evaſerat, repetitis cum exercitu, qui extra Urbem erat, acrioribus pugnis, quarum unâ & ipſe Henricus equo dejectus, atque in faciem vulneratus, vix necem evaſit, ipſum inde abſcedere coëgerunt. *Hæc verò acta ſunt menſe Februario, ſecundo Idus, anno Dom. Incarnationis* IIII, *indict. quarta. Eadem namque die dominica, qua legebatur Evangelium, Aſſumpſit Jeſus duodecim*, &c. inquit Pandulphus in Vita Paſchalis II, qui characteres inter ſe conveniunt, dies enim duodecimus Februarii anno IIII concurrit cum dominica Quinquageſimæ, in qua prædictum Evangelium legitur.

LXI. *Ab eo Inveſtiturarum privilegium extorquet.*

Poſt hæc Henricus Rex Paſchalem veſtibus Pontificalibus exutum, cum aliis captivis vinctum abducens, apud caſtrum quoddam in Sabinis arctiſſimâ cuſtodiâ quinquaginta & ſex dies detinuit; nullis valens minis, aut malis ejus flectere conſtantiam, qua vitam ipſam conſervationi jurium Eccleſiæ poſtponebat. Sed tandem propoſitis eidem Pontifici ab iiſdem ipſis, qui ei adhærebant, reliquorum captivorum calamitatibus, atque Urbis periculo, quæ ab Henrico continuis incurſionibus infeſtabatur, necnon graviſſimo ſchiſmatis ſcandalo, quod univerſæ Eccleſiæ imminebat; victus tandem Pontifex ſuorum lachrymis, juramento promiſit, nunquam ſe Henricum de Inveſtituris Eccleſiarum inquietaturum, aut eum excommunicatione per-

Digitized by Google

perculſurum: idemque ceteri Epiſcopi, & Cardinales, qui cum eo captivi detinebantur, compulſi ſunt jurare. Deinde privilegium Inveſtiturarum manu ſua ſubſcriptum, & annulo piſcatoris obſignatum, eidem Henrico concedere coactus eſt, concedens ei Epiſcopos & Abbates regni ſui, canonicè tamen & abſque vi atque ſimonia electos, per annulum, & virgam inveſtire; & ut electi licèt canonicè à Clero & populo, non aliter quàm prævia inveſtiturâ Regiâ conſecrarentur.

LXII. *Imperator ab eo coronatur.*

Poſtea Paſchalis ad Baſilicam ſancti Petri perductus illic Henricum coronavit Imperatorem hujus nominis IV, portis omnibus Urbis obſeratis, ne quis civium eò adveniret. Cùmque ad Hoſtiæ confractionem in Miſſarum ſolemniis veniſſet, partem ipſe ſumens, reliquam Imperatori tradidit dicens: *Sicut pars iſta vivifici corporis diviſa eſt: ita diviſus ſit à regno Chriſti & domini, qui pactum iſtud rumpere ac violare tentaverit*: Ita refert Petrus Diaconus lib. 4, cap. 42 Chronici Caſſinenſis. Idem etiam habet Sugerius in Vita Ludovici Craſſi. In Notis autem Maſſoni ad Ivonis Epiſtolas, hæc ita ſcripta ex antiquo codice legi aſſerit Baronius: *Hæc ſunt verba quæ dixit domnus Apoſtolicus domno Imperatori Henrico, in communione Corporis, & Sanguinis Chriſti die coronationis ſuæ*: „ Domne Imperator Henrice, Corpus Domini natum ex Maria Virgine, paſſum „ in cruce pro nobis, ſicut ſancta Catho„ lica tenet Eccleſia, damus tibi in con„ firmationem veræ pacis & concordiæ in„ ter me & te. Amen. Quæ eadem verba habet etiam Robertus de Monte in germano ſuo Chronico à Miræo edito: Chronicon verò Sigeberti ex editione Joannis Piſtorii anni 1583 ad annum 1111 habet: *Confirmatio pacis inter Apoſtolicum, & Imperatorem*, dum in celebratione Miſſæ traderet ei Corpus & Sanguinem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, „ Domine Imperator hoc „ Corpus Domini natum ex Maria Virgi„ ne; & cetera mox ex Maſſono relata. Tandem Henricus Imperator ad caſtra remeans, Paſchalem liberum cum ſuis ad Urbem dimiſit, qui ingenti populi exultatione ſuſceptus eſt. Quod contigit pridie Idus Aprilis, ſeu die nona Aprilis anni 1111, dominica in Albis, ſeu dominica *Quaſi modò Geniti*, ut ſcribit Malmesburienſis lib. 5 pag. 167; ſicque rectè diximus carcerem Paſchalis duraſſe dies 56, à dominica nempè Quinquageſimæ, ſeu à die 12 Februarii, ad dominicam in Albis, ſeu ad diem 9 menſis Aprilis.

LXIII. *Cardinales & Clerus Romanus factum Paſchalis improbant.*

Paſchalis in Urbem reverſus, Cardinales, & univerſum Clerum Romanum à ſe averſum invenit, & valde improbantem fœdus illud, quod cum Imperatore Henrico pepigerat contra prædeceſſorum ſuorum decreta, paucorum duntaxat Cardinalium conſilio adhibito. Licèt autem tam ipſe Paſchalis, quam ceteri Cardinales, qui cum eo captivi fuerant, pro utilitate publica factum excuſarent, nihilominus parùm abfuit, quin apertum in ſchiſma erumperet illa diſſenſio; nam cùm paulò poſt ab Urbe Campaniam verſus receſſiſſet Paſchalis, iidem ſeorſum Romæ convenientes in unum ſimul cum Joanne Cardinali Tuſculano Epiſcopo, confirmaverunt quæ à Gregorio VII, & Urbano II Pontificibus contra laicorum Inveſtituras ſtatuta pluribus Conciliis eſſent, nihilque roboris obtinere decrevére quidquid adverſus ea, ab ipſo Paſchali, & ipſi inhærentibus Cardinalibus quovis prætextu actum fuiſſet. Quod ubi audivit Paſchalis tunc Terracinæ exiſtens, tertio nonas Julii ad eos literas dedit, quibus interim eos leniter redarguens, promiſit tamen ſe emendaturum quod egerat; prudenter admodum occurrens ſchiſmati, quod inchoari jam videbatur.

LXIV. *Item S. Brunone Signienſ. Epiſc. & Caſſinenſis Abbas.*

Sanctus Bruno Signienſis Epiſcopus, non ita pridem electus quoque Caſſinenſis Abbas, Vir inſignis ſanctimoniæ, aliis Epiſcopis, & Cardinalibus junctus Paſchali Papæ imminebat, ut privilegium Imperatori conceſſum reſcinderet, eumque anathemate configeret. Paſchalis Brunoni vehementer ſuccenſuit; cùmque metueret, ne ſanctitatis ipſius opinio & zelus multos traheret in partes, præſertim è Caſſinenſibus Monachis, nobiliſſima portione gregis Chriſti, illum ab iſtius cœnobii regimine removere decrevit, quòd cum Epiſcopatu retinere, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione non poterat: *Niſi illum*, inquit, *à monaſterii adminiſtratione removero, ipſe ſuis argumentis Eccleſiæ mihi regimen tollet*. *Quapropter eidem Abbati direxit Epiſtolam, qua vetuit ne ultra Epiſcopus ſimul eſſet, atque Abbas: neque enim ultra ferre Apoſtolicam Sedem Epiſcopum aliquem monaſterio præeſſe tam celebri. Fratribus etiam per Leonem Oſtienſem Epiſcopum & hujus cœnobii Monachum literas miſit, mandans ne ipſi viro ulterius obedirent, ſed ſecundùm Deum ſibi regulariter Abbatem eligerent. Sin autem ſecus agerent, in omnibus monaſterii cellis Abbatem ipſe ſtatueret*. Ita refert Petrus Diaconus lib. 4 Chronici Caſſinenſis cap. 44.

LXV. *Paſchalis excuſatur à pluribus Gallicanis Epiſcopis.*

Sed licèt non ſolùm Romæ, verùm etiam in Galliis, & alibi omnes Paſchalis Papæ factum damnarent, non deerant tamen celeberrimi ea tempeſtate Epiſcopi, qui privilegium illud œconomia quadam, & diſpenſatione minimè damnanda, à Paſchali Papa Imperatori concedi potuiſſe crederent, inter quos numerandus venit Ivo Carnotenſis Epiſcopus, qui à Joanne Archiepiſcopo Lugdunenſi, Galliarum Pri-

SÆC. XII. PASCHALIS II.

mate ; ad Concilium , quod apud Anſam indixerat , cum ceteris Senonenſis provinciæ Præſulibus convocatus , adeſſe recuſavit , & ex Coepiſcoporum ejuſdem Senonenſis provinciæ ſententia, Synodicam ſcripſit Epiſtolam , qua ſe excuſat . In ea inter alia Paſchalem etiam excuſat , quòd cùm coactè privilegium illud indulſerit, electionum tamen libertatem ſartam tectam eſſe decreverit , ab iiſque ſimoniam eliminari juſſerit , ſolam aſſenſûs Regii neceſſitatem indulgendo . *Quòd ſi Papa*, inquiunt Epiſcopi Senonenſis provinciæ , ſeu Ivo eorum nomine , *adhuc in Teutonicorum Regem debitam ſeveritatem non exercet : credimus quia conſultè differt ſecundùm quorundam doctorum judicia , qui conſulunt quidem admittenda pericula , ut poſſint vitare majora* . Et infra : *His Catholicorum patrum terminis contenti , quæ poſſumus, ſecundùm decreta Patrum ſalvo vinculo pacis, corrigere volumus : quæ autem corrigere non poſſumus, uſque ad meſſem , ſi neceſſe ſit , Domino docente, tolerare decrevimus . His verbis excuſatos nos credimus , quòd à laceratione domini Papæ linguas noſtras reprimimus ; & ſi quid contra ſententiam ſuam , ſuorumque prædeceſſorum de remiſſis Germanico Regi Inveſtituris feciſſe videtur, filiali caritate excuſamus . Non enim prævaricator eſt legis , qui delinquit in lege aliqua , fallente ſubreptione , vel impellente neceſſitate ; ſed qui legem impugnat ſtudioſè & delictum ſuum non curat agnoſcere . Undè hunc exceſſum ejus non tantùm non accuſamus , ſed dictante ratione approbamus : ſi imminente ſtrage populi, paterna caritate cum nonnullo vulnere ſuo ſe tantis periculis voluit objicere , ut majoribus morbis poſſet ſincera charitate ſubvenire*. Certè Paſchalem non ſolùm non defendiſſe quod perperam , licèt invitus & cogente neceſſitate , commiſiſſet, ſed & improbaſſe, ex literis ab eo ad Joannem Epiſcopum Tuſculanum , Leonem Vercellenſem Epiſcopos & Cardinales in unum congregatos datis *Terracinæ tertio Nonas Julii* , de quibus ſupra , & ex aliis monumentis conſtat.

LXVI. *Henricus à Conone Sedis Apoſt. Legato excommunicatur.*

Porrò plures ex iis , qui contra privilegium illud inſurgebant , non tam in Paſchalem , qui & ipſe deteſtabatur quod fecerat , quàm adversùs Henricum Regem inſurgebant , quem excommunicandum eſſe clamabant . Quòd hoc ipſo anno milleſimo centeſimo undecimo fortiter aggreſſus eſt Conon Cardinalis Epiſcopus Prænestinus , legatione Apoſtolicæ Sedis in Oriente fungens , qui , audito Henrici facrilegio , convocata mox Jeroſolymis Synodo, eundem Regem excommunicavit ; & confeſtim advolans in Occidentem, eodemque legationis munere circumquaque provincias luſtrans , collectis in Græcia , Hungaria , Saxonia , Lotharingia , & Francia Synodis , ubique eandem excommunicationis ſententiam repetivit ; ut de his conſtat ex Actis ultimi ſub Paſchale celebrati , anno 1116, Concilii Lateranenſis, in quo ea omnia Conon voluit per eundem Pontificem confirmari .

LXVII. *Paſchalis PP. Concilium Laterani habet.*

Interea Paſchalis , cùm videret nobiliſſima Eccleſiæ membra adversùs ſe commota , ad inſtaurandum grave damnum illatum Eccleſiæ , ſcandalumque curandum, quod intulerat ubique fidelibus , ob privilegium Inveſtiturarum Henrico Imperatori conceſſum , à quibus , & maximè ab iis , qui Eccleſiaſticæ libertatis ſtudioſi erant, urgebatur , ut illud revocaret , anno milleſimo centeſimo duodecimo Concilium Romæ in Baſilica Lateranenſi celebravit , cui cum ipſo interfuerunt Archiepiſcopi duodecim , Epiſcopi centum quatuordecim , Presbyteri Cardinales quindecim , & Diaconi Cardinales octo ; Abbates plures , & Clericorum diverſi ordinis innumera multitudo, ut habetur in Synodi Actis , quæ extant, quæque Nicolaus Cardinalis Aragonius in ſuum tranſtulit codicem . In eo Concilio primùm confirmata eſt ſententia adversùs Guibertinos , ſeu Guiberti quondàm Antipapæ ſectatores , qui referrentur quaſi ex permiſſione Paſchalis interdicta officia celebrare .

LXXIII. *In eo retuſat Henricum Regem excommunicare.*

Deinde narravit idem Pontifex , quomodo vi & neceſſitate coactus cum Henrico tranſegiſſet , declarans tamen propter juramentum ei præſtitum , nunquam ſe illum excommunicaturum, aut de Inveſtituris inquietaturum : ceterum privilegium ab eodem extortum , corrigendum quidem eſſe tanquam pravè factum , ſed correctionis ejus modum judicio ſe Synodi relinquere . At ne quis de fide ipſius dubitaret, profeſſionem Catholicæ fidei coram omnibus edidit . Sed cùm modus hæc conciliandi non inveniretur à Synodo , Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus advenit, & Patribus Concilii perſuaſit , Inveſtituras revocari poſſe, ſalvo ſacramento à Paſchali Papa facto , ita tamen quòd Imperator dans Inveſtituras non excommunicaretur . Hæc conſtant ex Auctore Anonymo Hiſtoriæ Pontificum , & Comitum Engoliſmenſium, qui vixit anno 1159 ; in ea enim Hiſtoria , quæ extat Tomo 2 Biblioth. Labbei pag. 249, de Gerardo Epiſcopo Engoliſmenſi hic Auctor cap. 35 ſcribit : *Cùm Romam tenderet , audito quòd Paſchalis Papa Concilium congregaſſet maximum diebus illis ad jubileum tetendit* (legendum cum alio exemplari correctiori , maximis dietis ad Urbem tetendit) *in quam quamvis tacitè venit, tamen reſidentes Epiſcopos cum Domino Papa in Concilio invenit . Cauſa ſiquidem, qua convenerant,talis fuit . Imperator ſiquidem Henricus Papam Paſchalem , Cardinales , & nobi-*

Digitized by Google

nobiles Romanos ceperat. Hac occaſione Papa reliquit Inveſtituras Imperatori, quæ fiebant per annulum & virgam, & ſuper ſacroſancta juravit propria manu Imperatorem & curiam ejus ſe non excommunicare pro Inveſtituris. Quia verò Papa rem illicitam fecerat, deponere ſe à Papatu promiſerat, & ad Pontianas inſulas habitu religioſo exul ire diſpoſuerat, ſi Inveſtituras ſalvo ſacramento ad priſtinam libertatem, &c.

LXIX. *Concilium prohibet Inveſtituras, ſed Henricum non excommunicat.*

In qua re, ſubdit idem Auctor Anonymus, *nullum remedium à toto Concilio inveniri poterat. Gerardus Epiſcopus requiſitus tandem tale conſilium dedit, quòd Inveſtituræ revocari poterant ſalvo ſacramento, ita tamen quòd Imperator dans Inveſtituras non excommunicaretur. Quod conſilium omne Concilium laudans dixit:* Non tu locutus es, ſed Spiritus Sanctus in ore tuo. *Placuit itaque Papæ & toti Concilio quatenus Gerardus Epiſcopus, per quem Deus Eccleſiæ ſuæ tale conſilium reſeraverat, cum quodam Cardinale Diviniaco, vel Dunciaco* (nomen illud corruptum) *ad Imperatorem dirigeretur, qui voluntatem Imperatoris conſuleret, quatenus Eccleſia Romana Inveſtituras exponeret* (fortè repoſceret) *alioquin habitum conſilium revelaretur*. Porrò Gerardi conſilium ſecuta eſt Synodus Lateranenſis; in ea enim, ut ſcribit Aragonius Cardinalis, Patres non Henricum Imperatorem, ſed privilegium ab eo extortum excommunicarunt. *Nos omnes in hoc Sancto Concilio cum domno Papa congregati, canonica cenſura & Eccleſiaſtica auctoritate, judicio S. Spiritûs damnamus & irritum eſſe judicamus* (nempè privilegium illud) *atque omninò caſſamus; & ne quid auctoritatis, & efficacitatis habeat, penitus excommunicamus. Quod ideò damnatum eſt, quòd in eo privilegio continebatur, quòd electus canonicè à Clero & populo à nemine conſecretur, niſi prius à Rege inveſtiatur, quòd eſt contra Spiritum ſanctum, & Canonicam inſtitutionem. Perlecta charta acclamatum eſt ab univerſo Concilio; Amen, Amen; fiat, fiat*, inquit Aragonius Cardinalis, qui ſubdit: *Hæc charta lecta eſt à Gerardo Engoliſmenſi, Galone Legionenſi Epiſcopis* &c. ſed loco, Legionenſi, legendum Leonenſi; Galo enim tunc erat Epiſcopus Leonis in minori Britannia ſub Archiepiſcopatu Turonenſi, quod oppidum nunc vulgò vocatur *S. Paul de Leon.* Concilium iſtud habitum eſt *decimo quinto Kalend. Aprilis*, ut legitur apud Urſpergenſem in Chronico, & Simeonem Dunelmenſem in Hiſt. de Geſt. Reg. Angl. vel *in medio menſis Martii*, ut habet Trithemius in Chronico Hirſaugienſi.

LXX. *Legationem ad eum mittit.*

Quomodo Gerardus Engoliſmenſis ab Imperatore acceptus fuerit, refert idem Auctor Anonymus ibidem: *Quòd cùm in præſentia Imperatoris ſupradictus Pontifex Gerardus mirabiliter peroraſſet, & à Cancellario Imperatoris, qui illius interpres erat, ſingula exponerentur, vehemens tumultus ortus eſt in Curia, ita quòd Colonienſis Archiepiſcopus, qui eum ſolemniter in hoſpitio ſuo ſuſceperat (in Galliis namque diſcipulus Gerardi fuerat) de vita illius dubitans dixit:* Magiſter, maximum ſcandalum generaſti in Curia noſtra. *Indignans autem Gerardus reſpondit:* Tibi ſit ſcandalum, mihi eſt Evangelium. *Dedit tamen Gerardo Pontifici Imperator multa munera.* Petrus Bleſenſis in Continuatione Ingulphi pag. 128, ubi de hoc Concilio agit, addit, Gerardum tunc fuiſſe *in Aquitania* Apoſtolicæ Sedis Legatum, de cujus legatione ſuprà à nobis actum, & de eo infra ſermo redibit.

LXXI. *Paſchalis PP Viennenſis Concilii Acta confirmat.*

Eodem anno milleſimo centeſimo duodecimo, die 17 Kalendas Octobris, Guido Viennenſis Archiepiſcopus, & ipſe Sedis Apoſtolicæ Legatus Concilium Viennæ coegit, ad quod, ut teſtantur Patres in Epiſtola Synodali ad Paſchalem Papam miſſa, Henricus Rex Legatos miſit. In eo tamen Inveſtitura Epiſcopatuum & Abbatiarum de manu laica ſuſcepta, hæreſis judicata eſt, & Henricus Rex excommunicatus, quòd Paſchalem Papam indignè tractaſſet, & deteſtabile ſcriptum violenter ab eo extorſiſſet. De illo Concilio loquuntur Chronographus Malleacenſis, Sugerius in Vita Ludovici Regis hujus nominis VI, cap. 9, & Guigo Prior Cartuſienſis in Vita S. Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani Innocentio II Papæ dicata cap. 5 Sanctus enim Hugo, & S. Godefridus Ambianenſis Epiſcopus ei interfuerunt. Hujus Concilii decretis ad Paſchalem Papam relatis, illa confirmavit Pontifex, datâ *Guidoni Viennenſi Archiep. Sedis Apoſtolicæ Vicario*, & ceteris Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus *Viennæ congregatis* Epiſtolâ, quæ extat Tomo X Concil. pag. 786, qua Pontifex, quæ *ſtatuta ſunt ibi, rata* ſuſcipit & confirmat *Laterani XIII Kal. Novemb.* ejuſdem anni 1112. Rectè itaque ſcribit Malmeſburienſis lib. 5 de Reg. Angl. omnem Galliam Eccleſiaſtici zeli vigore intentaſſe in Henricum Imperatorem, nec diſſimulaſſe execrari.

LXXII. *Beneventum pergit, & urbis ſecuritati conſulit.*

Paſchalis Pontifex, quem ſuperius vidimus Beneventi anno milleſimo centeſimo octavo Concilium celebraſſe, iterum anno milleſimo centeſimo duodecimo exeunte, audiens ſeditiones à Beneventanis excitatas, Beneventum perrexit, eamque in urbem advenit, *ſecundo die intrante menſis Decembris*, inquit Falco Beneventanus in Chronico, quod exorditur ab anno 1102, & deſinit anno 1140. Cauſa tumultuum hæc erat, *quòd alii Landulphum Burrellum, alii Anſonem civitatis Rectorem ſine Domini Papæ voluntate conſtituere ſatagebant.*

Cùm

Digitized by Google

SÆC. XII. PASCHALIS II.

Cùm ea in urbe verſaretur anno 1113, *menſe Februario Synodum conſtituit. Synodo autem finita, cùm in Sacro Beneventano Palatio aſſiſteret, prædictamque conſpirationem factam pro parte illius Landulphi Borrelli deprehendens, concives vocari juſſit, à quibus quid agendum eſſet ſuper hoc tanto negotio, ſciſcitatus eſt, quomodo conjuratio illa ad traditionem Civitatis, & detrimentum fore videbatur: & quòd quidam civium pro ipſius Landulphi auxilio turres Portæ ſummæ noctu cepiſſent, indeque munitionum ipſarum cuſtodes ejicientes, una tantùm nocte eas virtute tenuerunt. Tandem Deo opitulante, & Beneventanorum complurium fidelium ſolatio, quorum mens erat ſanior, turres ipſæ vendicatæ ſunt, & B. Petro reſtitutæ.* Refert poſtea Falco quoſdam ex malorum fautoribus captos, quoſdam ejectos, domus quorundam fiſco addictas, & quorundam deſtructas, tandemque concludit: *Iſtis taliter actis, XIV anno Pontificatûs ſupradicti domini Papæ, menſe Martio, ſextæ Indictionis* (quæ currebat anno 1113), *Dominus ipſe Apoſtolicus civitatem Beneventanam variis prædarum perſecutionibus ex omni parte oppreſſam aſpiciens, & civium bona à Normandis undique vicinantibus quotidie diſtrahi & confundi cognoſcens, conſilio habito, Landulphum de Græca, militem præſtantem & ſolertem Comeſtabulum Beneventanorum inſtituit, quatenus . . . Civitas . . . ſecura . . perſiſteret.* His conſonat Petrus Diaconus in Auctario ad Leonem Oſtienſem lib. 4 cap. 50, ut obſervavit Camillus Peregrinius in Notis ad hæc Falconis verba.

LXXIII. *Eccleſia Antiochena jura ſua reſtituit.*

Balduinus Jeroſolymorum Rex per Nuntios à Paſchali Pontifice petierat, ut quaſcumque urbes *ſibi poſſet vendicare, omnes ditioni & regimini Jeroſolymitanæ Eccleſiæ ſubjacerent*, inquit Willelmus Tyrius lib. 11 cap. 27, quod obtinuerat reſcripto dato *Laterani V Idus Julii*. Ad petitionem quoque ejuſdem Balduini Regis Paſchalis Gibelino Jeroſolymorum Patriarchæ ſcripſerat, eique conceſſerat urbes & provincias, *quæ glorioſi Regis Balduini, ac exercituum eum ſequentium ſanguine, per Dei gratiam acquiſitæ ſunt*; quæ conceſſiones factæ fuerant à Paſchali ante annum 1112, quo Gibelinus die octava Aprilis è vivis exceſſit. Sed cùm hæc accepiſset Bernardus Patriarcha Antiochenus, de illata Eccleſiæ ſuæ manifeſta injuria plurimùm conqueſtus eſt apud Paſchalem, qui literis datis *Laterani VII Idus Auguſti* à Tyrio ibidem recitatis, reſpondit, actum id eſse propter ignorantiam, & locorum prolixam longinquitatem, ſeque jus & honorem quibuſque Eccleſiis conſervaturum. Hæc Epiſtola ſcripta videtur anno 1111, aut inſequenti. Cùm enim Paſchalis anno 1113 Beneventi verſaretur, & vellet mentem ſuam interpretari, ad eundem Bernardum Antiochenum Patriarcham literas dedit, quæ ſcriptæ ſunt *Beneventi XV Kalendas Aprilis*, quibus ſignificat, ſe jam revocaſſe conceſſionem factam *felicis memoriæ Gibelino Jeroſolymitano Patriarchæ*, qui ideo jam defunctus erat. Eadem die Balduino Jeroſolymorum Regi alias literas dedit, mandavitque, ut *Jeroſolymitanæ Eccleſiæ* Clerici *ſint jure contenti; nec injuſtè aut procaciter uſurpare ea contendant, quæ certò ſciuntur ad jus Antiochenæ Eccleſiæ pertinere*. Librariorum itaque errore hæ ad Balduinum Regem literæ dicuntur datæ *Laterani XV Kal. Aprilis*, loco, *Beneventi*, qui error manifeſtus eſt, uno cùm eodemque die Paſchalis Pontifex Romæ & Beneventi eſse non potuerit.

SÆC. XII. PASCHALIS II.

LXXIV. *Robertum vexantem Beneventanum excommunicat.*

Idem Paſchalis Papa Beneventi Romam redux, audiens Robertum Sclavum, qui caſtellum ad montem Sabletam contra Beneventanos erexerat, nolle illud deſtruere, ſed eoſdem vexare non ceſsare, *illum excommunicavit, donec caſtellum illud civitati contrarium deleviſſet, quod facere ipſe Robertus contempſit*, inquit Falco laudatus, qui addit Landulphum Comeſtabilem cum Roberto ea de re egiſse, & caſtellum illud evertiſse: *Caſtellum illud deſtruxit*, inquit, *& funditùs delevit, duobus videlicet equis optimis, & ducentis ſolidis datis*. Quod cùm Normanni accepiſſent, ſæviùs in Beneventanos graſſati ſunt, ut pluribus narrat Falco.

LXXV. *Apud Cyperanum Concilium cogit.*

Beneventani à Normannis in anguſtias compulſi, anno milleſimo centeſimo decimo quarto Legatos ad Paſchalem Papam miſêre, rogaruntque, *ut gregi commiſſo, ſicut Paſtor bonus, ſubvenire dignaretur. Neceſſitate enim Dominus Papa*, cogente ſcilicet, *eis præcepit, ut pacem civitati, prout melius poſſent, facerent, & pauperibus ſubvenirent, ne Petrus Apoſtolus civitatem acquiſitam occaſione iſta perderet: quidquid autem de pacis conſilio inveniſſent, ipſi remitterent*, inquit Falco Beneventanus in Chronico. Landulphus Archiepiſcopus Beneventanus unus ex illis Legatis Beneventum rediens, non quæ erant pacis, ſed quæ belli operatus eſt; nec enim pacem cum Normannis compoſuit, ſed civile acerrimum bellum conflavit, & Landulphum Comeſtabilem eidem civitati ab eodem Paſchali Pontifice præfectum in ordinem redigere, ſeque magiſtratu abdicare coegit. Quare Pontifex collecto, eodem anno 1114, apud Cyperanum, ad fluvii Liris ripam poſitum, Concilio, Landulphum Archiepiſcopum Beneventanum, ſe purgare non valentem, dignitate depoſuit, ut ſcribit Petrus Diaconus lib. 4 cap. 51. Ibidem Landulphum de Græca Comeſtabulum, Benevento expulſum, ad Concilium venientem, ſpeciali honore ſuſcepit. In eodem

dem Concilio auditæ ſunt querelæ Archiepiſcopi Coſentini adversùs Rogerium Siciliæ Comitem, quòd ab eo Archiepiſcopatu dejectus, coactus fuiſſet Monachus fieri Caſſinenſis; juſſuſque eſt cucullum deponere, & liber abire. Denique in eodem Concilio *Apoſtolicus Guillelmum Ducem Apuliæ & Calabriæ conſtituit*, ut legitur apud Petrum Diaconum laudatum, vel ut apud Falconem, *Apoſtolicus Ducatum Italiæ, Calabriæ & Siciliæ Duci præfato* [nempe Willelmo] *conceſſit*. Ad quæ verba Peregrinus in Notis obſervat, *Italiæ* vocabulo, à Fulcone, *Apuliam* ſolummodò demonſtrari; quem loquendi modum uſitatum fuiſſe, variis Falconis locis probat. Willelmus iſte filius erat Rogerii Apuliæ & Calabriæ Ducis, ac Roberti Guiſcardi nepos, qui eorumdem Ducatuum Dux conſtitutus eſt à Paſchali Papa in hoc Concilio apud Cyperanum, cui ille poſtea fidei ſacramentum præſtitit, ut narrat Petrus Diaconus loco laudato.

LXXVI. *Piſanos ad expugnationem inſularum Balearium contra Saracenos excitat.* Eodem tempore Paſchalis Pontifex ſeriò perpendens mala, quibus Chriſtiani affligebantur à pyratis Saracenis, qui Baleares & Ebuſum inſulas occupabant, Piſanos adegit, ut illuc arma converterent, iiſque Raimundus Berengarii hujus nominis III Barcinonæ & Provinciæ Comes ſe adjunxit, qui in Majoricam inſulam deſcenſionem fecit, ac præcipuum oppidum oppugnavit. Verùm cùm accepiſſet Mauros ſeu Saracenos cum ingenti exercitu Barcinonam veniſſe, obſidionem ſolvit, & ad Barcinonæ auxilium properavit, tantamque barbarorum ſtragem edidit, quanta maxima aliàs facta fuiſſet. Deinde Majoricam rediit, eamque aggreſſus eſt. Piſani optatum iter contra Majoricam ſuſcepêre cum Petro Piſanorum Epiſcopo, atque cum Boſone Cardinali Romanæ Sedis Legato. Sed antequam Majoricam aggrederentur, priùs ad inſulam Ebuſum, ab Hiſpanis hodie *Yvicam* appellatam, applicuerunt, quæ capta eſt anno 1114 in feſto Sancti Laurentii, & in feſto Sancti Bartholomæi Apoſtoli ad Inſulam Majoricam applicuerunt, ut ſcribit antiquus Chronographus Piſanus apud Ughellum in Appendice ad Tomum 3 Italiæ Sacræ, qui Chronographus deſcribit poſtea, quæ tam autumno, quàm hyeme anni Chriſti 1115, quo Majorica urbs capta, ab exercitu Chriſtiano geſta ſunt. *Capta*, inquit, *ibi Regis Mortade ſorore cum filiis & filiabus & nepotibus, & cum maxima copia auri, argenti atque palliorum. Sed quoniam ipſa in captivos, eis teſtantibus, omnemque Chriſtianum illuc pervenientem miſericordiſſima fuerat, cum ſua progenie eſt reddita libertati. Factumque eſt, ut in ipſa inſula Majorica remanente filia ſua, Regina cum fratre ſuoque filiolo cum Piſano exercitu Piſam ſponte venerit, ibique abrenuncians paganiſmo Chriſtianum nomen cum ſuo parvulo filio ſuſcepit*. Addit poſtea hujus Reginæ filium ſacro baptiſmate initiatum, in patriam remiſſum, ut ibi regnaret. Cum hoc Chronographo egregiè convenit Laurentius Veronenſis, Petri tunc Epiſcopi Piſani Diaconus, qui apud Ughellum ibidem in fine ſui Poëmatis, ait.

Et facta præda muri ſternuntur & ædes.
..... Paſcha celebratur, Barales de nexibus exit.
ſoror hæc erat Mortadæ Regis.
Cujus dat nato Piſana potentia regnum.
Denique victores felici claſſe parata
Ad ſuas quique meat, hos & de littore ſpectans,
Et miranda canunt Chriſti Magnalia gentes.
Piſanam tandem Burabe (Rex Maurus) *traductus in urbem*
Præbuit Italiæ ſe ſe ſpectabile monſtrum.

Sed cùm nulla in eam inſulam Chriſtiana colonia miſſa ſit, religio Chriſtiana ibidem paulò poſt extincta, & Majoricani ad infidelitatem & rapinas rediêre. Illud etiam bellum narrat Diagus lib. 2 Hiſt. Comitum Barcinonenſium cap. 88 & ſeqq. Denique Pandulphus Piſanus Auctor Vitæ Paſchalis II hæc ſcribit: *Quid egregia Piſanorum induſtria, & admirabilis pertinacia per eundem dominum Papam Balearibus inſulis Efiſæ & Majoricæ contulerit, quem apparatum, quas copias, ſupplementumque, quemve Legatum ipſi habuerint...... quomodo etiam evulſis captivis, direptis ſpoliis, ſubverſis urbibus victores redierint, quia digno volumine comprehendere diſpoſui, ſuo loco & ſuo tempori diſtuli*. Verùm vel is Auctor Hiſtoriam illam poſtea non elaboravit, vel ea ad nos non pervenit.

Anno milleſimo centeſimo decimo quinto Paſchalis Papa, menſe Auguſto in Apuliam profectus, Trojæ Concilium celebravit, cui interfuerunt omnes ferè Apuliæ Proceres, Archiepiſcopi & Epiſcopi, in quo inter cetera *Treuga Dei ſtatuta eſt. Adeò quòd Comes Jordanus, & Comes de Loritello, & alii Barones Apuliæ ſacramento impræſentiarum firmaverunt Treugam Dei extunc per ſpatium annorum trium fore tenendam*, inquit Falco Beneventanus in Chronico. Ex quo & intelligimus Treugam Dei, ſeu pacem inter privatos homines, & communitates, de qua in Alexandro II locuti ſumus, à Sacris Conciliis approbatam fuiſſe. Finito Concilio Papa Beneventum tertio die intrante menſis Septembris reverſus eſt, deinde Romam rediit VII Kalendas Octobris ex eodem Falcone. LXXVII. *Concilium Trojæ congregat.*

Paſchalis Pontifex Trojæ exiſtens ſcripſit ad Guidonem Archiepiſcopum Vienneſem, Legatum ſuum ſuper controverſia LXXVIII. *Dirimit controverſiam Canonicorum Biſuntinorum.*

Digitized by Google

ſia Eccleſiarum Veſontionenſium Sancti Joannis, & Sancti Stephani, quæ utraque ſe Cathedralem jactabat, cùm Epiſcoporum Sedes diutius quidem in S. Joannis, nonnunquam verò in S. Stephani Eccleſia fuiſſet, eumque reprehendit, quòd S. Stephani Clericorum teſtimonium in Eccleſiæ ſuæ cauſa admittere noluerit, in Concilio ſcilicet Trenorcienſi, quod idem Guido Legatus non multò ante celebrarat. Ea controverſia jam ab anno 1110 agitabatur coram Paſchali Papa, ut conſtat ex ejuſdem Pontificis Epiſtola ad Guillelmum Archiepiſcopum Biſuntinum, qua ei mandat, ut inter Canonicos earum Eccleſiarum obortas controverſias ſuo judicio dirimat. Sed cùm eas componere non potuiſſet Guillelmus, ejus cognitionem idem Pontifex commiſit Guidoni Viennenſi, qui Pontificis mandato paruit, & Trenorcienſe Concilium huic diſceptandæ cauſæ anno 1115 convocavit: ſed cùm in eo multos teſtes reprobaſſet, tanquam minimè idoneos, S. Stephani Clericorum teſtimonium admittere in Eccleſiæ ſuæ cauſa noluit. Quod factum reprehendit Pontifex laudata ad Guidonem Epiſtola *Trojæ VI Kal. Septembr. indict. VIII* data, in qua ait: *Ceſſet jam malitiæ Zelus, & doloſitatis cavillatio: ut prædictarum Eccleſiarum negotium juxta literarum tenorem omnimodis peragatur. Alioquin ad præſentiam noſtram, parati prorſus & inſtructi proximo Quadrageſimalis Concilii tempore revertantur.* Fecit autem Pontifex quod minatus erat, & evocatam ad ſe cauſam in Lateranenſi Concilio anno milleſimo centeſimo decimo ſexto judicavit, ut conſtat ex ejus literis datis *fratribus & filiis, ſuffraganeis, Clero & populo Biſontinæ Eccleſiæ*, quas refert Chifflentius in Hiſtoria Trenorcienſi, quibus Eccleſiæ S. Stephani adjudicatur Primatus. Hoc Paſchalis judicium Guido, Pontifex dictus ſub nomine Calliſti II, reſcidit tanquam ſubreptitium, & decretum Trenorcienſis Concilii confirmavit conſtitutione, quam refert idem Chifletius, qua Primatus adjudicatur Eccleſiæ S. Joannis. Ceterum controverſia illa duravit uſque ad Pontificatum Innocentii IV, ut ibidem videbitur.

LXXIX. *Inveſtituras in Concilio Lateranenſi damnat.*

Anno milleſimo centeſimo decimo ſexto Laterani Concilium habuit Paſchalis Papa, quod *pridie Nonas Martii*, ſecunda feria tertiæ hebdomadæ Quadrageſimæ inchoatum, ſequenti ſabbato *quinto Idus Martii* concluſum eſt. In eo, ut habet Urſpergenſis Abbas in Chronico, Pontifex retulit ſe privilegium Inveſtiturarum Henrico Imperatori per vim conceſſiſſe, & ut multa mala ab Eccleſia averteret; ſed ſe illud condemnare ſub perpetuo anathemate, & rogare omnes ut idem faciant. *Tunc ab univerſis acclamatum eſt, Fiat, fiat*, inquit idem Urſpergenſis. In eodem Concilio retractatam eſſe cauſam Veſontionenſis Eccleſiæ, de qua numero ſuperiori egimus, conſtat ex Paſchalis II literis nono Kalendas Aprilis indictione 9, die 24 Martii, quibuſdam diebus poſt Concilium datis apud Chiffletium in Probationibus Hiſtoriæ Trenorcienſis pag. 375. Tandem in eo Concilio actum eſt de cauſa Groſulani, qui ex Epiſcopatu Savonenſi ad Mediolanenſem translatus, huncque relinquere coactus, reſtitui poſtulabat, & Jordanum, in ejus locum ordinatum, ex eo ejici. Sed Concilium ſtatuit, Groſulanum ad Epiſcopatum Savonenſem redire debere, quæ pluribus narrat Puricellus in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ, ubi notat Groſulanum poſt Concilium iſtud Lateranenſe toto vitæ ſuæ tempore Romæ remanſiſſe, ibique mortuum ac ſepultum eſſe.

LXXX. *Landulphum in Archiepiſcopatum Beneventanum reſtituit.*

Baronius ſuſpicatur Paſchalem Papam in hoc Concilio Lateranenſi, in priſtinum gradum reſtituiſſe Landulphum, quem, ex ſuperiùs dictis, Archiepiſcopatu Beneventano depoſuerat; ſed Falco Beneventanus in Chronico à Baronio laudatus, contrarium planè indicat, cùm Landulphum menſe Auguſto dignitatem recuperaſſe prodat, & Concilium Lateranenſe menſe Martio inceptum & abſolutum fuerit. Falco enim poſtquam narravit ſeditionem, quæ Romæ excitata eſt, quæque Paſchalem coegit Româ exire, ſubdit: *Diebus autem non multis elapſis, Apoſtolicus ipſe ſeditionem illam placari & minui aſpiciens, conſilio accepto, militibus collectis, Romam ingreſſus eſt; deinde palatium Lateranenſe ingreditur, ibique Miſſarum ſolemnia decantavit. Cùm autem ipſe Urbem ingreſſus fuiſſet, Romanorum cœtus, qui ei rebellis extiterat, ferè ad ejus imperium, & voluntatem converſus eſt; ſicque Apoſtolicus ipſe tranquillitate inventa Romam ſecurus habitavit. His taliter actis prædictus Apoſtolicus Landulphum, quem depoſuerat, undecimo die intrante menſis Auguſti redintegravit ad Archiepiſcopatum*, ſcilicet Beneventanum. Seditionem autem illam anno 1116 contigiſſe probat Annotator Baronii ad annum 1115 num. 1 ex eodem Falcone, & ex Auctore Vitæ Paſchalis II, ideoque licèt eodem anno 1116 Landulphus in Archiepiſcopatum Beneventanum reſtitutus ſit, id tamen ex dictis contigit poſt Lateranenſe Concilium.

LXXXI. *B. Oldegarium cogit ad accipiendum Epiſcopatum Barcinonenſem.*

Cùm Raymundus Guillelmus Barcinonenſis Epiſcopus in expeditione Majoricana contra Saracenos, de qua mox egimus, & ad quam jubente Paſchali II profectus erat, occiſus fuiſset, Clerus & populus Barcinonenſis, curante Raymundo Barcinonenſi Comite, beatum Oldegarium, antea Præpoſitum Eccleſiæ Barcinonenſis, & tunc Canonicorum Regularium monaſterii

ſancti

Digitized by Google

ſancti Ruſi juxta Avenionem ſiti Abbatem, in demortui locum ſubrogarunt: quod ubi ille factum cognovit, ut erat ſingulari Vir humilitate, properè in Provinciam ad ſuum monaſterium navigavit. Id cùm accepiſſet Paſchalis Papa, die 10 Kalendarum Junii, Indictione nona, Incarnationis Dominicæ anno 1116 ſcripſit ad Oldegarium Epiſtolam, in qua ait, ſe à Canonicis Barcinonenſis Eccleſiæ accepiſſe, eum Cleri, & populi deſideriis concurrentibus Epiſcopum Barcinonenſem electum fuiſſe, ipſumque eo cognito in ſuam diffugientem Abbatiam, omnium expectationes feſelliſſe, ita ut Spiritui Sancto reſiſtere videatur. Quare ſe illum à regimine monaſterii ſancti Ruſi abſolvere, eique præcipere, ut ad præfatam Eccleſiam Barcinonenſem accedat: *Quod ſi, quod abſit*, ſubdit Paſchalis, *huic noſtræ præceptionis paginæ obedientiam impertiri renueris, venerabili fratri noſtro Boſono S. R. E. Presbytero Cardinali, quem in Hiſpaniæ partibus Legatum dirigimus Apoſtolicum, per Apoſtolica ſcripta præcipientes mandamus, quatenus te* (*ut Barcinonenſis Eccleſiæ præfatæ, ad quam te electum dignoſcimus, gubernacula ſumas*) *monitione præmiſſa, appellatione remota, nullisve literis à Sede Apoſtolica impetratis, veritati & rationi præjudicantibus, per cenſuram Eccleſiaſticam, donec pareas, cogere non deſiſtat*. Eas literas Tamayus in Hiſpanico Martyrologio eruit ex codice MS. pervetuſto. De B. Oldegario, qui poſtea Tarraconenſis Archiepiſcopus à Gelaſio II, & Apoſtolicæ Sedis legatus à Calliſto II dictus eſt, infra ſermo redibit.

LXXXII. *Henrico Imp. Romam veniente, Paſchalis Beneventum pergit.*

Anno milleſimo centeſimo decimo ſeptimo & quidem ineunte, Henricus Imperator congregato antea exercitu, Romam adventavit; quod audiens Paſchalis Pontifex Beneventum ſe recepit. Romam ingreſſus eſt Henricus magno apparatu, nullo tamen Epiſcopo, aut Catholico ei occurrente; quin imò cùm in Baſilica Sancti Petri coronari petiiſſet, reſponſum eſt, id Pontifice abſente, fieri non poſſe; magnaque inſuper animi libertate, exprobrata ſunt ei in faciem ab Eccleſia, quæ Romæ erat, ipſius ſacrilegia & rapinæ. Quapropter Henricus *accito Mauritio Bracarenſi Archiepiſcopo, qui ob ſuperbam levitatem Curialis effectus, per biennium extra Eccleſiam propriam, opulentiſſimo cultu & Regio, hac & illac diſſolutè vagabatur, ante corpus beati Gregorii coronari ſe fecit, ſicque ab Urbe comitatus abſceſſit*, inquit Pandulphus in Vita Paſchalis Papæ. Mauritium tamen, vulgò *Burdinum* appellatum, tanti Paſchalis Papa fecit, ut cùm Henricus Imperator Romam venit anno 1117, infenſo erga ſe animo, eundem *ſuper tractanda pace Legatum* ad eum miſerit, ut inquit Gelaſius II, Paſchalis ſucceſſor, in literis anno 1118 Cajetæ *ad Clerum & plebem Romanam* datis Tomo X Concil. pag. 818 recitatis. Sed ipſe à Papa deficiens Henricum Imperatorem coronavit. Neque enim alia de cauſa delectus ad id facinus Burdinus, quàm quia Romani Pontificis vices obtinebat apud Auguſtum, pacis ac concordiæ interpres. Alioquin, inquit Baluzius in Vita Burdini, quam lib. 3 Miſcellaneorum ex variis Antiquis collegit, num. 12, cur non potius Germani cujuſpiam Epiſcopi miniſterio Henricus Imperator uſus fuiſſet.

LXXXIII. *Burdinum in Concilio Beneventano excommunicat.*

Ceterum hanc Henrici coronationem à Burdino peractam ante menſem Aprilem anni milleſimi centeſimi decimi ſeptimi, ex eo conſtat, quòd eodem menſe Aprili Paſchalis Pontifex Beneventi Concilium celebrarit, in quo Burdinum excommunicavit: *Anno* 1117 *Dominicæ Incarnationis, &* 18 *Pontificatûs Domini Paſchalis, menſe Aprili, ipſe Papa Synodum Beneventi celebravit*, inquit Falco Beneventanus in Chronico. In eo autem Concilio Paſchalem adversùs Burdinum uti proditorem & perfugam incanduiſſe, ipſumque publicè eam ob cauſam excommunicaſſe, aſſerit Gelaſius II in Epiſtola ad Gallos, quæ prima eſt inter ejus Epiſtolas, data Cajetæ anno 1118. *Ille* (nempè Henricus) *ſtatim, die videlicet poſt electionem noſtram quadrageſimo quarto Mauricium Bracarenſem Epiſcopum, anno præterito à domino prædeceſſore noſtro Paſchali Papa in Concilio Beneventi excommunicatum, in matris Eccleſiæ gremium ingeſſit*. Ex aliis autem literis ejuſdem Gelaſii ad Bernardum Toletanum Epiſcopum, Hiſpaniæ Primatem, quæ extant eodem Tomo Concil. diſcimus non ſolùm excommunicatum in ea Synodo Beneventana fuiſſe Burdinum, ſed etiam Paſchalem Bernardo Archiepiſcopo Toletano mandaſſe, ut alium in locum Burdini eligendum curaret, ipſumque excommunicatum fuiſſe, ceteris Hiſpaniarum Prælatis ſignificaret. De Burdino, ſub Gregorii VIII nomine poſtea Antipapa, in Gelaſio II ſermo redibit.

LXXXIV. *Cantuarienſi Eccleſiæ privilegia confirmat.*

Eodem anno milleſimo centeſimo decimo ſeptimo directa eſt à Rege, & Epiſcopis Angliæ magni ponderis legatio Radulphi Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Herebert Epiſcopi Norwicenſis ad Paſchalem Papam, occaſione permotæ ibidem quæſtionis ob Legatos Apoſtolicæ Sedis, ſua, non quæ ſunt Jeſu Chriſti, quærentes; adeò ut Henricus Rex & Epiſcopi Angliæ provocandum putaverint ad antiquum privilegium S. Gregorii Papæ, quo Archiepiſcopis Cantuarienſibus indulſit fungi legatione Sedis Apoſtolicæ, ob idque dicerent haud alium in Angliam mittendum eſſe Legatum. Iidem Anglorum Legati advenientes Romam, non ſolùm ibi non inve-

Digitized by Google

SÆC. XII. PASCHALIS II.

nerunt Paſchalem, qui ſeceſſerat Beneventum, ſed nec ad eum accedere potuerunt, quòd Imperator vias undique obſediſſet. Quapropter rem per internuncios agentes, literas ab eodem Pontifice acceperunt, Epiſcopis Angliæ, & Henrico Regi directas, dataſque *Beneventi Nono Kalendas Aprilis*, quibus declaravit, velle ſe in eo ſtatu Eccleſiam eſſe Cantuarienſem, ut authentica ejus privilegia, quæ à ſancto Gregorio per ſanctum Auguſtinum ſuſcepiſſet, & quibus ſanctus Anſelmus nuper defunctus ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus jure ac poſſeſſione legitima potitus fuerat, juxta canonum ſanctiones, nullis perturbationibus violarentur. Anno 1116 Anſelmus Sancti Anſelmi nuper Archiepiſcopi Cantuarienſis nepos, Legatus in Angliam directus fuerat, Henrico Rege tunc in Normannia exiſtente. Hic cùm legationem ſuam, Rege impediente, exercere non poſſet, & Rotomagi morari cogeretur, Regem rogavit, ut ſibi ſaltem liceret, Petri denarios Romæ pendi ſolitos, per inſulam colligere: *Memoratus Anſelmus*, inquit Eadmerus lib. 5, *eò uſque morabatur Rotomagi cum Rege, pecuniam, quæ B. Petro de Anglia quotannis pendi ſolet, Romam reverſurus cupiens ſecum habere. Ut autem ipſe in Angliam pro exercenda legatione ſibi injuncta tranſiret, Rex, ut diximus, conſentire nolebat, ratione quam prælibavimus, & aliis non minus rationalibus uſus*. Factam tamen denariorum collectionem, illique pecuniam conſignatam, dubitandum non videtur, ſed incertum, inquit Alfordus in Annalibus Anglo-Saxonicis ad annum 1117 num. 9, an ad illam colligendam mare trajecerit Anſelmus Legatus.

LXXXV. *S. Petrum Anagniæ Epiſcopum canonizat.*

Paſchali II ſedente, anno Pontificatûs ejus ſexto, Chriſti milleſimo centeſimo quinto, die tertia menſis Auguſti, ex hac vita migravit Sanctus Petrus Anagniæ Epiſcopus, cujus res præclarè geſtas ſcripſit Sanctus Bruno Signienſis Epiſcopus. Petrum virtutibus inſignem, & miraculis clarum, anno decimo Pontificatûs, Chriſti milleſimo centeſimo nono, ſecundo Nonas Junii, Paſchalis Pontifex inter Sanctos retulit, ut conſtat ex diplomate ab eo dato *Signiæ ſecundo nonas Junii, Pontificatûs noſtri anno decimo*, in quo ait: *conſiderantes propterea ſtrenuæ probataque vitæ merita, quibus vir ſanctus Petrus, quondam Anagniæ Epiſcopus, de regula Monachorum aſſumptus, in paſtorali officio purè, ſimpliciter, ſolerti vigilantia, & exemplo Deo deſervivit: admirantes etiam miraculorum inſignia, quibus ſanctum ſuum ante & poſt obitum Deus decoravit, prout per Brunonem Epiſcopum Signienſem fideliter annotatur, & uſque ad noſtra tempora decorare non deſinit; auctoritate præſentium vobis licere volumus, & mandamus, quatenus tertio Nonas Auguſti, diem natalem ejuſdem Confeſſoris & Præſulis memorandi, Sanctorum catalogo congruè celebrem recolatis*, &c. Inſcriptum eſt diploma: *Venerabilibus fratribus. Epiſcopis Anagniæ, & aliis per Campaniam conſtitutis*. Nomen ejus Martyrologio Romano adſcriptum eſt ad diem tertium menſis Auguſti.

LXXXVI. *Naturæ debitum ſolvit.*

Paſchalis Pontifex, celebrato anno 1117, menſe Aprili, Beneventi Concilio, de quo ſuperiùs actum eſt, venit Anagniam, ubi ægrotavit; ſed eo morbo liberatus *venit in Præneſte, & B. Agapiti Eccleſiam ibidem dedicavit. Nativitatis Domini Vigilias Romæ* celebravit, tandemque *carnis debitum ſolvit XV Kalendas Februarii*, inquit Pandulphus Piſanus in ejus Vita; ſed legendum *XII Kalendas Februarii*, quo die Paſchalem II Vita functum rectè ſcripsêre Petrus Diaconus lib. 4 cap. 66, & Chronographus Malleacenſis. Hanc emendationem certam reddit ipſemet Pandulphus, qui narrata ejus morte ait: *In Sede propria, in Patriarchio, in dextro latere Templi, in mauſoleo puriſſimi marmoris mirifico opere ſculpto XI Kalendas Februarii collocatus*; indicat enim Paſchalem II die præcedenti, nempe XII Kalendas Februarii, è vivis abiiſſe, ſequentique die terræ mandatum. Hinc Falco Beneventanus in Chronico diem mortis cum die ſepulturæ confundens, ſcribit: *Paſchalis Papa obiit XI Kal. Februarii*. Id confirmatur ex eodem Pandulpho, qui ſubdit, poſt Paſchalis II mortem Epiſcopatum ceſſaſſe *diebus tribus*; cùm itaque, ex infra dicendis, Gelaſius II ejus ſucceſſor electus ſit die 25 Januarii ejuſdem anni 1118, Paſchalis obierat die 21 ejuſdem menſis, ideoque ſedit annos 18, menſes 5, dies 7, ſi dies emortualis excludatur, ut habent Auctor Magni Chronici Belgici ex Bernardo Guidonis, Joannes Ceccanus in Chronico Foſſæ novæ apud Ughellum Tomo I Italiæ Sacræ, Martinus Polonus in Chronico, Wernerus in Faſciculo Temporum, & duo ex Catalogis Criticæ Baronianæ præfixis, vel dies 8, ſi dies emortualis includatur, ut in uno ex iiſdem Catalogis dicitur; ordinatus enim fuerat die 14 menſis Auguſti anni 1099.

LXXXVII. *Ejus ſepultura.*

Joannes Diaconus Junior, Baſilicæ Salvatoris Patriarchii Lateranenſis Canonicus in libello ſuo de Eccleſia Lateranenſi, à Mabillonio Tomo 2 Muſei Italici vulgato, refert retrò ſub abſida eſſe ſepulturas Apoſtolicorum Leonis Papæ V, & Agapiti Papæ II, & poſtea ſubdit: *Inde per directum ad dexteram jacet Paſchalis Papa II, qui ſalubri providentia ac ſtudio renovavit ordinem canonicum in iſta Eccleſia*. Joannes iſte Diaconus Junior libellum ſuum Alexandro III Papæ dicavit; fatetur tamen

Digitized by Google

SÆC. XII. PASCHALIS II.

men in Epiſtola dedicatoria: libellum illum antiquum eſſe, ſeque tantùm addidiſſe, quæ vel propriis oculis vidit, vel ab anteceſſoribus veridica relatione cognovit. Sed poſt illud tempus libellum illum fuiſſe interpolatum oſtendit Annotator Baronii ad annum milleſimum centeſimum decimum octavum num. 3 Verùm cùm ex dictis in Sergio Tertio Joannes Diaconus teſtis oculatus fuerit eorum quæ refert, exiſtimo libellum illum à Joanne Diacono primitùs ſcriptum eſſe, & ab aliis poſtea ſub ejuſdem Joannis nomine continuatum, cùm pluribus in locis Auctor referat, quæ propriis oculis vidiſſe tradit, quæ tamen videre non potuiſſet, ſi libellum ſuum uſque ad Alexandrum III continuaſſet. Dicendum ergo, vel libellum illum editum fuiſſe à diverſis Auctoribus, vel eundem Auctorem loqui in Perſona aliorum, ſicut de Abbate Urſpergenſi, loquente de Guiberti Papæ morte, iam obſervavimus.

GELASIUS II *Pontif. CLXI.*

Anno Domini MCXVIII.

I. *Gelaſius II eligitur Pont. Rom.*

PAſchali II Papa, die 21 Januarii anni milleſimi centeſimi decimi octavi defuncto, *ceſſavit Epiſcopatus dies* 3, inquit Pandulphus Piſanus in fine Vitæ ejuſdem Paſchalis; ideoque Gelaſius hujus etiam nominis II, natione Campanus, antea dictus Joannes Cajetanus, S. R. E. Archidiaconus, eodem anno, die vigeſima quinta ejuſdem menſis Januarii electus eſt in Romanum Pontificem. Ejus Vitam ſcripſit Pandulphus familiaris ejus, quam Conſtantinus Abbas anno 1638 Romæ cum prolixis commentariis edidit, & nuper Daniel Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico integram etiam exhibuit. Ex ea diſcimus Joannem, patria Cajetanum, ex patre Creſcentio, nobili genere natum, ingenuèque à teneris annis educatum, in monaſterio deinde Caſſinenſi, ſub Oderiſio Abbate ſanctiſſimo Viro, ibidem monachalem veſtem aſſumpſiſſe, ibidemque multo tempore religioſiſſimè vixiſſe. Urbanus autem ſecundus, cognita hominis virtute, quæ longè latèque ex monaſterio Caſſinenſi percrebuerat, eum ad ſe accerſitum, S. R. Eccleſiæ Diaconum Cardinalem, & Apoſtolicæ Sedis Cancellarium ordinavit. Falluntur autem tam Onuphrius Panvinius, quàm Ciaconius, & alii poſt eos, qui ſcribunt, eum ab Urbano II dictum fuiſſe Cardinalem S. Mariæ in Coſmedin; hæc enim Diaconia ipſi collata eſt à Paſchali II, ut diſertè ſcribit Pandulphus in ejus Vita: *Diaconiam Romæ*, inquit, *quam S. Mariam in Coſmedin vulgariter nuncupant, ſibi Cardinali Diacono à D. Paſchali conceſſam*, &c. Papâ autem Paſchali II obeunte, omnium Cardinalium conſenſu, Cleri & populi voce ac votis expetitus, invitus ac renitens, in Apoſtolica Sede locatus eſt, Gelaſiuſque II appellatus.

II. *A ſchiſmaticis capitur, ſed à Catholicis liberatur.*

Gelaſii electionem cùm audiſſet Centius Frajapane, accinctus gladio ſine mora accurrit ad monaſterium, quod *Palladium* dicebatur, in quo ea peracta erat, & valvas ac fores confringens, Eccleſiam furibundus introiit: *inde cuſtode remoto, Papam per gulam accepit, diſtraxit, pugnis, calcibuſque percuſſit, & tanquam brutum animal intra limen Eccleſiæ acriter calcaribus cruentavit; & latro tantum Dominum per capillos & brachia, Jeſu bono interim dormiente, detraxit, ad domum uſque deduxit, inibi catenavit & clauſit. Tunc præfati Epiſcopi, Cardinales omnes, ac Clerici, & multi de populo, qui convenerant, ab apparitoribus Centii modo ſimili vinciuntur, de caballis ac mulis capite verſo præcipitantur, expoliantur, & inauditis undique miſeriis affliguntur: donec aliqui ſemivivi ad domum tandem proprium remearunt*, inquit Pandulphus laudatus, qui poſtea ſubdit, Pontificem accurſu Procerum ac populi è manibus inimicorum liberatum eſſe.

III. *Coronatur, & in Lateranum procedit.*

Quibus narratis pergit Pandulphus: *Tunc Sanctus Papa levatur, niveum aſcendit caballum, coronatur, & tota civitas coronatur cum eo; per ſacram viam gradiens, Lateranum aſcendit, bannis & inſignibus aliis eum præcedentibus pariter, atque juxta Romanum ritum moremque ſequentibus. Sedit itaque, ſicut videbatur, in pace: frequentabant eum Comites & Barones, & qui pro reſponſis aliquibus veniebant, recipiebantur benignè, & donec functo negotio, pro quo cuncti convenerant, accepta benedictione redirent, tanquam à patre filii benignè per omnia tractabantur*. Et paulò poſt: *Omnibus igitur undique congregatis, conferebatur ab illis, quando certis temporibus Papa & promoveri pariter & conſecrari deberet: equidem Diaconus, non Presbyter erat.*

IV. *Adveniente Imp. Caietam fugit.*

Jam itaque ſecura tranquillitas videbatur, cùm ex improviſo, antequam Gelaſius conſecraretur Pontifex, allatum intempeſta nocte nuncium de adventu Henrici Imperatoris ad porticum Sancti Petri, quæ ab ejus fautoribus detinebatur, eumdem Pontificem, jam penè ſenio & infirmitate confectum compulit aufugere cum

Digitized by Google

ſuis, & per Tiberim delabi in mare. Diem adventûs Henrici Imp. notavit Falco Beneventanus in Chronico, ſecundum nempè menſis Martii: *Rex præfatus Henricus*, inquit, *inſtructis inſidiis, noctis ſilentio Romam ingreditur menſis Martii ſecundo die ingrediente. Apoſtolicus itaque Regis ipſius adventum ſic latenter deprehendens, reminiſcens qualiter Rex ipſe dominum Papam Paſchalem ejus prædeceſſorem, & Cardinales fraude & dolo cepiſſet, abſque mora Cardinalibus convocatis fluvium Tiberis ingreſſus eſt. Deinde proſperis ventis mare ſulcantes pervenerunt Calenum*, ſeu potius Cajetam patriam ſuam, quò, juxta Pandulphi teſtimonium, Gelaſius appulit; Calenum enim nec portum habet, nec in mari poſitum eſt.

V. *A Cardinali de Alatro à Germanorum manibus liberatur.*

Hic porrò prætermittenda non eſt inſignis pietas Cardinalis de Alatro in Summum Pontificem Gelaſium II; cùm enim advectis ad portum Romanum, haud facultas daretur ulterius progredi ob ſæviſſimam maris & aëris tempeſtatem, nec jam in portu conſiſtere poſſent, ob ſupervenientium Germanorum inſultationem, tela venenata jacientium, & omnia dira minitantium, quos ſola nox, & ira fluminis interpoſiti à captione Pontificis repellebant, nec jam quid conſilii caperetur, eſſet: tunc *Hugo de Alatro* Presbyter Cardinalis Tituli SS. Apoſtolorum, ipſius Pandulphi, qui hæc deſcripſit & omnibus præſens extitit, avunculus, immenſa pietate, ubique & ſemper laudibus celebrandâ, ipſum Gelaſium Pontificem in collum ſuum ſuſcipiens, ad caſtrum Sancti Pauli Ardeam ſic de nocte portavit. Recedentibus verò Germanis, rurſum Pontifex mare ingreſſus, incolumis pervenit Cajetam.

VI. *Conſecratur Cajetæ.*

Rex autem Apoſtolici egreſſum cognoſcens, pergit Falco Beneventanus, *ei apud Calenum* (legendum Cajetam) *delegavit, quatenus Urbem reverteretur, quoniam ad ejus conſecrationem libentiſſimè intereſſe & corroborare deſideraret. Pontifex autem Gelaſius nequitiam ejus & perfidiæ telum longè latèque cognoſcens; Miramur, inquit, ſuper talis tantique viri legationibus, cùm ad nos venturum ſe in die Reſurrectionis nuper tranſmiſerit; Nunc verò nocturno tempore, & ante condictum tempus comperimus eum adventaſſe. Ego verò, Deo annuente, conſecrationis accipiam firmitatem. Dehinc me ubicumque voluerit, paratum ad propoſitum negotiationis inveniet. Deinde electus ille Gelaſius die conſtituto, à Cardinalibus, qui cum eo exierant canonicè, & ordinatè conſecratus eſt apud Calenum* (lege Cajetam) *menſe Martio ſuperius nominato*; jam enim antea ſcripſerat Falco: *Erat quippe, ut retulimus, cùm electus fuit Diaconus & Cancellarius, qui quidem nonniſi in canonico jejunii tempore conſtituto conſecrari poterat*, quia Presbyteratus in quatuor Temporibus conferebatur, & nullus tunc Romæ aut Papa, aut Epiſcopus, aut Presbyter unica ordinatione, ut aliàs factum fuiſſe ſuprà diximus, ſacrabatur. Sabbatum quatuor Temporum Martii anno 1118 incidit in diem nonam ejuſdem menſis, quo ideò die Gelaſius ordinatus eſt Presbyter; dieque decima, quæ dominicalis fuit, Romanus Pontifex conſecratus *per manus Lamberti Oſtienſis, Petri Portuenſis, Vitalis Albanenſis Epiſcoporum*, ut ſcribit Pandulphus laudatus; in cujus tamen textum error irrepſit; ubi legitur, *& effectus eſt Presbyter, & in Papam Gelaſium infra Kalendas Martii conſecratus*, legendum enim, *infra octavas Idus Martii*, ſeu *octonas Idus*, ut loquitur Horatius Serm. 1 Satyra 6 apud Baronii Annotatorem. Ex quibus corruit opinio Papebrochii exiſtimantis Gelaſium Cajetæ conſecratum Pontificem die 24 Februarii; cùm tamen ex Falcone laudato conſtet, eum die ſecunda Martii adhuc Romæ extitiſſe, vixque Cajetam pervenire potuiſſe ante diem ſextum Martii, ſeu die quarto poſtquam Româ fugit, ut habet Pandulphus, *& die tertio*, inquit, ſcilicet poſtquam Româ egreſſi ſunt die ſecunda Martii, ut mox probavimus, *ripa Terracinenſi vivi vix applicuimus, & in quarta portum Cajetanum intravimus.*

VII. *Scribit ad Gallos contra Gregorium VIII Antipapam.*

Eadem circiter die decima Martii, qua Gelaſius conſecratus eſt Romanus Pontifex, Henricus Imperator ſcelera ſceleribus addens, Mauricium Bracarenſem Archiepiſcopum, *Burdinum* dictum, de quo in Paſchali II actum eſt, in Sancti Petri Sedem intruſit, & Gregorium VIII appellavit: *Nobis verò*, inquit Pandulphus, *ſic jam quomodolibet reſpirantibus, ſupervenêre qui dicerent, quòd Gajetæ etiam per ſuſurrum primùm ſenſeramus, Henricum illum barbarum, quemdam Mauricium nomine Bracharenſem Epiſcopum, quaſi novum ſimulachrum in loco Papæ ſtruxiſſe: & ſic illum intruſum Papam ſuum Gregorium nominaſſe*. Id factum ſcribit Falco poſt reſponſum Pontificis, de quo ſupra; *Pontificis ipſius reſponſum*, inquit, *audiens Henricus Imperator, peſtifero invento conſilio Archiepiſcopum quemdam Hiſpanum in Pontificem, &, ut ita dicam, invaſorem Eccleſiæ conſtituit & conſecravit*, & quidem die circiter decima ejuſdem menſis Martii, quod demonſtratur ex literis Gelaſii II ad Galliarum Archiepiſcopos, ceteroſque per Galliam fideles conſtitutos, quæ extant Tomo X Concil. pag. 817, quibus mandat, ut ſe contra Mauricium Bracarenſem Epiſcopum, ab Henrico Imperatore in Sancti Petri Sedem intruſum, arment; in iis enim ait: *Ille* (ſcilicet Henricus) *ſtatim, die videlicet poſt electionem noſtram, quadrageſimo quarto Mauri-*

ri-

Digitized by Google

ritium Bracarenſem Epiſcopum..... in matris Eccleſiæ gremium ingeſſit. Cùm itaque Gelaſius II die 25 menſis Januarii Pontifex dictus fuerit, pernicioſum hoc ſchiſma die decima Martii inchoatum eſt, & corrupta hæc earundem literarum Gelaſii II ad Gallos ſubſcriptio: *Datum Cajetæ 17 Kalendas Februarii;* eo enim die nondum Paſchalis II è vivis abierat, & ſchiſma, cujus in iis mentio, menſe tantùm Martio incœptum, ex quo & deducitur, legendum eſſe in iis literis: *Datum XVII Kalendas Aprilis*, ſeu die XVI menſis Martii.

VIII. *B. Oldegarium Tarraconenſem Epiſcopum dicit.*

Raimundus III Barcinonenſis & Provinciæ Comes de Tarracona, celeberrima olim Hiſpaniæ Tarraconenſis urbe, jam à multis annis à Saracenis everſa, reſtauranda cogitans, literis anno 1117 decimo Kalendas Februarii datis, Beato Oldegario Barcinonenſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus libertatem dedit congregandi undecumque poſſet homines ad incolendam terram illam, & regendi & judicandi eos ad honorem Dei & utilitatem ipſius civitatis. Gelaſius verò II literis datis *Cajetæ per manum Chryſogoni S. R. E. Cardinalis XII Kal. April. Indict. XI anno Domin. Incarnat.* 1118, conſiderans prædeceſſores ſuos, præſertimque Urbanum II plurimùm laboraſſe, ad reſtitutionem inſignis olim hujus Eccleſiæ Metropolitanæ, Beatum Oldegarium Barcinonenſem Epiſcopum, ejuſdem Eccleſiæ Antiſtitem conſtituit, & pallium ei conceſſit, Metropolitani dignitate in eum collata. Tam Raimundi Comitis, quàm Gelaſii II literas recitat Bollandus ad diem VI menſis Martii in Vita B. Oldegarii cap. 4.

IX. *Romam clàm redit.*

Burdinus, quem ſub Gregorii VIII nomine Antipapam dictum mox vidimus, poſtridie Kalendas Junii ejuſdem anni 1118, ipſo Pentecoſtes die, Henricum Imperatorem ut Papa coronavit, quem antea, anno ſcilicet 1117, ut Legatus Paſchalis II coronaverat, ut ſcribit Petrus Diaconus in Chronico Caſſinenſi lib. 4 cap. 64, qui & ait, Henricum poſt hæc in Liguriam rediiſſe. Gelaſius verò Papa, poſtquam Henricus Româ digreſſus eſt, in eam urbem clam venit: *Magis peregrini, quàm Domini*, inquit Pandulphus, *Romam, ſicut Deus novit, intravimus. Latuit Dominus Papa, melius quàm hoſpitatus eſt in Eccleſiola quadam, quæ ſanctæ Mariæ in ſecundo cereo dicitur, inter domos illuſtrium virorum Stephani Normanni, & Pandulfi fratris ejus, & Petri Latronis Conſortum: ibique de imminentibus periculis, præſertim de intruſione Burdini, cum tota ſimul Eccleſia diligenter conferebat*. Narrat poſtea Pandulphus Gelaſium Papam, cùm nimis facilè ad feſtum ſanctæ Praxedis, quod Romæ die 21 Julii celebratur, ſeſe expoſuiſſet ad Miſſam cantandam, denuò invaſum ab Henricianis, acriterque utrimque pugnatum eſſe; Henricianos deinde ab Urbe receſſiſſe, & Papam, demum intra campos Sancti Pauli Eccleſiæ adjacentes, feſſum, triſtem, & ejulantem inventum eſſe, & reductum, dieque altero decreviſſe ſecedendum eſſe in Galliam, & dominum Petrum Portuenſem Epiſcopum pro ſe Vicarium conſtituiſſe, Cardinalibus aliquot ei in auxilium ſociatis.

X. *Eccleſiæ Ravenn. priſtina jura reſtituit.*

Antequam Roma diſcederet Gelaſius Pontifex, Ravennatenſium, eorumque Archiepiſcopi Gualterii, qui ejus partes perpetuò ſecuti erant, voluntatem prolixè laudavit, & Archiepiſcopo reſtituit eos Epiſcopatus, quos Paſchalis II Ravennati Eccleſiæ in Synodo ad Guaſtallum anno 1106 coacta, ademerat, ut in ejus Vita diximus, ſcilicet Placentiam, Parmam, Regium, Mutinam, Bononiam, &c. *Sed cùm tandem*, inquit Gelaſius in reſcripto ſuo, quod extat Tomo X Concil. pag. 818. *Divinæ majeſtati placitum fuit, eandem Ravennatium Eccleſiam miſericordiæ ſuæ gratia ad unitatem, & obedientiam matris ſuæ Romanæ Eccleſiæ revocavit....... concedimus tibi, tuiſque ſucceſſoribus in ejuſdem Apoſtolicæ Sedis fide atque obedientia permanentibus, Epiſcopatus Æmiliæ provinciæ, ideſt, Placentiæ, Parmę, Regii, Mutinæ, Bononiæ, Ferrariæ, Adriæ, Comacli, Imolæ, Faventiæ, Fori Livii, Fori Pompilii, Bobii, Cæſennæ, Ficoclæ*. Eidem tandem Gualterio Pallium concedit, ejuſque Eccleſiæ *dignitatem omnem, quam ante illius diviſionis tempora per Romanam Eccleſiam poſſederat*, reſtituit. Datum eſt Gelaſii reſcriptum *ſeptimo Idus Auguſti, indict. undecima, anno Dominicæ Incarnationis* 1119 Piſano, qui nobis eſt 1118; anno enim 1119 vulgari, menſe Auguſto jam mortuus erat Gelaſius II, ideoque in editione Conciliorum Labbei perperam habetur, reſcriptum datum *Kalendis Septembris, Indictione* 12, quæ inchoata eſt tantùm Kalendis Septembris ejuſdem anni vulgaris eræ 1118. Qua de re Rubeus, qui autographum viderat, nos dubitare non patitur.

XI. *Piſanam Eccleſ. dedicat, & Metropolim facit.*

Navibus intereà pluribus, & aliis pro tempore præparatis, quia per terram non poterat, nobis Beneventum jungentibus, Papa mare intravit, atque poſt dies aliquos Piſas proſperè applicuit, ſubdit Pandulphus. Diem ejus profectionis notavit Falco Beneventanus in Chronico, diem ſcilicet ſecundam menſis Septembris: *Prædictus Papa Gelaſius*, inquit, *Gallias ivit ſecundo die menſis Septembris intrante, & Piſas applicuit*. Ibi exiſtens Eccleſiam Piſanam conſecravit, Metropolitanam dixit, & Corſicam inſulam ei ſubjecit. Daibertus quidem Piſanus Epiſcopus totius Inſulæ Corſicæ

Digitized by Google

ſicæ ab Urbano II Archiepiſcopus conſtitutus fuerat juxta reſcriptum ab Ughello Tomo 3 col. 429 relatum, emiſſumque *Anagniæ* X *Kalendas Maji*, *indict.* 15, *anno Dom. Incarnat.* 1092, *Pontificatûs verò D. Urbani Papæ II anno V*; ſeu nec Daibertus, nec Petrus ejus ſucceſſor ante annum 1118, quo Gelaſius Papa Piſas adventavit, eo jure uſus eſt. Tunc enim, juxta antiquum Eccleſiæ Piſanæ codicem MS. col. 434 apud Ughellum citatum, *Gelaſius novam Piſanorum Eccleſiam in honore glorioſiſſimæ, ſemperque triumphatricis Virginis Mariæ conſecravit ..... Romanus igitur Pontifex inter Miſſarum ſolemnia ipſius dedicationis die ipſam ſanctam Piſanam Eccleſiam tam privilegio, quàm ore proprio coram innumerabilibus turbis Tuſciæ in Metropolitanam confirmavit ſublimitatem*. Auctor Anonymus Piſanus antiquus apud eundem Ughellum loco laudato, de dedicatione Eccleſiæ Piſanæ, & Metropolico jure eidem à Gelaſio II conceſſo, ait: *Piſas venit, & conſecravit novam majorem Eccleſiam Piſanorum, & conceſſit, & dedit Archiepiſcoum civitati Piſanæ, quia uſque tunc tantùm Epiſcopus erat*, quia ſcilicet reſcriptum Urbani II executioni mandatum non fuerat. Hæc porrò dedicatio facta eſt, *Indictione* 12, *Kalendis Octobris*, juxta veterem codicem MS. jam laudatum.

XII. *Corſicam inſulam ei ſubjicit.*

Tunc etiam Corſicam inſulam Eccleſiæ Piſanæ ſubjectam tanquam Metropoli, & Petrum Piſanum Archiepiſcopum munia Metropolitani in ea exercuiſſe poſt Gelaſii diſceſſum, habemus ex Auctore Anonymo de Geſtis Piſanorum apud eundem Ughellum col. 413, qui ait: *poſt deceſſum* (ſeu abitionem, aut diſceſſum) *venerabilis Papæ Gelaſii Petrus Piſanorum Archiepiſcopus cum Petro Cardinali Eccleſiæ Romanæ Legato, & cum Eccleſiæ Piſanæ Canonicis, atque cum Ildebrando Judice, & Piſanorum tunc Conſule, aliiſque Piſanis civibus in Corſicam ivit, ibique honorificè receptus, in conſpectu Cleri & populi Corſicani, Maravenſem Electum, & ipſius Eccleſiam conſecravit, aliorumque Corſicæ Pontificum obedientiam, & fidelitatem recepit anno Incarnat. Dom.* 1119 (more Piſano, qui nobis eſt 1118). *Poſt eorum igitur honorabilem reditum velox fama Tuſciam, & Longobardiam continuò replevit, reſonans Eccleſiam Piſanam Metropolitanam dignitatem aſſecutam in Corſicam iviſſe*, quod Genuenſium animos valdè exaſperavit, ut inquit idem Anonymus.

XIII. *Eccleſiam S. Laurentii Genuæ dedicat.*

Piſis Gelaſius Papa Genuam profectus eſt, ubi ſancti Laurentii Eccleſiam dedicavit, juxta antiquam tabulam in ejuſdem Cathedralis Sacrario ſervatam, ut notat Conſtantinus Cajetanus Abbas in Commentario ad Pandulphum pag. 144, ubi hanc inſcriptionem refert: *Sexto Idus Octobris, anno Dominicæ Incarnat.* 1118, *Indict.* 12, *dedicatio Eccleſiæ beatiſſimi Laurentii, atque ſanctiſſimi Syri Januenſis Epiſcopi: quæ conſecrata fuit à Domino Gelaſio, primo anno Epiſcopatûs ſui, compluribus Epiſcopis, cum Ottone videlicet Januenſi*, &c. Refert ibidem Cajetanus Gelaſii reſcriptum, in quo legitur: *Anno Dom. Incarnat.* 1119 *Indict.* 12, *ſexto Idus Octobris D. Gelaſius Papa II Altare hoc, & Oratorium conſecravit, Pontificatûs ſui anno primo*, ubi annus ille Incarnationis, Piſanus eſt, qui conſequenter nobis eſt 1118, annus enim Piſanus à die 25 Martii incipiens, Eram Chriſti vulgatem novem menſibus antecedit.

XIV. *In Galliam ſe recipit.*

Pandulphus laudatus poſtquam dixit Gelaſium II Piſis aliquandiu commoratum eſſe, nulla facta mentione ejus acceſſus ad urbem Genuenſem, ſubdit: *Mare iterum introivit, & ſic ducente Domino portum ſancti Ægidii ſanus cum ſuis omnibus & incolumis attigit*, ubi erat 7 Idus Novemb. ut conſtat ex ejus reſcripto ibidem dato, cujus fragmentum recitat Baronius in Addendis & Corrigendis ad annum 1118, quo Bernardo Toletano Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus Toletanæ Eccleſiæ Cathedram illuſtrantibus, prædeceſſorum Urbani II, & Paſchalis II veſtigiis inhærens, totius Hiſpaniæ Primatum confirmat; datum enim illud eſt, *apud ſanctum Ægidium per manum Chryſogoni S.R.E. Diaconi Cardinalis 7 Idus Novembris, Indictione* 12, *anno Dominicæ Incarnationis* 1119 Piſano.

XV. *Summa cõavitate a Gallis excipitur.*

Inde Magalonam, civitatem nunc exciſam, cui Mons-peſſulanus ſucceſſit, venit Gelaſius Pontifex, ubi Sugerius à Ludovico VI Francorum Rege miſſus eum convenit, ut ipſemet Sugerius narrat in Vita ejuſdem Regis, in qua tradit, Miſſos Ludovici Regis Pontifici extrema inopiâ laboranti primitias regni obtuliſſe, ab eo verò Apoſtolica benedictiône donatos fuiſſe. Pandulphus in ejus Vita ait, occurriſſe ei ad ſanctum Ægidium omnis generis homines Eccleſiaſticos & laicos, qui quæque neceſſaria ei liberaliſſimè providerunt. Denique Falco ejuſdem temporis Auctor ſæpiùs laudatus, in Beneventano Chronico teſtatur, ingenti ſtudio Francos ad eum confluxiſſe, atque ex ſpontaneis fidelium oblationibus, ſuas domos evacuantium, ut exuli Pontifici ſubvenirent, ingentem vim argenti & auri fuiſſe collectam.

XVI. *Ægrotat & poſtea Cluniacum pergit.*

Gelaſium Papam Mergurii, quod oppidum eſt maritimum Occitaniæ inter Magalonam & Montem-peſſulanum ſitum, hodie Maugin appellatum, pertinens ad Epiſcopum Monſpelienſem, ægrotaſſe, ibique à Pontio Cluniacenſi Abbate ſuſceptum, teſtatur Hugo Monachus Cluniacenſis in Epiſtola ad eundem Pontium data, quæ

extat

Digitized by Google

extat in Bibliotheca Cluniacenſi pag. 463: Gelaſius Papa, inquit, *Henrico IV Romanorum Imperatore contra Eccleſiam ſævíente, declinans ad mare deſcendit, navigio Gallias expetivit, Tibique primùm curſore à Piſis emiſſo ſuum prænunciari fecit adventum .... Hunc apud S. Ægidium occurriſti, huic & multo comitatui ſuo equitaturas, & alia quàm maxima elegantiſſimè miniſtraſti. Hunc præ maris moleſtia infirmatum in tuæ ſolo nativitatis, quod pater tuus Petrus potens, & nobilis Comes Merguliensis juri Apoſtolorum Petri, & Pauli contradidit, & inde accepit, tu Papam officioſiſſimè confoviſti. Qui demùm convaleſcens, & Cluniacum ſuum pervenire deſiderans, Lugdunum Galliæ pertranſit, Matiſconam deſcendit, ubi graviſſima ægritudine confectus, ſe Cluniacum perferri inſtantiſſimè præcepit.*

XVII. *Antea varias urbes luſtrat.*

Sed antequam Cluniacum pergeret, Aleſtum ivit, non longè à Fano ſancti Ægidii, qua in urbe erat quarto Idus Decembris, ut conſtat ex ejus Epiſtola ibidem eo die data ad exercitum Chriſtianorum Civitatem Cæſarauguſtanam obſidentem, qua Pontifex omnibus ad eum aliquid conferentibus indulgentiam largitur, ſignificatque ſe Petrum, quem conſecravit Epiſcopum Cæſarauguſtanum ad eos remittere. Gelaſius adhuc Aleſti, ſeu Aleſiæ erat die duodecima Decembris, quo die Guido Epiſcopus Laſcurrenſis in Aquitania, & Pontius Abbas Cluniacenſis, coram eodem Pontifice tranſegerunt de quibuſdam juribus, ut legitur in chartulario Laſcurrenſi apud Marcam lib. 1 Hiſt. Bearniæ cap. 22. Die tamen decima quinta ejuſdem menſis Decembris Gelaſium II Avenione fuiſſe demonſtrat privilegium, quod monaſterio Cluniacenſi largitus eſt, in cujus fine legitur: *Datum Avenioni per manum Chryſogoni S.R.E. Diaconi Cardinalis, XVIII Kal. Januarii, Indict. 12, Dom. Incarnat. anno* 1119 (computo Piſanorum) *Pontificatûs autem domini Gelaſii II anno I.* Avenione Viennam & Lugdunum pertranſiit, Matiſconam deſcendit, indeque Cluniacum, ut mox ex Hugone Monacho Cluniacenſi oſtenſum eſt de Lugduno & Matiſcona; eum verò Viennam tranſiiſſe habemus ex Epiſtola Calliſti II, qui apud Baronium anno 1119 num. 5 ait: *D. N. Fel. memoriæ Gelaſius à Vienna diſcedens*, &c.

XVIII. *Concilium Remis celebrare decernit.*

Gelaſius Concilium Remis celebrare propoſuerat menſe Martio anni milleſimi centeſimi decimi noni, ſed morte præventus illud celebrare non potuit. Id conſtat ex Falcone Beneventano, qui in Chronico ſcribit: *Dehinc Apoſtolicus ipſe ſtabilivit, ut in ſequenti menſe Martio Synodum cum Patribus Franciæ, Teutonicisque celebraret, ibique de Sacerdotii, & de Regni diſſidio longè latèque habito, Spiritu ſancto mediante loquerentur*, &c. *Sed antequam terminus ſtatutus Synodum celebrandi adveniſſet, apud monaſterium ſancti Petri, quod vocatur Clunia, ubi diligenter morabatur, ægritudinis mole detentus eſt.* Illud Concilium apud Viennam de facto à Gelaſio II habitum fuiſſe, Baronius, Labbeus Tomo X Concil. Ciaconius, aliique ex Urſpergenſi Abbate in Chronico ſcribunt; ſed Urſpergenſem hac in re falli conſtat ex Eadmero hujus temporis Scriptore, qui lib. 5 Novorum, ait: *Papa Gelaſius per mare Burgundiam venit, & adventus ejus mox Galliæ toti innotuit. Excitati ſunt quoque potentes cum mediocribus ei occurrere, & certatim parabantur intereſſe Concilio, quod ipſe diſponebat, ſe media Quadrageſima Remis celebraturum. Rodulphus quoque Archiepiſcopus* Cantuarienſis *audito Papæ adventu, de Rotomago, ubi eò uſque morabatur, egreſſus, impiger ei occurrere ſtatuit. Sed ubi aliquantum itineris confecit, accepit à quibuſdam, ipſum Papam longius diſceſſiſſe, & verſus Hiſpanias ire diſpoſuiſſe.* Poſtea Eadmerus Gelaſii mortem narrat. Idem habetur in Chronico Mauriniacenſi lib. 2 Tomo 4 Ducheſnii: *Apud Remim Metropolim regni Concilium diſponebat, in quo ſe magna diſpoſiturum credebat; ſed divino judicio, quod occultum, nunquam tamen injuſtum eſt, aliter diſponente, præventus ægritudine graviſſima*, &c. Dein Chronographus ille Gelaſii mortem recitat; ſed nec ipſe, neque Pandulphus in Vita Gelaſii, neque ullus alius ex Antiquis, præter Urſpergenſem, & Nangium in Chronico, Gelaſium II aliquam Synodum in Galliis celebraſſe ſcribunt, quam Urſpergenſis Viennæ, Nangius Remis celebratam perperam volunt. Hæc omnia ex Annotatore Baronii ad annum 1119 excerpta.

XIX. *Moritur.*

Hugo Monachus Cluniacenſis laudatus, poſtquam dixit Gelaſium Papam ægritudine confectum, ſe Cluniacum perferri præcepiſſe, ſubdit: *Quò deportâtur, ſummaque reverentia ſuſceptus, completo Epiſcopatûs ſui anno I & diebus IV, in medio fratrum, circumſtantibus Epiſcopis Cardinalibus in propria domo, proprius Paſtor in pace Cluniaco quievit.* Quare cùm electus fuerit Romanus Pontifex die 25 Januarii anni 1118, obiit die vigeſima nona ejuſdem menſis Januarii anni 1119, ſeu *IV Kal. Februarii*, ut ſcribunt Falco Beneventanus in Chronico, Ordericus lib. 12, Fulcherius Carnotenſis lib. 3 Hiſt. Jeroſol. aliique. Sedit itaque annum unum & dies quatuor, ſi dies emortualis excludatur, vel dies quinque ſi includatur; cui opinioni ſuffragantur omnes catalogi Criticæ Baronianæ præfixi, Martinus Polonus, & Auctor Faſciculi Temporum. Ex quibus conſequens eſt, Gelaſii electionem diei 25 Ja-

Digitized by Google

Januarii rectè à nobis fuiſſe affixam. Baronius quidem, & Papebrochius Gelaſii II epitaphium referunt, à Petro Pictavienſi verſibus elucubratum, in quo dicitur eum ſediſſe *annum unum, duobus diebus exceptis*; ſed Annotator Baronii exiſtimat illud epitaphium, Petro Pictavienſi falsò attributum eſſe, ſeriuſque editum, cùm Gotfridus Viterbienſis, qui hoc ſæculo floruit, Bernardus Guido citatus in Magno Chronico Belgico, Wernerus in Faſciculo Temporum, Martinus Polonus, omneſque Catalogorum Auctores Hugoni Monacho Cluniacenſi ſuffragentur, ſcribantque Gelaſium II ſediſſe annum unum, & dies quatuor vel quinque.

XX. *Ejus ſepultura, ſanctitas, & opera.* Gelaſium II Podagra mortuum eſſe ſcribit Sugerius; ſed Pandulphus ejus familiaris ſæpius laudatus contrarium ſentit: *Subita paſſione correptus*, inquit, *quam à coſta Græci pleureſyn appellari juſſerunt, ſuis ac multis fratribus undique convocatis, facta confeſſione, ac ſumpto Corpore cum Sanguine Redemptoris, & juxta normam monaſticam ſtrato terræ corpuſculo, Sancta illa anima carne ſoluta eſt, hinc ad Cœlos Petro Duce conſcendens, corpus honorabiliter intra limen Cluniacenſis cœnobii requieſcit in pace.* Gelaſius ab Arnoldo Wion in Martyrologio Monaſtico, à Philippo Ferrario, ab Andrea Suaſſajo in Martyrologio Gallicano, & aliis Sanctus prædicatur. Paſſionem Sancti Eraſmi Epiſcopi Cajetani & Martyris ſoluta oratione; paſſiones item Sanctorum Eraſmi, Anatoliæ & Cæſarii carmine heroico ſcripſit, quæ Opera prodierunt Romæ anno *1639* operâ Conſtantini Cajetani Abbatis, cum Vita Gelaſii ab ipſo commentariis illuſtrata; Paſchalis itidem II Regeſtum adornavit. Unicum Cardinalem creavit, eodem die quo conſecratus eſt, ſcilicet Petrum Rufum, ut ſcribit Pandulphus, qui loquens de Gelaſii conſecratione, quæ Cajetæ peracta eſt, ait: *Ubi Petrum Rufum Diaconum Cardinalem, Baronem Subdiaconum, & me Pandulphum Hoſtiarium (qui hæc ſcripſi) in Lectorem & Exorciſtam promovit: & plures alios in minoribus gradibus ordinavit.*

GREGORIUS Antipapa.

I. *Burdinus fit Archiep. Bracarenſis.* MAuritius Burdinus, natione Gallus, ſub Gregorii VIII nomine Antipapa, Uſercæ, modico oppido in Lemovicibus natus erat, ibidemque Monachus Benedictinus fuit, ut veroſimile putat Stephanus Baluzius in ejus Vita, quam Tomo 3 Miſcellaneorum pag. 471 ex variis Auctoribus collectam exhibet, cenſetque primò *Mauritium* nomine, familiæ cognomento *Burdinum* eum dictum eſſe; priori duntaxat uſum ex more Epiſcoporum, mox atque Epiſcopus factus eſt, poſterius verò Romanis magis arriſiſſe, quia in eorum lingua *joculare* aliquid ſignificabat. Bernardus Archiepiſcopus Toletanus, ac Apoſtolicæ Sedis per Hiſpaniam Legatus, cùm anno 1095, poſt celebratum Concilium Claromontanum, in Hiſpaniam rediret, duxit ſecum è provincia Lemovicenſi Burdinum, literatum, curialem & eloquentem virum, ut eum vocat Auctor Chronici Mauriniacenſis, illumque primùm Toletanum Archidiaconum, dein Epiſcopum Conimbricenſem conſtituit. Tum, defuncto Sancto Gerardo Bracarenſi Archiepiſcopo, Burdinus ei, juxta quod Sanctus Gerardus, ut in Vita ejus cap. 16 apud Baluzium loco citato habetur, olim prædixerat, ſuffectus eſt communibus Cleri ſuffragiis anno 1110, ut tradit Rodericus à Cunha in Hiſtoria Eccleſiaſtica Archiepiſcoporum Bracarenſium; & quia tranſlationes Epiſcoporum ſine interventione auctoritatis Romani Pontificis fieri non poſſunt, ad Sedem Apoſtolicam acceſſit, & à Paſchali II Papa obtinuit, ut poſtulata Cleri Bracarenſis valerent, poſtea verò pallium accepit per manus Joannis Cajetani Diaconi Cardinalis & Cancellarii, poſtea Pontificis ſub nomine Gelaſii II, ut cônſtat ex ejus Epiſtola ordine prima ad Gallos, quæ extat Tomo X Concil. pag. 817.

II. *Ejus diſſenſiones cum Bernardo Archiep. Toletano.* Factus Archiepiſcopus Bracarenſis diſſenſiones habuit cum Bernardo Toletano Archiepiſcopo & Primate patrono ſuo, qui tota mente incumbebat, ut quia Toletanæ Eccleſiæ recens collatus fuerat Primatus per totam Hiſpaniam, ſubjiceret Toleto univerſas Hiſpaniarum Eccleſias. Paſchalis II auditis quæ adverſùs Bernardum proponebantur à Burdino, terminos poſuit legationi ejus, & Burdinum Bracarenſem, univerſamque provinciam ab illius juriſdictione liberavit, ſimulque Conimbricenſem diœceſim, quam Bernardus ſubtrahere conabatur Metropoli Bracarenſi, ad eam pertinere pronunciavit. Horum Paſchalis Papæ decretorum mentionem facit Innocentius III lib. 2 Epiſt. 126, ubi laudat duas Paſchalis Epiſtolas, quarum prior edita eſt Tomo 3 Monarchiæ Luſitanæ, poſterior à Roderico à Cunha in Tractatu *de Primatu Bracarenſis Eccleſiæ in univerſa Hiſpania*, & utraque data eſt *Anagniæ III Nonas Novemb.* Baluzius laudatus hæc contigiſſe anno milleſimo centeſimo decimo quinto, ex eo colligit, quòd Pandulphus in Vita Paſchalis II loquens de coronatione Henrici Imperatoris, quæ initio anni 1117 Romæ à Burdino peracta

acta

Digitized by Google

racta eſt, ſcribat eum biennio non introiſſe provinciam Bracarenſem, ex quo, inquit, evincitur eum de ea deceſſiſſe anno 1115.

III. *Ab eo Epiſcopali officio interdicitur.* Sed Baluzium latuit, Burdinum ante annum 1114 à Bernardo Toletano Archiepiſcopo, & adhuc Sanctæ Sedis Legato fuiſſe tam à Sacerdotali, quàm ab Epiſcopali officio interdictum, quòd Legionenſem Eccleſiam invaſiſſet; & hoc interdictum à Paſchali II fuiſſe confirmatum. Cardinalis enim de Aguirre Tomo 3 Concil. Hiſp. pag. 319 & ſeqq. refert aliqua fragmenta Concilii Palentini, Præſide Bernardo Archiepiſcopo Toletano anno 1114 celebrati ſub die VIII Kalendarum Novembrium, quæ quando Baluzius præfata de Burdino ſcripſit, nondum è tenebris exierant. Inter ea extat Epiſtola Paſchalis II ad Burdinum *Laterani XII Kalendas Maji, Indictione VII*, anno ſcilicet 1114 data, cujus hic tenor eſt: *Inter querelas alias, quæ de te ad Sedem Apoſtolicam delatæ ſunt, Legionenſis Eccleſiæ invaſio & contritio nos graviter contriſtavit. Super quæ ex noſtris literis monitus, & à Vicario noſtro Bernardo Toletano ad Concilium evocatus.* (illius Concilii Acta deperdita, & locus in quo celebratum ignotus.) *Ad hac pro hujus nequitia & inobedientia, per eum, tam à Sacerdotali, quàm ab Epiſcopali officio interdictus, eadem officia celebrare pertinaciter præſumpſiſti. Nos igitur, auctore Deo, tantum ſuperbiæ & nequitiæ facinus ulciſcentes, & eadem tibi officia, & Bracarenſis Eccleſiæ obedientiam interdicimus, donec reſipiſcens obedias, & plenius ſatisfacias.* Ex quibus conſtat Burdinum ante initium anni 1114 non ſolùm Legionenſem Eccleſiam invaſiſſe, ſed & à Bernardo Toletano Archiepiſcopo, Sanctæ Sedis Legato, ab officio Epiſcopali interdictum fuiſſe. Verùm poſtea Burdinum reſipuiſſe, & plenius ſatisfeciſſe oſtendunt ea, quæ mox ex Baluzio retulimus, Paſchalem nempe Papam in favorem Burdini diremiſſe controverſiam, quæ inter ipſum & Bernardum Toletanum interceſſerat de Eccleſia Conimbricenſi & Primatu totius Hiſpaniæ. Quare Paſchalis, ut in ejus Pontificatu oſtendimus, anno 1117, ex Urbe fugiens ob adventum Henrici Imperatoris, Burdinum *ſuper tractanda pace Legatum* ad eum miſit. Sed hic à Papa deficiens, Henricum Imperatorem coronavit, quam ob rem Synodum Paſchalis II Beneventi congregavit, in qua eum publicè excommunicavit, ut ibidem oſtendimus.

IV. *Fit Antip. ſub Gregorii VIII nomine.* Poſt hæc mortuo, initio anni 1118, Paſchali Papa, in ejus locum ſubrogatus eſt Gelaſius II, qui cùm perſecutionem Henrici Imperatoris declinaret, Cajetam ſe contulit antequam conſecraretur. Licèt autem electus fuiſſet die 25 Januarii ejuſdem anni, conſecratus tamen tantùm eſt Presbyter die nona Martii, in ſabbato Quatuor Temporum, & poſtridie, decima nempe menſis Martii, Pontifex Romanus. Quo eodem die Burdinus Pontificium thronum invaſit ſub Gregorii VIII nomine, & Antipapa dictus eſt, *die videlicet poſt electionem* Gelaſii *quadrageſimo quarto*, ipſumque Henricum Imperatorem iterum ut Papa conſecravit poſtridie Kalendas Junii, ipſo Pentecoſtes die, ut fuſius in Gelaſii II Papæ Vita narravimus.

V. *A Gelaſio II in Capuana Synodo excommunicatur.* Gregorium VIII Antipapam ab eodem Gelaſio II cum Henrico Imperatore, in Synodo Capuæ coacta fuiſſe excommunicatum his verbis enarrat Urſpergenſis in Chronico: *Henricus Imperator dum Padanis regionibus immoraretur, audito tranſitu Apoſtolici Paſchalis, Romam properavit: & primò quidem in electione domini Joannis, qui & Gelaſius II dictus eſt, aſſenſum præbens, poſtea verò eodem à ſua communione ſubtrahente, non ſine quorundam Romanorum favore, alterum quemdam Burdinum ex Hiſpania ſupervenientem Apoſtolicæ Sedi impoſuit; ſicque ſchiſma, quod jam ſperabatur emortuum, crudeliter revixit. Nam eodem Romana Cathedra liberè potito, Gelaſius cum his, qui ſecum abierant, Cardinalibus, ceteriſque Catholicis, quos congregare poterat, apud Capuam, juxta quod literæ ab ipſo circumquaque tranſmiſſæ teſtantur, Cæſarem unà cum idolo ſuo damnavit.* De hoc Concilio Capuano alibi mentio non reperitur.

VI. *Item à Calliſto II in Remenſi.* Poſtero anno milleſimo centeſimo decimo nono idem Antipapa à Calliſto II Gelaſii ſucceſſore excommunicatus iterum fuit in Concilio Remenſi, ut tradit Ordericus Vitalis, cujus fuſa illius Concilii narratio extat Tomo X Concil. pag. 865, & ſeqq. in cujus fine legitur: *In noviſſimo Concilii die Barcinonenſis Epiſcopus* [Beatus Oldegarius, jam Tarraconenſis Archiepiſcopus] *corpore quidem mediocris ac macilentus, ſed eruditione cum facundia & religione præcipuus, ſubtilem ſatiſque profundum ſermonem fecit de Regali & Sacerdotali dignitate, quem ſumma cuncti, qui percipere poterant, hauſerunt aviditate. Tunc Papa Carolum Henricum Imperatorem Theomachum & Burdinum pſeudo-Papam & fautores eorum mœrens excommunicavit, alioſque ſceleroſos, qui maniſeſtè ſæpius correpti, ſed inemendabiles perdurabant, illis aſſociavit, parique anathematis percuſſione uſque ad emendationem mulctavit.*

VII. *Sutrium fugit.* Anno milleſimo centeſimo vigeſimo Calliſtus II, qui anno ſuperiori Cluniaci Pontifex Romanus electus fuerat, Romam perrexit, eaque in urbe, tertio Nonas Junii magno honore exceptus eſt. *Tum Burdi-*

Digitized by Google

SÆC. XII. GREGORIUS ANTIPAPA.

dinus, inquit Malmesburienſis in lib. 5 de Geſt. Reg. Angl. *in medio relictus Sutrium effugit, multis peregrinorum calamitatibus papatum ſuum fovere meditatus*; Proceres enim, qui ejus partibus adhærebant, infeſtas latrociniis vias habebant, eoſque, qui Romam tenderent, ſpoliabant. Quare brevi tempore Calliſtus II Romæ manſit; ut enim Normannos ad Sutrii expugnationem hortaretur, Beneventum ſe contulit. Porrò Sutrium oppidum eſt rupibus undique cinctum ab urbe Romana 25 mille paſſibus diſſitum, ubi Burdinus ab Imperatore derelictus ſeſe continebat; & ſine exercitu expugnari non poterat.

VIII. A Calliſto II capitur.

Sed Calliſtus Pontifex anno milleſimo centeſimo vigeſimo primo, ut inquit Falco Beneventanus in Chronico, *exercitu congregato, ſuper civitatem nomine Sutrium tetendit; Gregorius autem ille* (id eſt Burdinus Antipapa) *quem prædictus Rex* (Henricus Imp.) *in Pontificem ſtatuerat, civitatem ipſam obtinebat. Viribus ſumptis civitatem illam comprehenderunt, & Gregorium illum turpiſſimè, ultra quàm credi poteſt, injuriis afflictum ligaverunt. Deinde illum ſuper camelo imponentes Romam taliter captivum, & veſtibus propriis exutum perduxêre IX Kalendas Maias. Pontifex igitur Calliſtus Deo & Petro Apoſtolo gratias agens, gaudio magno repletus, Urbem triumphans ingreſſus eſt: deinde conſilio invento, ad monaſterium Sanctæ Trinitatis, quod Cava dicitur, illum delegavit.* Burdinus itaque ſub Gregorii VIII nomine, triennio fermè integro Eccleſiam perturbavit, aliis ei adhærentibus, aliis verò Gelaſium II, & poſtea Calliſtum II verum Romanum Pontificem agnoſcentibus.

IX. A quibuſdam in Anglia Pontifex agnitus.

Certè Gregorium Antipapam ab aliquibus in Anglia ut legitimum Pontificem agnitum, Eadmerus Auctor accuratus, & Matthæus Pariſius nos dubitare non ſinunt. Prior lib. 6 Novorum de geſtis in Anglia anno 1119 ſcribit: *Dum hæc Eccleſiaſtica ita in Burgundia diſponuntur, Apoſtolatus Romanæ Eccleſiæ præfato Gregorio Sede B. Petri præſidente adminiſtratur. Super his ergo multis rumoribus Anglia concuſſa eſt, aliis hunc, aliis illum, aliis neutrum Eccleſiæ Dei jure Prælatum aſſerentibus; Galli tamen & Rex Anglorum cum Pontifice Cantuariorum in Calliſtum ſe tranſtulerunt, & eum, ſpreto Gregorio, pro Apoſtolico ſuſceperunt.* Matthæus verò Pariſius, qui Anglus erat, Gelaſium Antipapam appellat: *Anno*, inquit, 1118, *defuncto Papa Paſchali, Gelaſius Antipapa anno uno ſuccedit, cui ſucceſſit orthodoxè Calliſtus.* Sed ſi Gelaſius fuit Antipapa, ut ſupponit Pariſius, quomodo Calliſtus II poſt eum contra Gregorium VIII electus, poteſt dici *orthodoxè* ſucceſſiſſe Gelaſio?

X. Sed immeritò.

Baluzius laudatus num. decimoſexto & ſeqq. pluribus oſtendit, fundamentum ſchiſmaticorum fuiſſe, quod ſecundùm conſtantem conſuetudinem, quoties Romani cujuſpiam Pontificis obitus eveniebat, mitterent Romani Legatos ad Imperatorem, ut ipſe ſuos Romam mitteret, coram quibus novus Pontifex Romanus conſecraretur. Verùm jam ſuperius oſtenſum eſt, à Gregorii ſeptimi morte Eccleſiam Romanam hoc jugum Imperatorium excuſſiſſe, & priſtinam libertatem recuperaſſe, ideoque prudenter Cardinales prætenſi illius juris Imperatorii nullam rationem habuiſſe.

XI. In Monaſterium detruditur.

Ergo dejectus ac triumphatus Burdinus, ſubjungit Baluzius num. 40, miſſus eſt cum multa ignominia, ut Willelmus Tyrius lib. 12 num. 8 tradit, ad Caveuſe monaſterium, quod juxta Salernum ſitum eſſe dignoſcitur, ſive retruſus in Caveam, ut refert Joannes Saliſberienſis lib. 8 Policrat. cap. 23, ibique habitu Monachali indutus, ut ibidem Tyrius, Radulphus de Diceto, & Auctor Chronici Mauriniacenſis referunt, vitam compulſus eſt lege loci ducere cœnobiticam; indeque Baluzius rectè deducit, eum redire juſſum ad illud vitæ inſtitutum, quod olim ſuſceperat in monaſterio Uſercenſi, & antequam ad Archiepiſcopatum Bracarenſem veheretur, vitam monaſticam profeſſum eſſe. Nicolaus enim II ſtatuerat, ut ſi quis *per ſeditionem, vel præſumptionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus, ſeu inthronizatus fuerit, ab omni Eccleſiaſtico gradu, in quocumque fuerat prius, ſine retractatione reponatur*, ideſt, ad illud vitæ inſtitutum, in quo exiſtebat, antequam gradus Eccleſiaſticos aſſequeretur. Anno poſtea 1122 Calliſtus Papa Burdinum de Cavenſi monaſterio extractum, In Janula, quæ arx eſt in rupe imminente civitati Sancti Germani, cuſtodiendum tradidit, teſte Anonymo Caſſinenſi à Caraciolo edito. Denique hinc deductus ab Honorio II anno 1124, in arcem Fumonis, in quam poſtea Bonifacius hujus nominis VIII conjecit Sanctum Petrum Murrhonem, dictum antea Celeſtinum quintum, ductus eſt, ibique mortuus, non verò in monaſterio Cavenſi unde receſſerat. Porrò caſtrum Fumonis ſitum eſt non longè ab Alatro civitate in Hernicis.

CAL-

Digitized by Google

CALLISTUS II *Pontif. CLXII.*

Anno Domini MCXIX.

I. *Conon Præneſtinus Epiſcopus Pontificatum declinat.*

CUm Gelaſius II Cluniaci ægrotaret, & convaleſcere penitus deſperaret, Cardinales hortatus eſt, ut Cononem Epiſcopum Præneſtinum, de quo in Paſchali II locuti ſumus, tanquam magis idoneum ſibi ſubſtituerent; ſed Conon Pontificatum recuſans, propoſuit Guidonem Archiepiſcopum Viennenſem, de quo ibidem egimus, ut conſtat ex Falcone Beneventano in Chronico ita ſcribente: *Gelaſius confeſtim ſe infirmitatis validæ diſſolutione teneri præſentiens, cum aliis Cardinalibus, qui aderant, Præneſtinum acciri juſſit Epiſcopum, qui cum ipſo in Gallias navigavit, & imponi illi tanti honoris culmen Romanæ Sedis ſatagebat. Audiens itaque Epiſcopus ejuſmodi verba Pontificem proferentem: Abſit, inquit, omninò abſit, ut tanti honoris culmen, oneriſque pondus indignus ego, & infelix ſuſcipiam, præcipuè cùm auxilio, & ſæculari virtute divitiarum Romana Sedes temporibus noſtris, ſub perſecutionis flagello afflicta defendi oporteat & muniri. Si verò meis acquieſcere velitis conſiliis, Viennenſem Archiepiſcopum, virum utique religioſum, prudentiaque animi, potentia & nobilitate ſæculari pollentem, ornatum virtutibus ad tale tantumque patrocinium eligamus. Dei namque conſilio, & beati Petri meritis, & viri hujus ſolatio Romanam Sedem, ſub tantæ perſecutionis periculo diutiſſimè oppreſſam, credimus ad ſerenitatem, atque triumphum ſublevari. Quid multa? Gelaſio ægrotanti, & aliis Cardinalibus, ac ceteris, qui aderant, ſermo placuit. Nec mora Archiepiſcopum illum accerſiri jubent; &, ut dicta factis compleant, perſeverant. Qui vocatus cùm paraſſet profectionem ſuam, & ſe in itinere poſuiſſet, adhuc in via dum eſſet, audivit magno ſuo dolore ipſum Pontificem ex hac vita migraſſe. Siquidem die quarto Kalendas Februarii Gelaſius Pontifex in eodem monaſterio feliciter ex hujus corporis ergaſtulo migravit ad Dominum.*

II. *Calliſtus II eligitur.*

Guido itaque Archieiſcopus Viennenſis, juxta Falconem, à Gelaſio ægrotante, & Cardinalibus, qui cum eo erant, Cluniacum evocatus eſt; & ipſemet Guido diſertè aſſerit in Epiſtola, quam poſt ſuam electionem ſcripſit ad Adalbertum Moguntinum Archiepiſcopum, ſe Cluniacum invitatum ab ipſomet Gelaſio, dum hic Viennâ, Cluniacum petiturus, diſcederet: *Dominus noſter felicis memoriæ Gelaſius*, inquit, *à Vienna diſcedens, injunxit mihi ut ad ejus præſentiam feſtinarem, poſtquam ipſe Cluniacum perveniſſet. Quod cùm poſt dies aliquot implere ſatagerem, in itinere de ejus obitu mihi nunciatum eſt.* Quod tamen non officit, quin etiam à Cardinalibus Cluniaci exiſtentibus acceſiri potuerit. *Congregati in unum die altero poſt adventum meum*, ſubdit Guido in laudata Epiſtola, *Epiſcopi, Cardinales, & Clerici, & laici Romanorum, invitum me penituſque renitentem in Romanæ Eccleſię Pontificem Calixtum unanimiter aſſumpſerunt*, & quidem ipſis *Kalendis Februarii*, ut Onuphrius in Chronico Eccleſiaſtico, & Sigonius lib. 10 de Regno Italiæ habent. Tardius hæc electio differri non poteſt, cùm Cluniacum viginti tantùm leucis diſtet à Viennenſi civitate, ex qua jam diſceſſerat Guido ante mortem Gelaſii II, & electio poſtridie ab ejus adventu peracta ſit. Unde in quarto ex Catalogis Baronianæ Criticæ præfixis legitur, poſt mortem Gelaſii Sedem vacaſſe *dies* 4, includendo ſcilicet, ut ſæpè fit, in ea enumeratione, tam diem mortis ejus, quàm diem electionis Calliſti.

III. *Ejus genus, & virtutes.*

Calliſtus II, Guido antea dictus, Willelmi Magni Burgundiæ Comitis filius erat, Adelaidis Francorum Reginæ, Ludovici VI uxoris avunculus; ei enim ſoror fuit nomine Gilla, quæ Humberto II Comiti Mauriniacenſi ſeu Sabaudiæ nupta, Adelaidem peperit, Ludovico Groſſo Regi anno 1115, juxta Chronicon Sancti Petri Vivi, in matrimonium collocatam. *Sublimatus tantæ celſitudinis dignitate*, inquit Sugerius in Vita ejuſdem Ludovici VI Regis, *glorioſè, humiliter, ſed ſtrenuè Eccleſiæ jura diſponens, amore & ſervitio domini Ludovici Regis, & nobilis Adelaidis Reginæ neptis aptius Eccleſiaſticis providebat negotiis.* Henrico etiam Imperatori conſanguinitate junctus erat, vir pietate, doctrina, induſtria, auctoritate, Principum gratia ſpectatiſſimus, Viennenſis Archiepiſcopus, & Paſchalis II per Gallias Legatus Apoſtolicus, ut ſuperiùs dictum eſt in eodem Paſchali.

IV. *Viennæ coronatur.*

Non multò poſtquam electus eſt Calliſtus, Cluniaco diſceſſit, & Viennam perrexit, ubi in dominica Quinquageſimæ, quæ anno 1119 in diem nonum menſis Februarii convenit, coronatus eſt. Pandulphus quidem in Vita Calliſti, conſecrationis, vel coronationis ejus neque diem, neque locum notavit; ait enim tantùm: *Papa ſolemniter à Lamberto Epiſcopo Oſtienſi, & aliis quamplurimis in Dei nomine conſecratus*

eſt ; ſed utrumque habemus in Epiſtola Hugonis Præneſtini Epiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Legati, Hugoni Nivernenſi Epiſcopo, ſine die & menſe data, quæ refertur in libro I Hiſtoriæ Vezeliacenſis Tomo 3 Spicilegii Dacheriani, in qua ait : *Die ipſa, qua ab invicem diſceſſimus cum Electo noſtro, duce miſericordia Dei, ad partes Lugdunenſium properavimus. Antequam autem Lugdunum perveniremus, domnus Lugdunenſis Archiepiſcopus* (Humbaldus) *electioni noſtræ aſſenſit, & Lugduni ſubſcripſit. Ibi facta proceſſione ſolemni dominum Papam Calliſtum, & nos honorificè ſuſcepit. Nam, & Engoliſmenſis Epiſcopus* [nempè Gerardus] *antequam à nobis diſcederet, ſubſcripſerat, & domino Papæ humiliter ſe ſubdiderat. Inde venimus Viennam, ubi in dominica Quinquageſimæ dominus Papa coronatus eſt.* Ex his corruit opinio Papebrochii ſcribentis, Calliſtum II Cluniaci coronatum fuiſſe, *poſt reditum Nunciorum Româ, adulto Martio, aut fortaſſis ipſo die Paſchatis 30 ejuſdem.* Corruit & illud quod ait, Calliſtum die quarta Februarii electum ; cùm enim die nona Februarii Viennæ coronatus fuerit, vix poſt ſuam electionem Viennam pervenire potuiſſet ante eundem diem.

V. *Toloſæ Concilium celebrat.*

Calliſtus Papa *Viennæ reverſus, rebuſque diſpoſitis, per Gallias tranſitum faciens, Toloſæ primo, Remis ſecundo celebrato Concilio* Romam petiit, inquit Chronographus Mauriniacenſis lib. 2. Concilii Toloſani ſummarium refert Catellus lib. 2 Comitum Toloſæ cap. 3 ex Bernardo Guidonis in parvo Tractatu *de Temporibus & annis Generalium & particularium Conciliorum*, in quo legitur: *Hic Calliſtus Papa Pontificatûs ſui anno primo 8 Idus Junii celebravit Concilium Toloſæ unà cum Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus Provinciæ, Gothiæ, Gaſconię, Hiſpaniæ, & citerioris Britanniæ, in quo Concilio inter cetera, quæ geſta ſunt in eodem, fuerunt damnati hæretici, & depulſi ab Eccleſia, qui religionis ſpeciem ſimulantes, Dominici Corporis, & Sanguinis ſacramentum, Baptiſma parvulorum, Sacerdotiumque, & omnes Eccleſiaſticos ordines, & legitimarum damnabant fœdera nuptiarum. Primitię quoque, & decimę, & oblationes, & bona deficientis Epiſcopi & Clericorum fuerunt Principibus, & quibuſdam laicis ſub pœna ſacrilegii interdicta.* Hanc in rem conditi ſunt canones decem Tomo X Concil. legendi. Ibidem in præfatione Concilium dicitur celebratum *Idus Junii Pontificatûs* Calliſti *anno primo*. Epiſtola autem Synodalis data dicitur *Toloſę per manum Chryſogoni S.R.E. Cardinalis, ac Bibliothecarii Idibus Julii indictione 12, Dominicę Incarnationis 1119, Pontificatûs autem Domini Calliſti II Papę anno I*, ex quo ſequeretur, Concilium duraſſe uſque ad Idus Julias ; cùm tamen Calliſtus II, qui omnium primus huic Synodali Epiſtolæ ſubſcripſit, die trigeſima Junii ejuſdem anni 1119 eſſet Magalonæ, ut mox oſtendetur, ideòque Concilium jam finitum eſſet. Quare omninò dicendum cum Bernardo Guidonis Concilium inchoatum eſſe die 8 Idus Junii, ſeu die ſexta Junii, & Epiſtolam Synodalem, non *Idibus Julii*, ſed *Idibus Junii*, ſeu die decima tertia ejuſdem menſis à Calliſto Papa ſcriptam.

VI. *Ejus itineraria poſt illud Concilium.*

Calliſtum II fuiſſe Magalonæ exeunte Junio ejuſdem anni 1119, conſtat ex ejus Epiſtola ordine 12 ad Canonicos Biſuntinæ Eccleſiæ ſancti Joannis ; in ejus enim fine legitur : *Datum apud Magalonam per manum Chryſogoni S R.E. Diaconi Card. ac Bibliothec. 2 Kal. Julii, Indict. 11, Dom. Incarnat. anno 1120, Pontificatûs autem Calliſti II Papę anno I*, ideoque anno Chriſti 1119, ut oſtendit indictio 12, & annus primus Pontificatûs ; nam annus 1120 ibi memoratus, eſt annus Piſanus, qui jam inceptus erat à die 25 Martii, vel à die Paſchatis ; novem enim menſibus vulgarem antecedit. Magalona Aquas Mortuas, indeque Arelatum venit, Eccleſiaſque dedicavit : *Ventum eſt*, inquit Pandulphus, *in Provinciam, in qua ſancti Juliani Eccleſiam, cellam Pſalmodienſis cœnobii idem Papa nimium celeriter dedicavit*. Eccleſia ſancti Juliani ſita eſt in urbe Arelatenſi, hodieque dicitur parochia ſancti Antonii Abbatis ; Pſalmodium verò ab Aquis Mortuis ſemileuca tunc diſtabat, nuncque eſt Eccleſia Collegiata. Illas enim duas dedicationes, ad annum potius 1119, quàm ad ſequentem pertinere, facilè demonſtrabitur ex ejus itinerario poſt Concilium Remenſe, quod anno 1119, menſe Octobri celebravit. Inde per Pictavenſem provinciam tranſiens, Andegavos, indeque Turonos venit. Nam Tomo 1 Bibliothecæ Labbei in priori Chronico Andegavenſi ad annum 1119 legitur : *Calixtus Papa venit Andecavam*. Ibi majus Altare Eccleſiæ Monialium monaſterii Roncerei in vigilia Nativitatis B. Virginis, ſeu die 7 menſis Septembris dedicavit, ut patet ex Inſtrumento à San-Marthanis Tomo 4 Galliæ Chriſtianæ pag. 794 relato, qui & ibidem de Abbatia Fontebraldenſi verba facientes, recitant reſcriptum Calliſti II, in quo legitur : *Dat. Turoni apud majus Monaſterium per manum Griſogoni S. R. E. Diac. Card. ac Bibliothecarii 17 Kal. Octob. indict. 13, Dominicę Incarnationis anno 1119, Pontificatûs autem domini Calliſti II Papę anno primo*. In eo Reſcripto Pontifex ait : *Cùm per Pictavenſem parochiam pro Eccleſię ſervitio tranſitum haberemus, venerabilis fratris noſtri Vuillelmi Pictavenſis Epiſcopi ſuggeſtione ad B. Mariæ de Fonte-braudi monaſterium declinavi-*

Digitized by Google

navimus, &c. *In honore beatiſſimæ, ac glorioſiſſimę Dei Genitricis, ſemperque Virginis Marię oratorium dedicavimus* &c. *Omnibus autem, cooperante Deo, ſolemniter celebratis, ad populum, cujus undique illuc multitudo effluxerat, verbum ex more habuimus*. Turonis Calliſtus II venit ad monaſterium Morigniacenſe, in diœceſi Senonenſi propè Stampas ſitum, ut habet Chronographus Morigniacenſis, ex quo & habemus, eum ibi dedicaſſe Eccleſiam monaſterii 5 *nonas Octobris* anno *Incarnati* Verbi 1120 Piſano. E' monaſterio Morigniacenſi Pariſios venit, ubi 8 *Idus Octobris Indict.* 8 dedit privilegium quoddam monaſterio Vindocinenſi, quod extat Tomo 21 Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunenſis pag. 10.

VII. *Remis Concilium cogit.*

Tandem Calliſtus Papa Remis profectus eſt, ubi eodem menſe Octobri Concilium celebravit. *Anno ab Incarnatione Domini* 1119, *Indictione* 12 (à Kalendis Januarii more Gallicano inchoata) *in Octobris medio Calliſtus Papa cum Romano Senatu Remis venit, ibique* 15 *diebus demoratus Concilium tenuit, & de utilitatibus Eccleſiæ cum paſtoribus Dominici gregis ſolerter tractavit. Ibi nimirùm fuerunt* 15 *Archiepiſcopi, & pluſquam CC Epiſcopi, cum multis Abbatibus, & aliis Eccleſiæ dignitatibus. Apoſtolico enim juſſu evocati de Italia & Germania, de Gallia & Hiſpania, de inſulis Oceani & cunctis Occidentalibus provinciis, congregati ſunt pro amore Salvatoris*, inquit Ordericus Vitalis lib. 12, ubi fuſè de hoc Concilio agit. Rogerius Hovedenus & Simeon Dunelmenſis in Hiſt. de Geſt. Reg. Angl. habent: *Numeratæ ſunt ibi perſonarum paſtoralium virgæ quadringentæ viginti quatuor*. Qui auctores inter ſe non diſcrepant quoad numerum Patrum, quia baculus Epiſcopalis, & Abbatialis, *Virgæ* nomine ab Antiquis deſignantur, ut videre eſt in Gloſſario Ducangii. Quinque canones in eo Concilio conditi, quorum primus eſt *de damnatione ſimoniacæ hęreſis*, ſecundus *de Inveſtituris per manum laicam non faciendis*, tertius *de invaſoribus Eccleſiaſticarum poſſeſſionum*, quartus *ut Eccleſiaſticum honorem vel beneficium nemo cuiquam velut hęreditarium relinquat, nec pro baptiſmate*, &c. pretium exigat; quintus denique *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis* concubinas & uxores penitus interdicit.

VIII. *In eo Henricum Imperatorem & Burdinum Antipapam excommunicat.*

Henricus Imperator non adfuit quidem, ut promiſerat, vicinum tamen ſe exhibuit, quare Calliſtus Papa juſſit omnibus Epiſcopis & Abbatibus, ut eum præſtolarentur, dum Moſonem caſtrum adiret, pacemque cum Imperatore Alemannorum ad utilitatem Eccleſiæ tractaret. *In craſtinum*, inquit Ordericus, *feria quarta cum inſigni comitatu Moſonem profectus eſt, & dominica ſequenti, præ labore & metu lapſus & æger Remis regreſſus eſt*; dein *feria ſecunda poſtquam Papa conſedit*, Joannes Crementis eloquens Presbyter, *peracti eventum itineris ſeriatim* narravit, dixitque Imperatorem cum ingenti exercitu ad prædictum locum adveniſſe, & quaſi pugnaturum armatorum ferè 30 millia ſecum habuiſſe. Pontifex verò dixit, memorem ſe quàm fraudulenter idem Imperator, Paſchalis II tempore, Romam intrarit, huncque ceperit, repedandi conſilium velociter iniviſſe. *In noviſſimo Concilii die*, ſubdit Ordericus, *Barcinonenſis Epiſcopus, ſubtilem ſatiſque profundum ſermonem fecit de Regali & Sacerdotali dignitate*, &c. *Tunc Papa Carolum Henricum Imperatorem Theomachum & Burdinum pſeudo-Papam & fautores eorum mœrens excommunicavit*, &c. *Deinde ſacrum illud Collegium ſolutum eſt*. Orderici fuſa de hoc Concilio narratio, & Acta ejuſdem Concilii deſcripta ab Heſſone Scholaſtico Tomo X Conciliorum legi poſſunt.

IX. *Eboracenſem Eccleſiam à Cantuarienſi liberam declarat.*

Verſabatur hoc tempore controverſia inter Cantuarienſem & Eboracenſem Archiepiſcopos, circa ordinationem Archiepiſcoporum Eboracenſium, quam Henricus Angliæ Rex à Cantuarienſi fieri volebat; quare licèt Epiſcopos & Abbates Normanniæ, & inſuper Epiſcopos Angliæ, *qui tunc temporis in Normannia cum illo degebant*, ad Concilium Remenſe miſiſſet, ut inquit Eadmerus lib. 5 Novorum, Turſtanus tamen Archiepiſcopus Eboracenſis electus illuc eundi licentiam ea tantùm conditione obtinuit, ſe à Calliſto Papa Epiſcopalem benedictionem non ſuſcepturum, ſed *poſthabita fidei ſponſione* à Papa conſecrati obtinuit. *Quæ ut Regi certò innotuerunt*, ait Eadmerus, *mandat omnibus modis Thurſtano, & ſuis interdixit redire in Normanniam & Angliam, & in omnem locum dominationis ſuæ*. Hanc tamen litem poſtea diffinivit Calliſtus Papa anno 1120; cùm enim Turſtanus Calliſtum II Auguſtoduni & Cluniaci conveniſſet, & ab eo honorificè ſuſceptus fuiſſet, Pontifex Vapinci exiſtens ſtatuit, Eccleſiam Eboracenſem liberam eſſe à profeſſione, quam petebat Radulphus Archiepiſcopus Cantuariæ: *Hoc apud Vapingum in capite jejunii Apoſtolico privilegio confirmatum eſt*, inquit Thomas Stubbs in Actis Pontif. Eborac. apud Seldenum Tomo 2 pag. 1716.

X. *Jubet Turſtanum Epiſcopatu ſuo Eboracenſi potiri.*

Duravit tamen vetus illa controverſia, quæ multorum motuum cauſa fuiſſet, niſi Henrici Regis pietas Romani Pontificis auctoritati ceſſiſſet: *Cùm hæc ita adminiſtrarentur*, inquit Eadmerus lib. 6 Novorum, *Conventu Principum, qui pro occurſu Reginæ factus fuerat* anno 1121 *nondum ſoluto, magnus ſermo habitus eſt de diſſidio, quod eò uſque verſabatur inter Radulphum*

Can-

Cantuarienſem Archiep. & Thurſtanum Eboracenſem. Si quidem ipſe Thurſtanus à Calliſto Epiſcopus ordinatus (ſcilicet ne à Radulpho ordinaretur) *literas ab ipſo Calliſto, more, quo cuncta Romæ impetrantur, adeptus fuerat, quibus jubebatur, ut ipſe Thurſtanus Epiſcopatu ſuo potiretur, aut Rex anathemate & Radulfus ſuſpenſione Pontificalis officii plecteretur. Ad quod recitatę ſunt ſententię privilegiorum, & quàm dignè hęc Apoſtolica diſponerentur, intellectum eſt ab omnibus. Tamen ne prętermiſſę intentio pœnę, Regem vel Pontificem aliquatenus conturbaret, ex communi conſilio permiſſus eſt idem Thurſtanus Angliam redire & Eboracum regia via venire. Quod & factum eſt, ea diſpoſitione, ut nullatenus extra parochiam Eboracenſem divinum officium celebraret, donec Eccleſię Cantuarienſi de injuria, quam ei intulerat, objurata cordis ſui obſtinatione, ſatisfaceret.* Verùm Turſtanus à Rege in Angliam revocatus, mox in ſuum reductus eſt Archiepiſcopatum, nec legitur aliquam ſatisfactionem ab eo factam, imò *ſine exactione profeſſionis in ſuum mox* receptum eſſe *Archiepiſcopatum* ſcribit Chronographus Mailroſenſis.

XI. *B. Fredericum Leodienſem Epiſcopum conſecrat.*

In eodem Concilio Remenſi Calliſtus Pontifex Beatum Fredericum Leodienſis Eccleſiæ Epiſcopum conſecravit. Cùm enim Alexander Archidiaconus Leodienſis illius Eccleſiæ Epiſcopus electus fuiſſet, & inveſtituram ab Henrico Imperatore contra Summi Pontificis præceptum ſuſcepiſſet, Archiepiſcopus Colonienſis, cui Leodium ſubeſt, alium eligi curavit, & Fredericus majoris Eccleſiæ Præpoſitus electus, *à Calliſto Papa in Concilio Remenſi conſecratus, nudis pedibus repatriavit: & proceſſit ei obviam totius Cleri, & populi multitudo, factaque eſt lętitia magna in populo*, inquit Renerus Monachus Monaſterii Leodienſis S. Laurentii, Auctor coævus, qui B. Frederici Vitam ſcripſit, in Actis SS. Bollandianis ad diem 27 menſis Maji recitatam. Hic Beatus Epiſcopus *ſimoniacę hęreſeos damnatione, & Catholicę fidei defenſione*, ut loquitur Lambertus Parvus, & cum eo Scriptores, qui eum Martyris titulo exornant, occiſus eſt, & quidem anno 1121, ut Dodechinus Abbas in Chronico, & Anſelmus Gemblacenſis Auctor Chronici Leodienſis, quod extat Tom. I Biblioth. Labbei, notarunt.

XII. *Cum Henrico Angliæ Rege colloquium habet.*

Eadmerus lib. 5 Novorum poſtquam dixit, Henricum Angliæ Regem prohibuiſſe ne Turſtanus Archiepiſcopus Eboracenſis in Normanniam aut Angliam rediret, ſubdit: *Poſt hæc Calliſtus Giſortium venit, & Rex Henricus illuc ei locuturus acceſſit. Acta igitur ſunt multa inter eos, quorum gratia par erat tantas perſonas conveniſſe. Inter quæ Rex à Papa impetravit, ut omnes conſuetudines, quas pater ſuus* (nempè Willelmus II) *in Anglia habuerat, & in Normannia ſibi concederet: & maximè ut neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, ſi non ipſe, aliqua præcipua querela exigente, & quę ab Archiepiſcopo Cantuariorum, ceteriſque Epiſcopis regni terminari non poſſet, hoc fieri à Papa poſtularet.* Hoc ideò ab Henrico Rege poſtulatum, quia crebræ ex Urbe legationes Anglorum animos accenderant; alia enim, quàm quæ Eccleſiæ eſſent, quæri cauſabantur. Unde Petrus Leonis in Angliam à Calliſto II anno 1121 miſſus, honorificè quidem exceptus eſt, ſed non admiſſus, ut ſcribit idem Eadmerus lib. 6 Novorum. Sed poſtea anno 1125, primo anno Pontificatus Honorii II, *Joannes Cremenſis* Presbyter Cardinalis, Tituli S. Chryſogoni, *accepta ab Apoſtolico ſuper Britanniam legatione, cùm diu in Normannia receptus eſſet à Rege, tandem permiſſus in Angliam* tranſvectus eſt, *& ab Eccleſiis honorificè* exceptus, ut in Honorii II Pontificatu dicetur ex Simeone Dunelmenſi in Hiſt. de Geſt. Regum Angl.

XIII. *Ejus itinerarium poſt Concilium Remenſe.*

Poſt Concilium Remenſe Calliſtus Papa Romam redire conſtituit, quare ut varia ſuis annis reddi poſſint, ejus itinerarium, quanta fieri poterit brevitate, hic ex Annotatore Baronii explicandum. Calliſtum iterum Pariſios, & Corbolium veniſſe ſcribit Chronographus Morigniacenſis: *Celebrato namque*, inquit, *Remis maximo generaliſſimoque Concilio domnus Papa cum omni comitatu ſuo Burgundiam ingreſſurus, Romamque profecturus de Pariſiis Corbolium advenerat.* Corbolio ſex circiter leucis à Lutetia diſſito, Melodunum venit, *ad quem locum Rex & Regina à domino Papa diſceſſuri, valèque facturi, Proceres atque Pontifices, multęque perſonę confluxerant*, inquit idem Chronographus. Meloduno Senonas perrexit ex eodem Auctore, & ex Chronographo Sancti Petri Vivi ad annum 1119 ſcribente: *Poſtquam celebratum eſt Concilium Remis, venit domnus Papa Senonas, quem adiit Abbas Arnaldus, & oſtendit literas, quas habet Eccleſia S. Petri de duabus ſororibus S. Ebbonis, Ingoara ſcilicet, & Leotheria, quas confirmavit* Epiſtolâ *data Senonis Nonis Decembris* ad Joſcerannum Lingonenſem Epiſcopum, quæ extat Tomo X Concil. pag. 834, quâ eum judicem conſtituit litis, quæ inter Abbates S. Petri Vivi & Moliſmenſem verſabatur. Senonis Auguſtodunum & Cluniacum deſcendit. Thomas enim Stubbs in Actis Pontific. Eborac. narrans quàm honorificè Turſtanus Archiepiſcopus Eboracenſis à Calliſto exceptus fuerit, ait: *In ſolemnibus proceſſionibus equitando factis, quando more Apoſtolico coronatus fuit, ſicut in die Na-*

talis Domini, Auguſtodunum, & die Epiphaniæ Cluniaci Epiſcopus Oſtienſis, qui Magiſter inter eos, & dignior erat, eum parem eſſe voluit. Natale itaque Chriſti anni 1119 Auguſtoduni, & Epiphaniam anni 1120 Cluniaci celebravit Calliſtus. Cluniaco Trenorcium oppidum eidem vicinum profectus eſt, ubi die undecima menſis Januarii dedicavit Eccleſiam Trenorcienſem, ut fidem faciunt, tum hujus Pontificis Epiſtolæ ad Franconem Trenorcienſem Abbatem, & ad Matiſconenſem ac Cabilonenſem Epiſcopos, tum vetuſtum Kalendarium Trenorcienſe à Chiffletio in probationibus ad Hiſtoriam Trenorcienſem pag. 308 relatum. Trenorcio Calliſtus Matiſconem venit, ut conſtat ex ejus Epiſtola 18 laudata ad Matiſconenſem & Cabilonenſem Epiſcopos, data *Matiſcone XIX Kal. Februarii, indict. XIII*, tertio poſt dedicationem Eccleſiæ Trenorcienſis die.

XIV. *Trevirenſis Eccleſiæ privilegia confirmat.* Bruno Trevirenſis Archiepiſcopus Calliſtum Papam Auguſtoduni exiſtentem convenit, quòd Adelbertus Archiepiſcopus Moguntinus, qui legationem Apoſtolicam ab ipſo Papa dudum acceperat, jura Eccleſiæ ſuæ læderet. Rem narrat Scriptor Anonymus Hiſtoriæ Trevirenſis, qui hoc tempore vivebat, Tomo 12 Spicilegii Dacheriani pag. 248: *Anno*, inquit, *ordinationis ſuę decimo nono* (legendum decimo octavo, ex eodem enim Anonymo Bruno ordinatus fuerat die ſecunda Februarii anni 1102) *placuit Romam tendere, ut renovaret privilegia ſedis ſuę, indignatus ſuper protervia Adelberti Maguntienſis Epiſcopi de legatione Romanę Sedis ſibi conceſſa ſuperbè ſe efferentis, maximè cùm ex conceſſione priorum Apoſtolicorum Epiſcopus Treverorum nulli, niſi ſoli Apoſtolico, vel à latere ejus Miſſo, ad pręſens debeat obedire.* Paulò poſt: *cùm igitur propter cauſas ſupra memoratas ſupradictus Bruno verſus Romam iter faceret, & Auguſtodunum uſque proceſſiſſet Calliſtus Papa, ibi ei occurrit, & eum amicè ſuſcepit, & cum eo in eodem loco Natalem Domini celebravit.* (Hic Auctor in hac circumſtantia convenit cum Thoma Stubbs num. ſuperiori laudato.) *Tranſactis autem diebus ſolemnibus, pariter iter Cluniacum dirigunt, ubi Bruno cauſas adventûs ſui aperuit, prolatiſque coram ſedis ſuę privilegiis, eadem ſibi & Eccleſię ſuę, Apoſtolicę ſubſcriptionis firmamento ſtabiliri poſtulavit, & obtinuit.* Refert deinde Hiſtoricus ille literas Brunoni à Calliſto II° conceſſas, datas *Cluniaci tertio nonas Januarii*, quibus Pontifex perſonam ejus *à cujuslibet Legati poteſtate* abſolvit, *niſi fortè à ſuo latere dirigatur*.

XV. *Ulterius itinerarium continuatur.* Sed Calliſtum II Romam pergentem ſequamur. Matisconâ Romanum, oppidum in Delphinatu hodierno, Valentinæ urbi proximum profectus eſt, ubi die 15 menſis Februarii confirmavit bona, & privilegia Eccleſiæ Biſuntinæ Sancti Joannis, ut docet ejus Epiſtola ordine 13 ad Canonicos ejuſdem Eccleſiæ data *Romanis 15 Kal. Martii, Indictione 13, Incarnat. Dom. anno* 1120, *Pontificatûs autem Domini Calliſti II Papę anno ſecundo*. Pridie ejus diei, ſcilicet decima quarta Februarii, Calliſtus monaſterium ſancti Cucuphatis Martyris, ordinis Sancti Benedicti, vulgò San-Culgat, ſuſcepit ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, eique omnia bona & privilegia ſua confirmavit, ut diſcimus ex Reſcripto ejus à Baluzio in Appendice ad Marcam Hiſpanicam pag. 1253 recitato, quod dicitur *datum Romę per manum Griſogoni S. R. E. Diaconi Card. & Bibliotb. 17 Kal. Martii, indictione 13, anno Incarnat. Dom.* 1120, *Pontificatûs autem domini Calliſti II Papę anno ſecundo*. Sed duo errores corrigendi à Librariis omiſſi, & loco *Romę*, legendum, *Romanis*; nam menſe Februario anni 1120, quo numerabatur indictio 13, & annus ſecundus ejus Pontificatûs, Calliſtus nondum Romæ erat, eò enim, ex mox dicendis, tantùm pervenit tertio nonas Junii. Loco etiam 17 *Kal. Martii*, legendum 16 *Kal. Martii*, menſis enim Martius tot dies ante Kalendas non habet.

XVI. *Primatum in ſeptem Provincias Viennenſi Archiep. concedit.* Romanis Valentiam ſe contulit Calliſtus, ubi 8 *Kal. Martii* privilegium quoddam ordinis Cluniacenſis ratum habuit, ut patet ex ejus Epiſtola ordine 22 ad Pontium Cluniacenſem Abbatem eo die data. Tum *quinto Kalendas* ejuſdem menſis Viennenſis Eccleſiæ ſponſæ quondam ſuæ curam gerens, ei tribuit Primatûs auctoritatem in Septem provincias, Viennenſem, Bituricenſem, Burdigalenſem, Auſcitanam, Narbonenſem, Aquenſem, & Ebredunenſem, cum poteſtate Synodos indicendi, & negotia Eccleſiaſtica canonicè dirimendi. Occaſionem arripuit ſubjiciendi ſeptem illas provincias Eccleſiæ Viennenſi, inquit Marca in Diſſert. ad Concilium Claromontanum anno 1095 celebratum, nu. 123; quia in Notitia, in capite illarum ſeptem, deſcripta eſt Viennenſis provincia, unà cum ejus Metropoli, quæ eſt *Civitas Viennenſium*. Quare conjecit, tam ſibi liberum eſſe, ut Viennam ſuper ſeptem Provincias præficeret, quàm deceſſoribus ſuis fuerat, Lugdunum præficere iis provinciis, quæ Lugdunenſes dicebantur in Notitia. Et ne nova videretur hæc inſtitutio, à Silveſtro I, & aliis Pontificibus Romanis ejus originem arceſſit, quorum ſuppoſititia reſcripta edita ſunt à Joanne Boſco, ubi ex Romano Catalogo Septem provinciæ ſubjici dicuntur Viennæ, ut notatur in calce ſuppoſititii reſcripti Silveſtrini. Tarantaſiæ autem Archiepiſcopum, qui præpoſitus erat pro-

Digitized by Google

SÆC. XII. CALLISTUS II.

provinciæ Alpium Penninarum extra ſeptem illas poſitæ, ſubjecit Viennenſi, ut Primati, exemplo Leonis I, & Symmachi.

XVII. Origo octo Viennenſium provinciarum in Notitia.

Ex hoc Calliſti decreto exiſtimat Marca initium ſumpſiſſe diviſionem illam, quam aliquot exemplaria Notitiæ præferunt, in octo Viennenſes provincias: ita ut viris Eruditis laborandum non ſit, in alia ratione ejus diviſionis quærenda cum Scaligero, qui Vicarium præfecti Prætorio Galliarum Viennæ quondam conſtitiſſe, & in octo illas provincias jus dixiſſe, ſibi, dein ceteris, ſine ullo argumento, imò etiam contra veteris Hiſtoriæ fidem perſuaſit. Cùm itaque beneficio Calliſti, *Bituricenſis* Eccleſia, quæ Primatu in Aquitania potiebatur, & *Narbonenſis*, quæ ex Urbani II decreto, Primas erat provinciæ Aquenſis, ſeu Narbonenſis ſecundæ, ſubjectæ eſſent Primati Viennenſi, ipſe ſibi *Primatis Primatûm* nomen indidit: & monetæ, quam cudi curabat Viennæ, hanc inſcriptionem adjecit: *Maxima ſedes Galliarum*. Sed nulla planè auctoritate, in vim ejus Reſcripti; quod per ſubreptionem elicitam, veterum primatûm inauditorum jura convellebat, Archiepiſcopus Viennenſis potitus eſt. Attamen Dienſem & Albenſem, ſeu Vivarienſem Epiſcopatum, vi Reſcripti illius ab Arelatenſi provincia diſtractos, Viennenſis Archiepiſcopus in ſuam provinciam adſcivit, cujus etiamnum partes ſunt. Ita Marca. Porrò Calliſti Reſcriptum extat apud Baronium ad annum 1120.

XVIII. Calliſtus Papa Romam pergit.

Valentia Calliſtus Pontifex Vapincum petiit, ubi in capite Jejunii, quod anno milleſimo centeſimo vigeſimo cum die tertia menſis Martii concurrebat, diffinivit Eccleſiam Eboracenſem liberam eſſe à profeſſione, quam petebat Archiepiſcopus Cantuarienſis, ut mox ex Thoma Stubbs oſtenſum eſt. Deinde, ut refert Baronius ex Calliſti Vita MS. in Vaticano exiſtente, *Alpium difficultate conſcenſa ad ſanctum Ambroſium cum jucunditate pervenit*. Oppidum ſancti Ambroſii paucis milliaribus ab urbe Suſa diſſitum eſt. Circa diem dominicam in Ramis Palmarum à Jordano Archiepiſcopo Mediolanenſi Tardone exceptus eſt; & Romam tandem pervenit die tertia menſis Junii, ſeu *tertio Nonas Junii*, inquit Egino Abbas, cujus Epiſtolam ad omnes fideles tunc ſcriptam refert Baronius anno 1120. Tum Burdinus Antipapa, dictus Gregorius VIII, ut in ejus Vita diximus, Sutrium fugit. Quanto gaudio, quanto apparatu, & quanta pompa Calliſtus Romæ exceptus ſit, referunt idem Egino Abbas, & Falco in Chronico Beneventano.

XIX. Inde Beneventum proficiſcitur.

Brevi tempore Calliſtus Romæ remanſit, ut enim Normannos ad Sutrii expugnationem hortaretur, Beneventum ſe contulit; *Hoc anno 1120*, inquit Falco laudatus, *dominus noſter Papa Calliſtus accepto conſilio Beneventum advenit, & octavo die intrante menſis Auguſti civitatem ingreſſus eſt*. Pandulphus in ejus Vita, poſtquam dixit, Calliſtum, Beneventum adiiſſe, ſubdit: *Venerunt ad eum illicò Guillelmus Apuliæ Dux Princeps Capuanæ urbis Jordanus Comes, &c. & innumeri alii, qui eidem illi hominium, fidelitatemque fecerunt. His ita diſpoſitis paulò poſt Romam per maritimam rediit*, vel exeunte anno 1120, vel ipſo ſequentis anni initio. Et hæc prima Calliſti II ad Beneventanam urbem profectio; ex qua redux Burdinum anno 1121 Sutrii obſedit, qui captus & veſtibus exutus, Romam 9 Kalendas Majas perductus eſt, ut in ejus Vita diximus.

XX. Gerardum Epiſc. Engoliſmenſem Aquitaniæ Legatum dicit.

Calliſtus Papa Beneventi anno 1120 exiſtens, literis ibidem 17 *Kalend. Novemb.* datis Gerardo Epiſcopo Engoliſmenſi, de quo ſuperius actum eſt, commiſit legationem Sedis Apoſtolicæ *per Bituricenſem, Burdigalenſem, Auſcitanam, Turonenſem, & Britanniam provincias*, aitque ſe id facere exemplo Paſchalis; ubi cùm nullam Gelaſii II mentionem faciat, Baluzius in Supplemento ad lib. 5 de Concordia cap. 47, ubi eas literas refert, inde deducit Gerardum hac auctoritate inſtructum non fuiſſe à Gelaſio II, præſertim cùm Conon Epiſcopus Præneſtinus ad Hugonem Epiſcopum Nivernenſem ſcribens, literas num. IV à nobis memoratas, de Calliſti II electione dicat, Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum in partes ejus tranſiiſſe, & indicare videatur illum à Romana Curia alienum fuiſſe tempore Gelaſii II, ait enim: *Nam & Engoliſmenſis Epiſcopus, antequam à nobis diſcederet, ſubſcripſerat, & domino Papæ humiliter ſe ſubdiderat*. Data itaque viro præpotenti Legatio Aquitanica ad mitigandum ejus animum. Eam autem quinque præfatis provinciis comprehenſam fuiſſe diximus in Paſchali II, de eodem Gerardo loquentes, & demonſtrant Calliſti II literæ Tomo X Concil. ordine 28 recitatæ. Hujus tamen legationis terminos contractos, aut dilatatos fuiſſe pro libito ſummorum Pontificum probat ibidem Baluzius.

XXI. Legatos in Germaniam mittit.

Secundò in Apuliam profectum eſſe Calliſtum II anno milleſimo centeſimo vigeſimo primo refert Pandulphus in ejus Vita poſtquam retulit, quid ante ſuum Româ diſceſſum egerit: *Romam per maritimam rediit. Tum à Spiritu Sancto admonitus Lambertum Oſtienſem Epiſcopum* (poſtea Papam ſub Honorii II nomine) *D. Saxonem Cardinalem presbyterum ſancti Stephani in Cœlio monte, & Gregorium diaconum ſancti Angeli* [poſtea etiam Papam ſub Innocentii II nomine] *ut pacem in regno & Eccleſia reformarent*,

Digitized by Google

marent, *ad Henricum Imperatorem in Alemanniam delegavit. Sed quid plus? Imo totum volo dicere verbo. Legati miſſi in ſcriptis pacem offerunt, & quemadmodum in Lateranenſi palatio tabula privilegio repræſentat, pax ad velle Papæ ab Imperatore ſimul & recepta eſt, & perpetuò, annuente Domino, ſtabilita*. Hi legati ex Germania rediére ante menſem Septembrem, quo Calliſtus II iterum in Apuliam perrexit, ut mox oſtendetur. Licét autem Pandulphus verbis laudatis innuere videatur concordiam Sacerdotii & Imperii anno 1121 initam eſſe, certum tamen & indubitatum eſt, eam anno tantùm 1122 ſancitam, ideoque & Pandulphum rem una ſerie, Abbreviatorum more, retuliſſe.

XXII. *Iterum in Apuliam pergit.*

Calliſtum verò poſt Legatorum reditum, in Apuliam iteratò profectum eſſe, ejuſdem Pandulphi verba nos dubitare non ſinunt; poſt ſuperiora enim ſtatim ſcribit: *Inde in Apuliam*, *Legatis jam ad Urbem regreſſis*, *iteratò deſcendit*. Refert poſtea Rogerium Siciliæ Comitem Calabriam & Apuliam cum exercitu intraſſe abſente Guillelmo Apuliæ Duce, qui ſuas ditiones Calliſto Papæ commendaverat, dum ipſe Conſtantinopolim pergeret. *Pontifex Calliſtus*, inquit Falco Beneventanus in Chronico, *conſilio invento Salernum ivit quinto die intrante menſis Septembris*, *ut pacis firmamentum cum Duce* (nempè Apuliæ) *Vuillelmo*, *& Rogerio Comite* (ſcilicet Siciliæ) *confirmaret*. Salerni adhuc erat Calliſtus, *menſe Septembri mediante*, ut teſtatur idem Falco, qui & habet: *Hoc anno 4 Kal. Septemb. Archiepiſcopus Salernitanus nomine Alfanus defunctus eſt. Quo defuncto Calliſtus ſupra memoratus Pontifex Romualdum Diaconum Cardinalem Archiepiſcopum Salerni conſecravit menſe Septembri mediante*. Salerno Beneventum rediit, ubi menſe Februario anni inſequentis 1122 ſententia ſua confirmavit judicium Cardinalium in gratiam *Bethleem* Abbatiſſæ monaſterii S. Mariæ, adversùs *Agnetem* Abbatiſſam monaſterii S. Petri, quæ monaſterium illud S. Mariæ, tanquam appendicem monaſterii S. Petri petiebat, *ſalvo tamen cenſu*, *quem pars ipſius monaſterii perſolvet annualiter ad prædictum monaſterium ſancti Petri*. Summus Pontifex hanc litem commiſit Dionyſio Epiſcopo Tuſculano, Chryſogono Cancellario, aliiſque Cardinalibus, quia *tunc Apoſtolicus valde infirmabatur*, & Curiam ante ſe congregare non poterat. Erat tunc *in ſacro Beneventano Palatio*, quò Agnes Abbatiſſa venit, itaque acta ſunt *Septima die Kalendarum Martiarum* coram Calliſto II Beneventi tunc degente, ut obſervavit Camillus Peregrinius in Notis ad Chronicon Falconis.

XXIII. *Primatui Lugdunenſi amplificando ſtudet.*

Sed ut ad annum 1121 redeam, Calliſtus Pontifex Metropolitanum Senonenſem Primati Lugdunenſi ſubjecerat, qua de re cùm Ludovicus VI Francorum Rex apud eundem Pontificem queſtus eſſet, hic in ejus gratiam decretum ſuum ſuſpendit. Sed quia illud ad tempus tantùm relaxatum erat, rurſus anno 1121 ad Calliſtum Papam ſcripſit Ludovicus Rex, aitque ſe paſſurum potius totius regni ſui incendium, & capitis etiam ſui periculum, *quàm hujus ſubjectionis*, *& abjectionis opprobrium*. Rogat eum, ut recordetur, ſe Remenſi Concilio cum labore ſuo, & cum honore ejuſdem Pontificis intereſſe ſtuduiſſe, & plus honori ejus, quàm ſuo dominio conſuluiſſe: *Videas*, ſubdit, *dulciſſime Pater*, *diſcretio veſtra*, *ne civitas Lugdunenſis*, *quæ de alieno eſt regno*, *de noſtro floreat detrimento*, *nec ſubjiciatur amicus amico*. Recitantur eæ literæ ſine die, & menſe datæ Tomo X Concil. pag. 855; ſed eas anno 1121 datas, hæc prima ejus verba demonſtrant: *Scripſit nobis Sublimitas veſtra de captione illius apoſtatæ Burdini*. Quare cùm Calliſtus quinto Kalendas Maji anni 1121 ad Epiſcopos Galliarum literas dedit de captione Burdini, quæ extant eodem Tomo Concil. pag. 894, alias etiam ad Ludovicum Regem ſcripſit, quæ periére, harumque hæc reſponſio fuit. Porrò licét Daimbertus Senonenſis Archiepiſcopus, ut diximus in Urbano II, agnoviſſet Primatum Lugdunenſis Eccleſiæ, nova tamen controverſia excitata fuerat à Joanne Lugdunenſi Archiepiſcopo ſub Paſchali II, qui convocavit Concilium apud Anſam, ad quod ipſius provinciæ Senonenſis Epiſcopos vocavit; ſed illi ad illud Concilium accedere recuſarunt, ut conſtat ex Epiſtola 236 Ivonis Carnotenſis, qui omnium Epiſcoporum Senonenſis provinciæ nomine, reſcripſit ad Joannem Lugdunenſem. Ideo autem tam alieni erant à colendo Primatu Lugdunenſi Archipræſules Senonenſes, quia Lugdunenſem Primatum novo jure inſtitutum contendebant, & apocriphis notitiis, & decretalibus invectum: tum quia olim Anſegiſus Senonenſis Archiepiſcopus, & Seguinus, ac Leothericus ejus ſucceſſores dignitate Primatûs à Sede Apoſtolica ornati fuerant: tandem quia Lugdunum Regi Francorum non parebat. Quamobrem Ludovicus VI Francorum Rex adversùs Lugdunenſem Primatum pro Senonenſis Eccleſiæ libertate apud Calliſtum II intercesſit. Verùm Lugdunenſis Primatus Regia etiam auctoritate firmatus eſt, cùm civitas Lugdunenſis à Rege Philippo Pulchro, Monarchiæ Gallicanæ vindicata eſt. Legendus liber Joannis Baptiſtæ Drioti Canonici Senonenſis de Primatu Metropolitani Senonenſis.

XXIV. *Legatos in Germaniam mittit pro pace.*

Eodem anno milleſimo centeſimo vigeſimo

geſimo primo ſublato in Urbe Antipapæ Burdini dedecore, & nobilium Romanorum compreſſa per Calliſtum Papam rebellione, in Germania quoque Henricus Imperator adeò eſt Adelberti Archiepiſcopi Moguntini, Apoſtolicæ Sedis legatione fungentis, ac frequentibus Epiſcoporum & Principum convocationibus & commonitionibus exagitatus, ut tandem coactus cedere, in conventu Wirceburgi in feſto Sancti Michaelis menſe Septembri celebrato, pacem firmiſſimam firmare promiſerit, permiſeritque, ut communi conſenſu, ad eam perficiendam legatio Romam decerneretur ad Calliſtum Papam, cujus munus Epiſcopo Spirenſi & Abbati Fuldenſi impoſitum. Pacis legationem incredibili gaudio ſuſcepit Calliſtus Pontifex, auditoſque Oratores ad Imperatorem remiſit anno 1122, ad eumque una iterum deſtinavit Legatos, Lambertum Cardinalem, Oſtienſem Epiſcopum, & duos alios Cardinales, quos jam anno 1121 miſerat, quibus dedit in mandatis, ut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate Imperatorem ad communionem Eccleſiæ reciperent, poſt Inveſtiturarum ceſſionem. Ut primùm in Germaniam appulerunt Legati Apoſtolici, *facto*, inquit Urſpergenſis in Chronico, *univerſali Conventu apud Vangionum, quæ nunc Wormacia dicitur, ſicut longum, ita & incredibile memoratu eſt, quàm prudenti, quàm inſtanti, quàmque per omnia ſollicito cunctorum Procerum conſilio, pro pace & concordia per unam vel amplius hebdomadam certatum ſit, donec ipſe, in cujus manu cor Regis eſt, omnem animoſitatem Auguſti, ſub Apoſtolicæ reverentiæ obedientiam causâ matris Eccleſiæ, etiam ultra ſpem plurimorum inflexit. Eccleſiaſticas* enimverò *Inveſtituras, ceteraque ſpiritualia negotia, quæ in tanto tempore Reges Teutonici adminiſtraverant, quæque ipſe, ne regni diminueretur honor, nunquam vita comite ſe dimiſſurum propoſuerat, humiliatus pro Chriſto coram multitudine maxima abnegavit, & in manus Epiſcopi Oſtienſis, ac per ipſum Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſuæque in perpetuum Eccleſiæ dimiſit.* Anſelmus Gemblacenſis in Chronico notat, Conventum illum Wormacienſem celebratum *menſe Septembri in Nativitate Sanctæ Mariæ*.

XXV. *Pax inter Calliſtum Papam, & Henricum Imp. ſancitur.*

Dimiſit itaque Imperator Henricus Inveſtituram per annulum & baculum, & permiſit in omnibus Eccleſiis fieri electionem & liberam conſecrationem. Calliſtus verò Papa conceſſit, ut electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici regni, in præſentia Imperatoris abſque ſimonia fierent, & ut Electus Regalia per ſceptrum ab Imperatore reciperet. Pacta ſcripto tradita, & mutuis firmata ſubſcriptionibus fuère ad robur, memoriamque ſempiternam. Scriptum Imperatoris factum eſt conſilio & aſſenſu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Procerum numero 18 in eo ſubſcriptorum ſine menſe & die. Conceſſio verò Calliſti II Henrico Imperatori facta, *data anno milleſimo centeſimo Vigeſimo ſecundo, nono Kalendas Octobris*. Utrumque ſcriptum extat Tomo X Concil. pag. 901. Et hoc pacto concordia inter inter Sacerdotium & Imperium reſtituta eſt.

XXVI. *Calliſtus PP. Concilium Generale Lateranenſe indicit.*

Poſt hæc Calliſtus Pontifex Concilium Lateranenſe generale indixit in annum ſequentem milleſimum centeſimum vigeſimum tertium, quod nos docet Simeon Dunelmenſis in Hiſt. de geſt. Reg. Angl. ad annum 1122 his verbis: *Hac concordia per gentes & populos ubique divulgata, mittuntur etiam literæ ab Apoſtolico omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis per regiones & provincias, ut omni excuſatione poſtpoſita feſtinent occurrere ad Concilium, quod domnus Apoſtolicus Romæ celebraturus erat XV Kal. April.* Henrico etiam Imperatori obedientiam per literas gratulatus eſt Calliſtus, eumque oravit, ut quantocyus Apoſtolicæ Sedis Legatos, cum ſuis Oratoribus ad Concilium generale jam indictum remitteret, in quo tanti momenti negotium conſummaretur, ait enim: *Legatos itaque noſtros, qui apud vos ſunt, benevolentiæ veſtræ attentius commendantes, rogamus, ut quia Concilium indictum à nobis accelerat, citò eos ad nos Domino largiente remittas. Tuos verò Legatos ita inſtructos dirigas, ut juxta promiſſum tuum regalia in integrum Eccleſię Romanę reſtituant.* Datæ ſunt hæ literæ Idibus Decembris anni milleſimi centeſimi vigeſimi ſecundi, extantque Tomo X Concil. pag. 894. Ex quibus omnibus eruo Concilium indictum eſſe poſt diem 19 Kalendarum Octobrium, quo Calliſtus ſupradictam conceſſionem fecit Henrico Imperatori, & ante diem Iduum Decembris, quo præfatas ad eundem Imperatorem literas dedit.

Concilium Lateranenſe Primum, Generale Nonum.

XXVII. *Calliſtus II ſolus Concilium Lateranenſe indixit, eique præfuit.*

CONcilium Lateranenſe primum, inter generalia Nonum, ſolius Calliſti II Romani Pontificis auctoritate convocatum probant, non ſolùm Calliſti verba mox à nobis relata, ex ejus Epiſtola ad Henricum Imperatorem, quæ incipit, *Omnipotenti Deo*, quæque extat Tomo X Concil. *Ut quia Concilium à nobis indictum accelerat*; &c. ſed etiam verba Simeonis Dunelmenſis ad annum 1122 in Hiſt. de Geſt. Reg. Angl. ſcribentis: *Hac concordia per gentes & populos ubique divulgata, mittuntur etiam li-*

Digitized by Google

literę ab Apoſtolico omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis per regiones & provincias, ut omni excuſatione poſtpoſita feſtinent occurrere ad Concilium, quod domnus Apoſtolicus Romę celebraturus erat XV Kal. Aprilis. Ipſi præfuit Calliſtus ipſe Pontifex Maximus. Conciliorum Oecumenicorum in Occidente celebratorum primum fuit; nonum inter OEcumenica numeratur, Lateranenſe appellatur à loco, in quo celebratum eſt, ſcilicet à Baſilica Lateranenſi, & hæc ſine controverſia.

XXVIII. *Quibus anno & die celebratum.*

Annum milleſimum centeſimum vigeſimum tertium, non verò antecedentem, Concilii celebrationi aſſignandum, præter Simeonem Dunelmenſem jam laudatum, Falco Beneventanus in Chronico nos docet his verbis: *Anno* 1123 *Dominicę Incarnationis, & quinto anno Pontificatûs domini Calliſti II Summi Pontificis, & univerſalis Papę, menſe Martio, primę indictionis.* Robertus item de Monte Concilium Romanum, quo controverſia de Inveſtituris compoſita eſt, quod certè aliud non eſt à Lateranenſi primo, anno milleſimo centeſimo vigeſimo tertio celebratum teſtatur: *Anno*, inquit, 1123 *Concilium Romę celebratur, pax inter Regnum & Sacerdotium reformatur, & jus Inveſtiturarum Epiſcopalium ab Imperatore infeſtucatur.* Anſelmus etiam Gemblacenſis in Chronico, paſſimque Scriptores, qui hoc ſæculo vixêre, iſtud Concilium cum anno 1123 illigant. Sed diem celebrati Concilii in Collectione Conciliorum omiſſum, & à paucis ex Antiquis memoratum, nobis conſervarunt Simeon Dunelmenſis laudatus, Chronographus Mailrocenſis, & Auctor Magni Chronici Belgici ex Bernardo Guidonis, qui omnes produnt Concilium habitum *XV Kalendas Aprilis*, ſeu die 18 menſis Martii, à quibus non diſſentit Landulphus apud Puricellum in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ num. 334, cùm ait, Synodum *in ſecunda feria*, ſeu die 19 Martii inchoatum, diebus enim dominicis preces de more habebantur in Conciliis generalibus, & prima ſeſſio die Lunæ inchoabatur, ut alibi diximus.

XXIX. *Numerus Patrum Concilio præſentium.*

Quoad Epiſcoporum numerum, qui Concilio interfuêre, Nangius in Chronico ait, *Concilium trecentorum aut amplius Epiſcoporum* fuiſſe; quod diu ante eum Sugerius Abbas San-Dionyſianus, qui Concilio interfuit, in Vita Ludovici VI Francorum Regis ſcripſerat: *A Domino Papa Calliſto*, inquit, *& tota Curia honorificè valde recepti per ſex menſes, cùm apud eum demorando magno Concilio trecentorum aut amplius Epiſcoporum Laterani compoſitioni pacis de querela Inveſtiturarum aſtitiſſemus.* Simeon itidem Dunelmenſis in Hiſtoria Concilium iſtud appellat *Concilium* 300 *Epiſcoporum*. Pandulphus in Vita Calliſti II numerans tum Pontifices, tum Abbates, qui Concilio adfuêre, ſcribit: *Nongentorum nonaginta ſeptem Epiſcoporum ſive Abbatum numero Lateranum Concilium celebravit, in quo vir Regali ſtirpe progenitus ferè jam deperditam mundo pacem reſtituit.* Sed annotator Baronii numeros in Pandulpho corruptos exiſtimat.

XXX. *Pacta inter Papam, & Imperatorem facta in eo confirmantur.*

Auditi ſunt in Concilio Henrici Imperatoris Legati, & pacta in Conventu Wormatienſi anno 1122 inter Eccleſiam Romanam & Imperium concordata, totius Synodi judicio confirmata ſunt: *Calliſtus Pontifex*, inquit Falco Beneventanus in Chronico, poſt verba mox laudata, *conſilio ſalutis accepto, Ultramontanos ferè omnes Epiſcopos, & Archiepiſcopos & Abbates, & totius, ut ita dicam, Italiæ Paſtores accerſiri præcepit, quatenus Sancta Synodali confabulatione firmata pactum cum Imperatore Henrico poſitum* (in eodem Conventu Wormatienſi) *perpetuò confirmaret. Ad cujus ſacri Conventûs præſentiam Rofridus Beneventanus Antiſtes honeſtè properavit. Ordinato itaque concilio tali ac tanto, Apoſtolicus ipſe Sacramenti privilegium, quod prædictus Imperator conſtituerat, pacis in conſpectu omnium, qui convenerant adduci & legi præcepit. Continuò ab omnibus confirmatum eſt, & commendatum.*

XXXI. *Tenor reſtitutionis Inveſtiturarum ab Henrico Imp. factæ.*

Reſtitutionis autem Inveſtiturarum ab eodem Imperatore in dicto Wormatienſi conventu factæ, & in hoc Concilio confirmatæ, tenor talis eſt: *Ego Henricus, Dei gratia, Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & domini Papæ Calliſti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo, & Sanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo, & Sanctæ Catholicę Eccleſię, omnem Inveſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis fieri electionem & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & Regalia Beati Petri, quę à principio hujus diſcordię uſque ad hodiernum diem, ſive temporibus patris mei, ſive etiam meo ablata ſunt, quę habeo, eidem Sanctę Romanę Eccleſię reſtituo; quę autem non habeo, ut reſtituantur fideliter adjuvabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum, & Principum, & aliorum tam Clericorum, quàm Laicorum, quæ in guerra iſta amiſſæ ſunt, conſilio Principum, vel juſtitia, quæ habeo, reddam, & quæ non habeo, ut eis reddantur fideliter juvabo. Et do veram pacem domino Papæ Calliſto, Sanctę Rom. Eccleſiæ, & omnibus, qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt. Et in quibus S. Rom. Eccleſia auxilium poſtulaverit fideliter juvabo; & in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam ſibi juſtitiam faciam.*

XXXII. *Tenor conceſſionis à Calliſto II PP. eidem Imp. factæ.*

Conceſſionis verò Calliſti Papæ Henrico Imperatori factæ hic eſt tenor: *Ego Calliſtus ſervus ſervorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Im-*

 pe-

peratori Auguſto, concedo electiones Epiſcoporum, & Abbatum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri, abſque Simonia & aliqua violentia: ut, ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Provincialium conſilio vel judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem Regalia per ſceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his jure tibi debet faciat. Ex aliis verò partibus Imperii conſecratus infra ſex menſes Regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, & auxilium poſtulaveris, ſecundùm officii mei debitum auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua ſunt, vel fuerunt tempore hujus diſcordiæ. Data anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo, nono Kalendas Octobris.

XXXIII. *Calliſtus PP. Henricum Imp. ab excommunicatione abſolvit.*

Decretis in Concilio hæc verba ſubnectit Simeon Dunelmenſis laudatus: *His Synodalibus decretis ſubſcriptis & confirmatis, Imperatorem per Legatos ſuos & ſcripta, ſecundùm præmiſſum ſcriptorum tenorem, promittentem ſe Sanctæ Romanæ Eccleſiæ juſta ſervaturum, generali Concilii ſententia ab excommunicationis abſolvit vinculo, quo in Remenſi Concilio fuerat ligatus.* Conſtat enim ex iis, quæ Baronius anno 1122 num. 6 & ſeq. refert, Henricum Imperatorem eo anno, quo pax in Vvormatienſi conventu conſtituta eſt, ab excommunicatione abſolutum non fuiſſe. *Ex hinc Eccleſia, libertate ad plenum reſtituta, paceque ad integrum reformata, in magnum montem creviſſe ſub Calliſto Papa II invenitur. Unde de ipſo Romæ ſcriptum eſt:*

Ecce Caliſtus honor patriæ, Decus Imperiale,
Burdinum nequam damnat, pacemque reformat.

inquit Otto Friſingenſis Chronicorum lib. 7 cap. 16; Burdinum enim non ſolùm in Concilio Remenſi, ſed & in iſto Lateranenſi generali damnatum eſſe quidam Scriptores aſſerunt. Hos verſus in parietibus cujuſdam cameræ ruinoſæ Lateranenſis palatii ſe vidiſſe ſcribit Onuphrius Panvinius in Epitome Pontificum Romanorum à S. Petro uſque ad Paulum IV. De eadem pace Gotfridus Viterbienſis Chronicorum parte 17 pag. 509 ita canit:

Reddit Apoſtolico Cæſar quæcumque rogavit,
Pax bona conficitur, ſublata Deo reparavit
Jura ſuę partis lætus uterque trahit.

Canones ſeptemdecim in Concilio Lateranenſi editos percurrit, & exponit Natalis Alexander Tomo VI novæ editionis Pariſienſis anno 1714 curatæ pag. 762 & ſeq.

XXXIV. *B. Oldegarium S. Sedis Legatum in Hiſpania creat.*

In canone undecimo Calliſtus Papa peccatorum remiſſionem concedit iis, *qui Jeroſolymitanum vel Hiſpanicum iter ſuſcipiunt* ad Chriſtianam gentem defendendam, & Infidelium tyrannidem debellandam. Ad cujus canonis illuſtrationem Annotator Baronii ad annum 1123 num. 6 obſervat, Diagum in Hiſtoria Comitum Barcinonenſium lib. 2 cap. 103 referre literas Calliſti II omnibus Epiſcopis, Regibus, & Principibus datas ſtatim poſt Concilium Lateranenſe, Principibus nempe Hiſpaniarum, quibus eis ſignificat, ſe omnibus, adversùs Paganos, Hiſpaniæ Eccleſias opprimentes militantibus, eandem peccatorum remiſſionem, quam Orientalis Eccleſiæ defenſoribus, concedere, ſubditque: *Verùm quia exercitum veſtrum per nos, ut deſideraremus, viſitare nequimus, chariſſimum fratrem noſtrum Oldegarium Tarraconenſem Archiepiſcopum, ad ipſum ex latere noſtro delegare curavimus, noſtras ei vices in hoc ſpecialiter committentes, ut ipſius conſilio & diſpoſitione corrigenda corrigantur, & confirmanda, cooperante Domino, confirmentur. Si quæ verò dubia in exercitu eodem emerſerint, ipſius experientia terminentur.* In fine legitur: *Dat. Laterani IV Non. Aprilis*, paucis ſcilicet diebus poſt celebratum Concilium Lateranenſe, neque enim annus in iis legitur. Eas literas recitat etiam Bollandus ad diem 6 Martii in Vita B. Oldegarii.

XXXV. *Tertiò Beneventum petit.*

Cùm ſimonia per hæc tempora maximè graſſaretur, in primo canone Lateranenſis Concilii ſimoniacæ ordinationes, & promotiones modis omnibus prohibitæ ſunt. Audiendus Falco in Chronico Beneventano, qui poſtquam de Concilio Lateranenſi primo ſermonem habuit, ſubjungit: *Concilio celebrato Beneventum venit prædictus Apoſtolicus Calliſtus, & quædam negotia Beneventanorum tractavit.* Et paulò poſt: *Cùmque prædictus Pontifex Calliſtus Beneventum veniſſet, vocari fecit præfatum Rofridum Archiepiſcopum, ut audiret quorundam civium accuſationes, quæ ei inferebantur; accuſatus enim fuerat, quòd ſimoniacè Archiepiſcopatûs honorem accepiſſet. Tunc Præſul ipſe vocatis quibuſdam ſuffraganeis ſuis, & presbyteris civitatis ſacrum aſcendit palatium, & accuſatoribus auditis, inducias poſtulavit, & acceptis induciis reſpondit: Paratus ſum, Pater Sanctiſſime, juxtà Canonica inſtituta ab his purgari accuſationibus, & veſtram ſequi juſſionem. Tandem juravit ipſe primùm cum duobus Epiſcopis, & tribus Presbyteris ſimoniacè non fuiſſe ingreſſum.* Quæ dicta ſint ad illuſtrationem primi Canonis Concilii Lateranenſis.

XXXVI. *Compoſtellam metropolica dignitate auget.*

Alphonſus VII Caſtellæ Rex in charta anno 1129 quinto Idus Aprilis ſcripta, ait Calliſtum II Patruum ſuum dignitatem Archiepiſcopatûs Emeritenſis Eccleſiæ in Compoſtellanam tranſtuliſſe; ſed cùm an-

num

num, quo id factum eſt, in ea non expreſſerit, Sandovallius in Alphonſo VII hanc erectionem Eccleſiæ ſancti Jacobi in Metropolim cum anno 1125 copulat. Verùm, cùm ex dicendis Calliſtus II anno 1124 obierit, Baronio ſtandum eſt, qui ex veteri codice de Romanis Pontificibus ab Auctore hujus temporis ſcripto refert, Calliſtum Papam Romam Benevento, anno 1123 reverſum, Compoſtellanum Epiſcopum, pro reverentia corporis B. Apoſtoli Jacobi, quod ibi repoſitum eſſe dignoſcitur, de novo Metropolitanum conſtituiſſe, eique ſubjeciſſe totam illam provinciam, tunc ob Saracenorum invaſionem penitus deſolatam. Calliſtus II Eccleſiæ ſancti Jacobi antiqua jura, eoſdemque ſuffraganeos attribuit, qui antiquæ Metropoli Emeritenſi, cujus Epiſcopus Primas erat Luſitaniæ, aliàs attributi fuerant; ſed id fecit ſine præjudicio Eccleſiæ Bracarenſis, ut conſtat ex Reſcripto, quod idem Pontifex dedit in ejus gratiam, eodem tempore, quo Compoſtellæ Metropolicum jus attribuit. Nam volens Calliſtus Eccleſiam ſancti Jacobi, ſine præjudicio Bracarenſis, jure & majeſtate augere, contulit in Compoſtellanam, à nullo Metropolita dependentem, jura Metropolis Emeritenſis devaſtatæ, & quæ jam diu ſine titularibus, ſine Eccleſiis, & ſine Epiſcopis erat. Sed reſervavit in antiqua Luſitania Metropoli Bracarenſi Eccleſias Conimbriæ, Lameci, Egitaniæ, Viſei, & Britoniæ in veteri Emeritenſis Eccleſiæ diſtrictu poſitas; & quod rarius factum, Epiſcopatus antiquæ provinciæ Emeritenſis dedit Præſuli, qui nunquam Metropolita fuerat, & cujus Eccleſia continebatur limitibus alterius provinciæ, Bracarenſis ſcilicet, aut Galiciæ.

XXXVII. *S. Ottonem Epiſc. Bamberg. ad Pomeranorum converſionem mittit.*

Anno milleſimo centeſimo vigeſimo quarto Otto, quem ſuperiùs diximus à Paſchali II Epiſcopum Bambergenſem conſecratum, jam ante à Boleſlao Polonorum Duce invitatus ad converſionem Pomeranorum adhuc paganorum, impetrato à Calliſto Papa ad illam gentem Apoſtolatu, eandem prædicatione verbi Dei ad Chriſtianam fidem convertit, meruitque dici Apoſtolus Pomeranorum. Quomodo autem id conſecutus ſit, pluribus narrat Auctor Anonymus, qui Vitam ejus ſcripſit, quæ extat apud Caniſium Tomo 2 Antiq. Lect. quamque non multò poſt hujus ſancti Præſulis mortem literis mandavit. Quod verò Urſpergenſis Abbas ejuſdem Ottonis ſubditus, illum anno 1124 à Calliſto Papa ejuſmodi Apoſtolatum ſuſcepiſſe affirmat, Auctor verò ille Anonymus Vitæ ſancti Ottonis totum id tribuit Calliſti II ſucceſſori Honorio II; potuit facilè eveniſſe, ut quod à Calliſto II conceſſum fuiſſet, id ipſum per ejus ſucceſſorem Honorium II voluerit confirmari, ut ſcribit Baronius ad annum 1124.

XXXVIII. *VVillelmi filii Roberti Normanniæ Comitis conjugium reprobat.*

Eodem anno milleſimo centeſimo vigeſimo quarto, cùm Willelmus filius Roberti Comitis Normannorum fratris Henrici Angliæ Regis, Fulconis Andegavenſis Comitis filiam, uxorem duxiſſet, Calliſtus Pontifex *poſt ſuſceptam idoneorum teſtium de parentela probationem, ubicumque Guillelmus filius Roberti Comitis fuerit, prohibuit officia celebrari, niſi utique ad datum à ſe terminum conjugium idem diſſolverit*, ut inquit ipſemet Calliſtus in literis, datis *Laterani 7 Kalendas Septembr.* Tomo 3 Spicilegii Dacheriani pag. 148 relatis, in quibus aſſerit, ſe cauſam illam Joanni Presbytero Cardinali commiſiſſe finiendam. Sed cùm Calliſtus hoc eodem anno 1124 obiiſset, hæc cauſa agitata eſt anno ſequenti ſub Honorio II ejus ſucceſſore, ut ibidem dicetur.

XXXIX. *Ex hac vita migrat.*

Calliſtum Papam menſe Decembri anni milleſimi centeſimi vigeſimi quarti ex hac vita migraſſe, conveniunt omnes, ſed de die difficultas eſt, quam pluribus explicat Annotator Baronii ad eundem Chriſti annum, oſtenditque, diem decimum tertium Decembris ejus morti aſſignandum. Sedit enim *annos V, menſes decem, & dies duodecim*, ut legitur in duobus Catalogis Criticæ Baronianæ Tomo primo præfixis, excludendo ſcilicet à præfata enumeratione diem mortis Calliſti, quem diem Martinus Polonus in Chronico, & Auctor Magni Chronici Belgici, ex Bernardo Guidonis includunt, ſcribentes, Calliſtum ſediſſe *annos V, menſes decem, & dies tredecim*. Idem etiam de menſibus ac diebus habent Matthæus Pariſius in Chronico, Sigonius lib. 10 de Regno Italiæ, & Onuphrius Panvinius in Chronico, qui tradunt Calliſtum *Kalendis Februarii* anni 1119 electum Pontificem, & *Idibus Decembris* anni 1124 demortuum. *Sepultus eſt Laterani juxta Dominum Paſchalem*, inquit Pandulphus in ejus Vita.

XL. *Ejus memoria, & ſcripta.*

Nunquam abſque donis Eccleſiam B. Petri ingreſſum eſſe Calliſtum Papam, nec Miſſam inibi, niſi aſſignato dono celebraſſe, refert Baronius ex eodem Pandulpho, ſicuti & eum Romam aquæductibus ornaſſe, & diverſas Eccleſias illuſtraſſe, poſt quæ ſubdit, ejus memoriam ſumma cum benedictione in Eccleſia Catholica perſeverare, utpotè ſanctiſſimi Pontificis, cui Deus dederit, brevis licèt temporis Pontificatu, adeò glorioſa peragere, & prædeceſſoribus inconceſſa perficere, necnon Eccleſiam, ſervitutis jugo depreſſam, vindicare in priſtinam libertatem. In Martyrologio Gallicano Andreæ du Sauſſay his verbis celebratur: *Romæ depoſitio beatæ memoriæ Calliſti Papæ II ex Archiepiſcopo Viennenſi, qui pacem cum Henrico V Imperatore*

Digitized by Google

SÆC. XII. CALLISTUS II.

Eccleſię infeſtiſſimo feliciter compoſuit, virque planè Apoſtolicus cùm eſſet, virtutibus atque miraculorum ſignis enituit. Varia ſcripſit Calliſtus II Opuſcula, libros ſcilicet *de Miraculis S. Jacobi*, qui MSS. extant Oxoniæ, & Cantabrigiæ, de quibus etiam in Speculo Hiſtoriali Vincentii Bellovacenſis lib. 26 à cap. 30 ad 42. *Super tranſlatione ejuſdem* librum, qui aſſervatur Cantabrigiæ. *De obitu & vita ſanctorum.* Librum *de Inventione corporis Turpini Archiepiſcopi, & martyris.* Item *Vitam Caroli Magni Imperatoris* ex Ludovico Golluto lib. 5 Hiſtoriæ Sequanorum. *De Contractibus illicitis* ex Bibliotheca materiarum Molani. Epiſtolas denique ad diverſos, quarum 35 extant Tomo X Concil. aliæ V apud Baluzium Tomo 2 Miſcellaneorum pag. 192, & una Tomo 3 Spicilegii Dacheriani pag. 148.

SÆC. XII. CALLISTUS II.

HONORIUS II *Pontif. CLXIII.*

Anno Domini MCXXIV.

I. *Honorius II inthronizatur Pont. Rom.*

HOnorius hujus nominis II patria Bononienſis, antea dictus Lambertus, Epiſcopus Oſtienſis, poſt ſeptem dies à morte Calliſti II, ideoque die vigeſima prima menſis Decembris ejuſdem anni milleſimi centeſimi vigeſimi quarti, electus & coronatus eſt Romanus Pontifex; cujus electionem breviter, ſed accuratè narrat Ceccanus in Chronico; ubi poſtquam dixit, Calliſtum demortuum, ſeu ſepultum 19 Kalendas Ianuarii, ſubdit: *Conſenſu omnium Clericorum Romanorum poſt ſeptem dies, ordinaverunt Lambertum Oſtienſem Epiſcopum in Honorium Papam.* Lambertus itaque Oſtienſis Epiſcopus, *de mediocri plebe comitatûs Bononienſium genitus bene tamen litteratus*, ut ait Pandulphus in ejus Vita, electus & inthronizatus eſt Romanus Pontifex, die 21 Decembris, qui anno 1124 cum Dominica concurrebat. Sed quia ante conſtitutum electioni diem, violenter potius intruſus, quâm legitimè electus videbatur, contra Theobaldum Cardinalem Presbyterum S. Anaſtaſiæ, qui ante eum electus Celeſtinus dictus fuerat, licet hic eodem, quo electus eſt, die ſe abdicaverit, ut conſtat ex Pandulpho in ejuſdem Honorii Vita, ſponte Pontificatum abdicavit, & liberè ac canonicè à Cardinalibus aſſumptus eſt in Romanum Pontificem, quod Baronius ex codice Vaticano ſic diſtinctius explicat: *Sed quia electio Honorii minus canonicè proceſſerat, poſt ſeptem dies* (numerandos à morte, vel ſepultura Calliſti II, in quo hic Codex convenit cum Ceccano laudato) *in conſpectu fratrum ſpontè mitram, & mantum refutavit, atque depoſuit; fratres, tum Epiſcopi, quàm Presbyteri, & Diaconi Cardinales, videntes ipſius humilitatem, proſpicientes in poſterum, ne in Romanam Eccleſiam aliquam inducerent novitatem, quod perperam factum fuerat, in melius reformarunt: & eundem denuò advocantes, ad ejus veſtigia procidèrunt, & tanquam Paſtori ſuo & univerſali Papæ conſuetam obedientiam exhibuerunt*, die nempè vigeſima prima Decembris, ut ex Ceccano diximus.

II. *Ejus patria, & primordia ante Pontificatum.*

Honorium fuiſſe patria Bononienſem, Epiſcopum Velitrenſem, ac tandem Epiſcopum Oſtienſem, disertè aſſerit Pandulphus in ejus Vita: *Lambertus Oſtienſis Epiſcopus*, inquit, *de mediocri plebe comitatûs Bononienſis genitus, benè tamen litteratus, à domino Papa Paſchali receptus eſt, & in Epiſcopum Velitrenſem promotus.* A' quo Pontifice dictus fuerit Epiſcopus Oſtienſis non refert Pandulphus; ſed cùm ex dictis conſtet, eum ut Epiſcopum Oſtienſem conſecraſſe Cajetæ Gelaſium II, conſtat pariter ejus promotionem ad Epiſcopatum Oſtienſem, factam eſſe ab eodem Paſchali II. Conſecravit etiam Calliſtum II, à quo Legatus in Germaniam ad Henricum Imperatorem, negotium pacis feliciter abſolvit, & reſtitutionem ab Henrico factam de Inveſtituris per annulum & virgam Romam reportavit, tandemque Calliſto II mortuo ſubrogatus eſt.

III. *Confirmat diſſolutionem matrimonii Willelmi filii Roberti Comitis Normanniæ.*

Calliſtus II paulò ante mortem reprobarat conjugium Willelmi filii Roberti Comitis Normanniæ cum filia Fulconis Comitis Andegavenſium, ut diximus in ejus Pontificatu, & cauſam illam Joanni Cremenſi Presbytero Cardinali, quem Legatum in Angliam mittebat, commiſit. Sed cùm interim Calliſtus II obiiſſet menſe Decembri anni 1124, Honorius II ejus ſucceſſor, Literis *Laterani* anno 1125 *pridie Idus Aprilis* datis, & Tomo 3 Spicilegii Dacheriani relatis, ſcripſit ad Canonicos Eccleſiæ Turonenſis, Willelmum poſt diſſolutum à Joanne Cardinali Presbytero, Apoſtolicæ Sedis Legato, illicitum illud matrimonium, non ſolùm non paruiſſe, ſed Legati nuncios ad eum directos cepiſſe, *in arcta cuſtodia per duas ſeptimanas* retinuiſſe, *barbas eorum & capillos flammis* exuſſiſſe, *& literas in conſpectu hominum ſub dio cremare* præſumpſiſſe. Quare Honorius Canonicos Turonenſes monet, ſe excommunicationem in perſonam ejus, & interdictionem in propriam

priam Comitis terram à ſuo Legato latas confirmare. Sed Vuillelmum mandatis Apoſtolicis paruiſſe, ex eo conſtat, quòd anno 1127, teſte Orderico Vitali lib. 12, Joannam filiam Rainerii Comitis, ſeu Marchionis Montisferrati, & ſororem uterinam Adelaidis Francorum Reginæ uxorem duxerit; Gilla enim, ſeu Guilla Burgunda, Calliſti II Pontificis ſoror, ex Humberto II Comite Maurianenſi, ſeu Sabaudiæ, Adelaidem ſuſceperat, Ludovico Craſſo Francorum Regi nuptam, & ex Rainerio Comite ſeu Marchione Montisferrati Joannam ſuſceperat, quam Vuillelmus Roberti Normannorum Comitis filius menſe Januario anni 1127 uxorem accepit.

IV. *Tumultus à Pontio olim Abb. Cluniaci excitatos repreſſit.*

In Chronico Cluniacenſi legitur anno Domini 1122 Pontium Abbatem Cluniacenſem *pro quibuſdam negotiis hujus Eccleſiæ agendis Apoſtolicam Sedem* adiiſſe, *in manu domini Calliſti II Papæ Abbatiam Cluniacenſem ſponte* reſignaſſe, *& Jeroſolymam* devotum petiiſſe. Hugo ſecundus, Prior Sanctimonialium de Marcigniaco, ei in Abbatiam ſubſtitutus obiit VIII Idus Julii, poſtquam per tres tantùm menſes monaſterium rexiſſet. Poſt quem Petrus primus, Abbas nonus Cluniacenſis electus eſt, *in Octavis Aſſumptionis B. Dei genitricis Mariæ*. Hic cognominatus fuit *Venerabilis*, ex nobiliſſimis Arverniæ Magnatibus originem ducens. Sed *biennii nondum tempore emenſo*, inquit Gaufredus Prior Voſienſis Auctor æqualis in Chronico, Pontius ab Jeroſolymis rediens, expetiit Cluniacum, ubi, teſte ipſo Petro Venerabili lib. 2 de Miraculis cap. 13, cui ſuffragatur Ordericus lib. 12 pag. 871, Cluniacenſes armata manu invaſit, & plurimis injuriis affecit. Quibus compertis Honorius II, miſſo de latere ſuo Legato, domino ſcilicet Petro Cardinali, Pontium, & Pontianos, qui tunc ſic vocabantur, omnes adjuncto ſibi Lugdunenſi Primate Hubaldo, terribili anathemate condemnavit. Pontium protinus acceſſiit Honorius II, & ad examen Apoſtolicæ Sedis adſtare præcepit rationem redditurus. At ille Romam veniens, Papam adire diſtulit, dieque denominato ad placitum ſummonitus venire renuit. Romanus igitur Pontifex Petrum Venerabilem Abbatem, jam ab anno 1122 conſtitutum, cum apicibus Apoſtolicis & dignitatibus Cluniacum deſtinavit, Monachiſque, ut in omnibus ei obſequerentur, mandavit. Contemptorem verò Pontium comprehendit, & in carcerem retruſit, qui non multò poſt mœrore affectus ægrotavit, & Romæ vitam finivit. *Juſſu Apoſtolici*, inquit Gaufredus Voſienſis laudatus, *Pontius frater Comitis de Melgoire ſine audientia captus, in turre, quæ dicitur ad ſeptem ſalas, uſque ad obitum, videlicet V Kalendas Januarii* anni 1126 *in cuſtodia tentus eſt. Sepultus verò eſt quaſi pauper, imò captivus apud Sanctam Andream*. Pontius itaque, ut id obiter notem, Romæ mortuus eſt, quod etiam ſcribit Petrus Venerabilis, & indicat ipſe Honorius Papa in Epiſtola ad Petrum Venerabilem apud Baronium anno 1126, & Tomo X Concil. Nutat igitur fides Martyrologii Benedictini, in quo ad IV Kalendas Januarias, ut videre eſt in Bibliotheca Cluniacenſi pag. 558, legitur: *In monaſterio Cluniacenſi depoſitio Sancti Pontii Abbatis doctrina ac ſanctitate clari*.

V. *Legatos mittit pro electione novi Germaniæ Regis.*

Henrico Imperatore hujus nominis V, die X Kalendarum Junii anni milleſimi centeſimi vigeſimi quinti ſine prole mortuo, tractatum eſt de electione Imperatoris, & electus eſt Lotharius Saxoniæ Dux. Sed cùm Conradus Dux Franconiæ, & Fridericus Alemanniæ, ſeu Sueviæ Dux, fratres, Agnetis ſororis Henrici Imperatoris demortui filii ad imperium aſpirarent, *dum ſe viderent opprimi, in quantum poterant reniti conabantur*, inquit Otto Friſingenſis lib. 7, cap. 17, *ob quam cauſam à Summo Pontifice Honorio, qui Calliſto ſucceſſerat, excommunicantur*. Hic porrò obſervandum Ottonem Friſingenſem, eorumdem Conradi & Friderici fuiſſe uterinum fratrem, utpote natum ex eadem Agnete, ſecundis nuptiis juncta Sancto Leopoldo hujus nominis IV Auſtriæ Marchioni, cùm antea nupſiſſet cuidam Friderico nobili de Stophen, ex quo dictos Conradum & Fridericum ſuſceperat. Ad Conventum autem pro electione novi Regis Germaniæ Honorius Pontifex duos Legatos miſerat; Robertus enim de Monte, qui Henrici mortem & Lotharii electionem malè cum anno 1126 copulat, ſcribit: *Menſe Auguſto Legati Apoſtolicæ Sedis, & Archiepiſcopi cum Epiſcopis & Optimatibus Imperii ex condicto convenientes Moguntiæ conſultant ſibi & toti Romano Imperio de ſubſtituendo Rege*, & poſtea refert electionem Lotharii, ejuſque unctionem factam in præſentia eorumdem Legatorum Aquiſgrani à Friderico Archipræſule Colonienſi *dominica die Idus Decembris*, ut ipſe ait; ex quo charactere evincitur, eum malè copulaſſe mortem Henrici, & electionem Lotharii cum anno 1126, quo dies decimus tertius Septembris concurrebat cum die Lunæ. Illos duos Legatos fuiſſe *Eurardum & Romanum* ſcribit Anſelmus Gemblacenſis. Eurardi nulla apud Ciaconium mentio; utrùm autem Romanus fuerit ille, qui à Paſchali II Cardinalis S. Mariæ in porticu dictus eſt, vel iſte Romanus Presbyter Cardinalis Sanctæ Priſcæ, qui apud Ughellum Tomo I. Italiæ Sacræ ſubſcripſit diplomati à Paſchali II dato Laterani V Kalend. Martii anni

1115

1115, me latet, & Anſelmus Gemblacenſis ad manum non eſt.

VI. *In Angliam & Scotiam Legatum item dirigit.*

Eodem anno milleſimo centeſimo vigeſimo quinto idem Pontifex Honorius II Joannem Cremenſem Presbyterum Cardinalem Tituli Sancti Chryſogoni, Britanniæ & Scotiæ Legatum dixit, qui menſe Septembri ejuſdem anni Londoniæ Concilium celebravit. *Joannes Cremenſis*, inquit Simeon Dunelmenſis in Hiſt. de Geſt. Reg. Angl. ad annum 1125 *accepta ab Apoſtolico ſuper Britanniam legatione, cum diu in Normannia retentus eſſet à Rege, tandem permiſſus in Angliam tranſvehitur, & ab Eccleſiis honorificè excipitur.* Refert poſtea Dunelmenſis literas eidem Cardinali ab Honorio II ſcriptas *Laterani Idibus Aprilis*, in quibus ait, ſe illi committere curam & ſolicitudinem eidem à Calliſto II Papa in Angliæ regno commiſſam. Recitat & alias ejuſdem Pontificis literas tam Epiſcopis, quàm laicis per Angliam conſtitutis, *Laterani II Idus Aprilis* datas, quibus monet & præcipit, *ut eum tanquam Sancti Petri Vicarium reverenter* ſuſcipiant. Super Scotiæ quoque regnum idem Cardinalis Legati ſuſcepit officium. Eam in rem Honorius Papa eodem tempore, ſcilicet *Idibus Aprilis* literas dedit ad Davidem Scotorum Regem, cui rogando mandat, ut Epiſcopos terræ ſuæ, cùm à Joanne Legato *vocati fuerint, ad Concilium ſuum* faciat *convenire*. Poſt hæc Dunelmenſis ſubdit: *Hac auctoritate Joannes prædictus circuiens Angliam, etiam ad Regem Scotorum pervenit apud fluvium Tuvedam, qui Northimbriam & Lodam diſterminat, in loco, qui Rochesburch nominatur. Ubi officio legationis peracto, rediens apud Londoniam celebravit Concilium.* Ei præfuit Joannes Legatus, eique interfuêre Turſtanus Eboracenſis & Vvillelmus Cantuarienſis Archiepiſcopi, Epiſcopi XX, & Abbates circiter XL. In eo condita capitula numero XVII pro reformandis pravis Eccleſiæ moribus. His decreto Synodali firmatis, Joannes Cremenſis Legatus Romam reverſus eſt. Porrò in Simeone Dunelmenſi, ubi Concilium illud habitum dicitur *anno XXV Henrici Anglorum Regis, menſe Septembri nona die ejuſdem menſis, & anno ab Incarnat. Dom.* 1126, legendum, anno 1125, & 26 Henrici Anglorum Regis; nam prætorquamquod ibidem dicitur congregatum *Pontificatûs domni Papæ Honorii II anno primo*, qui definit menſe Decembri anni 1125; Annaliſta Mailroſenſis, Henricus Huntindonienſis in Hiſt. & Novus Chronographus Saxo illud Concilium cum anno 1125 copularunt; & hic ultimus addit, illud tres dies integros duraſſe, in eoque ſancitos eoſdem canones, quos Sanctus Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis olim ſanxerat, alioſque multos, verùm illos haud diu manſiſſe.

VII. *Rogerius Siciliæ Comes Apuliam invadit.*

Cùm Vvillelmus Apuliæ Dux ſeptimo Kalendas Auguſti anni milleſimi centeſimi vigeſimi ſeptimi obiiſſet, ut ſcribit Falco in Chronico, Rogerius Siciliæ Comes Salernum navali itinere petiit, & Legatos ad Salernitanos miſit, à quibus poſt plura colloquia receptus eſt. *Amalfitani deinde videntes, Salernitanos Comiti colla ſubdidiſſe, & ipſi itidem ei, retentis munitionibus ſubjiciuntur*, inquit Alexander Abbas Celeſini monaſterii, qui vivebat adhuc anno 1154, in libris complectentibus res geſtas hujus Rogerii poſtea Siciliæ Regis. Falco verò Beneventanus, in Chronico, ait: *His & aliis ita decurſis univerſum Ducatum Amalphitanorum circumquaque Comes ille ſuæ ſubjugavit poteſtati, & inde procedens Trojanam civitatem, & Melphitanam, & totius ferè Apuliæ partes obtinuit ...... Quibus peractis victor & exultans Siciliam repedavit.*

VIII. *Ab Honorio PP. excommunicatur.*

Antequam Rogerius Comes in Siciliam rediret, Honorius II audita morte Willelmi Ducis, & motibus à Rogerio excitatis, Beneventum protinus perrexit, & Rogerium Comitem anathemate perculit; idem enim Alexander Abbas ſcribit: *Per idem tempus Romanæ Eccleſiæ Pontificium Honorius Papa II adminiſtrabat, qui Romæ obitum Guillelmi Ducis percipiens, necnon Sicilienſium Comitem Ducale jam ambire regimen cognoſcens, doluit valde: atque ſine dilatione Urbem egreſſus, Beneventum properat. Deinde Miſſarum celebrans ſolemnia ipſum publica voce anathematis jaculo perculit, ſi Ducale obtinere culmen ulterius conaretur, vel quiſquis ei ad nanciſcendum, conſilium, auxiliumve tribueret.... Verùm Rogerius Salerni commorans, cùm audiſſet, quòd Papa Beneventum veniſſet, atque in ſe excommunicationis intorſiſſet jaculum, miſit ad eum orans, ut non ab Eccleſia Dominatum, Ducalemque honorem generis jure ſibi competentem conſcendere prohiberetur. Nam, & prout æquitas imperaret, de ejuſdem Ducatûs libenter ipſe obſecundaturus eſſet.*

IX. *Muneribus flectere non poteſt Pontificem.*

Non ſolùm Legatos, ſed & munera ad Honorium Papam miſit Rogerius, ut eum flecteret, ut narrat Falco Beneventanus in Chronico: *Miſit præterea*, inquit, *Domino Papæ Honorio munera multa auri, & argenti, pollicitando etiam urbem Trojanam, & Montem Fuſcum, ut Ducatûs ei vexillum, & nomen largiretur, quod nunquam tempore illo prædictus Papa Honorius ei concedere dignatus eſt.* Imò cum Trojam perrexiſſet, in Concilio ibidem celebrato, Rogerium iterum excommunicationis vinculo innodavit: *Nec mora*, inquit Alexander Abbas laudatus, *præfatus Apoſtolicus Bene-*

ven-

Digitized by Google

ventum repedat, ibique non longa intercedente mora rurſus Trojam revertitur, qui ibidem Epiſcoporum celebrans Concilium, Rogerium iterum, vel quiſquis ei ad adipiſcendum Ducatum conſenſurus, ſeu opem collaturus eſſet, ab Eccleſia excommunicando eliminavit: cùmque his peractis denuò Beneventum remeaſſet, Rogerius rurſus legatione ad eum directa ſimpliciter precatur, quatenus anathematis ſententia remota, Ducalique ſibi dignitate conceſſa, ſervitium ejus ſuſciperet. At ille rurſus in eodem ipſo, quo ſupra, immobili mente perſiſtens, petitioni ſuę nullatenus acquievit, Sed Capuam perrexit. Quare Rogerius Honorii Papæ inflexibilem animum videns, in Siciliam rediit, ut militem colligeret, armiſque adipiſceretur, quod humilibus verbis obtinere non poterat. Cujus abſceſſu cognito, Papa & ipſe quantocyus potuit, Romam repetiit, ut inde bellicam aciem ducens, Rogerio obſiſtere poſſet, ſi cum hoſtili manu Ducatum invaſurus fortè rediret.

X. *Honorius Pp. Rogerio Apuliam jure negat.*

Sed hìc obſervandum venit, Honorium Papam jure merito Apuliæ Ducis titulum Rogerio Comiti denegaſſe: Nam Gualterius Archidiaconus Eccleſiæ Taruanenſis, ſeu Morinorum in Vita B. Caroli Boni Comitis Flandriæ, quam proximis poſt ejus martyrium menſibus, quod anno 1127 contigit, in lucem edidit, & Bollandus ad diem ſecundum menſis Martii recitat, cap. 2, narrans Guillelmi Apuliæ Ducis mortem, ſcribit: *Qui ut ſe periclitari cognovit, Salernitanum Archiepiſcopum, & Trojanum Epiſcopum advocavit, atque quod antea, dum incolumis eſſet, fecerat, eorum quoque teſtimonio deſiderans confirmari, quidquid mobilium vel immobilium in terra poſſidere videbatur, beato Apoſtolorum Principi Petro, ejuſque Vicario ſanctiſſimo Papę Honorio, ex cujus ore ſacro hoc ipſum frequenter audivi, jure perpetuo poſſidendum delegavit, ac deinde in confeſſione Domini ab hac luce migravit.*

XI. *Cum copiis contra Rogerium pergit.*

Honorius itaque Pontifex exeunte menſe Januario anni milleſimi centeſimi vigeſimi octavi Romam reverſus eſt, ubi cùm accepiſſet, Rogerium Comitem in Apuliam cum immenſo exercitu perrexiſſe, & terras Boamundi ac Tancredi fidelium Apoſtolicæ Sedi ex parte jam occupaſſe, cum militibus fermè trecentis revertitur, mandatque Roberto Capuæ Principi, ceteriſque per Apuliam Principibus, ut militaribus collectis agminibus, ſecum hoſti Rogerio jam imminenti armis obviaturi procederent. Rogerius movens ſe ad fluvium Bradanum caſtra figi præcepit. Papa verò cum ſuis omnibus appropinquat intantum, ut medius fluvius inter eos ipſe difflueret. Verùm Rogerius cùm percepiſſet dominum Papam expeditioni illi intereſſe, reverentiam ita illi exhibebat, ut vitaret eum contingere, ne contra Deum, ſpreto ipſius Vicario, repugnare videretur. Quin etiam legatione ad eum ſemel ac iterum facta flagitavit, ut ſibi anathematis vinculo abſoluto, Ducatum etiam jure generis debitum liceret accipere. Hæc ſummariè ex Alexandro Abbate laudato; hiſque ſimilia refert Falco in Chronico, ſed cum quibuſdam circumſtantiis diverſis: ait enim Rogerium videntem Honorium Papam cum exercitu valido venientem, in montana ſeceſſiſſe, & devitaſſe eum, ne aliquo modo, aliquid ſiniſtrum ei contingeret; *& ſic*, inquit, *per quadraginta dies Apoſtolicus ille ardenti ſole menſis Julii fatigatus Comitem illum obſedit*.

XII. *Rogerium Apuliæ Ducem creat.*

Sed cùm Magnates Roberti Principis Capuani ſumptuum ſtipendiis deficientes, & chlamydes ſuas diſtrahentes cibum mercari compellerentur, quidam eorum inediam non ultra ferentes, latenter recederent, & militum murmur inſtaret, eò quòd multum temporis militare ſuſtinentes exercitium, egeſtatem pati cogerentur; tandemque Robertus Capuanus Princeps, quia delicatus, laborem ſuſtinere non valens, à fidelitate Honorii Papæ declinaret, & tentoria ſua amoveri feciſſet, ac iter arripere conaretur, Apoſtolicus Honorius Principis Capuani fraudem, & aliorum Baronum deprehendens, pactis intervenientibus, prædicto Comiti Rogerio per Haymericum Cancellarium, Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ Novæ, Ducatum ſe daturum promiſit, *ita tamen, ut prius Beneventum petens, ſuum ibi hominium ſubderet, ſicque poſtea ipſum à ſe Ducatum acciperet*, inquit Alexander Abbas, qui poſtea ſubdit: *Cùm ergo Præſul* (ſcilicet Honorius) *Beneventum rediiſſet, ecce Rogerius adveniens, in montem ſancti Felicis haud longè à Benevento poſitum, aſcendit. Militari quidem cuneo in devexum ejuſdem collocato montis. Poſt diem verò tertium præfatus Pontifex ab eo accitus paululum ab urbe progreditur; ipſiuſque, ut moris eſt, hominio ſuſcepto, cum vexillo Ducale eidem tradidit regimen. At Rogerius Apoſtolica roboratione Dux conſtitutus, ſecundùm quod jam inter ſe propoſitum fuerat, ſacramentum fidelitatis ei per omnia ſervandum exhibuit; quibus peractis Papa ad palatium revertitur*. Hujus cæremoniæ diem determinatè notavit Falco, *octavam*, nempè *Aſſumptionis ſanctæ Mariæ*, & poſtea ſubdit: *Ducatu accepto Dux ille ſacramento juravit, non eſſe in facto, vel conſenſu, ut B. Petrus & Dominus Papa Honorius, ejuſquè ſucceſſores Catholici civitatem Beneventanam perdant, & principatum Capuanum non capiat, vel permittat ad capiendum.*

XIII. *Gerardum Cardinalem Beneventi præficit.*

Honorius Papa poſt datam Rogerio Duca-

SÆC. XI HONORIUS II.

Ducatûs Apuliæ inveſtituram, diu Beneventi non remanſit, Romamque rediit, quò antequam adventaret, civitas Beneventana magna ſeditione turbata fuit. *Diebus autem non multis elapſis*, ait Falco, *prædictus Pontifex Honorius conſilio accepto Romam reverſus eſt. Sed priuſquam Urbem Romam ingrederetur, pars quædam Beneventanorum ſecunda die ſtante menſis Septembris Guillelmum tunc Beneventanum Rectorem in ſacro Palatio Beneventano gladiis eductis occidit.* Et poſt pauca: *Audiens autem prædictus Pontifex mortem Rectoris illius ſic contigiſſe, dolore turbatus valdè, civitati Beneventanæ minatur ultionem pro tali facinore inſectari. Continuò, conſilio accepto, miſerunt ad prædictum Pontificem Legatos, qui dicerent mortem Rectoris per ſtultos viros, & iniquos adveniſſe, rogantes, ut Rectorem idoneum mitteret, ut pacem donaret Beneventanis. Pontifex autem, conſilio accepto, dominum Girardum Cardinalem Rectorem nobis mandavit.* Utrum Geraldus Cardinalis, ſit Gerardus Caccianimicius Presbyter Cardinalis ſanctæ Crucis in Jeruſalem, poſtea Pontifex Maximus ſub Lucii II nomine, qui ex Baronio anno 1132 ab Innocentio II miſſus eſt, ut Beneventanis præeſſet; vel Gerardus Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Septiſolio, qui poſtea Presbyter Cardinalis SS. Aquilæ & Priſcæ à Calliſto II creatus, Honorii II electioni interfuerat, aliis examinandum relinquo.

XIV. *Patriarchas Aquilejenſem, & Venetiarum depoſuit.*

In veteri Pontificali à Baronio laudato dicitur, Honorium Papam eodem anno 1128 Petrum Presbyterum Cardinalem Tituli ſanctæ Anaſtaſiæ Ravennam miſiſſe, ubi congregata Synodo depoſuit Aquilejenſem, & Venetiarum Patriarchas, additque ſe non inveniſſe, quæ cauſa interceſſerit horum condemnationis. Sed cauſam depoſitionis horum duorum Patriarcharum eruit Annotator Baronii ex Bernardo Guidonis, qui in Magno Chronico Belgico de Honorio II verba faciens, ait: *Papa per Legatum Cardinalem duos Patriarchas, ſcilicet Aquilegienſem, & Venetum, qui & Gradenſis nuncupatur, depoſuit, quia invenit ipſos ſchiſmaticis favorabiles extitiſſe.* Quare Sigonius lib. 11 de regno Italiæ rectè ſuſpicatus eſt, hujus abdicationis cauſam fuiſſe, quòd Conrado Franconiæ Duci ſchiſmatico adversùs Lotharium Imperatorem bellum gerenti ſtuderent, cùm eadem quoque de cauſa & hoc eodem anno 1128 Anſelmo hujus nominis V Archiepiſcopo Mediolanenſi, qui eundem Conradum Modoetiæ, & poſtea Mediolani Regem, contra eundem Lotharium coronavit, à Joanne Cremenſi Cardinali dignitas abrogata ſit, ut legere eſt in Critica Baronii. Hujus porrò Concilii Ravennatenſis alibi mentio non reperitur.

SÆC. XII. HONORIUS II.

XV. *Legatum in Daniam mittit.*

Hoc eodem anno milleſimo centeſimo vigeſimo octavo, Honorius Pontifex ad petitionem Daniæ Regis, Gregorium de Creſcentio ſancti Theodori Diaconum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum in Daniam miſit, ut extirparet nociva, & plantaret ſalubria, prout quæque, ſecundùm datam ei à Deo prudentiam, viderit facienda. Hæc legatio ad annum 1129 revocatur à Baronio, ſed manifeſto errore; literæ enim Honorii hanc in rem datæ, & ab ipſo Baronio relatæ, dicuntur datæ *Laterani quarto Kalendas Januarii, Pontificatûs noſtri anno quinto*: Honorius autem anno 1124. ante diem 29 menſis Decembris, quo literæ datæ ſunt, primum Pontificatûs exorſus eſt, ideoque eadem die, anno 1128, quintum jam numerabat.

XVI. *Beneventum pergit, & Romam redit.*

Anno milleſimo centeſimo vigeſimo nono idem Honorius Pontifex Beneventum perrexit, ubi menſe Auguſto Franconem Abbatem monaſterii ſanctæ Sophiæ conſecravit. Cùmque in ſeditione anno ſuperiori à Beneventanis excitata, conſtitutum eſſet & juratum à communitate, *ut extunc & ſeptem annis completis, & quadraginta diebus non eſſet habitator civitatis Poto Spitameta cum aliis* quibuſdam, qui è civitate exierant, cùm Guillelmus Beneventanus Rector occiſus eſt, Honorius Papa precatus eſt *Beneventanos, qui communitatem fecerant, ut prædictum Potonem Spitametam, cum jam dictis civibus, quos de civitate ejecerant, in civitatem revocarent Beneventum, quod obtinere non potuit. Unde Apoſtolicus valdè iratus de Benevento exivit, & ad vicum quemdam, qui dicitur Leocabante, receſſit*, & rogavit Rogerium Apuliæ Ducem, *ut in menſe Majo venturo cum exercitu veniret, quod Dux ille ſacramento juravit, taliter facturum*, inquit Falco in Chronico Beneventano. Sed anno 1130, menſe Majo Honorius jam mortuus erat, ut mox dicetur. Inde Pontifex Romam repetiit.

XVII. *Moritur, & quo anno.*

Non multò poſtquam Honorius Papa Romam rediit, communi mortalium fato functus eſt, & quidem die decima quarta menſis Februarii anni milleſimi centeſimi trigeſimi. Annum mortis nobis ſuppeditat Falco Beneventanus in Chronico, hic enim incipiens annum à die prima Martii 1129 ſcribit: *Dominus Papa Honorius medio menſe Februario viam univerſæ carnis ingreſſus eſt ad Dominum.* Illum autem menſem Februarium eſſe anni 1130, ex eo conſtat, quòd Falco antea retulerat, menſe Auguſto ejuſdem anni, ſcilicet 1129, Honorium Beneventi conſecraſſe Abbatem Sanctæ Sophiæ, ideoque Falco continuat annum 1129 uſque ad Kalendas Martii anni 1130, ex quo evidenter ſequitur, eum alligaſſe mortem Honorii II

cum

Digitized by Google

cum medio menſe Februario anni 1130. Nec audiendus Bulæus Tom. 2 Hiſt. Univerſitatis Pariſienſis pag. 109 ſcribens, Honorium II anno 1129 obiiſſe, quia Joannes Berardi, qui Chronicon Caſaurienſe, ſeu Piſcarienſe uſque ad annum 1182 perduxit, & Auctor Chronici Maurigniacenſis, qui temporibus iſtis ad annum uſque 1150 Chronicon ſuum ſcripſit, diſertè aſſerunt, Honorium eo anno Vitam cum morte commutaſſe; ſicut enim Falco annum à Kalendis Martii inchoat, ita duo iſti Chronograhi à Paſchate, vel ſaltem à die 25 Martii annos Chriſti exordiuntur; ideoque cùm Honorius menſe Februario obierit anno 1130, numerabant adhuc annum 1129.

XVIII. *Dies mortis ejus, & ſepultura.* Quod attinet ad diem mortis Honorii, Falconem laudatum rectè interpretatus eſt Baronius de die decima quarta menſis Februarii; eum enim diem ei obitualem fuiſſe, ſcribit Anonymus Auctor Chronici Reicherſpergenſis, anno 1194, quo Auctor vivebat, abſoluti, & à Chriſtophoro Gevuldo anno 1611 Monachii publicati, in quo Honorius II defunctus dicitur *XVI Kal. Martii*. Eundem diem habet etiam Annaliſta Abbatiæ de Margan Tomo 2 Collectionis Oxonienſis nuper publicatus; ad annum enim 1130 ita ſcribit: *Hoc anno XVI Kal. Martii defunctus eſt Papa Honorius apud Sanctum Gregorium*. Id confirmatur ex Joanne de Ceccano in Chronico, qui cùm dixiſſet, Calliſtum II mortuum, ſeu ſepultum XIX Kalendas Januarii anni 1124, & Honorium II *poſt ſeptem dies* ordinatum, & conſequenter die 21 Decembris ejuſdem anni, ſubdit, eum ſediſſe *annos quinque, menſem unum, dies viginti quinque*, ex quo manifeſtum eſt mortem ejus accidiſſe die 14 menſis Februarii anni 1130; tot enim anni, menſes & dies præcisè numerantur à die 21 Decembris anni 1124, ad diem 14 Februarii anni 1130. *Laterani infirmatus ad mortem*, inquit Pandulphus in ejus Vita, *ad monaſterium S. Andreæ ſe deferri juſſit, ibique in pace defunctus eſt, ſepultus in Baſilica Salvatoris*, quæ ultima verba, *ſepultus* &c. deſunt apud Papebrochium, qui tamen obſervat, Cæſarem Raſponum in deſcriptione Lateranenſis Baſilicæ lib. 1 cap. 18 ſcribere, Honorium *in Baſilica Lateranenſi intra urnam marmoream* voluiſſe *tumulari*, quod idem ajunt Stella & Platina.

INNOCENTIUS II *Pontif. CLXIV.*

Anno Domini MCXXX.

I. *Innocentius II eligitur, & conſecratur.* Honorio II die decima quarta menſis Februarii anni 1130 mortuo, poſtridie, ſcilicet decima quinta ejuſdem menſis, Gregorius Cardinalis Sancti Angeli, natione Romanus, jam antea legationibus in Germaniam & Gallias ſub Calliſto II & Honorio II obitis, illuſtris, electus eſt in Romanum Pontificem, renitens & invitus, & Innocentii II nomen aſſumſit. Diem ejus electionis nos edocet Annaliſta Abbatiæ de Margan Tomo 2 Collectionis Oxonienſis nuper publicatus, qui ad annum 1130 ſcribit: *Hoc anno XVI Kal. Martii defunctus eſt Papa Honorius apud Sanctum Gregorium, & in craſtino, id eſt XV Kal. ejuſdem, electus eſt Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Angeli in Apoſtolatum, qui & Innocentius nominatus eſt: & ſexta die, ſcilicet ſequenti ſabbato poſt proximum, ordinatur in presbyterum, in die Cathedræ Sancti Petri; & in craſtino conſecratus eſt in ſummum Pontificem apud Sanctam Mariam Novam. Eo die & Petrus Leonis conſecratus eſt in Apoſtolicatum apud Sanctum Petrum*. Innocentius itaque II electus eſt die decima quinta Februarii, ſabbato ſequenti in feſto Cathedræ Sancti Petri, in quod incidebat ſabbatum Quatuor Temporum, ordinatus eſt Presbyter die vigeſima ſecunda ejuſdem menſis, & in craſtino, die ſcilicet Dominica, menſis Februarii die 23, conſecratus eſt Pontifex. Falco tamen Beneventanus in Chronico & Anonymus Caſſinenſis ſcribunt, Innocentium Papam electum eſſe eodem die, quo Honorius obiit; ſed eos falli exiſtimo; volunt enim non ſolùm Innocentium Papam, ſed & Petrum Leonis Anacletum Antipapam dictum eodem die, mortis ſcilicet Honorii, electos eſſe, quod ultimum falſum eſſe conſtat, tum ex dicto Annaliſta de Margan, tum ex Arnulpho Sagienſi Archidiacono, ac dein Luxovienſi Epiſcopo, qui in Tractatu, quem compoſuit *de ſchiſmate orto poſt Honorii Papæ deceſſum*, diſertè teſtatur Petrum Leonis, ſeu Anacletum Antipapam, altero poſt Innocentium die, intruſum eſſe. Sed quidquid ſit de die electionis Innocentii, illud certò conſtat, ejus electionem die 14, vel 15 Februarii factam, ejuſque in Pontificem conſecrationem die 23 ejuſdem menſis die Dominica.

II. *Ejus mores ante Pontificatum.* Baronius multis ex Sancto Bernardo & aliis oſtendit, electionem Innocentii ſaniorem inventam eſſe, utpote *eligentium & numero* vincentem *& merito*. Præproperam quidem, nec ab univerſis eligentium co-

Digitized by Google

SÆC. XII. INNOCENTIUS II.

nitiis factam ſcribit Sugerius in Vita Ludovici VI Francorum Regis, ſed tamen priorem fuiſſe ibidem aſſerit. Baronius tam de Innocentii, quam de Anacleti Antipapæ meritis agit; ſed mira ſunt, quæ de Innocentii moribus, & de recuſato ab eo Pontificatu Arnulphus mox laudatus cap. 4 habet; ait enim, quòd ſi vitæ conſideretur integritas; *nihil deformatum crimine, nihil infamia condemnatum* in eo à primis annis reperiri potuiſſe, ſed tanta exiſtimatione apud omnes fuiſſe, *ut quod aliàs perrarum eſt, eſſet ei ante electionis ejus tempora nullus hoſtis, cibi, potuſque tanta ſobrietas, ut illis non faſtidium, ſed abſtinentiæ modus terminator exiſteret.* *Veſtitus autem Apoſtolatûs tempori ſanè conveniens, quem nec profeſſio Clericalis excluderet, Cardinalatûs dignitas non horreret.* Antea dixerat Innocentium ante Pontificatum fuiſſe *conſilio* providum, benignum *alloquio*, celebrem *facundia, quam nec verborum faſtus elatam, nec multitudo* faceret *effluentem.*

III. *Semel & iterum Pontificatum recuſat.* Refert poſtea Arnulphus, quòd ſi humani generis Perfidus adverſator in Petro Leonis, ſeu Anacleto Antipapa, Eccleſiæ Dei non præſtruxiſſet inſidias, *nulla jam poſt Papam Honorium de ſucceſſione quæſtio ſupereſſet, cùm vir unicus*, ſcilicet Innocentius, *unicæ dignitati divinâ jam videretur providentiâ præformatus*; ſed Innocentium ſemel & iterum Pontificatum recuſaſſe. Adducit poſtea rationes, quibus nitebatur Innocentius, & eas admiſſas non eſſe ita narrat, & Cardinales loquentes inducit. *Aluit hæc* (nempe Eccleſia Romana) *te, & cùm in aliquo tui non egeret, excepit, ut in ſumma tranquillitate ſuis educaret uberibus, & proprio foveret amplexu. Nunc multum poſtulat, & ſuorum repetit præmia meritorum, ut ſcilicet in neceſſitate ſubvenias, & obſeſſæ præſtare ſubſidia non recuſes*, &c. quia ſcilicet Petrus Leonis Pontificatum jam jam invaſurus erat. *At verò prætendis ex indignitate tua ſubterfugii cauſam, quaſi nos prudentiam tuam, & ſingularum partium vitæ tuæ merita neſciremus. Profectò ſi te dignum crederes, hac ipſa æſtimatione videreris indignus*, &c. *Revereris etiam pudore laudabili ſubire tantæ faſtigia dignitatis, in quam ſuprema Regni & Sacerdotii prærogativa mirabili fœdere copulata conveniunt. At nos non ad honorem te, ſed ad periculum potius invitamus; nec enim ſumus ignari, quid adverſus nos ille adverſarius machinatur. Jam ſtringit gladios, jam ſagittas acuit; nec viam ſibi ad Apoſtolatum patere niſi noſtri ſanguinis effuſione confidit. Quantumcumque tamen diſcrimen nobis mortis immineat, maluimus ſanguinis noſtri mercedem de manu divina requirere, quàm de manu noſtra ſanguis Eccleſiæ requiratur. Quamvis te mortis ſocium quærimus, immò volumus etiam præcurſorem.*

SÆC. XII. INNOCENTIUS II.

IV. *Renitens & invitus Pontificatum admittit.* *Exponatur jugulus tuus ſicut noſter ad victimam, neque enim fas eſt, ei qui dedit, negare ſpiritum cùm repoſcit. Si quid igitur te matris deſolatæ calamitas, ſi quid inundans aſſiſtentium fletus, ſi quis ullus honeſtatis amor, ſi quid virtus obedientiæ movet, acquieſce. Si acquieſcis, exhibebimus obſequia; ſi recuſas, exigimus de inobedientia pœnam. Eadem enim quæ Papæ ſuperſtitis eſt, ipſo decedente penès nos præcipiendi & ulciſcendi quoque conſiſtit auctoritas, donec alius inducatur. His dictis parabant excommunicationis promulgare ſententiam.* Ex quibus, ut id obiter notem, conſtat, mortuo Pontifice Eccleſiæ regimen fuiſſe penès ſolos Cardinales, ad quos tota auctoritas erat devoluta. *Allatum igitur*, pergit Arnulphus, *ex longinquo pluviale præ manibus offerentes. Quid faceret? tentaret ex fuga ſubſidium? At illud continua ſeniorum corona claudebat. Poſtularet inducias? ſed quominus impetrarentur, dilationem vox inſtantia Petri machinamenta negabant. Negaret ſemper? At illi gladio ſpiritûs imminebant anathematis pœnam protinus intentantes. Dum ergo ſibi videtur inter geminæ mortis concluſus anguſtias, alterique earum legi neceſſitatis obnoxius, diſcrimen periculi corporalis excepit, quia dum reſpuit anathematis ſubire ſententiam, inſidiis, immò potentiæ ſe ſe Petri Leonis objecit.* Hæc ſolus Arnulphus nos docuit.

V. *A ſolis Cardinalibus electus fuit ante Anacletum Antipapam.* Porrò hanc electionem à ſolis Cardinalibus factam, antequam Petrus Leonis, dictus *Anacletus* Antipapa eligeretur, deducitur non ſolùm ex laudatis Arnulphi verbis, ſed etiam ex Chronographo Mauriniacenſi, qui feſtinatæ Innocentii II electionis cauſam hoc modo narrat pag. 376: *Cardinales, qui cum Cancellario* (ſcilicet Aymerico S. Mariæ Novæ Cardinali) *inibi aderant, & Honorio infirmanti aſſederant, Gregorium quemdam ſcientia ac religione præclarum ſibi præficiunt, & nimis feſtinanter, ut à quibuſdam dicitur, Pontificalibus induunt inſigniis. Id illius gratiâ diſpenſationis factum, ut Petrum quemdam, qui ſæculariter ad Papatum videbatur aſpirare, ſpe ſua fruſtraretur.* Eos Cardinales numero ſexdecim, fuiſſe ſaniorem & meliorem partem Cardinalium ſcribit Baronius ex Anonymo Vaticano hujus temporis Scriptore. *Magna*, inquit, *in urbe diſcordia facta: nam Epiſcopi & Cardinales ſe in duas partes diviſerunt, ſed melior & ſanior pars cum eodem Innocentio, qui majoribus ſtudiis & meritis juvabatur, adhæſit, omnes ſubſcripti cum ipſo conſtanter ſteterunt, Willelmus Præneſtinus, Matthæus Albanenſis, Joannes Oſtienſis, Con-*

ra-

Digitized by Google

radus Sabinenſis Epiſcopi; Petrus quoque Sancti Martini in Montibus, Joannes Cremenſis Sancti Chriſogoni, Hubertus Sancti Clementis, Anſelmus Sancti Laurentii in Lucina; Anſelmus alius Sanctæ Caciliæ, Gerardus Sanctæ Crucis, & Petrus S. Anaſtaſiæ, Presbyteri Cardinales; Romanus S. Mariæ in Porticu; Gregorius SS. Sergii & Bacchi, Hamericus S. Mariæ Novæ, Apoſtolicæ Sedis Cancellarius, Albertus Sancti Theodori, & Guidò S. Mariæ in Via lata, Diaconi Cardinales. Ubi nulla mentio Cleri, aut populi Romani, ex quo colligere eſt ſolos Cardinales elegiſſe Innocentium. Hoc tamen ſtabili lege firmatum non fuiſſe ante electionem Lucii III exiſtimat Onuphrius Panvinius in Adnotatione ad vitam Alexandri III, ubi ait in electione Lucii III, eam tunc primùm redactam ad ſolos Cardinales, Clero omninò, & populo à Pontificis electione excluſis, quia ſcilicet poſt Innocentium populus Romanus arma ſumpſit, ut in prætenſum ſuum jus reſtitueretur, ad quod revera reſtitutus videtur in electione Hadriani IV, quem, ut ſuo loco videbitur, *Clerici & laici pariter conclamantes inthronizarunt*.

VI. *Antea Innocentius II fuerat Canonicus Regularis S. Auguſtini.*

Innocentium II fuiſſe Monachum *Lateranenſis cænobii SS. Joannis Baptiſtæ, Joannis Evangeliſtæ, atque Pancratii* ſcribit Baronius. Verùm Auguſtinus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium notat, Anaſtaſii IV, & Paſchalis II diplomatis conſtare, ab Alexandri II temporibus uſque ad Bonifacium VIII, monaſterium illud fuiſſe Canonicorum Regularium. Et licèt temporibus Joannis III, & Gregorii III, Monachi divi Benedicti monaſterium illud apud Eccleſiam Lateranenſem obtinuerint, tamen aliquot ſæculis ante Alexandrum II loco exceſſerant, nec illorum prorsùs ulla in Lateranenſis Eccleſiæ monumentis memoria habetur, ut teſtatur Onuphrius, qui Lateranenſe Archivium ſæpe ſcrutatus eſt. Teſtatur & Cæſar Raſponus in Baſilica Lateranenſi lib. 2. cap. 1. Denique idem Onuphrius in Notis ad Platinam, recitata Alexandri III vita exhibet *Nicolai Mamacutii Canonici Regularis Lateranenſis Ordinis ſancti Auguſtini verſus de Romanis Pontificibus* uſque ad Eugenium III, ſub quo teſtatur ſe vixiſſe, quos alius uſque ad Alexandrum III continuavit. Ex quibus evidens eſt Innocentium II Canonicum Regularem ſancti Auguſtini fuiſſe, deceptumque Anonymum à Baronio laudatum, qui eum Benedictinum facit.

VII. *Ab Anacleto Antipapa Urbe exire cogitur.*

In Innocentii II æmulationem elevatus eſt in thronum Pontificium Petrus Leonis filius, presbyter Cardinalis Tituli ſanctæ Mariæ trans Tyberim, & Anacletus II appellatus, de cujus pſeudo Pontificatu infra ſermo erit. Anacletus pſeudo-Papa à ſuis electus, & eodem die, quo Innocentius conſecratus, ut num. I ex Annaliſta de Margan diximus, hoſtiliter fecit aggredi domos Frangipanum, in quas Innocentius ſe receperat: cùmque non potuiſſet apud eos prævalere, indignatione & ira commotus ad Sanctum Petrum equitans, ipſam, quam cepit Eccleſiam, per violentiam introivit, & per Sanctuarium & aureum Crucifixum pendentes coronas, cum toto theſauro argenti & auri, atque gemmis, quas Romani Pontifices & Orthodoxi Imperatores in Eccleſia obtulerant, ſacrilegè auferre, & Ciborium, quod ſuper Altare erat, detruncare præſumpſit: ſublatiſque omnibus ad Patriarchium beatæ Mariæ acceſſit, & Eccleſiam ipſam, multo majori theſauro ditatam expoliavit, ac pariter ad alias Eccleſias manus extendens, quidquid in eis pretioſum invenit, rapuit, & aſportavit; hiſque majorem venalis Urbis partem emere ſtudens, corruptum vulgus ita ſibi adſtrinxit, ut præter Frangipanum & Corſorum munitiones Papa Innocentius nullum in Urbe ſubſidium haberet. Hæc conſtant ex Anonymo Scriptore hujus temporis in codice Vaticano à Baronio laudato. Quare cùm ita undique obſeſſus eſſet Innocentius, ut nemo ad eum ſine vitæ periculo poſſet accedere, conſilium iniens recipiendi ſe in Gallias, conſcenſa navi eò tetendit. His conſentientia ſcribit Bernardus, ſeu Ernaldus initio libri 2 Vitæ S. Bernardi Clarævallenſis Abbatis.

Innocentius itaque paulò poſt ſuam conſecrationem Piſas venit, ubi maximam anni milleſimi centeſimi trigeſimi partem moratus eſt. Antequam enim in Galliam veniret, in eam præmiſit Nuncios, qui Gallicanæ Eccleſiæ rei geſtæ veritatem aperirent, & hortarentur Epiſcopos, ut partem ſchiſmaticorum damnarent, quod teſtatur idem Ernaldus Abbas Bonævallis in agro Carnotenſi lib. 2 cap. 1 Vitæ S. Bernardi. *Tum*, ut ait Arnulphus Luxovienſis laudatus cap. 5, *primus Regum Catholicus Princeps Rex Francorum Ludovicus*, ſchiſmati occurrere volens, Concilium generale apud Stampas, oppidum Lutetiam inter & Aurelianum ſitum, celebrari juſſit, in quo Innocentius II, ut legitimus Pontifex agnitus, & Anacletus rejectus. De eodem Concilio loquuntur etiam Ernaldus citatus, & Sugerius in Vita Ludovici VI. Verùm cùm hujus Concilii epocha à nullo Veterum notata ſit, illud ante initium menſis Maji celebratum videri ſuſpicatur Annotator Baronii. Piſanos & Tuſcos Innocentio Papæ adhæſiſſe, conſtat ex eodem Ernaldo, qui loco laudato ſcribit: *Intereà Dominus Papa multis in Piſis, & in Tuſcia, & in aliis provinciis poteſtativè diſpoſitis,*

VIII. *Roma in Franciam pergit.*

vale

vale faciens Piſanis, & gratias agens, in provinciam navigio delatus eſt. Acta autem antiqua à Baronio anno 1130 num. 56 relata habent: *Iterum mare intravit, & per Genuam tranſiens, ad S. Ægidium proſperè applicuit. Pergens autem per Vivarium, & Anicium Alverniæ fines intravit, & apud Claromontem primum Concilium celebravit.*

IX. *Cluniacenſem Eccleſ. dedicat.*

Sed antequam Claromontanum Concilium menſe Novembri celebraret, Cluniaci exceptus fuerat, & Eccleſiam Cluniacenſem conſecrarat. Petrus enim Venerabilis lib. 2 de Mirac. cap. 16 ſcribit: *Ad Gallias venit. Ubi primùm ab eodem domino Papa Innocentio Cluniacenſi nova, & majori conſecrata Eccleſia, ac gemino Concilio, alio Claromonti, alio Remis celebrato*, &c. Anſelmus item Gemblacenſis ad annum 1130, *Emenſo mari*, inquit, *tandem apud S. Ægidium appulit, poſtea venit in Burgundiam, & à Cluniaco excipitur*. Idem habet Sugerius Abbas San-Dionyſianus in Vita Ludovici VI, cujus nomine Innocentium Papam Cluniaci convenit. Sed præſtat audire Ordericum Vitalem lib. 13 pag. 895: *Gregorius* (ideſt Innocentius, ante Pontificatum Gregorius appellatus) *cum Quirinali Clero Gallias expetiit, primòque ab Arelatenſibus ſuſceptus, Legatos inde Francis direxit. Porrò Cluniacenſes, ut ejus adventum cognoverunt, 16 equos ſeu mulas cum omni apparatu congruo Papæ, & Cardinalibus Clericis deſtinaverunt, & uſque ad ſuam Baſilicam favorabiliter conduxerunt. Tunc ibidem 11 diebus Papam cum ſuis detinuerunt, Eccleſiamque novam in honore S. Petri Apoſtolorum Principis ab eodem cum ingenti tripudio, populique frequentia dedicari fecerunt*. Hujus conſecrationis diem nos docuit ipſemet Innocentius in diplomate, quod anno 1132 Valentiæ dedit 8 Idus Martii, quodque in Bibliotheca Cluniacenſi pag. 1381 recitatur; in eo enim ait Innocentius: *Nos monaſterium ipſum, quod ſpecialiter ad jus B. Petri & S. Rom. ſpectat Eccleſiæ, per nos ipſos viſitavimus. Et eodem die, quo revolutis multorum annorum ſpatiis, prædeceſſor noſter fel. memoriæ Papa Urbanus ibidem majus Altare conſecraverat, cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui nobiſcum convenerunt, cooperante Spiritûs Sancti gratia, idem monaſterium ſolemniter dedicavimus*. Quare cùm Urbanus II, ut in ejus Vita diximus, majus Altare Eccleſiæ Cluniacenſis circa diem 18 Octobris conſecraverit, eodem die Innocentium II novam ejuſdem Monaſterii Eccleſiam dedicaſſe certò eruitur. Quæ contra hanc epocham adducuntur, rejicit Annotator Baronii, oſtenditque hanc dedicationem neque ad annum 1131, neque ad ſequentem rejici poſſe. Hanc Eccleſiæ Cluniacenſis conſecrationem factam eſſe ab Innocentio II die 25 menſis Octobris, conſtat ex dictis ad numerum XXXVII Vitæ Urbani II.

X. *Claromontanum Concilium celebrat.*

Cluniaco Clarum-montem perrexit Innocentius Papa, ubi Concilium celebravit, teſte Ottone Friſingenſi lib. 7 cap. 18: *Cui* (nempè Anacleto) *dum Innocentius reſiſtere non valeret, Urbe cedit, conſcenſiſque Alpibus Gallias ingreditur, ubi in regno Gallici Regis, in civitate apud Claromontem Concilium celebrans, Nuntios Lotharii* (Germaniæ Regis) *Conradum Juvavenſem, Eribertum Monaſterienſem, Epiſcopos obvios habuit*. Cluniaco Clarum-montem veniſſe ſatis ſuperque indicant verba num. ſuperiori laudata Petri Venerabilis Abbatis Cluniacenſis. Ea autem in urbe erat die 29 Novembris ejuſdem anni 1130, ut conſtat ex ejus Reſcripto, quo confirmat privilegia monaſterii Cuxanenſis, quod extat in Appendice ad Marcam Hiſpanicam num. 380, quodque dicitur *datum apud Clarummontem* &c. 4 *Kal. Decemb. indictione Octava* [à Kalendis Januarii more Gallicano inchoata] *Incarnat. Dom. anno* 1130, *Pontific. verò domini Innocentii II Papæ primo*, non multò poſt Concilii celebrationem, quod eodem menſe Novembri congregatum ſcribit Bernardus Guidonis in libello de Conciliis. *Anno Domini* 1130, inquit, *indictione* 8, *menſe Novembri, apud Clarum montem, præſidente ibidem Innocentio Papa II, cum Cardinalibus & Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & religioſis Viris, cum multitudine ſapientum & literatorum Virorum, celebrata eſt Synodus, in qua de fide Catholica, & animarum ædificatione, ac morum honeſtate, & malorum eradicatione tractatum eſt, & obedientia eidem Papæ Innocentio adſtanti ab univerſis eſt gratanter promiſſa. In eadem quoque Synodo conceſſum eſt privilegium Clericis, quod habetur in Decret.* 17, *q.* 4, *cap.* Si quis ſuadente. Neque quidquam aliud hujus Concilii ſupereſt. In eo tamen damnatum fuiſſe Anacletum Antipapam cum ſectatoribus, ſcribit, ſed ſine teſte, Platina. Baluzius Tomo 7 Miſcellaneorum pag. 74 iſtud Concilium Claromontanum ex archivo Eccleſiæ Barcinonenſis publicavit, in cujus Actis dicitur celebratum anno 1130 menſe Novembri, indictione octava, à Kalendis Januariis more Gallicano, ut jam dixi, inchoata, in eoque *de fide Catholica & animarum ædificatione, & morum honeſtate, malorumque pullulantium eradicatione tractatum* eſſe, & obedientiam *domino Papæ Innocentio aſtanti ab univerſis* fuiſſe *conſtanter* promiſſam. Huic Concilio adfuerunt Archiepiſcopi Lugdunenſis, Bituricenſis, Viennenſis, Narbonenſis, Arelatenſis, Tarraconenſis, Auxitanus, Aquenſis & Tarantaſienſis cum ſuis ſuffraganeis; *una cum Salſeburgenſi Archiepiſcopo, & Monaſterienſi Epiſcopo ac Abbate Gorgienſi, qui pro honore,*

& ſa-

& *ſalute Eccleſiæ pro Teutonico regno occurrerant*. Tredecim canones in eo conditi, qui ibidem referuntur.

XI. *Suſcipitur à Regibus Franciæ, & Angliæ.*

Poſt Concilium Claromontanum Innocentius Pontifex Aurelianum perrexit, ibique à Ludovico Francorum Rege exceptus eſt: *ut autem*, inquit Sugerius Abbas in Vita ejuſdem Ludovici, *uſque ſanctum Benedictum ſuper Ligerim deſcendit* (ideſt, uſque Floriacum monaſterium, ſeptem leucis ab Aurelia urbe diſtitum) *dominus Rex cum Regina & filiis ei occurrens nobilem & diademate ſæpius coronatum verticem tanquam ad ſepulchrum Petri inclinans, pedibus ejus procumbit. Catholicum affectum, & devoti ſervitii effectum ei, & Eccleſiæ promittit. Cujus exemplo & Rex Angliæ Henricus ei Carnotum occurrens, devotiſſimè pedibus ejus proſtratus, votivam ſui, ſuorumque & terræ ſuæ ſuſceptionem & obedientiæ filialis promittit plenitudinem*. Eadem refert Ernardus in Vita S. Bernardi; *in Provinciam*, inquit, *navigio delatus eſt, & Burgundiam tranſiens, Aurelianum pervenit: ubi occurrentibus Epiſcopis, à Rege piiſſimo Francorum Ludovico alacriter & honorificè ſuſceptus eſt. Inde à Gaufrido Carnotenſi Epiſcopo magnarum virtutum viro Carnotum deducitur, ubi etiam glorioſus Anglorum Rex Henricus ei cum maximo Epiſcoporum & Procerum comitatu occurrit. Hunc quoque Regem venerabilis Abbas* (Sanctus Bernardus) *ad eum præmiſſus adduxit, quem vix perſuaſit Innocentium recipere, ab Epiſcopis Angliæ penitus diſſuaſum*. Willelmus etiam Malmeſburienſis aſſerit, Henricum apud Carnotum Innocentio occurriſſe, ſed & *apud Rotomagum, non modò ſuis, ſed Optimatum, & etiam Judæorum muneribus* eum dignatum eſſe. Tempus adventûs Innocentii ad Carnotenſem urbem nos docet Ordericus, qui loco laudato ſcribit: *Apud Carnotum Henricus Rex Anglorum ad pedes ejus humiliter corruit, illique reverentiam Papæ debitam Idus Januarii ſponte exhibuit*, die nempè decima tertia Januarii anni 1131, Carnotum autem decem & octo circiter leucis Gallicis Aureliano diſtat.

XII. *Item à Lothario Romanorum Rege.*

Non Galliæ ſolùm & Angliæ Reges, ſed & Lotharius Rex Romanorum, Innocentii partes amplexus eſt, eumque ut verum Pontificem agnovit; licèt enim Anacletus Antipapa ad eum literas dediſſet, omnis tamen ejus conatus irritus fuit. Lotharius quippe eodem anno 1130, Wirceburgi, ſeu Herbipoli menſe Octobri Concilium congregavit, de quo Chronicon Magdeburgenſe adhuc ineditum, ad eum annum habet: *Concilium 16 Epiſcoporum menſe Octobri à Rege Vuirceburg congregatur, cui affuit Archiepiſcopus Ravennæ Apoſtolicæ Sedis Legatus. Ubi Gregorius, qui & Innocentius, qui Petro Leonis in electione prævaluit, à Lothario Rege, & omnibus ſibi congregatis, eligitur & confirmatur*. Innocentius itaque ad illud Concilium miſerat Gualterium Ravennatenſem Archiepiſcopum, tanquam Apoſtolicæ Sedis Legatum; hic enim cum ſuis Ravennatenſibus Innocentii II partes perpetuò ſecutus eſt, ut habet Rubeus lib. 5 Hiſt. Ravenn.

XIII. *Hiſpani, & Jeroſolymitani Innocentio, Scoti Anacleto adhærent.*

Sanctus Bernardus Clarævallenſis Abbas in Epiſtola 125 ad Gaufredum numerans Reges Innocentio inhærentes, ait: *Alemanniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiſpaniarum & Jeroſolymorum Reges, cum univerſo Clero & populis favent, & adhærent domino Innocentio, tanquam filii patri, tanquam capiti membra, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*. Sed Davidem Scotiæ Regem ad Anacleti poſtea partes tranſiiſſe eruit Annotator Baronii ex Epiſtola Vulgrini Archiepiſcopi Bituricenſis & Primatis Eccleſiarum Aquitaniæ, ſcripta ad Epiſcopos Burdigalenſis Eccleſiæ ſuffraganeos, in Patriarchio Bituricenſi cap. 63 recitata, qua eos hortatur, ut ab obedientia Innocentii II ſe dimoveri non patiantur; ait enim: *In hac unitate permanet Rex Francorum, ſimiliter & Rex Anglorum, Rex Alemannorum, Rex Hiſpaniarum, & Rex Jeroſolymorum, Duces ac Principes ferè totius orbis terrarum*. Ubi cùm Henrici Angliæ Regis mentionem faciat, & Davidis Scotiæ Regis nomen taceat, clarè indicat hunc Anacleti partes ſecutum eſſe. Id certò confirmatur ex Richardo Priore Haguſtaldenſi in Hiſt. de geſtis Regis Stephani, ubi loquens de Alberico Cardinali Oſtienſi, Legato Apoſtolicæ Sedis in Anglia & Scotia anno 1138 ſcribit: *Deinde per Northumbriam & Cumberland. IV die ante feſtum S. Michaelis ad Caſtel pervenit, ibique Regem Scotiæ cum Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Baronibus ſuæ terræ reperit. Illi verò diu à Ciſalpina, imò ferè ab univerſa Eccleſia diſcordantes, exoſæ memoriæ Petro Leoni, & apoſtaſiæ ejus nimium faviſſe videbantur. Tunc verò divina gratia inſpirati, mandata Innocentii Papæ, & Legatum ejus omnes unanimiter cum magna veneratione ſuſceperunt*. David itaque Scotiæ Rex, licèt Princeps optimus, Anacleti apoſtaſiæ favit, pravis ſine dubio conſiliis ſeductus. Totus itaque orbis Catholicus Innocentio adhæſit, Scotis, Vuillelmo IX Aquitaniæ, & Rogerio Apuliæ, Ducibus exceptis.

XIV. *Innocentius Mauriniacenſis monaſterii Altare conſecrat.*

Ex urbe Carnotenſi Innocentius Pontifex Leodium perrexit ad colloquium cum Lothario Alemannorum Rege. Sed antequam ad eum perveniret, hoſpitatus eſt in monaſterio Mauriniacenſi, quod ſitum eſt in ſuburbio Autiſſiodorenſi, ubi biduum commoratus eſt, & die vigeſima menſis Januarii anni 1131 in eo Altare dedicavit.

Hæc

Hæc conſtant ex Chronographo Mauriniacenſi, qui ait: *Statutum eſt in Curia, hinc ad Patricium Romanorum Teutonicorum Regem* (nempe Lotharium) *iter dirigere, & de Carnoto ſtatione prima Mauriniacum hoſpitare*. A' monaſterio Mauriniacenſi aberat tunc Abbas, ad quem velociter à Monachis nuncius miſſus. Abbas & Prior *accurrunt velociter, & jam penè ingredientem Mauriniacum dominum Papam ſuſcipiunt gaudentes, procurant ſolemniter. Altera verò die* (*nam biduo apud nos manſit*) *Papam, Curiamque Abbas ſupplex adiit, quatenus Altare, quod erat ante Crucifixum, conſecraret, humiliter poſtulavit & impetravit. Anno igitur Verbi Incarnati* 1130 (anno ſcilicet à Paſchate inchoato, qui ideò nobis eſt 1131) *XIII verò Kal. Februarii à domino Papa Innocentio II in Eccleſia Mauriniacenſis cœnobii conſecratum eſt Altare ante Crucifixum, in honore S. Laurentii & omnium Martyrum Chriſti*. Refert poſtea Chronographus iſte huic conſecrationi adfuiſſe quatuor Epiſcopos Cardinales, Guillelmum ſcilicet Præneſtinum, Matthæum Albanenſem, Joannem Oſtienſem & Guidonem Tiburtinum; plures item alios Cardinales Presbyteros & Diaconos; tum etiam Bernardum Abbatem Claræ vallenſem, & Petrum Abaëlardum Monachum & Abbatem Ruyenſis monaſterii in minori Britannia; ac tandem Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum ſermonem ad populum feciſſe.

XV. *Leodii cum Lothario Rege Concilium habet.* *His ita cum magno tripudio peractis*, ſubdit Chronographus, *luce tertia domnus Papa cum ſuo comitatu lætus diſceſſit, ac maximas gratias pro hoſpitalitate reddens, ad ſuum colloquium, quod apud Leodium fuit, profectus eſt. Ubi Lotharius Rex Alemannorum*, &c. *cum omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis & Proceribus regni ſui Innocentium Papam, patremque recognoſcit, & ſe cum eo Romam iturum, & in Sedem propriam reſtiturum ſacramento ſpopondit*. Auctor Anonymus, teſtis oculatus eorum quæ narrat in libro de Canonizatione & Translatione S. Godehardi Epiſcopi Hildensheimenſis, qui extat Sæculo VI Benedict. part. I, & in Actis SS. Bollandianis ad diem IV Maji, ait: *In Leodicenſem civitatem Curia indicta eſt, ubi Innocentius Papa cum Romana Eccleſia & magna parte Galliæ, cum Lothario Rege & ferè univerſis Epiſcopis Teuthonicæ regionis convenerunt, ut de violentia Romanæ Eccleſiæ per Petrum Leonis perpetrata, qui tum temporis Papatum ſibi violenter uſurpavit, pertractarent; & qualiter illud idolum in templo Domini poſitum deſtruerent, elaborarent. Factum igitur eſt, ut ad Dominicam Lætare Jeruſalem* [Dominicam nempe quartam Quadrageſimæ, quæ anno 1131 in diem 29 menſis Martii cadebat] *ad prædictam civitatem multi Catholici viri, tam cum Apoſtolico, quàm cum Rege convenirent, & de communi ſtatu Eccleſiæ pertractarent*.

XVI. *Lotharium Regem ibidem coronat.* Ægidius Aureæ Vallis Monachus Ciſtercienſis, qui teſtatur ſe Hiſtoriam Pontificum Leodienſium deſiiſſe ſcribere anno 1251 cap. 27, de adventu Innocentii Papæ in urbem Leodienſem hæc habet: *Anno Domini* 1131, *Gregorius, qui Innocentius dictus eſt ſecundus, multo comitatu Epiſcoporum & Abbatum à Francia in Lotharingiam tranſit, & Dominica IV Quadrageſimæ* (legendum Dominica III, ut ſequentia oſtendunt) *quæ eſt XI Kalend. Aprilis, Leodium venit. Ibi à Lothario Rege Alemanniæ, & à domino Alexandro Leodienſi Epiſcopo, & aliis multis Epiſcopis & Abbatibus, tam Lotharingis, quàm Tranſmarinis, muneribus honoratur, tota civitas in obſequio fervet, & Dominica in medio Quadrageſimæ* (quarta ſcilicet) *ab Eccleſia Sancti Martini in publico monte uſque ad Eccleſiam Sancti Lamberti publicam & ſolemnem exhibuit proceſſionem; Miſſam celebravit. Ibi Regem & Reginam coronavit*. Anſelmus Gemblacenſis in Chronico notat, Innocentium, dum Leodii eſſet, *conjugatos Presbyteros* excommunicaſſe.

XVII. *Quædam alia in eo Concilio acta.* In eodem Leodienſi Concilio Innocentius Papa Ottonem ex Halberſtatenſi Epiſcopatu depoſitum in ſedem reſtituit, ut ſcribit Albertus Abbas Stadenſis; Anacletum Antipapam, quem, ſi Platinæ fides, jam in Concilio Claromontano damnarat, iterum damnavit; Lotharium Regem ad Eccleſiæ Romanæ defenſionem excitavit, promiſſa ipſi Imperiali corona, ut Otto Friſingenſis lib. 7 cap. 18, & Ernaldus Abbas Bonævallis in Vita S. Bernardi lib. 2 cap. 1 teſtantur. Sed falſum omnino eſt, ipſum *Lothario* Regi *virgam & annulum ex antiquo more* confirmaſſe, ideſt, inveſtituras conceſſiſſe, ut legitur in Chronico Caſſinenſi Petri Diaconi lib. 4 cap. 99: hoc enim prorsùs à veritate alienum eſſe oſtendit Epiſtola 150 divi Bernardi ad Innocentium Papam, qua ejus zelum adversùs ambitionem Philippi, qui ſedem Turonenſem invadere tentabat, excitare cupiens, laudat eum ex variis rectè factis, & de congreſſu ejus cum Lothario Rege Leodii habito, habet: *Sed nec Leodii cervicibus imminens mucro barbaricus compulit acquieſcere importunis, improbiſque poſtulationibus iracundi atque iraſcentis Regis*. Quibus ex verbis liquidò conſtat, Lotharium quidem importunè inſtitiſſe apud Innocentium, ut ſibi reſtitueret Inveſtituras Epiſcoporum, ſed hunc ejus poſtulationibus & minis non acquieviſſe. Unde Auctor Vitæ S. Bernardi laudatus ait, Bernardum *audacter* reſtitiſſe *Regi, verbum malignum mira libertate* redarguiſſe, *mira auctoritate* compeſcuiſſe

Digitized by Google

ſe. Otto item Friſingenſis Chronici Caſſinenſis Auctorem ſatis refellit, cùm loco mox laudato ſcribit, Lotharium quidem expoſuiſſe, quantum diſpendium regnum paſſum ſit, cedendo Inveſtituras, non tamen earum reſtitutionem extorſiſſe.

XVIII. *Innocentius PP. Claramvallem viſitat.* Sanctum Bernardum Abbatem Claræ-vallenſem eidem Concilio interfuiſſe, præter ejus Vitæ Auctorem, refert etiam Ægidius Aureæ vallis laudatus: *Æſtimati ſunt à quibuſdam*, inquit, *XXXII Epiſcopi, & Abbates affuiſſe, inter quos fuit unus Sanctus Abbas Bernardus Claravallis. Rediens Papa à Leodio Claravallem divertit.* Sita eſt hæc celeberrima Abbatia in Campania Provincia ad Albulam fl. tribus leucis à confinio Burgundiæ diſtans. Pontificem Leodio redeuntem hanc Abbatiam viſitaſſe, ſcribit etiam Ernaldus laudatus in S. Bernardi Vita: *Rediens autem Leodio*, ait, *Claramvallem Dominus Papa per ſe ipſum voluit viſitare. Ubi à pauperibus Chriſti, non purpura & byſſo ornatis, nec cum deauratis Evangeliis occurentibus, ſed pannoſis agminibus, ſcopuloſam bajulantibus crucem, non tumultuantium claſſicorum tonitruo, nec clamoſa jubilatione, ſed ſuppreſſa modulatione affectuoſiſſimè ſuſceptus eſt. Flebant Epiſcopi, flebat ipſe Summus Pontifex: mirabantur Congregationis illius gravitatem, quòd in tam ſolemni gaudio oculi omnium humi defixi, nuſquam vagabunda curioſitate circumferrentur, ſed comploſis palpebris, ipſi neminem viderent, & ab omnibus viderentur. Nihil in Eccleſia illa vidit Romanus quod cuperet, nulla ibi ſuppellex eorum ſollicitavit affectum, nihil in oratorio niſi nudos viderunt parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio, nec damnoſa poterat eſſe fratribus bujuſmodi præda, cùm minui non poſſet aſportata religio. Gaudebant omnes in Domino, & ſolemnitas non cibis, ſed virtutibus agebatur, panis ibi autopyrus pro ſimila, pro careno ſapa, pro rhombis olera, pro quibuslibet deliciis legumina ponebantur. Si fortè piſcis inventus eſt, domino Papæ appoſitus eſt, & aſpectu non uſu in commune profecit.* Hæc ipſe de paupertate & obſervantia Claræ-vallenſium.

XIX. *In monaſterio S. Dionyſii Cœnam Domini celebrat.* E Monaſterio Claræ-vallenſi ad monaſterium Sancti Dionyſii prope Pariſios ivit Innocentius, ubi Cœnam Domini & Paſcha, quod anno 1131 cadebat in diem 19 Aprilis, celebravit. Id conſtat ex Sugerio Abbate San-Dionyſiano in Vita Ludovici Regis pag. 318, ubi, nulla facta mentione acceſsus ejus ad Claramvallem, ſcribit: *Paze Imperii & Eccleſiæ confœderata* (In urbe nempe Leodienſi) *inſtantem Sancti Paſchæ diem apud nos in Eccleſia B. Dionyſii, tanquam ſpeciali filiâ affectat celebrare. Nos autem ob timorem Dei & Eccleſiæ, matris & filiæ, gratanter pridie Cœnæ Domini ſuſcipientes, celeberrimam Deo & hominibus proferentes proceſſionem, adventum ejus odis exultationis collætantes amplexati ſumus. Cœnâ ergo Domini apud nos more Romano, & ſumptuoſo donativo, quod Presbyterium nominatur* (eſt donativum, quod Summi Pontifices diſtribuere ſolent, maximè cùm inaugurantur, ut multis exemplis in voce *Presbyterium*, oſtendit Ducangius in Gloſſario) *celebratâ, venerandam Domini crucifixionem venerando proſecutus, Sanctiſſimæ Reſurrectionis vigilias honore debito pernoctavit. Summo verò mane extrinſeca via ad Eccleſiam Martyrum in ſtrata cum multo collateralium collegio quaſi ſecretò commeavit, ibique more Romano ſe ipſos præparantes, multo & mirabili ornatu circumdantes capiti ejus frigium* (ſeu phrygium, præcipuum capitis Summi Pontificis ornamentum, ut alibi diximus) *ornamentum Imperiale inſtar galeæ circulo aureo concinnatum imponunt, albo & palliato equo inſidentem educunt, ipſi etiam palliati equos albis operturis variatos equitantes, odes perſonando feſtivè geminati procedunt. Barones verò Eccleſiæ noſtræ feodati, & Caſtellani nobiles, ſtratores humillimi pedites eum equitantem fræno ducebant. Quidam etiam prævii pretioſam monetam, ut turbam impedientem removerent, jactitabant. Via autem Regia & ſalicibus & fixis ſtipitibus pretioſis palliis rutilabat.*

Cùm autem & militiæ cunei, & populi multi concurſus ei honoratiſſimè occurreret, XX. *Tum Paſcha ibidem.* *nec ipſa etiam Judæorum Pariſienſium excæcata defuit Synagoga, quæ legis literam rotulam,* ſcilicet *velatam* (Rotuli, ſeu Rotulæ nomine intelligitur charta in ſpeciem rotulæ ſeu rotæ convoluta, vel etiam Epiſtola, ut in voce *Rotulus* legere eſt in eodem Ducangii Gloſſario) *offerens ab ore ejus hanc miſericordiæ & pietatis obtinet ſupplicationem:* „ Auferat Deus Omnipotens velamen à cordibus veſtris. Judæos cum Pentateucho Innocentio Carnotum antea ingredienti etiam occurriſſe teſtatur Malmesburienſis. *Perveniens ergo*, pergit Sugerius, *ad Sanctorum Baſilicam coronis aureis rutilantem, argenti & plus centies auri pretioſarum gemmarum, & margaritarum ſplendore fulgurantem, divina divinè celebrans, agni verò Paſchalis victimas ſacratiſſimas nobis cooperando immolavit. Finitâ verò Miſsâ, erectis in clauſtro palliis ſtrato menſis, materialem agnum tanquam thoris accubitati ſumunt; cætera nobilis menſæ fercula conſueto more ſuſcipiunt. Sed & ſequente die eandem ab Eccleſia Sancti Remigii ad principalem reciprocant proceſſionem. Tranſactis itaque tribus poſt Paſcha diebus, cum gratiarum actione, & auxilii, & conſilii promiſſione Pariſium tranſmeavit.*

XXI. *Varias Gall. urbes perluſtrat.* Pariſiis exiens Innocentius varias Eccleſias Galliarum viſitavit, poſteaque Compendii

pendii demoratus eſt, antequam pergeret ad Concilium, quod die decima octava menſis Octobris Remis celebrandum indixerat. *Exindè*, nempe Pariſiis, pergit Sugerius, *Galliarum Eccleſias viſitando, & de eorum copia inopiæ ſuæ defectum ſupplendo, cùm per terram aliquantiſper deambulaſſet, Compendii demorari elegit*. Sed antea Rotomagum menſe Majo, & poſtea eodem menſe Bellovacum petiit. Id conſtat ex Reſcripto, quod refertur in Bibliotheca Cluniacenſi pag. 1393, dato *Belvaci per manum Aymerici S.R.E. Diaconi Card. & Cancellarii 13 Kal. Junii, indict. nona, Incarnat. Domin. anno 1131, Pontificatûs verò domni Innocentii Papæ II anno II*. Eo reſcripto confirmat Innocentius donationem centum marcarum monaſterio Cluniacenſi factam ab Henrico Angliæ Rege, aitque: *Hæc donatio apud Rotomagum ab eodem filio noſtro Henrico Rege Incarnat. Dom. anno 1131, indict. 9, menſe Majo, die Dominica, in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia facta eſt*. Tum nomina 8 Cardinalium præſentium, & aliquot Epiſcoporum ac Abbatum referuntur, inter quæ ſunt nomina Oldegarii Tarraconenſis Archiepiſcopi, Gaufredi Carnotenſis Epiſcopi, Bernardi Claræ-vallis, & Sugerii ſancti Dionyſii, Abbatum.

XXII *Ejus itinerarium continuatur.*

Chronographus Mauriniacenſis, nulla facta mentione itinerarii Innocentii poſt Concilium Leodienſe, ſcribit, hunc Pontificem Autiſſiodori diu demoratum eſſe, indeque rurſùs per Aurelianenſem, & Stampenſem provincias rediiſſe, & Pariſios ſuâ præſentiâ illuſtraſſe, quæ accidere non potuére, niſi poſt menſem Majum, quo Belvaci & Rotomagi fuit. *Exinde* (ſc. ex urbe Leodienſi, inquit,) *rediens Innocentius in Galliam, diuque Autiſſiodoro commoratus, cùm tempus convocati Concilii, quod in feſtivitate beati Lucæ Evangeliſtæ celebraturus erat, appropinquaret, conciliato prius apud Turonum Gaufrido Martello nobiliſſimo, & ſtrenuiſſimæ indolis adoleſcente, Comite Andegavenſium, Turonorum atque Cenomanenſium, rurſus per Aurelianenſem, Stampenſemque rediens provinciam, ſua præſentia Pariſios illuſtravit. Ingredienti tota civitas obviam ivit. Sic homo ille & comitate vultûs, & affabilitate ſermonis, intuentium mercabatur benevolentiam, à Rege Ludovico, filioque ejus Philippo favorabiliter excipitur, & egrediens ab urbe honorabiliter educitur.*

XXIII. *Sueſſione B. Medardi Eccleſiam conſecrat.*

Antequam Innocentius Remos ad Concilium perveniret, die trigeſima menſis Septembris Aurelianis benedixit Odonem ſancti Medardi Sueſſionenſis Abbatem, & Idibus Octobris Sueſſione Eccleſiam ſancti Medardi conſecravit; in Chronico enim ſancti Medardi Sueſſionenſis, quod extat Tomo 2 Spicilegii Dacheriani, ad annum 1131 legitur: *Eccleſia B. Medardi Sueſſionis dedicatur à domno Innocentio Papa II prædicto, Pontificatûs ſui anno ſecundo, in honore B. Mariæ ſemper virginis, & ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum, & in honore B. Medardi Epiſcopi & Confeſſoris Idus Octobris. Prædictus ſiquidem Papa ante dedicationem Eccleſiæ prædictæ Odonem Abbatem B. Medardi, nolente & contradicente Epiſcopo Sueſſionenſi, Aurelianis benedixit pridie Kalendas Octobris*. Dedicationis Eccleſiæ beati Medardi ab Innocentio Papa II peractæ meminére & alii.

XXIV. *Remis Concilium celebrat.*

Ex urbe Sueſſionenſi ad Remenſem profectus eſt Innocentius pro celebratione Concilii ad diem 18 Octobris indict. 10. *Dominum Papam Remim*, inquit Chronographus Mauriniacenſis, *Epiſcoporum, Abbatum, Literatorum, nobiliumque Clericorum grandis numerus ſequebatur*. De hoc Concilio loquuntur Ernaldus Abbas Bonævallis in Vita ſancti Bernardi, Auctor Vitæ S. Norberti apud Surium die ſexta Junii cap. 27, Sugerius in Vita Ludovici VI Francorum Regis, Urſpergenſis in Chronico, & Mauriniacenſis Chronographus. *Illic affuerunt*, inquit Ordericus Vitalis lib. 13 pag. 895, *13 Archiepiſcopi, & 263 Epiſcopi, & Abbatum ac Monachorum & Clericorum magna multitudo. Illuc Rex & Regina, & tota nobilitas Franciæ confluxerunt*. Concilium indictum fuerat ad diem 15 Kalendas Novembris, ſeu ad diem 18 Octobris ex Chronographo Mauriniacenſi ſuperius laudato, qui dies anno 1131 incidebat in dominicam; ſed inceptum eſt tantùm die ſequenti, ſcilicet 14 *Kalendas Novembris*, teſte Dodechino in Chronico; ut enim alibi obſervavimus, precibus die Dominica ritè peractis, Concilia de more die Lunæ inchoabantur.

XXV. *Hujus Concilii Canones.*

Hujus Concilii Acta periére, ſed ſeptemdecim canones in eo conditi leguntur Tomo X Conciliorum, quorum quarto, officio atque Eccleſiaſtico beneficio privantur, *qui à Subdiaconatu & ſupra uxores duxerint, aut concubinas habuerint*. Quinto præcipitur, *ut nullus Miſſas eorum audiat, quos uxores, vel concubinas indubitanter habere cognoverit*. Undecimo, *Treuga Dei ab occaſu Solis in quarta feria uſque ad ortum Solis in ſecunda feria, & ab Adventu Domini uſque ad Octavam Epiphaniæ, & à Quinquageſima uſque ad Octavas Pentecoſtes, ab omnibus inviolabiliter obſervari* præcipitur. Alii canones in eodem Conciliorum Tomo legendi. Porrò Jacobus Sirmondus obſervavit illos canones 17 huic Remenſi Concilio etiam tribui in Collectione codicis Ebroicenſis; eos enim deſcripſerat ex veteri codice MS. ſancti Michaelis de Tumba. In eo Concilio Innocentium Papam, Anacletum Antipapam, & ſuos fautores excommunicaſſe teſtes ſunt Urſper-

Urſpergenſis Abbas in Chronico, & Auctor Vitæ S. Norberti apud Surium loco citato.

XXVI. *Innocentius in eo Ludovicum Ludovici VI Franc. Regis filium Regem conſecrat.*

Sugerius in Vita Ludovici VI Francorum Regis refert miſerandum caſum Philippi filii ejuſdem Regis natu maximi, cùm perterrefactus equus, cui inſidebat, porco obvio, eundem adoleſcentulum dejecit in terram, deſuper ipſum equo ruente, quo & fuit extinctus *tertio Idus Octobris*, quem diem notant Ordericus loco laudato, & pſeudo-Robertus de Monte in Chronico. Quomodo autem ad leniendum Regis mœrorem, de obitu primogeniti, ſuaſerunt amici, ut ungi faceret ab Innocentio Papa ſecundo-genitum, idem Sugerius, qui aderat, his verbis refert: *Qui ergo intimi ejus & familiares eramus, formidantes ob jugem debilitati corporis moleſtiam ejus ſubitum defectum: conſuluimus ei, quatenus filium Ludovicum, pulcherrimum puerum, Regio diademate coronatum, ſacri liquoris unctione Regem ſecum ad refellendum æmulorum tumultum conſtitueret. Qui conſiliis noſtris acquieſcens, Remos cum conjuge, & filio, & regni proceribus devenit, ubi in pleno & celeberrimo, quod dominus Papa Innocentius convocaverat, Concilio, ſacri olei unctione, & coronæ regni deportatione, in Regem ſublimatum, felicem providit regno ſucceſſorem. Unde multis quaſi quodam præſagio videbatur ejus deberi amplificari potentia, qui tot & tantorum, & tam diverſorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Francorum, Teutonicorum, Aquitanorum, Anglorum, Hiſpanorum, ſuſcepit benedictionem glorioſam.* Iſte Ludovicus poſt Ludovicum VI patrem in Francia regnavit.

XXVII. *Dies, & pompa illius conſecrationis.*

Diem, quo Innocentius Pontifex Ludovicum in Regem unxit, notarunt pſeudo-Robertus de Monte, & Ordericus laudati, octavum nempè Kalendarum Novembris, ſeu diem 25 Octobris, quem fuiſſe dominicum ſcripſit Chronographus Mauriniacenſis, qui pompam ejus inaugurationis deſcribit. Ludovicus Rex aſcenſo tribunali D. Papæ de more pedes oſculatus, ſellâ juxta poſitâ, paucis de filio defuncto peroratis, omnes Proceres, totumque conſeſſum, & populum ad lachrymas excitavit: demum verò Ludovicum juniorem filium, ad ſolatium ſuæ ſenectutis, in ſucceſſorem inungi poſtulavit. Pontifex autem in Regem converſus intuitum, ſic orſus eſt fari: *Oportet te Rex optime*, deinde fusè deſcribit Pontificis orationem, poſteaque ſubdit: *Hujus orationis mirabili velut antidoto, ſaucium cor Regis, ſanctus Apoſtolicus delinivit. Ac protinus ſurgens in pedes, oratione Dominica, ſicut mos Chriſtianus exigit, dicta ſub ſilentio, pueri defuncti animam abſolvit. Dein Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, per obedientiam monuit, quatenus ſacris atque feſtivis, ſicut erant in Conventu, veſtibus induti, die craſtina, quæ dominica futura erat, ſeſe repræſentarent, & conſecrationi novi Regis intereſſent. Igitur eo die, ſolito clarior Sol illuxit, & rebus agendis ſuum obſequium ovanter præſentare viſus eſt. Papa mane ſummo, de palatio Pontificis egrediens cum ſuis Curialibus & Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus, ad Eccleſiam B. Remigii, ubi Rex cum filio hoſpitatus erat, perrexit: & cum magna devotione, atque proceſſione Monachorum decentiſſimè ſuſcipitur. Ibique Romani Pontificis omnibus inſignibus indutus, ac, ut ſibi conſuetudinis eſt, in ſacris magniſque feſtivitatibus, Phrygio coronatus, innumera Eccleſiaſtici atque militaris ordinis, plebiſque multitudine conſtipatus, ad Eccleſiam matricem, quæ in honore Beatæ Mariæ conſecrata eſt, cum puero conſecrando pervenit. Ante fores Eccleſiæ eos expectabant Rex, Proceres ejus, Archiepiſcopi, quidam Epiſcopi, Abbates, Monachi, Canonici, Clerici, Conſcholaſtici, qui de diverſis Galliæ & Germaniæ partibus ad Concilium confluxerant. Intrant Eccleſiam, puerum ad Altare præſentant, & oleo, quo ſanctus Remigius per Angelicam manum ſibi præſentato, Clodoveum Regem Francorum in Chriſtianum unxerat, puerulum decem annos plus minus habentem cum ingenti tripudio domnus Papa conſecravit. Fuerunt qui dicerent, nunquam in Francia ſimul eveniſſe Concilii celebrationem, & ab ipſo Romano Pontifice factam Regis conſecrationem.* Dodechinus etiam in Chronico hanc Ludovici conſecrationem in Concilio Remenſi ab Innocentio Papa factam memorat.

XXVIII. *Innocentio PP. in eo Concilio plures Reges obedientiam præſtant.*

Sanctum Norbertum Archiepiſcopum Magdeburgenſem Concilio Remenſi interfuiſſe, præter Auctorem ejus Vitæ mox laudatum, aſſerit etiam idem Chronographus Mauriniacenſis: *Die craſtino*, inquit ſcilicet die Lunæ vigeſima ſexta octobris, *domino Papæ in Concilio reſidenti, per quemdam Magdeburgenſem Archiepiſcopum præſentatæ ſunt literæ à Lothario Rege Alemannorum, in quibus rurſus ei obedientia promittitur, & quòd ſe ad expeditionem cum juribus* (legendum viribus) *omnibus regni ſui prepararet, intimatur*, (ad expeditionem nempè Italicam) *Similiter etiam Rex Anglorum Henricus per Hugonem Archiepiſcopum Rotomagenſem & ornatiſſimas literas miſit, & obedientiam promiſit. Reges quoque citerioris Hiſpaniæ ſenior Hildefunſus* (nempè Alphonſus VI Aragoniæ & Navarræ Rex) *& interioris Junior Hildefunſus* (ſc. Alphonſus VII Caſtellæ Rex) *miſſis per Epiſcopos ſuarum provinciarum Epiſtolis Papam ſalutant, ſe ſe filios & obedientes denunciant, auxilium contra Chriſtiani nominis inimicos, & regionum illarum invaſores Moabitas, ſupplicitèr efflagitant. Fuerunt ſiquidem & lætitiæ & admirationi ad id nego-*

SÆC. XII. INNOCENTIUS II.

tium pertinentes excellentiſſimorum Eremitarum Cartuſienſium literæ, quæ per quemdam venerabilem Abbatem de Ordine Ciſtellenſi (legendum Ciſtercienſi) *delatæ, & in Concilio per Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum recitatæ ſunt*. Refert poſtea iſte Chronographus Cartuſianorum literas, quas dicunt ſe mittere *per Abbatem Pontiniacenſem*, qui erat Hugo primus hujus monaſterii Abbas, poſtea Epiſcopus Autiſſiodorenſis, vir magnæ ſanctitatis, de quo fusè agit Manricus in Annalibus Ciſtercienſibus variis in locis.

XXIX. *Innocentius PP. Remenſe Concilium canonizatione S. Godehardi terminat.*

Denique Concilium Remenſe terminavit Innocentius Papa canonizatione ſancti Godehardi Epiſcopi Hildensheimenſis anno 1038 demortui. Bernardus ejuſdem urbis Epiſcopus Innocentium Papam, Leodii Concilium celebrantem, convenerat, & ab eo hanc canonizationem petierat; ſed ad Concilium Remenſe remiſſus fuerat, ut conſtat ex Auctore Anonymo libelli de Canonizatione & Translatione ſancti Godehardi, qui extat Sæc. VI Benedict. part. 1, poſt Vitam ejuſdem Sancti; *Præſul noſter Bernardus*, inquit loquens de Concilio Leodienſi, *cum majoribus noſtræ Eccleſiæ aſſiſtens, videns opportunitatem ultrò ſibi collatam, ipſum Apoſtolicum cum omni Curia Romana aggreditur, vitaque Paſtoris noſtri coram ipſis recitatur, & ut per eum in Eccleſia Dei canonizetur, devotiſſimè preces funduntur. Sed cùm conſuetudo ſit Romanæ Eccleſiæ, in generali Concilio Sanctos Dei canonizare, quod tunc temporis in Remenſem civitatem in feſto ſancti Lucæ indictum fuerat; accepto conſilio petitionem Eccleſiæ noſtræ uſque in prædictum locum diſtulit, ibique diffiniturum certiſſimè promiſit*. Tum refert Bernardum unà cum Norberto Magdeburgenſi Metropolitano, Remis honorificè ſuſceptum eſſe, & *dum jam Synodus aliquot dies eſſet celebrata*, conveniſſe Innocentium cum ſuis Cardinalibus, de cauſa beati Godehardi ſubmonuiſſe, omneſque unanimes & concordes in ſua petitione inveniſſe. *Poſtera die*, ſubdit, *cùm in Synodo generali Apoſtolicus reſideret, nullo admonente, ſed Deo faciente, Apoſtolicus ad omnes luculentam orationem habuit, in qua diſertiſſimè petitionem noſtræ Eccleſiæ de patrono noſtro expoſuit; &, ut aſſenſum præberent, devotiſſimè poſtulavit. His ita geſtis Epiſcopus Tarraconenſis, vir religioſus, & literali ſcientia eruditus, quo ordine Translatio fieri deberet, expoſuit, ſcilicet ſi ea, quæ dicebantur de patrono noſtro, Eccleſia noſtra per legitimos teſtes, ac juramento comprobaret. His verò verbis Apoſtolicus ſe interpoſuit; & ſe à principibus terræ noſtræ adeò in Leodicenſi Eccleſia certificatum fuiſſe aſſeruit, ut non opus eſſet id ſecundò teſtificari quod lucidiùs Sole poſſet comprobari. Auditis autem quę ab Apoſtolico dicebantur, omnes unanimiter, ut canonizetur, aſſenſum prębent, & ut laudes Domino perſolvantur, admonent, qui dignatur ſervos ſuos ab infirmitate hujus carnis eripere, & inter ſanctos & electos ſuos collocare. Continuò* Te Deum laudamus *canitur, laus Omnipotenti Deo perſolvitur, & ſic demum coadunata Synodus terminatur*. Quibus ex verbis intelligimus Synodum finitam eſſe canonizatione ſancti Godehardi, & quidem die vigeſima nona Octobris; eo enim die Innocentius Remis literas dedit *Clero &* populo Hildensheimenſi, quas ſtatim refert idem Anonymus, quibus ſignificat, ſe Godehardum in Sanctorum numerum retuliſſe, & quidem *in plenaria Synodo*.

XXX. *S. Godehardi vita Synopſis.*

Sanctus Godeardus primùm fuerat Abbas monaſterii Altahenſis in Bajoaria poſiti, non longe à Danubio. Sed mortuo, anno 1022 Sancto Bernwardo Epiſcopo Hildensheimenſi, qui Epiſcopatus ſitus eſt in Saxonia inferiori, à Ludovico Pio Imperatore fundatus, Sanctus Henricus Imperator huic Epiſcopatui Godehardum, licèt invitum ac renitentem, præfecit. Godehardus ab Aribone Metropolita Moguntinenſi conſecratus, cum maxima pietatis & prudentiæ laude Epiſcopi munere perfunctus eſt uſque ad diem quartum menſis Maji anni milleſimi trigeſimi octavi, quo ſanctiſſimè obiit. Cùm verò ſicut in vita, ita & poſt mortem miraculis clareret, *anno Dominicę Incarnationis* 1128, *obitûs verò Beati Godehardi nonageſimo*, Bertoldus Hildensheimenſis Epiſcopus in conſeſſu ſuorum Clericorum de condignis in Eccleſia de huic Sancto honoribus exhibendis egit; verùm cùm aliquanto poſt tempore, anno ſcilicet 1130 obiiſſet, & Bernardus ei ſuffectus fuiſſet, perrexit is ad Innocentium Papam, à quo ejuſdem Sancti canonizationem obtinuit, eo quo diximus modo. Ejus Translatio poſtea peracta eſt quarto Nonas Maji anni 1132. Porrò Vitam ejuſdem Sancti exhibent Bollandiani ad diem IV Maji, & Mabillonius Sec. VI Benedict. part. 1. Ceterum hìc non omittendum eſt, deceptum eſſe Henſchenium, & poſt eum Mabillonium, qui Vitam Sancti Godehardi illuſtrantes, verba numero ſuperiori relata, *Epiſcopus Tarraconenſis, vir religioſus*, &c. explicant de *Michaële* poſt expulſos Saracenos Epiſcopo Tarraconenſi, ut tradunt Surita & alii; nam Michael erat Epiſcopus Tarraconæ in regno Aragoniæ, non verò Tarragonæ aut Tarraconæ in Principatu Catalaunenſi ſeu Barcinonenſi, cujus Archiepiſcopus erat Beatus Oldegarius, qui Innocentii II Curiam ſequebatur, ut conſtat ex diplomate ab eodem Pontifice dato *Belvaci*, de quo ſuperius meminimus ex Bibliotheca Cluniacenſi, cui reſcripto præſens fuit Oldegarius Epiſcopus Barcinonenſis, & Archiepiſcopus Tarraconenſis, de

quo

Digitized by Google

quo ideò, non de Michaele Epiſcopo Tarraconæ in Aragonia explicandus venit Anonymus Auctor laudatus Hiſtoriæ Canonizationis & Translationis Sancti Godehardi, ut obſervavit Annotator Baronii ad annum 1131 num. 14, qui & anno 1120 num. ult. *Tarraconæ*, in Celtiberia & in regno Aragoniæ, differentiam à Tarracona in Catalaunia explicat.

XXXI. *Innocentius PP. poſt Concilium Remenſe Autiſſiodori moratur.*

Sugerius in Vita Ludovici VI Regis, narrata unctione Ludovici ejus filii in Regem ab Innocentio Papa in Remenſi Concilio peracta, ſubdit: *Cùmque pater vivi gaudio, defuncti dolorem allevians, Pariſium rediret, dominus Papa, ſoluto Concilio Autiſſiodoro elegit demorari*, qua in urbe eum toto hoc eodem anno 1131 commoratum exiſtimandum; certè die 28 Novembris adhuc in ea verſabatur; eo enim die ad petitionem Heloiſſe, uxoris quondam Petri Abaëlardi, tunc Prioriſſæ monaſterii Paracletenſis, in diœceſi Trecenſi ſiti, ejuſdem monaſterii poſſeſſiones, impræſentiarum adeptas, aut in futurum eidem concedendas, ſub Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcepit. Eas literas refert Bulæus Tomo 2 Hiſt. Univerſitatis Pariſ. pag. 127 cum hac clauſula: *Datum Antiſſiodori per manum Aldierici* [legendum Aymerici] *S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarii IV Kal. Decemb. Indict. X, Incarnat. Domini an.* 1131, *Pontificatûs verò D. Innocentii Papæ II anno II*. Scribit idem Bulæus Innocentium Petri Abaëlardi *rogatu & meritis* inductum, Paracletenſis monaſterii bona ſub Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcepiſſe, quod valde veroſimile videtur, cùm Abaëlardus tunc temporis fuerit in comitatu Innocentii Papæ, præſens enim fuit conſecrationi Altaris Monaſterii Mauriniacenſis ab eodem Pontifice peractæ menſe Januario ejuſdem anni 1131. *Inter eas venerabiles perſonas*, inquit Chronographus Mauriniacenſis, *quæ huic conſecrationi adfuerunt, venerabiliores fuerunt Epiſcopi Cardinales*, &c. *Bernardus Abbas Clararum vallium, qui tum temporis in Gallia divini verbi famoſiſſimus prædicator erat; Petrus Abaëlardus Monachus & Abbas* (nempe Ruyenſis in minori Britannia) *excellentiſſimarum Rector ſcholarum, ad quas penè de tota latinitate viri literati confluebant*. Idem poſtea Chronographus ſcribit Pontificem *Remos ad Concilium celebrandum proficiſcentem, Epiſcoporum, Abbatum, Literatorum, nobiliumque Clericorum grandis numerus ſequebatur*, inter quos fuiſſe Abaëlardum non videtur dubitandi locus. Quibus etiam ex verbis Chronographi Mauriniacenſis deducitur, deceptos non eſſe, qui ſcripsêre Abaëlardum ſub extrema vitæ tempora, & poſt datum Heloiſſæ monaſterium Paracletenſe ſcholas reſumpſiſſe.

XXXII. *In Italiam redit.*

Innocentius Papa, qui, ut ait Ordericus lib. 13 pag. 895, toto anno 1131 *Franciam peragravit, & immenſam gravedinem Eccleſiis Galliarum ingeſſit, utpote qui Romanos Officiales cum multis clientibus ſecum habuit, & de redditibus Apoſtolicæ Sedis in Italia nihil adipiſci potuit*, anno 1132, ut habet idem Ordericus pag. ſequenti, *poſtquam à Gallis, in quibus obedientiam & ingentem amicitiam repererat, receſſit, Italiam expetiit*. Autiſſiodoro itaque Cluniacum pervenit Kalendis Februarii, ibique Purificationem B. Virginis celebravit, ut ipſemet ſcripſit ad Ludovicum VI Francorum Regem, literis Cluniaci *IV Nonas Februarii* datis, quæ extant Tomo X Concil. pag. 955. Imò adhuc Cluniaci verſabatur die 10 ejuſdem menſis, quo literas dedit Stephano Ciſtercienſium Abbati, quibus prohibet, ne aliquis Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, eum vel ſucceſſores ejus, ſeu aliquem Abbatem Ciſtercienſis ordinis, *niſi pro fide, ad Concilium vel Synodum venire compellat*. Literæ datæ ſunt *Cluniaci IV Idus Febr. indict. X, Incarnat. Dom. anno* 1132, *Pontificatûs verò domini Innocentii ſecundo*, & referuntur à Manrico in Annalibus Ciſtercienſibus. E' monaſterio Cluniacenſi Lugdunum venit, ubi reſcriptum emiſit in Bibliotheca Cluniacenſi pag. 1394 recitatum, in cujus fine legitur: *Actum eſt Lugduni anno Incarnat. Dom.* 1132, *Pontificatûs verò domni Innocentii Papæ II anno ſecundo*. Lugduno Valentiam profectus eſt, ubi controverſiam quandam, quæ inter Cluniacum & Abbatem Sancti Ægidii, exorta erat, compoſuit literis Tomo X Concil. pag. 964 recitatis, datiſque *Valentiæ per manum Aymerici S. R. E. Diaconi Card. & Cancell. VIII Kal. Martii, Incarnat. Dom. anno* 1132, *Pontificatûs verò domni Innoc. II Papæ anno III*. Diu Valentiæ moratus eſt Innocentius, die enim decima ſexta Martii ea in urbe privilegium conceſſit Trenorcienſibus, à Chiffletio in Probationibus Hiſtoriæ Trenorcienſis pag. 418 recitatum.

XXXIII. *Placentiæ Concilium celebrat.*

Ex urbe Valentina ad Fanum Sancti Ægidii ſe contulit, indeque in Italiam, ut refert Baronius ex Auctore Anonymo hujus temporis, qui ait: *Recedens Gallia venturus Romam, tranſiens per Sanctum Aegidium & per montem Genuæ* (legendum Genevæ) *fines Longobardiæ intravit, & apud Aſtam ſolemnitate Reſurrectionis dominicæ* (quæ anno 1132 in diem decimam Aprilis incidebat) *celebrata, Placentiam venit. Ibi convocatis Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, tam de Longobardia, quàm de Ravennatenſi provincia & Marchia inferioris partis, tertium Concilium celebravit*. Tempus & Acta hujus Concilii penitus ignorantur; illud ſolùm conſtat Inne-

nocentium Placentiæ adhuc fuiſſe *Nonis Novembris*; ea enim die dedit literas ad Gaufredum Carnotenſem Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Legatum, & ad Stephanum Pariſienſem Epiſcopum, quibus mandat, ut Aurelianenſi Subdecano ac ſociis, honores & bona ablata reſtitui ſatagant. Extant hæ literæ eodem Tomo X Concil. pag. *956*.

XXXIV. *De Eccleſiæ ſtatu cum Lothario Rege colloquium habet.* Eodem anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſecundo, ut tradit idem Auctor Anonymus, Rex Lotharius in Longobardiam, ſicut promiſerat, cum exercitu venit, & in Roncaliis [planus ac patens eſt campus, non longè à Placentia ſuper Padum ex Ottone Friſingenſi in Frederico lib. 2 cap. 12, & Gunthero lib. 2] cum eodem Papa & Longobardis generale colloquium de ſtatu Eccleſiæ atque Imperii habuit. Colloquium illud poſt menſem Auguſtum habitum eſſe, eruo ex Chronographo Hildensheimenſi hoc tempore vivente, qui ad annum 1132 ſcribit: *Circa Aſſumptionem Sanctæ Mariæ profectio Regis* [Lotharii] *in Italiam pro conſecratione ſua ab Apoſtolico apud Romam in Cæſarem*. Et infra: *Rex Natalem Domini in Longobardia apud Villam Medicinam dictam celebrat*, quem Natalem cum anno 1133 alligat, quia ab eo die annum exorditur. Poſt menſem itaque Auguſtum, aut circiter, colloquium habuit Innocentius Papa cum Rege Lothario, certè poſt feſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ, cùm Lotharius circa illud cum exercitu è Germania in Italiam profectus ſit.

XXXV. *Genuenſem Eccleſiam Metropolim dicit.* Præteriens igitur Regem Pontifex, & per montem Bardonis in Tuſciam tranſiens, reverſus eſt Piſas, ibique convocatis Genuenſibus, & receptis ab utraque civitate ſufficientibus juramentis, quod de guerra, quæ inter ipſas civitates excitabatur, ſuo deberent ſine contradictione ſtare mandato, præcepit, ut de cetero pacem inter ſe firmam tenerent, & cuſtodirent, ut ſcribit idem Anonymus, qui poſtea ſubdit, Pontificem ibidem exiſtentem, Genuenſem Epiſcopum à ſubjectione Mediolanenſis exemiſſe; eumque Metropolitanum conſtituiſſe, cui Bobienſem Epiſcopum, & Portiniacenſem Abbatem, quem creavit Epiſcopum, obedire præcepit; ac inſuper in inſula Corſica tres Epiſcopos eidem Archiepiſcopo conceſſit. Epiſcopo verò Piſano, jam ab anno 1118 Metropolica dignitate, ut ſuo loco diximus, à Gelaſio II ornato, aliquot ſuffraganeos tam in Sardinia, quàm in Corſica attribuiſſe aſſerit idem Auctor apud Baronium.

XXXVI. *Romam cum Lothario Rege ſe confert.* Anno milleſimo centeſimo trigeſimo tertio Innocentius Papa & Lotharius Rex Romam petierunt. Concordantes igitur, ut ad Urbem feſtinarent, Rex per ſtratam publicam tranſivit, Pontifex per maritima uſque Viterbium: proceſſerunt poſtea ſimul per Hortum, & Sabinenſe ac Farfenſe territorium, & apud Eccleſiam S. Agnetis caſtrametati ſunt, deinde intrantes Romam, Pontifex quidem in palatio Lateranenſi hoſpitatus eſt, Rex verò Lotharius in Monte Aventino tentoria fixit. Tunc Piſani & Genuenſes in auxilium Papæ Innocentii cum navali exercitu Romam venientes; civitatem veterem, turrim pulveream & totam Marmoratam eidem Pontifici ſubjugarunt. Hæc ex Actis ſæpius à Baronio laudatis, quæ Innocentii & Lotharii Romam ingreſſum conjungunt cum anno 1133. Falco item in Chronico Beneventano ad eundem annum, Innocentium Lateranenſe palatium ingreſſum eſſe, Lotharium verò circa monaſterium S. Pauli caſtrametatum eſſe ſcribit. Tandem Auctor Vitæ S. Norberti Archiepiſcopi Magdeburgenſis apud Surium die ſexta Junii, ait: *Cum eo* (ſcilicet Lothario) *autem & aliis tam Epiſcopis, quàm Archiepiſcopis ex præcepto & obedientia Innocentii Paſtoris Catholici Pontifex Norbertus profectus eſt, tranſitiſque caſtris & urbibus cum magna turba præeuntis & ſubſequentis exercitus, Romam Papam venerabilem Innocentium ſecum ducentes perveniunt. Ubi cum impetu grandi & manu forti introeuntes, ipſum eundem Papam in Sancta Sede, invitis hoſtibus & adverſariis omnibus collocarunt. Porrò Lotharium Regem Pontifex in Sede poſitus, & alii, qui convenerant, in Romanorum Imperatorem conſecraverunt*. Poſtea idem Auctor narrat eximias ejuſdem Imperatoris virtutes.

XXXVII. *Lotharium Imperatorem coronat.* Sed cùm nullus ex illis Auctoribus menſem ac diem, tam adventûs Innocentii, quàm coronationis Lotharii in Imperatorem notaverit, & tamen ſine temporis certitudine, *labor omnis pro veritate indaganda ſuſceptus penitus evaneſcit, atque in multiplices errores ferri Hiſtoricos ſit neceſſe*, ut ſcribit Baronius ad annum 1133 num. 1. Hîc enim non omittendum, Chronographum Hildensheimenſem, non ſolùm menſem & diem ingreſsûs Lotharii in urbem Romam, ſed & diem coronationis ejuſdem Lotharii nobis conſervaſſe. Hic autem Chronographus annum à Natali Chriſti incipiens, annum 1133 ita exorditur: *Rex Natalem Domini in Longobardia apud villam Medicinam dictam celebrat* [eſt illud Natale anni 1132]. *Per Italiam pleraque loca munita ſibi reſiſtentia capit. Tandem II Kalendas Martias Romam cum multo favore ingreditur, ibique II Nonas Junii, quo tunc dies dominica extitit, Lateranis in Baſilica S. Joannis Baptiſtæ à domino Apoſtolico Innocentio in Imperatorem conſecratur*. Eundem diem coronationi Lotharii aſſignant

gnant

Digitized by Google

gnant Trithemius in Chronico Hirſauglenſi, & Onuphrius in Chronico Eccleſiaſtico.

XXXVIII. *Non in Eccleſia S. Petri, ſed Lateranenſi.*

Ordericus Vitalis lib. 13 pag. 897, malè edoctus de geſtis in hac profectione Romana Innocentii II Papæ, & Lotharii II Imperatoris, ait Innocentium à Lothario, dum Romæ verſaretur, ad placitum vocatum, venire recuſaſſe, ob idque Lotharium contra eum indignatum, *quæque poſſidebat* dimiſiſſe, *& negotio imperfecto poſt hebdomadas ſeptem* receſſiſſe. Sed id refellitur ex eo quod Chronographus Hildensheimenſis laudatus ſcribit, Lotharium *ſecundo Kalendas Martias* Romam ingreſſum eſſe, & poſt menſes tantùm tres, nempe ſecundo nonas Junii coronatum, & quidem in Baſilica Lateranenſi, non in Eccleſia S. Petri, ut moris erat, cujus rei rationem reddit Otto Friſingenſis lib. 7 cap. 18. *In Eccleſia S. Salvatoris*, inquit, *quæ Conſtantiniana dicitur, à Summo Pontifice Innocentio coronatus, Imperatoris & Auguſti adeptus eſt nomen.* Nempe Eccleſiam B. Petri, *ubi mos coronari erat Imperatoribus, Petrus Leonis eo tempore occupaverat*, ſcilicet Anacletus Antipapa. Inſuper Baronius refert, ſe in Vaticanis ſchedis reperiſſe juramentum, quod Lotharius Innocentio Papæ præſtitit, antequam coronaretur, cujus hic eſt tenor: *Ego Lotharius Rex promitto & juro Tibi domino Papæ Innocentio, tuiſque ſucceſſoribus ſecuritatem vitæ, & in membris, & malæ captionis, & defendere Papatum & honorem tuum, & regalia Sancti Petri, quæ habes, manutenere; & quæ non habes, juxta meum poſſe recuperare.* Quare Innocentius Lothario, non multò poſtquam coronatus fuit, ſexto nempe Idus Junii, conceſſit Allodium Comitiſſæ Mathildis, ut ex ejus diplomate, quod extat Tomo X Concil. pag. 940, conſtat.

XXXIX. *Lotharius Antipapam, & ſectatores Divinæ, & Regiæ Majeſtatis reos declarat.*

Orderici tandem narrationem nulla veriſimilitudine niti, oſtendunt literæ encyclicæ Lotharii, de iis quæ Romæ geſſit, ut ſchiſma Petri Leonis, ſeu Anacleti Antipapæ extingueret, quas, quia breves, & malam fidem ejuſdem Antipapæ exhibentes, hic integras inſerere viſum eſt, ex Spicilegii Dacheriani Tom. 2 pag. 480. *Lotharius Dei gratia Romanorum Rex, Regibus, Archiepiſcopis, Principibus & univerſis Dei fidelibus, ad quos literæ iſtæ pervenerint, ſalutem. Majeſtatis ſuæ diſpenſationi & conſilio placuit Nos patronum & defenſorem S. Eccleſiæ Rom. ſtatuere. Ideoque neceſſe habuimus pro ipſius liberatione propenſiùs laborare. Cùm igitur aſcitis nobis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, & Marchionibus regni noſtri; Epiſcopos etiam, Comites & alios Barones Italiæ nobiſcum ducentes, bellico apparatu ſtipati ad Urbem proficiſceremur, nuncios illius ſchiſmatici Petri Leonis frequenter habuimus. Qui nimirum ex parte illius juſtitiam prætendentes, ipſi in jus ire parato non debere audientiam denegari, nec hoſtilibus impugnationibus moleſtari publicis clamoribus aſſerebant. Diutinis ergo eorum interpellationibus provocati, id ipſum Epiſcopis & Cardinalibus, qui cum Domino Papa Innocentio erant, ſignificare coacti ſumus. Ipſi verò tanquam canonicarum ſanctionum & inſtitutionum Eccleſiaſticarum non ignari, univerſam Dei Eccleſiam jam ſuper hoc promulgaſſe ſententiam, Petrum Leonis ac complices ſuos damnaſſe, aſſerentes, quod erat univerſitatis, non debere privatum fieri responderunt. Nos autem id ipſum cum patientia ſupportantes, & Patrem noſtrum Papam Innocentium ad Urbem cum gloria duximus, & Lateranenſi cathedræ reſtituimus, atque in Monte Aventino caſtrametati ſuimus. Ibique Petrus Leonis aures noſtras, & Principum noſtrorum, per Petrum olim Portuenſem Epiſcopum, & per alios fautores ſuos prætendendo juſtitiam ſollicitare non deſtitit. Qui etiam munitiones & obſides, ſe nobis daturos ad ſufficientiam pro ſervando judicio & viva voce & literis promiſerunt. Pacem igitur ſine effuſione ſanguinis reformare in Dei Eccleſia cupientes, quæ nobis illi dixerant, fratribus, qui cum domno Papa Innocentio erant, per nos ipſos ſignificavimus. Ceterum ipſi, ut pacis amatores, de juſtitia confidentes, tam perſonas ſuas, quàm Leonis, & filiorum ſuorum, necnon Cen. Pet. Frujapanis, & Petri Latronis, & munitiones in manu noſtra liberè obtulerunt. Adverſa verò pars dies redimere cupiens, ſub velamine fraudulentarum promiſſionum nos aliquanto tempore à noſtra intentione retraxit. Tandem quia ipſi ſæpe commoniti implere quod promiſerant, noluerunt, tanquam fallaces & perfidi, & tam Divinæ, quàm Regiæ majeſtatis rei, cum Petro Leonis, ejuſque complicibus damnati, & hoſtes à Principibus noſtræ Curiæ judicati; videlicet Norberto Magdeburgenſi Cancellario noſtro, & A.* [nempe Adalberone] *Bremenſi Archiepiſcopo, & P. Oſemburgenſi* [ſeu Philippo Oſnabrugenſi] *& P. Adalbronnenſi*, ſeu potius B. ideſt, Bernardo Paderbornenſi, de quo mox, aliiſque tum Epiſcopis, tum Abbatibus, tum Proceribus ibidem nominatis.

XL. *Lotharius in Germaniam redit.*

Nec eſt quòd quis dicat, hæc ſcripta eſſe à Lothario, antequam Imperator coronaretur; & Ordericum loqui de iis, quæ contigerunt poſt ejus coronationem; nam præterquamquod nullus Scriptor ſuffragatur Orderico; non ideo Româ diſceſſit Imperator, quia indignatus erat contra Innocentium, ut ille aſſerit, ſed quia Romanis Antipapæ adhærentibus reſiſtere non poterat; duo enim tantùm millia militum ſecum duxerat, teſte S. Bernardo Epiſtola

139, & cum tam exiguo exercitu Romanos, ad legitimum Papam ſuſcipiendum cogere potis non erat; quod inſinuat Sugerius Abbas San-Dionyſianus, qui in Vita Ludovici VI pag. 319 ſcribit, Innocentium Romam cum Lothario perrexiſſe, ſed *Romanis reſiſtentibus, pacem obtinere Petro Leonis* (ſeu Anacleto Antipapa) *vivente non* potuiſſe. Chronographus item Mauriniacenſis pag. 383 de Innocentio ait: *Romam unde venerat, intravit. Sed quia Petrus* (ſeu Anacletus) *injuſtus convicarius maximam partem ſibi ſociaverat civitatis, in illo temporis puncto, plenitudinem debiti ſibi honoris adipiſci non potuit*. Et hæc videtur vera cauſa cur Lotharius in Germaniam, & Innocentius Piſas ſe receperit, ubi, eodem Chronographo Mauriniacenſi teſte, *tamdiu demoratus eſt, quoad uſque Petrus Apoſtolicæ Sedis dignitatem morte interveniente reliquit*.

XLI. *Innocentius PP. Paderbornenſi Epiſcopo Pallium concedit.*

Innocentius Pontifex eodem die, quo Lotharium Imperatorem coronavit, uſum pallii Bernardo Paderbornenſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus conceſſit, quo uterentur in proprio tantùm Epiſcopatu; idem enim Chronographus Hildensheimenſis, narrata Lotharii conſecratione, ſtatim ſubdit: *Bernhardus Patherbornenſis Epiſcopus, qui tunc cum Rege aderat, uſum Rationalis in celebrationibus Miſſarum, conſtitutis temporibus & dedicationibus Eccleſiarum, ſeu ordinationibus Eccleſiaſticorum graduum, in proprio tantùm Epiſcopatu, ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus à prædicto Papa Innocentio promeruit*. Ubi Chronographus *Rationalis* nomine pallium intelligit, ut ex Gloſſario Ducangii in voce *Rationale*, eruitur.

XLII. *Piſas ſe recipit.*

Lothario Imperatore ex Urbe recedente, Innocentius Pontifex Piſas ſe recepit; Chronographus enim Mauriniacenſis, poſtquam dixit Pontificem impeditum fuiſse ab Anacleto Antipapa, ne *plenitudinem debiti ſibi bonoris* adipiſceretur, poſt pauca ſubdit: *Porrò quia illa diſciſſio, niſi citò finem ſuſciperet, populo, Urbi, dignitati, maximi damni occaſio fieret, Innocentius violentię locum prębens, ſaniori conſilio accepto, Piſum ſe contulit*. Ernaldus etiam Abbas Bonævallis in Vita S. Bernardi lib. 2 cap. 2, poſtquam dixit Petrum Leonis Antipapam, confœderatorum ſtipatum militiâ, Lotharii ludificaſſe virtutem, ſubdit: *Intelligens ergo Innocentius, Romę infructuoſum ſibi eo tempore moram, ne pręſentia ſua illius beſtię rabiem efferaret, rurſus Piſas revertitur*. Exeunte tamen menſe Septembri anni 1133 nondum Piſas pervenerat, ſed erat adhuc in territorio Romano. Nam Brovverus lib. 14 Annalium Trevirenſium ad annum 1134 refert fragmentum Epiſtolæ ab eo ad Alberonem Archiepiſcopum Trevirenſem ſcriptæ, in quo legitur: *data in territorio Romano anno* 1134, *Kalend. Octob.* ubi annum illum Piſanum eſſe, non Dionyſianum, ideoque reſpondere anno noſtro 1133, certum eſt, cùm Kalendis Octobris anni 1134 Dionyſiani, Innocentius non fuerit in territorio Romano, & parte alia conſtet Innocentium Papam Era Piſana aliquando uſum eſſe.

XLIII. *Piſtorienſis Eccleſ. privilegia confirmat.*

Menſe tamen Decembri ejuſdem anni milleſimi centeſimi trigeſimi tertii Innocentius jam Piſis verſabatur; Baronius quippe refert ejus diploma Attoni Epiſcopo Piſtorienſi, ſanctitate illuſtri conceſſum, quo ejus Eccleſiæ privilegia confirmat, in cujus fine legitur: *Datum Piſis per manus Aimerici S.R.E. Diaconi Card. & Cancellarii* 12 *Kal. Januar. indict.* 12, *Incarnat. Dominicæ* 1133, *Pontificatûs verò D. Inocentii Papæ II anno quarto*. Extat eadem Immunitas Eccleſiæ Piſtorienſis cum eadem ſubſcriptione Tomo X Concil, pag. 947. Porrò S. Attonis, ſeu Athonis ex Abbate generali Vallumbroſano Epiſcopi Piſtorienſis vitam exhibet Papebrochius ad diem 22 Maji, ſed in eo fallitur, quòd exiſtimat temporis characteres in illa ſubſcriptione expreſſos inter ſe non convenire, ut examinanti perſpicuum eſt. Hujus Sancti Præſulis mortem, cujus nomen anno 1673 Martyrologio Romano inſcriptum eſt, connectit cum anno 1155. Piſtoria urbs eſt Hetruriæ in agro Florentino, clara natalibus Clementis IX Pontificis Maximi è gente Roſpiglioſia.

XLIV. *Daniæ & Sveciæ Epiſcopos Hamburgenſi Archiep. ſubjicit.*

Adelbero Hamburgenſis, ſeu Bremenſis Archiepiſcopus ſæpè queſtus fuerat apud Calliſtum II, & Honorium II, quòd *Accerus*, ut habet Saxo Grammaticus lib. 13, non verò *Acetus*, ut legitur Tomo X Conciliorum, Lundenſis Epiſcopus, aliique Daniæ Præſules, ſibi obedientiam, tanquam Metropolitano debitam, denegarent, contra privilegia ſibi à pluribus Pontificibus Romanis conceſſa. Calliſtus verò, & Honorius, ac poſtea Innocentius II eis mandarat, ut aut ad Hamburgenſis Eccleſiæ obedientiam redirent, *aut ſi quam ſuper hoc ſe confiderent juſtitiam habere, ad Sedem Apoſtolicam venirent præparati*. Sed cùm ipſi Apoſtolicis mandatis non obedirent, idem Innocentius Papa hoc eodem anno 1133 in monte Aventino exiſtens ſexto Kalendas Junii, ad preces Lotharii Regis Romanorum, eidem Archiepiſcopo reſtituit Lundenſem, ceteroſque *Epiſcopatus Daciæ, Suediæ, Norvvegiæ, Farriæ, Gronlandiæ, Halſingaldiæ, Islandiæ, Scridevingiæ, & Sclavorum*. In fine literarum Innocentii Tomo X Concil. legitur: *Dat. Romæ apud Montem Aventinum per manum Aimerici S.R.E. Diac. Card. & Cancellarii 6 Kal. Junii, indict. undecima Incarnat. Dom. anno* 1133, *Pontificatûs verò domni Innocentii PP. II anno IV.* Eodem die eandem

dem in rem ſcripſit ad Nicolaum Danorum Regem, & ad Suedorum Regem, quibus rogando mandavit, ut Epiſcopos regnorum ſuorum ad obedientiam redire, diligenter ſatagerent adimplere. Ex quibus intelligitur, Adalberonem, quem Lotharius in ſuis literis encyclicis mox recitatis, vocat *Archiepiſcopum Bremenſem*, ab Innocentio II vocari *Archiepiſcopum Hamburgenſem*, quia uterque Epiſcopatus unitus fuerat, præſertim poſt Hamburgi devaſtationem, quæ anno 1072 contigit; eo enim anno Hamburgum planè ad nihilum redactum, exindeque primùm, quaſi jam illi toties, & tam vehementer deſolatæ civitati, colligendi ſe ex tanta miſeria ſpes nulla ſupereſſet, Brema Archiepiſcopalis tituli uſum arripuit, ut videre eſt in Metropoli Krantzii cap. 18, & fuſiùs apud Lambecium in Originibus Hamburgenſibus pag. 68 & ſeqq. Sed ut in Honorio III dicemus, tranſlatio Sedis Archiepiſcopalis ex Hamburgenſi ad Bremenſem Eccleſiam facta eſt tantùm anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo tertio.

XLV. *Piſis Concilium celebrat.*

Anno milleſimo centeſimo trigeſimo quarto Innocentius Papa Concilium Generale Piſis celebravit, de quo hæc habet Ernaldus Abbas Bonævallis in Vita S. Bernardi lib. 2 cap. 2. Innocentius *rurſus Piſas revertitur, ibique aggregatis totius Occidentis Epiſcopis, aliiſque religioſis Viris magnæ gloriæ Synodus celebratur*. Et paulò poſt: *Actiones Concilii longum eſt proſequi, ſumma tamen in excommunicatione Petri* [ſeu Anacleti Antipapæ] *& irregreſſibili fautorum ejus dejectione conſiſtit, & uſque hodie hæc ſententia perſeverat*. Robertus de Monte Sigeberti Continuator etiam aſſerit, Anacletum in Concilio Piſano fuiſſe anathematizatum. Joannes Chapeaville in Annotationibus ad cap. 27 Geſtorum Abbatum S. Laurentii Leodienſis, refert Alexandrum Leodienſem Epiſcopum, apud Innocentium Pontificem de ſimonia accuſatum, & ab ipſo ſemel, ac ſecundò, & tertiò vocatum, cùm venire tardaret, in Concilio Piſano depoſitum. Quo duro nuntio percepto, in tantam amaritudinem incidit, ut quaſi vix Confeſſione facta, Communioneque percepta, & regulari vita ad ſanctum Ægidium promiſſa, ſpiritum exhalaverit. In eodem Concilio Piſano Henricus quidam hæreticus, qui à tempore Paſchalis II Eccleſiam Gallicanam turbabat, ut docent Acta Cenomanenſium Epiſcoporum, à Mabillonio Tomo 3 Analectorum publicata, damnatus eſt. In iis enim pag. 341, poſt narratum incendium, quo univerſa civitas Cenomanenſis anno 1134 conflagravit, legitur: *Eo tempore pſeudo-Eremita, de quo ſcripſimus ſuperius, denuò in remotis partibus virus ſuæ hæreſis cœpit propagare, & Eccleſiam Dei nequitiæ ſuæ atramento corrumpere. Aurem ſuam tantùm Hiſtoriæ & literæ Prophetarum accommodans, dogmatizabat perverſum dogma, quod fidelis Chriſtianus nec retractare debet, nec erudire. Sed miſericordiâ Dei, qui ſemper reſpicit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum, ille Henricus ab Arattenſi* (legendum Arelatenſi) *Archiepiſcopo captus eſt, & domino Papæ Innocentio Piſis in authentico Concilio præſentatus, ibique iterum convictus, & generaliter Hæreticus appellatus, ac poſtremùm carcere mancipatus, cui poſtquam permiſſio conceſſa eſt abeundi ad alium provinciam, nova ſecta, novo curſu, novum iter aſſumpſit delinquendi, quam protinus ita turbavit, quòd minimè Chriſtiani Eccleſiarum adirent limina; ſed divinum contemnentes myſterium Sacerdotibus oblationes, primitias, decimas, infirmorum viſitationes, & ſolitam denegabant reverentiam.* Hunc Hæreticum Lauſanam, Cenomanos, Pictavos, & Burdegalam ſpurcitiis ſuis fædaſſe, aſſerit ſanctus Bernardus Epiſtolâ 240 apud Baronium anno 1147 num. 16. Quod attinet ad Concilii epocham, illam eruit Annotator Baronii ex Ughello Tomo 3 Italiæ ſacræ, ubi col. 865 refert, in antiquo MS. Piſano ad Carolum Strozzam Florentinum pertinente, diſertè legi, anno 1135 Piſano, qui nobis eſt 1134, *tertio Kalendas Junij Piſis* eſſe *celebratum generale Concilium per Papam Innocentium.*

XLVI. *S. Hugonem Epiſc. Gratianopol. canonizat.*

Sanctum Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum in Concilio Piſano ab Innocentio Papa Sanctorum honoribus donatum eſſe ſcribunt, ſed ſine teſte, Natalis Alexander & Joannes Palatius. At eam opinionem refellit Epiſtola, quam de canonizatione ejuſdem Sancti ſcripſit Innocentius ad Guigonem Cartuſiæ Priorem, cui juſſit, ut Vitam ipſius ſcriberet: *Cognita*, inquit, *Vita ejus, & auditis, quæ per B. Hugonis merita fiunt, miraculis, ſupernæ Majeſtatis clementiam collaudavimus: & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Cardinalium atque aliorum, qui nobiſcum aderant, communicato conſilio, ipſum inter Sanctos & Electos honorari præcepimus, & diem ejus aſſumptionis cum gaudio ſolemniter celebrari. Quia igitur ipſius vita, quam piè duxit in corpore, & miraculorum coruſcatio..... tuæ maximè dilectioni non extant incognita: auctoritate B. Petri, & noſtra tibi mandamus, quatenus ea, quæ tibi ſuper hoc nota fuerint, diligenter deſcribendo, poſterorum memoriæ tradas*, &c. data *Piſis decimo Kalendas Maji*, die nempè 22 Aprilis, diebus circiter quadraginta ante Concilium, quod, ex dictis, die trigeſima menſis Maji celebratum eſt. Ex quo & refellitur Baronius, qui cenſet, eam canonizationem factam à Pontifice *poſt celebratum Piſis Con-*

SÆC. XII. INNOCENTIUS II.

cilium. Certè ſi in Concilio id ab Innocentio factum fuiſſet, in literis laudatis canonizationis, id non tacuiſſet Pontifex; cùm videamus, eum canonizando ſanctum Godehardum in Synodo Remenſi, in literis ea de re datis, quæ extant Sæc. VI Benedict. part. I aſſerere, ſe eum in numerum Sanctorum retuliſſe *in plenaria Synodo*, ut ſuperiùs oſtenſum eſt, quæ eadem verba adhibet in literis canonizationis S. Sturmii Abbatis Fuldenſis, quem in Generali Concilio Lateranenſi anno 1139 Sanctorum honoribus donavit, ut ſuo loco dicetur. In literis verò, de quibus agitur, non ſolùm non dicit, ſe hunc Sanctum cœlitibus annumeraſſe in Synodo, ſed planè contrarium inſinuat verbis laudatis: *Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Cardinalium, qui nobiſcum aderant, communicato conſilio.*

XLVII. S. Hugonis vitæ ſummarium.

Sanctus Hugo Valentinus Canonicus, electus fuerat Epiſcopus Gratianopolitanus in ſecundo Concilio Avenionenſi anno 1080 celebrato, indeque cum Hugone Dienſi Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, Romam profectus eſt, ut à Summo Pontifice, qui tunc erat Gregorius VII, conſecraretur. Sanctum Brunonem Cartuſianorum fundatorem in ſua diœceſi excepit ſanctus Hugo, eumque in ſuo Ordine condendo ſtrenuè adjuvit. Depoſito deinde Epiſcopatu, monachus Cluniacenſis in monaſterio Caſæ-Dei in Arvernia ſito, factus eſt; ſed poſt annum, jubente eodem Gregorio VII, Epiſcopatum reſumpſit, & monaſterium Caliſienſe, vulgò *Chalais*, una circiter leuca à majori Cartuſia diſtans, ſub Sancti Benedicti regula fundavit. Obiit anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſecundo, & biennio poſt ab Innocentio II Sanctorum honoribus donatus eſt, cujus juſſu Guigo quintus Prior Cartuſianorum, hoc tempore vivens, vitam ejus ſcripſit, in Actis SS. Bollandianis ad diem primum Aprilis recitatam.

XLVIII. Ramirus Monachus fit Rex Aragoniæ, & uxorem ducit.

Hoc eodem anno milleſimo centeſimo trigeſimo quarto Innocentius Pontifex diſpenſavit cum Ramiro Monacho & Sacerdote monaſterii ſancti Pontii Thomerienſis in pago Narbonenſi ſiti, ut uxorem accipere poſſet, hac occaſione. Alphonſo VI Aragoniæ Rege mortuo, quia filium non habebat, regnum non poterat tumultibus non turbari. Quare Aragones Ramirum *Sacerdotem & Monachum, qui frater Regis erat, elegerunt, & Regem ſibi conſtituerunt*, inquit Ordericus Vitalis, qui librum primum Hiſtoriæ perduxit uſque ad annum; ut ipſe ait, *quo Joannes Auguſtus Alexii filius præeſt Conſtantinopoli, Lotharius verò dominatur Alemannis, Ludovicus Francis, Stephanus Anglis, & Remigius* (legendum Ramirus) *Monachus Hiſpanis*, ideoque liber ille ſcriptus ante annum 1137, quo Lotharius Imp. obiit. Guillelmus Neubrigenſis, qui in præfatione ſuorum Rerum Anglicarum librorum affirmat, ſe anno primo Stephani Anglorum Regis, ideoque anno 1135, in lucem prodiiſſe, lib. 2 cap. 10, narrata Alphonſi VI morte, ait: *Verſi autem Optimates, & populus de ſucceſſione, nepotibus contendentibus, ne regnum diſcerperetur, properè convenientes, & venienti periculo occurrentes, Regis filium* [nempè Ramirum, quem Ordericus fratrem dicit] *Clauſtro feſtinanter extractum ſublimaverunt in Regem, regnoque diſpoſito, ad procreandos qui ſuccederent liberos uxorem compulerunt ducere, neceſſitatis obtentu excuſantes exceſſum, & neceſſitatem legi non eſſe ſubjectam allegantes. Denique nata eſt ei unica filia*, Petronilla appellata, quæ poſtea nupta eſt Raimundo Berengarii Comiti Barcinonenſi hujus nominis IV. Idem enim Neubrigenſis ſubdit, Ramirum regno laudabiliter adminiſtrato, convocatis nobilibus cum univerſa pene militia ditionis ſuæ taliter eos eſſe allocutum: *Parcat mihi & vobis, Omnipotens Deus, chariſſimi fratres, factus ſum enim inſipiens, vos me coegiſtis, ſed nunquid qui cecidit, non adjiciet, ut reſurgat? . . . . . Ex me natam habetis regni hæredem, provideantur huic puellæ honorabiles nuptiæ: & regno erit conſultum. Redeat ergo Monachus iterum ad Regulam, & ſauciam de cetero ſanat conſcientiam. Reclamatum eſt ab omnibus; ſed cùm pium, felixque propoſitum diſſuaderi non poſſet, de conſilio Procerum juveni clariſſimo Barcinonenſis Comitis filio filiam deſpondit, regnoque illi cum filia tradito, vir memorabilis, præcipuuſque mundi contemptor pungentes conſcientiæ ſtimulos ultra non paſſus, poſita purpura cucullum reinduit, & regnum clauſtro mutavit.* Ex quibus deſtruitur conjectura Natalis Alexandri, qui contendit matrimonium Ramiri commentitium eſſe, quia licèt Pontifex Monachum à votis abſolviſſet, aut irrita vota declaraſſet, nemo ſibi perſuaſerit ipſum indulſiſſe Epiſcopo, ut uxorem duceret. Nam Ramirum tunc fuiſſe Epiſcopum, recentes quidem Scriptores Hiſpani contendunt; ſed duo Auctores laudati, hoc tempore viventes, diſertè dicunt, eum fuiſſe tantùm Monachum & Sacerdotem, non verò Epiſcopum; quod idem ſcribit Rodericus Toletanus lib. 6 cap. 1, & Gaufredus Prior Voſienſis hujus etiam temporis Auctor in Chronico cap. 48, ubi loquens de Raimundo Berengarii, ait: *Qui genuit Adelphonſum. Iſte Rex efficitur, eò quòd mater illius* (nempè Petronilla) *foret filia unica Garſiæ Raynier* (legendum Ramiri) *Monachi, qui Adelphonſo fratri occiſo, in Aragonenſi regno ſucceſſit.* Ipſemet Ramirus rem extra dubium ponit; Surita enim lib. 1 Annal. cap. 53 teſtatur ſe

Digitized by Google

ſe vidiſſe diploma originale, cui Ramirus ſubſcriptus reperitur *Rex & Sacerdos*,

XLIX. *Sed cum diſpenſatione Innocentii II Papæ.*

Scriptores Aragonenſes volunt Romanum Pontificem, cum Ramiro ſeu Ranimiro diſpenſaſſe, ut uxorem accipere poſſet; ſed alii id tribuunt Innocentio II, alii Anacleto Antipapæ, qui ultimi ſine dubio falluntur, nam tàm Aragoniæ & Navarræ, quàm Caſtellæ Reges, in Concilio Remenſi, miſſis per Epiſcopos ſuarum provinciarum Epiſtolis Innocentio II obedientiam præſtitiſſe oſtendimus num. 28; ideoque ad Anacletum Antipapam pro obtinenda diſpenſatione recurſum habere non poterant Aragonenſes. Sandovallius in Alphonſo VII pag. 152 dubitat de illa Pontificis diſpenſatione, *neſcio*, inquit, *an illo tempore diſpenſationes peterentur, & concederentur*. Verùm ſæculo undecimo Caſimirum Monachum Cluniacenſem Diaconum à Benedicto IX obtinuiſſe, ut ad regnum majorum ſuorum rediret, & uxorem duceret, in ejuſdem Benedicti Pontificatu oſtendimus; & hoc ipſo ſæculo duodecimo legimus, Ivonem Carnotenſem, aliosque Galliarum Præſules à Paſchali II petiiſſe, ut erga Philippum Franciæ Regem, qui Bertradam cognatam dimittere nolebat, diſpenſatione uteretur, qua de re legendæ Epiſtolæ 144, & 190 ejuſdem Ivonis. Sæculis itaque undecimo & duodecimo Pontifices Romani de votis à Monachis emiſſis, & de impedimentis matrimonii diſpenſabant. Id autem ab Innocentio II in gratiam Ramiri Monachi & Aragonenſium factum fuiſſe, evincit teſtimonium Roberti de Monte, Auctoris hoc tempore viventis, qui in Chronico ad annum 1160 ſcribit; Aragonenſes *Remelium* [pro Ramiro] *Monachum etiam jam ſenem LICENTIA ROMANI PONTIFICIS, à monaſterio abſtractum, Regem fecerunt; & ut hæredem haberet, Mathildem matrem Willelmi Vicecomitis Toarci illi aſſociaverunt, ex qua genuit unam filiam, quam Raimundus prædictus Comes duxit*. Quæ verba, *licentia Romani Pontificis*, non ſolùm ad abſtractionem Ramiri è monaſterio, ſed ad ejus etiam cum Mathilde matrimonium referenda eſſe, nemo eſt qui non videat: imò potius ad diſpenſationem ad matrimonium ineundum, quàm ad abſtractionem è monaſterio conceſſam diſpenſationem cenſet Annotator Baronii; quia, inquit, ſtatim ac Ramirus monaſterium reliquit, Oſcam venit, & Rex coronatus eſt, antequam id Romanus Pontifex reſcire potuerit. Sed veriſimilius mihi videtur, licentiam Romani Pontificis obtentam fuiſſe antequam Ramirus è monaſterio exiret, ut inſinuat Robertus de Monte laudatus, ex quo tamen etiam ſequitur, Pontificem non pro abſtractione tantùm è monaſterio diſpenſationem conceſſiſſe, ſed & pro matrimonio contrahendo; alioquin prior diſpenſatio fuiſſet inutilis, quia regnum Aragoniæ ſine hærede remanſiſſet, quod tamen erat unica cauſa abſtractionis Ramiri Monachi è monaſterio. Ex hoc inſuper Roberti de Monte teſtimonio refelluntur Scriptores Hiſpani, à quibus uxor Raimiri vocatur *Inez*, aut *Agnes*; & confirmatur quod ſcripſit Rodericus lib. 6 cap. 2, Ramiri nempe conjugem fuiſſe ſororem Comitis Pictavienſis, nempe Willelmi IX ultimi Aquitaniæ Ducis. Ex eodem denique Roberti teſtimonio habemus, uxorem illam Ramiri vocatam fuiſſe Mathildem, quæ primis nuptiis juncta fuerat Aymerico Vicecomiti Toarcii, ut videre eſt apud Beſlium in Hiſt. Comitum Pictavienſium cap. 34. Exemplum Ramiri in medium allatum eſſe ſæculo decimo ſexto exeunte, poſt mortem Sebaſtiani Portugalliæ Regis, quando de Henrico Cardinali Presbytero & Eborenſi Archiepiſcopo regni legitimo ſucceſſore maritando actum eſt, inſinuat Spondanus anno 1578 num. 14, & quidam Hiſtorici fuſè narrant.

L. *Innocentius PP. Lotharium Imp. in Italiam vocat.*

Cùm Rogerius Apuliæ Dux eodem anno milleſimo centeſimo trigeſimo quarto Robertum Capuæ Principem ſibi ſubjeciſſet, eodemque anno exeunte Beneventum occupaſſet, Innocentius Papa anno milleſimo centeſimo trigeſimo quinto Lotharium Imperatorem in Italiam vocavit, ut ſcribit Falco Beneventanus in Chronico pag. 198: *Cùm Robertus Princeps*, inquit, *Piſas reverteretur, conſilio Domini Papæ Innocentii, ſimul cum domino Girardo Cardinali, & Ricardo Comitis Rainulfi germano, ad glorioſum Lotharium Imperatorem feſtinavit, qui honorificè ab ipſo Imperatore ſuſcipiuntur, & ei qualiter principatum ſuum perdidiſſet, lacrymis multis intimavit. Precatur enim, & pro amore domini Papæ ſibi ſuccurreret, & quod injuſtè perdiderat, redintegraret. Imperator itaque muneribus multis ei datis promiſit ſe ipſo anno venturum ad Romanæ Sedis libertatem, & ejuſdem Principis reſtitutionem: & ſic Princeps ipſe reverſus domino Papæ Innocentio cuncta narravit*. Quare Sanctus Bernardus in Epiſtola 175, quam ex perſona Alberonis Trevirenſis Archiepiſcopi ad Innocentium Papam ſcripſit, ait: *Nequaquam nos Beneventi, non Capuæ, non ipſius Romæ terret, Deo ſic judicante, amiſſio; ſcientes Eccleſiæ ſtatum non armis æſtimari, ſed meritis*. Paucis interpoſitis: *Hoc quoque addo, dominum Regem, Deo eum confortante, fervere & accingi ad liberationem Eccleſiæ, & parare ſibi exercitum multum nimis*. Lotharius tamen anno tantùm 1136 Innocentii II precibus motus Italicam expeditionem ſuſcepit.

LI. *Stephani Angliæ Regis electionem gratam habet.*

Mortuo, ineunte Decembri anni mille-

leſimi centeſimi trigeſimi quinti, Henrico Angliæ Rege, Stephanus Bolonienſis Comes, filius Adelæ Henrici Regis ſine prole maſcula defuncti ſororis, in Regem electus eſt, & conſecratus. Hunc ſtatim ad Innocentium Papam de ſua electione ſcripſiſſe, eruo ex literis Innocentii ipſius ad Stephanum, quas Ricardus Prior Haguſtaldenſis in Hiſt. de Geſtis Regis Stephani pag. 313 recitat, *quibus eum Apoſtolica auctoritate in regno Angliæ confirmavit*, ut ipſe ait. In iis literis ſcribit Pontifex: *Nos cognoſcentes vota tantorum virorum in perſonam tuam, præeunte divina gratia, conveniſſe, pro ſpe etiam certa, & B. Petro in ipſa conſecrationis tuæ die obedientiam, & reverentiam promiſiſſe; & quia de præfati Regis* (nempe Henrici) *proſapia prope poſito gradu originem traxiſſe dinoſceris, quod de te factum eſt, gratum habentes, te in ſpecialem B. Petri & S. R. E. filium affectione paterna recipimus*. Poſt hæc celebratum eſt Londonii Concilium, de quo loquuntur Auctor Anonymus *de Geſtis Stephani Regis Anglorum*, à Ducheſnio poſt Hiſtoriam Orderici editus, & Radulphus de Diceto pag. 506, ubi ſcribit, illud celebratum *in Paſchalibus* anni 1136, & tandem Stephanum Regem apud Oxonium juramentum emiſiſſe de conſervandis libertatibus Eccleſiæ Anglicanæ, quod dicitur factum *apud Oxenfond anno Incarnationis Domini* 1136, *regni mei primo*. Ejus autem hoc eſt initium: *Ego Stephanus Dei gratia, aſſenſu Cleri & populi in Regem Angliæ electus, & à domino Willelmo Archiepiſcopo Cantuariæ, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Legato conſecratus, & ab Innocentio Sanctæ Sedis Romanæ Pontifice poſtmodum confirmatus, reſpectu & amore Dei, Sanctam Eccleſiam liberam eſſe concedo, & debitam reverentiam illi confirmo*, &c. Tamdiu autem diſtulit illud juramentum Stephanus Rex, quia Innocentius II, cujus reſponſum expectabatur, Piſis, urbe non parum ab Anglia diſſita, moram agebat, quo accepto apud Londonium Præſules convocati ſunt, & aliquot poſt dies juramentum illud à Rege præſtitum circa finem Martii anni 1136, quo Paſcha celebratum eſt die 22 Martii; Radulphus autem de Diceto aſſerit Concilium *in Paſchalibus* celebratum fuiſſe.

LII. *In Apuliam cum Lothario Imp. pergit.*

Lotharius Imperator, quem Petrus Diaconus lib. 4 Chron. Caſſin. cap. 99 ait, ab Innocentio Papa Piſis remorante crebris literis monitum, ut Romanum Imperium ab hoſtium jugo defenderet, Eccleſiamque concuſſam & laceratam, ad unitatem, concordiamque revocaret, anno tandem milleſimo centeſimo trigeſimo ſexto in Italiam cum exercitu adventavit, & ad eum anno ſequenti 1137 menſe Martio acceſſit Innocentius Papa, ut refert Falco in Chronico: *In anno octavo*, inquit, *Pontificatûs domini Innocentii, menſe Martio, XV indict. præfatus Apoſtolicus Innocentius, qui tunc Piſis morabatur, conſilio communicato, de civitate Piſana exivit, & apud civitatem Viterbium advenit, præfatum Imperatorem allocuturus. Imperator igitur Henricum generum ſuum cum tribus millibus equitum ad Pontificem deſtinavit Innocentium; addens ſe facturum, ut Romanos fines teneat, & Principi Roberto* (Capuano) *principatum ſuum reſtituat. Ipſe verò Marcas* (ſive Marchiam Anconitanam) *ire diſpoſuit. Apoſtolicus autem continuò Romanos fines advenit, & civitatem Albanum & provinciam totam Campaniæ, ſuæ obtinuit fidelitati. Romam quidem ingredi noluit, ne in Romanorum negotiis impediretur*, quia nempe Anacletiani ibi prævalebant. Refert poſtea Falco Lotharium Imperatorem cum exercitu in Apuliam ingreſſum eſſe menſe Majo, Pontificem verò X Kalendas Junii, cum prædicto Henrico Bavariæ & Saxoniæ Duce, Superbo cognominato, Lotharii Imperatoris genero prope Beneventum caſtrametatum eſſe; ſed Beneventanos, in Teutonicos inſiliiſſe, operâ Roſcemanni, qui intruſus in Archiepiſcopatum Beneventanum, Anacleto Antipapæ favebat.

LIII. *Beneventanorum fidelitatem recipit.*

Nocte inſecuta, ſubdit Falco, *cives, qui capti fuerant, vinculis diſtrictis ſunt & alligati. Mane autem facto, die Dominico, ad dominum Papam veniunt quidam de civibus Beneventanis, viri ſapientes & diſcreti, qui omnia, quæ Apoſtolicus exquiſierat, aſſecuti ſunt: continuò captivos cives Beneventanos, quos Teutonici comprehenderant, dominus Apoſtolicus abſolvi juſſit & ad propria reverti. Et ſic Sacramentis firmatis, fidelitatem domino Papæ, complures civium, qui ad ipſum Pontificem exierant, juraverunt*. Refert deinde Falco Jaquintum quendam civem Beneventanum, cum Teutonicis Beneventum regreſſum, Creſcentium Cardinalem Anacletiſtam, Innocentii Pontificis adverſarium comprehendiſſe, & ad Innocentium captivum duxiſſe; ſed Jaquintum vulneratum fuiſſe, & periiſſe cùm Bernardum Comitem Palatii detinere vellet. Roſcemannus noctis ſilentio timore coactus fugit. Innocentius autem Girardum Cardinalem Beneventum miſit, *ut à civibus univerſis fidelitatem acciperet, quod & factum eſt. His omnibus ita evolutis, Pontifex Innocentius ſacramentis fidelitatis acceptis, conſilio habito, iter arripuit VIII Kalendas Junii, ut ad Imperatorem nominatum feſtinaret. Veniens autem ante portam, Summam cognominatam, invenit ibi populum ipſum expectantem, cui dixit, ſe civitatem intrare non poſſe, pro multis & variis negotiis, quæ cum Imperatore definienda decreverat. At his, ſubjunxit, divinâ clemen-*

men-

Digitized by Google

SÆC. XII. INNOCENTIUS II.

mentia definitis, ad vos revertemur, & de civitatis utilitate tractabimus. Nunc verò fratrem noſtrum Gerardum Cardinalem vobiſcum morari permittimus, qui erga veſtras utilitates aſſiduò vigilabit, & pacem inter vos conſervabit. Præſentia itaque Innocentii Papæ Beneventanis profuit, ſervati ſunt enim incolumes cum civitate, iis exceptis, qui ſponte ſua ſeſe dederunt imprudenter in Teutonicos.

LIV. Rainulphum Comitem Apuliæ Ducem creat.

Profectus igitur Innocentius cum Henrico Bavariæ & Saxoniæ Duce, ad Imperatorem perveniens, *honore mirabili ac gaudio ab Imperatore ſuſcipitur*. Solemnitatem Pentecoſtes, quæ anno 1137 concurrebat cum die 30 Maji, in obſidione caſtelli Barenſis civitatis peregerunt; nam præterquam quòd Falco aſserit caſtellum illud per dies quadraginta fuiſse obſeſsum, in Chronico Magdeburgenſi à Meibomio edito legitur: *Imperator Italiam circum-undo pertranſiens, Apuliam intravit, & ad Barum civitatem devenit, ubi in die Sancto Pentecoſtes dominus Apoſtolicus præſente Imperatore Miſſam cum magna gloria celebravit, & in ipſa hebdomada in ſabbato quatuor Temporum* [die quinta Junii] *ipſo Domino Apoſtolico præcipiente, in ejus præſentia, idem Archiepiſcopus* (ſc. Conradus XIV Archiepiſcopus Magdeburgenſis, nepos Lotharii Imperatoris, de quo in eo Chronico ſermo) *de Clero multitudinem maximam ad ſacros ordines promovit*. Tum plura oppida Apuliæ expugnarunt: Salernum ſibi ſubjecerunt, & inde moventes, circa initium menſis Auguſti Abellini caſtrametati ſunt, ibique permanſerunt uſque ad diem 30 illius menſis. Eo tempore quædam diſcordia evenit inter Innocentium Papam & Lotharium Imperatorem, uterque enim Ducem Apuliæ ſuo nomine conſtituere volebat. Sed diſcordia illa citò ſopita eſt in favorem Innocentii: *Cùm autem*, inquit Falco, *Abellinum veniſſet Apoſtolicus ipſe Innocentius, Ducem ad defenſionem Apuliæ ordinare nomine ſuo ſatagebat. Imperator verò nomine ſuo contra voluntatem Apoſtolici ordinare volebat. Unde factum eſt, ut per triginta ferè dies ad invicem diſcordatum ſit, ſed ſapientum conſilio communicato diſcordia talis deſtructa eſt. Quid multa? Divina favente clementia, & ipſo Imperatore favente, omnibuſque ſuis, Apoſtolicus nomine ſuo ad B. Petri fidelitatem Comitem Rainulphum, virum utique prudentem & diſcretum, in Ducem elegit, & eo electo, vexillum ad honorem Ducatûs Apoſtolicus & Imperator in conſpectu omnium ei tradiderunt & confirmaverunt*. Erat iſte Rainulphus, Comes Avellinus, Rogerii Regis Siciliæ ſororius, Mathildem enim Rogerii ſororem uxorem duxerat; ſed cùm Rogerius civitatem Beneventanam ſibi ſubjicere vellet, civitatem Avellinum eo abſente invaſerat, & uxorem ejus ac filios in Siciliam captivos miſerat, ut refert Baronius anno 1132.

LV. Beneventanum Archiepiſcopum conſecrat.

Poſt hæc Lotharius Imperator cum Imperatrice ipſis Kalendis Septembris Beneventum ſe contulit. Poſt triduum verò advenit Innocentius Papa, ubi à Clero & populo ſolemni pompa receptus eſt, ibique Beneventanum creavit & ordinavit Archiepiſcopum: *Triduo autem poſt Imperatricis adventum*, ait Falco, qui aderat, *præfatus Apoſtolicus Beneventanam civitatem intravit, & à Clero & populo univerſo honorificè ſuſceptus eſt. Altera autem die adveniente, in ſacro Beneventano palatio ſedens, in conſpectu Cleri & populi Beneventani clamavit, ut ſi quis contra perſonam, ſive electionem Gregorii Beneventani electi canonicè & rationabiliter opponere vellet, libera fronte opponeret: ſed clementia divina opitulante, & quia Electus ipſe vitam ſuam religiosè cuſtodierat, nemo civium contra ejus electionem objecit. Apoſtolicus itaque hoc aſpiciens gratias Deo egit, & ipſe de perſona & vita electi teſtificatus eſt honeſtè & religiosè, & eidem Electo præcepit, ut de peccatis ſuis confiteatur, & die Dominico adveniente, Spiritu Sancto cooperante, conſecrationem acciperet. Quid multa? die adveniente Dominico Apoſtolicus ipſe Eccleſiam Epiſcopii deſcendit, quinto die videlicet intrante menſis Septembris, Electum ipſum conſecravit; ad cujus conſecrationem Patriarcha adfuit Aquilejæ, & complures alii Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates Teutonicorum viri religioſi*, &c. His peractis Innocentius Pontifex & Lotharius Imperator diſceſſerunt. *Imperii ſui altitudinem*, ſubjungit Falco, *& palatia Imperator ille repedavit; Apoſtolicus autem Innocentius Palatium Lateranenſe adivit*, ideòque partem Urbis Innocentius II Papa, partem aliam Anacletus Antipapa tenebat; ſed cùm hic menſe Januario anni ſequentis, ſcilicet 1138, obierit, priuſquam ceteras Innocentii res geſtas proſequamur, paucis hic de eo agendum eſt.

ANACLETUS Anti-Papa.

Anno Domini MCXXX.

SÆC. XII. INNOCENTIUS II.

LVI. Petrus Leonis fit Antipapa ſub Anacleti II nomine.

CUM Innocentius II die decima quinta menſis Februarii anni 1130, Honorio II ſucceſsor datus eſset à ſaniori Cardinalium parte, altera poſt die, ſcilicet decima ſexta ejuſdem menſis, in ejuſdem Innocentii æmulationem, intruſus eſt in Sedem Pontificiam Petrus Leonis filius, Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Mariæ trans-Tiberim, qui jam non ſemel le-

SÆC. XII. INNOCENTIUS II.

legationibus in Gallia & Anglia perfunctus fuerat. Eum poſtridie electionis Innocentii fuiſse intruſum, nos docet Arnulphus Sagienſis Archidiaconus, Luxovienſis poſtea Epiſcopus in tractatu *de Schiſmate orto poſt Honorii II Papæ deceſſum*, in quo, cap. 4 ait: *In eo autem quo ordine, ſequenti die* (ab electione ſcilicet Innocentii) *Petri proceſſit intruſio, non diutius immorabor*. Electus eſt itaque Petrus Leonis die 16 menſis Februarii; ſed die tantùm vigeſima tertia ejuſdem menſis apud Sanctum Petrum conſecratus; cùm Innocentius conſecraretur apud Sanctam Mariam Novam, ut diſertè habet Annaliſta de Margan, in Innocentio II num. 1 à nobis laudatus: *Ordinatur* Innocentius, inquit, *in Presbyterum, in die Cathedræ Sancti Petri, & in craſtino conſecratus eſt in Summum Pontificem apud Sanctam Mariam Novam. Eo die & Petrus Leonis conſecratus eſt in Apoſtolicatum apud Sanctum Petrum*. Petrum Leonis in pſeudo Pontificatu dictum fuiſse Anacletum, aſſerunt Arnulphus Luxovienſis laudatus, Ordericus in fine lib. 2, Anonymus Caſſinenſis, & alii: *Mortuo Honorio*, inquit Chronographus Mauriniacenſis, *potentiſſima fratrum ſuorum, familiæque quàm maxima numeroſitate fretus, & Portuenſis Epiſcopi cujuſdam literatiſſimi, & ſicut putabatur, religioſiſſimi ſenis, impetu animatus* [ſcilicet Petrus Leonis] *Pontificatûs culmen arripit, Cleri populique non parva multitudine ſibi conſentiente. Id in Eccleſia Dei ſeminarium maximi ſchiſmatis erat.*

LVII. *Ejus genus, fortuna, & mores.*

Hunc pſeudo Pontificem à Judæis progenatum, peſſimiſque moribus fuiſſe imbutum, non ſolùm idem Chronographus Mauriniacenſis ſcribit, ſed & idem Arnulphus mox laudatus cap. 3, ubi eum ſuis coloribus pingit. Hujus avum Judæum fuiſſe narrat, qui ſuſceptis fidei ſacramentis; pecuniis, quas in Judaiſmo uſurâ multiplici corrogarat, jus Romani civis, & illuſtriores Urbis affinitates mercatus eſt: Petrum adoleſcentem in Gallias miſſum ſtudiorum gratiâ, ſuperbum & petulantem fuiſſe, omnique intemperantiæ addictum, tantam ſibi pravis operibus & fœditate morum infamiam ſuſcitaſſe, ut ejus ortu, ambitione, famaque præcognitis, ipſum eſſe Antichriſtum omnes paſſim crederent, & teſtarentur: præſertim quòd ex Judæis ortus; quòd totius Orbis dominium Romanæ Sedis auſpicaretur obtentu; quòd vitiis deditus infamiam nulla virtute redimeret, & quòd infinitam avi & patris pecuniam deinceps poſſeſſurus eſſet: Monaſticum habitum in cœnobio Cluniacenſi ſuſcepiſſe, ut opprobria vitæ præteritæ, ſanctitatis amictu velaret: Cardinalem deinde à Paſchali II creatum, & variis legationibus functum, cupiditati ſuæ potius quàm juſtitiæ ſatisfacere ſtuduiſſe: lautè & luxurioſè vixiſſe, non apud divites tantùm, ſed apud inopes etiam Eccleſias, quibus poſtea id luere multis injuriis, & algoribus oporteret: cùmque pauperes Epiſcopos, & Abbates graviſſimis vexaſſet expenſis, in ipſa Eccleſiarum ornamenta graſſatum fuiſſe, ut planè ſponſam Domini ſpoliare, ſuiſque privare monilibus auſu temerario videretur: domi propriam ſororem Tropæam nomine, quod nec dici fas eſt, nefario inceſtu polluiſse, & nepotum ſuorum patrem, filiorum factum avunculum. Tandem ita concludit Arnulphus: *Sic autem domi: nec ab eiſdem Legationum tempore, temperatum. Ut enim turpiora præteream, circumducebatur puella, cui in fraudem videntium adoleſcentis ſpeciem veſtis & tonſura conferret, quæ ſingulos æſtus toleraret, ſingulos ſolaretur affectus*. Cujus rei teſtem Montiſpeſſulani populum, & circumjacentem appellat provinciam. *At ne ſatietatem præſtaret identitas, quærebantur & aliæ, quorum ipſe nocturnis fungeretur amplexibus, quibus ipſe ſe Papam futurum in ipſa turpi commixtione jactaret. Multæ in Galliis ſunt, & Aquitania civitates, quæ id apud ſe dictum certa fide teſtantur*. Ita Arnulphus Luxovienſis hoc tempore vivens.

LVIII. *Ab omnibus ferè rejicitur.*

Cujuſnam ex duobus Electis, ſcilicet Innocentii & Anacleti, eſſent potiora jura, abundè cognoſcitur, non ſolùm ex iis, quæ in eodem Innocentio diximus, ſed etiam ex ſancto Bernardo Abbate Clarævallenſi; dum inter alia plurima, quæ de iiſdem ſæpiſſimè repetiit, Epiſtolâ 126, quam ad Epiſcopos Aquitaniæ ſcripſit, Anacletum vocat hominem peccati, qui ſuper electum à Catholicis Catholicum & canonicè, locum ſanctum invaſit armis, igne, pecunia, non vitæ, vel virtutum merito ad eum pervenit: nam illam, quam jactaret juratorum ſuorum non electionem, ſed factionem, umbram tantùm fuiſſe, ac occaſionem, & velamentum malitiæ ejus. De Innocentio verò in Epiſtola 124 tradit, eum electione meliorum, approbatione plurium, & quod his efficacius eſt, morum apud omnes commendatione, ſummum Pontificem confirmatum. Nihilominus Anacletus, cùm jam ſolus potiretur Urbe, Innocentio ex ea in Galliam fugere coacto, ut ſuperius dictum eſt, literas ad Reges Germaniæ, Franciæ, Jeroſolymorum, Epiſcopoſque, & alios in eorum regnis exiſtentes dedit, quibus per ſexcenta impudentiſſima mendacia, conatus eſt illos ad ſuas partes allicere, mittens ad hoc in univerſum orbem Legatos ſuos, qui pietatem ejus, ac juſtitiam prædicarent: idque ipſum apud Imperatorem Conſtantinopolitanum, & Patriarchas Orientales conatum eſſe, teſtantur ipſius ad alios ſcriptæ eodem argumen-

men-

Digitized by Google

mento Epiſtolæ, quas refert Baronius ex codice Caſſinenſi. Sed hæc omnia fruſtra fuiſſe docet ſanctus Bernardus in Epiſtola 125 ad Gaufredum Carnotenſem Epiſcopum, ubi numerans Reges Innocentio adhærentes, ait, Alemanniæ, Franciæ, Scotiæ, Hiſpaniarum & Jeroſolymorum Reges, cum univerſo Clero & populis ſuis adhæſiſſe ei, tanquam filios patri, & capiti membra. Et in laudata ad Epiſcopos Aquitaniæ Epiſtola ſcribit, *Tuſciæ, Campaniæ, Longobardiæ, Germaniæ, & Aquitaniæ; Galliarum denique & Hiſpaniarum omnium, necnon & univerſæ Orientalis Eccleſiæ,* tam Archiepiſcopos, quàm Epiſcopos, omnes unanimes, non conductos pecunia, non ſeductos fallacia, non illectos privato carnis vel cognationis amore, non timore compulſos potentiæ ſæcularis, ſed Dei voluntatem ſicut non ignorantes, ita nec diſſimulantes, Petrum Leonis, Anacletum dictum ingenuè refutaſſe, ac ſecurè Gregorium in Papam Innocentium ſuſcepiſſe.

LIX. *Gerardum Epiſc. Engoliſmenſem in univerſa Gallia Legatum conſtituit.*

Unus è Gallicanis Epiſcopus Gerardus Engoliſmenſis, de quo ſuperius dictum eſt, Anacleto pſeudo-Pontifici adhæſit, à quo eam ob cauſam Legati munere per univerſam Galliam adauctus eſt. In eum acriter invehitur ſanctus Bernardus in eadem Epiſtola 126 ad Epiſcopos Aquitaniæ: *Ut enim,* inquit, *ſimplicem referam breviter actionem, primus aut inter primos ſcribit Papæ Innocentio, Legationem poſtulat, non obtinet. Indignatur, reſilit ab illo, tranſit ad illum* (nempe Anacletum) *ipſius ſe eſſe Legatum gloriatur.* Gerardus enim, quo tempore mortuus eſt Honorius II, Legatus erat Apoſtolicæ Sedis in Aquitania; quo in munere confirmari ab Innocentio II poſtulavit; ſed cùm rejectus fuiſſet, ad Anacleti partes tranſiit, à quo non in Aquitania ſolùm, ſed & in univerſa Gallia Legatus conſtitutus eſt. Id conſtat etiam ex Arnulpho Luxovienſi Epiſcopo jam ſæpiùs laudato, qui cap. 5, poſtquam retulit, Innocentium II in Concilio Stampenſi Pontificem Romanum agnitum eſſe, & Anacletum rejectum, ait, Gerardum Engoliſmenſem electioni Innocentii aſſenſiſſe, ſubdirque: *Qua nimirum ratione cùm in Papam Innocentium, inſpirante Domino, conveniſſent* (ſcilicet Ludovicus Rex, & Clerus Gallicanus) *ipſi ſtatim de obedientia tua, & debita ſubjectione ſcripſiſti: poſtulaſti tamen ipſius honorari reſcripto, & munus legationis habita confirmari. Viſum eſt ſimoniacum favorem tuum redimere legationis officio: & cùm ipſe partes illas viſitare ſub eodem tempore decreviſſet, nullus locus poterat ſub ipſius præſentia reſtare Legato. Neque enim Legatus præſentis perſonæ, ſed abſentis explet obſequium. Jamque tantus ad Romanas aures malæ adminiſtrationis tuæ clamor aſcenderat, ut eſſet de eo, quod olim impetraveras, pœnitentia major, quàm ut modò reſtitueretis affectus. Tuliſti repulſam graviter, & mutilata potentiæ tuæ cornua doluiſti . . . . . Miſiſti Legatum Romam, qui eidem, quem jam devenerat, Petro favorem tuum venalem, pro munere Legationis offerret, & ſimilem ſibi miniſtrum Domino fœderaret. Expletum eſt ſine difficultate commercium, & dum te cæcitas indiſcreta conducit, miniſtrum te ſchiſmatis addixiſti, ut inutili privilegio donareris. Formata eſt tibi, ſed inanis, nova Legatio, & quidquid ab Alpibus uſque ad fines Occidentis interjacet, tuæ ditioni, ſed inefficaci donatione ſubjectum eſt. Et ne excedenti ambitioni tuæ fortaſſis anguſtior prædictorum finium præſcriptio videretur, adjectum eſt, ut ubicumque calcaret pes tuus, ibi eſſet Legatio tua.* Gerardus prætenſa hac legatione fretus, & Willelmi IX Comitis Pictavienſis ac Comitis Aquitaniæ potentiâ abutens, plures Epiſcopos à ſedibus ſuis expulit, alioſque intruſit, ut videre eſt apud eundem Arnulphum Luxovienſem cap. 7, & in Epiſtola 21 Goffridi Vindocinenſis Abbatis eidem Gerardo data. Legi etiam poſſunt quædam Epiſtolæ ad Vulgrinum Bituricenſem Archiepiſcopum datæ, quæ extant in Patriarchio Bituricenſi Tomo 2 Biblioth. Labbei cap. 62.

LX. *Regium titulum impertit Rogerio Siculo.*

Cùm Anacletus omnes ferè Reges, & Principes à ſe alienatos videret, aliquem ex his ſuæ communicationi adjungere curavit ideoque eodem ſuæ intruſionis anno, ſcilicet milleſimo centeſimo trigeſimo, Beneventum perrexit, indeque Avellinum concedens, cum Rogerio Siciliæ atque Calabriæ Duce tractavit, ut eum Siciliæ Regem coronaret. Baronius refert extare in Bibliotheca Vaticana diploma ejuſdem Anacleti, ſed multipliciter decurtatum, de titulo Regio impertito Rogerio, ipſiuſque hæredibus pro Sicilia, Calabria & Apulia, aliiſque terris, quas poſſideret, ſub cenſu annuo ſexcentorum ſchifatorum Romanæ Eccleſiæ perſolvendorum; datum ipſum quinto Kalendas Octobris, indictione nona, anno dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo trigeſimo, ipſius Anacleti primo. Quo eodem anno idem Anacletus Cardinalem ſuum de Comitibus dictum, ad Ducem in Siciliam direxit, qui eum in die Nativitatis Domini in Panormitana civitate Regem coronavit. Anno tamen antecedenti 1129 die decima quinta Maji Rogerius jam ſe in Regem coronari fecerat Panormi; Baluzius enim Tomo 6 Miſcellaneorum refert Hiſtoriam brevem liberationis Meſſanæ à Saracenorum dominatu factæ per Comitem Rogerium, in qua recitatur privilegium conceſſum Meſſanenſibus eodem die, quo coronatus eſt, quod ſic deſinit: *Datum eſt hoc exemplar*

ori-

Digitized by Google

originale de noſtri mandato . . . . . in urbe Panhormi felici, in ſolemnitate noſtræ coronationis, die quinto decimo Maji, ſub anno incarnati Verbi 1129, *aſtantibus reverendis domino Rogerio Beneventano, Joanne Salernitano, & Philippo Capuano Præſulibus*, &c. Non immeritò itaque recentes Sicularum rerum Scriptores contendunt, Rogerium bis coronatum fuiſſe Siciliæ Regem, Idibus quidem Maji anno 1129, & in die Natalis Chriſti anno 1130 à Legato Antipapæ Anacleti. Neque dici poteſt, hanc primam Rogerii coronationem non fuiſſe Regiam, ſed Ducalem; nam initio privilegii ita legitur: *Rogerius divina favente clementia primus Rex Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, & Principatûs Capuæ.*

LXI *Moritur.* Anacletum Antipapam in Concilio Stampenſi à Gallis rejectum, & in Conciliis Remenſi, ac Piſano excommunicatum fuiſſe diximus in Innocentii Papæ Vita, mortuumque anno milleſimo centeſimo trigeſimo octavo, quod ultimum hìc probandum reſtat. Falco Beneventanus in Chronico, annum à Kalendis Martii inchoans, ad annum 1137 ſcribit: *Hoc anno Anacletus, qui ſub nomine Pontificatus vixit, ſeptimo die ſtante menſis Januarii mortuus eſt*, ideſt, die 25 Januarii, ut rectè vidit Peregrinius in Notis ad Falconem, ubi oſtendit, per menſem *ſtantem*, vel *inſtantem*, vel *aſtantem* Falconem intellexiſſe menſem finientem, quod poſtea variis exemplis confirmavit Ducangius in Gloſſario Mediæ & Infimæ Latinitatis, ad vocem *menſis ſtans.* Anacletus igitur Antipapa mortuus eſt anno 1138, quem Falco adhuc appellat 1137, quia, ut dixi, annum inchoat à menſe Martio, & Anacletus obiit, die 25 Januarii, qui ſeptimus eſt à die ultimo ejuſdem menſis. Hanc Peregrinii explicationem confirmat Ordericus lib. 13 pag. 915, ſcribens: *Petrus Anacletus, qui Sedem Apoſtolicam ferè 7 annis uſurpaverat in cathedra ſedens*, 8 *Kal. Februarii* (ſeu die 25 Januarii) *ſubita morte deceſſit: atque, ut fertur, à fratribus ſuis, filiis videlicet Petri Leonis, quorum in urbe Roma maxima poteſtas eſt, ita occultatus, ut ubi cadaver ejus ſepultum ſit, ignoretur.* Anacleti cadaver in latebris ſepultum eſſe aſſerit etiam Ernardus Bonævallis Abbas in Vita S. Bernardi lib. 2 cap. 7: *Advenerat, tempus*, inquit, *in quo completa Amorrhæi malitia, Angelus percutiens gladium jam vibrabat, & pertranſiens domos, quarum ſuper liminaria ſanguis agni imbuerat: ad domum Petri Leonis veniens, ſalutare in ea non reperit ſignum. Percuſſit igitur miſerum: Nec tamen illicò defungitur, ſed datur per triduum pœnitentiæ locus. Ille patientia Dei abutitur, & in peccato ſuo moritur deſperatus. Miſerabili pompa corpus ejus effertur, cadaver ejus in latebris ſepelitur, & uſque hodie ſovea illa à Catholicis ignoratur.*

VICTOR Antipapa.

Anno Domini MCXXXVIII.

LXII. *Victor fit Antipapa.* POſt mortem Anacleti pſeudo-Pontificis non ſtatim pax reddita eſt Eccleſiæ; fautores enim ejus juſſu Rogerii Siciliæ pſeudo-Regis, in Anacleti locum, Gregorium, natione Romanum, Presbyterum Cardinalem ſanctorum Apoſtolorum in cathedram ſancti Petri intruſerunt: *Anno* 1138, inquit Falco in Chronico, *nono anno Pontificatûs domini Innocentii II Summi Pontificis, menſe Martio primæ indictionis, cùm prædictus Anacletus mortuus eſſet, Cardinales ſui, conſilio accepto à fratribus ipſius Anacleti, ad Regem miſerunt Rogerium, ipſius Anacleti mortem ſignificantes, ut ſi ei placeret, Papam conſtituerent. Rex itaque ut domini Innocentii partem impediret, voluntati eorum aſſenſit, & Papam eligendi poteſtatem dedit; qui Romam reverſi, fautoribus eorum congregatis medio menſe Martio, Gregorium Cardinalem Papam ſibi, & invaſorem conſtituerunt, Victoremque eum vocaverunt; ſed Dei miſericordia auxiliante, hæreſis illa, & invaſio pauco tempore regnavit.* Electus eſt itaque Victor Antipapa medio menſe Martio anni 1138, duobus circiter menſibus poſt mortem Anacleti, ut ſcribit Anonymus Caſſinenſis mox laudandus.

LXIII. *Se abdicat.* Sed cùm Sanctus Bernardus in Epiſtola 320 Gothifredo poſtea Lingonenſi Epiſcopo nunciet *in Octavis Pentecoſtes ipſa die* redditam eſſe *Eccleſiæ unitatem, & Urbi pacem*, eaque die filios Petri Leonis omnes Innocentio Papæ fidelitatem juraſſe; dies autem Octava Pentecoſtes anno 1138, in diem 29 Maji inciderit, apparet, Victorem iſtum duobus ad ſummum menſibus cum dimidio ſediſſe, quos Anonymus Caſſinenſis his verbis exprimit, *poſt tres menſes;* ideoque à morte Anacleti ad pacem Eccleſiæ redditam intercurrerunt quatuor menſes, cum aliquot diebus, ſeu quinque menſes incompleti. *Obiit Petrus Leonis*, inquit Anonymus Caſſinenſis, *qui & Anacletus. Sed poſt duos menſes fratres ejus cum ſuis elegerunt quendam Gregorium hæreſiarcham, qui poſt tres menſes à Papa Innocentio deponitur.* Falco laudatus ſolùm ait, quòd *hæreſis illa & invaſio pauco tempore regnavit. Diebus autem*, ſubdit, *non multis evolutis, fratres prædicti Anacleti tantam recognoſcentes turbationem, in ſe reverſi, Domino favente, cum prædicto domino Innocentio Papa pacis firmamentum compo-*

Digitized by Google

poſuerunt, & ipſi & omnes Innocentii adverſarii ad ejus fidelitatem converſi ſunt, & ſceleratus ille, qui ſub Victoris nomine apparuit, veſtem & mitram depoſuit, & ad voluntatem Pontificis Innocentii pervénit, per manum Sancti Bernardi, ad quem *ipſe ridiculus Pontifex, Petri Leonis hæres noſtre ſe contulit: & ille eum nudatum uſurpatis inſignibus, ad domini Innocentii Papæ pedes adduxit*, inquit Auctor Vitæ Sancti Bernardi.

LXIV. *Innocentius PP. Concilium generale Lateranenſe indicit.*

Pace Eccleſiæ reddita Rogerius Siculus Innocentium Summum Pontificem recognovit, ut teſtatur idem Falco in Chronico. *Hæc inter, ſicut eſt nobis relatum, prædictus Rex* (Rogerius) *dominum Papam Innocentium in patrem & dominum accepit: & civitati Beneventanæ, & per totius regni ſui partes mandavit, eum patrem & dominum accepiſſe. Nos autem* (nempe Beneventani) *dominum illum ac patrem vocavimus*. Sed cùm Eccleſia non ſchiſmaticorum tantùm factionibus perturbaretur, ſed hæreticorum etiam novis ac diverſis dogmatibus oppugnaretur, Innocentius Pontifex, tum ad hæreſes damnandas, tum ad ſchiſmaticos reprimendos, tum ad depravatos mores corrigendos, prædeceſſorum Sanctorum Pontificum exempla ſecutus, univerſale Romæ indixit Concilium; & convocatis ex univerſis Chriſtiani orbis partibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac aliarum Eccleſiarum Prælatis, illud anno milleſimo centeſimo trigeſimo nono in Lateranenſi Eccleſia celebrandum curavit.

Concilium Lateranenſe II, Generale Decimum.

LXV. *Epocha Concilii Lateranenſis II.*

CONcilium Lateranenſe ſecundum, quod inter Oecumenica decimum numeratur, anno milleſimo centeſimo trigeſimo nono celebratum fuiſſe, inter omnes convenit, ſed aliqua poteſt eſſe difficultas de die, quia Falco Beneventanus in Chronico ſcribit, illud habitum *octavo die intrante menſis Aprilis*, qui dies anno 1139 cum ſabbato ante Dominicam de Paſſione convenit, cùm Paſcha celebratum ſit die 23 Aprilis; & tamen Otto Friſingenſis, Abbas Urſpergenſis, & Ordericus aſſerunt, Concilium habitum *media Quadrageſima*, vel *mediante Quadrageſima*, vel *in medio Quadrageſimæ*. Ex quibus Annotator Baronii conjectat, in Falcone, loco *Octavo die*, legendum eſſe, *ſecundo die*, ita ut Concilium celebratum fuerit die ſecunda menſis Aprilis, quæ concurrebat cum dominica quarta Quadrageſimæ; licèt enim Concilia Generalia de more inchoarentur feriâ ſecundâ; quia tamen dies Dominica antecedens præviis ad Deum precibus deſtinata erat, eadem die cenſebantur inchoata.

LXVI. *Patrum Concilii numerus.*

Numerum Patrum Concilii non definivit idem Falco: *Præfatus Apoſtolicus Innocentius*, inquit, *octavo die intrante menſis Aprilis Romæ Synodum celebravit. Ad cujus ſacri conventûs præſentiam, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates innumeri convenerunt*. Sed Otto Friſingenſis, hujus temporis ſcriptor, mille circiter Patres Concilio adfuiſſe diſertè teſtatur, lib. 7 cap. 23, ſcribens: *Proxima media Quadrageſima Synodus maxima circiter mille Epiſcoporum, præſidente Romæ Summo Pontifice Innocentio celebratur*. Eundem numerum exhibet Abbas Urſpergenſis: *Anno*, inquit, *Domini 1139, qui eſt primus Conradi Regis, Innocentius Papa facta plenaria Synodo, ut quidam dicunt, ferè mille Epiſcoporum mediante Quadrageſima totam partem Leonis* (ſeu Petri Leonis Antipapæ) *condemnavit cum ordinatione illius*. Paucos ex Anglia Epiſcopos & Abbates Concilio interfuiſſe refert Ricardus Prior Haguſtaldenſis in Hiſtoria de geſtis Regis Stephani, Epiſcopos ſcilicet quinque, & Abbates quatuor: *Theobaldus quoque*, ait, *Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Earnulphus Roffenſis, & Simon Wigornienſis, Rogerus Coventrenſis, Robertus Exceſtruenſis. Iſti quinque Epiſcopi, & cum illis quatuor Abbates, pro omnibus Epiſcopis & Abbatibus Angliæ ad idem Concilium iverunt. Namque Rex Stephanus propter turbationem regni ſui, quæ gravis tunc imminebat, plures illuc mittere noluit*.

LXVII. *In eo ordinationes ab Anacleto Antipapa facta reſcinduntur.*

Quatuor præcipuè hoc in Concilio agitata ſunt. Nam primò, Acta Petri Leonis, ſeu Anacleti Antipapæ reſciſſa ſunt, & ordinationes ejus annullatæ canone 30, cujus hæc ſunt verba: *Ad hæc ordinationes factas à Petro Leonis, & aliis ſchiſmaticis & hæreticis, evacuamus & irritas eſſe cenſemus*. Qui canon quomodo intelligendus ſit, docet Chronographus Mauriniacenſis pag. 383 & ſeqq. & in Collectione Concil. pag. 1011 ubi poſtquam recitavit orationem ab Innocentio II in Synodo œcumenica habitam, ſubdit: *His & hujuſmodi aſſertionibus dominus Apoſtolicus ceteris prælatis divini ſermonis, favos impertiens, omnibus propatula ratione oſtendit, quòd Petrus Leonis non aliorum aſſentatione, imò rapina ſe Apoſtoli Petri Vicario feciſſet æqualem. Cunctiſque religioſis viris, quibus illud deteſtabile ſchiſma diſplicuerat, verbis ejus cum magna laude unanimiter acclamantibus reſpondit*: „ Unde quia inordinatæ „ perſonæ inordinata ſunt decreta, quodcumque ille ſtatuerat, deſtruimus; quotcumque exaltaverat, degradamus; & „ quotquot conſecraverat, exordinamus & de-

Digitized by Google

„ deponimus. Et quicumque per Gerardum
„ Engoliſmenſem ad Altaris officium acceſ-
„ ſerunt, Apoſtolica auctoritate interdici-
„ mus, ne ipſum impleant, & in illo or-
„ dinis gradu perenniter demorantes ad ſu-
„ periorē non aſcendant. *His dictis, ſingulos, quos reos cognoverat, propriis nominibus exprimens, eiſque cum indignatione & jurgio exprobrans, paſtorales baculos de manibus violenter arripuit, & Pontificalia pallia, in quibus ſumma dignitas conſiſtit, de humeris verecundeſè abſtraxit. Ipſos quoque annulos, in quibus ad ipſos pertinens Eccleſiæ deſponſatio exprimitur, ſine reſpectu miſericordiæ abſtulit.* His addit idem Chronographus, Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum, & Legatum Apoſtolicum, poſt celebrationem Concilii totam Aquitaniam perluſtraſſe, & Altaria à *Gerardo* Engoliſmenſi, vel *Gilone* Tuſculanenſi Epiſcopo ſchiſmatico conſecrata, ſolemni ritu execratum fuiſſe, ac propriis manibus diruiſſe, aliaque extrui juſſiſſe.

LXVIII. *Rogerius Siculus in eo excommunicatur.*

Secundò, in eodem Concilio Lateranenſi II excommunicatum fuiſſe Rogerium pſeudo-Regem Siciliæ aſſerit Falco, qui poſt laudata verba, ſubdit: *Ibique inter cetera, quæ Spiritu Sancto mediante ſtatuta ſunt, vinculis excommunicationis alligavit Regem Rogerium prædictus Apoſtolicus Innocentius in præſentia omnium Catholicorum virorum, qui convenerant, & omnes ejus ſequaces.* Qua de cauſa excommunicatus ſit in Concilio Rogerius me latet, ſi verum eſt, quod immediatè ante Concilium ex eodem Falcone retulimus, Rogerium nempe anno milleſimo centeſimo trigeſimo octavo poſt mortem Anacleti, & Victoris Antipapæ abdicationem, Innocentium ut legitimum Pontificem agnoviſſe.

LXIX. *Errores Arnaldi de Brixia, & Petri de Bruis.*

Tertiò, in Concilio Lateranenſi II œcumenico Arnaldum de Brixia, diſcipulum Petri de Bruis, cujus errores inſtauravit & propagavit, damnatum eſſe, ipſique ſilentium impoſitum, aſſerit Otto Friſingenſis de rebus geſtis Friderici Imp. lib. 2 cap. 20. Arnaldus Clericus Lector Brixienſis in Italia, ſingularitatis amator, & novitatis cupidus, è ſtudio è Galliis in Italiam revertens, religioſum habitum, quò facilius decipere poſſet, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, Clericorum ac Epiſcoporum derogator, Monachorum perſecutor, laicis tantùm adulans. Dicebat enim nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes, aliqua ratione poſſe ſalvari; cunctaque hæc Principis eſſe, ab ejuſque beneficentia in uſum tantùm laicorum cedere oportere. Præter hæc de ſacramento Altaris, & Baptiſmo parvulorum non ſanè dicebatur ſentire. Hæc ex Ottone Friſingenſi. Petrus verò de Bruis, contra cujus errores, Petrus Venerabilis Cluniacenſis Abbas lib. 1 Epiſt. 1 & 2 diffusè ſcripſit, aſſerebat, Baptiſmum nihil prodeſſe parvulis ante intelligibilem ætatem: Templa & Eccleſias eſſe diruendas, nec eſſe neceſſaria Chriſtianis ſacra loca ad adorandum: Cruces abominationi eſſe debere, atque ſuccendi, quòd in ejuſmodi ſigno Chriſtus tam dirè occiſus ſit: Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini quotidie offerri in Eccleſia ſolitum, nihil eſſe, neque Deo offerri debere: Sacrificia, orationes, eleemoſynas, & alia virorum pro defunctis fidelibus ſuffragia & bona opera, nihil omninò prodeſſe illis. Hæc erant Petri de Bruis deliramenta, ab eoque ejus ſectatores dicti ſunt Petrobuſiani, de quibus, ſicuti & de Arnaldiſtis, fusè agit Natalis Alexander in Hiſt. Eccleſ. ſæc. 11 & 12, cap. 4, art. 7 & 8.

LXX. *Damnantur in Concilio Lateranenſi II.*

De Arnaldo de Brixia, ſubdit Otto Friſingenſis laudatus: *His, aliiſque modis, quos longum eſt enumerare, dum Brixienſem Eccleſiam perturbaret, laiciſque terræ illius, prurientes erga Clerum aures habentibus, Eccleſiaſticas malitiosè exponeret paginas; in magno Concilio Romæ ſub Innocentio habito, ab Epiſcopo civitatis illius, viriſque religioſis accuſatur. Romanus ergo Pontifex, ne pernicioſum dogma ad plures ſerperet, imponendum viro ſilentium decernit, ſicque factum eſt. Ita homo ille de Italia fugiens, ad Tranſalpina ſe contulit: ibique in oppido Alemanniæ Turego officium doctoris aſſumens, pernicioſum dogma aliquot diebus ſeminavit.* Petrobuſiani damnati fuerant in Concilio Toloſano, præſide Caliſto II anno milleſimo centeſimo decimo nono, canone 3, quo damnantur iidem errores, quos Petrobuſianis tribuit Petrus Venerabilis Cluniacenſis Abbas; cùmque canonem illum Toloſanum inter ſuos retuleſit iſtud Concilium Lateranenſe, neceſſariò aſſerendum eſt, Petrobuſianos, in eo iterum cum Arnaldiſtis proſcriptos eſſe. Canon porrò ille tertius Concilii Toloſani, eſt vigeſimus tertius Concilii Lateranenſis, hiſque verbis conceptus eſt: *Eos, qui religioſitatis ſpeciem ſimulantes, Domini Corporis & Sanguinis Sacramentum, Baptiſma puerorum, Sacerdotium & ceteros Eccleſiaſticos ordines, & legitima damnant fœdera nuptiarum, tanquam Hæreticos ab Eccleſia Dei pellimus, & damnamus, & per poteſtates exteras coerceri præcipimus. Defenſores quoque ipſorum ejuſdem damnationis vinculo innodamus.* Petrum porrò de Bruis in Villa Sancti Ægidii in diœceſi Nemauſenſi ignè damnatum & combuſtum Petrus Cluniacenſis teſtatur: errores enim ſuos in provincia Arelatenſi, aliiſque finitimis diſſeminabat.

LXXI. *Canones in eo editi ad diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituendam.*

Denique, quia diuturni ſchiſmatis oc-

ca-

caſione, collapſa erat Eccleſiaſtica diſciplina, & omnium ordinum mores diſſoluti, Concilium hoc præter laudatos canones 23 & 30, qui hæreticorum & ſchiſmaticorum damnationem reſpiciunt, octo aliis ſupra viginti his malis mederi curavit, quos canones explicat Natalis Alexander laudatus diſſert. VI ſæculi XII, art. 3, quorum undecimus & duodecimus ſtatuunt *de Treuga & pace*, ſive de induciis à bellis privatis, quorum furorem cùm ſtatim ſiſtere non poſſet Eccleſia, quædam veluti repagula & obices appoſuit, pacem abſolutiſſimam quibuſdam perſonis concedi jubens, aliis Treugam ſeu inducias certis diebus, quorum infractores anathemate plecterentur. Pax omni tempore indulta canone undecimo iſtius Concilii ratione Presbyterorum, Clericorum, Monachorum, peregrinorum, mercatorum, ruſticorum euntium & redeuntium, agricolarum cum bobus, equis aratoribus & ovibus: ratione verò ceterorum Treuga, ideſt, induciæ aliquot dierum imperatæ canone duodecimo, ſcilicet à Mercurii ſuprema die uſque ad diluculum diei Lunæ ſubſequentis, & ab Adventu Domini uſque ad Octavas Epiphaniæ, & à Quinquageſima uſque ad Octavas Paſchæ ſub pœna excommunicationis: quam ſi Epiſcopi infligere negligerent, damnum incurrerent dignitatis. Quo tempore Treuga Dei primùm in uſum vocata, diximus in Alexandro II, & ad eam hæc Ivonis Carnotenſis Epiſcopi verba in Epiſtola 90 ad Daimbertum Senonenſem Archiepiſcopum data, referenda: *Trevia Dei non eſt communi lege ſancita, pro communi tamen utilitate hominum, ex placito & pacto civitatis ac patria Epiſcoporum & Eccleſiarum, ut noſtis, eſt auctoritate firmata. Unde judicia violatæ pacis modificari oportet ſecundùm pacta & definitiones, quas unaquæque Eccleſia conſenſu parochianorum inſtituit, & per ſcripturam, vel bonorum hominum teſtimonium memoriæ commendavit*. Bella iſta privata à Sancto Ludovico Franciæ Rege vetita fuére; ſed cùm revixiſſent, Philippus IV Franciæ Rex conſtitutione ſua Toloſæ edita, in perpetuum ea prohibuit anno milleſimo trecenteſimo tertio.

LXXII. *In eodem Concilio S. Sturmius Abbas Fuldenſis canonizatur.*

Antequam Concilium Lateranenſe II ſolveretur, Innocentius Pontifex audita vita laudabili Beati Sturmii Abbatis quondam Fuldenſis, eum in Synodo Sanctorum honoribus donandum decrevit, ut conſtat ex literis, quas hac de re ſcripſit *Chunrado Abbati & Monachis Fuldenſis Monaſterii*, quas publicavit Joannes Wirtziburgenſis Epiſcopus anno 1439, quæque extant parte 2 Sæculi 3 Benedictini pag. 284 poſt Vitam Sancti Sturmii, in quibus Pontifex ait: *Audita vita laudabili B. Sturmii Confeſſoris, cognitis etiam ex parte miraculis, quæ per ejus merita Dominus operatur, atteſtatione fratrum noſtrorum, qui de partibus Teutonicis advenerant; in plenaria Synodo, quæ apud Lateranum eſt per Dei gratiam congregata, communicato conſilio Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, atque Abbatum eundem Beatum virum inter Sanctos & Electos honorari præcepimus: & diem depoſitionis ejus cum gaudio ſolemniter celebrari...... Data Laterani XIII Kalendas Maji*. Sicut itaque Innocentius in Concilio Remenſi, Sanctum Godehardum Epiſcopum Hildenſheimenſem Sanctorum catalogo adſcripſit, ita & in Lateranenſi œcumenico Sanctum Sturmium, ſeu Sturmionem, quem Tomo ſuperiori, in Zacharia Papa, diximus primum Abbatem Fuldenſem à Sancto Bonifacio fuiſſe inſtitutum anno 744. Obiit autem hic Sanctus Abbas die 17 Decembris anni 779. De celeberrimo illo monaſterio Fuldenſi vide dicta ibidem. Uſus autem jam ante hæc tempora invaluerat conſulendi Sedem Apoſtolicam ſuper Sanctorum canonizatione, & examen hac de re in Conciliis, præſertim Generalibus fiebat. Udalricus enim Conſtantienſis Epiſcopus circa annum 1120 Vitam cum miraculis S. Conradi ejuſdem Sedis Epiſcopi literis mandavit, præmiſſa Epiſtola ad Calliſtum II, in qua dicit, ſe *pro ejuſdem Conradi gloriâ, ut moris eſt Eccleſiarum, canonizandâ* Sedem Apoſtolicam crebris interpellaſſe literis, idque tandem reſponſum accepiſſe: *Vitam ejus in Concilio generali recitandam & comprobandam: teſtes inſuper ſignorum, quæ per eum fiebant, ſeu facta ſunt, adhibendos*. Nihilominus ſolemnes Sanctorum canonizationes ante Alexandrum III Sedi Apoſtolicæ non fuerunt reſervatæ, ut ſuo loco dicetur.

LXXIII. *Innocentius PP. S. Malachiam in Hibernia Legatum dicit.*

Sanctus Malachias Epiſcopus Connecretenſis in Hibernia anno milleſimo centeſimo vigeſimo quarto renunciatus, occaſione bellorum ſede ſua pulſus, aliò ſe contulit, & monaſterium Ibracenſe ædificavit, ut refert Sanctus Bernardus in ejus Vitæ cap. 9. Interim Celſus Archiepiſcopus Armachanus in Ultonia provincia *moriens miſit baculum ſuum Malachiæ, tanquam ſibi ſucceſſuro*, ait S. Bernardus cap. 10. Sed Armachanæ Eccleſiæ totius Hiberniæ Metropolitanæ poſſeſſionem non adiit ante annum milleſimum centeſimum trigeſimum ſecundum. Anno autem milleſimo centeſimo trigeſimo nono, ut probat Manricus in Annalibus Ciſtercienſibus cap. 5, aut anno inſequenti, Romam profectus eſt pallium ab Innocentio Papa petiturus. *Menſem integrum* Romæ moratus eſt, & *paranti jam repatriare* Innocentius ei *commiſit vices ſuas, per univerſam Hiberniam Legatum illum conſtituens*, inquit idem S. Bernardus

Digitized by Google

cap. 16, pallii tamen conceſſionem diſtulit, donec celebrato generali Concilio in Hibernia, illud à ſe peteretur. Huc referri debet, quod idem S. Bernardus in eadem Sancti Malachiæ Vita narrat, ubi deſcribens, quali cum benevolentia Malachias ab Innocentio Papa acceptus fuerit, *tollens*, inquit, ſcilicet Innocentius, *mitram de capite ſuo, impoſuit capiti ejus*, qua fortè ante hoc tempus nondum fuerat ornatus.

LXXIV. *Capitur à Rogerio, eique titulum Regis Siciliæ concedit.*

Eodem anno milleſimo centeſimo trigeſimo nono, defuncto ultima die menſis Aprilis Rainulpho Duce Apuliæ S. Romanæ Eccleſiæ feudatario, Rogerius Siciliæ Rex ad invadendam Apuliam magno comparato exercitu transfretavit. Quare Innocentius Papa Urbe egreſſus eſt, compoſiturus res cum Rogerio. Sed accidit, ut cùm Innocentius collectis pariter copiis ad Sanctum Germanum, oppidum ad radices montis Caſſini, perveniſſet, ibique rebus cum Rogerio componendis, miſſis, ſuſceptiſque Legatis, intenderet; inſidiis ei à Rogerii filio, juſſu patris ſtructis, cùm aliquando in alium locum iret, captus fuerit, & non ſine ignominia ductus ad Rogerium, die vigeſima ſecunda menſis Julii, qui eſt decimus dies finientis Julii. Rogerio verò continuò per Legatos ab eo humillima ſupplicatione petente, ut concordiæ manum apponeret; idem Pontifex deſtitutum ſe viribus & armis conſpiciens, precibus illius aſſenſit; & pactis ex utraque parte firmatis, Rogerius cum filiis ad Pontificem accedens, pedibus ejus advolutus miſericordiam petiit, juravitque fidelitatem; Pontifex autem regnum ei per vexillum donavit ſeptimo Kalendas Auguſti. Sic igitur titulum Regis Siciliæ Rogerius, quem malè acceperat ab Anacleto Antipapa, ab Innocentio legitimo Pontifice obtinuit. Sed ne videretur Innocentius probare quod feciſſet Antipapa, ad conferendam hanc dignitatem Rogerio, inductum ſe exemplo deceſſoris ſui Honorii II Papæ, qui eundem inſignierat titulo Ducis, profeſſus eſt in diplomate ſexto Kalendas Auguſti à ſe dato, quod extat apud Baronium, quòd non ſolùm Siciliæ regnum, ſed & Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, ei, hæredibuſque ejus conceſſit, ſub conditione faciendi Romanis Pontificibus homagii ligii & fidelitatis eiſdem jurandæ, ſolvendique censûs annui ſexcentorum ſchifatorum.

LXXV. *Romam redit.*

Poſtea Innocentius Papa in locum Roſcemanni Archiepiſcopi Beneventani Anacletiſtæ, alium Archiepiſcopum ordinavit, & à Romanis exoratus, ut pacem, quam cum Rogerio fecerat, frangeret, eorum petitionibus non acquievit; imò Barenſes ſolicitavit, ut Rogerio Regi colla ſubmitterent. Id conſtat ex Falcone, qui in Chronico ad annum 1139 ſcribit: *Hoc anno Gregorius Beneventanus Antiſtes à Domino Papa Innocentio conſecratus, Beneventum intravit ſecundo die intrante menſis Septembris, & Dominus Papa Guidonem Diaconum Cardinalem Rectorem Beneventi ordinavit. Audiens autem populus Romanus Domini Papæ Innocentii adventum, catervatim obviam exivit, & illum gaudio magno & honore ſuſcepit; deinde eum hortabatur, ut pacem, quam cum Rege Rogerio poſuerat, conſilio eorum confringeret. Apoſtolicus autem nullo modo petitionibus eorum conſentire voluit, dicebat quidem ſic Domino placuiſſe, quòd per ejus captionem pax hujuſmodi facta fuiſſet. Cùmque, ut ſupra dictum eſt, præfatus Rex civitatem obſediſſet Barenſem, Innocentius Papa cùm intra civitatem eſſet Beneventanam, Epiſcopum Oſtienſem virum valde venerabilem ad civitatem Barenſem delegavit, populum civitatis monendo, ut ad Regis fidelitatem colla ſubmittant, & ejus voluntati famulentur. Populus autem Barenſis, ut erat ſuperbi animi & elationi ſuppoſitus, Epiſcopum illum, ut civitatem ingrederetur, nullatenus eſt paſſus, dictis quoque ejus nullo modo credere pertentavit. Quid multa? Epiſcopus ille revertens, Barenſis populi ferocıam, & elationem domino intimabat Apoſtolico; inde, ut dictum eſt, Dominus Papa Romam reverſus eſt.* Jam enim antea ſcripſerat Falco: *Prædictus Apoſtolicus à Romanis ſæpe vocatus, ſecundo die ſtante menſis Septembris, Romam repedavit*, ideſt die vigeſima nona menſis Septembris, qui ex dictis eſt ſecundus dies ſtans menſis Septembris; menſis enim ſtans, juxta Falconem, idem eſt ac menſis finiens.

LXXVI. *Abaelardi & Arnaldi de Brixia libros comburi jubet.*

Arnoldus ſeu Arnaldus de Brixia hæreticus, quem anno 1139 in Concilio Generali Lateranenſi II damnatum vidimus, cùm omnium Clericorum & Monachorum inſidiis appeteretur, Romam, Italiamque deſeruit, & in Galliam primùm, dein in Germaniam ſe contulit, ac aliquandiu apud Epiſcopum Conſtantienſem demoratus eſt. Fuerat Arnaldus diſcipulus Petri Abaëlardi in Rujenſi cœnobio, cujus Abbas erat. Quæ quidem duorum hominum in fide ſuſpectorum conjunctio, & converſatio tam ſuſpecta & odioſa fuit omnibus bonis & verè Catholicis, ut utrumque exterminare conati fuerint. Præcipuus eorum adverſarius Sanctus Bernardus Claræ-vallenſis Abbas egit apud Innocentium Papam, & apud Guidonem de Caſtello Cardinalem, Sanctæ Sedis in Gallia Legatum, ut ſuprema in eos ſupplicia decernerentur. Innocentius Pontifex Bernardi literis acceptis, ſcripſit Samſoni Remenſi, Henrico Senonenſi Archiepiſcopis, & eidem Bernardo Abbati, injunxitque, ut

Digitized by Google

Petrum Abaelardum & Arnaldum de Brixia ſeparatim includi facerent, & libros erroris eorum igne comburi. Epiſtola data eſt *Laterani* 17 *Kalend. Aug.* anni 1140, extat Tomo X Concil. pag. 1023.

LXXVII. *Alphonſus Portugalliæ Rex ab exercitu Rex proclamatur.*

Licèt ante Alexandrum III Pontifices Romani, Alphonſum Henricum Portugalliæ Regis nomine cohoneſtare noluerint, Garibayus tamen lib. 34 Compendii Hiſtorialis Hiſpaniæ cap. 2, Faria in Europa Portugallenſi Tomo ſecundo par. prima cap. tertio. Mariana lib. decimo capite decimoſeptimo. Sandovallius, ceteriq; paſſim Hiſtorici, regnum Portugalliæ conditum ab anno milleſimo centeſimo trigeſimo nono, quo certum eſt Alphonſo à ſubditis nomen Regis attributum, arceſcunt; quo etiam titulo à vicinis Principibus cohoneſtatus fuit, ipſeque divus Bernardus, anno 1153 mortuus, Epiſtolam 308 *ad Alphonſum Portugalliæ Regem* dedit. Res ita ſe habuit. Alphonſus Henricus Portugalliæ Dux, ſeu Comes, contractis undique ex tota ditione copiis, in Maurorum fines populabundus penetravit; Tagoque ſuperato, Iſmarem Maurorum Regem, qui ea loca obtinebat, aggreſſus eſt; ſed is quatuor alios Maurorum Regulos in auxilium evocavit, & numeroſum exercitum conflavit. Altera antequam pugnaretur die, VIII Kalendas Auguſti, divi Jacobi memoriæ ſacra, milites Alphonſum in caſtris magna lætitiæ ſignificatione Regem proclamarunt; Portugallia enim à quadraginta ſeptem aut circiter annis titulo tantùm Comitatûs potiebatur. Pugnatur utrimque acriter, pro gloria, pro ſalute, & pro imperio; ſed Mauri magno numero trucidati, plerique capti, & quinque Regulorum ſigna Mauris erepta, indeque Regum Luſitaniæ inſignia in clypeo cæruleo quinque alia ſcuta minora eſſe cœperunt. Poſt hanc inſignem victoriam Luſitaniæ Reges brevî in magnam potentiam crevêre.

LXXVIII. *Innocentio PP. hominium facit.*

Hæc innovatio Alphonſum VII Caſtellæ Regem, Hiſpaniarum Imperatorem appellatum, ſummopere perculit, quare ſtatim Romam miſit, qui Innocentium Papam ſolicitarent, ut Alphonſum Henricum, & Luſitanos excommunicationis vinculis innodaret. Innocentius Legatum in Hiſpaniam miſit, ut hunc Principem excommunicatione percelleret, niſi Alphonſum Imperatorem agnoſceret; ſed Luſitanus maluit excommunicari, quàm Alphonſo Imperatori ſubjici. Faria tamen, aliique tradunt promiſiſſe poſtea Luſitanum Legato, ſe ſingulis annis marcas duas auri Eccleſiæ Romanæ loco cenſûs perſoluturum, ſi Innocentius Papa eum in dignitate Regia confirmaret: quod cùm pollicitus eſſet Legatus, Luſitanum Legatos miſiſſe, qui, ſancto Bernardo apud Pontificem agente, anno 1141 regni Portugalliæ inveſtituram ab eo obtinuere. Sed hæc valdè dubia reddunt Lucii II ad Alphonſum Luſitanum literæ à Baluzio lib. 2 Miſcellaneorum pag. 220, & ſeqq. in lucem emiſſæ, in quibus à Pontifice *Dux* tantùm ſalutatur; ex iis autem illud ſolùm certò conſtat Alphonſum *hominium Papæ Innocentio* feciſſe, ſed non legitur ab eo in Regia dignitate fuiſſe confirmatum ante Alexandrum III, licèt ſub Lucio II regnum ſuum Eccleſiæ Romanæ vectigale reddiderit, ut ſuo loco dicetur.

LXXIX. *Innocentius PP. Franciæ Regnum interdicto ſuppoſuit, & quare.*

Anno milleſimo centeſimo quadrageſimo primo orta diſſenſio inter Innocentium Papam, & Ludovicum Francorum Regem hac occaſione. Mortuo anno 1139 Alberico Bituricenſi Archiepiſcopo, poſtquam ſedes vacaſſet *per annum, & menſes tres*, ut docet Auctor Patriarchii Bituricenſis cap. 63 quidam ejus Eccleſiæ Clerici, aſſentiente Rege, Cadurcum quemdam ſibi volebant præficere, alii verò Petrum, Aimerici Romani Cancellarii conſobrinum. Pontifex Cancellarium diligens, Petrum conſecravit Archiepiſcopum, Cadurcum verò omni Eccleſiaſtico honore privavit. Sed cùm Petrus ſine aſſenſu Regis fuiſſet conſecratus, in civitate receptus non eſt; imò Rex ipſi totius terræ ſuæ introitum interdixit, ut legitur in Chronographo Mauriniacenſi lib. 3 pag. 386, qui addit: *Innocentius verò gladium Eccleſiaſticum in ultionem exerens, per omne Regis dominium divini celebrationem officii interdixit*. Radulphus de Diceto in Abbreviat. Chron. pag. 509, ſcribit: *per triennium perſona Regis interdicto ſubjacuit. In quamcumque civitatem, caſtellum, vel vicum intrabat, celebratio divinorum officiorum ſuſpendebatur*. Herimannus tandem Monachus Tornacenſis, aut ejus Continuator, qui extat Tomo 12 Spicilegii Dacheriani, ait, Papam in Bituricenſem Archiepiſcopum conſecraſſe Petrum, *quod quia Rex concedere noluit, Chriſtianitate privatus eſt*. Interdictum porrò illud duravit uſque ad Pontificatum Cœleſtini II, ut ibidem dicetur.

LXXX. *Moritur.*

Romani, qui, ut Baronius anno 1141 narrat, adverſus Innocentium Papam rebellarant, & Senatum reſtituerant, anno ſequenti milleſimo centeſimo quadrageſimo ſecundo, ut ſcribit Otto Friſingenſis lib. 7 cap. 27, audaciores facti ſunt: *Invaleſcente populo*, inquit, *dum proficere non poſſet* Innocentius, *lecto cubans juxta quoſdam de futuris viſione ſibi monſtrata, in pace quievit*. Quæ tamen mors nonniſi anno milleſimo centeſimo quadrageſimo tertio contigit, ut inter omnes convenit, & quidem octavo Kalendas Octobris, ſeu die 24 Septembris, ut habent Baronius, & Onuphrius, cujus tamen rei nullum teſtem adducunt. Sed eum diem morti Innocentii

aſſignan-

Digitized by Google

SÆC. XII. INNOCENTIUS II.

aſſignandum eſſe, docet nos Epiſtola Cœleſtini II ejus ſucceſſoris, qua Cluniacenſes de ſua electione certiores facit, data *Laterani 8 Idus Novembris*, quæque ex Spicilegii Dacheriani Tomo 4 translata eſt in Tomum X Conciliorum. In ea enim ait: *Notum facimus dilectioni veſtræ, quòd domino noſtro bonæ memoriæ Papa Innocentio VIII Kal. Octob. defuncto*, &c. Cùm itaque electus fuerit Innocentius die decima quinta menſis Februarii anni 1130, ſedit *annos tredecim, menſes ſeptem, dies novem*, emortuali excluſo; eum enim à die ſuæ electionis annos ſui Pontificatûs numeraſſe, oſtendit Annotator Baronii anno 1130 num. 6.

LXXXI. *Ejus ſepulturæ, & beneficia in Eccleſia Lateranenſi.*

Joannes Diaconus Junior Baſilicæ Salvatoris Patriarchii Lateranenſis Canonicus in libro de Eccleſia Lateranenſi apud Mabillonium Tomo 2 Muſei Italici ait: *In navi Eccleſiæ jacet Innocentius Papa II in concha porphyretica, quæ fuit Adriani Imperatoris ſepultura. Hic renovavit tectum hujus Baſilicæ, propriis expenſis, novis trabibus, quas glorioſus & potens Rogerius Siciliæ Rex precibus ſuis eidem Eccleſiæ tranſmiſit: quod videlicet tectum ſuo tempore ceciderit, ſuoque tempore reſtauratum eſt. Turrim etiam ante Eccleſiam, quæ ruinæ vicina videbatur, renovari juſſit: atque quampluirima, dum vixit, Eccleſiæ dona ad ornamentum Altaris obtulit, cycladem videlicet auro textam*, & alia ibi ſigillatim memorata. Præter Joannem Diaconum, Cœleſtinus Innocentii ſucceſſor in Epiſtola, quam ſcripſit ad Cluniacenſes, quos certos facit de ſua electione, de qua in ejus Vita Tomo ſequenti, aſſerit etiam eum ſepultum in Eccleſia Lateranenſi, ex qua ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ Tranſtiberim tit. Calliſti, quam à fundamentis ante mortem renovare cœperat, quamque Petrus ejus germanus, Epiſcopus Albanenſis perfecit, ejus corpus translatum eſt, ut conſtat ex epitaphio, quod ibidem legitur, quodque tale eſt apud Ciaconium ex additionibus Victorelli, qui exiſtimat annum 1142 in eo notatum pertinere ad opus incœptum ab Innocentio, & annum 1148 ad perfectionem operis & translationem ejus ad dictam Eccleſiam.

SÆC. XII. INNOCENTIUS III

Hic requieſcunt venerabilia oſſa ſanctiſſimæ
memoriæ Domini Innocentii Papæ ſecundi
de domo Papareſcorum, qui præſentem Eccleſiã
ad honorem Dei Genitricis Mariæ, ſicut eſt,
à Fundamentis, ſumptibus propriis renovavit.
S. A. D. MCXLII, & an. D. MCXLVIII.

FINIS TOMI PRIMI.

FASTI

Digitized by Google

FASTI CONSULARES

Ab Anno 326 cum Littera Dominicali, Paſchate, & Indictione cuilibet Anno convenientibus.

Anno trecenteſimo vigeſimo quinto celebratum primum Concilium Generale Nicææ in Bithynia, in quo decretum eſt, Paſcha celebrandum eſſe Dominica die poſt decimam quartam Lunam menſis Martii, ideoque ab anno ſequenti trecenteſimo vigeſimo ſexto, Paſcha cujuslibet anni, cum littera Dominicali & Indictione currente exhibebitur.

CONSULES.

Anno		*Litt.D.*	*Paſch.*	*Indict.*
326	Conſtantinus Aug. VII, & Conſtantinus Cæſar.	B	3 April.	14
327	Flavius Valerius Conſtantinus, & Maximus.	A	26 Mart.	15
328	Januarius, & Juſtus.	G F	14 April.	1
329	Conſtantinus Aug. VIII, & Conſtantinus Cæſar IV.	E	6 April.	2
330	Gallicanus, & Symmachus.	D	19 Apr.	3
331	Baſſus, & Ablavius.	C	11 April.	4
332	Pacatianus, & Hilarianus.	B A	2 April.	5
333	Fl. Valerius Julius Delmatius, & M. Aurelius Zenophilus.	G	22 April.	6
334	L. Acontius Optatus, & Anicius Paulinus Junior.	F	7 April.	7
335	Julius Conſtantius, & Cejonius Rufinus Albinus.	E	30 Mart.	8
336	Nepotianus & Facundus.	D C	18 April.	9
337	Ti. Fabius Titianus, & Felicianus.	B	3 April.	10
338	Urſus, & Polemius.	A	28 Mart.	11
339	Conſtantius Aug. II, & Conſtans Aug.	G	15 April.	12
340	Acnydinus, & Proculus.	F E	30 Mart.	13
341	Marcellinus, & Probinus.	D	19!April.	14
342	Conſtantius Aug. III, & Conſtans Aug. II.	C	15 April.	15
343	M. Macius Memmius Furius Placidus, & Fl. Piſidius Romulus.	B	27 Mart.	1
344	Leontius, & Saluſtius.	A G	15 April.	2
345	Amantius, & Albinus.	F	7 April.	3
346	Conſtantius Aug. IV, & Conſtans Aug. III.	E	25 Mart.	4
347	Euſebius, & Rufinus.	D	6 April.	5
348	Fl. Philippus, & Fl. Salia.	C B	3 April.	6
349	Ulpius Limenius, & Aco Fabius Catullinus.	A	23 April.	7
350	Sergius, & Nigrinianus.	G	8 April.	8
	Anno CCCLI Nulli in imperio Rom. Conſules creati.	F	31 Mart.	9
352	Decentius, & Paulus.	E D	19 April.	10
353	Conſtantius Aug. VI, & Conſtantius Gallus Cæſar II.	C	11 April.	11
354	Conſtantius Aug. VII, & Conſtantius Gallus III.	B	27 Mart.	12
355	Arberio, & Lollianus.	A	16 April.	13
356	Conſtantius Aug. VIII, & Julianus Cæſar.	G F	7 April.	14
357	Conſtantius Aug. IX, & Julianus Cæſar II.	E	20 Mart.	15
358	Neratius Cerealis, & Datianus.	D	12 April.	1
359	Flavius Euſebius, & Hypatius.	C	4 April.	2
360	Conſtantius Aug. X, & Julianus Cæſar III.	B A	26 Mart.	3
361	Taurus & Florentius.	G	4 April.	4
362	Mamertinus & Nevitta.	F	31 Mart.	5
363	Julianus Aug. IV, & Saluſtius.	E	20 April.	6
364	Jovianus Aug., & Varronianus Nobiliſſimus puer.	D C	4 April.	7
365	Valentinianus Aug. & Valens Aug.	B	23 Mart.	8
366	Gratianus Nobiliſſimus puer, & Dagalaiphus.	A	16 April.	9
367	Lupicinus, & Jovinus.	G	10 April.	10
368	Valentinianus Aug. II, & Valens Aug. II.	F E	20 Mart.	11
369	Valentinianus Nobiliſſimus puer, & Victor.	D	12 April.	12
370	Valentinianus Aug. III, & Valens Aug. III.	C	28 Mart.	13
371	Gratianus Aug. II, & Sextus Petronius Probus.	B	4 April.	14
372	Modeſtus, & Arintheus.	A G	8 April.	15
373	Valentinianus Aug. IV, & Valens Aug. IV.	F	31 Mart.	1
374	Gratianus Aug. III, & Equitius.	E	13 April.	2
	Anno CCCLXXV nulli Conſules creati ſunt.	D	5 April.	3
376	Valens Aug. V, & Valentinianus Junior Aug.	C B	27 Mart.	4
377	Gratianus Aug. IV, & Merobaudes.	A	16 April.	5
378	Valens Aug. VI, & Valentinianus Junior Aug. II.	G	1 April.	6
379	Auſonius, & Q. Clodius Hermogenianus Olybrius.	F	21 April.	7
380	Gratianus Aug. V, & Theodoſius Aug.	E D	12 April.	8
381	Flavius Eucherius, & Flavius Syagrius.	C	28 Mart.	9
382	Antonius, & Syagrius.	B	17 April.	10
383	Merobaudes II & Saturninus.	A	9 April.	11
384	Clearchus, & Richomeres.	G F	24 Mart.	12
385	Flavius Archadius Aug., & Bauto.	E	13 April.	13
386	Honorius Nobiliſſimus puer, & Evodius.	D	5 April.	14
387	Valentinianus Aug. III, & Eutropius.	C	25 April.	15
388	Theodoſ. Aug. II, & Cynegius.	B A	9 April.	1
389	Fl. Timaſius, & Fl. Promotus.	G	1 April.	2
390	Valentinianus Aug. IV, & Neoterius.	F	12 April.	3
391	Tatianus, & Q. Aurelius Symmacus.	B	6 Apri.	4

Arca-

Anno		Litt.D.	Paſch.	Indict.
392	Arcadius Aug. II, & Rufinus.	D C	18 Mart.	5
393	Theodoſius Aug. III, & Abundantius.	B	17 April.	6
394	Arcadius Aug. III, & Honorius Aug. II.	A	2 April.	7
395	Olybrius, & Probinus.	G	25 Mart.	8
396	Arcadius Aug. IV, & Honorius Aug. III.	F E	13 April.	9
397	Cæſarius, & Atticus.	D	5 April.	10
398	Honorius Aug. IV, & Eutichianus.	C	18 April.	11
399	Fl. Mallius Theodorus, & Eutropius.	B	10 April.	12
400	Fl. Stilicho, & Aurelianus.	A G	1 April.	13
401	Vincentius, & Fravita.	F	14 April.	14
402	Arcadius Aug. V, & Honorius Aug. V.	E	6 April.	15
403	Theodoſius Jun. Aug. & Fl. Rumoridus.	D	29 Mart.	1
404	Honorius Aug. VI, & Ariſtænetus.	C B	17 April.	2
405	Fl. Stilicho II, & Anthemius.	A	2 April.	3
406	Arcadius Aug. VI, & Anicius Probinus.	G	22 April.	4
407	Honorius Aug. VII, & Theodoſius Jun. Aug. II.	F	14 April.	5
408	Anicius Baſſus, & Fl. Philippus.	E D	29 Mart.	6
409	Honorius Aug. VIII, & Theodoſius Aug. III.	C	18 April.	7
410	Fl. Varanes, & Tertullus.	B	10 April.	8
411	Theodoſius Aug. IV abſque Collega.	A	26 Mart.	9
412	Honorius Aug. IX, & Theodoſius Aug. V.	G F	14 April.	10
413	Lucius, & Heraclianus.	E	6 April.	11
414	Fl. Conſtantius, & Conſtans.	D	22 Mart.	12
415	Honorius Aug. X, & Theodoſius Aug. VI.	C	11 April.	13
416	Theodoſius Aug. VII, & Junius Quartus Palladius.	B A	2 April.	14
417	Honorius Aug. XI, & Fl. Conſtantius II.	G	22 April.	15
418	Honorius Aug. XII, & Theodoſius Aug. VIII.	F	7 April.	1
419	Monaxius, & Plinta.	E	30 Mart.	2
420	Theodoſius Aug. IX, & Fl. Conſtantius III.	D C	18 April.	3
421	Agricola, & Euſtathius.	B	3 April.	4
422	Honorius Aug. XIII, & Theodoſius Aug. X.	A	26 Mart.	5
423	Aſclepiodorus, & Marinianus.	G	15 April.	6
424	Caſtinus, & Victor.	F E	6 April.	7
425	Theodoſius Aug. XI, & Valentinianus Cæſar.	D	19 April.	8
426	Theodoſius Aug. XII, & Valentinianus Aug. II.	C	11 April.	9
427	Hierius, & Ardaburius.	B	3 April.	10
428	Felix, & Taurus.	A G	22 April.	11
429	Florentius, & Dionyſius.	F	7 April.	12
430	Theodoſius Aug. XIII, & Valentinianus Aug. III.	E	30 Mart.	13
431	Anicius Baſſus, & Fl. Antiochus.	D	19 April.	14
432	Fl. Aetius, & Valerius.	C B	3 April.	15
433	Theodoſius Aug. XIV, & Fl. Anicius Petronius Maximus.	A	26 Mart.	1
434	Areobindus, & Aſpar.	G	15 April.	2
435	Theodoſius Aug. XV, & Valentinianus Aug. IV.	F	31 Mart.	3
436	Fl. Anthemius Iſidorus, & Senator.	E D	19 April.	4
437	Fl. Aetius II, & Sigiſvvoltus	C	11 April.	5

Anno		Litt.D.	Paſch.	Indict.
438	Theodoſius Aug. XVI, & Anicius Acilius Glabrio Fauſtus.	B	27 Mart.	6
439	Theodoſius Aug. XVII, & Feſtus.	A	16 April.	7
440	Valentinianus Aug. V, & Anatolius.	G F	7 April.	8
441	Cyrus abſque Collega.	E	23 Mart.	9
442	Eudoxius, & Dioſcorus.	D	12 April.	10
443	Fl. Anicius Petronius Maximus II, & Paterius.	C	4 April.	11
444	Theodoſius Aug. XVIII, & Cæcina Decius Albinus.	B A	23 April.	12
445	Valentinianus Aug. VI, & Nomus.	G	8 April.	13
446	Fl. Aetius III, & Q. Aurelius Symmachus.	F	31 Mart.	14
447	Alypius, & Ardaburius.	E	20 April.	15
448	Fl. Zeno, & Ruffius Prætextatus Poſtumianus.	D C	11 April.	1
449	Fl. Aſturius, & Fl. Protogenes.	B	27 Mart.	2
450	Valentinianus Aug. VII, & Gennadius Avienus.	A	16 April.	3
451	Marcianus Aug., & Fl. Adelphius.	G	8 April.	4
452	Sporatius, & Fl. Herculanus.	F E	23 Mart.	5
453	Vincomalus, & Opilio.	D	12 April.	6
454	Studius, & Aetius.	C	4 April.	7
455	Valentinianus Aug. VIII, & Anthemius.	B	24 April.	8
456	Varanes, & Joannes in Oriente, Avitus Imp. in Occidente.	A G	8 April.	9
457	Conſtantius, & Rufus.	F	31 Mart.	10
458	Leo Aug., & Julius Majorianus Aug.	E	20 April.	11
459	Patricius, & Fl. Ricimer.	D	5 April.	12
460	Magnus, & Apollonius.	C B	27 Mart.	13
461	Severinus, & Dagalaiphus.	A	16 April.	14
462	Leo Aug. II, & Vibius Severus Aug.	G	1 April.	15
463	Fl. Cæcina Baſilius, & Vivianus.	F	21 April.	1
464	Ruſticus, & Fl. Anicius Olybrius.	E D	12 April.	2
465	Fl. Baſiliſcus, & Hermenericus.	C	28 Mart.	3
466	Leo Aug. III, & Tatianus.	B	17 April.	4
467	Puſæus, & Joannes.	A	9 April.	5
468	Anthemius Aug. II ſine Collega.	G F	31 Mart.	6
469	Zeno, & Marcianus.	E	13 April.	7
470	Severus, & Jordanus.	D	5 April.	8
471	Leo Aug. IV, & Probianus.	C	28 Mart.	9
472	Marcianus, & Feſtus.	B A	16 April.	10
473	Leo Aug. V ſine Collega.	G	1 April.	11
474	Leo Junior Aug. ſine Collega.	F	21 April.	12
475	Zeno Aug. II ſine Collega.	E	6 April.	13
476	Baſiliſcus II, & Armatus.	D C	28 Mart.	14
	Anno CCCCLXXVII nullus Conſul fuit.	B	17 April.	15
478	Ilus ſine Collega.	A	9 April.	1
479	Zeno Aug. III ſine Collega.	G	25 Mart.	2
480	Baſilius Junior ſine Collega.	F E	13 April.	3
481	Placidus ſine Collega.	D	5 April.	4
482	Trocondus, & Severinus Junior.	C	25 April.	5
483	Fauſtus abſque Collega.	B	10 April.	6
484	Theodoricus, & Venantius.	A G	1 April.	7
485	Q. Aurelius Memmius Symmacus Junior.	F	21 April.	8
486	Longinus, & Decius.	E	6 April.	9
487	Boetius abſque Collega.	D	29 Mart.	10
488	Dynamius, & Sifidius.	C B	17 April.	11
489	Euſebius, & Probinus.	A	2 April.	12

Longi-

Digitized by Google

Anno		*Litt.D.*	*Paſch.*	*Indict.*
490	Longinus II, & Fl. Fauſtus Junior.	G	25 Mart.	13
491	Olybrius Junior abſque Collega.	F	14 April.	14
492	Anaſtaſius Aug. & Rufus.	E D	5 April.	15
493	Euſebius II, & Albinus Junior.	C	18 April.	1
494	Turcius Rufinus Apronianus Aſterius, & Præſidius.	B	10 April.	2
495	Fl. Viator abſque Collega.	A	26 Mart.	3
496	Paulus abſque Collega.	G F	14 April.	4
497	Anaſtaſius Aug. II ſine Collega.	E	6 April.	5
498	Joannes Scytha, & Paulinus Decius.	D	29 Mart.	6
499	Joannes Gibbus abſque Collega.	C	11 April.	7
500	Fl. Hypatius, & Patricius.	B A	2 April.	8
501	Ruffius Magnus Fauſtus Avienus, & Fl. Pompejus.	G	22 April.	9
502	Fl. Avienus Junior, & Probus.	F	14 April.	10
503	Dexicrates, & Voluſianus.	E	30 Mart.	11
504	Cethegus abſque Collega.	D C	18 April.	12
505	Sabinianus, & Theodorus.	B	10 April.	13
506	Areobindus Junior, & Meſſala.	A	26 Mart.	14
507	Anaſtaſius Aug. III, & Venantius.	G	15 April.	15
508	Celer, & Venantius Junior.	F E	6 April.	1
509	Baſilius Opportunus abſque Collega.	D	22 Mart.	2
510	Anicius Manlius Severinus Boetius abſque Collega.	C	11 April.	3
511	Secundinus, & Felix.	B	3 April.	4
512	Paulus, & Muſchianus.	A G	22 April.	5
513	Probus, & Clementinus.	F	7 April.	6
514	Sanator abſque Collega.	E	30 Mart.	7
515	Anthemius, & Florentius.	D	19 April.	8
516	Petrus abſque Collega.	C B	3 April.	9
517	Fl. Anaſtaſius, & Agapitus.	A	26 Mart.	10
518	Magnus abſque Collega.	G	15 April.	11

Anno		*Litt.D.*	*Paſch.*	*Indict.*
519	Juſtinus Aug. & Euthacius.	F	31 Mart.	12
520	Vitalianus, & Ruſticus.	E D	19 April.	13
521	Juſtinianus, & F. Valerius.	C	11 April.	14
522	Symmachus, & Boetius.	B	3 April.	15
523	Fl. Anicius Maximus abſque Collega.	A	16 April.	1
524	Juſtinus Aug. II, & Opilio.	G F	7 April.	2
525	Fl. Philoxenus, & Probus Junior.	E	30 Mart.	3
526	Olybrius abſque Collega.	D	19 April.	4
527	Mavortius abſque Collega.	C	4 April.	5
528	Juſtinianus Aug. II abſque Collega.	B A	26 Mart.	6
529	Decius Junior abſque Collega.	G	15 April.	7
530	Lampadius, & Oreſtes.	F	31 Mart.	8
	Annis DXXXI, & DXXXII nulli Conſules fuerunt.			
	Anno DXXXI.	E	20 April.	9
	Anno DXXXII.	D C	11 April.	10
533	Juſtinianus Aug. III abſque Collega.	B	27 Mart.	11
534	Juſtinus Aug. IV, & Fl. Decius Theodorus Paulinus Junior ultimus Conſulum Occidentalium.	A	16 April.	12
535	Fl. Beliſarius abſque Collega.	G	8 April.	13
	Anno DXXXVI, & anno DXXXVII nulli Conſules fuerunt.			
	Anno DXXXVI.	F E	23 Mart.	14
	Anno DXXXVII.	D	12 April.	15
538	Fl. Joannes abſque Collega.	C	4 April.	1
539	Appio abſque Collega.	B	24 April.	2
540	Juſtinus Junior abſque Collega.	A G	8 April.	3
541	Baſilius Junior ultimus privatorum, qui Conſulatum in Oriente geſſit.	F	31 Mart.	4

Ab hoc anno uſque ad 567 annus hac formulâ notatus eſt: *Poſt Conſulatum Baſilii I, II, III, &c.* Anno verò 567 Juſtinus Junior Auguſtus ſolus Conſul proceſſit, & Conſulatum ordinarium à privatis ad Imperatores tranſtulit, eumque perpetuum eſſe voluit, ita ut ab ea dignitate anno ſecundo Imperii ſumpta, ab eo ad mortem tot Conſulatûs, quot imperii annos numerarent; quæ Conſulatûs forma uſque ad Conſtantinum Pogonatum duravit. Hic enim anno 668 ſtatuit, ut Conſulatûs anni à primo Imperii numerarentur, ita ut tot eſſent anni Conſulatûs, quot Imperii, ut videre eſt in Critica Baronii. Quare poſthac, literas ſolùm Dominicales, dies Paſchatis, & Indictiones cuilibet anno competentes annotabimus.

Anno	*Lit.D.*	*Paſch.*	*Indict.*
542	E	20 April.	5
543	D	5 April.	6
544	C B	27 Mart.	7
545	A	16 April.	8
546	G	8 April.	9
547	F	24 Mart.	10
548	E D	12 April.	11
549	C	4 April.	12
550	B	24 April.	13
551	A	9 Aprilis	14
552	G F	31 Mart.	15
553	E	20 April.	1
554	D	5 April.	2
555	C	28 Mart.	3
556	B A	16 April.	4
557	G	1 April.	5
558	F	21 April.	6
559	E	13 April.	7

Anno	*Lit.D.*	*Paſch.*	*Indict.*
560	D C	28 Mart.	8
561	B	17 April.	9
562	A	9 April.	10
563	G	25 Mart.	11
564	F E	13 April.	12
565	D	5 April.	13
566	C	28 Mart.	14
567	B	10 April.	15
568	A G	1 April.	1
569	F	21 April.	2
570	E	6 April.	3
571	D	29 Mart.	4
572	C B	17 April.	5
573	A	9 April.	6
574	G	25 Mart.	7
575	F	14 April.	8
576	E D	5 April.	9
577	C	25 April.	10

Anno	*Lit.D.*	*Paſch.*	*Indict.*
578	B	10 April.	11
579	A	2 April.	12
580	G F	21 April.	13
581	E	6 April.	14
582	D	29 Mart.	15
583	C	18 April.	1
584	B A	2 April.	2
585	G	25 Mart.	3
586	F	14 April.	4
587	E	30 Mart.	5
588	D C	18 April.	6
589	B	10 April.	7
590	A	26 Mart.	8
591	G	15 April.	9
592	F E	6 April.	10
593	D	29 Mart.	11
594	C	21 April.	12
595	B	3 April.	13

Anno	*Lit.D.*	*Paſch.*	*Indict.*
596	A G	22 April.	14
597	F	14 April.	15
598	E	30 Mart.	1
599	D	19 April.	2
600	C B	10 April.	3
601	A	26 Mart.	4
602	G	15 April.	5
603	F	7 April.	6
604	E D	22 Mart.	7
605	C	11 April.	8
606	B	3 April.	9
607	A	23 April.	10
608	G F	7 April.	11
609	E	30 Mart.	12
610	D	19 April.	13
611	C	4 April.	14
612	B A	26 Mart.	15
613	G	15 April.	1

Anno	Lit.D.	Paſch.	Indict.	Anno	Lit.D.	Paſch.	Indict.	Anno	Lit.D.	Paſch.	Indict.	Anno	Lit.D.	Paſch.	Indict.
614	F	31 Mart.	2	686	G	15 April.	14	758	A	2 April.	11	830	B	17 April.	8
615	E	20 April.	3	687	F	7 April.	15	759	G	22 April.	12	831	A	2 April.	9
616	DC	11 April.	4	688	ED	29 Mart.	1	760	FE	6 April.	13	832	GF	24 Mart.	10
617	B	3 April.	5	689	C	11 April.	2	761	D	29 Mart.	14	833	E	13 April.	11
618	A	16 April.	6	690	B	3 April.	3	762	C	18 April.	15	834	D	5 Aprili.	12
619	G	8 April.	7	691	A	23 April.	4	763	B	3 April.	1	835	C	18 April.	13
620	FE	30 Mart.	8	692	GF	14 April.	5	764	AG	25 Mart.	2	836	BA	9 April.	14
621	D	19 April.	9	693	E	30 Mart.	6	765	F	14 April.	3	837	G	1 April.	15
622	C	4 April.	10	694	D	19 April.	7	766	E	6 April.	4	838	F	14 April.	1
623	B	27 Mart.	11	695	C	11 April.	8	767	D	19 April.	5	839	E	6 April.	2
624	AG	15 April.	12	696	BA	26 Mart.	9	768	CB	10 April.	6	840	DC	28 Mart.	3
625	F	31 Mart.	13	697	G	15 April.	10	769	A	2 April.	7	841	B	17 April.	4
626	E	20 April.	14	698	F	7 April.	11	770	G	22 April.	8	842	A	2 April.	5
627	D	12 April.	15	699	E	23 Mart.	12	771	F	7 April.	9	843	G	22 April.	6
628	CB	27 Mart.	1	700	DC	11 April.	13	772	ED	29 Mart.	10	844	FE	13 April.	7
629	A	16 April.	2	701	B	3 April.	14	773	C	18 April.	11	845	D	29 Mart.	8
630	G	8 April.	3	702	A	23 April.	15	774	B	3 April.	12	846	C	18 April.	9
631	F	24 Mart.	4	703	G	8 April.	1	775	A	26 Mart.	13	847	B	10 April.	10
632	ED	12 April.	5	704	FE	30 Mart.	2	776	GF	14 April.	14	848	AG	25 Mart.	11
633	C	4 April.	6	705	D	19 April.	3	777	E	30 Mart.	15	849	F	14 April.	12
634	B	24 April.	7	706	C	4 April.	4	778	D	19 April.	1	850	E	6 April.	13
635	A	9 April.	8	707	B	27 Mart.	5	779	C	11 April.	2	851	D	22 Mart.	14
636	GF	31 Mart.	9	708	AG	15 April.	6	780	BA	26 Mart.	3	852	CB	10 April.	15
637	E	20 April.	10	709	F	31 Mart.	7	781	G	15 April.	4	853	A	2 April.	1
638	D	5 April.	11	710	E	20 April.	8	782	F	7 April.	5	854	G	22 April.	2
639	C	28 Mart.	12	711	D	12 April.	9	783	E	23 Mart.	6	855	F	7 April.	3
640	BA	16 April.	13	712	CB	3 April.	10	784	DC	11 April.	7	856	ED	29 Mart.	4
641	G	8 April.	14	713	A	16 April.	11	785	B	3 April.	8	857	C	18 April.	5
642	F	24 Mart.	15	714	G	8 April.	12	786	A	23 April.	9	858	B	3 April.	6
643	E	13 April.	1	715	F	31 Mart.	13	787	G	8.April.	10	859	A	26 Mart.	7
644	DC	4 April.	2	716	ED	19 April.	14	788	FE	30 Mart.	11	860	GF	14 April.	8
645	B	24 April.	3	717	C	4 April.	15	789	D	19 April.	12	861	E	6 April.	9
646	A	9 April.	4	718	B	27 Mart.	1	790	C	11 April.	13	862	D	19 April.	10
647	G	1 April.	5	719	A	16 April.	2	791	B	27 Mart.	14	863	C	11 April.	11
648	FE	20 April.	6	720	GF	31 Mart.	3	792	AG	15 April.	15	864	BA	2 April.	12
649	D	5 April.	7	721	E	20 April.	4	793	F	7 April.	1	865	G	22 April.	13
650	C	28 Mart.	8	722	D	12 April.	5	794	E	23 Mart.	2	866	F	7 April.	14
651	B	17 April.	9	723	C	28 Mart.	6	795	D	12 April.	3	867	E	30 Mart.	15
652	AG	1 April.	10	724	BA	16 April.	7	796	CB	3 April.	4	868	DC	18 April.	1
653	F	21 April.	11	725	G	8 April.	8	797	A	23 April.	5	869	B	3 April.	2
654	E	13 April.	12	726	F	24 Mart.	9	798	G	8 April.	6	870	A	26 Mart.	3
655	D	29 Mart.	13	727	E	13 April.	10	799	F	31 Mart.	7	871	G	15 April.	4
656	CB	17 April.	14	728	DC	4 April.	11	800	ED	19 April.	8	872	FE	30 Mart.	5
657	A	9 April.	15	729	B	24 April.	12	801	C	4 April.	9	873	D	19 April.	6
658	G	25 Mart.	1	730	A	9 April.	13	802	B	27 Mart.	10	874	C	11 April.	7
659	F	14 April.	2	731	G	1 April.	14	803	A	16 April.	11	875	B	27 Mart.	8
660	ED	5 April.	3	732	FE	20 April.	15	804	GF	31 Mart.	12	876	AG	15 April.	9
661	C	28 Mart.	4	733	D	5 April.	1	805	E	20 April.	13	877	F	7 April.	10
662	B	10 April.	5	734	C	28 Mart.	2	806	D	12 April.	14	878	E	23 Mart.	11
663	A	2 April.	6	735	B	17 April.	3	807	C	28 Mart.	15	879	D	12 April.	12
664	GF	21 April.	7	736	AG	8 April.	4	808	BA	16 April.	1	880	CB	3 April.	13
665	E	6 April.	8	737	F	24 Mart.	5	809	G	8 April.	2	881	A	17 April.	14
666	D	29 Mart.	9	738	E	13 April.	6	810	F	31 Mart.	3	882	G	8 April.	15
667	C	18 April.	10	739	D	5 April.	7	811	E	13 April.	4	883	F	31 Mart.	1
668	BA	9 April.	11	740	CB	24 April.	8	812	DC	4 April.	5	884	ED	19 April.	2
669	G	25 Mart.	12	741	A	9 April.	9	813	B	27 Mart.	6	885	C	11 April.	3
670	F	14 April.	13	742	G	1 April.	10	814	A	16 April.	7	886	B	27 Mart.	4
671	E	6 April.	14	743	F	14 April.	11	815	G	1 April.	8	887	A	16 April.	5
672	DC	25 April.	15	744	ED	5 April.	12	816	FE	20 April.	9	888	GF	7 April.	6
673	B	10 April.	1	745	C	28 Mart.	13	817	D	12 April.	10	889	E	23 Mart.	7
674	A	2 April.	2	746	B	17 April.	14	818	C	28 Mart.	11	890	D	12 April.	8
675	G	22 April.	3	747	A	2 April.	15	819	B	17 April.	12	891	C	4 April.	9
676	FE	6 April.	4	748	GF	21 April.	1	820	AG	8 April.	13	892	BA	23 April.	10
677	D	29 Mart.	5	749	E	13 April.	2	821	F	24 Mart.	14	893	G	8 April.	11
678	C	18 April.	6	750	D	29 Mart.	3	822	E	13 April.	15	894	F	31 Mart.	12
679	B	3 April.	7	751	C	18 April.	4	823	D	5 April.	1	895	E	20 April.	13
680	AG	25 Mart.	8	752	BA	9 April.	5	824	CB	24 April.	2	896	DC	4 April.	14
681	F	14 April.	9	753	G	25 Mart.	6	825	A	9 April.	3	897	B	27 Mart.	15
682	E	30 Mart.	10	754	F	14 April.	7	826	G	1 April.	4	898	A	16 April.	1
683	D	19 April.	11	755	E	6 April.	8	827	F	21 April.	5	899	G	1 April.	2
684	CB	10 April.	12	756	DC	28 Mart.	9	828	ED	5 April.	6	900	FE	20 April.	3
685	A	26 Mart.	13	757	B	10 April.	10	829	C	28 Mart.	7	901	D	12 April.	4

Anno	*Lit.D.*	*Paſch.*	*Indict.*	*Anno*	*Lit.D.*	*Paſch.*	*Indict.*	*Anno*	*Lit.D.*	*Paſch.*	*Indict.*	*Anno*	*Lit.D.*	*Paſch.*	*Indict.*
902	C	28 Mart.	5	963	D	19 April.	6	1024	E D	5 April.	7	1085	E	20 April.	8
903	B	17 April.	6	964	C B	3 April.	7	1025	C	18 April.	8	1086	D	5 April.	9
904	A G	8 April.	7	965	A	26 Mart.	8	1026	B	10 April.	9	1087	C	26 Mart.	10
905	F	31 Mart.	8	966	G	15 April.	9	1027	A	26 Mart.	10	1088	B A	16 April.	11
906	E	13 April.	9	967	F	31 Mart.	10	1028	G F	14 April.	11	1089	G	1 April.	12
907	D	5 April.	10	968	E D	19 April.	11	1029	E	6 April.	12	1090	F	21 April.	13
908	C B	27 Mart.	11	969	C	11 April.	12	1030	D	29 Mart.	13	1091	E	13 April.	14
909	A	16 April.	12	970	B	27 Mart.	13	1031	C	11 April.	14	1092	D C	28 Mart.	15
910	G	1 April.	13	971	A	16 April.	14	1032	B A	2 April.	15	1093	B	17 April.	1
911	F	21 April.	14	972	G F	7 April.	15	1033	G	22 April.	1	1094	A	9 April.	2
912	E D	12 April.	15	973	E	23 Mart.	1	1034	F	14 April.	2	1095	G	25 Mart.	3
913	C	28 Mart.	1	974	D	12 April.	2	1035	E	30 Mart.	3	1096	F E	13 April.	4
914	B	17 April.	2	975	C	4 April.	3	1036	D C	18 April.	4	1097	D	5 April.	5
915	A	9 April.	3	976	B A	27 April.	4	1037	B	10 April.	5	1098	C	28 Mart.	6
916	G F	24 Mart.	4	977	G	8 April.	5	1038	A	26 Mart.	6	1099	B	10 April.	7
917	E	13 April.	5	978	F	31 Mart.	6	1039	G	15 April.	7	1100	A G	1 April.	8
918	D	5 April.	6	979	E	20 April.	7	1040	F E	6 April.	8	1101	F	21 April.	9
919	C	25 April.	7	780	D C	11 April.	8	1041	D	22 Mart.	9	1102	E	6 April.	10
920	B A	9 April.	8	981	B	27 Mart.	9	1042	C	11 April.	10	1103	D	29 Mart.	11
921	G	1 April.	9	982	A	16 April.	10	1043	B	3 April.	11	1104	C B	17 April.	12
922	F	21 April.	10	983	G	8 April.	11	1044	A G	22 April.	12	1105	A	9 April.	13
923	E	6 April.	11	984	F E	23 Mart.	12	1045	F	7 April.	13	1106	G	25 Mart.	14
924	D C	28 Mart.	12	985	D	12 April.	13	1046	E	30 Mart.	14	1107	F	14 April.	15
925	B	17 April.	13	986	C	4 April.	14	1047	D	3 April.	15	1108	E D	5 April.	1
926	A	2 April.	14	987	B	24 April.	15	1048	C B	5 April.	1	1109	C	25 April.	2
927	G	25 Mart.	15	988	A G	8 April.	1	1049	A	26 Mart.	2	1110	B	10 April.	3
928	F E	13 April.	1	989	F	31 Mart.	2	1050	G	15 April.	3	1111	A	2 April.	4
929	D	5 April.	2	990	E	20 April.	3	1051	F	31 Mart.	4	1112	G F	21 April.	5
930	C	18 April.	3	991	D	5 April.	4	1052	E D	19 April.	5	1113	E	6 April.	6
931	B	10 April.	4	992	C B	27 Mart.	5	1053	C	11 April.	6	1114	D	20 Mart.	7
932	A G	1 April.	5	993	A	16 April.	6	1054	B	3 April.	7	1115	C	18 April.	8
933	F	14 April.	6	994	G	1 April.	7	1055	A	16 April.	8	1116	B A	2 April.	9
934	E	6 April.	7	995	F	21 April.	8	1056	G F	7 April.	9	1117	G	25 Mart.	10
935	D	29 Mart.	8	996	E D	12 April.	9	1057	E	30 Mart.	10	1118	F	14 April.	11
936	C B	17 April.	9	997	C	28 Mart.	10	1058	D	19 April.	11	1119	E	30 Mart.	12
937	A	2 April.	10	998	B	17 April.	11	1059	C	4 April.	12	1120	D C	18 April.	13
938	G	22 April.	11	999	A	9 April.	12	1060	B A	26 Mart.	1,	1121	B	10 April.	14
939	F	14 April.	12	1000	G F	31 Mart.	13	1061	G	15 April.	14	122	A	26 Mart.	15
940	E D	29 Mart.	13	1001	E	13 April.	14	1062	F	31 Mart.	15	1123	G	15 April.	1
941	C	18 April.	14	1002	D	5 April.	15	1063	E	20 April.	1	1124	F E	6 April.	2
942	B	10 April.	15	1003	C	28 Mart.	1	1064	D C	11 April.	2	1125	D	29 Mart.	3
943	A	26 Mart.	1	1004	B A	17 April.	2	1065	B	27 Mart.	3	1126	C	11 April.	4
944	G F	14 April.	2	1005	G	1 April.	3	1066	A	16 April.	4	1127	B	3 April.	5
945	E	6 April.	3	1006	F	21 April.	4	1067	G	8 April.	5	1128	A G	22 April.	6
946	D	22 Mart.	4	1007	E	6 April.	5	1068	F E	23 Mart.	6	1129	F	14 April.	7
947	C	11 April.	5	1008	D C	28 Mart.	6	1069	D	12 April.	7	1130	E	30 Mart.	8
948	B A	2 April.	6	1009	B	17 April.	7	1070	C	4 April.	8	1131	D	19 April.	9
949	G	22 April.	7	1010	A	9 April.	8	1071	B	24 April.	9	1132	C B	10 April.	10
950	F	7 April.	8	1011	G	25 Mart.	9	1072	A G	8 April.	10	1133	A	26 Mart.	11
951	E	30 Mart.	9	1012	F E	13 April.	10	1073	F	31 Mart.	11	1134	G	15 April.	12
952	D C	18 April.	10	1013	D	5 April.	11	1074	E	20 April.	12	1135	F	7 April.	13
953	B	5 April.	11	1014	C	25 April.	12	1075	D	5 April.	13	1136	E D	22 Mart.	14
954	A	26 Mart.	12	1015	B	10 April.	13	1076	C B	27 Mart.	14	1137	C	11 April.	15
955	G	15 April.	13	1016	A G	1 April.	11	1077	A	16 April.	15	1138	B	3 April.	1
956	F E	6 April.	14	1017	F	21 April.	15	1078	G	8 April.	1	1139	A	23 April.	2
957	D	19 April.	15	1018	E	6 April.	1	1079	F	24 Mart.	2	1140	G F	7 April.	3
958	C	11 April.	1	1019	D	29 Mart.	2	1080	E D	12 April.	3	1141	E	30 Mart.	4
959	B	3 April.	2	1020	C B	17 April.	3	1081	C	4 April.	4	1142	D	19 April.	5
960	A G	22 April.	3	1021	A	2 April.	4	1082	B	24 April.	5	1143	C	4 April.	6
961	F	7 April.	4	1022	G	25 Mart.	5	1083	A	9 April.	6				
962	E	30 Mart.	5	1023	F	14 April.	6	1084	G F	31 Mart.	7				

Digitized by Google

INDEX

Rerum, quæ Tomo Primo Breviarii Geſtorum Pontificum Romanorum

Continentur.

A

ABbates à Joanne XIII Pontificalium ornamentorum uſu primùm decorati pag. 461.

Abundantius Paternenſis Epiſc. Synodi Occident. Legatus ad ſextam Synodum Generalem 240.

Acacius Epiſc. Cpolitanus Calendionem Antiochiæ Epiſc. contra canones conſecrat 118. Infenſus eſt Joanni Talajæ Epiſc. Alex. & quare 119. Romam à Felice III PP. citatur 120. Legatos Apoſtolicæ Sedis indignè tractat 121. Deponitur in Synodo Romana *ibid.* Calendionem è Sede Antiochena pelli, & Petrum Fullonem in eam reſtitui curat 122. Damnatur iterum in Synodo Rom. *ibid.* Moritur extra communionem Eccleſiæ 124. Ejus nomen è Sacris Diptychis eypungi vult Gelaſius PP. *ibid.* Expungitur ex iis ſub Hormiſda 136 *& ſeqq.*

Acephali Hæretici qui 164.

Acametæ Monachi Scythis adverſantes in errorem labuntur 147. A' Joanne PP. damnantur 148. Quare dicti Acæmeti, & à quo fundati 149. Damnantur ab Agapeto PP. 152.

Achrida ſeu Primæ Juſtinianæ Antiſtes fit Vicarius S. Sedis 157.

Acolytis permittitur vaſa ſacra tangere 13.

Actardus Nannetenſis Epiſc. Sede pulſus pallium ab Hadriano II recipit 394. Ad Metropolitanam Sedem Turonenſem transfertur *ibid.*

S. Adalbertus Pragenſis Epiſc. ad ſuam Sedem redire à Joanne XV jubetur 470. Romam poſtea reverſus à Gregorio V obtinet, ut ad externas gentes pro prædicatione Evangelii ſe conferat *ibid.* & 474. Polonis, Bohemis, & Hungaris fidem prædicat, ac martyrio coronatur *ibid.* Ejus Vitæ ſcriptor non eſt Silveſter II Papa, ſed Monachus Anonymus 485.

Adelais, dicta etiam Praxedes, ab Henrico Imp. marito multis ſtupranda traditur 600. Querelas ſuas ad Synodum Conſtantienſem à Legato Urbani II celebratam defert 602. In Placentino Concilio à ſpurcitiis, quas invita paſſa fuerat, ab Urbano II abſolvitur 603. In patriam revertitur, & fit Abbatiſſa *ibid.*

Adeodatus creatur Papa 237. Monaſterii S. Martini Turonenſis privilegium confirmat *ibid.* Moritur 238. Ejus virtutes *ibid.*

Aelfredus ſeu Alfredus Occidentalium Saxonum Rex à Leone IV ungitur 368 *& ſeqq.* Dominicæ Crucis partem à Martino II PP. miſſam recipit 417.

Aeonius Arelatenſis Epiſc. queritur apud Symmachum PP. de Viennenſi Epiſc. 130 *& ſeq.*

Africana Eccleſiæ Primatus à S. Leone IX Carthaginenſi Epiſc. confirmatur 325.

Africani hæreticos rebaptizantes non ſunt à Stephano PP. excommunicati 29. Africani Pelagii & Cœleſtii cauſam ad Apoſtolicam Sedem referunt 77 *& ſeq.* Adverſus Zozimum PP. expoſtulant, quòd eos innocentes credat 81. Zozimi Tractoriam recipiunt, & ad eum gratulatorias literas ſcribunt 82. Eidem Tractoriæ ſubſcribunt *ibid.* Contendunt cum Pontifice Rom. de appellationibus ad Sedem Rom. 83. Eas admittunt *ibid.*

Africani perſecutionem patiuntur ab Hunnerico Vandalorum Rege 122. Petunt à Pontifice Rom. quo modo ſe gerere debeant cum lapſis in perſecutione *ibid.* In eos perſecutionem movet Traſamundus Vandalorum Rex 133. Eorum miſeriam ſublevat Symmachus PP. *ibid.* Africanorum Epiſc. Synodica ad Joannem miſſa 149. Ad eam reſpondet Agapetus PP. 150. Africani pro tribus Capitulis ſtant 161. Vigilium PP. excommunicant 162. A' Juſtiniano Imp. malè habentur 163. Synodum quintam recipiunt 174. Ad Theodorum PP. ſcribunt contra Paulum Epiſc. Cp. Monothelitam 223.

S. Agapetus fit Papa 150. Bonifacii II decretum contra Dioſcorum irritat *ibid.* Ad Africanorum Synodicam reſpondet *ibid.* Canonum diſpenſationem Cæſario Arelat. Epiſc. & Juſtiniano Imp. recuſat 151 *& ſeq.* Ad eundem Imp. legationem ſuſcipere cogitur à Theodato Gothorum Rege *ibid.* In itinere mutum, & claudum ſanat *ibid.* Anthimum Epiſc. Cpolitanum in communionem admittere recuſat *ibid.* Eum deponit, & Mennam in ejus locum ordinat 152. Mennæ & Juſtiniani fidei profeſſiones recipit *ibid.* Juſtiniani profeſſionem confirmat, & Acæmetas Monachos damnat *ibid.* Cpoli moritur 153. Poſt ejus mortem decreta ejus in Synodo Cpolitana confirmantur *ibid.* Epiſtola ei falsò adſcripta *ibid.*

Agapetus II Marino II, ſeu Martino III ſuccedi 449. Pacem inter Hugonem Italiæ Regem & Albericum Patricium conciliare tentat 450. Hugonis Remenſis ſubdolam legationem recipit *ibid.* Engilenheimenſi Concilio per Legatum præſidet *ibid.* Item Trevirenſi *ibid.* Engilenheimenſe confirmat *ibid.* Hamburgenſis Eccleſiæ privilegia innovat *ibid.* Ottonem Germaniæ Regem in Italiam vocat 451. Diſſenſionem Archiepiſcoporum Lanreacenſis & Salisburgenſis componit *ibid.* S. Brunoni Archiepiſcopo Colonienſi pallium mittit *ibid.* Item S. Odoni Archiepiſcopo Cantuariæ *ibid.* Ad Deum tranſit *ibid.*

S. Agatho dicitur Papa 240. Synodum Romæ celebrat, in qua S. Vvilfridum Epiſcopum Eborac. in ſedem reſtituit *ibid.* Convenit cum Conſtantino Pogonato Imp. de cogendo Concilio Generali *ibid.* Secundam Romæ Synodum habet contra Monothelitas, ex qua Legatos ad Synodum Oecumenicam mittit *ibid. & ſeq.* Plures alias particulares Synodos contra eoſdem hæreticos celebrari jubet 241. *& ſeq.* Ejus Legati Cpolim ingrediuntur 241.

Di-

Digitized by Google

A

Diverſi à Legatis Concilii Romani, & quare *ibid.* Decretum ab Imperatore obtinet, quo Eccleſia liberatur à penſitatione pecuniæ pro ordinatione Summi Pontificis 247. Hominem exuit *ibid.* Epiſtola ei falsò adſcripta *ibid.* Ejus virtutes *ibid.*

Agnus Dei ter in miſſa cantari ſtatuit Sergius PP. 265.

Agnorum Dei in Eccleſia uſus ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio 83.

Aiſtulphus Longobard. Rex Romanam Eccleſiam vexat 299. Monetur à Pippino Franc. Rege, ut ab his vexationibus deſiſtat *ibid.* A' Pippino vincitur 301. Promiſſis non ſtat 302. Romam obſidet *ibid.* A' Pippino iterum vincitur, & Exarchatum Ravennæ aliaque Pontifici Rom. tradere cogitur 303. Moritur *ibid.*

Albericus Maroziæ filius Romæ dominatur 244. Ab Hugone Italiæ Rege vitrico malè habetur *ibid.* Joannem XI Pontificem fratrem in cuſtodia detinet 245. De dominio Urbis cum Hugone Rege contendit *ibid.* & *ſeq.* Pacem cum eo facit Alda ejus filia in conjugem accepta 446. Iterum pax inter eos diſturbatur 448.

Albertus quidam, mortuo Guiberto Antipapa, eligitur Antipapa, ſed ſub eodem die apud S. Laurentium retruditur 620.

Aldebertus hæreticus in Synodo Rom. ſub Zacharia PP. damnatus 294.

S. Aldricus Cenomanenſis Epiſc. ſede ſua pulſus in eam reſtituitur 359. A' Gregorio IV PP. veſtimento proprio, & baculo paſtorali donatur *ibid.*

S. Alexander fit Pontifex Rom. poſt Evariſtum 11. Memoria paſſionis Domini ab eo Sacrificio Miſſæ non addita *ibid.* Aquam benedictam in hominum habitaculis aſſervari ſtatuit *ibid.* Non addidit Canoni Miſſæ hæc verba, *qui pridie quàm pateretur &c. ibid.* Nec etiam ut aqua in Calice vino miſceatur *ibid.* De azymis nihil ſtatuit *ibid.* Conſulitur ab Epiſcopis Siculis 20. Ad ipſos Sabinianum Presbyterum mittit *ibid.* Martyrium facit ſub Trajano *ibid.* Decretales tres ei falsò adſcriptæ *ibid.*

Alexander Hierapolitanus Metropolita cum totá ſua provincia ad Sixtum III PP. appellat poſt Concilium Epheſinum 100.

Alexander II Papa, vide Anſelmus Lucenſis Epiſc.

Alexandrina Eccleſia fundatur 3. Primum locum poſt Romanam obtinet, & quare *ibid.*

Alexandrina perſecutio ſub Philippo Imp. ex motu populari orta 26.

Alexandrina Synodus contra Neſtorium 93. Realem in Euchariſtia Chriſti præſentiam aſſerit *ibid.*

Alexandrini fruſtra petunt à Legatis Anaſtaſii PP. in communionem recipi, & quare 128.

Alpes Cottiæ Eccleſiæ Rom. reſtituuntur 270. Earum Alpium ſitus *ibid.*

Alphonſi Aragoniæ Regis matrimonium cum Urraca Alphonſi VI Caſtellæ Regis filia caſſatur 632.

Alphonſus Portugalliæ comes ab exercitu Rex proclamatur 692. Innocentio II PP. hominium facit 693.

Altaria adolendi uſus antiquiſſimus 265. Altaria plura in eadem Eccleſia ſæculo ſexto 197.

Altheimenſe Concilium juſſu Joannis X Papæ celebratur 443.

Amalarius Metenſis Diaconus à Ludovico Imp. Romam mittitur ad corrigendos Antiphonarios 356.

S. Amandus Epiſc. Trajectenſis abdicat 228.

S. Ambroſius Jovinianum in Concilio Mediolanenſi habita 63.

Anacletus Antipapa, vide Petrus Leonis.

S. Anacletus PP. Cleto ſubrogatur 8. Super S. Petri corpus Eccleſiam conſtruit *ibid.* Sub Domitiano Martyr occubuit *ibid.* A' Cleto diſtinguendus *ibid.* Tres Decretales ei falsò adſcriptæ *ibid.*

S. Anaſtaſius fit Papa 67. Origenis errores damnat *ibid.* Item Rufinum Patriarcham interpretem 68. Carthaginenſis Concilii Legationem recipit *ibid.* Conſtitutum ab eo pro Presbyteris *ibid.* Ejus obitus *ibid.* Decretales ei falsò adſcriptæ *ibid.*

Anaſtaſius II Eccleſiæ præficitur 127. Anaſtaſium Imperatorem, miſſis Legatis, ab hæreſi revocare tentat *ibid.* Nihil pro Eccleſiæ pace proficit *ibid.* A' calumnia purgatur 128. Gratulatur Clodoveo Francorum Regi de baptiſmo ſuſcepto *ibid.* Ejus conſtitutum de Eccleſia Arelatenſi periit *ibid.* Ejus obitus 129.

Anaſtaſius S. Germani Cpolitani Epiſc. Diſcipulus ejus thronum invadit 283. Deponitur à Gregorio II 285.

Anaſtaſius Imp. Legatos Anaſtaſii PP. doloſè detinet 127. Fruſtrà tentat ab eo obtinere, ut Zenonis Henotico ſubſcribat *ibid.* & 128. A' Symmacho PP. excommunicatur 133. Scribit ad Hormiſdam PP. pro Eccleſiæ pace 134. Concilium Heracleæ convocat *ibid.* & 135. Profeſſionem fidei ad eum mittit, ſed non vult conſentire expunctioni nominis Acacii è ſacris diptychis 135 & ſeq. Moritur 136. Ejus nomen è ſacris tabulis expungitur 137.

Anaſtaſius in locum Bardanis ſeu Philippici fit Imperator 274 Fidei profeſſionem Catholicam ad Conſtantinum PP. mittit *ibid.* Sextæ Synodi imaginem Cpoli reſtituit 275. Imperio dejicitur *ibid.*

Anaſtaſius III Sergio III ſuccedit 438. Pontifex fuit integris moribus *ibid.* E' vivis excedit 439.

Anaſtaſius Presbyter Cardinalis in Synodo Rom. deponitur ſub Leone IV, & quare 368. In Sedem Romanam intruditur, ſed ab ea expellitur 723. Iterum damnatur ab Hadriano II in Synodo Rom. 394.

Andegavenſes ad expeditionem pro recuperatione Terræ ſanctæ ab Urbano II admonentur 610.

Anglorum puerorum venalitas occaſio Angliæ converſionis ad fidem 193. Anglorum multa millia baptizantur 196. Angli Orientales Chriſti fidem ſuſcipiunt 210.

Anglicana Synodus contra Monothelitas celebratur 241.

Angli non ſtatim coluerunt Urbanum II ut legitimum Pontificem 594. Anacleto Antipapa rejecto Innocentio II adhærent 671.

S. Anicetus PP. Pio ſubrogatur 16. Cum Polycarpo Smyrnenſi Epiſc. de die Paſchatis celebrandi contendit *ibid.* Cum eo tamen communicat *ibid.* Romæ Synodum celebrat, in qua ejus ſententia confirmatur *ibid.* Sub eo Hegeſippus Romæ vixit 17. Decretales ipſi attributæ ſpuriæ *ibid.*

S. Anno Colonienſis Archiepiſcopus Cadolum Antipapam in Concilio Osborienſi damnari procurat 544. Romam pergit, & quare 551.

S. Anterus fit Papa & Martyr 22. Ejus decretalis ſuſpecta 23.

Anthimus Epiſcopus Cpolitanus ab Agapeto PP. deponitur 152. Damnatur à Vigilio PP. 157.

S. Anſcharius fit primus Hamburgenſis Epiſc. 357. Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus creatur *ibid.* Uſum mitræ à Leone IV Papa recipit 368.

Anſegiſus Senonenſis Archiep. dicitur Primas in Galliis 407.

Anſelmus Lucenſis Epiſc. à Nicolao II Mediolanum Legatus mittitur contra Simoniacos, & Nicolaitas 537. Poſt trium menſium interpontificium fit Pontifex Romanus ſub Alexandri II nomine 541. Factus Papa Epiſcopatum Lucenſem uſque ad mortem retinuit 542. Contra eum eligitur Cadolus pſeudo-Papa *ibid.* Romà exire cogitur 543. Permittit Petro Damiani Oſtienſi Epiſcopo ut ad eremum ſecedat *ibid.* Hildebrandum Archi-

chidiaconum, poſtea ſub Gregorii VII nomine Papam, Cancellarium creat 543. S. Herlembaldum Eccleſiæ defenſorem conſtituit *ibid.* à Cadolo Antipapa fruſtra Romæ obſidetur 544. Ejus electio in Concilio Osborienſi confirmatur *ibid.* Antibarenſi Archiep. pallium mittit 544. Item Archiep. Saliſburgenſi 545. Petrum Damiani ad ſedandum ſchiſma inter Epiſcopum & Monachos Florentiam legat *ibid.* Romæ Concilium celebrat *ibid.* Eundem Petrum Damiani Legatum in Galliam mittit pro cauſa Cluniacenſis Monaſterii 546. Berengarium hæreſiarcham, qui ad vomitum redierat, monet, ut ab hæreſi diſcedat 547. Indulgentiam & vexillum Rogerio Calabriæ Comiti mittit *ibid.* Inceſtuoſorum hæreſim in Synodo Rom. damnat *ibid.* Eoſdem in alia Synodo Rom. excommunicat *ibid.* Vexillum S. Petri VVillelmo Normanniæ Duci dirigit *ibid.* Godefridum Tuſciæ Ducem in Normannos immittit 549. Caſſinenſes promovet *ibid.* Mediolanum Legatos mittit contra ſimoniacos & Clericos fornicarios *ibid.* Mantuæ Synodum cogit, in qua Cadolus Antipapa damnatur *ibid.* Eidem Carolo veniam impertit *ibid.* S. Arialdum canonizat *ibid.* Scribit ad Anglorum Regem pro exactione denarii S. Petri 550. Officium Rom. in Aragonia, rejecto Gothico, recipi curat *ibid.* Item in Comitatu Barcinonenſi *ibid.* Ejus auctoritate Treuga Dei confirmatur *ibid.* Petrum Damiani Legatum in Galliam mittit 551. Moguntinum & Bambergenſem Archiepiſcopos Romam vocat *ibid.* Legatos in Angliam mittit *ibid.* Quartam Romæ Synodum celebrat 552. Moguntiæ Synodum congregari jubet *ibid.* Archiepiſcopis Cantuariæ & Eboraci pallia tribuit 553. Ejus auctoritate finitur controverſia de primatu inter hos duos Epiſcopos *ibid.* Prohibet ne Monachi in Eccleſiis Cathedralibus Angliæ turbentur *ibid.* Petrum Damiani Legatum Ravennam mittit 554. Geraldum Petri Damiani ſucceſſorem in Gallias Legatum dirigit *ibid.* Henricus Germaniæ Regem ad cauſam dicendam Romam vocat *ibid.* Gothofridum invaſorem Eccleſiæ Mediolanenſis in quinta Synodo Rom. damnat *ibid.* Mitræ uſum Bohemiæ Duci concedit 555. Eundem uſum Abbati monaſterii S. Auguſtini largitur *ibid.* Prohibet Sacerdotem pluries in die celebrare *ibid.* Ejus Legatus prohibet Miſſam linguâ ſclavonicâ celebrare *ibid.* Ejus mors 556. Ejus doctrina & Sanctitas *ibid.* Ejus in Monachos & viros literatos ſtudium *ibid.* Ejus miracula *ibid.* Ejus ſepulturæ locus, & vitæ Scriptores *ibid.* & ſeq.

S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus à VVillelmo Angliæ Rege propter inveſtituras vexatus Romam pergit 614. Barium cum Urbano II Papa proficiſcitur ad Concilium *ibid.* Librum *Cur Deus Homo* in Italia abſolvit *ibid.* Græcos circa proceſſionem Spiritûs Sancti in Concilio Barenſi confutat 615. Romam cum Pontifice proficiſcitur *ibid.* Romam iterum redit pro cauſa inveſtiturarum 623. In Angliam redit, & Henrico Regi reconciliatur *ibid.*

S. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus à Gregorio VII Legatus in Longobardiam mittitur ad abſolvendos ſchiſmaticos 588. Mitram ejuſdem Pontificis ante mortem ab eo tranſmiſſam recipit 589.

Antiochena Eccleſia à S. Petro fundatur 2. Antiochenum Concilium ſecundùm Pauli Samoſateni errores damnat 31. Hujus Concilii geſta & epocha explicantur *ibid.* & *ſeq.* Antiochenum Concilium in Encæniis Conciliabulum non fuit in principio 47. Noviſſima ejus Concilii Arianis imputanda *ibid.* Antiochena altera Synodus S. Athanaſium damnat 52.

Antibarenſis Archiepiſcopus pallium ab Alexandro II recipit 544.

Antiocheni Epiſcopi electionem S. Leo IX confirmat 528.

Antiochena Eccleſiæ jura reſtituuntur à Paſchali II PP. 638.

Apollinaris errores 58. Damnatus in tertia Synodo Rom. ſub Damaſo PP. *ibid.*

S. Apollonia ſub Philippo Imp. Martyr 26.

Appellationum jus Rom. Pontifici in cauſis Epiſcoporum à Concilio Sardicenſi confirmatur 48. Ab ipſis Africanis admittitur in cauſis Presbyterorum & aliorum minorum Clericorum 86. Appellationes ad Sedem Romanam ex Oriente antiquiſſimæ 100.

Aqua Benedicta uſus ab Apoſtolis emanat 21. Servari in hominum habitaculis ſtatuit Alexander PP. *ibid.*

Aquam in calice vino miſceri Apoſtolici eſt inſtituti 21.

Aquiſgranenſe Concilium agitat quæſtionem de proceſſione Spiritûs Sancti 340.

Arauſicana Synodus II Semipelagianos damnat 144. A' Bonifacio II PP. confirmatur 146.

Arcadius Imperator non fuit à S. Innocentio PP. excommunicatus 75.

Arcadius Epiſc. Legatus Cæleſtini PP. ad Concilium Epheſinum 95. Epheſinum appellit, & Actioni II intereſt 96. & *ſeq.*

Arcani diſciplina ex Patribus probata 71. & *ſeq.* Fideles non reſpiciebat 71. Non ſolos ritus, ſed & dogmata ſacramentorum occultabat *ibid.* Non tamen omnia dogmata *ibid.* Ex ea ſacramentorum numerus malè impugnatur *ibid.*

Arcani diſciplina medio ſæculo ſeptimo adhuc in Oriente vigebat 233. In occidente tam quoad reticentiam myſteriorum, quàm quoad dimiſſionem cathecumenorum ſæculo ſeptimo non amplius ſervata *ibid.*

Arelatenſe Concilium Donatiſtas damnat, & Cæcilianum abſolvit 41. Rebaptizationes prohibet *ibid.* Canones condit, et confirmationem à S. Silveſtro Papa petit *ibid.*

Arelatenſe Conciliabulum S. Athanaſium damnat 52.

Arelatenſis Eccleſiæ privilegia à Zozimo PP. augentur 82. Iis exuitur à S. Leone 103. Ex parte reſtituuntur 104. à Symmacho PP. confirmantur 130.

Argrinus à Joanne IX in Epiſcopatum Lingonenſem reſtituitur 433. Ejus reſtitutionem confirmat Benedictus IV in Synodo Rom. 434. Ejus mortis dies 435.

S. Arialdus adverſatur Sacerdotibus incontinentibus & ſimoniacis 531. In Concilio Novariæ coacto excommunicatur *ibid.* Hæc excommunicatio à Stephano IX irritatur *ibid.* A' Simoniacis & incontinentibus occiſus ab Alexandro II canonizatur 549.

Ariana hæreſis initium à quo anno repetendum 41. Arii patria *ibid.* Arius à S. Petro Alex. Epiſc. Diaconus ordinatur *ibid.* Ambitio eum ad fabricandam hæreſim impellit *ibid.* Ejus errores 42. Ariana hæreſis in Concilio Alexandrino damnatur *ibid.* Contra eam convocatur Concilium Nicænum *ibid.* & *ſeq.* Arius cum hæreſi ſua in eo Concilio damnatur 45. Arius exilio mulctatur & obit extra communionem Eccleſiæ 46.

Ariani in Oriente tumultuantur odio in S. Athanaſium 47. S. Athanaſium in Conciliabulo Antiocheno deponunt 48. Rogant Julium PP. ut ejus cauſæ Judex eſſe velit *ibid.* Vocati ad Synodum Rom. vanas excuſationes prætexunt *ibid.* Ariani in Concilio Seleucienſi inter ſe diviſi 54.

Ariani per ſolam manus impoſitionem in Eccleſia recipiendi 55.

Aribertus Longob. Rex Alpes Cottias Eccleſiæ Rom. reſtituit 270.

Ariminenſis Concilii Patres Arianæ ſubſcribunt perfidiæ 54.

Ariminenſe Concilium à Liberio PP. caſſatur 55.

Armeni ſæculo quinto Divina Officia linguâ patriâ celebrant 393.

Arnaldi de Brixia errores in Concilio Lateranenſi II Generali damnantur 690. Ejus libros comburi Inno-cen-

Digitized by Google

centius II jubet 691.
Arno Epiſc. Salisburgenſis à Leone III Archiepiſcopus creatur 333.
S. Arnulphi Eccleſia Metis à S. Leone IX conſecratur 513.
Arnulphus Remenſis Archiepiſcopus ſede dejicitur 471. Joanne XV ejus Judices à ſacris abſtinere jubet 472. In Sedem reſtituitur ab ejuſdem Pontificis Legato *ibid.* Sedem tamen non recipit ante Gregorii V Pontificatum *ibid.* & 478.
Arnulphus filius nothus Carolomanni Germaniæ Regis, Caroli Craſſi fratris, fit Germaniæ Rex 420. A' Stephano V PP. Romam vocatur, ut à tyrannis Italiam liberet 421. Romam à Formoſo PP. vocatur 424. Romam expugnat *ibid.* De conſenſu Formoſi 425. Imperator ab eo coronatur *ibid.* Ejus coronatio non fuit ſubreptitia *ibid.*
Artaldus Remenſis Archiepiſcopus Pallium à Joanne XI recipit 444. Archiepiſcopatum abdicare, & Hugoni cedere cogitur 447. In Sedem reſtituitur à Ludovico Franciæ Rege 449. Ejus reſtitutio confirmatur à Synodo Ingelenheimenſi 450. Ejus mortis annus 454.
Aſiani excommunicantur à Victore PP. ob Paſchatis celebrationem 19. Ad preces S. Irænei Eccleſiæ reconciliantur *ibid.*
Aſſumptionis ſeu dormitionis B. Mariæ feſtum ante Mauricii Imp. tempora celebratum 266. Ab eo die 18. Januarii ad 15. Auguſti translatum *ibid.*
Aſſumptionis B. Virginis Octava à Leone IV inſtituitur 366.
Aſſumptionis vocabulum paulò poſt medium ſæculum octavum jam uſurpatum 387.
S. Athanaſius adhuc Diaconus Divini Verbi cauſam propugnat Concilio Nicæno 45. In Conciliabulo Arianorum Antiocheno deponitur Epiſcopatu 47. Reſtituitur à Julio PP. 48. Item abſolvitur à Sardicenſi Synodo *ibid.* Damnatur in Conciliabulo Arelatenſi 52. Item in Antiocheno *ibid.* Tum in Mediolanenſi *ibid.*
Athelardus Cantuarienſis Archiepiſcopus Primatum Eccleſiæ ſuæ reſtitui à Leone III obtinet 333.
Atticus Ep. Cpolitanus receptus non eſt in Communionem ab Innocentio PP. 75. & ſeq.
Attila Hunnorum Rex miraculosè à S. Leone PP. mitigatur 110.
S. Attilanus Zamorenſis Epiſcopus ab Urbano II Sanctorum Catalogo adſcribitur 617. Cum altero ejuſdem nominis Legionenſi Epiſcopo malè confuſus *ibid.*
Attrebatenſis Eccleſia à Cameracenſi ab Urbano II diviſa 553.
Avenionenſe Concilium ſub Nicolao II PP. celebratur 540.
Augienſis monaſterii privilegia à S. Leone IX confirmantur 512.
S. Auguſtinus plures libros ſcribit, & quatuor contra Pelagianorum literas ad Bonifacium PP. mittit 87.
S. Auguſtinus Anglorum Apoſtolus in Angliam à S. Gregorio PP. mittitur 196. Angliæ Regem, & multa Anglorum millia baptizat *ibid.* Sedis Apoſtolicæ Vicarius conſtituitur *ibid.*
Avitus Viennenſis Epiſcopus queritur de Symmacho PP. quòd Arelatenſi Epiſc. ordinationes adjudicaſſet 130.
Aurelianus Imperator nonam perſecutionem movet 53. Contra Paulum Samoſatenum edictum emittit *ibid.*
Aurelianus Epiſc. Arelatenſis fit Vicarius S. Sedis in Galliis 158.
Auxanius Arelatenſis itidem Epiſc. fit etiam Vicarius S. Sedis 157. Fit Judex cauſæ Prætextati Cabellicenſis Epiſc. 158.
Auxentius in Sedem Mediolanenſem intruditur 53. Contra eum Damaſus PP. Synodum celebrat 57.
Azimorum uſus adſcribendus non eſt Alexandro PP. 11. & ſeq. Eorum uſus in Eccl. Occidentali perpetuus 71.

B.

BAlduinus Flandriæ Comes, cognomento *Ferreus*, Juditham Caroli Calvi Regis filiam rapit, & in uxorem ducit 381. Ab Epiſcopis Gallicanis excommunicatur *ibid.* Nicolai Papæ operâ Carolo Regi reconciliatur. *ibid.*
Bambergenſis Epiſcopatûs inſtitutionem à S. Henrico Rege poſt ea Imp. factam Joannes XVIII PP. confirmat 486.
Bamberga Romanæ Eccleſiæ ſubjicitur à S. Henrico Imperatore 493. à Sancto Leone IX pro Benevento commutatur 520.
Baptiſmum hæreticorum non iterandum ſtatuit Stephanus PP. 28. Baptiſmi tempus in Paſchate, & Pentecoſtes 62 & 89. Aliis diebus dari improbat Siricius PP. 62. Idem improbat S. Leo 112. Plures alii dies pro ejus adminiſtratione in Galliis poſt S. Leonem deſignati *ibid.* Tempore perſecutionis, obſidionis, & formidine naufragii ſemper adminiſtratur 113. Quo tempore deſierit conſuetudo Baptiſmi adminiſtrandi ſolis Paſchæ, & Penteſtoſtes diebus *ibid.* Baptiſmo recèns regenerati Corpori & Sanguini Domini communicabant 115. Baptiſmus gratis conferendus 116. In Natali Chriſti Clodoveo Franc. Regi adminiſtratus 128. Unica merſione adhibita datus ex permiſſione S. Gregorii PP. 187.
Baptiſmus hæreticorum an ſit validus 198. De Baptiſmi forma Zachariæ PP. reſponſum 294.
Barbaricini Gentiles quare ſic dicti 191. Eorum converſioni incumbit S. Gregorius *ibid.*
Barbaſtæ à Paſchali II fit Sedes Epiſcopalis 621.
Bardanes tyrannus ſub Philippici nomine imperium occupat 272. Conſtantini PP. Legatos prævaricari cogit 258. Sextam Synodum abolere tentat 273. Hæreticam fidei profeſſionem ad Conſtantinum PP. mittit *ibid.* Cyrum Patriarcham deponit, & Joannem Diaconum ei ſubrogat *ibid.* Pſeudo Synodum contra Sextam Synodum Cpoli celebrari curat *ibid.* Imperio dejicitur 274.
Barenſe Concilium ab Urbano II celebratur 614. In eo agitur de proceſſione Spiritus Sancti 615.
Baſileenſis pſeudo-Synodus Cadolum ſub Honorii II nomine Antipapam eligit 542. Nicolai II PP. Acta caſſat *ibid.*
Baſilius Macedo fit Imperator 380. Photium è Sede dejicit, & Sanctum Ignatium reſtituit *ibid.* Jubente Hadriano II PP. Concilium generale octavum Conſtantinopoli convocat 395. Ejus Legationes honorificè ſuſcipit *ibid.* Soli Actioni VIII Concilii interfuit, & quare 396, & 399. Poſt Legatos Apoſtolicæ Sedis, & Patriarcharum Actis Concilii ſubſcribit 400. Bulgariam Sedi Cpolitanæ ſubjici curat *ibid.* Decretorum Concilii diſpenſationem ab Hadriano II fruſtrà petit 401. Photium ex exilio revocat 412. Legationem mittit ad Joannem VIII, ut Photium in Sede Patriarchali confirmet *ibid.* Marinum Apoſtolicæ Sedis Legatum in carcere detinet 414. Solicitat Hadrianum III, ut Photium in communionem recipiat 417. Contumelioſas ad eum literas ſcribit 419. Moritur *ibid.*
Bavaria in quatuor Epiſcopatus à S. Bonifacio dividitur 289.
Beda, Presbyter Venerabilis dictus, à Sergio PP. Romam vocatus non eſt 265.
Beliſarius Patricius S. Silverium PP. ſemel & iterum in exilium mittit 154.
Bellilocenſe Monaſterium à Joanne XVIII ſub protectione Sedis Apoſtolicæ ſuſcipitur 487. Conſecratur à Petro Vipernenſi Epiſcopo Sergii IV Legato 488.
Benedictio Regum Franciæ ſub Pippino cœpiſſe videtur 297. Regum verò Scotiæ et Hiſpaniæ antiquior *ibid.*

Digitized by Google

B

Benedictus dicitur Pont. Rom. 177. Moritur *ibid.* Epiſtola ei afficta *ibid.*

S. Benedictus II Leoni II ſuccedit 254. Scribit in Hiſpaniam pro receptione Actorum Sextæ Synodi *ibid.* Hæc Epiſtola ſpuria non eſt *ibid.* Scribit ad Hiſpanos quædam in eorum Apologetico improbans *ibid.* Adhuc electus Pôtifex decretum edidit in favorem S. VVilfridi Epiſcopi Eborac. 255. Pontificem Romanum conſecrari abſque confirmatione vel Imperatoris, vel Exarchi Ravenn. à Conſtantino Imp. obtinet *ibid.* Conſtantini Imp. filios in filios ſuſcipit *ibid.* Macarium Epiſc. Antiochenum ab hæreſi revocare fruſtrà tentat *ibid.* Ad Deum tranſit 256. Ejus in Eccleſiam, Clerum, & Monaſterium munificentia *ibid.* Ejus pietas & doctrina *ibid.*

Benedictus III eligitur Papa, & inthronizatur 373. E' Patriarchio ejicitur *ibid.* In illud reducitur, & iterum inthronizatur *ibid.* Conſecratur 374. Sub ejus Pontificatu Saxonum Occidentalium regnum Eccleſiæ Rom. fit vectigale *ibid.* Benedictus Papa Michaelis Orientis Imp. Legatos ſuſcipit *ibid.* Sententiam depoſitionis in Gregorium Syracuſanum Epiſc. in Synodo Cpolitana latam confirmat 375. Synodum Sueſſionenſem cum cautione confirmat *ibid.* Hubertum Subdiaconum Romam citat *ibid.* Statuit Epiſcopum à Comprovincialibus ſepeliri *ibid.* Moritur *ibid.* Ejus virtutes *ibid.*

Benedictus IV ſuccedit Joanni IX in Pontificatum 434. Synodum Romæ celebrat in cauſa Argrini Lingonenſis Epiſcopi *ibid.* Ludovicum Boſonis quondam Burgundiæ Regis Filium Imperatorem coronat 435. Ad Deum tranſit *ibid.*

Benedictus V, mortuo Joanne XII, eligitur, & conſecratur Pontifex 455 *& ſeq.* E' Sede dejicitur *ibid.* Ejus ordinatio fuit canonica 456. Hamburgum relegatur 457. Ibique moritur *ibid.*

Benedictus VI in locum Joannis XIII ſubrogatur 462. Salisburgenſi Epiſcopo Apoſtolicas vices concedit 463. Eccleſiæ, & Imperii jura tuetur *ibid.* Ob id nefariè occiditur *ibid.*

Benedictus VII inthronizatur Pont. Rom. 464. Bonifacium XII in Synodo Rom. damnat 465. Laureacenſi Eccleſiæ antiqua jura reſtituit *ibid.* S. Bonifacii Eccleſiam tribuit Sergio Damaſci Epiſcopo exuli *ibid.* Giſilero Archiepiſcopo Magdeburgenſi pallium tradit 466. Romæ contra Simoniacos Concilium celebrat *ibid.* Ad Deum migrat *ibid.*

Benedictus VIII dicitur Romanus Pontifex 489. Sede pulſus ad Henricum Germaniæ Regem pergit *ibid.* Henricum Imperatorem coronat 490. Ad ejus preces permittit ut Symbolum Romæ in Miſſa cantetur 491. Saracenos vincit, & ex Hetruria pellit 492. Invaſores bonorum Monaſterii Cluniacenſis excommunicat *ibid.* Judæos pro immani ſcelere in imaginem Chriſti decollari jubet 492. Guidonem Aretinum Auctorem Micrologi de metodo cantandi Romam vocat 493. Sacras Reliquias ad Monaſterium Caſſinenſe mittit *ibid.* Concilia Romæ, et Ticini celebravit 494. Naturæ debitum ſolvit *ibid.* SS. Odilonem, & Romualdum maximè coluit *ibid.* S. Odilonis precibus de Purgatorii pœnis liberatur *ibid.*

Benedictus IX ordinatur Pontifex Rom. 499. Fuit Simoniacus & pravis moribus imbutus 500. Romæ Synodum celebrat *ibid.* Conradum Imperatorem Cremonæ convenit *ibid.* Ab eodem Conrado in Sedem reſtituitur 501. S. Simeonem Syracuſanum canonizat *ibid.* Caſimirum Monachum & Diaconum voto abſolvit, ac uxorem ducere permittit 502. E' Sede iterum pellitur *ibid.* Iterum in Sede reſtituitur ejecto Silveſtro Antipapa *ibid.* Papatum alteri cedit 503. Suaſu beati Bartholomæi Abbatis Cryptæ Ferratæ *ibid.* Dimiſſam non multò poſt Cathedram repetit *ibid.* In Concilio Sutrino deponitur 504. Sedem Rom. poſt mortem Clementis II invadit 508. Quot menſibus eam tenuerit *ibid.* Supervixit tamen S. Leoni IX, qui moriens pro ejus converſione preces fudit *ibid.*

Benedictus X Antipapa creatur 533. A' Presbytero Oſtienſi ordinatur *ibid.* Ad laicam tantùm communionem à Nicolao II admittitur *ibid.* Cur dicendus Benedictus X licèt ſit Anti-papa 534.

Beneventana Sedes à Joanne XIII fit Archiepiſcopalis 461.

Beneventani à S. Leone IX excommunicati, & poſtea abſoluti 518.

Beneventum pro Bamberga à S. Leone IX commutatur 520.

Beneventanum Concilium ſub Victore III inveſtituras prohibet 592.

Beneventanum aliud Concilium ab Urbano II celebratur 598.

Beneventanum alterum Concilium à Paſchali II contra inveſtituras celebratur 632.

Berengarius Archidiaconus Andegavenſis hæreſim ſui nominis condidit 516. Berengarii hæreſis S. Leoni IX innoteſcit, & ab eo in Synodo Rom. damnatur *ibid.* Damnatur & ab eodem Papa in Vercellenſi Synodo 517. In Synodo etiam Florentina ſub Victore II proſcribitur 528. Item in Turonenſi, in qua hæreſim abjurat Berengarius *ibid.* Iterum in Synodo Rom. ſub Nicolao II Berengarius hæreſim abjurat 535. Ad vomitum redit, & monetur ab Alexandro II, ut ab hæreſi diſcedat 546. Auditur in Synodo Romana V ſub Gregorio VII, & ſecundam profeſſionem in ea emittit 577. Tum tertiam in Synodo Rom. ſexta 578. Ad vomitum redit, ſed poſteà Catholicus moritur, *ibid.*

Berengarius dicitur Rex Italiæ poſt Caroli Craſſi mortem 420. A' VVidone Spoleti Duce Ticino pellitur 421. Cum Lamberto VVidonis filio Longobardiæ Regnum partitur 424 *& ſeq.* Berengario Imperium aufertur à Synodo Rom. ſub Joanne IX Papa 432. A' Joanne X Romam vocatur 440. Auguſtus ab eo coronatur *ibid.* Saracenos è Gariliano monte deturbat 441. A' ſuis occiditur 442.

S. Bernardus Archiepiſcopus Viennenſis à Paſchali Papâ Pallium recipit 348.

Bernardus Paderbornenſis Epiſcopus ab Innocentio II Pallio donatur 680.

Bertrada à S. Bonifacio Epiſc. & deinde à Stephano II PP. in Reginam Franciæ ungitur 297.

Bertrada Fulconis Comitis Andegavenſis uxor marito relicto ad Philippum Franc. Regem ſe confert, & cum eo matrimonio copulatur 603. Ab eo ſeparatur 625.

Beſſi ſæculo quinto Divina Officia patriâ linguâ celebrabant 393.

Biſuntinorum Canonicorum S. Joannis, & S. Stephani controverſia de jure Eccleſiæ Cathedralis à Paſchali II dirimitur 640.

Boleslaus II Poloniæ Dux Regium nomen affectat 580. Ob cædem S. Staniſlai dignitate Regiâ à Gregorio VII privatur *ibid.* Profugus ſuper terram, morte præventus, à canibus devoratur *ibid.*

Boleslaus III, cognomento *Crivouſtus* Poloniæ Dux Kiovienſium Principis filiam cum diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ uxorem ducit 624. Tum, ea mortua, ſororem Henrici V Imp. *ibid.*

S. Bonifacius fit Papa 84. Contra eum in Schiſmate eligitur Eulalius Antipapa *ibid.* Ad Honorio Imp. Ravennam advocatur 85. In Sedem ab eodem Honorio reſtituitur *ibid.* Eccleſiæ quieti pro futura electione proſpicit *ibid.* Contra Pelagianos Conſtitutionem obtinet ab Honorio Imp. 86. Tum primum ſubſcriptiones de hæreticorum damnatione in uſum vocatæ *ibid.* Appellationum jus ad Sedem Rom. contra Africanos tuetur *ibid.* Literas Juliani Pelagiani ad S. Auguſtinum mittit 87. Ab eodem Auguſtino recipit libros contra illas literas *ibid.* Vices ſuas in Illyrico committit Theſſalonicenſi Epiſc. 88. Epiſcopos Illyrici in officio continere tentat *ibid.* Perigenem Corinthiorum Epiſcopum à Summo Pontifice conſtitutum in dignitate permanere jubet

Digitized by Google

B

bet, & obtinet *ibid.* Eccleſiæ Narbonenſis jura reſtituit 89. Valentini Epiſc. cauſam in Synodo ab Epiſcopis Gallicanis judicari decernit *ibid.* Moritur *ibid.* Ejus conſtituta *ibid.*

Bonifacius II Felici IV ſuccedit 145. Contra eum eligitur Dioſcorus in ſchiſmate, qui citò moritur *ibid.* Bonifacius Dioſcorum mortuum anathematizat *ibid.* In prima Synodo Rom. Vigilium ſibi ſucceſſorem conſtituit *ibid.* Illud conſtitutum in ſecunda Synodo Rom. caſſat *ibid.* Tertiam Romæ Synodum celebrat *ibid.* Et hanc pro cauſa Stephani Lariſſenſis Epiſcopi 146. Valentinam, & Arauſicanam II Synodos confirmat *ibid.* Moritur 149. Epiſtola ei afficta *ibid.*

Bonifacius III ordinatur Pont. Rom. 204. Romæ Synodum celebrat ad reformandos pravos mores electionis Pontificiæ *ibid.* Decretum à Phoca Imp. obtinet contra Epiſcop. Cp. titulum *Univerſalis* affectantem *ibid.* S. Mauri vitam à Fauſto ſcriptam approbat *ibid.* Moritur *ibid.*

S. Bonifacius IV creatur Papa 205. Pantheon in Eccleſiam S. Mariæ Rotundæ convertit *ibid.* Synodum Romæ celebrat pro Monachis Angliæ, & Monaſterio Cantuarienſi *ibid.* In Domino obdormit 206.

Bonifacius V Eccleſiæ præficitur 208. Scribit ad Epiſcopos Angliæ *ibid.* Pallium mittit Juſto Cantuarienſi Epiſcop. *ibid.* Scribit, & munera mittit ad Regem, & Reginam Northumbriæ *ibid.* Moritur 269. Quædam ab eo conſtituta recenſentur *ibid.*

S. Bonifacius à Gregorio II in Germaniam mittitur prædicandi Evangelii cauſa 277. Ab eodem Epiſcopus, nulli Sedi affixus, & mandatis inſtructus in Germaniam remittitur 278. Gregorium II PP. de variis quæſtionibus conſulit 279. Gregorium III PP. de aliis conſulit, & ab eo Pallium recipit 288. Ab eodem Romæ ſummo cum gaudio ſuſcipitur *ibid.* Bavariam in quatuor Epiſcopatus divisit 289. Tres Epiſcopatus in Germania erigit 292. Zachariam PP. de quinque Capitulis conſulit 293. Pallia pro tribus Archiepiſcopis petit, & recipit *ibid.* Fit Archiepiſcopus Moguntinus 295. Fundenſe Monaſterium fundat *ibid.* Pippinum Francorum Regem ungit. 296. *& ſeq.*

Bonifacius VI quindecim dierum Papa, inter Pontifices Rom. numerandus 427.

Bonifacius VII fit Antipapa 463. Roma pulſus Conſtantinopolim fugit *ibid.* A' Benedicto VII in Synodo Romana damnatur 464. Conſtantinopoli redit, & occiſo Joanne XIV in Sedem Romanam intruditur 467. Repentina morte interit 468. Quare dicendus Bonifacius VII cùm ſit Antipapa *ibid.*

Bonoſus Sardicenſis Epiſc. à Siricio PP. damnatur 63. Ejus errores 64.

Bracarenſi Eccleſiæ Metropolica dignitas à Paſchali II reſtituitur 632.

Bremenſis Eccleſia Hamburgenſi unitur, & ea unio à Nicolao PP. confirmatur 376. Diſſidium inter Hamburgenſem, , & Colonienſem Archiepp. de hac unione 425.

Britannia ſub Eleuthero PP. Chriſti fidem ſuſcipit 18. A' Romanis nondum tota ſubacta erat *ibid.* Ad Idolorum cultum redit, ſed S. Gregorii operâ iterum fidem ſuſcipit 196. A' Græcis fidem non ſuſcepit 220.

Britannia Minor mortuo Salamone Rege à Ducibus tantùm adminiſtrata 402.

Brituvaldus Cantuarienſis Primas Regibus, & Epiſcopis Angliæ Sergio PP. commendatur 264. Contrarius eſt S. VVilfrido Epiſc. Eborac. 267. Contra eum Romam miſſos dirigit *ibid.*

Brixinenſe Conciliabulum, Guibertum Ravennatenſi Epiſcopatu antea depoſitum Antipapam creat 581.

S. Bruno Ottonis Germaniæ Regis frater ordinatur Archiepiſcopus Colonienſis 451. Pallium recipit ab Agapito II, ut eo uteretur quoties vellet *ibid.*

S. Bruno, Ruſſorum *Apoſtolus* dictus, martyrio coronatur 487.

Bruno Trevirenſis Archiepiſcopus Romæ Epiſcopatum deponit, & in eum à Paſchali II reſtituitur 626.

S. Bruno Signienſis Epiſcopus à Paſchali II in Galliam Legatus mittitur 628. Synodum Pictavis celebrat pro expeditione Jeroſolymitana *ibid.* Improbat factum Paſchalis II, qui inveſtituras Henrico Imp. conceſſerat 635. Ab eo privatur Caſſinenſi Abbatia *ibid.*

S. Bruno Cartuſienſis Ordinis fundator ab Urbano II Romam vocatur 597.

Bulgari ad fidem converſi Sedem Apoſtolicam conſulunt de multis 387.

Bulgariam Sedi Conſtantinopolitanæ ſubjici à Græcis ſtatuitur poſt Concilium octavum 401. De hoc graviter queritur Hadrianus II Papa 402.

Burchardus Lugdunenſis Archiep. moritur 498.

Burdinus Bracarenſis Epiſcopus dicitur 632, & 648. Ejus diſſenſiones cum Bernardo Archiepiſcopo Toletano 648. Ab eo Epiſcopali officio interdicitur 649. Burdinus Legatus pacis à Paſchali II miſſus ab eo deficit, & Henricum Romæ Imperatorem coronat 641. In Concilio Beneventano à Paſchali excommunicatur *ibid.* Fit Antipapa ſub Gregorii VIII nomine 644, & 649. A' Gelaſio II in Capuana Synodo excommunicatur *ibid.* Item à Calliſto II in Remenſi *ibid.* Sutrium fugit *ibid.* A' Calliſto II capitur 650. A' quibuſdam in Anglia ut Pontifex agnitus *ibid.* Sed immeritò *ibid.* In Monaſterium detruditur *ibid.* In arce Fumonis moritur, *ibid.*

Buriburgenſis in Germania Epiſcopatûs inſtitutio 289.

C

CAbilonenſis Synodus Monaſterio Cluniacenſi privilegia confirmat 546. Hujus Synodi epocha *ibid.*

Cadolus Parmenſis Epiſcopus ſub Honorij II nomine fit Anti-Papa in pſeudo-Synodo Baſileenſi 542. Petri Damiani judicium de Cadoli electoribus 543. Cadoli Antipapæ mores turpiſſimi *ibid.* Cadolus à Romanæ urbis obſidione cum dedecore repellitur 544. Damnatur in Concilio Osborienſi *ibid.* Papalia inſignia uſque ad mortem retinet *ibid.* In Mantuano Concilio iterum damnatur, & deponitur, ſed ante mortem veniam ab Alexandro II PP. impetrat 548, *& ſeq.*

Cæcilianus fit Epiſcopus Carthaginenſis 38. Damnatur in Concilio Carthaginenſi, & quare *ibid.* Reſtituitur in Synodo Rom. *ibid.*

S. Cæſarius Arelatenſis Epiſc. Synodo Arauſicanæ II contra Semipelagianos præeſt tanquam Legatus Sedis Apoſtolicæ 144. Valentinam Synodum indixit 146. Utriuſque confirmationem à Bonifacio II obtinet *ibid.*

S. Cajus ex genere Diocletiani fit Papa 33. Ejus conſtitutum de Ordinibus *ibid.* Moritur Confeſſor, non Martyr *ibid.* Decretalis ejus ſpuria 60.

Calchedonenſis Synodus Oecumenica Nicæa à Marciano Imp. Calchedonem transfertur de conſenſu S. Leonis 107. Sexdecim Actionibus conſtat, quæ recenſentur *ibid.* In Actione prima damnatur Dioſcorus, & abſolvitur Flavianus *ibid.* In Actionibus II, & III legitur Epiſtola S. Leonis, & Dioſcorus deponitur *ibid.* In Actione quarta Epiſtola S. Leonis Symbolis Nicæno & Cpolitano conſentanea declaratur 108. In Actione quinta definitio fidei editur *ibid.* In Actione ſexta Marcianus Imperator Synodi Patres alloquitur *ibid.* In eadem Actione Calchedonenſis Eccleſia fit Metropolitana *ibid.* In Actione ſeptima diſcutitur cauſa Epiſcopi Jeroſol. *ibid.* In octava Theodoretus abſolvitur *ibid.* In nona, et decima Ibas abſolvitur, & pſeudo-Synodus Epheſina aboletur *ibid.* Actio undecima de Domno Antioch. Epiſc. nõ eſt commentitia *ibid.* In tribus actionibus ſequentibus quædam cauſæ particulares diſcutiuntur 109. In Actione decimaquinta fit Canon inter alios de Eccleſia Cpolitana *ibid.* In Actione ultima Legati Apoſtolici contra illum Canonem reclamant *ibid.* Eum caſſat

Digitized by Google

Sanctus Leo *ibid.*

Calendio conſecratur Cpoli ab Acacio Patriarcha Antiochenus Epiſc. 118. E' Sede pellitur 122.

Callinicus fit Epiſc. Cpolitanus 169. E' Sede dejicitur *ibid.* Romam in exilium mittitur, ibique moritur *ibid.* Non præfuit Synodo Quini-ſextæ 162.

S. Calliſtus Eccleſiæ præficitur 21. Eccleſiam in honorem Patris SS. Virginis erigit *ibid.* Cœmeterium ibidem facit. *ibid.* Martyrium ſubit *ibid.* Duæ Epiſtolæ ipſi affictæ *ibid.*

Calliſtus II, vide *Guido* Archiepiſc. Viennenſis.

Campanarum uſus in Eccleſiam ante finem Sæculi ſexti 203. Earum inventio Sabiniano PP. non adſcribenda *ibid.* neque etiam S. Paulino Nolano *ibid.*

Campanarum benedictio Joanne XIII PP. multò antiquior 460.

Canon Miſsæ ex Apoſtolica traditione ſuſceptus 116. Quid ei additum à S. Leone PP. 113. Quid à S. Gregorio Magno 199. Utrum aliquid ei additum à Gregorio III PP. 288.

Canones Apoſtolorum S. Clementi falsò adſcripti 7. Eorum collectio anterior eſt Synodo Nicæna *ibid.* Poſterior eſt anno 258 *ibid.* Quinquaginta admittit Occidentalis Eccleſia *ibid.* Orientalis octoginta quinque 8.

Canonicis quibuſdam mitræ uſus permiſſus 514.

Canonizationum ſolemnium initium à Joanne XV repetendum 471. Canonizationis forma *ibid.* Quædam Canonizationes ſolemnes ante Alexandrum II recenſentur *ibid.*

Cantuarienſi Eccleſiæ Primatus reſtituitur à Leone III 333. Ejus privilegia à Paſchali II confirmantur 641.

Canuſinæ Eccleſiæ cum Barenſi unio ab Urbano II confirmatur 596.

Canutus Angliæ Rex Romam pergit 497. Privilegia pro Anglis à Joanne PP. & à Conrado Imp. obtinet *ibid.*

Capuana Eccleſia à Joanne Papa XIII dicitur Metropolitana 458.

Cardinalibus tantùm Presbyteris et Diaconis Summus Pontificatus reſervatur 311. Cardinalium ſeptem Epiſcoporum prima mentio 315. Septem Cardinales Epiſcopi Miſſarum ſolemnia in Eccleſia Lateranenſi hebdomadatim celebrabant *ibid.*

Cardinales Sæculo nono ad reſidentiam obligati 368. Cardinalium jura à Joanne VIII augentur 415. Cardinalibus à Nicolao II attribuitur Romani Pontificis electio 536. Cardinales improbant factum Paſchalis II, qui inveſtituras Conrado Imp. conceſſerat 635.

Carilocenſis Abbatia à Joanne XI Cluniacenſi Monaſterio ſubjicitur 444.

Carolus Martellus Major domus Franciæ duplicem à Gregorio III Legationem recipit pro defenſione Eccleſiæ Romanæ 289. Fit Patricius Romanorum 290.

Carolomannus Pippini Regis frater Monachi habitu induitur à Zacharia PP. & Caſſinum pergit 296.

Carolomannus Pippini Regis filius à Stephano II Papa in Regem unctus & patricius Romanus dictus 301. Ab eodem Papa è ſacro fonte levatus *ibid.*

Carolus Magnus à Stephano PP. in Regem ungitur & dicitur Patricius Rom. 301. Ab eodem è ſacro fonte levatus *ibid.* Auctor eſt Codicis Carolini 305. Deſideratam Deſiderii Longobard. Regis filiam uxorem ducit, eamque repudiat 315. Hadriani PP. patrocinium contra eundem Regem ſuſcipit 317. Veronam & Papiam obſidet *ibid.* Romam pergit, ibique cum laudibus excipitur *ibid. & ſeq.* Donationi à Pippino Eccl. Rom. facta plura addit 318. Papiam & Deſiderium Regem capit fitque Longobard. Rex 319. Romam iterum pergit 320. Sabinenſe territorium integrum concedit Eccl. Rom. *ibid.* Felicem Urgellitanum hæreticum in Synodo Ratiſponenſi damnari curat 321. Romam iterum pergit, & plura Eccl. Rom. donat 327. Taſſilonem Bavariæ ducem in Vaſsaticum ſuſcipit 328. Cantores petit ab Hadriano PP. quos in Franciam mittit *ibid.* Gregorianum officium loco Ambroſiani in Francia recipi curat *ibid.* Francofordienſem Synodum contra Felicis Urgellitani hæreſim convocat *ibid.* De Hadriani PP. anima & ſepultura ſolicitus eſt 330. Ejus Epitaphium condit *ibid.*

Carolomannus Caroli Calvi Regis filius patris gratia & beneficiis privatur 432. Confugit ad Hadrianum II PP *ibid.* Patri reconciliatur, ſed poſtea excæcatur 403.

Carolus Magnus Francor. Rex Legatos ad Leonem III mittit cum parte theſauri, quem de victis Hunnis reportarat 332. Ab eo confeſſionis S. Petri claves & Urbis Rom. vexillum recipit *ibid.* Eundem Pontificem in Franciam venientem ſuſcipit 335. Eum cum miſſis ſuis Romam remittit 336. Romam pergit *ibid.* Ab eo Imperator coronatur *ibid.* Victoriam de hoſtibus Pontificis miraculosè reportat 338. Legatos Conſtantinopolim mittit petens conjugio ſociari cum Irene Auguſta *ibid.* Diviſionem Regni ſui inter filios à Leone PP. ſubſcribi poſtulat 340. Aquiſgrani Concilium celebrat, in quo agitur de proceſſione Spiritûs Sancti *ibid.* Moritur 341.

Carolus Calvus Francorum Rex mortuo Rege Lothario Regnum ejus occupat 401. Monetur ab Hadriano II PP. ut ab ea uſurpatione abſtineat *ibid.* Illud partitur cum Ludovico Germaniæ Rege 402. Carolomannum filium Senonenſem Diaconum ſua gratia & beneficiis privat & quare *ibid.* Eum excæcari jubet 403. Commovetur in Hincmarum Laudunenſem Epiſc. & quare *ibid.* A' Joanne VIII Imperator coronatur 406. Ejus electio confirmatur in Synodo Ticinenſi & Pontigonenſi *ibid.* Carolus Anſegiſum Archiepiſcopum Senonenſem Primatem in Galliis dici ab eodem Papa obtinet 407. Carolo Imperium iterum confirmatur in Synodo Rom. *ibid.* Carolus cum Joanne PP. Vercellis colloquium habet 408. Moritur *ibid.* Carolus Craſſus fit Rex Italiæ 411. A' Joanne VIII Imperator coronatur 414 Moritur 420.

Carolus Simplex coronatur Rex Francorum poſt mortem Ludovici Balbi patris 424. Ejus jura tuetur Formoſus Papa contra Odonem Comitem Pariſienſem *ibid.*

Caſa Dei monaſterii fundatio 520.

Caſimirus Mieſconis II Poloniæ Regis filius Monachus & Diaconus voto abſolvitur à Benedicto IX, & uxorem ducere permittitur 502.

Caſſinenſe Monaſterium hortatu Gregorii II à Petronace Abbate reſtauratur 276 *& ſeq.*

Caſſinenſes Monachi ab Alexandro II ad dignitates Eccleſiaſticas promoventur 548.

Caſſiodorus Senator floret, & Joannis PP. precibus ſe commendat 149.

Cedualla Occidentalium Saxonum Rex à Sergio PP. baptizatur 261. Romæ moritur *ibid.*

Celidonius Biſuntinenſis Epiſc. in Sedem ſuam à S. Leone PP. reſtituitur 103.

Centumcellarum Civitas à Leone IV reſtituitur 367.

Cerdo Hæreſiarcha ſub Hygino PP. Romam pergit & turbas excitat 14.

Chriſtus naſcitur 1. Circumciditur *ibid.* A' magis adoratur *ibid.* Fugit in Ægyptum *ibid.* In Paleſtinam redit *ibid.* A' Joanne baptizatur *ibid.* Crucifigitur *ibid.* E' mortuis reſurgit *ibid.* Ter Diſcipulis apparet *ibid.* Petro univerſalis Eccleſiæ curam committit *ibid.* In Cœlum aſcendit *ibid.* Petrum in terris Vicarium reliquit *ibid.*

Chriſti Nativitatis feſtivitas poſt Teleſphorum ſub Julio primo inſtituta 13. A' Julio PP. diei 25 Decembris affixa 49. Quo tempore in Oriente à Feſto Epiphaniæ diſtincta 50. An ſecundo ſæculo Natalis Chriſti celebraretur incertum 51. Medio ſæculo III nondum celebrabatur *ibid.*

Chri-

Digitized by Google

C C

Chriſti Sanguis Mantuæ repertus 339. & 521.

Chriſtophorus Leone V in carcerem truſo Sedem Romanam occupat 436. Ex ea rejicitur *ibid.* In Eccleſia Vaticana ſepelitur *ibid.*

Ciſtercienſis Ordo à Roberto Moliſmenſi Monacho fundatur 616. A' Paſchali II confirmatur 611. Ciſtercienſis Ordinis quatuor filiæ primigeniæ quænam *ibid.*

Claravalli, tertia Ciſtercii filia quo anno fundata 621. Ab Innocentio II viſitatur 673.

Claves confeſſionis S. Petri ad Chriſtianos Principes ſæpius miſſæ 331.

Claromontanum Concilium ab Urbano II indicitur 604. Patrum illius Concilii numerus incertus 605. In eo Rex Franciæ Philippus excommunicatus *ibid.* Statuit, ut Presbyterorum filii ad Sacros Ordines promoveantur cum diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ *ibid.* Prohibet communionem per intinctionem factam 606.

Claromontanum alterum Concilium ab Innocentio II celebratur 670.

S. Clemens Lino immediatè ſuccedit 6. Ejus ad Corinthios Epiſtola quo tempore ſcripta *ibid.* Septem Notarios Romæ inſtituit *ibid.* Cherſonam relegatur à Trajano Imp. *ibid.* Corpus ejus Romam transfertur, & inde ad Monaſterium Caſæ Aureæ *ibid.* Duæ ejus ad Corinthios Epiſt. genuinæ *ibid.* Scripta ejus ſuppoſititia *ibid.* Conſtitutiones Apoſtolorum nomine inſcriptæ ei non adſcribendæ *ibid.* Neque Canones Apoſtolorum 7.

Clemens quidam hæreticus ſub Zacharia PP. damnatur 294.

Clemens II antea Epiſcopus Bambergenſis eligitur & inthronizatur Rom. Pontifex 505. Factus Papa non dimiſit Epiſcopatum Bambergenſem 506. Henricum Germaniæ Regem Imperatorem coronat *ibid.* Concilium Romæ celebrat *ibid.* In Germaniam cum Imperatore pergit *ibid.* S. Vviboradam canonizat *ibid.* Salernitano Epiſcopo Pallium dat 507. Animam Deo reddit in Italia, non ultra montes *ibid.* Bambergæ ſepelitur *ibid.* Sedis ejus duratio 508.

Clemens III Antipapa Vide Guibertus Archiep. Ravennenſis.

S. Cletus Clementem PP. excipit 8. Urbem in 25 Parochias dividit *ibid.* Sub Domitiano pro Chriſti fide moritur *ibid.* Non eſt auctor iſtius formulæ in literis Apoſtolicis *Salutem & Apoſtolicam* &c. *ibid.*

Cluniacenſis monaſterii majus Altare ab Urbano II conſecratur 604. Bonorum ejus invaſores à Benedicto VIII excommunicati 491.

Codicis Carolini Auctor Carolus M. 305.

S. Cæleſtinus ſuccedit S. Bonifacio PP. 89. Pelagianos Italia pellit *ibid.* S. Germanum contra eos in Britanniam mittit 90. Palladium pro Scotis Epiſcopum ordinat *ibid.* Vicariatum Illyrici Theſſalonicenſi Epiſc. continuat *ibid.* S. Cyrillum Epiſc. Alexardrinum conſulit de Neſtorio 92. Neſtorii & Cyrilli literas recipit *ibid.* Reſpondet ad Neſtorii literas 93. Eum in Synodo Rom. damnat *ibid.* Sententiæ executionem Cyrillo, eique vices Apoſtolicæ Sedis demandat *ibid.* Legatos mittit ad Epheſinum Concilium 95. Decretum Synodi Epheſinæ adverſus Neſtorianos Epiſcopos depoſitos reſtringit 97. Semipelagianos comprimit 98. Non eſt auctor Capitulorum de gratia *ibid.* Scribit ad Epiſcopos Viennenſis & Narbonenſis Provinciæ *ibid.* Novatianorum Epiſcopum Româ pellit 99. Conſtitutum edit de Pſalmis Davidicis *ibid.* Moritur *ibid.*

Cæleſtius à Pelagio hæreſiarcha errore infectus 76. Damnatur ab Innocentio PP. 77. A' Zozimo PP. innocens creditur 80. Ab eo poſtea damnatur 81.

Coënredus Merciorum Rex abdicato regno Romam pergit & Monachicum habitum induit 271.

Colonienſis Archiepiſcopus fit Archicancellarius S. Rom. Eccleſiæ 514.

Compoſtella à Calliſto II fit Sedes Metropolitana 660.

Concathedrales duæ in eodem Epiſcopatu 540.

Confeſſio publica ab Eccleſia nunquam præcepta 112.

Confirmationis Sacramentum ex Eccleſiæ diſciplina ſtatim poſt baptiſma collatum 27. Ejus adminiſtratio ex diſpenſatione Apoſtolicæ Sedis Presbyteris commiſſa 192.

Conon Eccleſiæ Rom. Presbyter fit Papa 257. Juſtiniani II Imp. divalem pro Actis Sextæ Synodi 256. & 258. Kilianum Monachum Hibernum pro converſione Franconorium Epiſcopum ordinat 259. Conſtantinum Diaconum Antiochenum Epiſcopum ordinat ſed infauſto exitu *ibid.* Vitam cum morte commutat *ibid.*

Conon Epiſcopus Præneſtinus Apoſtolicæ Sedis Henricum V Germaniæ Regem in pluribus Synodis excommunicat ob inveſtituras 636. Pontificatum Romanum declinat 651. Guidonem Archiep. Viennenſem proponit *ibid.*

Conradus Germaniæ Rex, *Salicus* dictus, in Italiam pergit 496. A' Joanne XIX Imperator coronatur *ibid.* In Italiam iterum pergit, & Papiæ à Benedicto IX convenitur 500. Benedictum IX in Sedem reſtituit 501.

Conradus Dux Franconiæ ad Imperium aſpirans ab Honorio II excommunicatur 663.

Conradus Rex Henric. Imp. filius in patrem rebellat 600. Ejus defectionis cauſa adducitur *ibid.* Stratoris munus Urbano II PP. exhibet 604. Rogerii Siciliæ Ducis filiam matrimonio ſibi copulat *ibid.* Cum ea caſtè vixiſſe creditur *ibid.*

Conſtans Imp. ad preces Joannis IV PP. Heraclii Ectheſim comburi jubet 221. Ejus nomine Typus promulgatur 223. S. Martinum PP. Româ Cpolim captivum duci jubet 229. Ejus Sanguini parcit hortatu Pauli Cp. Epiſcopi 230. Pyrrhum Expatriarcham in locum Pauli defuncti ſubrogat *ibid.* Munera S. Petro Romam mittit 234. Romam pergit 235. Romam, & alia Italiæ loca expilat *ibid.* Iniquitatum ſuarum pœnas luit, & interficitur *ibid.*

Conſtantinopolitana Eccleſia primum locum poſt Romanam obtinet in œcumenico Concilio ſecundo 60. Item in Actione XV Concilii Calchedonenſis 109. Sed hunc Canonem S. Leo PP. caſſavit *ibid.* Hunc locum non obtinuit ante Innocentium III 60.

Conſtantinopolitana Pſeudo-Synodus œcumenica ſeptima falsò dicta contra ſacras Imagines celebratur 303. A' Stephano II PP. caſſatur 304. A' ſeptima œcumenica confutatur 326.

Conſtantinopolitanum Concilium primum, generale ſecundum, celebratur 59. Quo ſenſu œcumenicum *ibid.* Macedoni, Apollinaris, & Eunomii hæreſes damnat 60. Tres canones edit *ibid.* Tertius canon de ſecundo Epiſcopi Cp. loco poſt Romanum non eſt ſpurius *ibid.* Quo tempore finitum *ibid.* Ejus Acta à Damaſo PP. confirmantur *ibid.* Symbolum fidei edit *ibid.* Ejus Symbolum ab omnibus Græcorum Eccleſiis in locum Nicæni ſubſtituitur *ibid.* In Hiſpaniis poſtea receptum 61. Item in Galliis ſub Carolo M. *ibid.* Tandem receptum ab Eccleſia Rom. *ibid.* Catechumenis antequam baptizarentur traditum eſt *ibid.* Illius Symboli tenor *ibid.*

Conſtantinopolitanum Concilium ſecundum, generale quintum, vide *Quinta Synodus.*

Conſtantinopolitanum Concilium tertium, generale ſextum, convocatur 339. Legati Apoſtolicæ Sedis Cpolim perveniunt 241. Epiſcopi throno Cpolitano ſubjecti ad illud convocantur 241. Numerus Epiſcoporum Concilii *ibid.* Concilium inchoatur *ibid.* In tribus prioribus Actionibus lecta ſunt Acta trium œcumenicarum Synodorum Epheſinæ, Calchedonenſis, & Quintæ 243. In quarta lectæ ſunt Epiſtolæ dogmaticæ Agathonis PP. & Synodi occident. *ibid.* In quinta & ſexta Macarius Epiſc. Antiochenus truncata protulit Patrum teſtimonia pro una in Chriſto voluntate *ibid.* In ſeptima lecta ſunt Pa-

Digitized by Google

Patrum pro duabus voluntatibus teſtimonia *ibid.* In octava Georgius Epiſc. Cp. orthodoxam fidem profeſſus eſt *ibid.* In nona Macarius Antiochenus deponitur *ibid.* Acta in decima, undecima & duodecima Actionibus *ibid.* In Actione XIII lata eſt ſententia in hæreticos Monothelitas *ibid.* In Actione XIV. Vigilii PP. Epiſtolæ falſatæ reperiuntur 144. In Actione XV, Polychronius impoſtor damnatur *ibid.* In Actione XVI alius impoſtor damnatus eſt *ibid.* In duabus ultimis editur & ſubſcribitur fidei definitio *ibid.* Synodi confirmationem Patres ab Agathone PP. petunt 145. Acta Concilii nō fuere interpolata *ibid.* Poſt Concilium Legati Apoſtolici Miſſam Latinè Cpoli celebrant 147. Acta Concilii confirmantur à S. Leone II PP. 149. In Hiſpaniam ab eodem Pontifice mittuntur *ibid.*

Conſtantinus M. Imp. dat inducias Donatiſtis 38. Nec baptizatus, nec à lepra mundatus eſt à S. Silveſtro PP. 39. Non fuit rebaptizatus 40. In fine tantùm vitæ baptizatus *ibid.* Concilium Arelat. convocat pro Donatiſtarum cauſa 41. Nicænum Concilium convocat ſed de conſenſu Silveſtri PP. 42. & *ſeq.* Adeſt Concilio 43. Patres ad concordiam adhortatur 45. Arius in exilium miſit, & poſtea revocavit 46.

Conſtantinus Pogonatus Imp. Vitaliani PP. nomen è diptychis eradi patitur 136. Pacem Eccleſiarum procurare ſtudet 138. Scribit ad Domnum PP. pro Concilii generalis ſexti celebratione 139. Theodorum Patriarcham Cp. è Sede dejicit, eique Georgium ſubrogat *ibid.* Apoſtolicos Legatos ad Sextam Synodum pergentes magnificè ſuſcipit 141. Omnia diſponi curat pro ejuſdem Synodi celebratione 142. Concilio adeſt *ibid.* Eccleſiam Rom. liberat à penſitatione pecuniæ pro ordinatione Pontificis 147. Confirmationem Pontificis Exarcho aufert, & ſibi retinet *ibid.* Ab ea ſubjectione Eccleſiam penitus liberat 155.

Conſtantinus Copronymus naſcitur, & à Leone Iſauro patre fit conſors Imperii 186. Patri ſuccedit 191. Exauctoratur, ſed brevi in Imperium reſtituitur *ibid.* Duas Maſſas ſeu manſas Eccleſiæ Rom. donat 194. Pſeudo-Synodum falsò ſeptimam œcumenicam dictam contra ſacras Imagines celebrari curat 304. Ejus converſio à Stephano PP. II fruſtra tentata 306.

Conſtantinus Papa Siſinnio ſubrogatur 171. Felicem Epiſc. Ravennatenſem conſecrat *ibid.* Merciorum & Saxonum Occident. Reges ſuſcipit *ibid.* A' Juſtiniano II Imp. Cpolim evocatur *ibid.* Ab eo cum honore & humilitate recipitur 172. Confirmat Canones Trullanos decretis Eccl. Rom. non contrarios *ibid.* Romam redit *ibid.* Philippici Imp. Monothelitæ profeſſionem fidei reſpuit 173. Anaſtaſii Imp. orthodoxi fidei profeſſionem ſuſcipit 174. Apocriſarium Cpolim mittit *ibid.* Ticinenſis Epiſc. ordinationem Apoſtolicæ Sedi vindicat *ibid.* E' vivis excedit *ibid.* Ejus virtutes *ibid.*

Conſtantinus laicus fit Antipapa 310. Pippinum Franc. Regem in ſuas partes pertrahere fruſtra tentat *ibid.* Ad eum mittit exemplar Synodicæ Patriarchæ Jeroſolymorum *ibid.* Deponitur & in Monaſterium traditur 311.

Conſtantinus Apameenſis Presbyter Monothelita à Synodo Generali ſexta exploditur 144.

Conſtantinus Diaconus Syracuſanus à Conone PP. ordinatur Antiochenus Epiſc. 159. Imperatoris juſſu in cuſtodia detinetur *ibid.*

Conſtantinopolitana Eccleſia Joannis XVIII tempore cum Romana communione conjuncta 487. Cur ab ea poſtea disjuncta 496.

Conſtantinopolitanum Concilium quartum, generale octavum, à Baſilio Imperatore juſſu Hadriani II convocatur 395. Legati Pontificii à Baſilio Imp. honorificè recipiuntur *ibid.* Concilium non fuit numeroſum & quare *ibid.* Hadrianus II Papa ei præſidet per Legatos 196. Concilium inchoatur *ibid.* In prima Actione legitur & approbatur libellus ab omnibus ſubſcribendus 397. In ſecunda Actione Epiſcopi lapſi reſtituuntur *ibid.* In tertia Actione Epiſcopi libello ab Apoſtolica Sede miſſo ſubſcribere recuſantes rejiciuntur 197. In Actione quarta Epiſcopi Photiani rejecti & quare 198. In Actione quinta introducitur Photius *ibid.* In Actione ſexta ſchiſmatici Photium defendere tentant *ibid.* In Actione ſeptima Photius præſens damnatur 399. Ejus damnatio ſubſcripta calamis Sanguine Chriſti tinctis *ibid.* In Actione octava Photii ſcripta comburuntur *ibid.* In Actione nona recipitur Legatus Alexandrinus, & agitur de falſis teſtibus, qui Photio adhæſerant *ibid.* In Actione ultima canones conduntur, & Concilii definitio legitur 400. Patres Concilii confirmationem ab Hadriano II PP. petunt *ibid.* Concilii Acta juſſu Hadriani II in Latinum ab Anaſtaſio Bibliothecario verſa 401.

Conſtantius Chlorus liberat Gallias à perſecutione Diocletiani 35.

Conſtantius Imp. S. Athanaſium in conciliabulo Arelat. damnari curat 52. Item in Mediolanenſi *ibid.* Apoſtolicos Legatos damnationi Athanaſii ſubſcribere recuſantes in exilium mittit 53. Liberium PP. vocat *ibid.* Eum in exilium mittit *ibid.* Eum revocat *ibid.* Seleucienſem & Ariminenſem Synodos indicit 54. Legatos & Patres Ariminenſes Synodi Arianæ perfidiæ ſubſcribere cogit *ibid.*

Conſtitutiones Apoſtolorum S. Clementi falsò adſcriptæ 6.

Conſtitutum Vigilii PP. pro tribus Capitulis 168. In Synodo quinta lectum non eſt 169.

Contumelioſus Regienſis Epiſcopus deponitur 149. Appellat ad Pontificem Rom. ejuſque appellationem ſuſcipit Agapetus PP. 151.

S. Corbinianus poſtea Friſingenſis Epiſc. invitus à Gregorio II PP. ordinatur 176. Ejus vitæ Synopſis *ibid.*

S. Cornelius poſt interpontificium plus quàm annum fit Papa 26. Cauſa tam longi interpontificii *ibid.* Synodum Romæ contra Novatianum Antipapam cogit *ibid.* Eum anathemate percellit *ibid.* Confeſſores jam antea lapſos ad pacem Eccleſiæ recipit *ibid.* Ea de re ad Fabium Antiochenum Epiſc. ſcribit *ibid.* In exilium à Gallo Imp. mittitur *ibid.* In exilio moritur 27. Ejus Epiſtolæ duæ, & Acta ſuppoſititia *ibid.*

Corſica Inſula Piſano Archiepiſcopo tanquam Metropolitano à Gelaſio I ſubjecta 646.

SS. Coſmæ & Damiani Eccleſia Romæ conſtruitur 143. Eorum SS. tria paria diſtinguuntur *ibid.*

Creſcentius Numentanus Romæ tyrannidem exercet 469. Gregorium V Roma pellit, ideoque ab eo in Concilio Ticinenſi excommunicatur 476. Joannem Placentinum Antipapam eligi curat *ibid.* In Caſtello S. Angeli capitur & decollatur 477.

Croatia quo tempore primùm fidem ſuſcipere, & Reges habere cœperit 544.

Crotbertus Turonenſis Epiſc. Monaſterio S. Martini privilegium concedit 137. Illud Adeodatus Papa confirmat *ibid.*

Crux Domini quo tempore à S. Helena Ieroſolimis inventa 36.

Crucesignatorum pro expeditione in Terram Sanctam præludium quoddam ſub Gregorio VII 619.

Crucis Dominicæ pars à Martino II PP. in Angliam mittitur 417.

Cumanum caſtrum Eccl. Rom. reſtituitur 176.

S. Cunegundis à Benedicto VIII PP. Auguſta coronatur 490.

Cyperanenſe Concilium à Paſchali PP. II celebratur 638.

S. Cyprianus Epiſc. Cartag. ſcribit ad S. Cornelium PP. exulem 26. Novatum & Novatianos in Synodo Carthag. damnat 27. Literas dat ad Lucium PP. 28. Hæreticorum rebaptizationem tuetur in tribus Concilîis

Xxxx

Digitized by Google

liis *ibid.* Sententiam poſtea mutavit, & Stephano PP. adhæſit 29. Sub Valeriano, & Gallieno Impp. martyrio vitam finivit 30.

Cyprii Epiſcopi Synodalem Epiſtolam contra Paulum Cp. Epiſc. ad Theodorum PP. mittunt 222.

Cyriacus Epiſcopus Cp. redarguitur à S. Gregorio PP. quòd œcumenici titulum affectaret 147.

S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus ſcribit Monachis Ægypti contra Neſtorium 92. A' Cœleſtino PP. conſulitur *ibid.* Cœleſtinum de erroribus Neſtorii certiorem facit *ibid.* Acceptâ Cœleſtini PP. ſententiâ contra Neſtorium Alexandriæ Synodum celebrat 93. Sedis Apoſtolicæ vices fungitur contra Neſtorium *ibid.* Sententiam Cœleſtini PP. Neſtorio intimari curat 94. Cœleſtini nomine Epheſino Concilio præeſt *ibid.* A' Joanne Antiocheno Epiſc. in Conciliabulo deponitur 95. Hæc ſententia à Synodo caſſatur 96. Poſt Concilium Epheſinum Alexandriam redit 97. Cum Joanne Antiocheno pacem init 99.

S. Cyrillus Orientalis Monachus ab Hadriano II ordinatur Epiſcopus pro Moravis 392. Permittitur ei Miſſam & officia in Moravia linguâ Sclavonicâ celebrare *ibid.*

Cyrus Epiſcopus Alexandrinus pro hæreſi Monothelitarum Conciliabulum cogit 212. Damnatur in Synodo Lateranenſi ſub S. Martino PP. 217. Damnatur & in ſexta Synodo Generali 243.

Cyrus fit Epiſc. Cpolitanus in locum Callinici 269. E' Sede dejicitur *ibid.*

D

Daimbertus Epiſcopus Piſanus fit Apoſtolicæ Sedis Legatus in Oriente 619. Dicitur Patriarcha Jeroſolymitanus *ibid.*

Damaſus fit Papa 57. Adverſus Urſicinum Antipapam & alios Synodum Romæ celebrat *ibid.* Secundam Synodum cogit contra Auxentium Mediolanenſem intruſum *ibid.* Tum tertiam contra Apollinariſtas 58. Tandem quartam contra varios hæreticos & Urſicini Sectatores *ibid.* Orientales ad Synodum Rom. vocat 59. Confirmat Acta Concilii Cpolitani ſecundi œcumenici 60. Moritur 61. Ejus ſcripta *ibid.* Non eſt Auctor Chronici quod ipſi tribuitur *ibid.* Non eſt Auctor ritûs alternatim canendi 62. Neque emendæ doxologiæ *Gloria Patri &c. ibid.* Neque decreti de libris Apocryphis *ibid.* & 124. Purgatur à calumniis 59. Miſſam ante horam diei tertiam celebrari prohibuiſſe probabile eſt 14.

Damaſus II Brixinenſis antea Epiſcopus in Pontificatum Romanum Clementis II ſuccedit 508. Non fuit antea Patriarcha Aquilejenſis *ibid.* Quare ejus electio poſt Clementis mortem dilata 509. Moritur paucis poſt diebus *ibid.*

Damianus Divini Verbi miniſter in Britanniam ab Eleutero PP. mittitur 18. Regem & alios baptizat *ibid.*

Dani multi ad fidem convertuntur 348.

Dania Epiſcopi Hamburgenſi Archiepiſcopo ab Innocentio II ſubjiciuntur 680.

Datius Mediolanenſis Epiſcopus improbat Edictum Juſtiniani Imp. contra Tria Capitula 264.

Decius Imp. ſeptimam perſecutionem movet 25. *& ſeq.*

Decretales Pontificum Rom. uſque ad Syricium ſuppoſititiæ 9. Ejus ſuppoſitionis fundamenta adducuntur *ibid.* Ejus ſuppoſitionis auctor incertus 10. Decretales circa finem ſæculi octavi in Gallias ex Hiſpaniis à Riculpho Moguntino Epiſc. allatæ *ibid.* Immeritò ab Hæreticis atrocioribus verbis dilacerantur *ibid.*

Decretum de libris apocryphis cui Pontifici tribuendum 123.

Demetrianus Epiſcopus Antiochenus Novatianum damnat 27.

Demetrius Epiſc. Alexandrinus primus non inſtituit Epiſcopos in Ægypto 3.

Deſiderata Deſiderii Longobard. Regis filia matrimonio jungitur Carolo M. & ab eo repudiatur 315.

Deſiderius Tuſciæ Dux fit Rex Longobard. 303. Ferrariæ Ducatum Stephano II Papæ reſtituit, ſed alias civitates contra pacta retinet *ibid.* Fraudulenter agit cum Legatis Pippini, & cum Stephano II PP. 305. De quibuſdam cum eodem Pontifice convenit 306. Ei ex parte ſatisfacit 307. Eccleſiæ antea reſtituta de novo invadit 309. Pravum ejus conſilium contra Stephanum III PP. 313. Eum cogit ad ſcribendum Carolo M. ſibi ab eo ſatisfactum eſſe *ibid.* Quaſdam Civitates ei reſtituit 315. Hadrianum PP. vexat ejuſque ditiones invadit 316. Romam invadere tentat, ſed impeditur ab Hadriano PP. 317. Ticinum ſe recipere cogitur *ibid.* A' Carolo M. capitur, & in Franciam ducitur 319.

Deſiderius Monachus Caſſinenſis poſtea Papa ſub Victoris III nomine fit Abbas Caſſinenſis 530. A' Nicolao III fit Cardinalis 535. Pontificatum recuſat 536. Eligitur invitus & Victor III appellatur *ibid.* Sacram in Saracenos expeditionem ſuſcipit *ibid.* Ab Hugone Archiepiſcopo Lugdunenſi calumniis appetitur 591. Ab iis purgatur *ibid.* Beneventi Concilium celebrat 592. Hugonem Lugdunenſem & Richardum Card. ab ejus communione ſe ſeparaſſe in eo pronunciat *ibid.* Ad Deum migrat *ibid.* Ejus memoria, Reliquiæ, & Sepulchrum 593. Ejus opuſcula *ibid.*

S. Deuſdedit fit Pontifex Rom. 206. An antea eſſet tantùm Subdiaconus *ibid.* Leproſum curat 207. Ejus conſtitutum de ſecunda Miſſa in Clero *ibid.* Epiſtola ad Hiſpalenſem Epiſc. ei falsò adſcripta *ibid.* Ejus obitus *ibid.*

Dextera in Conciliis quo tempore ſiniſtrâ honoratior haberi cœpta 342. Cur Imperator Romæ à Pontifice exceptus ejus dexteram teneat 634.

Diaconi ſeptem Epiſcopi aſſiſtentes Romæ à S. Evariſto ordinantur 10. Iis Diaconis Fabianus Urbis quatuordecim regiones dividit 23. Regionarii inde dicti *ibid.* Eorum controverſia cum Presbyteris Rom. 68. Diaconis ſtolæ uſus conceditur à Zozimo Papa 83. Diaconi pluries ad Eccleſiæ regimen aſſumpti, quàm Presbyteri, & quare 102. Tunc per ſaltum omiſſo Presbyteri gradu ordinari ſoliti 102. Quo tempore mos ille deſierit *ibid.*

Dialogorum libri à Gregorio M. non à Gregorio II, & quo tempore ſcripti 189. A' Zacharia PP. in Græcum translati 257.

Diocletianus Imp. nonam perſecutionem movet 35. Conjugem & filiam Chriſtianas ſacrificio pollui cogit *ibid.*

S. Dionyſius fit Papa 31. Parochias Presbyteris vacuas iterum dividit *ibid.* Dionyſium Alexandrinum accuſatum quòd Naturæ Divinæ diſtinctionem tueretur ad Conc. Rom. citat *ibid.* Contra Paulum Samoſatenum nullam Synodum celebravit *ibid.* Moritur 32. Decretalis ei falsò adſcripta *ibid.*

Dionyſius Alexandrinus Epiſc. Sabellium refellit 31. Accuſatus quòd Divinæ naturæ diſtinctionem tueretur, Romam citatur *ibid.* De ea calumnia ſe purgat & abſolvitur *ibid.*

Dionyſius Mediolanenſis Epiſc. ſubſcribit damnationi Athanaſii, ſed poſtea ab ea reſilit 53. In exilium mittitur, & in eo moritur *ibid.*

Dioſcorus Epiſc. Alexandrinus Eutichetis fautor præeſt Epheſinæ pſeudo-Synodo 106. In Chalchedonenſi Concilio ſedet non tanquam Judex, ſed tanquam reus 107. In Actione prima ejuſdem Concilii condemnatur *ibid.* In ſecunda deponitur *ibid.*

Dioſcorus Legatus Hormiſdæ PP. ad Juſtinum Imp. 136. Eligitur Pontifex in ſchiſmate contra Bonifacium II

Digitized by Google

II PP. 145. Citò moritur *ibid.* Poſt mortem à Bonifacio anathematizatur *ibid.* Illud anathema caſſat Agapetus PP. II *ibid.* & 150.

Docibilis Dux Cajetæ Garilianum arcem condit, eamque Saracenis tradit 409.

Domitianus Imp. ſecundam perſecutionem movet 10.

Domnus Epiſc. Antiochenus apud Theodoſium Imp. Eutychem accuſat de hæreſi 105. Damnatur in pſeudo-Synodo Epheſina 106. *& ſeq.* In Actione undecima Concilii Calchedonenſis penſionem annuam ex Eccleſiæ Antiochenæ facultatibus recipit 108.

Donatus à Caſis nigris Epiſcopus Majorini Carthaginenſis ordinator 38. Ab eo Donatiſtæ ſic dicti *ibid.* Damnatur in Synodo Rom. *ibid.* Confeſſus eſt ſe rebaptizaſſe 39.

Donatiſtarum ſchiſmatis initium & origo 38. A' quo ſic nominati *ibid.* Donatiſtæ ad Imperatorem recurrunt *ibid.* Damnantur in Synodo Rom. ſub Melchiade PP. *ibid.* Donatiſtarum ſchiſma in hæreſim evaſit 39. Eorum errores *ibid.* Donatiſtæ cauſæ ſuæ reviſionem petunt, & damnantur in Concilio Arelat. 41. Donatiſtæ *Montenſes* dicti & quare 63. In Eccleſiam per ſolam manus impoſitionem recepti *ibid.* In Africa à S. Gregorio M. reprimuntur 188. & 193.

Donus ſuccedit Adeodato PP. 238. Quædam ejus res geſtæ recenſentur 239. Ejus obitus *ibid.*

Donus II Benedicto VI ſuccedit 463. Moritur 464.

Drogo Epiſcopus Metenſis Romam cum Ludovico Lotharii Auguſti filio pergit 361. A' Sergio II fit Vicarius Apoſtolicus in Gallia & Germania *ibid.* Hæc Legatio effectu caruit 362. Mortis Drogonis tempus *ibid.*

S. Dunſtanus Epiſcopus Cantuarienſis à Joanne XII pallio donatur 452.

Duziacenſis Synodus Hincmarum juniorem Laudunenſem Epiſcopum deponit 404. Synodicam ſuam ad Hadrianum II PP. patres Synodi mittunt 405. Duziaci ſitus *ibid.* Duziacenſis Synodus à Joanne VIII confirmatur 408.

E

EArdulphus Northumbriæ Rex Regno pellitur, & in illud à Leone III reſtituitur 340.

Eboracenſi Eccleſiæ Archiepiſcopatus reſtituitur à Gregorio III PP. 289.

Ebo Archiepiſcopus Remenſis à Paſchali PP. licentiam obtinet verbum Dei ſeminandi in Dania 348. Multos Danorum baptizat *ibid.* Archiepiſcopatu deponitur 359. A' Gregorio IV non eſt in Sedem reſtitutus *ibid.* Communione tantùm laica à Sergio II contentus eſſe jubetur 362.

Eboracenſis Eccleſia à ſubjectione Cantuarienſis à Caliſto II libera declaratur 653.

Ebuſus inſula Saracenis eripitur à Piſanis 639.

Eccleſiæ perſecutio, vide *Perſecutio*.

Eccleſiarum conſecrationis origo Apoſtolici eſt inſtituti 10, *& ſeq.*

Eccleſia peccatoribus nonnunquã veniam omnem denegavit, & quare 19. Eccleſia Latina die Paraſceves, & Sabbato ante Paſcha à Sacrificio abſtinet, & quare 70.

Eccleſiæ redditus in quatuor partes à Gelaſ. PP. diviſi 125.

Ectheſis, ſeu fidei formula, & expoſitio Heraclii Imp. nomine promulgatur à Sergio Cp. Epiſc. 218. Damnatur Synodicè à Severino PP. *ibid.* In duabus pſeudo-Synodis Cpolitanis confirmatur 219. Damnatur à Joanne IV PP. 220. Conſtantis Imperatoris juſſu comburitur 221. Damnatur in Synodo Lateranenſi ſub Martino PP. 227.

S. Eduardus Angliæ Rex à S. Leone IX in Synodo Romana abſolvitur à voto Romam eundi 518.

Electores Septem Romani Imperii non inſtituti in Gregorii V Romana Synodo 474. Sæculi XII initio nondum inſtituti erant 475. Imò neque initio Sæculi decimitertii *ibid.* Electorum ſeptem numerus medio Sæculo XIII prævaluit *ibid.* Eorum jus à Pontifice Romano emanat 476.

S. Eleutherus ante Pontificatum Aniceti Diaconus 17, *& ſeq.* Fit Pontif. Rom. 18. Divini Verbi miniſtros in Britanniam mittit *ibid.* Moritur *ibid.* Epiſtola decretalis ei adſcripta ſpuria *ibid.*

Elipandus Toletanus Epiſc. Felicis Urgellitani hæreſim diſſeminat 321. In Synodo Francofordienſi damnatur 328.

S. Elphegus è Vintonienſi ad Cantuarienſem Eccleſiam translatus à Joanne XVIII Pallio donatur, & propria Stola circumdatur 486.

Engilenheimenſis Synodus Artaldum Remenſem Archiepiſcopum in Sedem reſtituit, & Hugonem eam uſurpantem anathematizat 450. Quædam diſciplinæ capita ſtatuit *ibid.* Ab Agapito II confirmatur *ibid.*

Epheſina pſeudo-Synodus celebratur 106.

Epheſinum Concil. à Theodoſio Imp. indicitur inſcio Cœleſtino PP. ad ejus ſententiam declinandam 95. Ad illud Legati ex Synodo Rom. mittuntur *ibid.* Concil. inchoatur *ibid.* Ei præeſt S. Cyrillus Alex. nomine Cœleſtini PP. *ibid.* Numerus Patrum Concilii 96. In prima Actione Neſtorius deponitur *ibid.* Concilium turbatur Conciliabulo Joannis Antiocheni Epiſc. *ibid.* Cæteræ Concilii Actiones recenſentur *ibid.* Geſta in prima Actione à Theodoſio Imp. reſcinduntur *ibid.* Decretum Concilii quoad Epiſcopos depoſitos reſtringitur à Cœleſtino PP. 98.

Epiphania Feſtum idem ac Feſt. Natalis Chriſti 51. Quo die celebratū *ibid.* Quo tempore à Natali Chriſti in Oriente diſtinctum *ibid.* Armeni eas Feſtivitat. diſtinguere recuſant 51, *& ſeq.* Medio Sæculo tertio nondum celebratum *ibid.*

Epiſcopum à Comprovincialibus ſepeliri ſtatuit Benedictus III PP. 375.

Epiſcoporum depoſitiones inter majores cauſas numerandas ſanxit Nicolaus Papa 385.

Epiſtola S. Leonis ad Flavianum Cp. Epiſc. olim legebatur tempore Adventus in Eccl. Rom. 106. Legitur, & approbatur in Synodo Cpolitana 107. Ad alios Metropolitanos mittitur *ibid.* In Actione ſecunda Concilii Calchedonenſis ſummo plauſu excipitur *ibid.*

Eteburgenſi caſtro privilegium à Leone III conceſſum fictitium 335.

S. Etbardus Ratiſponenſis Epiſcopus à S. Leone IX canonizatur 520.

Ethelbertus Cantii in Anglia Rex baptizatur 196. V Veſtmonaſterienſe propè Londinum ſundat 205. Ejuſdem Monaſterii celebritas 206.

Etelvolpus Saxonum Occidentalium Rex regnum ſuum Eccleſiæ Romanæ vectigale facit 374.

S. Evariſtus PP. Anacletum excipit 10. Titulos Romæ Presbyteris dividit *ibid.* Septem Diaconos ordinat, qui Epiſcopo prædicanti aſſiſtant *ibid.* Martyr fit ſub Trajano *ibid.* Decretales duæ ipſi ſuppoſitæ *ibid.* Dedicationis origo ei falsò adſcripta *ibid. & ſeq.*

Eucharistiæ Sacramentum quanta reverentia in Sæculo ſecundo tractatum 15 *& ſeq.* Ex ea reverentia realis præſentia Chriſti in eo Sacramento comprobatur *ibid.* Euchariſtia poſt extremam unctionem antiquitus adminiſtrata 37.

Euchariſtia, *Fermentum* appellata 37, 64, 70. Ad abſentes mittebatur 71. Quare ſub *Fermenti* nomine occultata *ibid.* In Eccleſia Occidentali in azimo Pane ſemper confecta *ibid.* Realis Chriſti præſentia in Euchariſtia à Synodo Alexandrina ſub S. Cyrillo aſſeritur 93. Euchariſtia recens baptizatis adminiſtrata 116.

Euchariſtiam ſacro poculo intinctam fidelibus dare prohibet Urbanus II in Claromontano Concilio 606. Adhibetur exceptio *ibid.*

Euchariſtia ſub ſolo panis ſymbolo data 606.

Euchariſtia cum ſacris Reliquiis Altaribus incluſa in Eccleſiarum Dedicatione 611.

Eudo Aquitaniæ Dux Saracenos vincit ope ſpongiæ à Gregorio II miſſæ 279.

Eugenius fit Papa vivente adhuc S. Martino PP. 231. Eugenii electioni poſtea conſenſit S. Martinus *ibid.* Eugenius

Digitized by Google

E

nius Petri Epiſcopi Cp. Synodicam explodit 231. Suam Synodicam non ad eundem Petrum, ſed ad Conſtantem Imp. cum Apocriſariis mittit *ibid.* Ad Deum tranſit 232. Ejus virtutes 233. Eo ſedente diſciplina Arcani adhuc in Oriente vigebat *ibid.*

Eugenius II dicitur Papa 349. Lotharium Imperatorem honorificè Romæ ſuſcipit 350. Pro conſecratione Pontificis Romani coram Legatis Imperatoris decretum edit *ibid.* Illius decreti ſinceritas, & cauſæ *ibid.* Eugenius Imperatorum Orientis literas ſuſcipit 351. Permittit Ludovico Auguſto, ut collatio fiat de ſacris Imaginibus *ibid.* Laureacenſem Metropolim inſtituit 352. Legatos ad Ludovicum Imperatorem mittit *ibid.* Concilium Romæ celebrat pro reſtitutione diſciplinæ Eccleſiaſticæ *ibid.* Mortalitatem explet 353. Ritum purgationis per aquam frigidam inſtituit *ibid.* Illius decreti ſinceritas oſtenditur *ibid.*

Eulalius Archidiaconus eligitur in ſchiſmate contra S. Bonifacium PP. 84. Sacra agit in Baſilica S. Petri 85. Ravennam ab Honorio Imp. evocatur *ibid.* Honorii mandata ſpernit *ibid.* Ab eodem Sede pellitur *ibid.* Fit poſtea Epiſcopus Nepeſinus 86.

Eunomii Cyziceni Epiſcopi blaſphemiæ damnantur in Concilo Cpolitano œcumenico ſecundo 60.

Euphemius Epiſcopus Cpolitanus fidei profeſſionem ad Gelaſium PP. mittit 124. A' Gelaſio in communionem non recipitur, & quare *ibid.* Ejus nomen è ſacris diptycis expungitur 137. A' communione tamen Eccleſiæ non ſegregatur *ibid.*

S. Euſebius PP. ſuccedit Marcellino 36. Sub eo Crux Domini Jeroſolymis non eſt inventa *ibid.* Moritur *ibid.* Duo ei falsò adſcriptæ Epiſtolæ 37. Ejus decretum de extrema unctione *ibid.*

Euſebius Vercellenſis Epiſc. juſſu Liberii PP. ad Synodum Mediolanenſem pergit 52. Damnationi Athanaſii ſubſcribere recuſat 53. In exilium mittitur *ibid.*

Euſebius Dorylæi Epiſc. Eutychem de hæreſi accuſat apud Flavianum Epiſc. Cp. 105. Eum admonet de abjiciendo errore *ibid.* Damnatur in Pſeudo-Synodo Epheſina 106. Actorem agit in Concilio Calchedonenſi 107. A' labe hæreſeos in eo purgatur *ibid.*

Euſtachius Lylibæorum Epiſc. Siculo Concilio adeſt 12.

Eutherius Thyanenſis Metropolita ad Sixtum III PP. appellat poſt Concilium Epheſinum 100.

S. Eutychianus fit Papa 33. Vetat Martyres ſepeliri ſine Dalmatica *ibid.* Moritur Confeſſor non Martyr *ibid.* Ejus corporis translatio *ibid.* Decretales ei afflictæ *ibid.*

S. Eutychius fit Patriarcha Cpolitanus 266. Profeſſionem fidei ad Vigilium PP. mittit *ibid.*

Eutychiana hæreſis initium 204. In quo hæc hæreſis conſiſteret 105.

Eutyches hæreſi de unica in Chriſto natura initium dat 104. In judicium vocatur apud Flavianum Epiſc. Cp. 105. Damnatur in Synodo Cpolitana *ibid.* Ad Pontificem Rom. appellat *ibid.* A' S. Leone PP. damnatur *ibid.* Ejus cauſa retractatur Cpoli 106. Abſolvitur à Pſeudo-Synodo Epheſina *ibid.* Contra ejus hæreſim celebratur Concilium Calchedonenſe 107.

F

S. Fabianus Pontif. Rom. divinitùs electus 23. Septem Subdiaconos inſtituit pro Actis Martyrum conſcribendis *ibid.* Septem Diaconis Urbis regiones dividit *ibid.* Multa ædificia in cœmeteriis fieri juſſit *ibid.* Privatum hæreticum communione privat *ibid.* Martyrium ſub Decio Imperatore patitur *ibid.* Philippos Imperatores non baptizavit 24. Fabiani decretales tres pſeudigraphe 25. S. Pontiani PP. corpus Romam tranſtulit 22.

Felicitas & *Perpetua* ſub Severo Imp. Martyres & ubi 20.

S. Felix fit Pontifex Rom. 32. Miſſas ſupra Sepulchra Martyrum celebrari ſtatuit *ibid.* Decretales ei ſuppoſitæ *ibid.*

S. Felix II, Liberio PP. in exilium ab Imp. pulſo, ſubrogatur 56. An verè fuerit Pont. Rom. *ibid.*

S. Felix III dicitur Papa 120. Fuit atavus S. Gregorii M. *ibid.*, & 143. Legatos Cpolim mittit, & Acacium Epiſcopum Cp. Romam citat 120. Legatos illos, & Acacium in Synodo Rom. deponit 121. Sententiam in Acacium latam mittit per Tutum Eccleſiæ Romanæ defenſorem, quem poſtea communione privat *ibid.* Secundam Romæ Synodum celebrat, in qua Petrum Fullonem, Acacium, & Petrum Mongum damnat 122. Synodum alteram Romæ celebrat pro lapſis in perſecutione contra Africanos excitata *ibid.* Zenonis Imperatoris Henoticum rejicit *ibid.* Moritur 123. Poſt mortem apparet Tarſillæ Virgini pronepti ſuæ *ibid.*

Felix IV pro Pontifice Rom. proponitur à Theodorico Italiæ Rege 142. Ordinatur *ibid.* SS. Coſmæ, & Damiani Eccleſiam conſtruit 143. Laicos ordinari Sacerdotes prohibet *ibid.* Non fuit S. Gregorii M. atavus *ibid.* Quædam Capitula contra Semipelagianos ad Cæſarium Arelatenſem mittit 144. Eundem Cæſarium Apoſtolicæ Sedis Legatum conſtituit *ibid.* Ejus obitus *ibid.* Epiſtolæ ipſi afflictæ 145.

Felix Ravenn. Epiſcopus à Conſtantino PP. ordinatur 271. Ab Eccl. Rom. ſchiſmate ſe ſeparat *ibid.* In exilium mittitur, & ab eo revocatus ſanctè moritur *ibid.*

Felix Urgellitanus Epiſcopus hæreſim ſeminat 321. Ejus errores *ibid.* Contra eum ad Hiſp. Epiſcopos ſcribit Hadrianus PP. *ibid.* Damnatur in Ratiſponenſi Synodo *ibid.* Damnatur & ab Hadriano PP. *ibid.* Damnatur & in Synodo Franceſordienſi 328. In Synodo Romana damnatur 334.

Ferdinandus Caſtellæ Rex titulo Imperatoris abſtinere à Victore II jubetur 528.

Fermenti nomine in Decretalibus Melchiadis, Siricii, & Innocentii Pontif. Rom. non intelligitur panis benedictus 71.

Fermentaceorum hæreſis à S. Leone IX in Synodo Romana quarta damnatur 322. Confutatur ab Humberto Cardinali, & à Friderico itidem Cardinali, poſtea Papa ſub Stephani IX nomine *ibid.*

Firmitas Abbatia, prima Ciſtercii filia, quo anno fundata 621.

Flavia Domitilla ſub Domitiano in Inſulam Pontiam relegata 10.

Flavianus Epiſc. Cp. Eutychem in Synodo Cpolitana damnat 105. A' Pſeudo-Synodo Epheſina damnatur 106. In exilium amandatur, & ſanctè moritur *ibid.* In Calchedonenſi Concilio ab hæreſeos labe vindicatur 107.

Flavita fit Epiſcopus Cpolitanus, & moritur 124.

Flavius Clemens Martyr ſub Domitiano Imp. 10.

Florentina Synodus ſub Victore II Berengarii hæreſim inter alia damnat 527.

Florentina altera Synodus à Paſchali II celebratur 628.

Florentinum Schiſma inter Epiſcopum, & Monachos 545.

Formoſus Portuenſis Epiſcopus ad prædicandum Bulgaris à Nicolao I Papa mittitur 387. Damnatur à Joanne VIII in Pontigonenſi Synodo 407. A' Martino II reſtituitur 426. Fit Pontifex Romanus 422. Ad eam Sedem transfertur ex Portuenſi *ibid.* Sed id ſine violatione Canonum 423. Legatos in Orientem mittit *ibid.* Synodum Viennæ cogi jubet *ibid.* Synodum Romæ celebrandam indicit 424. Remenſi Eccleſiæ privilegium concedit *ibid.* Caroli Simplicis Francorum Regis jura tuetur *ibid.* Arnulphum Germaniæ Regem Romam vocat *ibid.* Eum Imperatorem coronat 425. Ad ejus coronationem non eſt adductus per ſubreptionem *ibid.* Scribit de diſſidio inter Hamburgenſem, & Colonienſem Epiſcopos *ibid.* Hominem exuit 426. Formoſi virtutes, & elogium *ibid.* Corpus ejus inaudito facinore è ſepulchro ad judicium vocatus à Stephano V

Digitized by Google

F

Papa 427. Extra Sepulchrum projicitur *ibid.* Reducitur ad Eccleſiam S. Petri, ubi à Sanctorum Imaginibus ſalutatur 426 & 428. Ejus translatio à Portuenſi ad Romanam Sedem fuit canonica *ibid.*

Formula, Regnante Chriſto, antiquitas 449. Similis formula uſurpatur poſt medium Sæculi decimum 455, & 626.

Forojulienſis, & *Gradenſis* Patriarcharum lis à S. Leone IX in Synodo IV Romana deciditur 522.

Fortunatus fit Patriarcha Gradenſis, & Pallium à Leone III PP. recipit 339. Sede pellitur *ibid.* Eccleſiam Polanam regendam ſuſcipit *ibid.*

Francofordienſis Synodus ſub Hadriano PP. Felicem Urgellitanum, & Elipandum Toletanum damnat 328. Ejus ſecundus Canon de Imaginum cultum explicatur *ibid.*

Franconia fidem Chriſti ſuſcipit operâ S. Kiliani à Conone PP. Epiſcopi ordinati 259.

Francorum Reges, & Regni à S. Gregorio laudibus extolluntur 195. Franci conſulunt Zachariam Papam an Pippinus Rex ſit dicendus 296. Eum in Regium ſolium evehunt *ibid.* Francorum Regum benedictio in Pippino cœpiſſe videtur 297.

Franci in Concil. Stampenſi, rejecto Anacleto Antip. Innocentio II adhærent 669. Franciæ Regnum ad Innocentio II interdicto ſupponitur, & quare 694.

B. Fredericus à Calliſto II Leodienſis Epiſcopus conſecratur 654. Occiditur, & ut Martyr habetur *ibid.*

Fridericus Alemanniæ, ſeu Sueviæ Dux ad Imperium aſpirans ab Honorio II excommunicatur 663.

S. Froilanus non fuit Zamorenſis, ſed Legionenſis Epiſcopus 517.

Fulco Remenſis Archiepiſcopus pallium à Martino II PP. recipit 416. à Formoſo Papa privilegium obtinet 424. Occiditur 433.

Fulco Comes Andegavenſis ab Urbano PP. Roſa aurea à Summis Pontificibus portari ſolita, Dominicâ quartâ Quadrageſimæ donatur 610.

Fugatius Divini Verbi miniſter ab Eleuthero PP. in Britanniam mittitur 18. Regem & alios baptizat *ibid.*

Fuldenſe Monaſterium fundatur, & à Zacharia PP. privilegio munitur 295.

G

Galerus Maximianus cauſam fingit ad perſequendos Chriſtianos 35.

Gallicana Synodus contra Monothelitas celebratur 241.

Gallicani Epiſcopi plures excuſant Paſchalem II PP. quòd coactus conceſſerit inveſtituras Henrico Germaniæ Regi 635.

Gallia à Diocletiani perſecutione immunes 35.

Gallianus Imperator Chriſtianis pacem concedit 30.

Gallus Imperator Decii perſecutionem continuat 26. Ejus Imperium breve *ibid.*

Garilianus arx conditur, & Saracenis traditur 409. Saracenis eripitur 440.

Gebehardus Conſtantienſis Epiſc. fit Paſchalis II in Germania Legatus 621.

Gelaſius fit Pontif. Rom. 123. De ſua electione Epiſtolas ſcribit *ibid.* Primam Romæ Synodum celebrat, in qua Miſenum Epiſc. Eccleſiæ reconciliat *ibid.* In ſecunda Synodo Rom. decretum edit de libris recipiendis, & non recipiendis *ibid.* Euphemium Epiſc. Cp. & alios Epiſcopos Orientis in communionem non recipit ob Acacii nomen in Sacris Diptychis retentum 124. Scribit ea de re ad Anaſtaſium Imp. *ibid.* Tres Epiſtolas & Tractatum contra Pelagianam hæreſim ſcribit *ibid.* Baptiſmum gratis conferri ſtatuit 125. Ordinationes Sacras quatuor Temporibus affigit *ibid.* Eccleſiæ reditus in quatuor partes dividit *ibid.* Lupercalia Romæ abolet *ibid.* Miſſarum ordinem digeſſit *ibid.* Non eſt auctor præfationum Miſſæ, licèt multas ediderit *ibid.* Non eſt auctor Canonis Miſſæ 126. Decretum edit contra Manichæos ſub ſpecie vini non communicantes *ibid.* Tractatum edit de vinculo excommunicationis *ibid.* Author eſt operis de duabus naturis 127. Libri ejus deperditi *ibid.* Non eſt auctor Breviculi Hiſtoriæ Eutychianiſtarum *ibid.* Moritur *ibid.*

Gelaſius II eligitur Pontif. Rom. 643. Ejus genus, patria, vitæ ſcriptor, & primordia *ibid.* A' Schiſmaticis capitur, ſed à Catholicis liberatur *ibid.* Coronatur & in Lateranum procedit *ibid.* Adveniente Romam Imperatore Cajetam fugit 644. A' Cardinali de Alatro è Germanorum manibus liberatur *ibid.* Conſecratur Cajetæ *ibid.* Scribit ad Gallos contra Gregorium VIII Antipapam *ibid.* B. Oldegarium jam Epiſcopum Barcinonenſem Tarraconenſem Metropolitam dicit 645. Clàm Romam redit *ibid.* Româ exire cogitur *ibid.* Eccleſiæ Ravennatenſi priſtina jura reſtituit *ibid.* Piſanam Eccleſiam dedicat & Metropolim facit *ibid.* Corſicam Inſulam ei ſubjicit 646. Eccleſiam S. Laurentii Genuæ dedicat *ibid.* In Galliam ſe recipit *ibid.* Summa charitate à Gallis excipitur *ibid.* Ægrotat, & poſtea Cluniacum pergit *ibid.* Antequam Cluniacum perveniat varias urbes luſtrat 647. Concilium Remis celebrare decernit *ibid.* Moritur Cluniaci *ibid.* Ejus ſepultura, Sanctitas, & opera 648.

Genſericus Vandalorum Rex ad S. Leonis PP. preces, Româ captâ, à ferro & igne abſtinet 111.

Georgius presbyter Legatus Agathonis PP. ad ſextam Synodum Generalem 240.

Georgius alter Monothelita fit Epiſc. Cp. Theodoro ab Imperatore Sede pulſo 339. In Synodo ſexta orthodoxam fidem profitetur 243. Vitaliani PP. nomen in diptychis reſtitui petit & obtinet *ibid.* Moritur 257.

Genuenſis Eccleſia ab Innocentio II fit Metropolitana 678.

Gerbertus inauguratur Archiepiſcopus Remenſis in locum Arnulphi depoſiti 472. In Moſomienſi Synodo à Legato Joannis XV deponitur *ibid.* Fit Archiepiſcopus Ravennatenſis 478. Succedit Gregorio V Papæ, & Silveſter II vocatur 482. Fit Papa opera Ottonis III Imp. *ibid.* In Gallia obſcuro loco natus erat *ibid.* Senonenſis Eccleſiæ privilegia confirmat *ibid.* Stephano Hungariæ Regi privilegia concedit 483. Ejus auctoritate Boleslaus Rex Poloniæ dictus non eſt *ibid.* S. Heribertum Colonienſem Archiepiſcopum pallio donat *ibid.* Vitam cum morte commutat *ibid.* A' calumnia vindicatur 484. Ejus ſcripta *ibid.* Non eſt Auctor Vitæ Sancti Adalberti Pragenſis Epiſcopi 485.

S. Germanus Antiſſiodorenſis Epiſc. in Britanniam contra Pelagianam hæreſim mittitur à S. Cæleſtino PP. 90.

S. Germanus fit Epiſc. Cp. 275. Leonem Iſaurum Imp. ab Iconomachorum hæreſi revocare tentat 282. E' Patriarchio ejicitur *ibid.* Prope centenario ſtrangulatus 283. Ejus opera, & cultus *ibid.*

Germaniæ Reges quandoque Imperatores dicti 497.

Germaniæ Principes ad Ulmam, & poſtea apud Forchein conveniunt pro electione novi Regis poſt Henrici IV depoſitionem 573. Rudolphum Suevorum Ducem eligunt 575. Succeſſio in regnum Germaniæ in Conventu apud Forchein antiquatur *ibid.*

S. Gerardus Tullenſis Epiſcopus à S. Leone IX canonizatur 516. Hujus Sancti vitæ Synopſis *ibid.* Ejus corpus ab eodem S. Pontifice transfertur 517.

Gibelinus Archiep. Arelatenſis in orientem à Paſchali II Legatus mittitur 631. Fit Patriarcha Jeroſolymitanus *ibid.*

Giraldus Cardinalis Oſtienſis Legatus ab Alexandro II in Gallias mittitur 554.

Girardus Engoliſmenſis Epiſcopus à Paſchali II dicitur

tur Legatus in Galliis 633. Adeſt Concilio Lateranenſi pro revocatione inveſtiturarum à Paſchali II Henrico Imperatori conceſſarum 636. Ex eo Concilio Legatus ad Imperatorem mittitur 637. Aquitaniæ Legatus à Calliſto II dicitur 656. Ab Anacleto Antipapa fit Legatus in univerſa Gallia 687.

Girardus ſive Gherardus Cardinalis ab Honorio II Beneventi præficitur 666. Incertum an ſit idem cum Gherardo, qui poſtea ſub Lucii II nomine fuit Papa *ibid.*

Giſela Conradi Salici Imp. uxor à Joanne XIX Auguſta coronatur 496.

Giſilerus Merſeburgenſis Epiſcopus fit Archiep. Magdeburgenſis 466. In ea Sede confirmatur ſub conditione, & depoſito Merſeburgenſi Epiſcopatu 478. Moritur 486.

Giſulphus Beneventanus Dux Romanorum ditiones infeſtat 267.

Godefridus Tuſciæ Dux ab Alexandro II in Normannos cum exercitu mittitur 548.

Godefridus Bullonius Lotharingiæ Dux Jeroſolymam capit 617. Inveſtiturarum regni Jeroſolymorum à Daimberto Patriarcha recipit 619.

S. Godehardus Hildensheimenſis Epiſcopus ab Innocentio II in fine Concilii Remenſis canonizatur 676. Ejuſdem Sancti Vitæ Synopſis *ibid.*

S. Gorgonii Reliquiæ ad Gorzienſe monaſterium translatæ 308.

Gotfridus Epiſcopus Carnotenſis ab Urbano II deponitur & quare 598.

Gotbofredus Mediolanenenſis Eccleſiæ invaſor ab Alexandro II in Synodo Rom. quinta damnatur 554. In prima Gregorii VII Romana Synodo excommunicatur 561.

Gozbertus Franconiæ Dux baptizatur 259.

Gradenſis civitas Aquilejenſis Sedis dignitate decoratur 178.

Gradenſis Synodus pro ea translatione celebratur 178.

Gradenſis & Forojulienſis Patriarcharum lis à S. Leone IX in Synodo Rom. quarta deciditur 522.

Græcorum ab Eccleſia Latina ſeparationis origo 285.

S. Gregorius poſtea Papa Diaconus ordinatur & Cpolim Apocriſarius mittitur 180. Cum Eutychio Patriarcha Cp. de carnis reſurrectione diſputat *ibid.* Fuit inſtituti, Benedictini *ibid.* Fit Papa 183. Confirmationem ſuam impedire tentat, ſed fruſtra *ibid.* Proceſſiones publicas indicit 184. Ordinationem ſuam impedire volens delitescit *ibid.* Indicio Columbæ detegitur & ordinatur *ibid.* Paſtoralem librum elucubrat *ibid.* Synodalem Epiſtolam ad Patriarchas Orientis mittit 185. Synodum Romæ celebrat pro receptione Quintæ Synodi Generalis *ibid.* Schiſmatici ad eam venire recuſantes à Mauricio Imp. probantur *ibid.* Scribit ad Hibernos de Tribus Capitulis 186. Scribit eadem de re ad Theodelindam Longobard. Reginam *ibid.* Permittit Hiſpanis unica merſione baptizare 187. Hæc Epiſtola ſpuria non eſt *ibid.* Subdiaconos ad continentiam adſtringit *ibid.* Judæos vi ad fidem compelli vetat 188. Prohibet Donatiſtam Epiſcopum in Numidia Primatem dici *ibid.* Donatiſtas in Africa reprimit *ibid.* Theobanum Epiſcopum reſtituit *ibid.* Salonitanum in Dalmatia Epiſc. corripit *ibid.* Homilias in Evangelia abſolvit 188. Tunicam S. Joannis Evangeliſtæ Romam deferri curat 189. Cpolitanum & Tarentinum Epiſcopos redarguit *ibid.* Caſſat Acta Concilii in Numidia habiti *ibid.* Dialogorum libros ſcribit *ibid.* Hi libri à Zacharia PP. in Græcum translati *ibid.* Sueſſionenſi S. Medardi Monaſterio privilegium concedit 190. Legem Mauricii Imp. de Curialibus in Clerum vel in Monaſteria, & militibus in Monaſteria non recipiendis partim laudat, partim improbat *ibid.* Eam in Provincias mittit, & nonnihil temperat 191. Barbaricinorum gentilium converſioni incumbit *ibid.* Caput S. Pauli Conſtantinæ Imperatrici denegat 192. Ejus ſolicitudo pro Eccleſia Salonitana in Dalmatia *ibid.* Gregorius Sacramenti Confirmationis adminiſtrationem Presbyteris permittit *ibid.* Homiliam in Ezechielem Prophetam componit 193. Increpat Joannem Epiſc. Cp. ob uſurpatum *Univerſalis* titulum *ibid.* Servus Servorum Dei ſe inſcribit *ibid.* Synodum Romæ celebrat, in qua cognoſcit de judicio Epiſcopi Cp. contra Joannem Presbyterum 194. Jubet ut corpora Pontificum Rom. ſine tegmine ad ſepulturam deferantur *ibid.* Pro ordinationibus & pallio aliquid accipi vetat *ibid.* Virgilio Arelatenſi Epiſc. vices ſuas in Galliis committit *ibid.* Regnum & Reges Francorum laudibus extollit 195. Gregorius ex puerorum Anglorum venalitate occcaſionem ſumit eos ad Chriſti fidem convertendi operâ S. Auguſtini Monachi *ibid.* Auguſtinum Sedis Apoſt. Vicarium conſtituit 196. Miſſam in domibus privatis celebrari permittit *ibid.* Inſurgit in Cyriacum Epiſc. Cp. œcumenici titulum affectantem 197. Judæos poſt jejunium dierum quadraginta baptizari permittit *ibid.* Tertium Romæ Synodum celebrat contra quendam Andream Græcum 198. Reſpondet ad Hibernos de hæreticorum rebaptizatione *ibid.* Quartam pro Monachis Romæ Synodum celebrat *ibid.* Mauricii Imp. ſororem ab hæreſi revocat *ibid.* Plura Epiſcoporum judicia ad Sedem Apoſt. delata aliis cognoſcenda remittit 199. Miſſarum ordinem digerit, & quædam Canoni Miſſæ addit *ibid.* Decretum Symmachi PP. de hymno *Gloria in Excelſis Deo* ad ſolos Epiſcopos reſtringit *ibid.* Subdiaconos albis tantùm amictos in ſacrificio miniſtrare conſtituit *ibid.* Orationem Dominicam poſt canonem recitari non inſtituit *ibid.* Neque etiam ut *Kyrie eleiſon* in Miſſa, & *alleluja* cantaretur extra tempus Paſchale *ibid.* Non eſt etiam auctor Gradualium *ibid.* Quaſdam Urbis Eccleſias ſtationibus aſſignavit *ibid.* Sacramentarium & Antiphonarium compoſuit 200. Cantum adinvenit, & cantores inſtituit *ibid.* Moralia in Job edidit *ibid.* Trajanum Imp. ab inferis non liberavit 201. Non eſt auctor expoſitionis in pſalmos pœnitentiales; neque commentariorum in libros Regum, & in Cantica Canticorum *ibid.* Ad Deum tranſit 200. De ejus corporis translationem inter Romanos & Francos contentio *ibid.*

S. Gregorius II Eccleſiæ præficitur 275. Ante Pontificatum cum Conſtantino PP. Juſtiniano II Imp. ſatisfacit de quæſtione Trullanorum Canonum 272. & 275. Joannis Patriarchæ Cp. Synodicam recipit 275. Cumanū caſtrum Eccleſiæ reſtitui curat 276. S. Corbinianum poſtea Friſingenſem Epiſc. invitum ordinat *ibid.* Ejus hortatu Caſſinenſe Monaſterium reſtauratur *ibid.* Greg. II ſedente Theod. Bajoariæ Dux Romam orationis causâ pergit 277. Gregorius Leonis Iſauri Imp. profeſſionem fidei recipit *ibid.* Eum ut Eccleſiæ filium benignè ſuſcipit *ibid.* S. Bonifacium ad prædicandum Evangelium in Germaniam mittit 278. Epiſcopum nulli Sedi adſtrictum eum ordinat *ibid.* Unde deſumpta mandata quæ Bonifacio dedit *ibid.* De variis quæſtionibus à Bonifacio conſulitur 279. Romæ Synodum celebrat *ibid.* Eudoni Aquitaniæ Duci Spongiam pro exercitûs benedictione mittit *ibid.* Caroli Martelli auxilium contra Longobardos implorat *ibid.* Sub eo Ina Saxonum Occident. Rex regnum ſuum Eccleſiæ Rom. vectigale reddit 280. Inæ permittit ut Scholam Anglorum Romæ fundet *ibid.* Epiſtolas duas dogmaticas pro Sacrarum Imaginum cultu ad Leonem Iſaurum ſcribit 284. Synodum Romæ celebrat, in qua Iconoclaſtarum hæreſim damnat *ibid.* Tributa Imperatori ſolvere non prohibuit, nec eum excommunicavit *ibid.* Anaſtaſium pſeudo-Patriarcham Cp. excommunicavit 285. Jejunium & Miſſam feria quinta in Quadrageſima fieri inſtituit *ibid.* Ad ſuperos evolat 286. Inter Sanctos relatus eſt *ibid.* Non eſt dialogorum auctor *ibid.*

Gregorius III Gregorio II PP. ſuccedit 287. Ejus ordi-

Digitized by Google

G

dinatio quare dilata *ibid.* Legationem pro cultu Sacrarum Imaginum Cpolim mittit *ibid.* Iconomachos in Synodo Rom. anathemate percellit *ibid.* Alium Legatum Cpolim mittit, qui in carcerem truditur 288. In Baſilica S. Petri Sacras Imagines ſumptuoſè erigit *ibid.* Tertiò, ſed fruſtra tentat Leonem Imp. ab hæreſi Iconoclaſtarum revocare *ibid.* Conſulitur à S. Bonifacio, cui Pallium mittit *ibid.* Eundem Bonificium Romæ ſuſcipit *ibid.* Confirmat diviſionem Bavariæ in quatuor Epiſcopatus 289. Eboracenſi Eccleſiæ Archiepiſcopatum reſtituit *ibid.* Duplicem Legationem mittit ad Carolum Martellum pro auxilio contra Longobardos, & Imp. cum clavibus & vinculis S. Petri *ibid.* Carolum Patricium Romanorum dicit *ibid.* Supremum diem obit 291. Ejus pietas & ſcripta *ibid.*

Gregorius Presbyter à Gregorio III PP. Cpolim legatur pro Sacrarum Imaginum cultu 287. Re infecta Romam redit metu perſecutionis *ibid.* Cpolim redire jubetur, ſed ab Imperatore in exilium mittitur *ibid.*

Gregorius IV eligitur Pontifex, & coram Legatis Imperatoris conſecratur 356. Legatos ad Ludovicum Auguſtum mittit *ibid.* Ejuſdem Auguſti Legatum ſuſcipit pro corrigendis Antiphonariis *ibid.* Juditham Auguſtam abſolvi jubet *ibid.* Hamburgenſis Archiepiſcopatus inſtitutionem confirmat 357. S. Anſcharium ejus Eccleſiæ Archiepiſcopum Sanctæ Sedis Legatum conſtituit *ibid.* In Franciam pergit ad conciliandam pacem inter Ludovicum Auguſtum & filios *ibid.* Re infecta Romam redit 358. Feſtum omnium Sanctorum in Gallia & Geromnia celebrandum ſtatuit *ibid.* Legationem Ludovici Auguſti ſuſcipit, & aliam ad eum mittit *ibid.* Sancto Aldrico Cenomanenſi Epiſc. baculum paſtoralem mittit 359. Falsò creditur reſtituiſſe Ebbonem in Archiepiſcopatum Remenſem *ibid.* Appellat ad Imperatorem de judicio ſuorum miſſorum *ibid.* Oſtiam civitatem mœnibus munit *ibid.* Eccleſias multas inſtaurat & ornat 360. Ultimum diem claudit *ibid.*

Gregorius V fit Summus Pontifex 473. Ottonem Imperatorem coronat 474. Synodum Romæ celebrat *ibid.* In ea non inſtituit ſeptem Electores Imperii *ibid.* Romà pulſus Ticini Concilium celebrat 476. In Sede ab Ottone III reſtituitur *ibid.* Placentinam Eccleſiam Ravennenſi reſtituit 477. Roberti Francorum Regis inceſtas nuptias in Synodo Rom. damnat *ibid.* Quoſdam Epiſcopos Gallicanos in eadem Synodo à Communione ſuſpendit *ibid.* Merſeburgenſem Epiſcopatum in eadem Synodo reſtituit *ibid.* Arnulphum Remenſem Archiep. in Sedem reſtituit 478. Gerbertum poſtea Papam Ravennenſi Eccleſiæ præficit *ibid.* Gregorii V mors, ſepultura, & virtutes *ibid.* Ex Ottone M. originem ducebat, ſed ex Luitgarda ejus filia, non verò ex Luidolpho filio ejuſdem Ottonis *ibid.*

Gregorius VI antea Joannes Archipresbyter, Gratianus dictus, à Benedicto IX Pontificatum emit 503. Sedet eodem tempore cum Benedicto IX & Silveſtro III Antipapa *ibid.* Pontificatum ſponte abdicat 504. Fuit ſimoniacus *ibid.* Numerandus tamen inter Pontifices Rom. & quare *ibid.* Tempus Sedis ejus, & locus obitus 505.

Gregorius VII vide Hildebrandus.

Gregorius VIII Antipapa, vide Burdinus Bracarenſis Archiepiſcopus.

Gregorius Syracuſanus Epiſcopus in Synodo Cpolitana ob improbitatem deponitur, & ſententia à Benedicto III confirmatur 375. Ejus depoſitio Græcorum ſchiſmatis origo *ibid.* Photium Cpolitanæ Sedis invaſorem ordinat 377. Omni Sacerdotali miniſterio exuitur à Nicolao PP. in Synodo Rom. 379.

Gregorius Diaconus Cardinalis S. Angeli ſemel & iterum à Callisto II Legatus in Germaniam mittitur pro pace 658. Eligitur & conſecratur Pontifex ſub Innocentii II nomine 667. Ejus mores ante Pontificatum *ibid.* Semel & iterum Pontificatum recuſat *ibid.* Renitens & invitus eum admittit *ibid.* A' ſolis Cardinalibus electus fuit ante Anacletum Antipapam *ibid.* Fuerat Canonicus Regularis S. Auguſtini 660. Ab Anacleto Antipapa Urbe exire cogitur *ibid.* Romà in Franciam pergit *ibid.* Cluniacenſem Eccleſiam dedicat 670. Claromontanum Concilium celebrat *ibid.* Suſcipitur à Regibus Franciæ & Angliæ 671. Item à Lothario Romanorum Rege *ibid.* Item ab Hiſpanis & Jeroſolymitanis *ibid.* Mauriniacenſis Monaſterii Altare conſecrat *ibid.* Leodii cum Lothario Rege Concilium habet 672 Lotharium Regem coronat *ibid.* Inveſtituras Lothario non conceſſit *ibid.* Claramvallem viſitat 673. In Monaſterio S. Dionyſii Cœnam Dominicam celebrat *ibid.* Tum ibidem Paſcha *ibid.* Varias Galliæ urbes perluſtrat 674. Ejus itinerarium continuatur *ibid.* Sueſſione B. Medardi Eccleſiam conſecrat 674. Remis Concilium celebrat *ibid.* In eo Ludovicum Ludovici VI filium Franciæ Regem conſecrat 675. Illud Concilium S. Godehardi Hildensheimenſis Epiſcopi canonizatione terminat 676. Poſt Concilium Antiſiodori moratur 677. In Italiam redit *ibid.* Placentiæ Concilium celebrat *ibid.* De Eccleſiæ ſtatu cum Lothario Rege colloquium habet 678. Genuenſem Eccleſiam Metropolim dicit *ibid.* Cum Lothario Rege Romam petit *ibid.* Eum Imperatorem coronat *ibid.* Idque in Eccleſia Lateranenſi & quare 679. Paderbornenſi Epiſcopo Pallium concedit 680. Piſas ſe recipit *ibid.* Piſtorienſis Eccleſiæ privilegia confirmat *ibid.* Daniæ & Sveciæ Epiſcopos Hamburgenſi Archiep. ſubjicit *ibid.* Piſis Concilium celebrat 681. S. Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanū canonizat *ibid.* Romiro Monacho & Sacerdoti, poſtea Aragoniæ Regi, diſpenſationem concedit, ut uxorem ducere poſſit 683. Lotharium Imp. in Italiam vocat *ibid.* Stephani Angliæ Regis electionem gratam habet 684. In Apuliam cum Lothario Imp. pergit *ibid.* Beneventanorum fidelitatem recipit *ibid.* Rainulphum Comitem Apuliæ Ducem creat 685. Beneventanum Archiepiſcopum conſecrat *ibid.* Victorem Antipapam ſe abdicantem benignè ſuſcipit 688. Concilium Generale Lateranenſe ſecundum indicit *ibid.* Ei præſidet 689. In eo Arnaldi de Brixia & Petri de Bruis errores damnat 690. In eodem Rogerium Siculum excommunicat *ibid.* Tandem in eo S. Sturmium Abbatem Fuldenſem canonizat 601. Malachiam Hiberniæ Legatum dicit *ibid.* A' Rogerio Siciliæ Comite capitur, eique Regium titulum impertit 692. Romam redit *ibid.* Petri Abaelardi & Arnaldi de Brixia libros comburi jubet *ibid.* Alphonſi Portugalliæ Comitis, qui ſe Regem dixerat, hominium ſuſcipit 693. Franciæ Regno interdicto ſupponit & quare *ibid.* Moritur *ibid.* Ejus ſepultura & beneficia in Eccleſiam Lateranenſem 694.

Gregorius Cardinalis Presbyter SS. Apoſtolorum fit Antipapa ſub Victoris nomine poſt mortem Anacleti etiam Antipapæ 688. Pſeudo pontificatu ſe abdicat *ibid.*

Guaſtallenſe ſeu VVaſtallenſe Concilium à Paſchali II celebratur 620.

Gueſna quo tempore in Metropolim erecta 563.

Guibertus Archiepiſcopus Ravennatenſis in Synodo Rom. IV ſub Gregorio VII deponitur & anathematizatur 577. Ejus depoſitio & excommunicatio à Synodo Rom. ſeptima ab eodem Gregorio confirmatur 581. A' Schiſmaticis Antipapa eligitur *ibid.* Romæ inthronizatur, & Clemens III appellatur 586. Henricum Imperatorem coronat *ibid.* Romæ iterum recipitur 508. Ab Urbano II in Concilio Beneventano excommunicatur *ibid.* Romà pellitur 601. Moritur 619. Ejus oſſa exhumantur, & in flumen projiciuntur 628.

Guido Aretinus Auctor Micrologi de Methodo cantandi 493. Romam à Benedicto VIII vocatu *ibid.*

Guido Archiepiſcopus Viennenſis Legatus in Angliam

à Pa-

G

Paſchali II mittitur 612. Concilium Viennæ cogit, in quo Henricum V Imp. ob inveſtituras à Paſchali II extortas excommunicat 637. Eligitur Pontifex Rom. 651. Ejus genus & virtutes *ibid.* Viennæ coronatur *ibid.* Toloſæ Concilium cælebrat 652. Ejus itinerarium poſt illud Concilium *ibid.* Remis Concilium cogit 653. In eo Henricum Imp. & Burdinum Antipapam excommunicat *ibid.* Eboracenſem Eccleſiam à Cantuarienſi liberam declarat *ibid.* Jubet Turſtinum Epiſcopatu ſuo Eboracenſi potiri *ibid.* B. Fredericum Leodienſem Epiſcopum conſecrat 654. Cum Henrico Angliæ Rege colloquium habet *ibid.* Ejus itinerarium poſt Concilium Remenſe *ibid.* Trevirenſis Eccleſiæ privilegia confirmat 655. Ejus itinerarium continuatur *ibid.* Primatum in ſeptem Provincias Viennenſi Archiepiſcopo concedit *ibid.* Romam pergit 656. Inde Beneventum proficiſcitur *ibid.* Girardum Epiſcopum Engoliſmenſem Aquitaniæ Legatum dicit *ibid.* Legatos in Germaniam mittit *ibid.* Iterum in Apuliam pergit 657. Primatei Lugdunenſi amplificando ſtudet *ibid.* Legatos iterum mittit in Germaniam pro pace 658. Eorum operâ pacem cum Henrico Imp. ſancit *ibid.* Concilium Generale Lateranenſe indicit *ibid.* Quid conceſſerit Henrico Imp. pro ceſſione inveſtiturarum *ibid.* Henricum ab excommunicatione abſolvit 659. B. Oldegarium Sanctæ Sedis Legatum in Hiſpania creat 660. Tertiò Beneventum pergit *ibid.* Compoſtellam Metropolica dignitate auget *ibid.* Ottonem Epiſc. Bambergenſem ad Pomeranorum converſionem mittit 661. VVillelmi filii Roberti Normanniæ Comitis conjugium reprobat *ibid.* Ex hac vita migrat *ibid.* Ejus memoria & ſcripta *ibid.* Sylvæ Candidæ Epiſcopatû Portuenſi univit 389.

Gundabundus Vandalorum Rex pacem Eccleſiæ Africanæ reddit 122.

Guntharius Colonienſis Archiep. divortii Lotharii Regis cum Teutberga Regina approbator à Nicolao PP. deponitur, & omni Epiſcopali regimine exuitur 382. Laica communione ab Hadriano II donatur 391.

H

HAdrianus fit Pont. Rom. 316. Exules à Paulo Afiarta ſub ſuo deceſſore factos revocat *ibid.* Paulum Afiartam retineri jubet *ibid.* Cum Deſiderio Longobardor. Rege diſſidium habet *ibid.* Caroli Franc. Regis auxilium implorat 317. Deſiderium anathemate percellit, ſi fines Romanorum ingrediatur *ibid.* Carolum M. cum laudibus Romæ excipit 318. Statuit ut in Miſſa Pontificia oretur pro Carolo M. *ibid.* Ejus hortatu Carolus multa addit donationi Pippini *ibid.* Non conceſſit Carolo jus eligendi Summum Pontificem & Epiſcopos *ibid.* Carolum rogat ut in Italiam pergat 319. Auxilium ab eo petit contra hoſtes Eccleſiæ 320. Ejus filios in Reges ungit *ibid.* Legatos in Bavariam mittit *ibid.* Sabinenſe territorium ſibi integrum reddi petit *ibid.* Scribit ad Epiſcopos Hiſpaniæ contra Felicis Urgellitani hæreſim 321. Eundem Felicem damnat *ibid.* Reſcribit ad Imp. Orientis pro celebratione ſeptimæ Synodi Generalis 322. Diſpenſat de infractione Canonum in electione S. Taraſii Epiſc. Cp. ea conditione, ut pro Imaginum reſtitutione laboret *ibid.* Legatos mittit, qui præſint Synodo Generali *ibid.* Legatos in Angliam mittit *ibid.* Capuam & alias Civitates à Carolo M. obtinet 327. Taſſilonis Bavariæ Ducis Legatos ſuſcipit 328. Gregorianum cantum & officium in Francia recipi curat *ibid.* Legatos mittit ad Synodum Francofordienſem *ibid.* Sub eo regnum Merciorum Eccleſiæ Rom. vectigale redditur 329. Ad Deum tranſit 330. De ejus anima & ſepultura Carolus M. ſolicitus eſt *ibid.* Ejus munificentia in Pauperes & Eccleſias *ibid.* Ejus ſcripta *ibid.* Ejus mortis & ſepulturæ locus 331. Ejus Epitaphium *ibid.*

Hadrianus II eligitur Pontifex, & inthronizatur 388. Conſecratur *ibid.* Prædones urbis ad reſtitutionem cogit *ibid.* Oblationes fidelium diſtribuit pauperibus *ibid.* Nicolai deceſſoris memoriam, & decreta veneratur 390. Legatos in Bulgariam mittit *ibid.* Lothario Regi jubet ut Theutbergam Reginam in conſortium recipiat *ibid.* Convenitur à Lothario apud montem Caſſinum *ibid.* Sacram Communionem ſub conditione ei tribuit *ibid.* Romam redit cum eodem Lothario III 391. Ad Synodi Trecenſis Synodicam pro causâ VVlfadi reſpondet 392. Eidem VVlfado Bituricenſi Archip. conſecrato Pallium mittit *ibid.* Sanctos Cyrillum, & Methodium pro Moravis Epiſcopos ordinat *ibid.* Permittit Moravis ut linguâ Sclavenicâ in Miſſis, & officiis utantur *ibid.* Actardo Epiſcopo Nannetenſi Pallium mittit 394 Anaſtaſium Cardinalem olim depoſitum in Synodo Rom. iterum damnat *ibid.* Aliam Synodum contra Photium Romæ celebrat *ibid.* Concilium generale octavum Conſtantinopolim convocari jubet 395. Ad illud Legatos mittit *ibid.* Concilio per ſuos Legatos præſidet 396. Concilii Acta confirmat 400. S. Ignatium Patriarcham Cp. arguit quòd Bulgariam Sedi Cpolitanæ poſt Concilium attribuerit 401. Diſpenſationem Decretorum Concilii à Baſilio Imp. & ab Ignatio petitam recuſat *ibid.* Acta Concilii in Latinum verti curat *ibid.* Brachium Sancti Leonis III Salomoni Minoris Britanniæ Regi mittit *ibid.* Ejus hac de re Epiſtola ſuſpectæ fidei 402. Carolum Calvum Francorum Regem monet ut abſtineat ab uſurpatione Regni Lotharii *ibid.* Pro eadem cauſa rursùs Legatos mittit *ibid.* Carolomanni Caroli Calvi filii patrocinium ſuſcipit *ibid.* Hincmaro Laudunenſi Epiſc. ſavet contra Carolum Calvum, & Hincmarum Remenſem 403. Eum Romam mitti jubet 405. Hadrianus II moritur *ibid.* Ejus ſanctimonia 406.

Hadrianus III Marino, ſeu Martino II ſuccedit 417. Decretum edit, ut Papa conſecretur ſine præſentia Legatorum Imperatoris *ibid.* Photium in communione recipere recuſat 418. In Franciam pergit *ibid.* In itinere moritur *ibid.* Nonantulæ ſepelitur *ibid.*

Halinardus Lugdunenſis Archiepiſcopus Pontificatum Romanum declinat 509.

Hamburgenſis Archiepiſcopatus inſtituitur 357. Hamburgenſi Eccleſiæ Bremenſis unitur, eaque unio à Nicolao PP. confirmatur 376.

Hamburgenſes Archiepiſcopi Legati Apoſtolicæ Sedis à Nicolao PP. dicuntur 377.

Hamburgenſis Eccleſiæ cum Colonienſi diſſidium de unione Bremenſis Sedis aliquo modo terminatur à Formoſo Papa 425.

Hamburgenſis Eccleſiæ privilegia ab Agapito II innovantur 450.

Hedenulphus fit Epiſcopus Laudunenſis in locum Hincmari depoſiti 408. In ea Sede à Joanne VIII confirmatus 410.

S. Henricus Germaniæ Rex hujus nominis II Bambergenſem Epiſcopatum fundat 485. Benedictum VIII Pontificem Rom. in Sedem reſtituit 489. Ab eodem Benedicto Imperator coronatur 490. Tempus, & Pompa inaugurationis *ibid.* Imperii ſtemma ſibi à Pontifice datum ad Monaſterium Cluniacenſe mittit *ibid.* Romanæ Eccleſiæ olim data confirmat *ibid.* Statuit ut Romani Pontificis conſecratio coram Legatis ſuis fiat 491. Benedicto Papæ perſuadet ut Symbolum in Miſſa Romæ cantetur *ibid.* Civitatem Bambergam Romanæ Eccleſiæ ſubjicit 493.

Henricus III Germaniæ Rex in Italiam pergit 504. Sutrii Concilium congregat, in quo Benedictus IX, & Silveſter III Antipapa deponuntur *ibid.* A' Clemente II Imperator coronatur 506. Beneventum pergit, & inde in Germaniam redit *ibid.* Conſentit ut Halinardus Archiepiſcopus Lugdunenſis dicatur Romanus Pontifex 509. S. Leonem IX Pontificem deſignat 510. Invitus conſentit

ut

ut Gebehardus Aiſtetenſis Epiſcopus ſit Papa 527. Moritur 529.

Henricus IV Patri in Germaniæ Regnum ſuccedit 329. Cardinalium Legationem pro electione novi Pontificis rejicit 541. Cadolum Antipapam in Pſeudo-Synodo Baſileenſi eligi curat 542. Eum in Concilio Osborienſi damnari curat 544. Romam ad cauſam dicendam ab Alexandro II PP. vocatur *ibid.* Ei intimatur Decretum contra inveſtituras à Gregorio VII *in ſecunda Synodo Rom. latum* 465. Gregorio VII ſe obſequentem ſimulat 565. Victis Saxonibus ad vomitum redit 567. Urgetur à Gregorio ut promiſſis ſtet *ibid.* Ab eo ad dicendam cauſam Romam vocatur *ibid.* In Conciliabulo VVormatienſi Gregorium Papam deponi curat *ibid.* Ei depoſitionem intimare facit 568. A' Greg. VII in Synodo Rom. excommunicatur, & deponitur *ibid.* A' Greg. abſolvitur, ſub jurejurando, & quibus conditionibus 571. Purgationem ſibi à Gregorio PP. oblatam refugit 572. In priſtina relabitur 573. Coronari petens, à Papa non exauditur *ibid.* Gregorium PP. in Germaniam pergere volenti liberum tranſitum negat 574. In Synodo Rom. ſeptima à Gregorio VII excommunicatur, & deponitur 580. Guibertum Antipapam in Conciliabulo Brixinenſi eligi procurat 581. Congreditur cum Rodulpho Rege 582. Eo occiſo in Italiam pergit *ibid.* A' Roberto Calabriæ Duce fruſtra auxilium petit 583. Romam ſemel, & iterum obſidet 584. Contra Mathildem Comitiſſam in Longobardiam revertitur *ibid.* Tertiò Romam obſidet 585. Romam occupat *ibid.* Guibertum Antipapam inthronizat 586. Ab eo Imperator coronatur *ibid.* In Caſtello S. Angeli Gregorium Papam obſidet 587. Adveniente Roberto Calabriæ Duce fugit *ibid.* In Henricum Conradus filius rebellat, & quare 600. Ab Henrico altero filio Imperio pellitur 626. Legatos ad Paſchalem PP. mittit 627. Moritur, ejuſque oſſa exhumantur *ibid.*

Henricus Henrici IV filius Patrem Regno pellit 626. Fit Rex Germaniæ *ibid.* Ad Guaſtallenſe Concilium Legatos mittit 629. Alios mittit ad Paſchalem II Catalauni in Gallia exiſtentem *ibid.* Alios ad eundem Papam mittit 633. Paciſcitur cum eodem Papa *ibid.* Romæ ab eo excipitur 634. Paſchalem Papam captivum detinet *ibid.* Ab eo Inveſtiturarum privilegium extorquet *ibid.* Imperator ab eo coronatur 635. A' Conone Sedis Apoſtolicæ Legato excommunicatur 636. Item à Guidone Viennenſi Archiepiſcopo 637. Romam pergit, & à Burdino Archiep. Bracarenſi coronatur 641. Romam noctis ſilentio ingreditur 643. Burdinum in Sedem Rom. intrudit ſub Gregorio VIII nomine 644. A' Calliſto II in Concilio Remenſi excommunicatur 653. Cum Calliſto pacem facit 657. Inveſtituras dimittit 658. Excommunicatione abſolvitur 660. Improles obit 663.

Hæreſis ſæpe ſine Synodo damnata 78, & 87.

Hæretici per ſolam manus impoſitionem in Eccleſia recipiendi 55, & 63.

Hæreticorum damnationis ſubſcriptiones in uſum vocatæ 86.

S. Hegeſippus Romæ floret ſub Aniceto 17. Libros Actuum Eccleſiaſticorum ſcribit *ibid.* Diverſus ab Hegeſippo, qui tractat de rebus Judæorum *ibid.*

Helena Crucem Domini Jeroſolymis reperit, & quo tempore 36, & ſeq.

Helladius Tarſenſis Metropolita ad Sixtum III appellat poſt Concilium Nepeſinum 100.

Henoticum, ſeu unitivum edictum Zenonis Imp. meritò ab Eccleſia rejectum 122, *& ſeq.* Ei ſubſcribere recuſat Anaſtaſius II PP. 127, *& ſeq.*

Henricus Angliæ Rex inveſtituras dimittit, & S. Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo reconciliatur 634.

Heracla Epiſc. Alexandrinus Papæ nomen primum non tulit 4.

Heracleon Valentini diſcipulus damnatur à Concilio Siculo 12. Quæ eſſet ejus hæreſis *ibid.*

Heraclius Imp. à Monothelitis decipitur 211, *& ſeq.* Ei tribuenda non eſt expilatio Patriarchii Lateranenſis poſt mortem Honorii PP. 218. Ejus nomine Ecteſis, ſeu fidei formula promulgatur *ibid.*

Herbipolenſis, vide *VVirtzburgenſis*.

S. Heribertus fit Colonienſis Archiepiſc. & à Silveſtro II Pallio donatur 483.

Heriveus ſuccedit Fulconi in Epiſcopatum Remenſem 333. Moritur 442.

Herlembaldus Vir ex primariis Mediolanenſibus adverſatur Sacerdotibus incontinentibus, & ſimoniacis 531. Ab Alexandro II Eccleſiæ defenſor conſtituitur 543. A Sacerdotibus ſimoniacis, & concubinariis Martyrio coronatur 571. Ab Urbano II in Sanctorum numerum refertur 613.

Herluinus à Gregorio V Cameracenſis Epiſcopus ordinatur 474.

Hermannus Lotharingus fit Germaniæ Rex poſt mortem Rodulphi 585.

Hibernia converſio S. Patricio debetur 90.

S. Hilarii Epiſcopi Arelatenſis diſſidium cum S. Leone PP. explicatur 103.

Hilarius Diaconus à Liberio PP. ad Imperatorem Legatus 52. Athanaſii damnationi ſubſcribere recuſat 53. Flagris cæſus in exilium mittitur *ibid.*

Hilarus, poſtea Papa, Legatus S. Leonis ad Epheſinam Pſeudo-Synodum 106. Malè cum aliis Legatis ab hæreticis habetur *ibid.* Romam vix pervenire poteſt *ibid.* Fit Papa 113. Tres Synodos Generales confirmat 114. Creationem ſuam Arelatenſi Epiſc. ſignificat *ibid.* Hermetem Narbonenſis Eccleſiæ invaſorem coercet *ibid.* Concilia quotannis celebrari decernit *ibid.* Cyclum DXXXII annorum à Victorio componi ante Pontificatum curaverat *ibid.* Scribit contra Mamertum Epiſc. qui Dienſibus Epiſcopum ordinaverat *ibid.* Concilium Romæ celebrat 115. Irenæum à Regimine Barcinonenſis Eccleſiæ removet, & quare *ibid.* Eccl. Ebredunenſi jura ſua reſtituit 116. Anthemio Occidentis Imp. reſiſtit *ibid.* Moritur *ibid.* Ejus munificentia *ibid.*

Hildebrandus Eccleſiæ Romanæ Subdiaconus à Romanis ad Imp. tranſmiſſus poſtulat, & obtinet Gebehardum pro Pontifice 527. Legatus ab eodem Gebehardo, ſeu Victore II in Gallias mittitur *ibid.* Turonis Concilium celebrat, in quo Berengarium hæreſiarcham damnat *ibid.* Proponitur ut fiat Pontifex Rom. licèt tantùm Subdiaconus 530. Ad Agnetem Auguſtam Henrici IV Germaniæ Regis matrem Legatus mittitur à Stephano IX PP. 532. Gerardum Epiſcop. Florentinum in Pontificem eligi curat ſub Nicolai II nomine 534. A' Nic. Archidiaconus Eccl. Rom. creatur 537. Ab Alexandro II Cancellarius dicitur 543. Hildebrandus eligitur Pontifex 557. Ejus electionis decretum promulgatur *ibid.* Inthronizatur, & coronatur *ibid.* Differt ordinationem ſuam, ut Pontificatum declinet 558. Conſecratur à tribus Epiſcopis Cardinalibus 559. Gregorii VII nomen ſumit, & quare *ibid.* Ejus Patria, Parentes, & Monachatus *ibid.* Officium Romanum loco Gotici, ſeu Mozarabici in Aragonia recipi curat *ibid.* Id fruſtra petit à Caſtellæ, & Navarræ Regibus 560. Sanctium Aragoniæ Regem Eccleſiæ Rom. tributarium recipit *ibid.* Ejus literæ de denario ſingulis Franciæ domibus impoſito explicantur *ibid.* Romæ Synodum celebrat, præſertim contra Sacerdotes Simoniacos, & incontinentes 561. A' calumnia vindicatur *ibid.* In ea Synodo Gothofredum Mediolanenſis Eccleſiæ invaſorem excommunicat *ibid.* Item Robertum Calabriæ Ducem *ibid.* Ottonem Conſtantienſem Epiſcopum Romam citàt 562. Cenſum à Duce Bohemiæ S. Petro promiſſum recipit *ibid.* Solicitus eſt pro Eccleſia Orientali *ibid.* Item pro Hungariæ Regno *ibid.* Scribit ad Geiſam Hungariæ Regem *ibid.* Legatos in Poloniam mittit 563. Romæ ſecundam Synodum celebrat *ibid.* Decretum in ea edit contra inveſtituras 564. Illud Henrico Germaniæ Regi intimari curat *ibid.* In eadem Synodo decretum edit contra Sacerdotes fornicarios 565.

Digitized by Google

Greg. VII in Eccl.capitur *ibid.* Proditori petenti veniam concedit 566. Liberatur & Miſſam perficit *ibid.* Saxones à rebellione in Henricum Regem avertere conatur *ibid.* Henricum urget ut promiſſis ſtet 567. Eum ad cauſam dicendam Romam vocat *ibid.* In conciliabulo VVormatienſi deponitur *ibid.* Hæc depoſitio Gregorio intimatur 568. Gregorius Henricum Regem excommunicat in Synodo Rom. tertia *ibid.* Eum etiam deponit 569. Depoſitionis probationes adducuntur *ibid.* Multi ad Gregorium PP. tranſeunt 570. Trajectenſis Epiſcopi contra Gregorium dicentis terribilis mors *ibid.* Gregorius ſolicitus eſt pro Henrico Rege *ibid.* Ad colloquium invitatur à Principibus Germaniæ *ibid.* Henricum Regem abſolvit 571. Sub jure jurando 572. Abſolutionis conditiones *ibid.* Gregorius canonicè ſe purgat per Corpus Chriſti *ibid.* Eandem purgationem Henrico Regi fruſtra offert 573. Henricum coronari petentem non exaudit *ibid.* Liberum tranſitum ab Henrico pro colloquio cum Principibus Germaniæ obtinere non poteſt 574. Legatos ad conventum Forcheimenſem mittit *ibid.* Robertum Apuliæ Ducem Eccleſiæ reconciliat 575. Cum eo fœdus init 576. Dignitatem Imperialem ei promittit *ibid.* Quartam Romæ Synodum cogit 577. Deinde quintam *ibid.* In hac quinta Synodo Rom. Berengarium hæreſiarcham audit *ibid.* In eadem Berengarii profeſſionem fidei recipit 578. Ejus ſtudium erga Danos *ibid.* Romæ ſextam Synodum celebrat, in qua Berengarius tertiam fidei profeſſionem emittit *ibid.* Ex ea Synodo Legatos in Germaniam mittit 579. Lugdunenſis Eccleſiæ Primatum confirmat *ibid.* Boleſlaum Poloniæ Regem ob S. Stanislai eadem Regia dignitate privat *ibid.* Non vult Divinum Officium ſclavonicâ linguâ celebrari 580. Synodum ſeptimam Romæ celebrat, in qua audiuntur querelæ contra Henricum Regem *ibid.* In ea Henricum excommunicat & deponit *ibid.* In eadem Rodulphum Germaniæ Regem in dignitate Regia confirmat 581. Decretum contra inveſtituras in eadem Synodo renovat *ibid.* Trium Epiſcoporum depoſitionem in eadem confirmat *ibid.* A' Schiſmaticis deponitur, & Antipapa eligitur *ibid.* Gregorius perpetuæ pacis fœdus cum Roberto Calabriæ Duce pangit 582. Octavam Synodum Romæ habet *ibid.* Gregorii ſolicitudo 583. A' Roberto Calabriæ Duce auxilium petit *ibid.* Ab Henrico Rege Romæ obſidetur 584. Leonina urbe capta ad Palatium Lateranenſe ſe recipit *ibid.* Nonam Synodum celebrat 585. E' Laterano pellitur *ibid.* In caſtellum S. Angeli ſe recipit 587. In eo obſidetur *ibid.* A' Roberto Duce Calabriæ liberatur *ibid.* S. Anſelmum Lucenſem Epiſcopum ad abſolvendos ſchiſmaticos in Longobardiam mittit 588. Sententiam in Henricum latam non reſcidit *ibid.* Suam mortem prævidet *ibid.* Succeſſorem deſignat *ibid.* Piè moritur 589. Ante mortem mitram ſuam S. Anſelmo Lucenſi mittit *ibid.* Ante & poſt mortem miraculis claruit *ibid.* Ejus laudatores & vitæ ſcriptor *ibid.* Cultui publico donatur 590. Ejus ſepulchrum *ibid.* Non eſt auctor Dictatûs ipſi adſcripti *ibid.*

Hildericus ultimus Merovingorum Rex in Monaſterium truditur 296. *& ſeq.*

Hincmarus Remenſis Archiep. Pallium ad uſum quotidianum à Leone IV non accepit 367. Sueſſionenſis Synodi confirmationem à Leone IV obtinere fruſtra tentat 368. Ejus confirmationem à Benedicto III per obreptionem obtinet 375. VVlfadi & Sociorum in ea depoſitorum reſtitutionem impedire fruſtra tentat 386. Hincmaro nepoti Epiſcopatum Laudunenſem procurat 403. Eum Carolo Calvo Regi reconciliat *ibid.* Excommunicationem ab Hincmaro nepote latam irritat 404.

Hincmarus Junior Hincmari Remenſis nepos fit Epiſc. Laudunenſis 403. A' Caroli Calvi gratia excidit, & quare *ibid.* Queritur de Carolo Rege apud Hadrianum II PP. *ibid.* Excommunicatio ab eo lata irritatur ab Hincmaro Remenſi 404. Hincmarus ad Sedem Apoſtolicam appellat *ibid.* Hadrianum PP. faventem habet *ibid.* In Synodo Duziacenſi deponitur *ibid.* Oculis privatur 208. Ei Joannes VIII permittit ut ſacrum faciat, et parte redituum Epiſcopatus fruatur 410. Moritur *ibid.*

Hiſpalenſis Epiſcopus fit Vicarius Sanctæ Sedis 117. & 138.

Hiſpanorum Epiſcoporum in Sedem Apoſtolicam reverentia 115.

Hiſpaniæ Regum benedictio Sæculo octavo antiquior 297.

Honorius Imp. Pelagiſ, Cœleſtium, & ſectatores Româ pelli jubet 81. Pontificis Rom. electioni ſe immiſcet, & qua occaſione 85. Stat pro Eulalio contra S. Bonifacium legitimè electum *ibid.* De veritate certior factus utrumque Ravennam vocat *ibid.* Bonifacium Sedi ſuæ reſtituit *ibid.* Eccleſiæ quieti proſpicit pro futura electione *ibid.* Conſtitutionem emittit contra Pelagianos 86. Zozimi PP. Tractoriam contra illos ab omnibus ſubſcribi vult *ibid.* Obtinet à Theodoſio Imp. reciſionem legis, quâ jura Illyrici Pontifici Rom. auferebantur 87.

Honorius conſecratur Pontifex Rom. 209. Laborat pro reſtitutione Adaloaldi Longobard. Regis Catholici 210. Cantuariæ & Eboraci Epiſcopis Pallium mittit *ibid.* Anglorum Orientalium, & Saxonum Occidentalium converſioni operam dat *ibid.* Scotos de errore Paſchatis celebrandi admonet 211. Ejus monita non fuere irrita *ibid.* Gradenſem Patriarcham conſecrat *ibid.* Sergii Epiſcopi Cp. Monothelitarum parentis literas recipit 211. Ad eas reſpondet 213. Sophronii Jeroſolymorum Epiſc. Legatos pro Monothelitarum cauſa ſuſcipit *ibid.* Secundò ſcribit ad Sergium *ibid.* Incipientem Monotheliſmum non extinxit 214. Negligens fuit in cauſa fidei *ibid.* Ejus œconomia Monothelitis favebat *ibid.* Ob id, non propter hæreſim, à ſexta Synodo damnatus eſt 215. Duæ ejus ad Sergium Epiſtolæ examinantur *ibid.* Maronitis Patriarcham conſecravit, ex quo ejus orthodoxia demonſtratur 216. Moritur 217. Ejus in Eccleſiam munificentia *ibid.* Ejus opuſcula *ibid.* Pro Honorio PP. Apologiam ſcripſit Joan. IV PP. 220. Honor. œconomia ſimilis œconomiæ Typi ſub Conſtantis Imp. nomine promulgati 224. Excuſatio pro Honorii œconomia rejicitur *ibid.* Honorius damnatus à Synodo, ſexta non ut hæreticus & quare 243. Nonniſi primæ Sedis auctoritate damnatus eſt 245.

Honorius II, vide Lambertus Oſtienſis Epiſcopus.

Hormiſdas fit Papa 134. Anaſtaſii Imp. literas pro pace Eccleſiæ recipit *ibid.* Ad eum Legatos mittit *ibid.* Legati illi re infecta redeunt, & quare 135. Legatos Anaſtaſii recipit *ibid.* Alios Legatos ſed fruſtra ad Anaſtaſium dirigit *ibid.* Dolet de ſcelere commiſſo in Maronitas 136. Ab Hæreticis Pacem inter utramque Eccleſiam conciliat 137. Acacii, Euphemii, & Macedonii Epiſcoporum Cp. nomina è diptychis expungi curat *ibid.* Theſſalonicenſem Epiſcopum Vicariatu Sedis Apoſtolicæ per Illyricum privat *ibid.* Ad Hormiſdæ communionem redeunt Illyrici & Dardani Epiſcopi 138. Hormiſdas Tarraconenſi, & Hiſpalenſi Epiſcopis vices ſuas committit *ibid.* Decretalem ad Hiſpanos ſcribit *ibid.* Uſque ad adventum ſuorum Legatorum Cpoli agentium judicium in cauſa Monachorum Scytharum ſuſpendit 139. Ad conſultationem de Fauſti Libris Poſſeſſori reſpondet 140. Moritur *ibid.* Non eſt Auctor decreti de libris recipiendis & non recipiendis 123. *& ſeq.*

S. Hubertus Leodienſis Epiſcopus à Sergio PP. non eſt ordinatus 265.

Hubertus Boſonis Comitis filius Subdiaconus à Benedicto III Romam citatur 375.

Hugo Archiepiſcopus Lugdunenſis Victorem III calumniis appetit 591. Ab ejus communione ſe ſejungit *ibid.*

Digitized by Google

H

Hugo Heriberti Comitis filius ordinatur Remenſis Archiep. ejecto Artaldo 447. Pallium à Stephano VIII recipit *ibid.* Epiſcopatu deturbatur 449. Subdoiè obtinet ab Agapito II ut ſedeat in Epiſcopatu *ibid.* Anathematizatur à Synodo Ingelenheimenſi 450. Arthaldo mortuo fruſtra tentat in Epiſcopatum reſtitui 454.

S. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus ab Innocentio II canonizatur 681. S. Hugonis vitæ Summarium 682.

Hugo Provinciæ Comes fit Rex Italiæ 442. Cum Joanne PP. fœdus init *ibid.* Maroziæ nubit 444. Albericum Maroziæ filium male habet *ibid.* Cum eodem Alberico pacem facit, eique filiam ſuam in matrimonium dat 446. Pax iterum inter eos diſturbatur 448.

Hugo Comes Ludovico Tranſmarino Franciæ Regi rebellis in Synodo Ingelenheimenſi excommunicatur 450. Hæc excommunicatio à Trevirenſi Synodo confirmatur *ibid.*

Hugo Magnus Viromanduorum Comes ad expeditionem Jeroſolymitanam pergens ad Urbano II vexillum S. Petri recipit 613.

Humbertus Abbas Mediani Monaſterii Romam à S. Leone IX ducitur 514. Ab eo ordinatur Archiepiſcopus pro Siculis *ibid.* Jam Cardinalis, & Sylvæ Candidæ Epiſcopus Cpolim à S. Leone IX contra hæreſim Fermentaceorum mittitur 522. Annus mortis ejus 541.

Humolarienſes Sanctimoniales à Monaſterio pulſæ, & Monaſterium Abbati Regulari conceditur 452.

Hunericus Vandalorum Rex in Africa perſecutionem excitat 122. Moritur *ibid.*

S. Hyginus dicitur Papa 14. Ejus conſtitutum de Clero *ibid.* Sub eo Valentinus & Cerdo Hæreſiarchæ Romam pergunt *ibid.* Nihil de Patrinis in baptiſmo decrevit 15. Duæ decretales ipſi ſuppoſitæ *ibid.*

Hymnus Sanctus Sanctus &c. Sacerdote incipiente à populo decantatur 13. Hymnum illum dici debere in omnibus Miſſis ſtatuit Concilium Vaſenſe *ibid.*

Hymni Gloria in Excelſis Deo, &c. priora verba Angelorum voce ad nos derivata 13. Cætera non addidit Teleſphorus PP. *ibid.* Sed ab Eccleſiaſticis doctoribus compoſita 14. Totius hymni meminit S. Athanaſius *ibid.*

I

IBas Edeſſenus Epiſc. in pſeudo-Synodo Epheſina damnatur 106. Abſolvitur in Actione nona Concilii Calchedonenſis 108. Quid contineret ejus Epiſtola ad Marim Perſam 158. Quid de ea cenſeat Vigilius PP. in ſuo conſtituto 169. Diſcutitur à Synodo quinta *ibid.* In ea damnatur *ibid.*

Iconoclaſtarum hæreſis à quibus & quando exorta 281. Eò acerbior fuit quò ab Imperatoribus proceſſit *ibid.* Damnatur à Gregorio II in Synodo Rom. 284. Item à Gregorio III ejus ſucceſſore 287.

Jejunium quadrageſimale ex Apoſtolorum traditione acceptum 14.

Jeroſolymitanum Concilium tempore Apoſtolorum 2. Ei præeſt S. Petrus *ibid.* Decreta in eo *ibid.*

Jeroſolymitanæ expeditionis pro recuperatione Terræ Sanctæ præludium quoddam ſub Gregorio VII PP. 562. Ejus expeditionis cauſà præcipuè indicitur ab Urbano II Claromontanum Concilium 607. Ejuſdem expeditionis auctor vel incentor Petrus Eremita 608. In ea expeditione Crux ſumitur pro teſſera militari *ibid.*

Jeroſolyma quibus anno & die à Godefrido Buillonio capta 617. S. Ignatius Epiſc. Antiochenus Martyr ſub Trajano 11.

S. Ignatius Patriarcha Cpolitanus Gregorium Epiſc. Syracuſanum deponit in Synodo, ejuſque depoſitionis confirmationem à Benedicto III obtinet 374. E' Sede dejicitur, ejuſque Sedem invadit Photius 377. A' Synodo Latrocinali Cpolitana damnatur & exauctoratur 378. Fugit, & ad Nicolaum PP. appellat *ibid.* A' Nicolao PP. in priſtinum gradum reſtituitur 379. Photio ejecto in executionem ſententiæ Nicolai PP. in Sedem reſtituitur a Baſilio Imp. 380. Scribit ad Nicolaum & Pontificis Rom. primatum in univerſa Eccleſia agnoſcit 381. Concilio Generali octavo Cpoli celebrato adeſt 395. Bulgariam Cpolitanæ Sedi ſubjici pronunciat 400. Ob id graviter arguitur ab Hadriano PP. 401. Decretorum Concilii Generalis diſpenſationem ab Hadriano II fruſtra petit *ibid.*

Illiberitani Concilii epocha, auctoritas & Canones 35.

Illyricum tam Orientale, quàm Occidentale Pontifici Rom. ſubditum 64. 138. 145. Theodoſius Imp. illud in Patriarcham Cp. lege transfert 87. Sed ad preces Honorii Imp. eam legem reſcindit *ibid.* Illyrium in Spiritualibus ſubditur Antiſtiti Primæ Juſtinianæ à Vigilio PP. 157. Per vim à Leone Iſauro ab Eccleſia Rom. diſtrahitur 285.

Illyrici Epiſcopi pro Tribus Capitulis ſtant 161. Synodum pro iis celebrant 162. Synodum quintam recipiunt 174.

Imaginum uſus in veteri Eccleſia parum frequens & quare 280. Ceſſante periculo idololatriæ frequentius uſurpatur 281. Imago Chriſti ænea jubente Leone Iſauro dejicitur 283. Imagines ſumptuosè à Gregorio III in Baſilica S. Petri erectæ 288. In pſeudo-Synodo Cpolitana damnantur 304. Earum cultus in Synodo Rom. ſub Stephano III ſancitur 312. Honorariam duntaxat adorationem eis exhibendam definitur in Concilio Nicæno ſecundo 326. Francofordienſis Synodi ſub Hadriano PP. ſecundus canon de eo cultu explicatur 328. & ſeq.

Imperatores quandoque ſecundò & tertiò coronati poſt Juſtinum Imperatorem 141.

Imperatores Franci Occidentis à Pontifice Rom. coronati 337. Ex conceſſione Pontificum urbi dominabantur *ibid.*

Imperatores Germani ter, imo & quater coronati 337. A' Romanis electi 407. Antequam inungerentur, Reges tantùm dicti *ibid.*

Imperatorum electiones approbare, vel reprobare poteſt Romanus Pontifex 476.

Ina Saxonum Occidentalium Rex Regnum ſuum Eccleſiæ Rom. vectigale facit 280. Scholam Anglorum Romæ fundat *ibid.*

Inceſtuoſorum hæreſis ab Alexandro II in Synodo Rom. damnatur 547. Iidem inceſtuoſi in alia Synodo Rom. ab eodem Papa excommunicati *ibid.*

Indictio quo tempore in literis Pontificum Rom. primò notata 183.

Indulgentia Baſilicis Lateranenſi & S. Sebaſtiani à S Silveſtro conceſſæ commentitiæ 39.

Indulgentia trium annorum & trium quadragenarum à Sergio II conceſſa valde dubia 362. Indulg. ſtationum S. Gregorio M. perperam tributæ 363.

Indulgentia Sæculo X indefinitè conceſſæ 363. Ad certum tempus Sæculo XI definitæ *ibid.* Sæculo XII & ſequentibus plenariæ datæ *ibid.*

Indulgentia ab Epiſcopis dari ſolitæ 364. Ad qudraginta dies coarctatæ *ibid.*

Indulgentia plenaria Beatæ Mariæ de Portiuncula ab Honorio III conceſſa 363.

Indulgentia notabilis ab Alexandro II data pugnaturis contra Infideles 547.

S. Innocentius fit Papa 69. Jejunium ſabbati obſervari decreto ſtatuit *ibid.* & ſeq. Conſtitutum facit de regulis Monaſteriorum *ibid.* Ejus decretalis ad Victricium Epiſc. Rotomagenſem ſincera *ibid.* Quo anno data *ibid.* Quædam ejus decreta explicantur *ibid.* Ejus decretalis ad Exuperium Toloſanum ſeptem decreta continet *ibid.* & ſeq. Tertia ejus decretalis ad Decentium

Eu-

Eugubinum explicatur 70. Ejuſdem decretalis quintum decretum de Euchariſtia explicatur *ibid.* Quædam aliæ ejus decretales recenſentur 73. Innocentius judicium contra S. Joannem Chryſoſtomum in Synodo latum caſſat 74. Item ſecundum judicium *ibid.* Hæc judicia irritat extra Synodum & quare *ibid.* Arcadium Imp. & Eudoxiam Aug. non excommunicavit 75. Atticum Epiſc. Cpolitanum non recepit in communionem *ibid.* Legatus ad Honorium Imp. pro pace cum Alarico Gothorum Rege *ibid.* Pelagianum dogma damnat, & auctores à communione ſeparat *ibid.* & 78. Pelagium Romam non vocavit & quare *ibid.* Recipit Epiſtolas Synodicas Conciliorum Africæ 77. Recipit etiam literas familiares quinque Epiſcoporum *ibid.* Ad eas reſpondet *ibid.* Nullam convocavit Synodum ad damnandum Pelagium 78. Theſſalonicenſem Epiſc. S. Sedis Vicarium conſtituit per Illyricum 79. Novatianis multas Eccleſias Romæ adimit *ibid.* Dedicat Eccleſiam SS. Gervaſii & Protaſii *ibid.* Moritur *ibid.*

Innocentius IV permittit Miſſam & officium Sclavonica lingua celebrari 393.

Inveſtitura Epiſcoporum à Leone VIII Ottoni Imp. falſò dicuntur conceſſæ 456. In Synodo Rom. ſecunda ſub Gregorio VII prohibentur 564. Ab eodem poſtea in Synodo Rom. ſeptima iterum prohibentur 581. Tum à Victore III in Concilio Beneventano 592. Tum ab Urbano II in Synodo Rom. 615.

Inveſtitura in Anglia à Paſchali II damnantur 623. Ab Henrico Angliæ Rege dimittuntur *ibid.* Ab eo Paſchali damnantur in Concilio Beneventano 632. Tum in Lateranenſi 633. Inveſtiturarum privilegium extorquet Henricus V Imp. à Paſchali II PP. 637. Inveſtituræ prohibentur ab alio Concilio Lateranenſi ſub eodem Papa *ibid.* Item à Concilio Viennenſi ſub Guidone Archiep. *ibid.* Item in Concilio Lateranenſi altero ſub eodem Paſchali *ibid.* Inveſtituras diſpenſatione minimè damnanda à Paſchali Papa potuiſſe concedi cenſent plures Gallicani Epiſcopi 635. Inveſtituræ dimittuntur ab Henrico V Imp. 657. Tenor earum reſtitutionis à Concilio Lateranenſi primo, generali nono, confirmatur 659.

S. Joannes Apoſtolus à Domitiano in Pathmos inſulam relegatur 10. Ibi Apocalypſim ſcripſit *ibid.* Romæ in ferventis olei dolium immittitur *ibid.* S. Joannis tunica Romam defertur 189.

Joannes Antiochenus Epiſc. de induſtria accedit ad Concilium Epheſinum poſt primam Actionem 95. Epheſi Conciliabulum celebrat 96. S. Cyrillum in eo deponit, & tentat impedire ne Miſſam celebret *ibid.* Excommunicatur in Synodo Epheſina 97. Sedi ſuæ reſtituitur 98. Cum S. Cyrillo pacem init 99.

Joannes Apamenus fit Antiochenus Epiſc. 118. è Sede dejicitur *ibid.*

Joannes Cappadox Patriarcha Conſtantinopolitanus fidei profeſſionem ad Hormiſdam PP. mittit 136. Libellum fidei Legatis Hormiſdæ dat pro pace Eccleſiæ *ibid.*

S. Joannes Chriſoſtomus ſemel & iterum Epiſcopatu Cpolitano deponitur 73. de utroque judicio ad Innocentium PP. appellat 74.

Joannes Jejunator Patriarcha Conſtantinopolitanus Synodum Conſtantinopoli celebrat, in qua œcumenici ſeu univerſalis titulum ſibi arrogat 181. Hæc Synodus à Pelagio II PP. caſſatur *ibid.* Joannes Jejunator à S. Gregorio ob uſurpatum titulum univerſalis increpatur 193.

Joannes Lappe Epiſcopus à Metropolitano ſuo depoſitus, à Vitaliano PP. in ſedem reſtituitur 236.

Joannes Maro, qui vixit Sæculo ſeptimo, non fuit hæreticus, ſed primus Patriarcha Maronitarum 66. Ab eo Maronitæ denominationem non acceperunt *ibid. & ſeq.*

S. Joannes dicitur Papa 140. A' Theodorico Italiæ Rege Conſtantinopolim mittitur *ibid.* Quid à Juſtino Imp. petierit, & quid non petierit 141. Cpoli Latinum ritum adhibet *ibid.* Juſtinum Imp. coronat *ibid.* Multa tum in itinere, tum Cpoli miracula patrat 142. Martyr moritur *ibid.* Epiſtolæ duæ ipſi affictæ *ibid.*

Joannes II fit Pontifex Romanus 147. Edictum contra ſimoniacos ab Athalarico Italiæ Rege obtinet *ibid.* Monachorum Scytharum propoſitionem examinat *ibid.* Eam approbat 148. Acæmetas Monachos damnat *ibid.* Confirmat judicium S. Cæſarii contra Contumelioſum Regienſem Epiſc. 149. Joannis precibus ſe commendat Caſſiodorus Senator *ibid.* Africani Epiſcopi Synodicam ſuam ad Joannem PP. mittunt 150. Joannis PP. obitus *ibid.* Epiſtola ei ſuppoſita *ibid.*

Joannes III Eccleſiæ Rom. præficitur 175. Appellationem admittit duorum Epiſcoporum in Gallia depoſitorum *ibid.* Synodum Quintam defendit, & approbat 176. SS. Duodecim Apoſtolorum Baſilicam perficit *ibid.* Moritur *ibid.* Epiſtolæ ei falſò adſcriptæ *ibid.*

Joannes IV Papa creatur 219. Antequam ordinetur ſcribit ad Scotos de Paſchate *ibid.* Item de hæreſi Pelagiana apud eos reviviſcente 220. Romæ Concilium celebrat, in quo Monothelitas & Ecteſim Heraclii damnat *ibid.* De ea damnatione ſcribit ad Pyrrhum Epiſcopum Conſtantinopolitanum *ibid.* Pro Honorio PP. Apologiam ſcribit *ibid.* Ad ejus petitionem Conſtans Imperator Ecteſim comburi jubet 221. Diſſidium inter Clericos & Monachos in horum favorem dirimit *ibid.* Captivos redimit, & SS. Reliquias ex Dalmatia Romam transfert *ibid.* Ad Deum tranſit *ibid.*

Joannes poſtea Papa hujus nominis V, Legatus Agathonis PP. ad ſextam Synodum Generalem 240. Fit Pontifex Rom. ſub Joannis V nomine 256. Turritanam Eccleſiam in Sardinia Apoſtolicæ Sedis ditioni redintegrat 257. Moritur *ibid.*

Joannes VI Sergio PP. ſuccedit 267. Eximitur à furore Exarchi Ravennæ *ibid.* Captivos à Giſulpho Beneventi Duce factos redimit *ibid.* Synodum Romæ cogit pro S. VVilfridi Epiſc. Eborac. cauſa *ibid.* Proviſorio Decreto S. VVilfridum abſolvit, & decretum in Angliam mittit 268. Moritur 269.

Joannes VII dicitur Papa 269. Synodi Quini-Sextæ canones confirmare recuſat *ibid.* Alpium Cottiarum reſtitutionem ab Ariberto Longobard. Rege obtinet 270. E' vita migrat *ibid.*

Joannes fit Patriarcha Cpolitanus in locum Pauli depoſiti 273. In pſeudo Synodo Cpolitana œconomia uſus eſt *ibid.* Eam œconomiam excuſat *ibid.* Ejus Synodicam recipit Gregorius II PP. 275. Moritur *ibid.*

Joannes Philadelphiæ Epiſc. fit Vicarius S. Sedis à S. Martino PP. 228.

Joannes Portuenſis Epiſc. Legatus Synodi Occident. ad Sextam Synodum Generalem 240. Poſt Synodum Miſſam latinè Cpoli celebrat 247. Fuit unus ex conſecratoribus Leonis II PP. 248. Ac etiam Joannis V PP. 256.

Joannes Regii Epiſcopus Legatus Synodi Occident. ad Sextam Synodum Generalem 240.

Joannes Talaja fit Epiſc. Alexandrinus 118. Literas Synodicas ad Simplicium PP. mittit *ibid.* Non item ad Acacium Cp. Epiſc. 119. Sede pellitur, & ad Pontificem Rom. appellat *ibid.* Romam pergit *ibid.* Supplicem libellum Felici III porrigit 120. Eccleſiæ Nolanæ præficitur, ibique obit 122. Apologiam ſcripſit contra hæreſim Pelagianam, quam Gelaſio PP. nuncupavit 124.

Joanna pſeudo-Papiſſa vix hodie defenſa 369. Anaſtaſio Bibliothecario incognita fuit 370. Item Hincmaro Remenſi Archiep. *ibid.* Item omnibus Scriptoribus latinis noni ſæculi *ibid.* Græcis etiam Romanæ Sedis hoſtibus eodem Sæculo viventibus *ibid.* Item Græcis & Latinis ſequentium Sæculorum 371.

Joanna Papiſſæ fabula Auctor non eſt Marianus Scotus

tus 371. Neque Sigebertus, neque Vincentius Bellovacenſis *ibid.* Neque Martinus Polonus 372. Ejus origo Valdenſibus hæreticis tribuenda *ibid.* Ea fabula Sæculo XV novis figmentis aucta *ibid.*

Joannes VIII ordinatur Pontifex Rom. 406. Ravennæ Concilium celebrat *ibid.* Carolum Calvum Imperatorem coronat *ibid.* Ejus electionem in Imperatorem confirmari curat in Ticinenſi, & Pontigonenſi Synodis *ibid.* Anſegiſum Archiep. Senonenſem Primatem in Galliis dicit 407. Formoſum Epiſcopum Portuenſem damnat *ibid.* Romæ Synodum celebrat, in qua Imperium Carolo Calvo confirmat *ibid.* Cum eo Vercellis colloquium habet & Romam redit 408. Synodum Duziacenſem confirmat *ibid.* Ravennæ Synodum celebrat *ibid.* Saracenis tributum ſolvere cogitur 409. Imò & Româ exire *ibid.* In Galliam pergit *ibid.* Trecis Synodum habet 410. Burdigalenſem Epiſc. ad eam citat *ibid.* Permittit Hincmaro Laudunenſi cæco ut ſacrum faciat & parte reddituum Epiſcopatûs fruatur *ibid.* Ludovicum Balbum Franciæ Regem non Imperatorem coronat *ibid.* VValæ Metenſi Epiſcopo pallium concedit 411. Romam redit *ibid.* Poſt mortem Caroli Calvi Imp. cogitat de Regis Italiæ electione *ibid.* Legatos Cpolim mittit pro cauſa Photii, qui mortuo S. Ignatio thronum Cpolitanum invaſerat 412. Photium in Sedem reſtituit *ibid.* Cur Photio faveret *ibid.* Ob Photii reſtitutionem non culpandus 413. Acta à Photio in pſeudo-Synodo Cpolitana caſſat, eumque novo anathemate damnat *ibid.* Methodium Moravorum Epiſc. Romam vocat 414. Permittit Moravis ut Officia Divina & Miſſam Sclavonica lingua celebrent 392. & 414. Auxilium petit à Carolo Craſſo Germaniæ & Italiæ Rege contra Saracenos *ibid.* Eum Imperatorem coronat *ibid.* Ovetenſem Eccleſiam Galleciæ Metropolim dicit 415. Conſtitutionem edit de jure Cardinalium S. R. Eccleſiæ *ibid.* Moritur *ibid.*

Joannes IX fit Summus Pontifex 431. Synodum Romæ celebrat *ibid.* In ea Acta contra Formoſum reſcindit *ibid.* Imperium Lamberto confirmat, & Berengario aufert in eadem Synodo 432. in eadem decretum edit de ordinatione Pontificis coram Legatis Cæſareis facienda *ibid.* Concilium Ravennæ celebrat *ibid.* Scribit ad Stephanum Cæſareæ Metropolitam *ibid.* Argrinum in Epiſcopatum Lingonenſem reſtituit 433. Patavienſem Epiſcopatum in quinque dividit *ibid.* Reſpondet ad conſulta Henrici Remenſis Archiepiſcopi *ibid.* Mortalitatem exuit *ibid.*

Joannes X inthronizatur Pontifex 440. Saracenos è Gariliano monte pellere meditatur *ibid.* Berengarium Italiæ Regem Romam vocat *ibid.* Eum Auguſtum coronat *ibid.* Saracenos è Garilano monte deturbat 441. Altheimenſi Concilio per Legatum præſidet *ibid.* Legatum Compoſtellam mittit 442. Pacem cum Eccleſia Cpolitana reſtituit *ibid.* Archiepiſcopis Hamburgenſi & Remenſi Pallia mittit *ibid.* Controverſiam de Epiſcopatu Tungrenſi judicat *ibid.* Cum Hugone Italiæ Rege fœdus init *ibid.* In carcerem truditur & ſuffocatur *ibid.* Sedis ejus duratio 443.

Joannes XI Stephano VIII ſuccedit 444 Abbatiam Cariloci Monaſterio Cluniacenſi ſubjicit *ibid.* Artaldo Remenſi Archiep. Pallium mittit *ibid.* Ab Alberico fratre cuſtodiæ traditur *ibid.* Moritur 445.

Joannes XII, antea Octavianus, Romanam Sedem occupat 452. In Principem Capuanum bellum movet *ibid.* Reſcriptum emittit pro Monaſterio Humolarienſi *ibid.* S. Dunſtanum Epiſcopum Cantuarienſem Pallio donat *ibid.* Ottonem Germaniæ Regem in Italiam vocat 453. Imperatorem eum coronat *ibid.* Reſpondet ad Synodi Meldenſis conſultationem 454. Ottone Romam veniente fugit *ibid.* In pſeudo-Synodo Rom. deponitur *ibid.* Romam intromittitur, & moritur *ibid.*

Joanes XIII creatur Pontifex 457. Roma pellitur 458. Capuam Metropolim dicit *ibid.* Legatum in Poloniam mittit *ibid.* Romam redit *ibid.* Ravennæ Concilium celebrat *ibid.* Magdeburgum Metropolitica dignitate ornat 459. Ottonem Ottonis Imp. filium Romam vocat *ibid.* Eum coronat Imperatorem *ibid.* Sororem Ducis Bohemiæ Abbatiſſam conſecrat 460. Scribit ad eumdem Ducem pro inſtitutione Pragenſis Epiſcopatus *ibid.* Non eſt author benedictionis campanarum *ibid.* Legationem Cpolim mittit pro conjugio Ottonis Junioris *ibid.* Theophaniam Ottonis junioris conjugem Auguſtam coronat 461. Beneventanam Sedem Archiepiſcopalem dicit *ibid.* Pontificalium ornamentorum uſum Abbati Metenſi concedit *ibid.* Londinenſe Concilium confirmat 462. Moſomenſe cœnobium Apoſtolico privilegio munit *ibid.* E' vivis excedit *ibid.*

Joannes XIV dicitur Romanus Pontifex 467. A Bonifacio VII Antipapa incarceratur, & occiditur *ibid.*

Joannis XV Pontificatûs epocha 469. Joannes XV, non XVI appellandus, & quare *ibid.* Joannes à Creſcentio tyrannidem Romæ exercente vexatur *ibid.* Hamburgenſi Archiep. Pallium mittit 470. Adalbertum Pragenſem Epiſc. ad Sedem ſuam redire jubet *ibid.* Inter Angliæ Regem, & Normanniæ Ducem pacem conciliat *ibid.* S. Udalricum Auguſtenſem Epiſc. canonizat, & primus ſolemnibus canonizationibus dat initium *ibid.* Epiſcopos qui Arnulphum Remenſem Archiep. Sede dejecerant à ſacris abſtinere jubet 472. Legatum mittit pro reſtitutione Arnulphi *ibid.* Moritur *ibid.* Ejus doctrina, & rei militaris peritia *ibid.*

Joannes Roberti filius eligitur Pontifex 468. Cur inter Pontifices non numerandus 469.

Joannes XVI Antipapa Apoſtolicam Sedem invadit 477 Româ fugiens capitur, & lingua, naribus, oculiſque privatur 481. Ejus patria, & corrupti mores *ibid.* Ejus ſchiſmatis finis *ibid.* Quare dicendus Joannes XV, licèt Antipapa, *ibid.* Epitaphium ipſi adſcriptum eſt Joannis XVII PP. *ibid.*

Joannes XVII fit Papa 485. Sicco antea dicebatur *ibid.* Illuſtri loco natus erat *ibid.* Ejus mors *ibid.* Epitaphium alteri Joanni tributum ipſi reſtituitur *ibid.*

Joannes XVIII excipit Joannem XVII 486. Legatum mittit pro ordinatione Archiepiſcopi Magdeburgenſis *ibid.* S. Elphegum Cantuarienſem Archiep. Pallio donat, & propria ſtola circumdat *ibid.* Bambergenſis Epiſcopatus inſtitutionem confirmat *ibid.* S. Brunonem ad Ruſſos Apoſtolum deſtinat, eique Pallium mittit 487. Bellilocenſi Monaſterio privilegium concedit *ibid.* Communionem Eccleſiæ Cpolitanæ cum Romana procuravit *ibid.* Vitam cum morte commutat 488.

Joannes XIX Benedicto VIII fratri germano ſuccedit 495. Erat antea tantùm laicus *ibid.* *Univerſalis* titulum Eccleſiæ Cpolitanæ concedere recuſat 496. Conrado Germaniæ Regi in Italiam venienti occurrit *ibid.* Eum Imperatorem coronat *ibid.* Canuto Angliæ Regi pro Anglis privilegia concedit 497. Conſulitur an S. Martialis Lemovicenſis Epiſcopus Apoſtolus, vel Confeſſor dicendus ſit *ibid.* Apoſtolum dicendum definit 498. Gerundenſi Epiſcopo Pallium mittit *ibid.* Epiſcopalem Sedem Pampilonæ reddit *ibid.* S. Odiloni jubet, ut Lugdunenſem Epiſcopatum acceptet *ibid.* Extremum diem claudit 499.

Joannes Sabinenſis Antipapa, vide Silveſter III.

Joannes Archipresbyter, poſtea Papa ſub nomine Gregorii VII, vide Gregorius VI.

S. Joannes Gualbertus à Stephano IX PP. vocatur 532.

Joramirus Pragenſis Epiſc. ab Alexandro II deponitur, et poſtea reſtituitur 554.

Jovinianus Hæreſiarcha à Siricio PP. damnatur 63. Ejus errores *ibid.* Damnatur etiam à S. Ambroſio in Concilio Mediolanenſi *ibid.*

Irenes Imperatrix Orientis in Monaſterium relegatur 338.

S. Irenæi Lugdunenſis Epiſc. operâ Aſiani à Victore PP. reconciliantur Eccleſiæ 19. S. Irenæus Martyr ſub Severo Imp. 20.

Digitized by Google

I

Irenes Imperatrix Conſtantinopolit. ſacras Imagines propugnandi facultatem facit 322. Scribit ad Hadrianum PP. pro celebratione ſeptimæ Synodi generalis *ibid.* Synodum Cpoli Nicæam transfert 324.

Irmingarda Regina Franciæ à Stephano IV PP. ungitur in Imperatricem 343.

Iſtria, & Venetiarum Epiſcopi Tria Capitula defendunt 177. n Concilio Gradenſi à ſchiſmate recedere nolunt 178. Ad Mauritium Imp. confugiunt 179. Ad eundem eadem de cauſa iterum confugiunt 185.

Italia Provinciæ ab Imperatore deficiunt 283.

Italicarum rerum confuſio poſt mortem Caroli Craſſi 420.

Judæos vi ad fidem compelli vetat S. Gregorius M. 188.

Judæi ob immane ſcelus in Chriſti Imaginem Romæ juſſu Benedicti VIII decollati 492.

Judicatum Vigilii PP. contra tria Capitula 161. Quare in Collatione ſeptima Synodi quintæ non lectum 162.

Juditha Auguſta in Monaſterium truditur à filiis Ludovici Pii mariti 356. De objectis ſe purgat, & ad maritum, jubente Gregorio IV, redit *ibid.* Quare Gregorii PP. authoritas ad ejus abſolutionem neceſſaria 357.

Juditha Caroli Calvi Francorum Regis filia nubit Ethelvolpo Occidentalium Saxonum Regi 374. Poſt mortem ejus ipſius filium Ethelbaldum ducit 381. Rapitur in uxorem poſt mortem Ethelbaldi à Balduino Flandriæ Comite *ibid.*

S. Julius fit Pont. Rom. 47. S. Athanaſium, & Euſebii Nicomedienſis ſectatores Romam ad Synodum vocat 48. In ea S. Athanaſium innocentem declarat *ibid.* Item Marcellum Ancyranum *ibid.* Conſtanti Imp. Athanaſii cauſam commendat *ibid.* Ad Mediolanenſem Synodum Legatos mittit 49. In Romana Synodo Photinum damnavit *ibid.* Moritur *ibid.* Ejus ſcripta ſincera, & ſpuria *ibid.* Feſtum Natalis Chriſti diei XXV Decembris affixit *ibid.*

Julius Puteolanus Epiſc. S. Leonis Legatus ad Pſeudo-Synodum Epheſinam 106. Malè in ea ab hæreticis habetur *ibid.*

Juſtiniana Primæ Antiſtes fit Vicarius S. Sedis per Illyricum 157.

Juſtinianus Imperator adverſus Acæmetas Monachos Romam Legatos mittit 147. Fidei profeſſionem dat Agapeto PP. 152. Acridæ Patriæ ſuæ Antiſtiti vices Sedis Apoſt. committi procurat 157. Edictum contra Tria Capitula emittit 158. Vigilium PP. Cpolim vocat 159. Africanos Trium Capitulorum defenſores malè habet 163. Secundum contra Tria Capitula edictum emittit *ibid.* Conſentit ut Concilium Quintum celebretur pari Latinorum, & Græcorum numero 166. Ab ea ſententia diſcedens Synodum Quintam contra pacta conventa indicit *ibid.* Vigilium PP. in exilium mittit, & ex eo revocat 170. Pontificem Rom. confirmandi jus ſibi attribuit 173.

Juſtinianus II Imp. iterum ſubjicit Eccleſiam Rom. ſervituti expectandi conſenſûs Exarchi Ravenn. pro Pontificis ordinatione 255. Ejus divalis de repertis Actis Sextæ Synodi Cononi, non Joanni V directa 256. Juſtinianus à fide non defecit 258. Synodum Quini-ſextam celebrari jubet 261. Ejus Acta ad Sergium PP. mittit, ut eis ſubſcribat 263. Eum ſubſcribere recuſantem Cpolim per vim duci fruſtra jubet *ibid.* Imperio deturbatur, & in illud reſtituitur 269. Conſtantinum PP. Cpolim vocat 271. Summo cum honore eum ſuſcipit 272. Trullanorum Canonum decretis Eccleſiæ Rom. non adverſantium confirmationem ab eo obtinet *ibid.* Occiditur *ibid.*

S. Juſtinus Martyr ſub Marco Aurelio 17.

Juſtinus Imp. ſuam electionem Hormiſdæ PP. ſignificat 136. Legatum ad eum mittit pro pace Eccleſiæ *ibid.* Quid conceſſerit Arianis ne Catholici Romæ vexarentur 141. A Joanne PP. Cpoli coronatur *ibid.* Primus ex Imperatoribus à Pontifice Rom. coronatus eſt *ibid.*

Ivo ab Urbano II Carnotenſis Epiſcopus conſecratur 598. Inveſtituras à Paſchali II diſpenſatione non damnanda concedi potuiſſe cenſet 635.

Iuvavenſis Eccleſia, vide Saliſburgenſis.

K

S. Kilianus monachus Hibernus à Conone Papa Epiſcopus odinatur pro converſione Franconiorum 259. Gozbertum Franconiæ Ducem baptizat *ibid.* Martyrium patitur *ibid.* Ejus corpus Zachariæ PP. præcepto transfertur *ibid.*

Kilianus Sutrinus Epiſcopus Simoniacus in Synodo Romana ſub Leone IX divinitùs punitur 512.

Kolomannus Presbyter cum S. Kiliano in Franconia verbum Dei annuntiat 259. Martyrio coronatur *ibid.* Ejus corpus Zachariæ PP. præcepto transfertur *ibid.*

L

L*Aici* virtutibus inſignes in Pontifices eligi poterant 495.

Lambertus ſuccedit VVidoni patri in Regnum Italiæ, & in Imperium 424. Cum Berengario Longobardiæ Regnum partitur 425. Ejus Imperialis unctio confirmatur à Joanne IX PP. in Synodo Romana 432. Moritur *ibid.*

Lambertus eligitur Attrebatenſis Epiſcopus 602. Ab Urbano II conſecratur *ibid.* Fit Legatus Paſchalis II in Galliis pro abſolutione Philippi Regis 624. Philippum Pariſiis abſolvit 625.

Lambertus Oſtienſis Epiſcopus in Germaniam ſemel & iterum Legatus mittitur à Callixto II pro pace 656, & 658. Inthronizatur Pont. Rom. ſub Honorii II nomine 662. Ejus Patria, & primordia ante Pontificatum *ibid.* Confirmat diſſolutionem Matrimonii VVillelmi filii Roberti Normanniæ Comitis *ibid.* Tumultus à Pontio olim Abbate Cluniacenſi excitatos reprimit 663. Legatos mittit pro electione novi Germaniæ Regis poſt mortem Henrici V *ibid.* In Angliam, & in Scotiam Legatum dirigit 664. Rogerium Siciliæ Comitem, qui Apuliam invaſerat excommunicat *ibid.* Ab eo muneribus flecti non poteſt *ibid.* Inveſtituram Apuliæ ei juſtè negat 665. Cum copiis contra Rogerium pergit *ibid.* Eum Apuliæ Ducem creat *ibid.* Gerardum Cardinalem Beneventi præficit 666. Patriarchas Aquilejenſem, & Venetum deponit *ibid.* Legatum in Daniam mittit *ibid.* Beneventum pergit, & Romam redit *ibid.* Annus mortis ejus *ibid.* Dies mortis, & ſepulturæ 667.

Lando dicitur Pontifex Romanus, & moritur 439.

Landulphus Beneventanus Archiep. in Cyperanenſi à Paſchali II deponitur, & quare 638. In Sedem reſtituitur ab eodem Papa 640.

Lanfrancus ſcribit commentarium contra Berengarii hæreſim 516. Exponit fidem ſuam in Synodo Romana ſub Leone IX 517. Intereſt Concilio Vercellenſi contra Berengarium *ibid.* Pallium, quo Alexander II in Miſſarum celebratione utebatur, ab eo recipit 553. Primatum ſupra Eboracenſem Epiſc. obtinet *ibid.*

Lateranenſe Concilium, vide Rom. Synodus.

Lateranenſe Concilium ſub Paſchali II Inveſtituras prohibet 634. Lateranenſe alterum ſub eodem PP. eas itidem prohibet, ſed Henricum V Imperatorem non excommunicat 636. Legationem mittit ad eundem Imp. *ibid.* Lateranenſe alterum ſub eodem PP. Inveſtituras damnat 640.

Lateranenſe Concilium primum, generale nonum, à Calliſto II PP. indicitur 658. Quibus anno, & die celebratum 659. Numerus Patrum Concilio præſentium *ibid.* Pacta inter Papam, & Imp. facta de inveſtituris confirmantur in eo *ibid.* Henricus Imp. ab excommunicatione abſolvitur

66●

Digitized by Google

660. Canones XVII in eo Concilio editi *ibid.* Undecimus, & Primus Canones illuſtrantur *ibid.*

Lateranenſe Concilium ſecundum, generale decimum, ab Innocentio II indicitur 689. Ejus epocha *ibid.* Patrum Concilii numerus *ibid.* In eo ordinationes ab Anacleto Antipapa factæ reſcinduntur *ibid.* Rogerius Siculus in eo excommunicatur 690. In eodem Arnaldi de Brixia & Petri de Bruis errores damnantur *ibid.* Canones in eodem editi *ibid.* In eodem Concilio S. Sturmio Abbas Fuldenſis canonizatur 691.

Latinus ritus Cpoli à Joanne Papa adhibetur 141.

S. Laurentius Sixti II PP. Diaconus quo anno Martyrio coronatus 22.

Laurentius Archipresbyter fit Antipapa contra Symmachum 129. Nuceriæ Epiſcopus renunciatur 131. Iterum ſchiſma excitat *ibid.* In exilium mittitur 132.

Laureacenſi Eccleſiæ extinctum à multo tempore Metropolicum jus Eugenius II reſtituit 352. Non multò poſt Salisburgenſi ſubjicitur *ibid.* Archiepiſcopalis dignitas ipſi à Leone VII reſtituta 446. Ejus diſſidium cum Salisburgenſi ab Agapito II componitur 451. Ejus privilegium à Benedicto VI reſcinditur 463. Iterum à Benedicto VII reſtituitur 465.

Legationes duæ in Galliis diſtinguendæ 540.

Lemovicenſe Concilium ab Urbano II celebratur 609.

S. Leo fit Papa 102. Sermonem habet ad Populum ipſa ſuæ ordinationis die *ibid.* Manichæos & Priſcillianiſtas inſectatur *ibid.* Item Pelagianos 103. Cum S. Hilario Arelat. Epiſc. contentionem habet *ibid.* Eccleſiam Arelat. ſuis privilegiis exuit *ibid.* Ea ex parte reſtituit *ibid.* Hilarium poſt mortem pro Viro Sancto habet 104. Celidonium Epiſc. Biſuntinenſem in Sedem reſtituit *ibid.* Ab Eutichete deceptus ad eum reſcribit, ejuſque zelum laudat 105. Admonetur à Flaviano Epiſc. Cp. de erroribus Eutichetis *ibid.* Ejus errores damnat 106. Scribit ad Flavianum celebrem illam Epiſtolam de Incarnatione Verbi *ibid.* Legatos mittit ad pſeudo-Synodum Epheſinam *ibid.* Ejuſdem pſeudo-Synodi Acta reſcindit *ibid.* Ejus Epiſtola ad Flavianum olim tempore Adventus in Eccleſia Rom. legebatur *ibid.* Legitur & approbatur in Synodo Cpolitana & Calchedonenſi 107. Leo optat Synodum œcumenicam in Italia celebrari *ibid.* Legatos mittit ad Synodum Nicænam, qui rogant Imp. ut Synodus Calchedonem transferatur *ibid.* Huic translationi conſentit *ibid.* Caſſat Canonem de Eccleſia Cpolitana in Synodo Calchedonenſi editum 109. Proterii Epiſcopi Alex. literas recipit, & ad eum ſcribit *ibid.* Timotheum Ælurum Eccleſiæ Alexand. invaſorem in exilium mitti curat 110. Legatos Cpolim mittit *ibid.* Timotheo Saloſaciolo gratulatur de ſua electione in Epiſc. Alex. *ibid.* Attilam Hunnorum Regem miraculosè mitigat *ibid.* Originem dat Nuntiis Apoſtolicæ Sedis *ibid.* Genſerico Vandalorum Regi obviam procedit 111. Ab eo obtinet ut igne & ferro abſtineat *ibid.* Conſulitur à Theodoro Forojulienſi Epiſc. & ad eum reſpondet *ibid.* Confeſſionem publicam nunquam ab Eccleſia præceptam docet 112. Baptiſmum in Natalitiis Martyrum conferri vetat *ibid.* Quid addiderit Canoni Miſſæ 113. Ejus mors & translationes *ibid.* Ejus opera vera & ſuppoſita *ibid.* Non eſt Auctor librorum de vocatione omnium Gentium *ibid.* & 103.

S. Leo II Eccleſiæ præficitur 284. A' tribus Epiſcopis ordinatur *ibid.* Synodi ſextæ generalis Acta recipit *ibid.* Ea confirmat, & in Hiſpaniam mittit 249. Presbyterum & Diaconum Eccleſiæ Cp. in Synodo ſexta depoſitos reſtituit *ibid.* Obtinet ab Imp. ut ordinatio Epiſc. Ravenn. juxta antiquum uſum Romæ fieret 250. Ad cœleſtem Patriam migrat *ibid.* Ejus doctrina & pietas *ibid.* Dies ejus cultûs *ibid.* Quo tempore ordinationem fecerit explicatur 251.

Leo Archidiaconus à S. Stephano PP. Epiſcopus Ravennæ ordinatur 313.

Leo Magnus Imp. Timotheum Ælurum Eccleſiæ Alex. invaſorem in exilium mittit 110. Timotheum Saloſaciolum ordinari curat *ibid.* Scribit ad S. Leonem & collationem cum hæreticis haberi petit *ibid.*

Leo Iſaurus fit Imperator & fidei profeſſionem ad Gregorium II PP. mittit 277. Sacris Imaginibus bellum indicit 281. Furit adverſus Gregorium II Papam ob earundem cultum 282. Hujus S. Pontificis vita inſidiatur *ibid.* Fruſtra a B. Germano Patriarcha Cpoli admonetur *ibid.* Hunc S. Patriarcham è patriarchio ejicit *ibid.* Impium Anaſtaſium ei ſubſtituit 283. Imaginem Chriſti dejici jubet *ibid.* Non fuit à Gregorio II excommunicatus 284. Illyricum, & alias Provincias per vim ab Eccleſia Rom. diſtrahit 285. Conſtantinum Copronymum filium Imperii conſortem dicit 285.

Leo IV Imperator Orientis cum Irene matre imperans facultatem facit Sacras Imagines propugnandi 322. Scribit ad Hadrianum PP. pro celebratione ſeptimæ Synodi Generalis *ibid.*

Leo III ſuccedit Hadriano primo 332. Legatos ad Carolum Franc. Regem mittit *ibid.* Item claves confeſſionis S. Petri & Romanæ urbis vexillum *ibid.* Triclinium in Lateranenſi palatio ædificat 333. Cantuarienſi Eccleſiæ primatum reſtituit *ibid.* Salisburgenſem Archiepiſcopalem erigit *ibid.* Felicem Urgellitanum in Synodo Rom. damnat 334. A' Romanis oculis & lingua mutilatur *ibid.* Viſum & loquelam miraculosè recipit *ibid.* In Franciam pergit 335. Paderbornenſem Eccleſiam conſecrat *ibid.* Ejus privilegium pro loco Eresburg fictitium *ibid.* Romam redit 336. Carolum Regem Franc. Romam venientem ſuſcipit *ibid.* Coram eo de objectis criminibus ſe purgat *ibid.* Eum Imperatorem coronat *ibid.* Non transfert, ſed renovat Imperium 337. Victoriam de hoſtibus miraculosè reportat 338. Gallicanam Litaniam Romæ conſtituit celebrandam *ibid.* Legatos Cpolim mittit pro conjugio Irenes Auguſtæ cum Carolo Imp *ibid.* Fortunato Patriarchæ Gradenſi Pallium mittit 339. In Franciam pergit, & Romam redit *ibid.* Mantuam Epiſcopali Sede ornat *ibid.* Non canonizavit S. Suidbertum *ibid.* Subſcribit diviſionem Regni factæ à Carolo Imp. 340. Eardulphum Northumbriæ Regem in regnum reſtituit *ibid.* Non probat additamentum vocis *Filioque* Symbolo factam 340. S. Nicephori Patriarchæ Cp. Synodicas recipit 341. Poſt mortem Caroli Imp. à Romanis vexatur *ibid.* Ad Deum tranſit 342. Inter Sanctos numeratur *ibid.* Plures Miſſas eodem die ſæpius celebrabat *ibid.* Ejus brachium pro reliquia ad Salomonem minoris Britanniæ Regem utrum ab Hadriano II miſſum 401.

Leo IV ſuccedit Sergio II in Pontificatu 365. Sine permiſſu Imperatoris ordinatur, & quare *ibid.* Serpentem lethiferum miraculosè curat *ibid.* Octavã Aſſumptionis B. M. V. inſtituit 366. Incendium miraculosè extinguit *ibid.* Ingentia ornamenta Eccleſiis urbis confert *ibid.* Saracenos Romã invadere conantes vincit *ibid.* Leoninam Civitatem ædificat, & Centumcellas reſtituit *ibid.* Ludovicum II Auguſt. coronat 367. Pallium ad quotidianum uſum Hincmaro non permiſit *ibid.* Synodum Romæ celebrat *ibid.* Alfredum Saxonum Occidentalium Regem ungit 368. Sueſſionenſe Concilium confirmare renuit *ibid.* Ludovicum Imp. Romæ ſuſcipit 368. Mitræ uſum Anſchario Hamburgenſi Epiſcopo permittit *ibid.* Moritur 369. Ejus virtutes & Sanctitas *ibid.*

Leo V brevi tempore Pontificatum Romanum tenet 436.

Leo VI Joanni X ſubrogatus non multò poſt moritur 443.

Leo VII fit Papa 445. Vetat ne in Monaſterio S. Martini detur aditus Mulieribus *ibid.* Metropolicum jus à Salisburgenſi ad Laureacenſem Eccleſiam transfert *ibid.*

S. Odo-

L

S.Odonem Cluniacenſem Abbatem Romam vocat 446. E' vivis excedit *ibid.* Ejus virtutes *ibid.*

Leo VIII Antipapa eligitur 454. Conſecratur *ibid.* Joanne XII defuncto Romam redit 455. Benedictum V è Sede dejicit *ibid.* Ejus obitus 456. Conſtitutio de inveſtituris ei falsò attributa *ibid.* Quare licet Antipapa locum occupat inter Pontiſ. Roman. *ibid.*

Leo IX Tullenſis Epiſcopus ab Henrico Imp. deſignatur Pont. Rom. 514. Acceptat ſub conditione quod à Romanis eligatur *ibid.* Romam pergit *ibid.* à Clero & Populo Rom. Pontifex eligitur *ibid.* Inthronizatur & Leo IX vocatur 511. Ejus genus & primordia *ibid.* Antea nō fuit Cardinalis *ibid.* Dictus Papa Tullenſem Epiſcopatum non ſtatim dimiſit *ibid.* Augienſis Monaſterii privilegia confirmat 512. Synodum Romæ contra ſimoniacos celebrat *ibid.* Miraculum in ea Synodo in ſimoniacos *ibid.* Leo in Franciam pergens Papiæ Concilium celebrat *ibid.* Tum Remis aliud cogit *ibid.* S. Arnulphi Eccleſiam Metis conſecrat 513. Moguntiæ Concilium habet *ibid.* Presbyteris quibuſdam Eccleſiæ Colonienſis ſandaliorum uſum concedit 514. Bambergenſibus Canonicis uſum mitræ permittit *ibid.* Colonienſem Archiepiſcopum S. R. E. Archicancellarium creat *ibid.* Humbertum poſtea Cardinalem Romam ducit *ibid.* Apuliam proficiſcitur 515. Sipontinum Concilium celebrat *ibid.* Synodum Romæ cogit, in qua S. Gherardum Tullenſem Epiſcopum canonizat *ibid.* Canonizationis hujus epocha ſtabilitur 516. Berengarium hæreſiarcham in eadem Synodo damnat *ibid.* Eum iterum damnat in Synodo Vercellenſi 517. Tullum pergit, corpus S. Gerardi transfert *ibid.* Romam redit, & tertiam Synodum celebrat *ibid.* In ea S. Eduardum Angliæ Regem voto eundi Romam diſpenſat 518. In Apuliam pergit & Beneventanos à ſe antea excommunicatos abſolvit *ibid.* Epiſcopi ei contradicentes divinitus puniti 519. In Germaniam pergit pro pace inter Henricum Imp. & Andream Hungariæ Regem *ibid.* Sanctos VVolfangum & Erhardum Ratiſponenſes Epiſcopos canonizat *ibid.* Diploma de S. Dionyſii Areopagitæ corpore Ratiſponæ exiſtente ipſi affictum 520. Robertum Abbatem Caſæ-Dei invitum conſtituit *ibid.* Beneventum per concambium cum Imperatore acquirit *ibid.* In Italiam reditum 521. Concilium Mantuæ celebrat *ibid.* Ibidem Eccleſiam dedicat in qua Sanguis Chriſti inventus *ibid.* Quartam Romæ Synodum habet 522. In ea decidit litem inter Forojulienſem & Gradenſem Patriarchas *ibid.* In eadem Fermentaceorum hæreſis damnat *ibid.* Legatos Cpolim mittit 523. Contra Normannos exercitum movet *ibid.* Eorum ſcelera Græcorum Imperatori ſcribit *ibid.* Ejus comitatus à Normannis cæditur 524. Per medios hoſtes illæſus tranſit, & occiſorum funera curat *ibid.* Carthaginenſis Epiſc. primatum in Africam confirmat *ibid.* Item confirmat electionem Antiocheni Epiſc. 525. Romam redit, & Sanctè moritur *ibid.* Annos Sedis ab Inthronizatione numeravit 526. Incarnationis annos in ſuis ſcriptis adhibuit *ibid.* Ejus Sanctitas & Corporis transſatio *ibid.*

Leo Chorepiſcopus Trevirenſis Apoſtolicæ Sedis Legatus ſub Joanne XV pacem inter Angliæ Regem & Normanniæ Ducem conciliat 470.

Leo Sapiens dictus, Orientis Imperator, vivente Baſilio patre à Legatis Apoſtolicis coronatur poſt Actionem VIII Concilii Generalis Cpolitani octavi 399. Baſilio patre mortuo Photium è Sede dejicit 419. Stephanum fratrem Patriarcham deſignat, & inaugurari jubet 420. Diſpenſationem à Stephano V PP. petit, quia Diaconus ordinatus fuerat à Photio *ibid.*

Leodienſe Concilium ab Innocentio II celebratur 672. Quid in eo Concilio actum *ibid.*

Leonina urbs à Leone IV Pontifice ædificatur 366.

Leontius Juſtinianum II Imperio deturbat, illudque occupat 269. In Monaſterium detruditur *ibid.*

S. Liberius Julio PP. ſuccedit 52. Concilii celebrationem à Conſtantino Imp. per Legatos petit *ibid.* Alios Legatos pro eadem re mittit *ibid.* A' Conſtante Imp. Mediolanum accerſitur 53. Athanaſii damnationi ſubſcribere recuſans in exilium mittitur *ibid.* Subſcribit tandem ejus damnationi, & tertiæ fidei formulæ Sirmienſi *ibid.* Romam redit *ibid.* Ariminenſi Concilio ſubſcribere recuſat 54. Illud caſſat 55. Ejus Orthodoxia probatur *ibid.* Generalia ad Provincias decreta mittit *ibid.* Ad Deum migrat *ibid.* Ejus magna in Eccleſia fama *ibid.* Duæ Epiſtolæ ei ſuppoſitæ *ibid.*

S. Linus S. Petri Vicarius & Succeſſor 8. Mulieres velato capite in Eccleſiam introire inſtituit *ibid.* Sub Nerone Martyrio afficitur *ibid.* Libri de paſſione SS. Petri & Pauli ei falsò adſcripti *ibid.*

Litania Gallicana Romæ celebranda conſtituitur à Leone III PP. 338. Quare dicta Gallicana & minor *ibid.*

Literæ formatæ ab Apoſtolica Sede Epiſcopis datæ 12.

Londinenſe Concilium à Joanne XIII confirmatur 452.

Longobardorum regni in Italia initium 176. Regnum illud evertitur 319.

Longobardiæ Epiſcopi depoſitioni Gregorii VII in Conciliabulo VVormatienſi factæ ſubſcribunt 568.

Lotharius, Ludovici Imperatoris filius, Italiæ Rex, & conſors Imperii factus, in Italiam à Ludovico patre mittitur 346. A' Paſchali PP. Auguſtus coronatur *ibid.* Ab eodem Pontifice Romanæ urbis ſupremum dominium recipit *ibid.* Romæ ab Eugenio II honorificè ſuſcipitur 349. Conſtitutionem edit de electione Romani Pontificis *ibid.* Supremum Romæ dominiū exercet 350. Juditham Ludovici Aug. patris uxorem in monaſterium trudit 356. Cum fratribus Pippino & Ludovico in patrem Ludovicum rebellat 357. Ludovicum filium Romam mittit & quare 360. Eundem Romam iterum mittit, ut Auguſtus coronetur 367.

Lotharius Lotharingiæ Rex Teutbergam uxorem repudiat & VValdradam ſibi copulat 382. Et hoc de conſenſu Epiſcoporum *ibid.* A' Nicolao PP. compellitur ad Teutbergam recipiendam *ibid.* Ab Hadriano II jubetur eam in conſortium recipere 383. Hadrianum PP. in Monte Caſſino convenit 390. Sacram communionem ab eo ſub conditione recipit 391. Hadrianum PP. Romam euntem ſequitur *ibid.* Subitò moritur *ibid.*

Lotharius Saxoniæ Dux eligitur Imperator 663. Innocentium II ut legitimum Pontificem agnoſcit 671. Cum eo Leodii Concilium habet 672. Ab eo coronatur *ibid.* Cum Innocentio de ſtatu Eccleſiæ colloquium habet 678. Cum eo Romam pergit *ibid.* In Eccleſia Lateranenſi ab eodem PP. Imperator coronatur 679. Anacletum Antipapam & ſectatores Divinæ & Regiæ Majeſtatis reos declarat *ibid.* In Germaniam redit *ibid.* Ab Innocentio iterum in Italiam vocatur 683. Cum eo in Apuliam pergit 684. In Germaniam redit 685.

Lucifer Calaritanus Epiſc. à Liberio PP. ad Conſtantium Imp. Legatus 52. Damnationi Athanaſii ſubſcribere recuſat *ibid.* In exilium mittitur *ibid.*

Lucius Verus Imp. quartam perſecutionem excitat 17.

Lucius Britanniæ Rex Divini verbi miniſtros ab Eleuthero PP. poſtulat & obtinet 18. Chriſti fidem ſuſcipit *ibid.*

S. Lucius fit Papa 28. In exilium à Gallo Imp. mittitur *ibid.* Ex eo revertitur *ibid.* Obit Confeſſor non Martyr *ibid.* Epiſtola ei adſcripta ſuſpecta fidei *ibid.*

Ludovicus Pius Stephanum IV PP. in Francia ſuſcipit 343. Ab eo coronatur Imperator *ibid.* Exules pro cauſa Leonis III Romam redire permittit 344. Lotharium filium Romam mittit ut Auguſtus coronetur 346. Ludovici Pii donatio Eccleſiæ Rom. facta ſuppoſitia *ibid.* & 491. Ludovicus Legatos mittit ad Eugenium II pro facultate agendæ collationis de Sacris Imaginibus 351. Amalarium Metenſem Diaconum Romam mittit ad correctionem Antiphonatiorum 356. Hamburgenſem Ar-

chie-

chiepiſcopum inſtituit 357. Juditham Auguſtam à calumniis abſolutam ſuſcipit *ibid.* In filios rebelles bellum movet *ibid.* Gregorium IV in caſtris ſuſcipit 358. Ad Gregorium PP. Legatos mittit *ibid.*

Ludovicus II Lotharii Auguſti filius Romam à patre mittitur & quare 360. Honorificè à Sergio II PP. excipitur 361. Ab eodem Italiæ non Auguſtus ungitur *ibid.* A' Leone IV Auguſtus coronatur 367. Petit ab Hadriano II Regnum Lotharii fratris ſibi reſtitui 402. Pars ei reſtituitur *ibid.* Ob eam partem Romæ coronatur ab Hadriano *ibid.* Moritur 406.

Ludovicus Balbus fit Rex Francorum 408. Legatos ad Joannem VII in Franciam venientem dirigit 410. A' Joanne VIII Rex non Imperator coronatur *ibid.*

Ludovicus Orbus dictus fit Burgundiæ Rex 421. Italiam ingreditur 435. A' Benedicto IV Imperator coronatur *ibid.*

Ludovicus Ludovici VI Francorum Regis filius ab Innocentio II in Concilio Remenſi Rex conſecratur 675. Hujus conſecrationis dies & pompa *ibid.*

Lugdunenſes Martyres ſub M. Aurelio, & Lucio Vero in quarta perſecutione 17.

Lugdunenſis Eccleſiæ Primatus à Gregorio VIII PP. confirmatur 579. Tum ab Urbano II in Concilio Claromontano 607. Ab eo primatu alieni ſunt Ludovicus VI Francorum Rex, & Senonenſes Antiſtites 657. Hic primatus ante Philippum Pulchrum Regia auctoritate firmatus non eſt *ibid.*

Luitprandus Longobard. Rex Alpium Cottiarum reſtitutionem Eccleſiæ Rom. factam confirmat 270.

Lupercalia à Gelaſio PP. Romæ abolentur 125.

M

MAcarius Antiochenus Epiſc. Vitaliani PP. nomen è diptychis eradi petit & obtinet 236. in Synodo ſexta truncata SS. Patrum teſtimonia profert pro unica in Chriſto voluntate 243. Obſtinatè in errore perſtat *ibid.* A' Synodo deponitur *ibid.* In exilium Romam mittitur *ibid.* & 249. In ſua hæreſi perſtat 253.

Macedonianorum hæreſis initium, & errores 57. Damnatur à Damaſo PP. in ſecunda Synodo Rom. *ibid.* Anathematiſmi contra Macedonianos pronunciati in quarta Synodo Rom. ſub Damaſo *ibid.* Macedoniana hæreſis damnatur in Conc. Cp. œcumenico ſecundo 60.

Macedonii Epiſcopi Cpolitani nomen è ſacris tabulis expungitur, quia perſtiterat in communione Acacii 137. Non eſt tamen Macedonius à communione Catholica ſegregatus *ibid.*

Macrianus Valeriano Imp. ſuadet, ut perſecutionem excitet 30.

Magalonenſis inſula ab Urbano II ſolemniter benedicitur 612.

Magdeburgenſis Eccleſia à Joanne XIII dicitur Metropolitana 459. Magdeburgenſis Archiepiſcopi privilegium, ut nonniſi per Romanum Pontificem ejus conſecratio fieri deberet 486.

Maginolfus Archipresbyter eligitur Antipapa contra Paſchalem II Sylveſtri IV nomine 610. Exul & miſer moritur *ibid.* Ejus invaſionis tempus *ibid.*

Majorinus in ſchiſmate ordinatur Epiſc. Carthaginenſis contra Cæcilianum 38.

S. Majolus Cluniacenſis Abbas Pontificatum recuſat 464.

Majorica inſula Saracenis eripitur à Piſanis 639.

S. Malachias ab Innocentio II fit Legatus Sanctæ Sedis in Hibernia 691.

Manichæi ad Eccleſiam redeuntes quomodo recepti 64. Sub ſpecie vini non communicantes reprimuntur à Gelaſio PP. & quare 126. Item à Symmacho PP. 134.

Mantua à Leone III fit Sedes Epiſcopalis 339.

Mantuæ Concilium S. Leo IX celebrat 521.

Mantuanum alterum Concilium Cadolum Antipapam deponit 548.

S. Marcellinus dicitur Papa 34. Idolis thus non adolevit *ibid.* An Martyr occubuerit *ibid.* A' Marcello diverſus *ibid.* Decretales ipſi afficta 35.

S. Marcellus fit Pontifex Rom. & moritur 36. A' Maxentio in exilium pulſus fuerat *ibid.* Titulos ſeu Parochiales Eccleſias Romæ diviſit *ibid.* A' Marcellino diverſus *ibid.* Ejus decretales ſpuriæ *ibid.*

Marcellus Ancyranus Epiſc. in Conciliabulis Cpolitano, & Antiocheno depoſitus à Julio PP. reſtituitur 48. Hæreticus poſteà agnoſcitur *ibid.*

Marcianus fit Imperator 106. Synodum Cpoli cogi jubet, in qua Eutyches, & Neſtorius damnantur 107. Apud Nicæam Synodum œcumenicam indicit *ibid.* Eam Calchedonem transfert, & quare *ibid.* Intereſt ſextæ Actioni Concilii *ibid.*

Marcion Hæreſiarcha Ponticus Eccleſia pulſus Romam Hygino mortuo ſe confert 14. A' Romanis Presbyteris Eccleſia ejicitur *ibid.* In Pontum redit 15. Ibi errores ſuos diſſeminat. *ibid.*

S. Marcus Eccleſiam Alex. fundat 3. Plures Epiſcopos in Ægypto inſtituit *ibid.* Evangelium ſcribit 7.

S. Marcus Eccleſiæ Rom. præficitur 45. Oſtienſem Epiſc. pallio donat *ibid.* Moritur *ibid.* Epiſtola ei falsò adſcripta *ibid.* Adhuc Presbyter adfuerat Concilio Rom. contra Donatiſtas 38.

S. Mariæ Virginis Eccleſia à Calliſto PP. trans Tiberim ædificata 21.

Marianus Scotus non eſt author fabulæ Joannæ Papiſſæ 371.

Marinus Arelatenſis Epiſc. Judex Schiſmatis Donatiſtarum in Synodo Rom. 38.

Marinus, ſeu *Martinus* Romanæ Eccleſiæ Diaconus Legatus Hadriani II PP. præeſt Synodo generali octavæ 395, *& ſeq.* Legatus iterum Cpolim mittitur à Joanne VIII, ut caſſet quæ geſta erant à Photio in pſeudo Synodo Cpolitana 414, *& ſeq.* A' Baſilio Imp. in carcere detinetur *ibid.* Diverſus eſt à Marino Epiſc. S. Sedis Arcario 415. Fit Pontifex Rom. & dicitur Marinus I, ſeu Martinus II hujus nominis 416. Archidiaconus erat, non Epiſcopus *ibid.* Pontifex dictus Photium rurſus damnat *ibid.* Formoſum Epiſc. Portuenſem reſtituit *ibid.* Fulconi Archiep. Remenſi pallium mittit *ibid.* Dominicæ Crucis partem ad Angliæ Regem tranſmittit 417. Solemniacenſi Monaſterio privilegium concedit *ibid.* Mortem obit *ibid.*

Marinus II, ſeu *Martinus III* dicitur Pontif. Rom. 448. Ejus virtutes *ibid.* Privilegia ab eo conceſſa *ibid.* Capuanum Epiſcopum increpat 449. Supremum diem obit *ibid.*

Marinus Epiſcopus Polymartienſis Legatus in Gallias mittitur, & Ingilenheimenſi Synodo præſidet 450. Item Trevirenſi *ibid.*

S. Maro Abbas floret 66. Maronitæ ab eo dicti *ibid.* Non ab aliquo Marone hæretico *ibid.*

Maronitæ Catholicæ fidei defenſores 67. Calchedonenſem Synodum defendentes ab hæreticis nefariè occiduntur *ibid.*

Merſicanus Epiſcopatus à Victore II in priſtinum ſtatum reſtituitur 530.

S. Martialis Lemovicenſis Epiſcopus an dicendus ſit Apoſtolus, vel Confeſſor controvertitur 497. A' Joanne XIX Apoſtolus dicendus pronunciatur 498.

S. Martinus Theodoro PP. ſuccedit 227. Fruſtrà à Conſtante Imp. pro confirmatione Typi tentatur *ibid.* Lateranenſe Concilium celebrat *ibid.* In eo hæreticos plures Monothelitas, Ecteſim Heraclii, & Conſtantis Typum damnat *ibid.* Illius Concilii Acta in Africam, Aſiam, & Galliam mittit 228. Joannem Epiſc. Philadelphiæ S. Sedis Vicarium inſtituit *ibid.* Scribit unà cum Synodo ad Con-

Digitized by Google

ſtantem Imp. *ibid.* Paulum Epiſcopum Theſſalonicenſem deponit *ibid.* Scribit ad S. Amandum Trajectenſem Epiſc. ne Epiſcopatum abdicet *ibid.* Juſſu Conſtantis Imperatoris Româ violenter abducitur 129. Ad Inſulam Naxon perducitur *ibid.* Inde Cpolim *ibid.* Coram Judice ſiſtitur, & indignè habetur *ibid.* In cuſtodia retruditur 130. Operâ Pauli Cp. Epiſcopi morti eripitur *ibid.* Electioni Eugenii PP. ſe vivente factæ conſenſum præbuit 131. Cherſonam deportatur, ibique Martyr moritur *ibid.* Ibidem ſepelitur, & Romam poſteà transfertur *ibid.* Libri Moralium S. Gregorii, Theodoro, non Martino, ſedente inventi 128.

Martinus II Papa, vide Marinus &c.

Martinus III, vide Marinus II.

Martinus Polonus non eſt author fab. Joannæ Papiſſæ 372.

Martyres cum Dalmatica ſepeliendi 33. Supra Martyrum ſepulchra cerei non accendebantur, & quare 32.

Maternus Agrippenſis Epiſc. Judex Schiſmatis Donatiſtarum in Synodo Rom. 38.

Mathildis Hetruriæ Comitiſſæ, ſuaſu Urbani II VVelphoni Duci nubit 597.

Mauricius Imp. Trium Capitulorum defenſoribus ſchiſmaticis vim inferri vetat, & quare 185. Ejus Lex de Curialibus, & militibus in Clerum, & Monaſteria non recipiendis à S. Gregorio partim laudatur, partim improbatur 190. Recipitur cum temperamento 191.

Mauricius Bracarenſis, vide Burdinus.

Mauricius Portuenſis Epiſcopus à Paſchali II in Orientem Legatus mittitur 621.

Mauriniacenſis Monaſterii Altare ab Innocentio II conſecratur 671.

Maurus Epiſc. Ravenn. à Vitaliano PP. excommunicatur, & quare 136. Extra Eccleſiæ communionem obit 138.

Maximianus Herculius Imp. nonam perſecutionem movet 35.

Maximianus Monachus ſubrogatur Neſtorio in Epiſcopatum Cp. 97. Synodum Cpoli celebrat *ibid.* In ea confirmat depoſitiones Epiſcoporum à Synodo Epheſina factas *ibid.*

Maximinus Imp. ſextam in Chriſtianos perſecutionem excitat 22.

Maximus cubiculi Imperatoris præfectus baptizatur, & Martyrium patitur 21.

S. Maximus Abbas diſputat cum Pyrrho Epiſcopo Cp. eumque ad hæreſim ejurandam compellit 122.

Mediolanenſis Synodus ſub Julio PP. Photinum damnat 49.

Mediolanenſis Synodus ſub Liberio Papa S. Athanaſium damnat 52.

Mediolanenſis Synodus ſub S. Ambroſio Jovinianum hæreſiarcham damnat 64.

Mediolanenſis Synodus contra Monothelitas celebratur 141.

Sanctus Melchiades fit PP. 37. Ejus decreta de Euchariſtia ad abſentes mittenda *ibid.* Vetat jejunium Dominicæ, ac feriæ quintæ, & quare *ibid.* Moritur *ibid.* Decretalis ipſi falsò attributa 38. Romæ Synodum in cauſa Donatiſtarum celebrat *ibid.*

Meletius Lycopolis in Ægypto Epiſc. à S. Petro Epiſc. Alex. depoſitus ſchiſma facit 42. Pro ejus ſchiſmate extinguendo convocatur Concilium Nicænum 45. Quid de eo ſtatutum in Concilio *ibid.*

Melphitanum Concilium à Nicolao II contra Clericos concubinarios celebratur 538.

Melphitanum aliud Concilium ab Urbano II habetur, in quo Rogetius de Apuliæ Ducatu inveſtitur 597.

Melphia à Nicolao II PP. fit urbs Epiſcopalis 538.

Memnas ordinatur Epiſc. Cpolitanus ab Agapeto PP. 152. Ante ordinationem obtulerat profeſſionem, poſt ordinationem verò libellum fidei ei offert *ibid.* Cpoli Concilium celebrat poſt mortem Agapeti 153. A' Vigilio PP. à ſacra Communione ſuſpenditur 160. Eidem conciliatur *ibid.* Iterum ab eadem ſacra communione ſuſpenditur 165. Veniam petit à Vigilio, & obtinet *ibid.* Moritur 166.

Memnon Epheſinus Epiſc. in Conciliabulo Joannis Antiocheni Epiſc. deponitur 96. Hæc ſententia caſſatur à Synodo Epheſina *ibid.*

Merciorum Regnum Eccleſiæ Rom. vectigale redditur 319.

Merſeburgenſis Epiſcopatus reſtituitur à Gregorio V in Synodo Romana 478.

S. Methodius Orientalis Monachus ab Hadriano II ordinatur Epiſcopus pro Moravis 392. Permittitur ei Miſſam, et Officia in Moravia linguâ Sclavonicâ celebrare *ibid.* Romam à Joanne VIII vocatur 414.

Michael Balbus Orientis Imperator Legatos ad Eugenium II, & ad Ludovicum Pium mittit 351.

Michael Theodoræ filius Orientis etiam Imperator Legationem, & munera ad Benedictum III PP. mittit 374. S. Ignatium è Sede Cpolitana dejicit, & in exilium mittit 377. Legatos ad Nicolaum PP. dirigit pro hac cauſa 378. Legatos Nicolai prævaricari cogit *ibid.* Epiſtolam contumelioſam Nicolao PP. ſcribit 379. Nicolai PP. Legatos Romam redire cogit *ibid.* Occiditur 380.

Michael Bulgarorum Rex ad fidem converſus de multis Nicolaum PP. conſulit 387.

Miſenus Cumanus Epiſc. à Felice III PP. Cpolim mittitur pro cauſa Joannis Talajæ Epiſc. Alex. 120. Acacii communione polluitur 121. Romam redit *ibid.* In Synodo Rom. deponitur *ibid.* A' Gelaſio PP. Eccleſiæ reconciliatur 123.

Miſſa in nocte Nativitatis Chriſti à Teleſphoro PP. non eſt inſtituta 13. Miſſa poſt Teleſphorum ante horam diei tertiam celebratam 14. Non autem poſt Damaſum *ibid.*

Miſſas ſuper ſepulchra Martyrum celebrari ſtatuit S. Felix PP. 32.

Miſſa in domibus privatis ſæculo ſexto celebratæ 196.

Miſſa plures eadem die à viris Sanctis celebratæ 342. Miſſam pluries in die celebrare Alexander II prohibet 555.

Miſſam, & officia linguâ Sclavonicâ celebrare permittit Hadrianus II PP. 392. Joannes VIII, & Innocentius V id confirmarunt *ibid.* Alexandri II PP. Legatus id prohibet 555.

Græci, Ruthenis, ſeu Moſcis indulſerunt, ut Miſſam, & officia patriâ linguâ celebrarent 339. Beſſi, & Armeni ſæculo quinto Miſſam, & Officia patriâ linguâ celebrabant *ibid.*

Mitra uſus à Leone IV Anſchario Hamburgenſi Epiſc. conceſſus 368. Ejus uſus Epiſcopis nō permiſſus abſq; privilegio Sedis Apoſtolicæ 369. Mitræ antiquitas tam in Eccleſia Orient. quàm Occident. *ibid.*

Mitra uſus Canonicis conceſſus 514. Item VVratiſlao Bohemiæ Duci 555. Item Siciliæ Comiti *ibid.* Item Aragoniæ Regi *ibid.* Item Abbati S. Auguſtini propè Cantuariam *ibid.* Tum pluribus aliis Abbatibus *ibid.*

Moguntia fit Sedes Archiepiſcopalis 295.

Moguntia Concilium à S. Leone IX celebratur 513. In eo agitur de S. Servatio Tungrenſi Epiſc. *ibid.*

Moguntina Synodus Alexandri II juſſu coacta Carolum Conſtantienſem Epiſc. Simoniacum deponit 553.

Monachi Scythæ Legatis Hormiſdæ PP. Cpoli libellum fidei offerunt 138. Repelluntur à Legatis *ibid.* Aliquos è ſuis Romam mittunt 139. A' Juſtino Imp. & à Juſtiniano commendantur *ibid.* Epiſcopis Africanis exponunt quid de Perſona Chriſti, de Gratia, & de Libero arbitrio ſentiant *ibid.* Ab iis commendantur *ibid.* Româ egrediuntur 140. Eorum propoſitio à Leone II PP. examinatur 147. Nec Eutychianis, nec Neſtorianis favebat 148. A' Joanne PP. approbatur *ibid.*

Monachi Confeſſionibus idonei 106, & 137.

Monaſteria in Occidente longe ante Siriciū PP. 64, & 69.

Digitized by Google

M

Monaſterium S. Martini Turonenſis privilegio donatur 237. Privilegii illius veritas oſtenditur *ibid.*

Monothelitarum hæreſis palmaris error 211. Varia ejus initia aſſignantur *ibid.* Monothelitarum parens Sergius Epiſc. Cp. 212.

Monothelitarum hæreſis damnatur in Concilio Lateranenſi ſub Martino PP. 227. Item in Concilio Romano, Gallicano, Mediolanenſi, & Anglicano 240. Tum in ſexta Synodo generali 242, *& ſeq.*

Morimundus Abbatia, quarta Ciſtercii filia, quo anno fundata 621.

Moſci patriâ linguâ, ideſt Sclavonicâ, Miſſas, & officia celebrant 393.

Moſomienſe Monaſterium à Joanne XIII Apoſtolico privilegio munitum 462.

Muſæus Maſſilienſis Presbyter non eſt auctor Canonis Miſſæ 126.

N

N*Arbonenſis* Eccleſiæ jura reſtituit Bonifacius PP. 89.

Natalius Epiſc. Theodotianorum pœnitens à S. Zephyrino PP. recipitur 19.

Nativitatis Chriſti feſtivitas ſub Julio primo inſtituta 13.

Nemauſenſe Concilium ab Urbano II celebratur 612. In ea Philippus Francorum Rex Eccleſiæ reconciliatur *ibid.*

Nero Imp. primam in Chriſtianos perſecutionem excitat 5.

Neſtoriana hæreſis initium 91. In quo ſita eſſet 92.

Neſtorius fit Epiſc Cp. 91. Hæreſim ſuam ſtatim propalat *ibid.* Ad ejus blaſphemias fideles exhorreſcunt *ibid.* In Neſtorium Presbyteri & laici inſurgunt 92. Neſtorius à Proclo Gyziceno Epiſc. refellitur *ibid.* Ipſe viciſſim Proclum refellit *ibid.* Semel & iterum ſcribit ad Cœleſtinum 93. Damnatur à Cœleſtino in Synodo Rom. *ibid.* Tertiò ſcribit ad Cœleſtinum, Synodumque œcumenicam indictam monet *ibid.* Cœleſtini PP. ſententia Neſtorio intimatur 94. Item ſententia Synodi Alexandrinæ *ibid.* Neſtorius anathematiſmi S. Cyrilli totidem opponit *ibid.* In prima Actione Concilii Epheſini deponitur 96. In ſuum Monaſterium à Theodoſio Imp. amandatur 97. Ejus libri combuſti *ibid.*

Nicænum Concilium Generale primum à Conſtantino M. indicitur de conſenſu S. Silveſtri PP. 42. Ejus præſides 43. Cauſæ convocationis Concilii 45. Arius cum ſua hæreſi in eo damnatur *ibid.* Symbolum fidei in eo editur *ibid.* Paſchatis tempus in eo determinatur *ibid.* Clementiùs in eo agitur cum Meletio Lycopolis Epiſc. *ibid.* Canones 20 in eo eduntur *ibid.* Concilii Epiſtola ad S. Silveſtrum ſuppoſititia 46.

Nicænum Concilium ſecundum, generale ſeptimum, convocatur 322. Cpoli inchoatur, ſed diſſolvitur 324. Nicæam transfertur *ibid.* Patrum Concilii numerus *ibid.* In Actione prima quidam Epiſcopi lapſi reſtituuntur *ibid.* In ſequenti Hadriani PP. literæ probantur 325. In tertia Actione aliorum Patriarcharum literæ leguntur *ibid.* In eadem legitur Synodica Theodori Jeroſolymorum quondam Patriarchæ *ibid.* In quarta Actione promulgantur anathematiſmi 326. In quinta Legati Apoſtolici decretum edunt de Imaginibus colendis *ibid.* In ſexta confutatur pſeudo-Synodus Cpolitana ſub Conſtantino Copronymo celebrata *ibid.* In ſeptima honoraria dumtaxat adoratio Sacris Imaginibus exhibetur *ibid.* Canones viginti duo in eo Concilio editi 327. Concilium ab Hadriano PP. & aliis Pontificibus Romanis confirmatur *ibid.*

S. *Nicephorus* Patriarcha Cpolitanus Synodicam ſuam mittit ad Leonem III PP. 341.

Nicephorus Patricius Orientale Imperium uſurpat 338.

Nicolaitarum hæreſis in quo conſiſteret 537. Quare Nicolaitæ dicti hæretici *ibid.*

Nicolaus hujus nominis primus eligitur & inthronizatur Pont. Rom. 375. Conſecratur præſente Imp. *ibid.* Coronatur *ibid.* Ludovicum Imp. apud Quintum viſitat *ibid.* Bremenſis Eccleſiæ cum Hamburgenſi unionem confirmat *ibid.* Hamburgenſes Archiepiſcopos Sanctæ Sedis Legatos creat 377. Photii Sedis Cpolitanæ invaſoris Legatos ſuſcipit *ibid.* Pro ejus cauſâ Legatos Cpolim mittit 378. Scribit ad Imperatorem & ad Photium *ibid.* Legatorum ſuorum prævaricationem punit *ibid.* Cum Photio ſeu cum laico agit 379. Eum in Synodo Rom. omni Sacerdotali honore exuit *ibid.* Epiſtolam contumelioſam Baſilii Imp. recipit & ad eam reſpondet *ibid.* Legatos alios Cpolim mittit, qui redire coguntur *ibid.* Præſules Gallicanos hortatur, ut Græcorum calumnias refellant 380. Damnatur in pſeudo Synodo Photiana *ibid.* Balduinum Flandriæ Comitem Carolo Calvo Franc. Regi reconciliat 381. Pro cauſa divortii Lotharii Regis cum Teutberga Regina Synodum Metis haberi jubet 382. Metenſem illam Synodum in Romana Synodo caſſat *ibid.* Lotharium compellit ad Teutbergam Reginam recipiendam 383. Eam arguit quòd tædio victa contra ſe ipſam ſcripſerit *ibid.* Sueſſionenſis Synodi ſententiam in Rothadum Sueſſionenſem Epiſcopum latam caſſat 384. Rothadum in Sedem ſuam reſtituit 385. Pro executione Sententiæ Legatum in Gallias mittit *ibid.* Depoſitiones Epiſcoporum inter majores cauſas numerandas ſentit *ibid.* Sueſſione alteram Synodum indicit pro cauſa VVlfadi & Sociorum ab Hincmaro Remenſi depoſitorum *ibid.* Ejuſdem Synodi epiſcopos iterum congregari jubet 387. Ad Bulgarorum conſulta reſpondet *ibid.* Vitam cum Morte commutat *ibid.* Ejus virtutes & elogium 388. *Magni* cognomen obtinet *ibid.*

Nicolaus II fit Summus Pontifex 534. Inthronizatur *ibid.* Sutrii Concilium celebrat 535. Deſiderium Caſſinenſem Abbatem Cardinalem creat *ibid.* Synodum Romæ cogit, in qua Berengarius hæreſim tertiò abjurat *ibid.* Ejus profeſſionem fidei in diverſa Regna mittit *ibid.* Romani Pontificis electionem Cardinalibus attribuit 536. Decretum edit in gratiam Henrici IV Germaniæ Regis *ibid.* Simoniacam hæreſim in eadem Synodo damnat 537. Legatos Mediolanum mittit contra Simoniacos & Nicolaitas *ibid.* Hildebrandum poſtea Papam Archidiaconum Romanæ Eccleſiæ creat *ibid.* Libellum Petri Damiani de abdicando Epiſcopatu rejicit 538. Melphiæ Concilium celebrat contra Sacerdotes Concubinarios *ibid.* Eandem urbem Epiſcopatu ornat *ibid.* Robertum Guiſcardum Calabriæ Ducem creat 539. Romam redit, eique ſecuritatem reſtituit *ibid.* Florentiam & Montem Caſſinum adit *ibid.* Legatum mittit, qui Turonis Concilium cogit *ibid.* Item alium, qui Avenione Concilium celebrat 540. Secundam Romæ Synodum habet *ibid.* Florentiæ finem vivendi facit 541. Ejus virtutes *ibid.*

Notarii ſeptem à S. Clemente PP. Romæ inſtituti, qui Acta Martyrum conſcriberent 6. Iis Subdiaconi ſeptem præficiuntur 23.

Novatianus Romanus in lecto baptizatus 27. Fit Presbyter *ibid.* Fit Antipapa *ibid.* Damnatur in Synodo Rom. à S. Cornelio *ibid.* A' Tribus Epiſcopis per vim conſecratus eſt *ibid.* Novatiani, & Novatianorum errores *ibid.* Concilia contra eos congregata *ibid.* Novatiani hæreſim cum ſchiſmate conjunxerunt *ibid.* Uſque ad Cœleſtini Pontificatum Romæ Epiſcopum habuerunt *ibid.* A' S. Cypriano damnantur *ibid.* Item à Demetriano Epiſc. Antiocheno *ibid.* Ab Innocentio PP. Romæ exagitantur 79. Novatianorum Epiſcopum Româ pellit Cœleſtinus PP. 99.

Novatus Presbyter Carthaginenſis Schiſmatis Novatianorum

rum

rum Auctor 27.
Novaræ juſſu Victoris II PP. Concilium congregatur pro ſedando ſchiſmate Mediolanenſis Eccleſiæ 351.
Nunciorum Apoſtolicorum origo 110. & 26. Eorundem in Francia initium 291.

O

ODelricus Lingonenſis Archidiaconus fit Archiep. Lugdunenſis 408.
S. Odilo Cluniacenſis Abbas à Benedicto VIII & aliis Pontificibus Rom. magno in pretio habitus 494. Precibus ſuis Benedictum VIII de pœnis Purgatorii liberat *ibid.* Archiepiſcopatum Lugdunenſem recuſat 498.
S. Odo fit Archiepiſcopus Cantuarienſis & pallio donatur 452.
S. Odo Cluniacenſis Abbas Romam à Leone VII vocatur, & quare 446. A' Stephano VIII iterum accerſitur 448. Paulò poſt moritur *ibid.*
Oeconomia ſeu diſpenſationis in negotiis fidei duplex genus 224.
Oeconomia Honorii PP. in cauſa Monothelitarum ſimilis eſt œconomiæ Typi Conſtantis Imp. 224.
Oecumenica Synodus abſque Canonum editione celebrari poteſt 261.
Offa Orientalium Saxonum Rex Romam pergit & Monachicum habitum induit 271.
Offa Merciorum Rex Romam pergit, & Regnum ſuum Eccl. Rom. vectigale reddit 329.
Officia Divina linguâ Sclavonicâ celebrari permittit Hadrianus II PP. 392. Idem permittunt Joannes VIII & Innocentius IV 393. Id vetat Alexandri II PP. Legatus 555. Item Gregorius VII PP. 580. Moſci, & Rutheni officia linguâ patriâ celebrant 393. Beſſi & Armeni Sæculo quinto idem faciebant *ibid.*
Officium Romanum in Aragonia paulatim recipitur rejecto Mozarabico 550. Tum in Comitatu Barcinonenſi *ibid.* In Aragonia omninò admittitur 559. Non admittitur à Caſtellanis, & Navarrenſibus *ibid.* Recipitur tandem à Caſtellanis 595.
Olmucenſis Epiſcopatus per VVratiſlaum Bohemiæ Ducem ab Alexandro II confirmatur 554.
B. Oldegarius Abbas S. Rufi cogitur à Paſchali II acceptare Epiſcopatum Barcinonenſem 641. A' Gelaſio II fit Metropolita Tarraconenſis 645. Fit Legatus S. Sedis in Hiſpania 660.
Orarium vide Stola.
Ordinationes ante Simplicium PP. juxta regulam communem in menſe Decembri factæ 119. Ab ea regula immunes erant Pontifices Romani 120. Ordinationes Sacræ à Gelaſio PP. quatuor Temporibus affixæ 125.
Ordinationes generales à Pontificibus Rom. factæ à particularibus diſtinguendæ 251. Hæc ordinationum diſtinctio explicatur *ibid.*
Ordinationes Conſtantini Antipapæ à Stephano III PP. non ſunt iteratæ 312.
Organa, permittente Vitaliano PP. in Eccleſia audiri cæpta 237.
Orientales hæreticorum rebaptizationem afferentes non ſunt à Stephano PP. excommunicati 28.
Origenes pro Chriſti fide profugus à Zephirino PP. humaniter ſuſcipitur 19. Leonidem patrem ad Martyrium hortatur 20. Lapſus non eſt in perſecutione Decii 25. Damnatur à Juſtiniano Imp. 158. Ejus errores damnantur ab Anaſtaſio PP. 68. Item in Synodo quinta generali 170.
Osborienſe Concilium Cadolum Antipapam damnat 544.
Oſculum pacis datus poſt conſecrationem & quare 70. Ab Apoſtolis inſtitutum *ibid.*
Oſtia civitas à Gregorio IV mœnibus munitur, & Gregoriopolis appellatur 359. A' Nicolao PP. primò validiùs munitur 388.
Oſtienſis Epiſcopus Pallio donatur à Marco PP. 46. Pontificis Rom. eſt conſecrator, & quidem primus *ibid.* & *ſeq.* Primus ex Epiſcopis pallii honore donatur 47.
Otto Conſtantienſis Epiſcopus Romam à Gregorio VII vocatus, depoſitus & in exilio mortuus 561.
S. Otto à Paſchali II Bambergenſis Epiſcopus conſecratur 624. Uratiſlaum Pomeraniæ Ducem ejuſque filios baptizavit *ibid.* Boleſlao Poloniæ Duci auctor eſt, ut Sororem Henrici Imp. ſibi matrimonio jungat *ibid.* A' Calliſto II ad Pomeranorum converſionem mittitur 661.
Otto Germaniæ Rex in Italiam ab Agapito II PP. vocatur 451. Iterum à Joanne XII accerſitur 453. Imperator ab eo coronatur *ibid.* Ablata Eccleſiæ Rom. reſtituit *ibid.* Decernit ut Pont. Rom. coram Legatis Cæſareis ordinetur *ibid.* Romam pergit & in Synodo Joannem XII deponi curat, ac Leonem VIII in Sedem intrudi 454. Benedicti V electionem improbat 456. Hamburgum eum relegat 457. Ob Benedicti exilium à Deo punitur *ibid.* Moritur 467.
Otto II Germaniæ Rex inungitur 453. Romam à Joanne XIII vocatur 459. Ab eo coronatur Imperator *ibid.* Theophaniam uxorem ducit 460. Moritur 467.
Otto III Ottoni patri anno CMLXXXIII Succedit 468. Romam pergit 473. Gregorium V Pontificem eligi & ordinari curat *ibid.* Ab eo Imperator coronatur 474. Eum in Sedem reſtituit 477. Creſcentium tyrannidem Romæ exercentem capit, & decollari jubet, *ibid.* & 481. Silveſtrum II Pontificem eligi curat 482.
Ovetenſis Eccleſia à Joanne VIII Gallæciæ Metropolis dicitur 415.

P

PAderbornenſis Eccleſia à Leone III Papa conſecratur 335.
Pagius à contradictione ipſi impacta vindicatus 347.
Palladius an ad Scotos, aut ad Hibernos miſſus ſit controvertitur 90.
Pallium quibus dari ſolitum 47. Ejus origo & materia *ibid.* Pallio nemo uti poteſt extra Eccleſiam excepto Pontifice Rom. *ibid.* Pallium ſolis petentibus datum 195. Bonifacio Archiep. non petenti datum *ibid.* & 288.
Pallio uti non poterant Archiepiſcopi niſi certis & deſignatis diebus 367.
Pallium datum ab Agapeto II Brunoni Archiep. Colonienſi, ut eo uteretur quoties vellet 451. Quid ſignet Pallium 507.
Pampilonenſi Eccleſiæ Sedes Epiſcopalis à Joanne XIX redditur 498.
Pampilonenſis Eccleſia ſub Urbani II protectione ſuſcipitur 611.
Pancratius Presbyter à Liberio PP. ad Imp. Legatus 52. Athanaſii damnationi ſubſcribere recuſat 53. In exilium mittitur *ibid.*
Pantheon mutatur in Eccleſiam S. Mariæ Rotundæ ſeu ad Martyres 205. A' Gregorio III PP. poſtea in honorem omnium Sanctorum ejus dedicatio decreta *ibid.*
Papa nomen quo tempore uni Epiſcopo Romano proprium 3.
Papa nomen prius Romano, quàm Alexandrino Epiſcopo tributum 3. Ejus nominis ſignificatio apud Græcos *ibid.*
Papienſe Concilium à S. Leone IX celebratur, qua de cauſa incertum 512.
Paſchalis Eccleſ. Rom. Diaconus, mortuo Conone PP. ab una factione eligitur Pontifex 259. Sergio legitimè ele-

electo cedere recuſat 260. Magiæ convictus à Sergio Archidiaconatu deponitur, & in monaſterium truditur *ibid.* Impœnitens obit *ibid.*

Paſchalis Cerei benedictio omnibus Parochiis conceſſa à Zoſimo PP. 83.

Paſchalis cerei benedictio Zoſimo Papa longè antiquior 83.

Paſchalis canon ſeu cyclus DXXXII annorum à Victorio Aquitano componitur 114.

Paſchatis die Dominica celebrandi decretum Pio PP. aſſictum 15. De hac celebratione cum S. Aniceto contendit S. Polycarpus 16. Synodus Rom. ſub Aniceto definit Paſcha celebrandum die Dominica *ibid.* Idem definit Synodus Rom. ſub Victore PP. 18. Item Cæſarienſis ſub eodem PP. *ibid.* Pro Paſchatis celebratione Concilium Nicænum indictum 44. Tempus ejus celebrationis in eo determinatur 45. Scoti de pravo uſu celebrandi Paſchatis ab Honorio PP. moniti illum rejiciunt 211. Eadem de re Severinum PP. conſulunt 219.

Paſchalis hujus nominis primus creatur Pontifex 344. Legationem mittit ad Ludovicum Imp. 345. Pacti cum deceſſoribus initi confirmationem ab eo obtinet *ibid.* Non verò donationem quæ à Ludovico Pio facta fingitur *ibid.* Sanctorum Monachorum pro fide exulum literas ſuſcipit 345. Duas Legationes ad Ludovicum Imp. mittit *ibid.* Lotharium Imp. coronat *ibid.* Dominium Urbis ei concedit retento jure cudendæ monetæ *ibid.* A' quibuſdam Romanis calumniis afficitur 346. Ab iis ſe purgat 348. Danorum converſioni incumbit *ibid.* Viennenſi Archiep. Pallium mittit *ibid.* Supremum diem obit *ibid.* Ejus ſepulturæ locus 349.

Paſchalis II Urbano II ſuccedit 517. Inthronizatur 618. Conſecratur, & coronatur *ibid.* Ejus electio divinitus prænuntiata *ibid.* Paſchalis Legatum mittit ad exercitum Crucesignatorum 619. Legatos in Galliam dirigit, qui Philippum Regem in Concilio Pictavienſi excommunicant *ibid.* Guiberto Antipapa mortuo, tres alii Antipapæ contra Paſchalem ſucceſſivè eliguntur *ibid.* Paſchalis PP. Ciſtercienſem Ordinem confirmat 621. Legatum in Orientem, & alium in Germaniam mittit *ibid.* Item alium in Angliam *ibid.* Rotenſem Epiſcopatum Barbaſtam transfert 622. Toletanæ Eccleſiæ Primatum confirmat *ibid.* Concilium Romæ celebrat *ibid.* Inveſtituras in Anglia damnat 623. Sanctum Ottonem Epiſcopum Bambergenſem conſecrat 634. Diſpenſat in quarto gradu conſanguinitatis pro Matrimonio Poloniæ Ducis *ibid.* Legatum mittit pro abſolutione Regis Franc. *ibid.* Cauſam committit Lamberto Attrebatenſi Epiſcopo *ibid.* Diſpenſationem negavit pro ejuſdem Regis matrimonio cum Bertrada 625. Concilium Romæ congregat 626.

Paſchalis Guiberti Antipapæ corpus exhumari jubet & in flumen projici 628. S. Brunonem Signienſem Epiſc. Legatum in Gallias mittit *ibid.* Concilium Florentiæ cogit *ibid.* Tum aliud VVaſtallis ſeu Guaſtallæ 629. Parmam pergit *ibid.* Inde in Franciam *ibid.* Ejus profectionis Gallicæ cauſa *ibid.* Varias Eccleſias conſecrat 630. Ejus itinerarium continuatur *ibid.* Apud S. Dionyſium ſummo honore excipitur *ibid.* Legatos Henrici Germaniæ Regis Catalauni ſuſcipit 631. Carnoti Paſcha celebrat *ibid.* Trecenſi Synodo præſidet *ibid.* Legatum in Orientem mittit *ibid.* Romam redit 632. Bracarenſi Eccleſiæ Metropolicam dignitatem reſtituit *ibid.* Conjugium Alphonſi Aragoniæ Regis cum Urracha inhibet 632. Beneventi Concilium celebrat *ibid.* Paciſcitur cum Henrico Germaniæ Rege *ibid.* Eum Romæ excipit 634. Ab eo captivus detinetur *ibid.* Inveſtiturarum privilegium coactus ei concedit *ibid.* Eum Imperatorem coronat *ibid.* Ejus factum Cardinales, Clerus Rom. & S. Bruno Signienſis Epiſc. improbant 635. Excuſatur à pluribus Gallicanis Epiſcopis *ibid.* Paſchalis Concilium Laterani habet 636. In eo recuſat Henricum Regem excommunicare 637. Viennenſis Concilii, in quo Henricus excommunicatus, Acta confirmat *ibid.* Beneventum pergit & urbis ſecuritati conſulit *ibid.* Eccleſiæ Antiochenæ jura ſua reſtituit 638. Robertum vexantem Beneventum excommunicat *ibid.* Apud Cyperanum Concilium cogit *ibid.* Piſanos excitat ad expugnationem inſularum Balearium contra Saracenos 639. Concilium Trojæ celebrat *ibid.* Canonicorum Biſuntinenſium controverſiam dirimit 640. Inveſtituras in alio Concilio Lateranenſi damnat *ibid.* Landulphum in Archiepiſcopatum Beneventanum reſtituit *ibid.* Oldegarium cogit ad acceptandum Epiſcopatum Barcinonenſem 641. Henrico Imp. Romam veniente Beneventum pergit *ibid.* Burdinum Bracarenſem Epiſc. in Concilio Beneventano excommunicat *ibid.* Cantuarienſis Eccleſiæ privilegia confirmat *ibid.* S. Petrum Anagniæ Epiſc. canonizat 642. Naturæ debitum ſolvit *ibid.* Ejus ſepultura *ibid.*

Paſtoralis liber S. Gregorii quo tempore elucubratus 184. Quanti habitus fuerit in Galliis *ibid.* In quatuor partes diviſus eſt 185.

Patavienſis Epiſcopatus in quinque à Joanne IX PP. diviſus 433.

Patriciatus Romanorum in quo conſiſteret 290.

S. Patricius Hiberniæ Apoſtolus 90.

Patrinorum in Baptiſmo antiquitas, officium, & numerus adducuntur 15.

S. Paulinus Nolanus utrum inventor Campanarum 203.

S. Paulinus Trevirenſis Epiſc. damnationi S. Athanaſii ſubſcribere recuſans in exilium mittitur 52. In eo moritur *ibid.*

S. Paulus Apoſtolus martyrio coronatur 4. Corpus ejus à Sixto II PP. transfertur in catacumbas 30.

Paulus Samoſatenus Epiſc. Divinitatem Chriſti negans damnatur in ſecundo Conc. Antiocheno 31. Erravit etiam in Trinitatis fide *ibid.*

S. Paulus creatur Papa 304. Ejus primordia & virtutes *ibid.* Electionem ſuam Pippino Franc. Regi ſignificat 305. Fit ejus compater *ibid.* Contra Longobardos ab eo auxilium petit *ibid.* Eum & gentem Francorum commendat 306. Longobardos ad auxilium contra Græcos pertrahere tentat *ibid.* Cum Deſiderio Longobard. Rege convenit *ibid.* Pippinum à Conſtantino Imp. diſſociare conatur *ibid.* Cantum Romanum in Galliam introducere tentat *ibid.* Conſtantini Imp. converſionem fruſtra aggreditur *ibid.* Optat fieri pater luſtralis filii Pippini Regis 307. Scribit ad Pippinum querens de Deſiderio Longobard. Rege *ibid.* Conſtruit Monaſterium SS. Stephani & Silveſtri *ibid.* Quædam Monaſteria Pippino Regi donat 308. Gratulatur ei de ſtudio in Sedem Apoſt. *ibid.* Taſſilonem Bavariæ Ducem cum eo conciliare ſtudet *ibid.* S. Gorgonii corpus & alia Metenſi Epiſc. tradit *ibid.* Pippino nunciat Græcos mittere claſſem in Italiam 309. Significat ei Deſiderium Regem Longobard. ſuas ditiones vaſtaſſe *ibid.* Adverſus eum ad Pippinum ſcribit *ibid.* Ad Deum tranſit *ibid.*

Paulus Theſſalonicenſis Epiſc. à S. Martino PP. deponitur & quare 228.

Paulus fit Epiſc. Cpolitanus in locum Pyrrhi 222. Synodicam ſuam ad Theodorum PP. mittit *ibid.* A' Cypriis Epiſcopis accuſatus de Monotheliſmo apud Theodorum PP. *ibid.* Admonetur à Theodoro PP. de hæreſi ejuranda 223. Typum ſeu fidei formulam ſub Conſtantis Imp. nomine promulgat *ibid.* Pauli furor in Apocriſarios Sedis Apoſt. 226. Paulus deponitur à Theodoro PP. ſed extra Synodum *ibid.* Damnatur à S. Martino PP. in Conc. Lateranenſi 227. Auctor eſt Conſtanti Imp. ut parcat ſanguini S. Martini PP. 230. Moritur *ibid.* Damnatur à Synodo generali ſexta 243.

Paulus alter ſuccedit Theodoro in Sedem Conſtantinopolitanam 257. Præeſt Synodo Quini-Sextæ ſeu Trul-

P

Janæ 262. Moritur 269.

Paulus alter Cpolitanus Epiſc. fit Monachus & moritur 322. Hæreſim Iconomachorum ante mortem abjurat *ibid.*

Paulus Aſiarta Romæ tumultus excitat 316. Ravennæ detinetur & occiditur *ibid.*

Pelagiana hæreſis initium à quo tempore deſumendum 75.

Pelagianorum errores 76. Ab Innocentio PP. damnantur 77.

Pelagiana hæreſis à Sede Apoſt. primùm damnata 78.

Pelagiani Româ pelluntur 86. Poſtea tota Italia, imò & Britannia 89. Damnantur à Cœleſtino PP. in Synodo Rom. 93.

Pelagiana hæreſis confutatur à Gelaſio PP. 124. Item à Joanne Ta aja Epiſc. Alexandrino *ibid.*

Pelagius Hæreſiarcha Monachus Britannus à Rufino Aquilejenſi deceptus 76. Ejus Magiſtri, & præcurſores *ibid.*

Pelagius à Synodis Carthaginenſi & Milevitana damnandus cenſetur 77. Damnatur ab Innocentio PP. *ibid.* Quare Romam ab eo non vocatus 78. A' Zoſimo PP. innocens creditur 80. Ab eo poſtea damnatur 81.

Pelagius fit Pont. Rom. 172. Ante Pontif. Cpoli Apocriſarius auctor fuit damnationis Origeniſtarum 158. Ad Totilam G thorum Regem Legatus eum mitiorem reddiderat 172. Non fuit auctor, ſed ſocius perſecutionum Vigilii PP. *ibid.* A' duobus tantùm Epiſcopis & uno Presbytero eſt ordinatus & quare 173. Tuſcos Tria Capitula defendentes increpat *ibid.* Scribit ad Childebertum Franc. Regem 174. Fidei ſuæ profeſſionem ad eum mittit *ibid.* Arelatenſi Epiſc. vices ſuas committit *ibid.* eo ſedente Illyrici & Africani à Schiſmate redeunt *ibid.* Pelagius pro quinta Synodo multum laboravit *ibid.* Baſilicæ Apoſtolorum Philippi, et Jacobi ædificationem inchoat *ibid.* Moritur 175. Ejus Epiſtola ſpuria rejicitur *ibid.*

Pelagius II ordinatur Papa inſcio Imp. & quare 177. Aquilejenſem Sedem Gradum transfert *ibid.* Iſtriæ & Venetiarum Epiſcopos Tria Capitula defendentes à ſchiſmate revocare ſtudet 178. Ipſos iterum hortatur ut ad unitatem Eccleſiæ redeant 179. Tertiò ad ipſos ſcribit *ibid.* Contra eos vim fruſtra adhibet *ibid.* Librum ſcribit pro defenſione quintæ Synodi *ibid.* Auxilium à Francorum Rege, & ab Imp. contra Longobardos petit 180. S. Gregorium poſtea Papam Diaconum ordinat, & Cpolim Apocriſarium mittit *ibid.* Caſſat Synodum Cpoli à Joanne Jejunatore celebratam, & quare *ibid.* Tres ejus Epiſtolæ ſuppoſititiæ 381. Ejus Epiſtola de præfationibus Miſſæ rejicitur *ibid.* Pelagius peſte inguinaria moritur 382. Ejus in pauperes & Eccleſias beneficentia *ibid.* Siciliæ Subdiaconis continentiam indixit *ibid.* Primus ex Pontificibus Romanis in ſuis Epiſtolis Inditiones notavit 183.

Penſionum Eccleſiaſticarum origo 109.

Perpetua, & Felicitas ſub Severo Imp. martyrium faciunt & ubi 20.

Perſecutio Eccleſiæ prima ſub Nerone Imp. 5.

Secunda ſub Domitiano 10.

Tertia ſub Trajano 11.

Quarta ſub M. Aurelio & L. Vero 17.

Quinta ſub Severo 20.

Sexta ſub Maximino 22.

Septima ſub Decio 25. A' Gallo & Voluſiano continuata *ibid.*

Octava ſub Valeriano 30.

Nona ſub Aureliano 33.

Perſecutio ſub Galerio præludium fuit perſecutionis decimæ generalis 35. Decima perſecutio à Diocletiano & Maximiano indicta *ibid.* Ab ea Galliæ immunes fuere *ibid.* Quo tempore finierit *ibid.* Cauſa, ſeu prætextus perſecutionis *ibid.*

Petronax Abbas Caſſinenſe Monaſterium hortatu Gregorii II PP. reſtaurat 276.

S. Petrus Apoſtolorum Princeps 2. A' Chriſto conſtituitur Chriſti Vicarius in terris relinquitur *ibid.* Ante vocationem Simon dictus *ibid.* Antiochenam fundat Eccleſiam *ibid.* Jeroſolymitano Concilio præeſt *ibid.* Romam non venit ſub Claudio Imp. *ibid.* Sed ſub Nerone *ibid.* Alexandrinam Eccleſiam per S. Marcum fundat 3. Simonem Magum precibus proſtravit 4. Martyrio coronatur *ibid.* Sancti Petri ſcripta genuina 5. Spuria *ibid.* Petri corpus à Sixto II PP. in catacumbas transfertur 30.

S. Petrus Chryſologus ordinatur Ravenn. Epiſcopus à Sixto III PP. 101.

Petrus Mongus Diaconus communicare recuſat cum S. Proterio Epiſc. Alex. 109. Ordinatur ab uno hæretico Epiſc. Alex. 118. E' Sede dejicitur *ibid.* In eam reſtituitur 119. In duabus Synodis Rom. deponitur 121.

Petrus Fullo Antiochenam Eccleſiam invadit 118. Ex ea pellitur *ibid.* In eam reſtituitur *ibid.* In Cpolitana & Romana Synodis damnatur *ibid.* Item in alia Synodo Rom. 122.

Petrus quidam Monothelita fit Epiſc. Cp. in locum Pyrrhi 230. Ejus Synodicam rejicit Eugenius PP. 232. Ejus error de triplici in Chriſto voluntate *ibid.* Damnatur à Sexta Synodo generali 243.

Petrus Damiani à Steph. IX fit Epiſc. Card. Oſtienſis 531. Legatus à Nicolao II Mediolanum mittitur contra Simoniacos & Nicolaitas 537. Pro abdicando Epiſcopatu Nicolao II libellum ſupplicem affert 538. Petri Damiani judicium de Electoribus Cadoli Antipapæ 543. Petrus in eremum de conſenſu Alexandri II ſecedit *ibid.* Auctor eſt Synodalis diſceptationis inter Advocatum Regium & Eccleſiæ Rom. defenſorem in cauſa Cadoli 544. Florentiam ad ſedandum ſchiſma inter Epiſcopum & Monachos exortum ab Alexandro II legatur 545. Re infecta recedit *ibid.* Gallias Legatus mittitur pro cauſa Cluniacenſis Monaſterii, quam in Synodo Cabilonenſi terminat 546. In Germaniam Legatus dirigitur 551. Tum Ravennam ab eodem Alexandro II Papa 554. Ravenna rediens moritur *ibid.*

Petrus Gerundenſis Epiſcopus Pallium à Joanne XIX recipit, & quare 498.

S. Petrus Anagniæ Epiſcopus à Paſchali II canonizatur 642.

Petri Abaelardi libros Innoc. II comburi jubet 692.

Petri de Bruis errores in Concilio Lateranenſi II generali damnantur 690.

Petrus Eremita expeditioni Ieroſolymitanæ pro recuperatione Terræ Sanctæ auctor, vel incentor 608.

Petrus Leonis Antipapa eligitur ſub Anacleti II nomine 667. Ejus electio facta eſt poſt illam Innocentii II *ibid.* Innocentium PP. Urbe exire cogit 669. A' Lothario Imp. Divinæ, & Regiæ Majeſtatis reus declaratur 679. Anacleti Antipapæ genus, fortuna, et pravi mores 886. Ab omnibus ferè rejicitur *ibid.* Gerardum Engoliſmenſem Epiſc. in univerſa Gallia Legatum conſtituit 687. Rogerio Siculo titulum Regium impertit *ibid.* Deſperatus moritur 688.

Philippicus Imp. vide Bardanes.

Philippi Imperatores non fuerunt à S. Fabiano PP. baptizati 23. Non fuerunt Chriſtiani *ibid.*

Philippus quidam Presbyter fit Antipapa, ſed ſtatim ad ſuum monaſterium redire cogitur 311.

Philippus Presbyter Legatus Cœleſtini PP. ad Concilium Epheſinum 95. Epheſum appellit, & Actioni ſecundæ Concilii intereſt 96.

Philippus Francorum Rex, Berta legitima uxore dimiſſa, Bertradam Fulconis Andegavenſis Comitis uxorem ſibi Matrimonio copulat 603. Pro eo conjugio à Legato Urbani II excommunicatur *ibid.* Item ab Urbano II in

Cla-

Digitized by Google

Claromontano Concilio 605. Ab eodem PP. in Nemauſenſi Concilio Eccleſiæ reconciliatur 612. Ad Bertradam reverſus iterum excommunicatur in Concilio Pictavienſi 619. Scribit ad Lambertum Epiſc. Attrebatenſem Apoſtolicæ Sedis Legatum pro ſua abſolutione 615. Ab eo abſolvitur Pariſiis *ibid.* Filii ex Philippo, & Bertrada geniti ſpurii fuere *ibid.*

Phocas Imp. decretum edit contra Epiſc. Cp. œcumenici titulum uſurpantem 204. Pantheon Boniſacio IV tribuit 205.

Photinus Sirmienſis Epiſc. primò in Synodo Mediolanenſi damnatus 49. Deinde in Romana, tum in Sirmienſi *ibid.* Photiniani dicti etiam Bonoſiaci 63.

Photius Sedem Cpolitanam invadit ejecto Sancto Ignatio 377. Legatos ad Nicolaum PP. mittit *ibid.* In pſeudo-Synodo Cpolitana in Sede confirmatur *ibid.* Scribit ad Nicolaum PP. literas, quibus mentitur ſe invitum in Sede confirmatum 378. A' Nicolao omni honore Sacerdotali in Synodo Rom. exuitur 379. Eccleſiam Latinam calumniatur 380. Nicolaum Papam in pſeudo-Synodo damnat *ibid.* E' Sede dejicitur, & S. Ignatius reſtituitur in executionem ſententiæ Nicolai PP. *ibid.* Ejus cauſa agitatur in Concilio octavo Cpoli celebrato 395. Photius introducitur in Concilium, ſed reſpondere recuſat 398. In Actione ſeptima præſens damnatur 399. Ejus damnatio ſubſcripta calamis Sanguine Chriſti tinctis *ibid.* Mortuo S. Ignatio Sedem iterum occupat 412. Per fraudem à Joanne VIII in Sedem reſtituitur *ibid.* Pſeudo-Synodum Cpoli celebrat, quam Synodum *Octavam*, & *Generalem* appellat 413. A' Joanne VIII novo damnatur anathemate 414. Item à Martino II PP. damnatur 416. Ab Hadriano III à communione rejicitur 418. A' Leone Sapiente Imp. Sede dejicitur, & in Monaſterium truditur 419. Photii mortis tempus 423.

Pictavienſe Concilium à Legatis Paſchalis II celebratur, in eoque Philippus Franc. Rex excommunicatur 610.

Pictavienſe alterum Concilium pro expeditione Jeroſolymitana 618.

Pippinum majorem domus Franciæ Regem dicendum reſpondet Francis Zacharias PP. 296.

Pippinus fit Rex Franc. 297. Ungitur à S. Bonifacio, & poſtea à Stephano PP. *ibid.* Pippinus nominationem Epiſcoporum antequam Rex eſſet à Zacharia PP. obtinuit *ibid.* Stephanum II PP. in Francia ſuſcipit 299. Ab eodem Rex ungitur, & dicitur Romanorum Patricius 300. Aiſtulphum Longobard. Regem vincit, & in Franciam redit 301. Iterum eum vincit, & Exarchatum Ravennæ, aliaque Eccleſiæ Rom. donat 303. Fit compater Stephani II Papæ 305.

Piſana Eccleſia à Gelaſio II dedicatur, & fit Metropolitana 645. Corſica ei ſubjicitur 646.

Piſani Ebuſum Inſulam, & Majoricam Saracenis eripiunt 639.

Piſanum Concilium ab Innocentio II PP. celebratur 681.

Piſtorienſis Eccleſiæ privilegia ab Innocentio II confirmantur 680.

S. Pius ante Anicetum PP. ſedet 15. Decretum ejus de celebrando Paſchate die Dominico ſuppoſititium 16. Pœnitentiam imponit ei, cujus negligentia de ſanguine Domini aliquid ſtillat *ibid.* Decretales ipſi falsò adſcriptæ *ibid.*

Placentina Eccleſia Ravennenſi, è qua ablata fuerat, à Gregorio V reſtituitur 477.

Placentinum Concilium ab Urbano II celebratur 603.

Placentinum alterum Concilium ab Innocentio II habitum 677.

Polonia Principes neque à Silveſtro II, neque ab Ottone III Reges dicti 483. Sub Gregorio VII nondum regio titulo inſigniebantur 563, & 579.

S. Polycarpus Smirnæ Epiſc. Romam pergit 16. Cum S. Aniceto contendit de die celebrandi Paſchatis *ibid.* Romæ tamen in Eccleſia conſecrat 17. Martyrium patitur ſub Marco Aurelio *ibid.*

Polychronius Presbyter, & Monachus impoſtor Monothelita damnatur in ſexta Synodo Generali 244. Romam in exilium mittitur *ibid.*

S. Pontianus Urbano PP. ſuccedit 22. In exilium mittitur, & Martyrium conſumat *ibid.* Decretales ipſi attributæ conceptæ *ibid.* Ejus corpus à Fabiano PP. Romam transfertur 23.

Pontificalium ornamentorum uſus Abbatibus à Joanne XIII primùm conceſſus 451. Poſtea Presbyteris quibuſdam Colonienſibus à Leone IX PP. 514. Item Canonicis mitræ uſus ab eodem Pontifice conceſſus *ibid.*

Pontigonenſis Synodus electionem Caroli Calvi in Imperatorem confirmat 406. Formoſum Epiſc. Portuenſem damnat 407.

Pontiniacenſis Abbatia ſecunda Ciſtercii filia quo anno fundata 621.

Pontius Abbas Cluniacenſis Abbatiam ſponte reſignat 663. Cluniacum poſtea armatus invadit, ideoque ab Honorio II citatur *ibid.* Romæ moritur in carcere *ibid.*

Poſſeſſor Epiſc. Africanus Cpoli exul Hormiſdam PP. de Fauſti libris conſulit 149.

Pragenſis Epiſcopatus inſtituitur à Boleſlao Pio Bohemiæ Duce 460.

Præfationum Miſſæ inſtitutio Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris tribuenda 125.

Præfationum multiplicitas 381. Numerus hodiernus *ibid.*

Presbyteri Romani, vacante Sede, Eccleſiam adminiſtrabant 14. Curvi ſtare juſſi cùm legebatur Evangelium 68.

Presbyteri ſæculo ſexto unà cum Epiſcopo ſæpe concelebrabant 197.

Presbyterorum filios ad Sacros Ordines promoveri poſſe cum diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ ſtatuit Urbanus II in Concilio Claromontano 606.

Priſca Diocletiani uxor Chriſtiana ab eo cogitur ſacrificio pollui 35.

Privatus hæreticus ab Africanis damnatus à S. Fabiano PP. communione privatur 23.

Proclus Montani diſcipulus à Sancto Zephyrino PP. anathemate percellitur 19.

Proclus Cyzigenus Epiſc. Neſtorium refellit, & ab eo refellitur 92.

Projectus Epiſcopus Legatus Cœleſtini PP. ad Concilium Epheſinum 95. Epheſum appellit, & Actioni ſecundæ Concilii intereſt 96.

Proterius Alex. Epiſcop. dictus in Dioſcori locum ſcribit ad Leonem PP. à quo viciſſim literas recipit 109. Ab hæreticis occiditur *ibid.*

Purgationis per aquam frigidam forma ab Eugenio II PP. inſtituta 353. Inſtitutionis hujus ſinceritas oſtenditur *ibid.* Plura purgationum genera recenſentur *ibid.*

Purificationis B. Virginis Feſtum à Juſtiniano Imp. inſtitutum 166.

Pyrrhus Monothelita ſuccedit Sergio in Epiſcopatum Cpolitanum 219. Ecteſim Braclii in pſeudo-Synodo confirmat *ibid.* Cpoli fugit ob popularem ſeditionem, & in Africam trajicit 221. A' S. Maximo Abbate convictus hæreſim abjurat & Romam petit *ibid.* Redit ad hæreſim & à Theodoro PP. in Synodo Rom. damnatur 225. Subſcribitur damnationi ejus calamo ſanguine Domini tincto *ibid.* Pyrrhus damnatur à S. Martino PP. in Concilio Lateranenſi 227. Iterum Epiſcopatum Cp. recipit 230. Scelerum pœnas luit & moritur *ibid.* Damnatur in ſexta Synodo generali 243.

Q

B. Quartus cum Sixto II ſub Valeriano & Gallieno Martyrio coronatur 30.

Quini-Sexta Synodus à Juſtiniano II Imperatore cur con-

Digitized by Google

Q

congregata 261. Quare dicta Quini-Sexta & erratica *ibid.* Quo anno celebrata *ibid.* Ejus Præſes & numerus Epiſcopornm 262. Apoſtolica Legatio ei adfuit *ibid.* Ex centum & duobus canonibus in ea editis qui improbati 263. Ex iis plures optimi *ibid.* Eis ſubſcribere recuſat Sergius PP. *ibid.* Item Joannes VII PP. 269. Ejus canones non contrarii decretis Eccleſiæ Rom. à Conſtantino PP. confirmantur 271.

Quinta Synodus generalis à Juſtiniano Imp. Cpolim convocatur contra pacta cum Vigilio PP. conventa 166.

Prima collatio fit à tribus Patriarchis & pluribus Epiſcopis abſente Vigilio PP. 167. Ex ea mittuntur Legati ad Vigilium *ibid.* Legati illi iterum Vigilium conveniunt *ibid.*

Secunda & tertia collationes habentur *ibid.*

In quarta collatione Theodorus Mopſueſtenus damnatur *ibid.*

In quarta ſcripta ejus expenduntur *ibid.* In eadem declaratur licitum eſſe hæreticos poſt mortem damnare *ibid.* In eadem Capitulum de Theodoreto expenditur 168.

In Collatione ſexta Epiſtola Ibæ Edeſſeni Epiſcopi diſcutitur 169.

In collatione ſeptima Vigilii Epiſtolæ leguntur *ibid.*

In collatione octava & ultima Synodus in Tria Capitula ſententiam fert *ibid.* Anathematiſmos XIV ſententiæ ſubjicit 170.

In principio Synodi origeniſtæ damnati fuerant *ibid.*

Quinta Synodus à Vigilio PP. tandem confirmata eſt 171. Non eſt æqualis auctoritatis ac quatuor priores *ibid.*

Pro Synodo quinta Pelagius II Papa librum ſcribit 179.

Quintius urbis Præfectus Cadoli Antipapæ fautor 565. Diverſus à Quintio, ſeu Cincio, qui erat Urbis Præfectus ſub Gregorio VII *ibid.* Incertum an Quintius ille vel alius quiſpiam Gregorium VII Miſſam celebrantem cœperit & mutilaverit 566.

R

R*Achis* Longobard. Rex abdicato Regno fit Monachus 296.

Rainulphus Comes ab Innocentio II creatur Dux Apuliæ 685.

Ramirus Monachus & Sacerdos fit Aragoniæ Rex & uxorem ducit 682. Idque cum diſpenſatione Innocentii II PP. 683. Ad Monaſterium redit *ibid.*

Raimundus Berengarii hujus nominis III Provinciæ, & Barcinonæ Comes Saracenorum magnam ſtragem edit 639.

Ravennatenſes dant pœnam ſchiſmatis contra Eccleſiam Romanam 271.

Ravennatenſis Exharchatus Eccleſiæ Rom. à Pippino Francorum Rege datur 303.

Ravennenſi Eccleſiæ Placentina à Gregorio V reſtituitur 477. Ei plures Eccleſiæ ſubtrahuntur à Paſchali II Papa 619. Ei à Gelaſio II reſtituuntur 621.

Ravennenſes duæ Synodi ſub Joanne VIII PP. 406. Ravennenſe Concilium ſub Joanne IX PP. 32. Aliud ſub Joanne XIII pro reſtitutione Eccleſiaſticæ diſciplinæ 458. Ravennenſe Concilium ſub Honorio II Patriarchas Aquilejæ & Venetiæ deponit 666.

Remenſe Concilium à S. Leone IX celebratur 612. Item alterum à Calliſto II PP. 653. In hoc ultimo Henricus Imp. & Burdinus Antipapa excommunicantur *ibid.* Remenſe alterum ab Innocentio II celebratur 674. Canones hujus Concilii *ibid.* In eo Innocentius Ludovicum Ludovici VI filium Franc. Regem conſecrat *ibid.* Illud canonizatione S. Godehardi Hildensheimenſis Epiſcopi terminat 676.

Renatus Presbyter S. Leonis PP. Legatus ad pſeudo-Synodum Epheſinam 106. Ab hæreticis male habetur *ibid.*

Reparatus Ravennenſis Epiſcopus Rom. Eccleſiæ ſe ſubjicit 238.

Rheticius Auguſtodunenſis Epiſc. Judex ſchiſmatis Donatiſtarum in Synodo Rom. 38.

Richerius Prumienſis Abbas ordinatur à Joanne X Epiſc. Tungrenſis 441.

Riculphus Moguntinus Epiſc. Decretales Pontificum Rom. Epiſtolas in Gallias ex Hiſpania labente ſæculo octavo affert 9.

S. Robertus Arvernenſis Caſæ-Dei Monaſterium conſtruit, eique à S. Leone IX Abbas licèt invitus præficitur 510.

Robertus Moliſmenſis Monachus Ciſtercienſem Ordinem fundat 616. Moliſmum ab Urbano II redire jubetur *ibid.*

Roberti Franc. Regis nuptiæ inceſtæ à Gregorio V in Synodo Rom. reprobantur 477. Robertus Romam redit ſub Benedicto VIII PP. quo anno incertum 492.

Robertus Guiſcardus à Nicolao II Calabriæ Dux creatur 530. In prima Synodo Rom. ſub Gregorio VII excommunicatur 561. Item in ſecunda ſub eodem Papa 564. A' Gregorio PP. *ibid.* Eccleſiæ reconciliatur 575. Cum eo fœdus init 576. Roberto coronam Imperialem promittit Gregorius PP. *ibid.* Robertus fœdus perpetuæ pacis cum Gregorio PP. pangit 581. Gregorium VII in Caſtello S. Angeli obſeſſum Româ captâ liberat 587. Eum Salernum ducit *ibid.* Moritur 590.

Robertus Sclavus Beneventum vexans à Paſchali II excommunicatur 638.

Rodoaldus Portuenſis Epiſc. Legatus Cpolim pro cauſa S. Ignatii & Photii à Nicolao PP. mittitur 378. Prævaricatur in ſua Legatione *ibid.*

Rodulphus Sueviæ Dux à Principibus Germaniæ poſt depoſitionem Henrici IV Rex invitus eligitur 575. Succeſſionem in regnum repudiat *ibid.* In Synodo Rom. VII in Regia dignitate à Gregorio PP. confirmatur 581. Occiditur in prælio 582.

Rogerius Siciliæ à Roberto Guiſcardo fratre Præfectus inſignem de Saracenis victoriam reportat, ob idque vexillum S. Petri ab Alexandro II recipit 547. De Ducatu Apuliæ ab Urbano II in Melphitano Concilio inveſtitur 597.

Rogerius Siciliæ Comes Apuliam invadit 664. Ab Honorio II PP. excommunicatur *ibid.* Pontificem muneribus flectere non poteſt *ibid.* Apuliæ Ducatus Rogerio juſtè negatur 665. Rogerius cum copiis in Apuliam pergit *ibid.* Ab Honorio PP. Apuliæ Dux creatur *ibid.* Ab Anacleto Antipapa Regium titulum recipit 687. Mortuo Anacleto alium Antipapam eligi curat 688. Innocentium II Papam recognoſcit 689. In Concilio Lateranenſi II generali excommunicatur 690. Innocentium II capit, ab eoque Regium titulum recipit 692.

Rolandus Parmenſis Clericus Gregorio VII depoſitionem ſuam in Conciliabulo VVormatienſi factam intimat 568. A' Gregorio VII in Synodo Rom. IV excommunicatur, & indignus Epiſcopali dignitate judicatur 577. Ejus excommunicatio & depoſitio in Synodo Rom. VII ſub eodem Gregorio confirmatur 581.

Romana Eccleſia à S. Petro Imperante Nerone fundata 2. A' Presbyteris Rom. vacante Sede adminiſtrata 14. Aliarum Eccleſiarum inopiam liberalitate ſua ab Apoſtolorum temporibus ſublevavit 17. A' quibus Sæculo ſexto adminiſtrata mortuo vel abſente Pontifice 173, 183, & 221. A' penſitatione pecuniæ pro ordinatione Pontificis liberatur à Conſtantino Pogonato Imp. 247. Liberatur & ab eodem à ſervitute petendæ confirmationis Pontificis ab Exarcho, & Imp. eam ſibi reſervat *ibid.* In libertatem penitus aſſeritur 255. Iterum ſervitu-

Digitized by Google

d.p.Restauro s.n.c.

Intervento di restauro, segnatura 2-81 Vol. I

- collazione
- spolveratura e pulizia a secco
- rammendo alla piega e imbrachettatura (velina giapponese Vang 25502)
- integrazione lacune (carta giapponese Vang 25502 e Japico 632381)
- spianamento
- cucitura su 5 nervi, tracce originali (filo in cotone, corda di canapa)
- fogli di guardia struttura F (carta Vang20231)
- prima indorsatura (carta Vang 25517)
- seconda indorsatura lino e cuoio sfiorato
- piatti (cartone fibrato tipo Avana)
- capitelli (lino naturale, cotone colorato)
- compensazioni in cartoncino durevole per la Conservazione Fabriano
- coperta in tutta pelle (capra a concia vegetale)
- doratura diretta
- collanti per operazioni di rattoppo, imbrachettatura e indorsatura. Tylose MH300P al 4% e 6%
- collanti per la legatura: Tylose MH300P al 6% (80%) e Plextol B500 (20%)

Digitized by Google

[redacted]

Digitized by Google